Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Bibliotheca



Palatino
Düsseldor-
piensis.

4 D. 9. No 64

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ERNEST. JOACH. DE WESTPHALEN

MONUMENTA INEDITA

RERUM GERMANICARUM

PRÆCIPUE

CIMBRICARUM

ET

MEGAPOLENSIUM.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ERNEST

RERUM

IM

MEG

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

MONUMENTA INEDITA

RERUM GERMANICARUM

PRÆCIPUE

CIMBRICARUM,

ET

MEGAPOLENSIUM,

QUIBUS

VARIA ANTIQUITATUM, HISTORIARUM, LEGUM JURIUMQUE GERMANIÆ, SPECIATIM HOLSATIÆ ET MEGAPOLEOS VICINARUMQUE REGIONUM ARGUMENTA ILLUSTRANTUR, SUPPLENTUR ET STABILIUNTUR.

E CODICIBUS MANUSCRIPTIS, MEMBRANIS ET CHARTIS AVTHENTICIS ERUI STUDUIT NOTULASQUE ADJECIT

ET CUM PRÆFATIONE

INSTRUXIT

ERNESTUS JOACHIMUS DE WESTPHALEN,

AURATI ORDINIS SLESVICENSIS HOLSATICI EQUES, REGIÆ CELSITUDINIS DUCIS SLESVICI ET HOLSATIÆ REGNANTIS CANCELLARIUS AULÆ ET SENATUS INTIMI HUJUSQUE CONSILIARIUS, SUPREMI CONSISTORII MILITARIS ET ECCLESIASTICI VICARIUS PRÆSES, ACADEMIÆ CHILONIENSIS CURATOR ETC.

TOMUS I.

CUM TABULIS ÆRI INCISIS.



LIPSIÆ

IMPENSIS JO. CHRISTIANI MARTINI

MDCCXXXIX.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

A. D. G. 64
2 Mr

KGENIGL:
BIBLIOTHEK
ZU
DUSSELDORF



AD

MONVMENTA INEDITA

TOMO I. CONTENTA

PRAEFATIO ET INTRODVCTIO.

Mutatio ſtudiorum in Germania.

Repentinam quidem ſed peroptatam eamque felicem rerum dixeris converſionem, quod cum ſuperiori ævo plures Hiſtoricorum et Jureconſultorum Germaniæ communi fere impetu res patrias deſpexerint & in cultu ſtudiorum adventitiorum pertinaci induſtria conſenuerint; recenti nunc ætate tantum non omnes flagrantiſſimo patriæ ducti ſtudio res domeſticas ab interitu & deſpicatu vindicent, iisque curam omnem atque operam ſtrenue impendant. Deſerta fere nunc tota eſt provincia eorum, qui antiquitatum hiſtoriarumque Romanarum quisquiliis & ſubobſcuris Latii reliquiis capti ex quolibet ſtramine peregrino columnam compegerunt, qui contagioſo Græcorum morbo correpti, laureolam in muſtaceo & in ſyllabis imperium quæſiverunt, qui Romanas ſubtilitates, theoremata & minutias nec micam ſalis ſecum conjunctam nec utilitatis quicquam habentes, ſollicite percontati ſunt & rimati impenſius, qui ſi in foro Romano verſati & nube documentorum Latii obducti fuerint, in campis Elyſiis, vel in Deorum cœnaculis epulari ſibi imaginati ſunt, qui ſimul ac vel numulum æruginoſum vel lapidem veteris Romæ, vel novam quandam inſcriptionem, novi inſtar ſideris conſpexerint, tripudio perciti exſultarunt, quin Trojam expugnaviſſe & reportaſſe

taſſe ſibi viſi ſunt victoriam laureatam, ſi antiquatarum Romanarum legum formularumque ſignificatum divinaverint, antinomias conciliaverint & in legibus unius verbi vel omiſſi vel mendoſe ſcripti integritatem novamque lectionem reſtituerint. Qui, ut ſummatim dicam, trans Alpes ſaltim & in ſola republica Romana ſapere geſtientes, toti in eo allaborarunt, ut ipſi Germani, patriæ & civibus Germanis ſolas obtruderent extraneorum antiquitates, annales, litteras & leges præcipue Romanorum, ſusque deque habitis Germaniæ hiſtoriarum juriumque originibus, fontibus, rationibus, diplomatibus, & adiumentis aliis, dominatis proramque & puppim in rebus patriæ gerendis, abſolventibus. Nunc vero effloruit ſæculum Germaniæ vere hiſtoricum & diplomaticum quod reſtauratoribus ſuis gaudet & gloriatur litteratis, qui res hiſtoricas & diplomaticas patriæ ex conditoriis ſuis, in quibus pulvere & ſqualore obſitæ & veluti humatæ delituerunt, ſtudio omni & cura eruunt, atque adeo ab inferis in ſuperas auras revocant, ut Germania ipſa feliciſſima viciſſitudine & quaſi anaſtaſi reſurrexiſſe fere videatur ex tumulis ſuis atque ſepulturis. Certe fecerunt omnes, his occupationibus intenti rem gloria nominis Germanorum dignam, Germanicæ reipublicæ proficuam maxime & ſalutarem, quicquid forte obganniant harum rerum imperiti, qui incaneſcere malunt litteris, quæ vel in vulgus notæ ſunt, vel non dicam tuto & impune, ſed & utiliter in patria ignorantur. Et quidni laudata virorum, qui tot luculenta & quantivis pretii patriæ monumenta ex tenebris & latibulis in publicam lucem protrahere cœperunt, ſtudia & inſtituta dixeris, omni commendatione digniſſima? Non ſolum enim inde hiſtoria Germaniæ cum imperii tum provinciarum innumeris antea figmentis, nævis, erroribus rerumque fabuloſis originibus ſcatens ex fontibus limpidis & genuinis repurgatur & ad rerum monumentorumque antiquam fidem revocata chartis & diplomatibus vel ſtabilitur vel emendatur, &, ubi manca eſt et hiulca, ſuppletur & ad debitum ſplendorem reducitur; ſed etiam confines & cum hiſtoria connexæ ſcientiæ, cultiores, ſolidæ, fidæ & utiles redduntur omnisque eruditio & ſingulæ fere iuris Germanici publici & privati, eccleſiaſtici & feudalis doctrinæ lumine & umbra diſtincta colluſtrantur & ad juſtum redeunt ornatum. Quin & præcipua rerum antiquitatum, legum, juriumque momenta, populi, principis multoties & principatuum commoda inde commonſtrantur definiunturque. Nolumus hoc, quod ab aliis *(a)* abunde luculenterque factum, uſu vero & fructu ſponte manifeſtum eſt, copioſius percenſere; nec inibimus ſeriem, rationes & nomina eorum *(b)*, qui hoc & ſuperiori ævo animum

Anaſtaſis & reſtitutio rerum patriæ.

Laudes eorum, qui ſtudia rerum germanicarum commendant rationibus luculentis. Et ſcriptis ac collectionibus.

a) Præcipue a SIM. FRID. HAHNIO *præfat. de inſtauratoribus artis diplomaticæ*, quam præfixit *Schediaſmati de diplomate fundationis Bergenſis ad Albim cœnobii ed. Magdeb. 1710.* IO. PETRO a LVDEWIG inſtructiſſima *præfatione Tomo I. Reliquiarum MSCt. omnis ævi præmiſſa:* POLYCARPO LEYSERO *in conſilio de diplomatico hiſtoriæ Germanicæ corpore concinnando ed. a. 1727.* IO. GEORGIO CRAMERO *in commentatione de coniungendo juris & antiquitatum Germanicarum ſtudio, huiusque adjumentis §. 10, 11. ſeqq.* & nuper a Reverendiſſimo ABBATE GOTWICENSI *in prodromo Chronici Gotwicenſis præfat. §. 4. ſeqq.*

b) De quibus copioſe diſſeruit CHRISTIANVS GOTTLIEB BVDERVS *in Bibliotheca Scriptorum rerum Germanicarum univerſim eardem illuſtrantium §. 30. p. 51. ſeq. quæ præmiſſa eſt* BVRCH. GOTH. STRVVII *corpori hiſtoriæ Germanicæ ed. a. 1730.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mum ſtudiaque defixerunt in colligendis omnis ævi ſcriptorum rerumque Germanicarum monumentis, diplomatibus, actis publicis, privatis, eccleſiaſticis & clientelaribus; præſtat nominaſſe ſaltim noviſſimæ ætatis operas eorum, qui in hac inſtruenda arena decertarunt, præcipue BERNARDI PEZII (*c*), EDMVNDI MARTENE & VRSINI DVRANDI (*d*), RAYMVNDI DVELLII (*e*), CAROL. LVD. HVGONII (*f*), IO. GEORGII ECCARDI (*ff*), SIM. FRIDER. HAHNII (*g*), CHRISTIANI GODOFRIDI & IO. WILH. HOFMANNI (*h*), ADAM FRID. GLAFEY (*i*), GEORGII CHRISTIANI IOHANNIS (*k*), IO. IACOB MOSERI (*l*), WILH. FRID. PISTORII (*m*), HINR. CHRISTIAN. SENCKENBERGII (*n*), IOANNIS GOTTFRIDI *de* MEYERN (*o*), & qui ſpeciatim animum adjicere haud renuerunt ad proferenda monumenta ſingularium provinciarum locorumque & regionum ſpecialium *Auſtriacarum*, *Moguntiacarum*, *Bambergenſium*, *Würtzburgenſium*, *Fuldenſium*, *Suevicarum*, *Würtenburgenſium*, *Nordgavienſium*, *Haſſiacarum*, *Sileſiacarum*, *Saxonicarum & Miſnicarum*, *Gothanarum*, *Luſaticarum*, *Bohemicarum*, *Brunſvicenſium*, *Goslarienſium*, *Quedlinburgenſium*, *Gandersheimenſium*, *Cellenſium*, *Pomeranicarum & Marchicarum*; in quibus eruendis & reſtaurandis induſtrii fuerunt HIERONYMVS PEZIVS (*p*), PHILIPP HVBERVS (*q*), VAL. FERDINANDVS *de* GVDENVS (*r*), IO. PETRVS LVDEWIGI-

Cultores recentiſime occupati in conquirendis rebus Germaniæ.

Speciatim ſingularium provinciarum.

(*c*) Cuius *codex diplomatico hiſtoricus ſeu Theſauri anecdotorum noviſſimus Tom. VI. prodiit Græcii a. 1729.*

(*d*) Quibus debetur *ampliſſima collectio veterum ſcriptorum monumentorum & hiſtoricorum diplomatibus illuſtrata cuius Tomus VIII. prodiit Paris. a. 1733.* Adde eorundem *theſaurum novum anecdotorum complectentem Regum ac principum epiſtolas & diplomata Vol. V. f. 1717.*

(*e*) *Canonici & Bibliothecarii Sant Hippolitenſis miſcellanea ex codicibus Manuſcriptis collecta libri II. ed. Aug. Vind. 1724.*

(*f*) In *ſacris antiquitatis monumentis Hiſtorico-dogmaticis & diplomaticis ed. Stivagii a. 1725. f.*

(*ff*) In *corpore Hiſtorico medii ævi ſive ſcriptoribus res in orbe univerſo præcipue in Germania a temporibus Caroli M. usque ad finem Seculi XV. geſtas enarrantibus ed. Tom. II. Lipſ. 1723. f.*

(*g*) *Collectione monumentorum veterum & recentium ineditorum Tom. II. ed. 1726.*

(*h*) Quorum ille adornavit *novam ſcriptorum ac monumentorum partim variſſimorum, partim ineditorum collectionem, editam duobus tomis anno 1733;* hic vero, hoc ipſo anno laudabili induſtria in hoc ſtudio perrexit & in lucem emitti curavit: *Sammlung ungedruckter und zu den Geriehten, und Staats-Lehn, und andern Rechten gehörigen Nachrichten und Documenten Halæ. a. 1736. 4.*

(*i*) Cuius cura prodiit *collectio anecdotorum* S. R. I. *hiſtoriam ac jus publicum illuſtrantium. Lipſ. 1734.*

(*k*) *In ſpicilegio tabularum litterarumque veterum usque huc ineditarum. Francof. a. 1724.*

(*l*) *In Bibliotheca MSCtorum maxime Anecdotorum eorumque hiſtoricor. edit. Noriberg. an. 1722.*

(*m*) Occupati in edendis *Amœnitatibus hiſtorico-Iuridicis, quarum quartus tomus nuper prodiit.*

(*n*) Cuius ſtudio debemus *ſelecta juris & hiſtoriarum tum anecdota tum jam edita ſed rariora, quorum Tomum III. edidit Francof. a. 1735.*

(*o*) Qui totus *eſt in concinnandis actis pacis Weſtphalicæ publicis;* quorum nunc Tomus VI. prodiit, opere rebus uſuque magnifico, numeris ſuis abſolutiſſimo & æterno nomine digno.

(*p*) *Collectione ſcriptorum rerum* AVSTRIACARVM *ed. Tomis. H. Lipſiæ a. 1725 f.* *Speciatim rerum auſtriacarum.*

(*q*) AVSTRIA *ex Archivis illuſtrata ed. a. 1722. f.*

(*r*) *Sylloge variorum diplomatum monumentorumque veterum ineditorum & res Germanicas inprimis* MOGVNTINAS *illuſtrantium Francof. ed. a. 1728.* Cum quo jungi meretur GEORGIVS CHRIST. IOANNIS, cuius & GVDENI ac VFFENBACHII induſtriæ respublica litteraria acceptos refert *ſcriptores rerum Moguntinarum ed. Francof. Tom. III. a. 1727.* *Moguntinarum.*

GIVS (*s*), IOANN. FRIDER. SCHANNAT (*t*), MELCHIOR GOLDASTVS (*u*), CHRISTOPH BESOLDVS (*v*), IOANN. HENR. *de* FALCKENSTEIN (*w*), IO. GEORGIVS ESTOR (*x*), IO. PHIL. KVCHENBECKERVS (*y*), FRIDER. WILH. *de* SOMMERSBERG (*z*), IO. BVRCHARD MENCKENIVS (*a*), FRID. RVDOLPHI & IO. BASILII *a* GLEICHENSTEIN (*b*), CHRISTIANVS GODOFRIDVS HOFMANNVS (*c*), MARQVARDVS FREHERVS (*cc*), GOTTFR. GVIL. LEIBNITIVS (*d*), IO. MICHAEL HEINECCIVS (*e*), FRID. ERNESTVS KETTNERVS (*f*), IO. CHRI-

---

Bambergenſium. (*s*) Cuius indefeſſo & laudabili ſtudio debentur *Scriptores rerum Germanicarum* ſpeciatim BAMBERGENSIVM duobus voluminibus editi *a. 1718. &* WÜRTZBVRGENSIVM *ed. Francof. a. 1713. f.*

Würtzburgenſium. Fuldenſium. (*t*) Qui edidit *corpus traditionum Fuldenſium*, cui acceſſit *Buchonia vetus. Lipſiæ. a. 1724.* Addi merentur ejusdem *vindemiæ litterariæ ſeu monumenta vetera ad Germaniam ſacram præcipue ſpectantia, edita Tomis II. a. 1724. f. Quam collectionem inſecuta eſt alia: Sammlung alter Schriften und Documenten, Francofurti a. 1727.*

Suevicarum. Würtenbergenſium. (*u*) Hujus proſtant collectiones *ſcriptorum rerum Svevicarum & Allemannicarum ed. Ulmæ a. 1727. 1730. f.*

(*v*) *In Documentis redivivis monaſteriorum præcipuorum Ducatus Würtenbergici, ut & Monumentis virginum ſacrarum Würtenbergenſium*, eorumque prodromo *ſeu vindiciis Eccleſiaſticis Würtenbergenſibus.*

Nordgavienſium. (*w*) Editor *Codicis Diplomatici antiquitatum Nordgawienſium, addito Codice Eichſtadienſi Lipſ. 1733. f.*

Haſſiacarum. (*x*) Cuius *ſcripta germanica minora*, quorum nunc tomus VIII. prodiit, rebus præcipue Haſſiacis juriumque ac hiſtoriarum argumentis eruendis & illuſtrandis inſerviunt patriæque egregia lumina affundunt.

(*y*) *In analectis Haſſiacis*, ſelectis obſervationibus ac ſcriptis rerum patriarum refertis: quorum noviſſime collectionem VIII. cum publico communicavit.

Sileſiacarum. (*z*) Quo curante editi ſunt *ſcriptores rerum* SILESIACARVM *Lipſ. a. 1730 II. Volum.*

Saxonicarum. (*a*) Cuius providentiæ & curis tribuendum eſt, quod publici demum juris facti ſint ſelecti *ſcriptores rerum Germanicarum præcipue Saxonicarum tum ad Hiſtoriam Germaniæ generatim tum ſpeciatim* SAXONIAE SVPERIORIS, MISNIAE, THVRINGIAE & VARISCIAE *ſpectantes ed. Lipſ. III. Vol. a. 1730.* Addi *merentur Chriſtiani* SCHOETTGENII *& Georgii Chriſtian* KREYSIGII *Diplomatiſche Nachleſe der Hiſtorie von Ober-Sachſen und angräntzender Landen.* Cuius eruditi & ſelectiſſimi ſpicilegii *partes XII.* prodierunt *a. 1733.* Idem inſtitutum eſt *Io. Gottl.* HORNIO *in den nützlichen Sammlungen zu einer Hiſtoriſchen Bibliothec von Saxen. Tomi VIII. ed. anno 1733.* De reliquis vide BVRCARD. GOTH. STRVVIVM *in Bibliotheca Saxonica Miſnica & Thuringica P. 2. Sect. I. p. 164 ſeqq.*

Gothanarum. (*b*) *In Gotha diplomatica ſeu Hiſtorica deſcriptione Ducatus Saxo Gothani, ed. Francofurti anno 1716. IV. partibus.* Quibus acceſſerunt *additamenta Hiſtoriæ Gothanæ inſtar partis V. cum appendice documentorum, opus induſtria præſtans, haud tamen anteferendum* IO. CHRISTOPH. BECMANNI *Hiſtoriæ Anhaltinæ*, quæ eſt emaculatior, ordine luminoſior, uſuque & diplomatibus longe inſtructior.

Luſaticarum. (*c*) Qui edidit *novum volumen ſcriptorum rerum Germ. inprimis* LVSATICARVM *& vicinarum gentium. Lipſ. & Budiſſæ a. 1719. f.*

Bohemicarum. (*cc*) Qui vulgavit *rerum* BOHEMICAR. *antiquos ſcriptores inſignes partim adhuc incognitos, uno volumine congeſtos.*

Brunſvicenſium. (*d*) III. voluminibus *ſcriptorum res* BRVNSVICENSES *illuſtrantium;* quibus præcipue antiquitates & complures Leges veteres Saxonum inferiorum & huc facientia monumenta Hiſtorica antiqua exhibuit. Jungantur IOACH. IO. MADERI *antiquitates* BRVNSVICENSES *& Phil. Iulii* RETHMEYERI *Chron. Brunſvic. & Luneb. III. Voluminib. f.* edita, eiusque *Antiquitates Brunſvicenſes Eccleſiaſticæ II.* Voluminibus editæ Diplomatibus inſtructæ.

Goslarienſium. (*e*) Cuius *antiquitatum* GOSLARIENSIVM *vicinarumque regionum usque ad pacem Oſnabrugenſem adornatarum Libri VI.* continentur *volumine rerum Germanicarum*, quod prodiit cura ipſius ac *Io. Georgii* LEVCKFELDII. Et ſi quæ alia certe LEVCKFELDII copioſa ſcripta & variæ variorum *monaſteriorum antiquitates* refertæ ſunt documentis & chartis, ſelectu & uſu in hiſtoria particulari haud deſtitutis.

Quedlinburgenſium. (*f*) Qui ex tabulariis ceu e carceribus eduxit & in libertatem aſſeruit *vetera documenta & Diplomata Qvedlinburgenſia*, edita in *antiquitatibus Quedlinburgenſibus Lipſ. a. 1712.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

CHRISTOPH HARENBERGIVS (*g*), IOANN. CONR. KNAVTH (*h*), MARTINVS RANGO (*i*), IO. GOTTL. KRAVSIVS (*k*), ceterique pauci. Quamvis vero horum, eorumque omnium, qui illos vel anteceſſerunt vel adjuvarunt, labores ſint vaſti admodum, multiplices & prolixi rerumque ampliſſimi & inſtructiſſimi apparatus; fatendum tamen eſt, quod in ſpatioſiſſimo Germanorum orbe, copia & opulentia rerum cum univerſim tum ſpeciatim in provinciis geſtarum conſpicuo, omnia nondum ex omni parte abſoluta & ad metam usque ſint confecta & occupata, ſed plurima lacunis hiantia explenda reſtent, & reſidua alia deliteſcant vel ſubigenda adhuc vel invehenda curis & operis aliorum. Utimur in declarando hoc argumento verbis CHRIST. GODOFREDI HOFMANNI *V. Cl.* qui, *innumera*, inquit (*l*), *reſtant, quæ noſtram ætatem adhuc latent & in quibus detegendis fruſtra ſudavit doctorum ſolertia, majora ſubſidia deſiderans, quo lacunas hinc & inde conſpicuas ſupplere poſſit. Non ſuffecerunt huic inſtituto vaſta ſcriptorum noſtrorum volumina, quæ vix tertiam partem Germaniæ in tot provincias diviſæ attingunt, cum de plurimis parum aut nihil memoriæ proditum ſit. Quis vero genuinam & plenam Germaniæ hiſtoriam polliceri poteſt, antequam omnium provinciarum ſuppellex excuſſa fuerit. Eſt enim Imperium Germanicum humano corpori ſimillimum, cujus ſtructuram & conditionem nemo accurate inſpicere poteſt, qui non in omnium membrorum naturam diligenter inquirit*; & GERMANIAE *certe provinciæ & ditiones tam arcte cohærent & in negotiis concurrunt, ut imperfecta omnis ſit corporis contemplatio, quæ non innititur particulari notitia Germaniæ provinciarum.* Germaniæ enim hiſtoriam reſcire, idem eſt ac omnium ditionum fata, mutationes, periodos & memoranda in numerato habere ac invicem conferre, ut ex corpuſculis demum corpus & ex partibus totum conficiatur. Quæ ſicuti vera ſunt univerſe, ita dicta ſingulatim quadrant ad CIMBRIAM & MEGAPOLIN, cujus utri- *Inſtituti præſentis ratio.*

(*g*) *In hiſtoria eccleſiæ* GANDERSHEIMENSIS *Cathedralis & collegiatæ diplomatica ab ineunte Sec. IX. usque ad ſec. XV. perducta, documentis, ſigillis, & tribus vetuſtis ſcriptoribus rerum* GANDERSHEIMENSIVM ornata & illuſtrata. Opus in ſupplementum collectionis ſcriptorum rerum Brunſvicenſium Leibnitianæ adornatum, vaſta lectione & copioſa obſervationum ſegete conſpicuum. Paucula quædam, Hiſtorica præcipue, obelo digna in eo notavit IO. DANIEL GRVBERVS *in conſiderationibus Originum & antiquitatum Gœttingenſium §. XLII. not. 34. præmiſſis parti I. Hiſtoriæ civitatis Gottingæ.* *Gandersheimenſium.*

(*h*) *In Archivi Cellenſis & Koſvinenſis Tom. VIII. ed. a. 1722.* Adde *Sigiſm. Andr.* CVNONIS *memorabilia Schœningenſia vetuſtiorum documentorum & diplomatum autoritate corroborata. Brunſvigæ ed. 1828.* *Cellenſium.*

(*i*) *In originibus Pomeranicis clariſſimorum virorum* SCHVRTZFLEISCHII, HARTKNOCHII, *Egidi von der* MYLEN, *additis diplomatibus vetuſtis Pomeraniæ antiquitates illuſtrantibus.* Reſtant vero plurima Pomeraniæ *diplomataria & ſcripta* HISTORICA adhuc inedita, quorum præcipua ſunt COSMI a SIMMERN, D. GÜNTHERI HEILERI, *Thomæ* KANZOVII, *Valentini ab* EICKSTAEDT, *Nicolai a* KLEMPTZEN, *Conradi* FRIDLIBII *a* FRIDENSBERG, ELZOVII, DREGERI, *Io.* ENGELBRECHTI, *Ad.* GERSCHOWII. Diplomatum chartarumque præcipuarum recenſionem nuper inierunt COLLECTORES *apparatus Diplomatico-Hiſtorici Pomeranici & Rugiani ſpecim. I. ed. Grypswaldiæ a. 1735. f.* *Pomeranicarum.*

(*k*) Cujus cura editi ſunt *Scriptores rerum* MARCHICARVM *Lipſ. a. 1729.*

(*l*) *Præfatione ad Scriptores rerum Luſaticarum pr.* *Marchicarum.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

utriusque plurimi ſcriptores, antiquitates, annales, monumenta & diplomataria carceribus adhuc concluſa detinentur, & vel abjecta & inculta jacent, vel ſepulta prorſus cum tenebris colluctantur; digna tamen omnino, quæ oblivioni eripiantur & in publicam lucem & futurum uſum vindicentur. Inde plurium deſideriis haud abnuentes, nos excitari tandem & moveri paſſi ſumus, ut quæ muſeo adquiſita & dicata fuerant rerum Germanicarum præcipue *Holſaticarum & Megapolenſium* monumenta inedita adhuc & non vulgata manumitteremus, eaque vel ex ipſis apographis deſcripta, vel cum his ſtudioſe collata publici paulatim juris facere conſtituerimus, additis quidem pauculis notulis ſub manu natis, hiſtoricis præcipue, etymologicis & ad elogia iuris Germanici ſpectantibus. Non eget igitur hoc inſtitutum vel excuſatione vel hedera ſuſpenſa vel expoſitione prolixiori, opus ſaltim erit ipſa, quæ nunc in lucem protrahuntur & Volumine hoc primo continentur, ſtrictim enarrare.

Et contentorum recenſio.

I. Henrici Ranzovii Cimbricæ Cherſoneſi & Cimbrorum deſcriptio.

Vita ipſius, proſapia, & elogia.

Primum monumentum eſt HENRICI RANZOVII herois litteratiſſimi Martis & Palladis ſtudio inclyti, non proavis tantum & vetuſta gente, non majorum factis titulisque & imaginibus illuſtris, ſed ſua ipſius ſimul virtute, doctrina & ſapientia generoſi. Vitam ipſius & proſapiam PETRVS LINDEBERGIVS (*m*), D. MICHAEL BEVTHERVS *a* CARLSTAD (*n*), STEPHANVS MACROPVS (*o*), HENRICVS ERNSTIVS (*p*), HIERONYMVS HENNINGES (*q*), IONAS *ab* ELVERFELD (*r*), IO. ADAMI (*s*), CHRIST. MVNDENIVS (*t*), ANDREAS ANGELVS (*u*), MELCHIOR NEOFANIVS (*v*), & plures

Recenſio ſcriptorum de Ranzovii vita,

(*m*) *In præfatione de vita & ſtudiis Henrici Ranzovii, quæ præmiſſa eſt Hypotypoſi arcium & palatiorum ab Henrico Ranzovio conditorum ed. Francof. a. 1592. p. 4 - 10.*

(*n*) *In der Anzeige von dem Leben und Stande Iohannis Heinrici Io. Filii & Danielis* RANZOVIORVM *ed. Baſil. a. 1592. p. 384.* Quod ſcriptum additum eſt ejusdem imaginibus illuſtrium perſonarum eod. a. & loco editis.

(*o*) *Andreæ montanus*, cujus exſtat *oratio de immortalitate Henrici Ranzovii, Herois glorioſiſſimi, mortalibus induviis exuti & in ipſis exequiis æternitati demandati, Hamb. ed. a. 1600.*

Gente & proſapia.

(*p*) *In genealogia Ranzoviana ed. Soræ a. 1646. Proſtat etiam ipſius* HENRICI RANZOVII *genealogia Ranzoviana additis Ranzoviorum imaginibus cupro expreſſis ed. Sleſvigæ a. 1586. Helmſtadii a. 1587. ſæpius recuſa ac cum Chronico Alberti Stadenſis a* REINERO *Reineccio* denuo edita *Wittebergæ a. 1608.*

(*q*) *In genealogiis familiarum nobilium in Saxonia ſeu Holſatia, ex Bibliotheca Ranzoviana auctiores editis Hamb. a. 1590. f. p. 10. & p. 27. ſqq. De raritate hujus operis, vide* MENCKENIVM *in catal. ſcript. hiſtoricorum Langl. du Freſnoy p. 508. Io.* VOGTIVM *in Cat. Librorum rar. p. 97.*

(*r*) *De Holſatia ejusque ſtatu & ordinibus ed. Hamb. a. 1592. claſſe II. pl. G.*

(*s*) *In der Erzehlung und Vorſtellung der Geſchlechte, Nahmen, Urſprung und Herkommen des Adels in Schleſwig und Holſtein ed. Bremæ a. 1618.*

(*t*) *Delineatione Stemmatis Ranzoviani & ſtatua in memoriam Bertr. Ranzovii erecta, in vernacula ed. Sleſvigæ a. 1652. f.*

(*u*) *Chron. Holſat. P. I. p. 159. ſeqq.*

(*v*) *Brevi Majorum gentis Ranzovianæ Catalogo factorumque delineatione, cum epicedio in Cajum Ranzovium ed. Hamb. a. 1592.* Addi merentur *M.* MARTINI CORONAEI *Elogia Ranzoviana ſive Narrationes de vita ac rebus geſtis* IO. RANZOVII, quæ cum CHRISTOPHORI KELLINGHAVSENII *narratione de ſepultura & exequiis ejusdem Ranzovii* inſerta ſunt *tomo III. Rerum Germanicarum a* SIM. SCHARDIO editarum *n. 10. 11. fol. 2042. & 2045.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

res(*w*) commemorant; *Origines & antiquitates gentis* PET. ALBINVS (*x*) & memoranda plura hiſtorica IO. FRID. NOODTIVS (*y*) conſignarunt. Famam HENRICI RANZOVII eiusque elogia, laudes, animi & fortunæ dotes ac merita in togam & ſagam, præcipue in rempublicam litterariam multiplicia certatim decantanda ſibi ſumſerunt præcones P. LINDEBERGIVS (*z*), IO. LAVTERBACHIVS (*a*), VALENT. THILO (*b*), ALBERTVS LOMEIERVS (*c*), GEORG. LVC. FROBENIVS (*d*), IO.

(*w*) BANGERTVS *in Notis ad Helmoldum L.* I. *c. 40.* DANCKWERTH *Chorogr. Cimbr. P. 3. c. 15.* BVCELINVS *Stemmatograph. p. 111.* CYRIACVS SPANGENBERGIVS *Adelſpiegel P. I. L. 10. c. 17.* IMHOFIVS *notitia procerum Rom. Imperii geneal. Hiſtorica L. 9. c. 7. p. 1449.* Quibus addendi ſunt, qui operam navarunt in repetendis & exponendis *inſignibus Ranzovianis:* SYLVESTER PETRAS. *in teſſeris gentilitiis Ranzoviorum*; SPENERVS *Oper. Herald. parte ſpec. p. 305. Frid. Leutholf a* FRANCKENBERG *im Europ. Herold. Tom. I. p. 363. & p. 686.* Fucum vero facere conatur IO. DAN. MAIOR qui Ranzoviorum & Aleſeldiorum inſignia, jam ante Chriſtum natum cœpiſſe contendit & contra heraldices patriæ hiſtoriam & rationes manifeſtas arrogantius propugnat *in Tract. de populis Cimbr. c. 78. p. 131. ſeqq.* notatus proptera & confutatus ab ERN. WILHELM TENZELIO *colloqu. menſtr. M. nov. a. 1695. p. 983. &* GODOFREDO HECHTIO *de auſpiciis rei Heraldicæ inter Germanos ſpeciatim Saxon.* p. 3. adde SCHVRTZFLEISCH *Diſp. XXIII. de nobilium inſignibus.* *Notatur D. Major.*

(*x*) *In Originibus Ranzovianis ſeu Viperto ed. Witteberga a. 1588. cum eruditiſſimis acceſſionibus* SAM. GOTTL. SCHWARTZII *inſertis Tom. III. ſcriptorum rer. Germ. Menckenii p. 834. ſeqq.* Facit huc *Monachi Pegavienſis Hiſtoria de vita & rebus geſtis Viperti Marchionis Luſatiæ, Burggravii Magdeb. Comitis Groicenſis* apud REINECCIVM *in ſyntagm. ſcriptorum rerum Germanic.* *De originibus Ranzovianis.*

(*y*) *Verſuch einer hiſtoriſchen Nachricht von dem Nahmen, Alterthum, Urſprung, Wapen und Verdienſten* der hochadlichen Ranzoviſchen Familie; cui addita eſt vita *Chriſtiani Comitis de Ranzov. ed. Sleſvici a. 1733.*

(*z*) *In epigrammatibus editis Roſtochii a. 1590. Poëmatum Iuvenilium libris tribus ed. Hamb. a. 1592. & Francof. a. 1595. ac in hypotypoſi arcium, palatiorum, librorum, pyramidum, obeliſcorum, cipporum, fontium, monumentorum, & epitaphiorum ab illuſtri Henrico Ranzovio conditorum, edita Roſtochii 1590.* & cum auctu *Hamburgi anno 1591. Francof. a. 1592.*

(*a*) Cuius plura exſtant *carmina panegyrica & epigrammata Henrico Ranzovio nuncupata apud* FROBENIVM *in epiſt. conſolat. p. 368. ſeqq.* In quem cenſum veniunt innumeri alii præcipue NICOLAVS REVSNERVS, MATTH. DRESSERVS, PAVLVS MELISSVS, CHYTRAEI, HENR. MEIBOMIVS, LAVR. RHODOMANNVS, SAL. FRENZELIVS, CHRISTOPHORVS & DETLEVVS SYLVIVS, GEORGIVS WIPERMANNVS & plures, quorum meletemata poëtica libris Ranzovianis cumulate inſperſa, & partim a LINDEBERGIO *in hypotypoſi* repetita ſunt *p. 212. Cap. X.* quod agit *de elogiis Henrici Ranzovii ab amicis adſcriptis.* *De laudibus Henrici Ranzovii ſcriptores.*

(*b*) *In elogiis ac iconibus Ranzoviorum cum elogiis VI. Regum Daniæ* excuſis *Baſileæ, a. 1589.*

(*c*) *Lubbecenſis*, qui *Geruſion Ranzovianum* Henrico Ranzovio oblatum edidit *Ulyſſea a. 1592.* Pertinet huc etiam libellus Germanicus elogiis Ranzovianis dicatus ſub hoc titulo: NICOLAI REYMERS *von Henſtede in Ditmarſchen, Geodæſia Ranzoviana, ſumtibus Ranzovii ed. Lipſiæ a. 1583. 4.* Quem titulum BARTHOLINVS *de ſcriptis Danorum p. 109.* in Latinum vertit: *de civitatibus Hanſaticis in Dithmarſia.* Qui error inde ſerpſit *in* LIPPENII *Bibliothecam philoſophic. realem*, & in litteratiſſimi ipſius P. BASILII *Diction. Hiſt. & Crit. T. 2. ed. primæ p. 1223. ſeqq.* Originem erroris FABRICIVS in *præfat. ad* VIETHII *Chron. Ditmars.* & primus omnium IO. MOLLERVS *in hypomnemat. ad Bartholinum p. 350. Iſagoge ad hiſt. Cimbr. P. 4. c. 12. §. 3. p. 628.* luculenter detexit oſtenditque BARTHOLINVM patriam REYMARI ex oppidulo *Henſtedt* in Ditmarſia oriundi infeliciter confudiſſe cum *Hanſeaticis* civitatibus, quibus Ditmarſia caret.

(*d*) Qui in honorem H. RANZOVII collegit *epiſtolas conſolatorias regum, principum, comitum, baronum, nobilium, aliorumque clariſſimorum virorum ad H. Ranzovium ex morte conſanguineorum luctu affectum, editas. Francof. 1593.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

IO. MÖLLERVS (*e*) & alii (*f*) plures. Ipſe vero omnium promeritæ ſuæ laudis graviſſimus teſtis eſt, tot quippe ſcriptis (*g*) hiſtoricis, litterariis, aſtronomicis, medicis ac poëticis, doctrinæ & lectionis opulentia, maſcula etiam & pellucida dicendi ratione inſtructis, adeo conſpicuus, ut de palma contendere poſſit cum Fabiis (*h*) & heroibus togatis aliis Romulidarum. Quod ſingulatim ipſius attinet deſcriptionem *cherſoneſi Cimbricæ & Cimbrorum* NOVAM, *quam a. 1597.* abſolutam fuiſſe ex titulo patet, prodromum quidem ſeu ſpecimen eiusdem argumenti ipſe autor vulgare cœpit anno MDXCIV, ſed puſillum admodum, miſcellum & ligato ſermone præcipue contextum (*i*). Reſumſit igitur negotii filum, eaque, qua cœpit, linea non ſolum perrexit, ſed telam inſtructiorem reddidit, & impenſo triennio numeris ſuis abſolutam fere pertexuit. Mox vero eodem tempore cum ingraveſcente ſenecta morboque conflictari cœpit & ipſo exeunte anno MDXCIX. fatis, quæ una omnibus ultima ſunt & communia, placide conceſſit. Inde factum, quod Cimbricum hoc ipſius opuſculum variis, quæ poſthumis fere ſcriptis evenire ſolent infortuniis, obnoxium iisque adeo fere correptum fuerit, ut plures demum illud in cenſum retulerint ſcriptorum, quæ vel æternis tenebris ſunt involuta vel temporis inclementia ſepulta ac prorſus deperdita dolemus. Fecit abhinc ante XL. annos hanc conjecturam IOANNES MÖLLERVS, Vir cæteroquin rerum Cimbricarum peritiſſimus, qui angulos & manipulos Cimbriæ litteratæ omnes fere excuſſit & bibliothecas cum publicas

Fata libelli de Cimbria.

tum

(*e*) In *Cimbria litterata MSCta adhuc in vita Henrici Ranzovii & Iſagog. ad hiſtor. Cherſon. Cimbricæ P. I. C. 14. §. 9. p. 227. & 232. ſeqq.* ubi addidit & recenſuit elogia & judicia quibus IOSEPHVS SCALIGER, IVSTVS LIPSIVS, DAVID CHYTRAEVS, IO. ESYCHIVS, ABRAH. BVCHOLZERVS, IO. ISAAC PONTANVS, GERH. IO. VOSSIVS & FRIDERIC. TAVBMANNVS, Henricum Ranzovium Muſagetam illum ac Mœcenatem Cimbricum ſunt proſecuti.

(*f*) IOACH. CAMERARIVS, IANO DOVZA, IANVS GRVTERVS, REINERVS REINECCIVS, CONRADVS DASYPODIVS, IO. POLITVS, MICHAEL NEANDER & alii complures a quibus varii generis ſcripta & opuſcula ipſi ſunt conſecrata.

Mantiſſa de ſcriptis H. Ranzovii.

(*g*) Quorum decadem indicat ALBERTVS BARTHOLINVS *Tr. de ſcriptis Danorum p. 56.* Cui addi poterit heptas ſcriptorum RANZOVII: *Deſcriptio belli Dithmarſici* ſub *Cilicii* nomine *edita Baſileæ a. 1570. recuſa Argentorati a. 1574.* excerpta a CASPARE ENSIO *in Hiſtoria rerum Danicarum a Friderico II. geſtarum ed. Francofurti a. 1593. f.* & tota adjecta ALBERTI CRANTZII *Chronico regnorum Borealium Francof. a. 1575. & 1583. Libellus de origine Cimbrorum*, de quo in nota (*i*) *Epigrammatum liber hiſtoricus, continens encomia heroum, Imperatorum & Ducum, ſuperioribus & noſtro ævo virtute bellica illuſtrium, quos in arce ſua Bredenbergenſi depingi curavit typis Plantinianis excuſus Antwerpiæ 1581. Horoscographia fabricam cardinum cœleſtium continens ed. Argentorati a. 1585. Elegia de ſomniis eorumque eventibus ed. Hamb. a. 1592. Genealog. Ranzoviana a. 1587. Hamburgi & deinde Lipſiæ, Sleſwigæ Helmſtadii & Coloniæ cum figuris æneis divulgata: Deſcriptio pompæ funebris habitæ Roſkildiæ in exſequiis Friderici II. Daniæ Regis cum epitaphiis & deſcriptione ſacelli prope monaſterium Segebergenſe in memoriam Regis & emolumentum pauperum ab Henr. Ranzovio exſtructi, ed. Roſtochii a. 1588.* de quo opere videatur AD. HINR. LACKMANN *Introd. in hiſt. Sleſv. Holſat. P. I. p. 702. not. 22.*

(*h*) Quorum & *Ranzoviæ* gentis collatio legitur in *Genealogia Ranzoviana ed. a. 1587. pl. I.*

(*i*) Cujus titulus: *Libellus de origine, nomine, rebus geſtis & fidelitate Cimbrorum partim proſa, partim carmine collectus, e diverſis auctoribus & e Bibliotheca Ranzoviana opera* HENRICI RANZOVII *editus a. MDXCIV. 8. pl. 6.* Qui ipſe libellus pertinet ad raro obvios. Teſtis eſt MÖLLERVS *c. l. P. I. p. 51. quod eundem ab aliis allegatum ſedulo quidem quæſiverit, ſed obtinere tamen vel oculis uſurpare non potuerit. Exſtat in hoc opuſculum laudatio* DAN. ROGERSII, *Legati Angli*, inſerta *Lindebergianæ Hypotypoſi p. 83.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tum privatas ſedulo perveſtigavit. *Exactiſſimam*, inquit, *de rebus Holſaticis cognitionem* Henricum Ranzovium *aliquando poſteritati voluiſſe impertiri ex* IONAE ELVERFELDII *ad ſuas de Holſatiæ claſſes præfatione* (*k*) *addiſces. Concinnatam ab eodem ante obitum eſſe hiſtoriam Cimbriæ ſive Holſatiæ & Ducatus Sleswicenſis, non* STEPHANVS *ſolum* MACROPVS *in oratione, quam memoriæ ipſius conſecravit, parentali, teſtatur; ſed* DAVID CHYTRAEVS *qui ob opus hoc ineditum ſibi Chronicon Saxoniæ molienti communicatum, auctori illuſtriſſimo ſummas epiſtola peculiari egit gratias, in* PETRI *etiam* LINDEBERGII *poematis juvenilibus occurrit encomiaſticum, quo eandem is ornavit, epigramma. Ubinam terrarum theſaurus iſte jam deliteſcat, explorare mihi nondum licuit, vereor ne in triſti arcis Bredenbergenſis direptione anno 1628. a militibus Cæſareis facta, prorſus perierit. Hodie enim nihil MSCtorum herois hujus apud Pronepotem illuſtriſſimum* DETLEVVM *Comitem a* RANZOV *&* LOVWENHOLM *ſupereſſe ex litteris Detlevi Marci Friſii eiusdem haud ita pridem conſiliarii, ſum edoctus.* Neutiquam vero Marti & iniuriæ armorum, ſed arti & ſacris Muſarum reſervatum fuit præclarum hoc Manuſcriptum Ranzovianum, quod authenticum etiam nunc ſupereſt, cuius apographum manu ipſius RANZOVII paſſim in margine emendatum ad manus habuimus, ex quo nunc demum in publicum prodit & redivivit. Non equidem in hoc opuſculo polita ſunt omnia, curate, explanate & exquiſite dicta, quin potius nonnulla ſalebris ſunt impedita, rationibus & documentis deſtituta, a ſtatu etiam reipublicæ, obſervantia & conſuetudine nunc aliena; ſed condonanda hæc ſunt ſcriptori, qui non hiſtoriam ſed deſcriptionem contexuit, qui tot adjumentis, quibus jam fruimur, caruit, nec exigendus eſt ad regulas quæ vel rationes ipſius ævi egrediuntur, vel protenduntur ultra fines inſtituti, quod in Chorographica & Hiſtorica Cimbriæ deſcriptione ac notitia de veterum Cimbrorum originibus rebusque fortiter geſtis fere terminatur. Nolumus ſine ſymbola adjecta ex hoc loco diſcedere, ipſis argumentis de origine, ſede, migrationibus, bellis ac elogiis Cimbrorum, obſervatiunculas quasdam RVDBECKIO inprimis & ECCARDO oppoſitas & præſidia litteraria addituri. Opus haud eſt *Cimbrorum* nomina & origines a GOMERO II. (*l*), Japheti pronepote, vel ex Aſiæ finibus a *Cimme-*

Iudicium Mölleri.

Origines Cimbrorum eorumque ſcriptores veteres.

Judicium Elverfeldii.

Lindebergii.

Cimbri an dicantur a Gomero?

(*k*) Rectius *dedicatione ad Regem Daniæ Chriſtianum IV.* ubi ita: *In adjungendo hiſtoriarum contextu opera ſedulitateque magnifici viri* HENR. RANZOVII *uſus ſum, qui totius antiquitatis ac rerum fere Holſaticarum memoriam exquiſite tenet & exactiſſimam aliquando cognitionem de his poſteritati ipſe communicabit.* Idem notavit LINDEBERGIVS *in Hypotyp. c. 3. n. XII. & XVII.* aſſerens, quod *Hiſtoricam & Chorographicam Holſatiæ & ad hanc pertinentium Ducatuum & civitatum ſingularem deſcriptionem collegerit.*

(*l*) Toti in hoc argumento originum Noachicarum defixi ſunt CLAVDIVS CHRISTOPH. LYSCHANDER *Synopſ. Hiſtor. Danic. P. I. L. 1. 2. 3.* IOHANN. LYSCHANDER *in ſerm. de antiquit. Dan. ſeu Comment. ad Aventinum p. 49.* NIC. PETREIVS *de Originibus Cimbrorum & Gothorum L. I. præcipue*, IO. DAN. MAIOR *c. l.* & DANCKWERTH *Chorograph. Holſat. p. 31. ſeqq.* qui omnes ex naufragio tabulas & plura monumenta fabuloſa congerunt, ut ſibi aliisque vel perſvadeant vel obtrudant CIMBROS a GOMERO *oriundos & denominatos* CIMBRIAMQVE, hujus oræ circa annum mundi 1850. paulo ante Abrahamum Patriarcham a *Gomeritarum ſeu Sembrorum coloniis* inhabitatam. Quæ tamen

meriis (*m*) populis, vel a famoſo palude Mæotide (*n*), communi originum popularium aſylo & gentium paludamento arceſſere; præſtat in tanta rerum & annoſa caligine coecutire quam lumina & Argi oculos ſibi fingere; præſtat in gloria & virtutibus Cimbrorum eorumque rebus geſtis & memoriis (*o*) perennantibus acquieſcere, vel

men opinio judice MÖLLERO *Iſagog. P. I. c. 3. p. 15. ſola nititur nominis Gomeri & Cimbrorum ſimilitudine perquam exigua & cerebrina.* Recepta tamen eſt plurium fere ſuffragio, ut vere ideo ſcripſerit GRYPHIANDER *de Weichb. Saxon. præf. n. 32. In gentium originibus ad arcam usque* NOAE *aſcendere ut quibusdam ridiculum ſit; ſic aliis poteſt eſſe religioſum.*

An a Kiempar?

Mallem, quod vocis originem ſpectat, iis aſſentiri, qui Cimbros dictos putant campiones, digladiatores, *die Kämpffer*, Cimbris *Kiempar* Gothis & Svecis *Kimpar* ſeu pugiles, Danis *Kiampe* viros robuſtos, gigantes, Romanis *latrones ſeu milites ſtrenuos, terribiles*, ut IVVENALIS *Satyr. XV.* LVCANVS *L. I. v. 254.* STRABO *L. 4.* PLVTARCHVS, POSIDONIVS & FESTVS recte interpretantur. Inde *Sicambri* dici ſolent piratæ h. e. milites claſſiarii, maritimi, *See-Kämpfer*, pluribus docente VERELIO *in Indice Scandico.* Concidit ſimul opinatio ECCARDI *rer. Francic. L. I. p. 4.* qui Cimbros primo olim nomine WARGOS ſeu *prædones, expulſos, & vagos homines* vocatos fuiſſe, ex eo vero ævo, quo fœdus cum Helvetiis adverſus Romanos inierint, *Cimbros* demum ſeu *ſodales* appellari cœpiſſe aſſerit, ea præcipue ratione adductus, quod lingua Helvetica & dialecto Aremorica & Cambrobritannica *Cymar* adhuc *ſocium, ſodalem, parem* ſignificet. Idem dicendum eſt de etymo, quod ſuum fecit IOACH. CVREVS *in Annalibus Sileſiæ p. 10. a Gomero* inquiens, *orti ſunt Cymmerii, qui poſtea dicti ſunt Cimbri & ipſum vocabulum ſignificat* FINITOREM.

Etymon Sicambrorum. Cimbri an dicantur ſodales?

An finitores?

(*m*) WOLFG. LAZIVS *de migrat. gent. L. III. qui agit de Cimmeriis. p. 43 - 110.*

Paludis mœotidis confuſio.

(*n*) E cujus ambitu diverſiſſimas adeo gentes VANDALOS & VENEDOS ANTAS, *Slavos* & *Obotritas* vulgo repetunt. Quid? quod a PROCOPIO palus Mæotis ad littora maris Svevici, a STRABONE ad oceanum Scythicum & ab aliis ad diſſitas & incertiſſimas oras rejiciatur; ab ADAMO BREMENSI vero *in deſcriptione regionum Borealium hiſtoriæ eccleſiaſticæ adjecta* nominetur *mare Balthicum.* Ut igitur in deſcribenda hac palude, diverſa regnet ratio & multiplex confuſio.

Vindiciæ pro Cimbrorum memoria & reliquiis in Jutia.

(*o*) Mirum eſt DANCKWERTHIO *c. l. p. 27.* excidere potuiſſe, quod Cimbri omnes, paulo ante Chriſti nativitatem a *Slavis* (quorum tamen ante ſeculum V. in regionibus Septentrionalibus nulla exſtat memoria) *Saxonibus, Jutis & Gothis* extincti adeo & eliminati fuerint, ut reliquiæ & veſtigia eorum nulla amplius in patria ne quidem appareant. Rectius IO. LYSCHANDER *c. l. p. 63. Non dicendum cum* POLYDORO *Danos & Gothos deleviſſe Cimbros; ſed Danicum nomen obtenebraſſe Cimbricum, nec enim minus hodie in Balthica habitant Cimbri quam priſcis temporibus.* Cimbros enim cum Jutis & Gothis fœdere & imperio demum conjunctos fuiſſe & cum Gentibus vetuſtis Teutonibus aliis, qui illos inde *Neomagos* h. e. novos cognatos aliquando vocarunt, coaluiſſe, communis eſt doctrina fide & ratione hiſtorica haud deſtituta, docentibus *Abbate Urſpergenſi, Gregorio Turonenſi*, PETREIO *c. l.* PRAETORIO *orbe Goth. L. I.* STRELOVIO *Chron. Gutland.* PONTANO, BIRCHERODIO aliisque. Nec deſunt veterum Cimbrorum veſtigia & memoriæ, utpote reperiundæ in vetuſtis patriæ Cimbricæ monumentis apud RANZOVIVM, LINDEBERGIVM, WORMIVM, & forte ſuperſtites etiam nunc in fluuiis nonnullis & montibus *Kimmi* dictis & in nominibus provinciæ Danicæ olim celebratiſſimæ *Himmer* ſeu *Cimmer-Syſſel, Cibber ſunde, Ciber-Cloſter*, Diœceſis Viburgenſis & *Cimbershafv* ſeu portus Cimbrorum in Scania, æque ac in nomine oppiduli antiqui nunc pagi in medio Jutiæ ſiti *Himmerum*, quin ipſius inſulæ *Fimbriæ* ſeu *Cimbriæ parvæ*, hodie *Femariæ* interprete PONTANO *Chorograph. Daniæ deſcript. hiſtoriæ rerum Danic. ſubjuncta p. 639. 649.* Fidem WOLFG. LAZII, IO. DAN. MAIORIS aliorumque ſi ſequi placuerit, apud *Belgas* regio *Cambreſis* eiusque Metropolis *Cameracum* ad veſtigia Cimbrorum pertinent & apud *Hercynios* hodieque ſuperſunt Cimbrici nominis reliquiæ in locis *Heiligen-Cimmer, Herr-Cimbern, Ancia-Cimmer, Waldcimmen, Rotten Cimbern;* nec non apud Svevos in ſtemmate & inſignibus *Comitum de Cimmern*, quos oriundos volunt a Cimbris Juticis. Poſſem huc arceſſere nomen FROBENII *Comitis ex* CIMBRIS, cujus memoria & *libri Manuſcripti rerum Cimbricarum apud familiæ ſuæ liberatorem Lutetiæ Pariſiorum a. 1540. ſcripti & quamplurimarum gentium armis gentilitiis ornati* laudantur ab VFFENBACHIO *Bibliothec. Uffenb. Tom. III. p. 404. & 441;* ſed nolumus quicquam ſubleſtum addere, vel temerarie æmulari IO. MÖLLERVM, qui *Iſagog. P. I. p. 52. ſeqq.* LVCIVM TVLLIVM CIMBRVM, Oratorem Romanum, *Cimbriæ patriæ* jure poſtliminii ſerio vindicavit, quem tamen CICERO, CASSIVS, QVINTILIANVS Romæ, SAMVEL PETITVS *L. 3. miſcell. c. 9.* Galliæ, PONTANVS *c. l.* Daniæ, SCALIGER *in notis ad Catalecta Virgiliana p. 486.* Brittanniæ & RVDBECKIVS *Atlant. T. 3. c. 1. p. 68.* Sveciæ multo & inani conatu aſſe-

Speciatim in monumentis antiquis cimbricis.

In fluviis & locorum nominibus apud Cimbros.

Belgas. Hercynios. Suevos.

Quid de Comitibus ex Cimbris.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vel certe nil quicquam licentioſius conjectari ultra annalium auctoritatem & rationes veterum ſcriptorum, eorumque, qui aliquando diverſi ſunt, ſcopos & verborum ſenſus. Veniunt in hunc cenſum præcipue HERODOTVS (*p*) *L. 1. cap. XXIX. & CIII.* STRABO *Geograph. L. V. & VII. ibique Poſidonius.* PTOLOMAEVS *Geograph. L. II. c. II.* POMPONIVS MELA *L. 3. c. 3. 6.* PLINIVS *Hiſtor. naturali L. 2. c. 67. L. IV. c. 13. 14. L. 7. c. 22. L. 17. c. 1.* TACITVS *de moribus Germ. c. 37. Hiſtor. L. IV. c. 74.* IVLIVS CAESAR *Lib. II. c. 29.* PLVTARCHVS *in vita Marii p. 411.* ANNAEVS FLORVS *Hiſt. Rom. L. 3. c. 3.* VELLEIVS PATERCVLVS *L. 2. c. 8.* EVTROPIVS *Hiſtor. L. 5. c. 1. p. 485.* aliique (*q*) plures, quibus recte, ut videtur, illi uſi ſunt, qui originem & avitam Cimbrorum ſedem, Cimbriæ Septentrionali, Saxonibus proximæ ſeu *Cherſoneſo Bimari*, inter Britannicum & Germanicum mare ſitæ vindicarunt; quorum præcipui ſunt ADAMVS *Bremenſis* (*r*), APPIANVS (*ſ*), VADIANVS (*t*), *Jo.* BOTERVS (*u*), *Jo.* STADIVS (*v*), *Matth.* SCHOTT (*w*), *Erpoldus* LINDENBROCHIVS (*x*), *Paulus* CYPRAEVS (*y*), WILLICHIVS (*z*), PIRKHEIMERVS (*a*), CILI-

Et recentiores, qui Cimbros vindicant Cherſoneſo Cimbricæ boreali.

---

aſſerere ſatagerunt. Idem fere dicendum de iis, qui *Camberium* Metropolin Sabaudiæ a Cimbris appellatam jactant, vel qui cum MAIORE *c. l.* BORRICHIO *in antiqu. urb. Rom. c. 7.* BARTHOLINO *antiquit. Dan. L. 2. c. 9.* FABRICIO *deſcript. urb. Rom. c. 14.* plures apud ROMANOS ET ITALOS reliquias Cimbricas in titulis, lapidibus & trophæis inveniſſe ſibi viſi ſunt, quarum tantum non omnes, ſi genuinas paucas C. MARII, *victoris Cimbrorum*, laudes & inſcriptiones triumphales exceperis, carbones ſunt, non theſauri, nubes ſunt, non Junones, ut igitur expendi & conferri mereantur, quæ relata ſunt a MABILLONIO *Muſ. Ital. T. I. P. I. §. 16. &* 10. BELLORIO *in fragm. vet. Rom. p. 13.* Potiori quodam jure ſed falſa tamen, ſi *ad fundamentum* reſpexeris, ratione, CIMBRORVM *veterum* veſtigia in *Svecia*, ſpeciatim in *regione* KIMMI, urbe *Kimmi*, promontorio Cimmerio *Kimmernäs* ſeu *Kibbarnäs*, Centumpago *Kimbertuna ſeu Simbertuna*, item *Simrid* in Weſtrogothia & *Simbernäs* ultimo verſus Finniam promontorio, monſtrare digito geſtit RVDBECKIVS *Atlant. T. I. Cap. XXI. de Cimbrica Cherſoneſo §. 6. 13. p. 526. ſeq.* Certius vero eſt Cimbrorum memoriam apud *Britannos* nondum exoleviſſe, ſed elogio Comitatus *Cumbriæ* aliisque Cimbricis nominibus, *locis, lingua, literis, numis & codicibus vetuſtis* vindicari ab oblivione. De quibus infra ad *Mareſchalcum.*

Et de Camberio?

Ac reliquiis Cimbrorum apud Romanos?

Et apud Svecos?

Præcipue Britannos.

(*p*) Plures vero hujus & HOMERI *in Odyſſea* verba & deſcriptionem CIMBRIAE, quam *tenebris obductam & ſolis lumine orbatam* dicunt, intelligere malunt de Cimbria orientali, Tartaria Cimmerica, Colchide ſeu Taurica Cherſoneſo, cujus metropolis *Crim* & mare dicitur boſphorus Cimmericus. Sed aliter alii, qui vel metaphoram verbis ineſſe putant, vel *Cimbriam Borealem* ex iis eliciunt & *cimmericas tenebras* lucifero reſolvunt, diſpellunt.

De Cimbria Homeri.

(*q*) CLAVDIANVS *L. 4.* AMMIANVS *L. 27. c. 8. L. 28. c. 2.* DIOD. SICVLVS *L. 5. c. 32.*

(*r*) *Deſcriptione regionum boreal. c. l.* item HERMANNVS CORNERVS, HERM. *de* LERBEKE *in Chronicis.*

(*ſ*) *Coſmograph. P. I. c. 17. Breviar. L. 4.*

(*t*) *De ſinibus maris mediterr. in epit. terræ partium III.*

(*u*) *Relat. univerſ. L. I. Cap. de Hamb. & Dania.*

(*v*) *Comment. in Flori Hiſtor. L. 3. c. 3.*

(*w*) *Commentatiuncula de origine gentis Danicæ ac populis, qui Cherſoneſum Cimbricam incoluerunt, præcipue de Cimbris, Dacis & Saxonibus ed. Viteb. a. 1566.*

(*x*) *Chron. vernaculo de bello Cimbrorum cum Romanis horribili addita hiſtoria Arminii ed. Hamb. a. 1589. p. 15. 19.*

(*y*) *Libro poſthumo de Saxonum, Cimbrorum aliorumque origine, nomine, ſedibus, a filio Hieronymo ed. Hafn. 1622. C. 3. §. 2.*

(*z*) *Comment. in Taciti Germ. P. 2. c. 14.*

(*a*) *Deſcriptione German.*

de Weſtphal. Monum. inedit. Rer. Germ.

LICIVS (*b*), *Hadrianus* IVNIVS (*c*), CRANZIVS (*d*), CHYTRAEVS (*e*), BIRCHERODIVS (*f*), *Mich.* LAETVS (*g*), *Marcus* IORDANVS (*h*), CLVVERVS (*i*), *Matth.* PRAETORIVS (*k*), *Nicolaus* PETREIVS (*l*), *Petrus* ALBINVS (*m*), *Suffridus* PETRI (*n*), PONTANVS (*o*), DANCKWERTHVS (*p*), *Io.* ALANVS (*q*), *Io. Dan.* MAIOR (*r*), CELLARIVS (*s*), SCHVRTZFLEISCHIVS (*t*), *Ludovicus* HOLBERGIVS (*u*), *Ericus* PONTOPPIDANVS (*v*), ceterique. Speciatim ad ſuppetias & uſum revocandas putaverim veterum Romanorum, ut ut hoſtium Cimbrorum, narratiunculas de expeditionibus ac bellis eorundem (*w*), cum Gallis, Hiſpanis, ac Italis, quorum ſummam cum ſale tamen accipiendam referre & explicare ſtuduerunt CRANZIVS (*x*), PONTANVS (*y*), VORBVRGIVS (*z*), WORMIVS (*a*), CLVVERVS (*b*), HIER. TVRLERVS (*c*), quibus ceterisque omnibus in percenſendo hoc argu-

---

(*b*) *De bello Ditmarſ. L. I. p. 12.*
(*c*) *Nomenclat. n. 401.* GLAREANVS *annot. in Eutrop. L. 4.*
(*d*) *Libro I. Sax. c. 8.*
(*e*) *Saxon. L. 2. f. 65.*
(*f*) *Diſquiſit. antiquitatum patriæ Daniæ gentilis diſp. I. §. 4. diſp. 2. §. 6. ed. Hafn. a. 1701.*
(*g*) *Rer. Dan. L. 3. f. 85.*
(*h*) *In tabula Holſatiæ ejusque deſcriptione.*
(*i*) *German. ant. L. 3. c. 21. ſeqq.*
(*k*) *Orbe Gothico L. 1. c. 6.*
(*l*) *In originibus Cimbrorum & Gothorum latine & germ. editis L. I.*
(*m*) *In Viperto apud* MENCKENIVM *c. l. Tom. III. p. 834.*
(*n*) *Origin. Friſiorum L. I. c. 6.*
(*o*) *Chorogr. Dan. p. 643. ubi de* Cimbrica Cherſoneſo *Straboniana, Pomponii Melæ, Plinii, Taciti, Claudii Ptolomæi, Mariani, Heracleotis & Adami Bremenſis* ordine diſpexit.
(*p*) *Deſcriptione Ducat. Sleſv. & Holſat. Chorographica.*
(*q*) *Diſp. de gentium quarundam primatu præcipue de Cimbrorum ortu & migrationibus ed. Hafn. a. 1628.* Cui addendus eſt *Mich.* BENTERVS *MSC. de Holſatis & Cimbris.*

Septem migrationes Cimbrorum ex hypotheſi Maioris.

(*r*) *In libro: bevölkertes Cimbrien ed. a. 1692.* Idem *in prodromo Atlanticæ ſeu declaratione chorographicâ regnorum ſeptentrion. ed. 1691. c. 13. - 18.* audacter diſſerit de origine Cimbrorum eorumque ſeptem, quas ſtudioſe fingit & metatoris inſtar in numerato habet, migrationibus ex *Ararat Armeniæ in Babylonem, Ciliciam Natoliæ, ad Boſphorum Cimmerium, Boryſthenem, Pruſſiam & Livoniam, Gothlandiam & Scaniam, ex hac per Daniam & Fioniam in Iutiam & Holſatiam.* Addit alia plura de bellis eorum cum Romanis & refugio in Vandaliam peninſularem & Gothiam. Promiſit idem *antiquitates Saxo-Cimbricas*, quas affectas in ſcriniis reliquit.

(*s*) *Diſſ. de Cimbris §. 3. 15. Geograph. L. 2. c. 22.*
(*t*) *Diſſ. de rebus Danicis p. 13. & de antiqua Saxonum dignitate p. 4.*
(*u*) *Hiſtoria Dano-Norvegica C. I. p. 16.*
(*v*) *Theatro Dan. vet. & mod. P. I. c. XI. p. 204. ſeqq.*
(*w*) De quibus *Florus L. 3. c. 3. Quintilianus declam. 3.* LIVIVS epit. 65. 67. SVETONIVS *in Vita Cæſaris c. 2. Appianus Illyr. p. 1197. Svaningius ad. a. 3840.* PAVLVS OROSIVS *L. 5. c. 16. Sidonius L. 8. Ep. 6.* & plures, quos recenſet VOSSIVS *L. I. de Hiſt. Lat. c. 10. 11.* ubi & de *Plinii majoris* Libris XX. de Cimbris, *Aulique Licinii Archiæ poetæ græci* rebus Cimbrorum aliorumque libris deperditis hujus argumenti copioſe egit.
(*x*) *Saxon. L. I. c. 8. 9. 10.*
(*y*) *Diſſ. de bello Cimbrico Hiſtoriæ Dan. præfixo.*
(*z*) *Hiſtor. Romano-Germ. Vol. I. p. 150. ſeqq.*
(*a*) *In Faſtis Dan. p. 17.*
(*b*) *Epit. Hiſtor. L. 7. p. 176.*
(*c*) *De populorum ſeptentrionalium poſt devictos Cimbros migrationibus & imperii ruina ed. Hannoviæ a. 1608. p. 15.* Et ANONYMVS *in MSC. de bellis in exteris regnis præcipue cum Romanis a Cimbris, Vandalis, Normannis, Anglis ſeu Vitis & Oſtmannis geſtis laudatus ab* ANDR. SEV. VELLEIO *in promocondo MSCtorum.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

gumento palmam præripuerunt Duumviri præſtantiſſimi, rerum hiſtoricarum Germaniæ omnis ævi ſtudioſiſſimi HEINRICVS *de* BVNAV (*d*), & IO. IACOB MASCOVIVS (*e*). Quamvis vero hi & laudati veteres ac recentiores hiſtoriarum ſcriptores cum domeſtici tum exteri tantum non omnes de Cimbrorum ſede & Cherſoneſo Cimbrica in his oris ſatis recte vel modeſte ſaltim & ambigue nec paradoxe ſentiant, ſolus tamen RVDBECKIVS (*f*), & qui ipſius argutias ubique preſſe ſequi ſolet IO. DAN. MAIOR (*g*) contra hanc patriam Cimbrorum re quaſi conclamata & velut ex tripode diſſerunt, pro Svecia nimirum ceu pro aris & focis cum impetu adeo militantes, ut aſſertis *Strabonis*, *Ptolomæi*, *Flori* e diametro contrarientur & in ipſa patria cœcutiant; quod poſt clariſſimos Viros BAILIVM & MORHOFIVM exemplis & rationibus latius docuerunt TENZELIVS *in colloquiis menſtruis* & IO. MOLLERVS *in præfatione nova ad introductionem in Hiſtoriam Ducatuum Cimbricorum p. 12-38.* Quid? quod ex adverſo IO. SVANINGIVS *in Chronico Daniæ*, LVDOLPHVS PRIGGIVS *in poemate de coronatione Chriſtiani III. Regis Daniæ f. 3.* OTTO SPERLINGIVS aliique, Gothos ipſos, quos Rudbeckius e Svecia itidem arceſſit, Cherſoneſo Cimbricæ ſeu Jutiæ olim *Gutiæ*, *Gutlandiæ*, *Gauthiæ*, *Jotumhiemo* (*h*) *vel Jotumlandiæ* vindicaverint, citatis in rem haud ſpernendis rationibus, quas ſtudioſius ex Edda Islandica & antiquitatibus illuſtraverunt PONTANVS (*i*), THOMAS BARTHOLINVS (*k*), STEPH. IO. STEPHANIVS (*l*), NICOLAVS PETREIVS (*m*), IO. NIC. STRELOVIVS (*n*). Accedunt his varia Cimbriæ nomina non ad Sveciam ſed Juto-Cimbriam accommodata, quibus in indigitanda & deſcribenda Cimbrorum ſede uti ſolent veteres & fidi autores, qui CIMBRIAM nunc laudant & appellitant *Bosphorum Cimbrorum*, *peninſulam Cimbrorum & pagum Cimbricum* (*o*), *nunc Cimbricam Cherſoneſum Saxonibus & Chaluſis vicinam* (*p*), *promon-*

A quibus diſſentiunt Rudbeckius & Maior pro Svecia militantes.

(*d*) *T. I. der Teutſchen Kayſer und Reichshiſtor. L. I. p. 30. p. 66. - 80.*

(*e*) *In den Geſchichten der Teutſchen L. I. §. 7. - 18.*

(*f*) *Atlant. T. I. c. 21. p. 521.*

(*g*) *Tr. de populis Cimbr. c. 20.*

(*h*) *Teſtis eſt* ARNGRIMVS IONAS *in Crymogæa ſeu reb. Island. L. 3. p. 42. Jotumheimar ſeu Jotumlandia, gigantum habitatio, Islandis dicebatur olim regio, quæ hodie dicitur Jutland, & compluribus etiam Jotumland dicitur* CIMBRORVM *terra ſeu cherſoneſus, nomine facto a Cemper, i. e. gigantibus pugnantibus.* Cui de gigantibus explicationi adſtipulatur NICOL. HABIGOTVS *libello de oſſibus Teutobachi Teutonum Regis & ſocii Cimbrorum giganteis*, de qua fabula vide GASSENDVM *in Vita Peireſcii L. 3. p. 89.* De Jotumlandia Cimbria adde OLAVM WORM *Mon. Dan. L. 6. p. 324.* ubi a *Jona* diſſentit. *Jotumlandiæ deſcriptio.*

(*i*) *Chorograph. Dan. p. 653.*

(*k*) *L. 2. antiqu. Danic. c. 5. p. 331.*

(*l*) *Not. ad Saxonem Grammat. L. 9. p. 189.*

(*m*) *Tr. de Cimbris & Goth. L. I. p. 83.*

(*n*) *Chron. Gothiland. ed. Hafn. a.* 1633. & LYSCHANDER *ſyn. Hiſt. Dan. P. I. L. 5. antiquit. Dan. P. 2. ibique de propagatione Cimbrorum per tria regna aquilonaria Dacicum* ſeu Balthicum, *Gethicum* ſeu Gothicum, *Cimmericum* ſeu Cimbricum.

(*o*) STRABO *Libro VII. XI.*

(*p*) PTOLOMAEVS *Peluſiota geogr. L. 7.* Cujus verba hæc: *Supra dorſum Cimbricæ cherſoneſi* SAXONES, *ipſam autem cherſoneſum ſupra Saxones ab occaſu habitant Sigulones (Sithones),* *Cimbria Ptolomæi.*

torium Cimbrorum in maria excurrens & peninſulam efficiens (*q*), *peninſulam borealem, ſitam ad maris ſupra Albim ſinum Codanum* (*r*), *vel ad Iſthmum Germanicum Cimbrorum civitatem* (*s*), *Oceano Germanico proximam.* Nec quidem omittenda hic eſt ſingularis & obelo digna opinatio IO. GEORGII ECCARDI (*t*) more ſuo confidenter conjicientis, avitam ſedem & civitatem Cimbrorum quærendam eſſe in *provincia* WAGRIAE. Quin etiam inde Cimbros a Teutonibus olim *Wargos*, *Warægos*, alia dialecto *Wræcos*, *Frœcos* ſeu *Francos*, h. e. exules vel piratas dictos fuiſſe, & ipſam *Wagriam* ac *mare Balthicum* a Cimbris piratica repletum, Ruſſis vero *Waregicum* ſeu *Cimbricum vel Francicum mare* nominatum, appellationis originem traxiſſe ſupercilioſus comminiſcitur. Si recte divinaverim hanc quidem opinionem non ipſe marte ſuo formavit, ſed adoptavit ſaltim & mutuatus eſt a SIGISMVNDO DE HERBERSTEIN (*u*) & qui hunc ſequitur PETRO PETREIO (*v*). Uterque enim Waregiam regionem ad *ſinum Finnicum* ſeu *mare Warecum*, Ruſſis etiam nunc *Waretskoje more*, ſeu mare piratarum vocatum, ſitam, pro *Wagria Slavorum*, nunc Holſatorum, quæ Obotritarum Regibus Megapolenſibus olim paruit, temere venditarunt eo quidem plauſu ſcriptorum Mecklenburgenſium, ut HENNINGESIVS *in proſapia vetuſtæ gentis Herulorum* (*w*) & FRID. THOMAS *ſingulari libello* (*x*) Ruſſorum & Obotritarum ſtemmata ceu ex uno quaſi Wagrico oriunda conjunxerint, quin non ſolum *Ruricum Waregum*, GVDLAIBI

Opinio Eccardi de Wagria, Cimbrorum patria. Eiusque Waragorum etymon.

Wagriæ & Waregiæ confuſio Herberſteinii & Petreji.

Henningeſii & F. Thomaſi.

---

nes), *poſtea Sabalingi*, *poſt Cobandi*; *ſupra hos* CHALI, *& ſupra eos*, *qui magis occidentales ſunt*, *Phunduſii*, *& his orientaliores Charudes*; *omnium autem maxime ſeptentrionales ſunt* CIMBRI. Poſt pauca addit: *Inſulæ Germaniæ adjacent juxta Albis fluvii oſtia*, *tres* SAXONVM *appellatæ*, *ſupra autem Cimbricam cherſoneſum aliæ* tres *Alecia dictæ*. Per quas *Heiligolandiam*, *Strandiam* & *Alſen* inſulas earumque partes veteres a mari nunc diſruptas indigitari opinabile foret. Cervicem vero ſeu dorſum Cimbriæ PONTANVS *Stormariam* & CLVVERVS *L. 3. c. 22. pr.* explicat *Holſatiam* ipſamque peninſulam Cimbricam ulterius in Jutia definit.

Plinii.

(*q*) PLINIVS *L. IV. hiſt. nat. c.* 13. *Cimbrorum*, inquit, *promontorium excurrens in maria longe*, *peninſulam efficit*, *quæ* CARTRIS appellatur. *Cimbrorum vero partes ſunt Ingævones*, TEVTONES *& Caucorum gentes.* Et *L. II. c. 67. Septentrionalis vero oceanum majori ex parte navigati ſunt Romani*, *auſpiciis Livii Auguſti Germania claſſe circumvecta ad* CIMBRORVM *promontorium & inde immenſo mari proſpecto.* Pro *Carti* vero in antiquis codicibus legitur *Hanſtiſus*, ut ideo corruptum vocabulum eſſe ſponte appareat. *Plinium* ſecutus eſt PRAETORIVS *orb. Goth. p. 70.* ubi de *promontorio Cimbrico ſeu Jutlandico* egit.

(*r*) *Apud* MELAM *Libr. III.*

Taciti.

(*s*) TACITVS *c. 37. Cimbrorum civitatem* ſeu gentem vocat *parvam quidem*, ſeu in angulo ſitam, *ſed gloria ingentem*, *Germaniæ ſinum oceano*, Germanico ſeu mari balthico *proximum tenentem.* Venit præterea apud veteres ſub nomine *cherſoneſi borealis*, *Peninſulæ ſeptentrionalis tractus Phunduſiorum*; unde forte Urbs *Ripis ſeu Ripen* in Cimbria meridionali ſita, antiquitus vocari ſvevit *civitas Cimbrica Phunduſiorum.* PONTANVS *c. l. p. 659.* PETR. TERPAGER *in Ripis Cimbricis Sect. 1. c. 1. p. 2.* Sunt etiam qui *Coſmographi* RAVENNATIS *L. I. c. XI.* laudatam *Mauringiam* interpretantur provinciam *Cimbrorum*, *Francorum & Ditmarſorum*, quos ultimos Cimbrorum ſoboles appellat continuator Helmoldi citatus a BARTHOLINO *antiquit. Dan. p. 664.*

Veterum Phunduſia. Ravennatis.

(*t*) *Commentar. de rebus Franciæ orientalis T. I. p. 3. ſq.*

(*u*) *de Rebus Muſcovit. f. 4.*

(*v*) *Chron. Moſcov. P. 2. p. 141.*

(*w*) *Tom. I. Theatr. geneal. p. 286.*

(*x*) *De avitæ Ruſſorum & Megapolenſium Principum conſanguinitatis monſtratis veſtigiis edit. a.* 1717.

BI *Wagrii filium*, VITISLAI *Regis Obotritarum nepotem, pro* Principe *Wagriæ*, & inde circa a. 752. a Ruſſorum proceribus ad capeſſendam rempublicam Ruſſiæ ſeu regni *Gardarikiæ & Holmgardiæ* multis modis laceratam *evocato & electo Ruſſorum Duce, Ducumque eorum omnium ſatore* venditaverint, ſed & ipſum Imperatorem Octavium Auguſtum Wagriorum ſtirpi, adſcripſerint eumque Regem venerati ſint e Wagria Slavorum oriundum; ad quas novitates manes, ſi qui ſunt, Virgilii, Æneæ omniumque Trojæ heroum non poſſunt non obſtupeſcere, æternoque ſomno abripi. Si vero quod HERBERSTEINIVS facit a vocum & locorum convenientia, poſthabitis hiſtoriarum rerumque aliarum rationibus & circumſtantiis, ad rei argumentum tuto concludere liceat, facile probari poterit, quod veteris regni Ruſſici Gardarikienſis ſeu Holmgardiæ civitas regia & primaria ALDEIOBVRGVM ad lacum Ladogam ſive Ladeſco ſita, & quæ poſt ejus ruinam excitata eſt nova urbs NOVOGOROD ſeu *Neogardia*, origines ſuas debeant Wagriis Slavis Cis-Balthicis, Ruſſiæ occupatoribus. Conſtat enim, quod in *Wagria noſtrate*, ex qua Rutheni laudatum RVRICVM cum duobus fratribus *Sinao* & *Truvore* per Legatos in Ruſſiam acciviſſe feruntur, duæ celebratiores olim fuerint & etiam nunc ſitæ ſint ejusdem plane nominis civitates ALDENBVRGVM antiqua civitas & NEOSTADIVM, *Neuſtad*, Slavice & Ruſſice *Novogorod*; quo ipſo nomine ab avtocratore Ruſſiæ *Alexeo Michailowitz* in litteris *ad Fridericum Holſatiæ Ducem* perſcriptis (*y*) appellatur. Sed apage fabulas & conjecturas, præſtabit enim Genealogias neſcire vel recenſere nullas, quam fictas & commentitias. Idem exprobrandum eſt MATTH. PRAETORIO qui loco Wagriæ Slavorum, a Ruſſia quippe nimis diſſitæ, Pruſſiæ regnum quod jactat *Kriweanum* (*z*) ampliſſimum ſubſtituit. Meliori jure *Waregos* Sveciæ vindicarunt OLAVS VERELIVS (*a*) & IO. MAGNVS (*b*), quibus RVDBECKIVS (*c*) facile ſuffragatur, & nuper rationes demum probabiliores adjecit ARVIDVS MÖLLER. (*d*). Id conſtat, quod *Waregi*

Prætorii.

Sententia Verelii, Ioannis Magni & Rudbeckii. Mölleri.

(*y*) Datis Moſcoviæ *anno 7161. d. 3. Dec. ſeu A. C. 1653.* Quibus literis per Legatum miſſis officioſe requirit capturam & extraditionem hominis criminoſi *Timoska*, apud Neoſtadienſes tunc commorantis, qui anno 7152. A. C. 1644. magnam partem theſauri Cæſaris Moſcoviæ furatus, ſibi fuga conſuluerat. *Novogrodna Wagriæ.*

(*z*) Cui *c. l. L. 2. §. 6.* populos *Coſeros & Warejos* ſubjicit, ac conterminam dicit inſulam: *Abalam ſeu Baltiam;* unde mare *balticum* nomen accepiſſe ariolatur. De fluvio vero *Abola*, cujus Annales Francorum ſæpius mentionem injiciunt, vide SCHVRTZFLEISCH *hiſt. Germ. med. fundam. p. 40.* *De Abala Prætorii.*

(*a*) *Lexico Linguæ vet. Sveogothicæ.*

(*b*) *Præfat. Hiſtor. p. 4.*

(*c*) *Tomo I. Atlant. c. X. de inſula Vergion ſeu Sveonia p. 518.*

(*d*) *Diſſ. de Waregia* ed. *Lund. Gothorum a.* 1731. §. 5. 10. *ſqq. Sveci, inquit, littora maris Balthici ſæpius expilarunt & prædabundi interiores ejus receſſus usque ad Ruſſos perrepſerunt. Ab hiſce prædonibus* Wickkungar *dictis mare Waregum, Svecice Warghaf nomen accipere potuiſſe fateor.* Et §. 13 *Ex annalibus Ruſſicis & temporibus, quibus vixerunt Ruſſorum e Waregorum genere Principes, pateſcere exiſtimarim, Ruſſis nullum alium populum nomine Waregorum veniſſe, quam Svecos, ſiquidem ipſa nomina trium illorum principum, qui e Waregia in Ruſſiam venerunt, etiam ſunt Scandica. Rurik parum differt a* Rörek, *quod in Sturlonide occurrit, pro quo nunc dicimus* Roderick, *Sinaus eſt depravatum* Sune & *Truvor hodie* Trued.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

regi (*e*) piratæ fuerint, Ruſſis olim prædam extorquentes; ſed *Waregos* pro *Cimbris*, & WARGON ſeu *Waregium* pro Wagria in occiduis partibus maris Balthici, ditionis olim Megapolitanæ nunc Holſaticæ, cum Eccardo venditare, id quidem fidem Hiſtoricam ſuperat, & non tam incertum quam falſum eſt & commentitium. Accedit & hoc, quod *Ptolomæus* a Rudbeckio ceteroquin laudatus Vargiones ſeu Waregos ad flumen Rhenum collocaverit; *Tacitus* vero, *Cæſar*, *Strabo*, *Plinius* & reliqui veteres omnes, qui bella Romanorum & Germanorum deſcripſerunt, Vargiones altiſſimo ſilentio præterierint, quin & ipſo non diffitente Rudbeckio, inſulis pluribus aliis in littoribus maris ſitis & ad piraticam faciendam opportunis nomen *Wargoön*, *Wargoo*, vel *Wargenas*, h. e. piratarum promontorium inditum fuerit. Quam vero male ab Eccardo ad Wagriam Holſaticam detorta ſint hujus generis argumenta Herberſteiniana, id facile quidem palpabit, qui Wagriæ tam *Wandalicæ* quam *Slavicæ* ac demum *Saxonicæ* limites & hiſtoriam rite inſpexerit. Quod denique religionem & Sacra veterum Cimbrorum attinet, EDDAS (*f*) ſeu hiſtorias & origines Dearum mythologicas a SAEGMVNDO SIGFVSONIO rhythmis Islandicis & a SNORRONE STVRLESENIO ſermone patrio congeſtas, *Ranzovius* in opuſculo ſuo haud quidem conſuluit, pluraque prætermiſit, quæ hoc argumentum illuminant; ſed occupatum jam hoc adeo eſt ab aliis, ut nonniſi paucula ſupereſſe

Argumenta alia contra Waregos Cimbros.

De Cimbrorum ſacris.

Waregorum & Waregiæ etymon Prætorii & Verelii. Rudbeckii, (*e*) Vocem PRAETORIVS *L. 2. c. 2. p. 18.* explicare geſtit e lingua Gothoporuſſica & *Warejos* interpretatur *Executores tributorum.* Probabilior eſt VERELII *in notis ad Herv. c. 1. p. 19.* & ECCARDI *c. l.* conjectura, quod *Waregi* dicti ſint a Svecico *Warg*, pirata. Quod enim Scandiani continuam fere Archipiraticam exercuerint, id ſatis ex Legibus *Uplandicis*, *Helſingicis*, *Sudermannicis & Weſtermannicis de annuo claſſis Sveonicæ ad* PIRATICAM *apparatu & de trimeſtri hujus generis expeditione* docuit RVDBECK *c. l. p. 519.* ex OLAO MAGNO *L. I. c. 20.* adjiciens, quod lupus ob rapacitatem ſuam commune cum prædonibus nomen *Warg* apud Sueones obtinuerit. Rectius tamen vocabulum reddi videtur *exul*, *alienigena vel a patria rejectus.* Docet hoc Lex SALICA *tit. 58. L. I.* Lex RIPVARIA *tit. 87.* ubi *Wargus* dicitur *expulſus.* Unde notante BENSONE Angloſaxonicum *Wraec*, *Wrecca*, exul, extorris, & vox hodieque in Anglia & Cimbria uſitata *Wracgût*, merces ejectæ. Quibus plura addit ECCARDVS *c. l. p. 4.* Sed ex *Celtico Garr & agaro*, quod eſt *rapax*, *ferax*, vocem derivare & cum Sveogothico conciliare ſtuduit IO. *de* STRALENBERG *in deſcriptione Europæ & Aſiæ ſeptentr. & oriental. p. 193.* Nova eſt conjectura *Arvidi* MÖLLERI *c. l. p. 30.* Waregiam a *Finnica* voce *Wori* vel *Wari* h. e. monte dici putantis, addita hac ratione, quod littus Holmgardiorum ſeu Ingermannorum cum circumjacente regione ſit planum, littus vero Svecicum ſinui Finnico oppoſitum, ſcopuloſum & tota regio montoſa. Subjungit aliam derivationem petitam a vocabulo Finnis & Svecis communi *Wartia*, *Ward*, hodie *Ward*, quod notat cuſtodiam excubias. Conſtat enim, quod Sveones in intimo maris Balthici receſſu conſtituti, Regulos habuerint fiduciarios, a prima ſede *Holmgardicos* dictos, in eo præcipue evigilantes, ut barbaras gentes arcerent a mare balthico, quod piraticis lembis infeſtabant. Aliis iterum placet vocabulo Eſthonio *Warat* h. e. prædo, originem vocis Waregiæ & Waregi maris vindicare. Nec deſunt, qui, ut videtur, convenientius e Ruſſorum lingua apellationes has eruendas & explicandas arbitrantur.

Benſonis,

Stralenbergii & Möllerí.

(*f*) De qua SIBBERN *Biblioth. hiſtor. Dan. Norweg. c. 9. p. 288.* MÖLLERVS *Iſagog. P. 2. c. 1. §. 4. & in addendis p. 215. ſq.* Sed IO. LVD. HANNEMANNVS, *Medicinæ D. Kilonienſis in tractatu de auro p. 142.* EDDAM transmutavit in *feminam chymicam.* Putat enim Eddam fuiſſe philoſophan & adeptam. Quæ metamorphoſis non minus infeliciter ipſi ceſſit, quam transmutatio, cui incubuit, metalli in aurum. Pertinent huc plura Scriptorum ſphalmata literaria, eorum præcipue, qui *mantiſſam* & *cabalam* pro hominibus, *codicem Iuſtinianeum* pro nomine alicujus teſtis, *coranum vel alcoranum* pro Legislatore, & *Doctores miſchnæ*

Hannemanni Edda femina. Solœciſmi aliorum.

ſe videantur invecta nondum & recitata a IOHANN. VASTOVIO (*g*), IOHANN. SCHEFFERO (*h*), OLAO WORMIO (*i*), THOMA BRODERO BIRCHERODIO (*k*), ELIA SCHEDIO (*l*), ANT. HEIMRICHIO (*m*), BARTHOLINO (*n*), OTTONE SPERLINGIO (*o*), ARN-

---

miſchnæ Talmudicæ pro verbi divini miniſtris Miſniæ, accepiſſe dicuntur; de quibus REIMMANNVS *Introd. in hiſt. Lit. p. 134. 141.* BOILEAV *in Colloquio de ſphalm. virorum in re literaria:* LILIENTHALIVS *obſerv. de ſolœciſmo literario* & MARVILLE *Melanges de Litterature, cet.*

(*g*) *Collectan. de idolis borealibus, commentario de Sanctis gentis Svecicæ præmiſſis ed. Col. a. 1623. fol.* 3.

(*h*) *Hiſtor. Upſal. ant. c. 16.* ubi tamen nonnihil dedit Sveciæ ſuæ, e cujus finibus Deos Germanorum & Cimbrorum omnes cum Rudbeckio eduxit. Quibus ex prologo Eddæ Storleſonis recte reſpondit ARNKIELIVS *de Relig. Cimbr. c. 2.*

(*i*) *Monument. Dan. ed. Hafn. 1642. p. 29. 86. 272. 276.* ibique de ordaliis & Legibus, toparchiis & ſacris Cimbrorum.

(*k*) *Libro MScto*, quem *Taurum Cimbricum* inſcripſit, quo Tauri cultum apud Cimbros aliosque populos præcipue ſeptentrionales, ex antiquitatibus ſtudioſe explicuit & deſcripſit integris XXX. capitibus. Idem e vexillis veterum CIMBRORVM, TEVTONVM & VANDALORVM *Megapolenſium* depicto capite tauri notatis, inſignia repetit *Ducum Mecklenburgenſium.* Quam conjecturam comprobant & illuſtrant IO. STRELOVIVS *Chron. Guthiland. præfat. f. 2.* PETREIVS *de orig. Cimbr. c. l.* BARTHOLINVS *Antiquit. Dan. L. 2. c. 9. p. 483. 489.* Adde, quod de *æneo tauro* quem Cimbri in exercitu circumduxerunt & per cujus fidem fœdera jurarunt, fuſius narravit BORRICHIVS *de antiqu. urb. Rom. facie c. 7.*

De tauro Cimbrorum & Teutonum.

De origine tauri in inſignibus Mecklenburgicis.

(*l*) *De Diis Germ. Syntagm. 3.* Cui in ſubſidium addi meretur ARNGRIMVS IONAS *epiſtola de Diis populorum borealium* apud STEPHANIVM *in notis ad Saxonem p. 141. ſeqq.*

(*m*) *Hiſtor. eccleſ. Sleswic. L. I. c. 1. Hiſt. Friſiæ borealis c. 5. p. 86.*

(*n*) *De cauſis contemtæ a Danis adhuc gentilibus mortis, ſive antiquit. Danic. L. 2. c. 5.*

(*o*) *Diſſert. de nomine & feſto* IVEL *tam antiquorum quam hodiernorum ſeptentrionalium edit. Hafn. a.* 1711. Quod dictum autumat a feſtiva veterum formula acclamandi, *Ju, Jo!* Quæ quidem derivatio anteferenda eſt aliis aliorum, qui præeunte WORMIO *in faſtis Dan. p. 18. ſeqq.* feſtum *Juel* a *Julio Cæſare* vel cum PONTANO a Græcorum *Canticis* ἰέλοις *Cereri* dicatis, vel cum IO. BAAZIO *hiſt. Eccleſ. p. 57.* a *jubilando* repetunt; ſed rectior videtur derivatio vocis a Cimbrico *Jul*, ſole, ſeu Celtico *hiul*, rota, vel ſi mavis ab Anglo-Saxonico *Gehol*, gaudio, cum quo convenit *Scanicum Jola*, genio indulgere. Ut igitur feſtum *Juel* menſe *Februario* a *gentilibus* celebratum, vel ſit *feſtum* SOLIS ad regiones boreales redeuntis, immolationibus animalium *apri* præcipue, *verris & hirci* ut & precibus, ut terram fecundet, invocati, vel *feſtum* GAVDII & commeſſationum, a quibus ipſe menſis Februarius, in quem *Juel* feſtum incidit, dici conſvevit *Blüde maned*, menſis lætitiæ. Faciunt huc *Calendaria runica* apud VERELIVM, RVDBECKIVM, RANZOVIVM, in quibus menſi Februario inſignium & ſymbolorum inſtar tribuuntur *cornua lætitiæ*, e quibus largiter bibebatur. Inde forte eſt, quod Germani *Februarium* menſem, *Hornung* vocaverint, non a cervorum quidem cornubus quæ tunc abjiciuntur, nec a ſacrificiis eo menſe a Græcis *Dianæ* oblatis; ſed a poculis, quorum vices olim cornua apud Boreales ſubibant. Quid? quod SPERLINGIVS *c. l.* VERELIVS *in notis ad Herwar ſaga c. 56.* teſtatum faciant, ab *Haquino Adelſtano*, Chriſtiano rege *Norwegorum*, ſeculo X. hoc feſtum Februarii antea paganum, ad feſtum tempus *nativitatis Chriſti*, idque computatum ab 21. Decembr. ſeu die Thomæ Apoſtoli usque ad diem *Canuti ſeu 13. Januarii*, rejectum fuiſſe ideoque in faſtis Runicis huic, qui epulis & commeſſationibus finem fecit diei, adſignari cornu *inverſum ſeu vacuum*, non erectum amplius & liquido impletum. Et negandum non eſt, quod e paganiſmo plures ipſius reliquiæ & ſuperſtitiones tranſierint ad Chriſtianiſmum, nec etiam nunc plane deſierint circa tempus feſti natalis Chriſti. Spectare huc videntur ſuperſtitiones plebejæ, nocte, quæ feſtum nativitatis antecedit, peragi ſolitæ, item ludi Iulii apud boreales uſitati, *Julebuk Blindekon* & *Ballerune*, ipſaque fercula & plures cibi præcipue *panis* & *verris*, quos in feriis natalitiis die nocteque menſæ apponere ſveverunt *Gothi*, *Sveci*, *Dani teſte* LOCCENIO *antiquit. Sveo-Goth. L. I. c. 3.* Forte & his feſtis conſvetudinibus Julicis originem debent *figurati & melliti panes*, qui tempore nativitatis Chriſti hodieque conficiuntur & figuram plerumque referunt animalium, verris, hirci & ſimilium. A quibus animalibus etiam ſolis currum trahi pagani olim finxerunt, qui & *verres* præcipue SOLI ejusque ſimulacro *Frejo* numini conſecrarunt. De quo argumento plura addunt MEINDERS, ECCARDVS, SAGITTARIVS ceterique interpretes decantati *Indiculi*

Sperlingii opinio de Cimbrorum feſto Juel.

Sententia Wormii Pontani, Baazii.

Noſtra derivatio a cimbrico jul vel gehol.

Rationes e calendariis runicis.

Etymon vocis Hornung.

Quid cornu inverſum notet in faſtis runicis?

Reliquiæ feſti Juel apud Cimbros, Danos, Svecos.

Præcipue tempore natalitiorum Chriſti.

ARNKIELIO (*p*), IOHANN. PETRO KOHLIO (*q*) ceteris. Nec vero eſt ut de vetuſtiſſimis Cimbrorum in patria memoriis & monumentis (*r*), lapidibus & urnis (*s*), legibus antiquis (*t*) & litteris Anglo-Saxonicis ſeu Runicis ab HARDVINO (*u*) quidem temere impugnatis quicquam adjiciamus, cum plures hoc argumentum perpoliverint, fecerintque aliis otia. Subiungimus ſaltim ratiunculas de additis *Ranzoviano* & infra *Hamsfortiano* operi figuris, vetuſtos *Cimbrorum Dithmarſorum & inſularium veſtituum* genuinos modos repræſentantibus. Quam enim ſollicite hujus generis vetuſtates conquirere magnique facere ſoleant rerum Germanicarum ſolertiſſimi & haud incurioſi cultores, id uberius ſtudiis ſuis & exemplis communiunt CHIFLETIVS (*v*), WOLFG. LAZIVS (*w*), CLVVERVS (*x*), CONRINGIVS (*y*), IO. PHIL. BVRGGRAVIVS (*z*), PAVLVS HACHENBERGIVS (*a*), IO. GEORG. AB ECCARD (*b*) GOTTL. SAM. TREVERVS (*c*), in eruendis & explicandis rebus veſtiariis veterum Germanorum occupatiſſimi. Nec id quidem ſine ratione, laude, varioque in re hiſtorica commodo, uſuque in explicandis nummis, ſigillis, lapidibus, monumentis examinandis rationibus vitæ privatæ & parſimoniæ veterum Germanorum, eorumque veſtitus vario ornatu, artificiis & ſimplicitatibus; a quibus nunc quidem

Memoriis, urnis, legibus & litteris.

Rebus veſtiariis,

Earumque uſu.

---

culi ſuperſtitionum & paganiarum in Concilio Lifftinenſi a. 742. præſcripti, cujus titulus tertius eſt de *ſpurcalibus ſeu epulis ſolennibus in Februario.*

(*p*) *De Relig. Cimbrorum gentil. ed. Hamb. a. 1690. & 1704.*

De ſacris Cimbrorum ſcriptores.

(*q*) *Specimine Theologiæ gentilis Cimbricæ purioris ed. Kiliæ 1723.* De initiis ſacrorum *Chriſtianorum in Cimbria & Dania* eorumque ſcriptoribus vide MÖLLERVM *Iſagog. P. 2. c. 2.* SIBBERN *biblioth. Norweg. c. 9. p. 292. ſq.* MVHLIVM *diſſ. de converſione paganorum ſub auſpiciis Friderici IV. c. 2.* PHIL. FRID. HANE & CHRIST. KORTHOLT *diſſ. de Sacrorum Chriſtianorum in Cimbria primordiis.*

(*r*) Apud WORMIVM *in Monumentis Danicis*, & ſupra laudatos alios.

De urnis & tumulis cimbricis.

(*s*) De quibus ex inſtituto ANDR. ALB. RHODEN *in Obſervationibus antiquitatum Cimbricarum, & in deſcriptione tumuli Barmſtedenſis.* Idem argumentum illuſtrarunt IAC. a MELLEN, OTTO SPERLINGIVS, MICH. RICHEY. Quibus addi merentur BLVMIVS *de Urnis Bremenſibus*, IO. HERM. SCHMINCKIVS *de urnis & armis lapideis veterum Cattorum*, NVNNINGHIVS *de ſepulchreto Weſtphalico gentili* cui addita eſt COHAVSENII *diſſertatio de urnis ac lapidibus gentilium Weſtphalorum.* KEYSLERVS *in antiquit. ſeptentr. p. 110. ſq.* HECHTIVS *de buſto Luſatiæ antiquiſſimo in Miſcell. Lipſienſ. T. 8. Obſ. 153.*

(*t*) De quibus IOACHIMVS BLVTINGIVS *in Obſervationibus de origine & introductione juris Cimbrico Jutici, adhuc MSctis:* PETRVS FRID. ARPE *in feriis æſtivalibus:* CHRISTOPH. HINR. AMTHOR *diſcurſu de legibus Cimbricis ed. Kiliæ a. 1711.*

(*u*) *Chronolog. Veter. Teſt. p. 34. ſq.* Cujus dubia diluit HICKESIVS *Theſaur. Lingu. ſeptentr. præf. p. 23.* & *la* CROZE *in Vindiciis veterum ſcriptorum ed. Roterod. a. 1708. p. 197. ſq.*

(*v*) *In Anaſtaſi Childerici.*

(*w*) *In Libris de Migrationibus gentium*, ubi tamen in deſcribendis veſtibus, quarum figuras addidit, veterum Germanorum audax nimis eſt & arbitrio indulgens. Quod idem dicendum de *Cluvero.*

(*x*) *Germaniæ antiqu. L. I. c. 14. de habitu Germanorum externo & cap. 16. de cultu corporum.*

(*y*) *De habitus corporum German. antiqui & novi cauſis.*

(*z*) *Commentar. ad laudatum Conringii libellum ed. Francof. 1728.*

(*a*) *Diſſ. de Germania media c. XI. de re veſtiaria veterum Germanorum.*

(*b*) *Erklärung eines alten Kleinodien-Käſtl. ed. Norib. 1724.*

(*c*) *Anaſtaſi veteris germani germanæque feminæ*, quorum imagunculæ metallicæ in urna prope Botsdampium inventæ ſunt *ed. Helmſtadii 1729.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dem Germani in luxum profusi nec rebus domi natis contenti, multis modis procacius desciverunt & aberrarunt. Certe, si qui alii, *Cimbri veteres & Dithmarsi* (*d*) patrii antiqui vestitus diutius tenacissimi fuerunt, quin & *insulares Fœhrenses*, *Syltenses*, ceterique vestium vetustissimi moris etiam nunc adeo servantes sunt, ut ab institutis majorum ne latum quidem unguem recesserint, sed hodieque respuant peregrina indumenta omnia, ad seculi quidem in mutandis vestitibus & profundendo patrimonio ad stuporem usque ingenioſi methodum & artem rite adinventa formaque, qua decet, Gallica exacte consuta. Sed de veterum horum simpliciumque Cimbricarum vestium convenientia cum antiquorum Germanorum habitu & re vestiaria paulo explanatius constabit, si de his moribus differentem audiverimus TACITVM *de morib. Germ. c. XVII. Tegumen*, inquit, *omnibus sagum, fibula, aut si desit, spina consertum. Cetera intecti, totos dies juxta focum atque ignem agunt. Locupletissimi veste distinguuntur, non fluitante sicut Sarmatæ & Parthi, sed* STRICTA *& singulos artus exprimente, gerunt &* FERARVM PELLES, *proximi* RIPAE *negligenter, ulteriores exquisitius, ut quibus nullus per commercia cultus. Eligunt feras & detracta velamina spargunt maculis* PELLIBVSQVE *belluarum, quas exterior Oceanus atque ignotum mare gignit. Nec alius feminis quam viris habitus, nisi quod feminæ sæpius* LINEIS *amictibus velantur, eosque purpura variant partemque vestitus superioris in manicas non extendunt,* NVDA BRACHIA *& lacertos, sed &* PROXIMA PARS *pectoris patet.* Huic si addideris CAESARIS (*e*), EGINHARDI (*f*), SIDONII APOLLINARIS

Et tenaci apud Cimbros observantia.

Testimonium Taciti, de vestitu veterum Germanorum.

(*d*) Quorum genera & partes vestituum *Wöbbe* seu Gewebe, *peele* sive pectoralia, *Flechten* seu texturas crinium, *Kageln*, *Höcken* aliaque cum re vestiaria veterum Germanorum comparavit NEOCORVS *histor. Ditmarf. MSc. P. I. §. 34.* citatis in auxilium *Tacito*, *Cæsare*, *Abbate Urspergensi.*

Ditmarsorum vestium quædam nomina.

(*e*) *L. VI. 21. Promiscue*, inquit, *in fluminibus perluuntur,* PELLIBVS *aut* PARVIS *Rhenonum* TEGVMENTIS *utuntur, magna corporis parte nuda.* Fuerunt vero hæc *Rhenonum* velamina vestes pelliceæ, e pellibus *Rhenonum animalium*, quæ apud septentrionales *Rheen* dicuntur, confectæ. Exposuit hujus generis vestitum ISIDORVS *orig. L. 19. c. 23. Rhenones sunt velamina humerorum & pectoris usque ad umbilicum atque intortis villis adeo hispida, ut imbres respuant.* Et NEOCORVS *c. l.* Cæsaris *Rhenones* interpretatus est *kurze Leibpeltze.* Non desunt, qui cum SAVARIO *in notis ad Sidonium L. 4. c. 20. Rhenones* vestes dictas putant a *Rheni accolis;* vel cum BOCHARTO *P. I. de animal. S. Scripturæ L. 2. c. 43.* a Græco ῥῆνες seu ἄρνες, quod agnos significat. Addit HACHENBERGIVS *c. l. §. 23. Rhenones vestes erant primitus e pellibus* AGNINIS, postea *etiam aliorum animantium, quod præter Cluverium Bochartus & Vossius confirmant.* Sed de animalibus Rhenonibus, cervis haud absimilibus videndi sunt OLAVS MAGNVS *rer. Septentr. L. 16. c. 17. 18. 19. ubi Rhenonem,* RANGIFERVM vocat a cornuum ramis *Rancken* vulgo dictis; SCHEFFERVS *Lappon. c. XXVIII.* LOCCENIVS *antiqu. Sveo-Goth. L. I. c. 20. quo de cura corporis externa priscorum* GOTHORVM *& cultu modico in amictu, speciatim de rhenonibus luculenter egit.*

Cæsaris testimonium.

Descriptio Rhenonum.

(*f*) *In Vita Caroli Magni: ad Corpus camisiam lineam, & fœminalibus lineis induebantur Franci, deinde tunicam & tibialia, tum fasciolis crura & pedes calciamentis constringebant & ex pellibus lutrinis thorace confecto humeros & pectus hyeme muniebant; sago Veneto amicti & gladio semper accincti.*

De germanorum re vestiaria locus Eginhardi.

RIS (*g*), POMPONII MELAE (*h*), PLINII (*i*), PAVLI WARNEFRIDI (*k*), WITICHINDI (*l*) aliorumque teſtimonia, plures de amictu veterum Germanorum reliquias facile notabis in re veſtiaria veterum Saxonum & Cimbrorum. Manifeſtum quippe eſt, quod fuerint indumento uſi non fluitante (*m*), Sagis ex lana vel pellibus plerumque confectis & fibulis conſertis (*n*) veſtibus quoque pelliceis (*o*) ſeu Rhenonibus, quas Cimbri aliquando Cunas (*p*) vocarunt,

Cimbrorum & Ditmarſorum cum iis convenientia.

Sidonii. (*g*) *Libr. IV. ep. XX. Quorum Gothorum pedes primi* PERONE *ſetoſo talos ad usque vinciebantur, genua, crura ſuræque ſine tegmine; præter hoc veſtis* ALTA, STRICTA, VERSICOLOR, *vix appropinquans poplitibus exertis, manicæ ſola brachiorum* PRINCIPIA *velantes.*

Pomponii Melæ. (*h*) *Geograph. L. 3. c. 3.* ubi de veteribus Germanis affert, quod *puberes diutius nudi agant, viri vero facti* SAGIS *velentur aut libris arborum.* Idem STRABO *Libro XV.* aſſerit & fuſius exponit CLVVERVS *c. l.* ubi *libros arborum* interpretatur *tunicas arborum interiores plicabiles*, quæ ad texendum aptæ ſunt ſtoreisque conficiendis, *Matten* apud Belgas dictis, inſerviunt.

Plinii. (*i*) *Hiſtor. Nat. L. 19. c. 1. ibique de lineis amictibus feminarum Germanicarum.*

Warnefridi. (*k*) *L. 4. c. 7. Veſtimenta Germanis erant laxa & maxime linea, qualia* ANGLO-SAXONES *habere ſolent, ornata inſitis latioribus,* VARIO *colore contextis.*

Witichindi. (*l*) Qui *L. I. Annal. Saxon.* rem veſtiariam Saxonum eorumque *ſaga, lanceas, ſcuta, cultellos ad renes pendentes & diffuſam ſcapulis cæſariem* deſcripſit. Conveniunt GREG. TVRONENSIS *hiſt. Franc. L. 5. c. 15.* & PAVLVS WARNEFRID. *L. 3. de geſtis Long. c. 7.* de Saxonibus aſſerentes, quod *barbam & capillos incidere conſueverint.* A conſueta vero Saxonibus veſtitus forma non alienos fuiſſe *Cimbros & Ditmarſos*, teſtis eſt *Saxo Grammaticus hiſt. L. 14.* ubi Svenonem Daniæ regem *Saxonicum habitum militibus etiam gerendum injunxiſſe* commemorat. Et HELMOLDVS *chron. Slav. L. I. c. 48. Tres*, inquit, *ſunt Nordalbingorum populi, Sturmari, Holſati, Thetmarſi, nec* HABITV *nec lingua multum diſcrepantes, tenentes Saxonum jura.* Quod exemplis facile, poteſt declarari. Saxones *birro* ſeu *bireto* caput operire ſveverunt, ſago ſeu indumento non manicato uſi fuerunt, barbam non aluerunt prolixam nec crinibus frontem occultarunt, ſed in tondendis capillis ita verſati ſunt, ut adverticem dimiſſi in tergum defluxerint. Idem PLVTARCHVS & IORNANDES de Cimbris aſſerunt. Quorum mos fuit caput birris, & belli tempore galeis ex pellibus animalium confectis, caput tegere, ſagis pelliceis incedere, crinem retrorſum cogere & in nodos colligare. Quod patet ex figuris apud Hamsfortium. Facit huc obſervatio RHODENII *c. l. p 210.* & BIRCHERODII *apud Arnkielium c. l. p. 308. n. 7.* qui ex novaculis in urnis *Cimbrorum* ſæpius inventis cultum & ornatum crinium teſtatum reddunt. De *Ditmarſis* ſpeciatim audiendus eſt NEOCORVS *hiſt. Ditm. MSc. P. I. §. 34: Der Ditmarſchen und Holſten Kledung hebben wenig geſchelet, und iſs ock de Stapholmer vn Cimbrer Kledung den Ditmarſchen nicht faſt vnglick. Alſo dregen ock de Fruwen im Lande Holſtein noch rode pirete. Alſo ock hebben de Mannsperſonen alle miteinander lange Haare vom Oldersher, wo in olden Gemählden tho ſtehen, beth am jüngſter Fede a. 1559. getragen, den vm de tyd hefft man erſtlich angefangen Kolben do tragen. De Fruens belangend bliven deſülven by erer olden Dracht. De jungfruen binden de Haare vm mit enen ſchnor, dat de ehnen nicht in de Ogen hengen, de Haare flechten ſe an enen wullen Band in ener oder twe flechten und laten beyde Fruwen und Jungfern ſe up den rüggen dal hangen.*

Cimbrorum & Ditmarſorum cum iis convenientia.

Teſtimonium Helmoldi.

Exempla de birris.

Obſervatio Rhodenii.

Teſtimonium Neocori de veſtibus Ditmarſorum.

Slavinia veſtis quid? (*m*) Qua uſi ſunt *Sarmatæ, Venedi, Slavi, Obotritæ* & etiam nunc utuntur Poloni. Unde *Slavinia veſtis* apud rei veſtiariæ ſcriptores eſt *veſtis oblongior.*

De germanorum & Cimbrorum ſagis, Rochetis & caſulis. (*n*) Quibus humeri tantum & tergi pars tegebantur. In quorum locum ſucceſſerunt *rocheta* ſeu tunicæ ſtrictæ, præciſæ & prope lumbos deſinentes, item *colobia*, generaque alia tunicarum. De *Friſis & Ditmarſis antiquis* teſtis eſt CORN. KEMPIVS *Tr. de origine, ſitu & qualit. Friſiæ L. I. c. 21.* quod *veſtes eorum ſint curtæ & ſtrictæ ex panno, vix dimidias nates tegentes aut non longiores, quam ad coxas, in dorſo a ſummo ad imum quatuor plicas habentes connexas, ſimiliter ab anteriore parte bene complicatas.* Vide *Fig. Ranzovianas de veteribus Cimbris, Ditmarſis & Hatſtedenſibus n. 3. 9. 21.* Sagulis his ac tunicis *caſulæ*, Belgis forte *jacke*, *Cajacke*, oppoſitæ leguntur, veſtes nimirum cucullatæ & longiores quæ corporis omnes fere partes velarunt. De quibus *Synodus ſub Carolomanno a. 742.* ſtatuit: *Ut presbyteri & Diaconi non* SAGIS *laicorum more ſed* CASVLIS *ritu ſervorum Dei utantur.*

Quid Cimbria gunata? (*o*) Inde eſt, quod Germani & Gothi apud *Sidonium* nominentur PELLITI, & Cimbria & antiqua Saxonia apud veteres dicatur GVNATA, h. e. *pellicea.* Uti ex LIVTPRANDI *Libro de Legatione* docet SPELMANNVS *gloſſar. Archæol. p. 270.*

Veſtium Cunarum derivatio. (*p*) Veſtes ſunt præcipue muliebres ex gunis ſeu mollioribus pellium partibus, quibus ventres ani-

ma-

runt, induti, lineis camiſiis & amictibus pannis præcipue verſicoloribus (*q*) velis item ſeu riculis capitum (*r*) & palliolis muliebribus (*ſ*), proxima etiam pectoris parte aperta, veſtibus non manicatis ſed nudis fere brachiis (*t*) nudoque capite & cirris ſeu crinium nexibus per terga dimiſſis, (*u*) barbaque haud oblonga & ſqua-

---

malium cingi ſolent, conſutæ. Fruſtra hinc MEVRSIVS a græco γενίον vel γένα vocem deduxit addita explicatione, quod *guna quaſi veſtis ſit* genua *tegens*. Rectior foret conjectura eorum, qui gunas dictas putant a *pellibus cuniculorum*, quos *Belgæ* Kunne, *Angli* cunnii, appellant. Cui opinioni SPELMANNVS *c. l.* elegantem adjicit obſervationem, quod ipſi Anglo-Saxones e Cimbria togas ſeu *gunas veſtes* hodieque ab Anglis *gown vocatas*, in Britanniam invexerint. Addit idem: *Gunam brevem intelligo veſtem ad genua deſinentem, quali noſtri majores a Germanis*, Cimbris, *edocti uſi ſunt & pellibus quidem ſubtexta.* Cum *gunis* vel certe cum *Rhenonibus* convenire videtur indumentum, quod in legibus veterum Germanorum paſſim dicitur *Filtrum*, unde Filtz, *pellis.* Quibus quidem divitiis pelliceis Germanos olim poſtpoſuiſſe aurum & argentum, ex *Tacito* HELMOLDVS & ex hoc CRANTZIVS *Vand. L. 2. c. 18.* retulerunt.

Opinio Meurſii. *Spelmanni.* *De germanorum filtris.*

(*q*) Quales ſunt veſtes *inſularium* præcipue *Cimbrorum*, utpote variis coloribus etiam noſtra ætate interpolatæ. De *Teutonibus*, *Gothis*, *Francis*, *Longobardis* idem notarunt TACITVS *hiſt. L. 2.* SIDONIVS *L. 4. ep. 20.* DIODOR. SICVLVS *L. 5.* aſſerentes: *quod uſitatiſſima, illis fuerint ſaga & veſtimenta varie colorata crebris laterculis, florum inſtar, diſtincta, nunc flammea, nunc rutila, lactea, griſea.* De *Anglo-Saxonibus* ſeu *Cimbris* vide ſupra teſtimonium *Pauli Diaconi* not. k. cui addendus eſt STRABO *L. VII.* adſtruens: quod CIMBRICAE *mulieres, quæ ſacerdotum munere fungebantur, veſte* non verſicolori; ſed alba *uſæ ſint, cujus tunica e carbaſo confecta & fibulis adnexa fuerit.*

Inſularium Cimbrorum veſtes variæ coloratæ.

(*r*) Quibus viduæ præcipue Cimbricæ & Dithmarſicæ uſæ ſunt. Quarum reliquias oſtendunt figuræ RANZOVII, item SCHILTERI *ad Chronic. Königshofii p. 514.* & ſigilla apud HEINECCIVM de *ſigill. vet. Germ. Tab. 12. ſeqq.* & STRVVIVM *in Archiv. hiſt. Polit. P. I. p. 404.*

Riculæ mulierum cimbrarum.

(*ſ*) Quorum exemplum eſt *palliolum fœminæ Cimbricæ Flensburgenſis & Eyderoſtadenſis inter figuras Ranzov. n. 15. ſqq. & n. 24.* Quod ipſum nimium haud differt a palliolo quo priſca Zelandorum Dea nec Cimbris incognita *Nehalennia* induta comparet apud KEYSLERVM *antiquit. Septentr. p. 239.* Cujus tamen explicationi Deæ Nehalenniæ ceu *Nehæ in templo vel Hallis* præferendam putarem conjecturam vel MENSONIS ALTINGII & GVNDLINGII, qui NEHALENNIAM dicunt *Deam novæ Lunæ apud veteres Germanos auſpicatiſſimæ*, vel ECCARDI qui eandem accepit pro *Dea novæ terræ*, mari detractæ, vel noviter repertæ, Cimbris dictæ *Vor-Land*, *Butenland*, cujus argumenti rationes dedit in *Diſſert. de Apolline Grauno in Alſatia detecto*, edita a IO. GEORG. ESTOR *annal. Haſſiac. collect. 3. p. 221.* Quæ in Cimbrica figura propendent annulorum nummulorumque decora, aliquando etiam campanulæ ſeu tinnimenta, illa addita demum & adinventa ſunt ornamenta ætatis mediæ & recentioris. Teſtes adſunt & exempla apud DVFRESNIVM & ECCARDVM *c. l.* & *ad Legem Salicam p. 151.* quod Seculo præcipue XI. & XII. usque ad Sec. XV. mos inter honoratiores inoleverit, nummis, circulis, auri catenulis & tintinnabulis nunc veſtimentis nunc gladiis & cingulis, item *pectoralibus & collaribus feminarum* appenſis, incedere & ſuperbire. Quod ultimum ſigillatim ECCARDVS *Tract. de ciſtella Clenod. explicat p. 14.* probatum ivit imaginibus & ſtatuis apud Brunſvicenſes in aula *S. Anthorii* conſpicuis. Icones nonnullas virorum, quorum pectora *tintinnabulis* ornata ſunt exprimi curavit *Ant.* MATTHAEI *de nobilitate p. 1132.* Plura illuſtrium exempla recenſet TENTZELIVS *ad* SAGITTARII *Hiſt. Goth. Suppl. 2. p. 247.* Facit huc *privilegium ferendi tintinnabula in Cappis a* PASCHALI *II. datum a. 1103.* apud PVRICELLVM *in Baſilica Ambroſiana p. 109.* Quod fuſius expoſuit & Sacerdotalibus veſtibus, quæ tinniolis exornatæ, illuſtravit DV FRESNE *Tomo VI.* voce *ſtola*, *Tinniolo p. 1150.*

Palliola earum & Deæ Nehalenniæ. *Quæ non dicitur a templo nec nova luna, ſed a nova terra.* *Obſervatio de campanulis propendentibus.*

(*t*) De veſtibus non manicatis veterum Germanorum TACITI interpretes & CLVVERVS *c. l. c. 16.* prolixe agunt. Ritum *Danorum* eundem deſcripſit OTTO SPERLINGIVS *Comment. de veſtitu Danorum veteri Novis litterariis maris Balthici anno 1698. pag. 209. inſerta: In feminarum* inquit *veſte etiam illam ſtrictam fuiſſe obſervavimus* SINE *manicis ſinu etiam* PATENTE.

De veſtibus non manicatis.

(*u*) Quod TACITVS *c. 38.* de gente Svevica & CLVVERVS c. l. ex PLINIO *L. 28. c. 12.* de Germanorum feminis univerſim aſſerit, *quod crinem obliquare nodoque ſubſtringere vel circa verticem conglobare ſveverint*, id apprime facit ad ritum feminarum Cimbrarum Ditmarſarum, quibus pertinaciter placuit crines vel conglobare vel in nodos collectos ſpargere in humeros tergumque. Illuſtrat hanc conſvetudinem ARNKIEL *de relig. Cimbr. gent. p. 202.* effigie

De cirris feminarum Ditmarſicarum,

ſqualida ſed ornatiori, (*v*) & quod ad ſponſos (*w*), plane ſucciſa conſpicui, gladiis & cultellis ad dextram ſemper accincti (*x*), biretis (*y*) & pileis aliquando acuminatis ſeu tutulis (*z*), ut & femoralibus linteis & coreis ſeu braccis laxioribus cum tibialibus cohærentibus (*a*), peronibus item ſetoſis ſeu calceis pilis & pelle craſſis,

---

Et cimbricarum. Feminæ Cimbricæ Sacerdotis, quæ ob cultum ſacrorum non crinibus incedit *in nodos colligatis*, ſed in terga *libere profuſis*. De feminis recenter nuptis & virginibus Cimbricis & Ditmarſicis, nudo capite & crinibus colligatis incedentibus, ipſæ teſtantur figuræ *Ranzovii* & *Hamsfortii*. Cujus ritus apud Francos etiam uſitati diſerte meminit GREG. TVRONENSIS *L. 6. c. 24.* Quin inde explicanda erit formula Iuris Germ. & Longobardici *feminas eſſe in capillis h. e. in virginitate.*

De barba ornatiori. (v) Idem de *Francis* AGATHIAS *L. I. c. 5.* & de Germanis omnibus aſſerit DIODORVS SICVLVS *L. 5. c. 28.* Eundem morem SIDONIVS præcipue in *Gothis* & WITICHINDVS in *Saxonibus*, uterque ceu antiquum collaudat.

(w) Quorum apud Germanos præcipuus ornatus olim fuit barba non promiſſa ſed tonſa. TREVERVS *c. l. p. 10.* CHRIST. FR. PAVLINI *Tr. de barba c. 2. apud* PISTORIVM *amæn. hiſt. P. I. p. 93.*

De dextræ manus prærogativa apud germanos veteres, Svecos, Cimbros, Ditmarſos. (x) Quod docent figuræ Ranzovianæ de puellis feminis, virisque Cimbricis & Ditmarſicis *n. 4. 8. 9. 10. 11. 12. 13.* In dextro vero latere & Germanos olim gladios geſtaſſe teſtes ſunt *Cæſar*, *Strabo*, *Iornandes*, *Diodorus Siculus*. Cujus rei rationem petere ſolent a prærogativa manus dextræ quæ Germanis dicitur *rectior*, Belgis & Svecis *ſuperior*. Cui & olim Cimbri & Ditmarſi *honoratiorem locum* vindicarunt. Unde eſt quod etiam nunc Ditmarſorum feminæ ſacerdotali benedictione connubii fœdere jungendæ, dextrum ſeu honoratiorem locum, ſponſi vero ſiniſtrum occupent. Quem ritum rerum Ditmarſicarum ſcriptores laudant *antiquiſſimum & a ſexu elegantiori tenaciter usque ſervatum.* Nec dubium eſt, priſcos Germanos omnes honoratiorem ſemper locum feminis tribuiſſe, quas teſte TACITO *de M. G. c. 8.* IVLIO CAESARE *de B.G. L.I. c. 15.* ſummo adeo honore proſecuti ſunt, *ut illis ineſſe ſanctum aliquid, providum & conſultum putaverint. v.* KEYSLER. *diſſert. de mulieribus fatidicis in antiquit. ſeptentrion. p. 371. ſeqq.* Sunt tamen, qui ſiniſtrum latus aliquando apud veteres honoratius fuiſſe argutantur, cujus rei conjecturas attulit litteratiſſimus TREVERVS *in Anaſtaſi vet. Germ. §. 12. 13.* Contrarium ſtabiliunt CHRIST. SCHÜTZ *diſſert. de honorificentia dextri loci ed. a. 1655.* & CHRIST. FRANCISCVS PAVLINI *Tr. de dextra apud* WILHELM. FRID. PISTORIVM *amæn. hiſtor. Iurid. P. I. p. 133. 141. ibique citatus* LIPSIVS & IO. GOROP. BECANVS.

Diſſenſus aliorum.

Cappæ & lacernæ veterum. (y) Quorum alia angularia, alia rotunda ſunt ut *cappæ veteres*, alia ampliora ut, *coſia antiqua*, quæ ſunt bireta tenuia & linea, hodie *Haube*. Aliquando etiam his biretis adhæſiſſe palliola & lacernas, *die Reegen Mantel*, fuſius probat FERRARIVS *de re veſtiaria præcipue Roman. P. 2. L. I. c. 21.* ſpectare huc videntur lacernæ apud *Hamburgenſes*, *Brunſvicenſes* & *Slesvicenſes* in figura *Ranzoviana 14.* Plura biretorum exempla habet idem in figur. *3. 7. 15. 16.* & HAMSFORT *in figur. mulierum Föhrenſium.*

Pilei acuminati ſeu tutuli. (z) Qui in apices adſurgunt & ad biretorum acuminatorum genus pertinent. Facit huc RANZOVII *figur. 20.* de virgine *Stapelholmenſi* & HAMSFORTII *de puella ae femina recens nupta Föhrenſi.* Deſcripſit hos tutulos a *tüte*, in cujus formam adſcendunt, forte dictos, laudatus RHODENIVS *in den Cimbr. Holſt. antiquit. Remarqu. p. 184.* ubi tutulos cupreos frequentius in urnis Holſaticis ſe inveniſſe refert verbis ſequentibus: *Der Zierath der oben auf die Haare in form einer kleinen pyramide geſetzet und mit einem Bande befeſtiget worden, wird von den antiquariis genandt Tutulus oder ein Hütchen. Dergleichen haben wir nun hier ſehr viele von verſchiedener Gröſſe, doch einerley facon gefunden, daſs alſo dieſes ein ſehr gebräuchlicher Zierath in hieſigen Ländern müſſe geweſen ſeyn.* Sed honoratioribus ſaltim viris feminisque hos pileos vindicat SPERLINGIVS *c. l.* cui accedit fides IORNANDIS aſſerentis, quod apud Gothos ſeu Iutas olim *capillati* omnes inceſſerint, exceptis iis, qui ſacris præfuerunt, *pileati* vocati.

Obſervatio Rhodenii & Sperlingii.

Femoralium deſcriptio. (a) Ut parti inferioris corporis tegendæ ſufficiant, quibus & ſoleæ aliquando adſutæ reperiuntur. Quod utrumque allegatæ figuræ, ſigilla item apud HEINECCIVM & BÜTKENIVM, exempla apud ECCARDVM *p. 21.* ad oculum oſtendunt. Prolixi ſunt in deſcribendis coxalibus ſeu femoralibus *veterum Germanorum* DIODORVS SICVLVS, SIDONIVS, PAVLVS DIACONVS, & plures citati ab HACHENBERGIO *c. l. §. 30. 32. 33.* Braccas CIMBRORVM in ſtatuis veterum idolorum *Luni*, *Odini ſeu Wodani* aliorumque conſpicuas exhibuit ARNKIEL *c. l. p. 73.* De DANORVM feminalibus ſeu braccis egit SPERLINGIVS *de veſtitu Dan. vet. c. l. p. 209.* Etymon

Braccæ Cimbrorum & Danorum.

VO-

ſis, *feneſtratis* tamen præcipue & *laqueatis* (*b*), in crucis modum corrigiis ſeu lorulis colligatis demumque in uncinos ſeu roſtra deſinentibus (*c*) mirifice ornati, ut alia plura taceamus.

II. Nicolai Mareſchalci Annales Herulorum & Vandalorum eorumque verſio Germanica Eliæ Schedii.

Accedimus ad NICOLAVM MARESCHALCVM, Legum ac Canonum Doctorem Hiſtoriarumque in Academia Roſtochienſi Profeſſorem, Ducum Henrici Pacifici & Alberti ad a. usque 1525. quo obiit, Conſiliarium, qui a patria *Thuringia* (*d*) Thurius dici

---

vocis, quam ab Hebraico *Berec*, genu, plures deducunt, idem ex Danico & theotiſco expoſuit: *Braccæ inter femora dividuntur quaſi Gebracken, ex qua voce braccis nomen. Lärbracker vocantur ex corio parata femoralia; Belgæ & Saxones inferiores Brock retinent, alii germani Büchſen cœperunt vocare, quod ventrem Bürck, Bauch tegant & inferiora.*

Calcei feneſtrati & laqueati veterum germanorum.

(*b*) Figuras habet HAMSFORTIVS *infra* & SCHILTERVS *ad Königshovenium.* Veterum Germanorum, Francorum præcipue calceorum ornatus delineat WERIMBERTVS *in vita Caroli M. Erat antiquorum ornatus vel paratura Francorum calciamenta forinſecus aurata, corrigiis tricubitalibus inſignita, faſciolæ crurales vermiculatæ & ſubtus eas tibialia & coxalia linea, quamvis ex eodem colore, tamen artificioſiſſime variata, ſuper quæ & faſciolas in crucis modum intrinſecus & extrinſecus ante & retro corrigiæ illæ tendebantur.* Plane & appoſite convenit deſcriptio calceorum veterum Cimbrorum ſeu ANGLO-SAXONVM apud PAVLVM WARNEFRIED. *L. 4. c. 23. calcei* inquit *iis erant usque ad ſummum pollicem pene aperti &* ALTERNATIM *laqueis corrigiarum retenti.* Notabile eſt ſtatutum *Epiſcopi Traject.* GVIDONIS *de a. 1310.* apud DV FRESNE *Gloſſar. Tom. IV. p. 53.* quo prohibetur, *ne ſacerdotes & Clerici calceos vel ſoturales* LAQVEATOS *inpoſterum portent.* Idem innuit *regula Templariorum c. 29. De* ROSTRIS ET LAQVEIS *manifeſtum eſt eſſe gentile, & cum abominabile hoc agnoſcatur, ergo prohibemus.* Ex quibus interdictis conficitur, *laqueorum* olim uſum communem fuiſſe & honoratiorem, ſenſim vero degeneraſſe & forte ſervis ſaltim relictum fuiſſe, *ut a calceis & veſtibus laqueatis* demum nacti ſint appellationem *Laqvais.* Quin valde opinabile eſt, ipſos *Cimbros* hoc veſtium & calceamentorum genus in Angliam invectaſſe. Teſtibus enim BROMTONO & GERVASIO DOROBERNENSI *ad a. 1188.* uſus veſtium VERSICOLORIVM & LAQVEATARVM, *Anglorum genti* interdictus demum fuit a Rege HENRICO II. *in Concilio Geyrintonenſi.* Quod argumentum ulterius proſeqvitur DV FRESNE *c. l. & Diſſert. apud* PISTORIVM *amœnit. Hiſt. P. I. p. 36.*

Cimbrorum & Anglo-Saxonum. Cur prohibeantur Clericis?

Etymon Laquai.

Origo veſtium laqueatarum apud Britannos Cimbris tribuitur.

(*c*) Deſcripſit hos *veterum* CIMBRORVM calceos cornutos & uncinatos ſupra laudatus KEMPIVS *de Orig. Friſ. L. I. c. 21. in initio*, inquit, *primæ ætatis meæ circa a. 1522. geſtabantur a viris ſenibus roſtrati calcei anteriori parte in tenue cornu portenti ſemipedalis longitudine.* Et fuſius HACHENBERGIVS *de re veſtiar. German. §. 36. Calceorum genus apud Germanos cis Rhenanos invaluit, quos dixerunt* FENESTRATOS *variis ſciſſos foraminibus, ſed apud Francos nobiliores probati inveniuntur calcei uncinati, lunati, quorum figuram pleræque veteres ſtatuæ & imagines equeſtres exhibent; cujus moris tenaces fuerunt ante pauca ſecula adhuc Galli ut Concilio Senonenſi ſtatutum fuerit: Ne* CLERICI *lunatis ſeu cornutis ac nimis feneſtratis calceis utantur. Ad hoc genus accedebant cuſpidati* ANGLO-SAXONVM *calcei, galoches vulgo dicti, quos Wilhelmus Rufus invexiſſe memoratur.* Quas cuſpides longiores *Eduardus IV.* circa a. 1464. ad menſuram duorum pollicum reduxit ſub pœna XX. ſolidorum & anathematis, teſte SPELMANNO *Gloſſar. Archæol. p. 254.* Figuras hujus generis calceorum e Tabula vetuſti altaris *Wordzbergenſis* deſcripſit & expreſſit HADORPHIVS *in Obſervationibus* ad *Schefferum de tribus coronis Sveciæ.* Quin teſtes ſunt ſtatuæ & imagines virorum honoratiorum Seculi XII. XIII. ſeqq. quod Germani noſtrates, olim *calceis eorumque roſtris* item *bainbergis ſeu ocreis* tintinnabula alligaverint, ut eorum clangore incedentes inter reliquos diſtinguerentur. Quod idem e PAVLINO adnotavit TREVERVS *c. l. p. 15.* De uſu *tintinnabulorum* apud Megapolenſes olim ritus & honoris cauſa recepto plures teſtantur icones in arcibus vetuſtis olim depictæ *Seculo XIV. & XV.* Pertinet huc ipſa, utut fabuloſa relatio de *Pückio Monaſterii Sverinenſis adminiſtro miraculoſo*, cui a Guardiano data fertur *tunica diverſorum* COLORVM & TINTINNABVLIS *plena.* Quam fabellam ad annum quidem 1222. referendam vide *in ſpecim. document. Mecklenb. p. 157.* Sed in deſpectum demum hunc ritum tintinnabulorum abiiſſe manifeſtum eſt ex imaginibus hominum plebejorum & morionum, quorum veſtimentis tintinnabula largiter affixa fuiſſe oſtendunt pictæ in aulis Tabulæ Seculi XVI. & copioſæ figuræ fatuorum CX. apud IO. SEYLER. KEYSERSBERGIVM *Concionatorem Argentinenſem in Navicula ſeu ſpeculo fatuorum ed. 1511.* De quo libro vide PASCHIVM *de variis modis tradendi moralia p. 330.* & HERM. *ab* HARDT *T. 2. autograph. Lutheri p. 66.*

Calcei Cimbrorum cornuti, Francorum, Anglo-Saxonum, Britannorum, Svecorum. Uſus tintinnabulorum Seculo XII. usque ad XVI. Speciatim apud Megapolenſes.

(*d*) Quam a *Thiras* Japheti filio dictam eſſe alicubi fabulatur. Idem de *Thracia* aſſerere ſatagit SAM. BOCHART *Geogr. Sacr. L. 3. c. 2. p. 173.* SALMASIVS *in Solinum p. 1235.*

Thuringiæ derivatio incongrua.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ci voluit, cujusque ſcripta etiam edita inter rariſſima (*e*) opera referuntur, utpote quæ e domeſtico, quo Mareſchalcus uſus eſt, typographeo (*f*) ab ipſius cive *Gunthero Hyeme ſeu Winter, Erphordiano*, parum inſtructo circa annos 1515. & 1522. prodierunt haud copioſe impreſſa nec unquam poſt recuſa. Vir omnino eſt laude digniſſimus, ultra vulgarem eruditorum iſtius ævi aleam evectus, linguarum, artium & ſcientiarum vaſta peritia inſtructus, nec ingenio & candore deſtitutus, qui pertinaci etiam diligentia res hiſtoricas Mecklenburgicas inveſtigavit, iisque ex tenebris in lucem protrahendis vel primus induſtrias manus admovit; majorem tamen certe gloriam conſecutus fuiſſet, ſi tanta eminuiſſet rerum patriarum *Germanicarum & Megapolenſium* præſidiorumque illuc facientium peritia, quanta quidem valuit induſtria viguitque ſcien-

Elogium Mareſchalci.

Studia.

Mareſchalci Thurii ſcriptorum raritas.

(*e*) Teſte IO. VOGTIO *Catalogo hiſtor. crit. librorum rariorum p. 117.* SCHELHORNIO *amœnitat. literar. T. 2. p. 434.* & AVTORE *Bibliothecæ hiſtor. Hamb. Cent. II. p. 272.* Vitam NICOLAI MARESCHALCI *deſcribendam olim promiſit* CHRIST. SCHOETGENIVS, eamque delineavit IO. BACKMEISTERVS *in præf. ad animadverſiones in Mareſchalcum*, infra *N. VI.*

Typographeum apud Roſtochienſes primum Mareſchalco tribuitur.

(*f*) Quod omnium primum Roſtochii fuiſſe autumant *collectores Annal. literar. Mecklenburg. P. I. p. 112.* Idem conjectantur *autores Biblioth. hiſt. Hamb. Cent. II. p. 264.* Sed *Ludovico Diezio, Spirenſi* primam circa annum 1510. typographiam eamque publicam Roſtochienſem vindicat GEORG. FRID. STIEBERVS *in hiſtoria Literaturæ Mecklenb. c. 2. p. 66. ſqq.* Conſtat tamen, quod diu ante *Diezium* ſub auſpiciis *monaſteriorum & reſidentiarum academicarum*, paulo poſt inventam artem typographicam varii apud Roſtochienſes libelli typis expreſſi fuerint, primumque forte typographeum inſtrui cœperit *a fratribus presbyteris & clericis congregationis domus viridi ſorii ad S. Michaelem*, quorum cura circa annum 1472. & 1474. prodierunt AVGVSTINI *quædam homiliæ*, LACTANTII *& Patrum quorundam* opuſcula. Ipſum hoc monaſterium & pædagogium *Fratrum Divi Michaelis* in Reſidentiam ſeu collegium academicum deinde translatum, ſed igne fere abſumtum, in armamentarium verſum eſt a. 1619. Reliquarum reſidentiarum, quæ a regendis ſtudiis & Academiæ alumnis ita dicuntur, octo præcipue olim numerantur. *Prima* fuit *Domus Facultatis artis* ſeu Collegium philoſophicum hodie album vocatum, olim Sacellum Epiſcopi Sverinenſis. II. Domus reſidentialis jureconſultorum, quam olim *Henricus Baggel* Conſulibus civitatis *cum ſeptem Bodis & via valvæ 1420.* vendidit, ex quo tempore veteris urbis curia dicitur, donec ex proviſione Nicolai Roſſovii a. 1476. ad Academiam tranſiit. III. *Porta cœli ſeu pædagogium* ad collegiatam D. Jacobi eccleſiam ſpectans, nunc Neodochium. IV. *Domus aquilæ* ſeu *Ahrensburg*, a Lamberti Kropelini Senatoris vidua a. 1500. academiæ divendita. V. Domus *rubei Leonis* a ſacrificulo quodam appellata & Academiæ donata. VI. Reſidentia *Silvani* ſeu *collegium Colerianum*, quod dicitur a IO. COLERO, cujus ex teſtamento commodo academiæ accrevit. Imago ipſius ſpectatur in templo D. Mariæ & epitaphium legitur apud LVC. LOSSIVM *in Luneburga p. 35.* VII. Domus *unicornis*, emtionis titulo a. 1503. acquiſita. VIII. Domus *mediæ Lunæ ſeu Meſſolenii* a *Laurentio Kulemanno, presbytero a. 1472.* emtitata. Quæ ab *Olao* ſive *Olavo* primo poſſeſſore vocari ſvevit Olavi Burſa, vulgo corrupte dicta *Olle Kuſſerey* pro Olavi *Burſeria ſeu Burſa:* Quam quidem appellationem antiquior hæc domus adepta haud eſt a foro quodam mercaturæ ſeu negotiatorum, ſed a collegio cui nuncupari cœpit Academico, quod *Burſa* dicitur a crumena ſeu a ſtipendiis, ex quibus Scholares vixerunt. Unde & apud Oxonienſes ac Pariſienſes collegia *S. Mariæ, Apoſtolorum, omnium animarum, ænei naſi* aliaque ſive a ſanctis ſive a ſitu loci rerumque circumſtantiis appellata ſæpiuscule *Burſæ*, alumni vero ſeu *ſtipendiati* vocantur *Burſarii*, ſub quorum nomine apud *capitulares & Canonicos* venire ſolet redituum adminiſtrator, ſeu theſaurarius. Videantur *Antiquitates Univerſitatis Oxonienſis e theatro Sheld. a. 1614. ed. L. 2. p. 172. 212.* MAX. *ab* ASCHAFFENBVRG *in Conſil. pro conſervatione ærarii & Burſæ ed. Francof. a. 1641.* STAPHORST. *T. 2. hiſt. eccles. Hamb. period. 3. c. 1. n. 122. de capituli Hamburgenſis ſtatuto ſuper Burſa de a. 1640. p. 447.* De origine vero & nomine Burſæ negotiationis agunt MARQVARD *de jure mercat. L. 2. c. 6. n. 48. L. B. a* SCHRÖTER *Fürſtl. Schatz-Cam. p. 336.* PONTANVS *hiſt. Amſtelod. c. 23.* KVCHELBECKER *deſcript. urbis Londinenſis ed. 1726. p. 60.* Plura de reſidentiis in academia Roſtochienſi vide apud LINDENBERG. *chron. Roſtoch. L. 5. c. 8.* POSSEL. *orat. de urbe Roſtoch.* & ex inſtituto SEBAST. BACKMEISTER *in antiquitat. Roſtoch. MSct. P. I. c. 6.*

Quod in reſidentiam academicorum mutatum.

Recenſio reſidentiarum Roſtochienſium.

Quid Burſa & Burſarii?

ſcientia & memoria *antiquitatum Græcarum & Latinarum*, quibus non tinctus, ſed plane merſus adeo videtur, ut ubique iis arva patriæ non dicam irrigaverit, ſed corruperit confuderitque magis quam nutriverit & fœcundarit. Equidem in Annalium præfatione circa finem ſincere aſſerit, nihil ſe in iis commemoraſſe, *niſi quorum teſtis fuerit oculatus, & præter ea, quæ ex monumentis fidiſſimis transſcripſerit;* ſed negandum tamen non eſt, quod ultra fidem paucorum veterum Chronicorum haud perrexerit, nec ipſi licuerit ita eſſe felicem, ut ſelectiora hiſtoriarum Megapoleos monumenta, chartularia, diplomataria, archiva & monaſteria, copia rerum diplomaticarum inſtructa conſulere, pluraque domeſtica præſidia hiſtoriarum in uſum recte convertere potuerit. Inde eſt, quod in Mareſchalci ſcriptis multa ſint lacunoſa, nec ordinate ſatis ac circumſpecte ſcripta, multa inprimis fabuloſa, ex Aſiæ Græciæque oris & cimmeriis tenebris, ex commentis veterum autorum ſuppoſititiæ vel ſubleſtæ fidei, *Annio Viterbienſi & Beroſo Babylonio* repetita, multa etiam ſine fide & autoritate ex ingenio addita & plura in originibus gentium & proſapiæ Mecklenburgicæ, in chronologicis, heraldicis & antiquitatibus hiſtoricis reſperſa nævis & erroribus. Dicendi genere præterea utitur ſubobſcuro ac barbaro, & in cogendis ex Græco in latinum ſermonem vocibus adeo eſt licentioſus & difficilis, ut vel peritiores indigeant divinandi artificio & Oedipo. Quod idem dicendum de ipſius etymologiis, coactis ſæpius ac qualitati vocum rerumque adeo discordibus, ut a nemine niſi a Mareſchalco conciliari queant & vel Catoni αγελαςω ſplenem concitent. Hæc tamen omnia nec quicquam officiunt ipſius laudi atque elogiis, quibus merito ſuo floruit ac ab ipſo principe ac clariſſimis Viris (*g*) MEIBOMIO, SCHVRTZFLEISCHIO, STRVVIO aliisque mactatur. Nec tam Mareſchalci, quam aliorum, quos ſecutus eſt, culpæ, ſeculique inculti, nedum hiſtoriarum lumine ſat colluſtrati fatis tribui merentur annalium rerumque hiſtoricarum ipſius ſolœciſmi. Etenim certe ita verſatus eſt in campo Hiſtoriæ Megapolitanæ, patentiſſimo quidem ſed inpervio, ut operis & lucernis non pepercerit, ſibique adeo famam, hiſtoriæ vero patriæ lucem & gloriam circumfuderit, ut Seculi XVI. & XVII. ſcriptores hiſtorici & genealogici plures, WOLFGANGVS LAZIVS, SEBAST. MÜN-

Fides.

Nævi & defectus ſcriptorum.

Laudes

Autoritas apud Hiſtoricos.

(*g*) Epitaphium & honoris monumentum, quod a Duce Henrico in templo Dobberanenſi poſitum ipſi fuit, legitur apud NATHAN. CHYTRAEVM *in deliciis variorum in Europa itinerum & inſcriptionum monumentorum ed. Herbornæ Naſſoviorum a. 1594. p. 498.* A MEIBOMIO *in introduct. ad hiſt. Sax. inf. p. 105.* Vir doctus dicitur cujus *Annales mercantur legi, utut Crantzianis non comparandi.* Accedit SCHVRTZFLEISCHIVS *diſſ. de reb. Mecklenb. §. 7. p. 5. 6. Nicolaus Mareſchalcus, quo nemo diligentius res patrias perveſtigavit, ex vetuſtiſſima Anthyrii ſtirpe originem principum arceſſit, nec propterea tamen detraham de ſumma eruditione meritisque ipſius, quippe excuſandi, quum illa ultima & fabulis involuta reſpexit, in ceteris ubi tabulas & monumenta uſurpavit magnopere eſt laudandus.* Idem *in Diſput. de originib.* POMERAN. §. 4. Annalibus Mareſchalci elogium tribuit quod multum curæ laborisque cum iudicio ſuſcepti præ ſe ferant. Nec diſſentiunt STRVVIVS *Biblioth. hiſtor. p. 549.* SPENERVS *opere Herald.* HENNINGESIVS & plures, qui in Genealogicis ipſius vitulo arva ſubigunt.

Ducis epitaphium Mareſchalco poſitum. Judicium Meibomii, Schurtzfleiſchii aliorumque.

MÜNSTERVS, ELIAS REVSNERVS, HIERON. HENNINGESIVS, IO. POSSELIVS, BOCERVS, SIMONIVS, BODOCKIVS, STVRCIVS, LINDEBERGIVS aliique recentiores, viam, quam pandere cœperat, insecuti fuerint, ejusque araverint vitulis & laboribus subvecti. Ast præcipuam fere industriam Mareschalcus impendisse videtur libris VII. qui nunc resurgunt *Annalium Herulorum & Vandalorum*, ab originibus eorum usque ad Henricum cognomine Pacificum, in cujus vita Iuvenili *a. MDXXI.* substitit, productis. Addidimus iis etymologica quædam & nominum Vandalicorum expositiones; subobscurum vero dicendi genus olim otia ELIAE SCHEDII provocavit, cui a plerisque (*h*) Annalium versio Germanica hactenus inedita tribuitur. Idem glossarium exiguum instar illustrationis Annalibus adjecit, supplementum etiam annalium condidit, quod deinde in *opere genealogico & historico principum Mecklenburgensium* perpolivit numerisque omnibus studiose absolvit. Laudanda est singularis industria viri juvenis anno 1615. Cadæ Bohemorum nati, acerba cum patre (*i*) ferentis fata, sed erectiori indole atque animo, doctrina & scriptis commendati, felicibusque istis ingeniis, quæ præcocium nomine collaudantur, merito accensendi. In Iuventute enim miranda litterarum incrementa fecit, & duodecimum annum ætatis agens, latina & græca carmina scitissime condidit, pariter & orationes in utraque lingua scripsit, insignem inde eruditorum referens applausum. Anno ætatis XIV. Iliadem *Dictys Cretensis* & *Daretis Phrygii XIV.* exilium *Diomedis* XXIV. libris, bellum *Judaicum VI.* carmine heroico absolvit & paulo post *Arati* phœnomena latino carmine expressa luci exposuit. In Athenis Rostochiensium anno ætatis XVIII. lauream Poeticam accepit *a. 1632.* & ex itineribus redux *a. 1635.* jurisprudentiæ studio cum antiquitatum & historiarum cognitione arctissimo nexu cohærenti, strenue adeo operam navavit, ut *ideam boni principis seu Davidis Regis Hebræorum vitam* XI. libris comprehensam historica ratione conscripserit, præcipue vero in res patriæ consignandas Principumque, quorum alumnus erat, stirpes ab origine deducendas animum adcinxerit. Cui instituto ut satisfaceret, veterum historicorum monumentis diligenter excussis, historiam Genealogicam (*k*) tribus libris Germa-

III. Eliæ Schedii Additamentum ad Annales Mareschalci.

Autoris fata.

Ingenium præcox & scripta.

De interprete Germ. annalium Mareschalci.

(*h*) Sed fide GVNTHERI *a* PASSAW, qui *ad Reversales Mecklenb.* Commentarium & *de jure patronatus in Ducatu Mecklenb.* Opusculum utrumque MSCtum reliquit, autor versionis est LEVINVS HINR. *de* LINSTOW, eques *Mecklenburgicus*. Quisquis demum vere Mareschalci interpres sit, id satis constat eum interpretis officio perfunctorie saltim præfuisse, dum audacius multa expressit, nec satis emaculata & curata ubique dictione usus.

Merita Schediorum.

(*i*) *M. Georgio* SCHEDIO Scholæ ibidem moderatore, ob religionis amorem a. 1622. exule, Butzovienſis deinde scholæ & demum Gustrovienſis Gymnasii in Megapoli Rectore. De cujus & filii vita & meritis testantur *Aræ familiæ Schediorum a. 1647. editæ*, quibus inserta sunt plurium amicorum & litteratorum in filium epicedia, præcipue vita & *memoria Eliæ* SCHEDII conscripta a STEPHANO HANE, templi Cathedralis *Gustrovienſis Ecclesiaste.*

Schedii Archiscytia Mecklenburgica.

(*k*) Cui titulum fecit: *Beschreibung der Thaten der Archiscytischen und Obotritischen Könige und Regenten in Mecklenburg.* Quod opus dignitate sua & industria nitet, sed conjecturis, digressionibus & alienis abundat, ac primo præcipue Libro antiquitatum nebulis tumet. Ut, si ad quod aliud, ad hoc certe Schedii scriptum spectare videatur THOMASII judicium, *quod Sche-*

manica lingua ſcriptis efformavit hoc ordine, ut *primus* Archireges a Noæ poſteris usque ad Antyrium ſiſteret, *ſecundus* Reges ab Antyrio ad ultimum usque Pribislaum II. una cum rebus Genſerici, Honorii, Guntamundi, Thraſimundi, Hilderici, & Guilimeri in Hiſpania & Africa fortiter geſtis, *tertius* denique Dynaſtarum & Ducum Mecklenburgenſium vitas & facta complecteretur. Quo opere multæ molis & ſatis negotioſo abſoluto, ad aliud *de Diis veterum Germanorum, Gallorum, Brittannorum, Vandalorumque* argumentum æque operoſum & non minori caligine obſeptum, curam omnem addixit, eodemque fere tempore, hanc Mareſchalci verſionem ejusque additamentum forte ſcripſit, demumque *Hiſtoriam* ANTHYRII *verſibus Alexandrinis Germanicis in modum Rulandi furentis contexuit* & *XXIV. cantilenis* incluſit, linguæ & Poeſeos vernaculæ dignitate & cultu præcipue allectus, & delectatus. Reliquit præterea alia (*l*) diligentiæ monumenta ſcite elaborata vel affecta, quibus quidem ultimam manum haud admovit, præmatura quippe morte a. 1641. extinctus, cum vix attigiſſet annum ætatis *vigeſimum ſextum* præcocibus & Poetis, ut TAVBMANNVS *ad Douſam* vates cecinit, maxime ominoſum. Si quæ igitur in ipſius Scriptis rerum Mecklenburgenſium occurrunt non ſatis curate dicta vel exaſciate tradita, hæc condonanda facile erunt ſcriptori, cui inter varia ſtudia & itinera litteraria & academica diſtracto, vix quadriennii ſpatium relictum fuit impendendum Muſis & elucubrationibus. Sed & ipſe Mareſchalcus Annalium ſuorum interpres dicendus eſt ideo, quia a VALENTINO STOIENTINO provocatus, vocibus, quæ in Annalium libris cumulate occurrunt Græco-barbaris obſcuræ & difficilis explicationis lucem & faculas addere ſtuduit in *commentariolo annalium Herulorum*, quem numero IV. ſubjunximus. Præcipuam vero quandam laudem ſibi conciliarunt SEBASTIANVS BACKMEISTERVS Miniſter quondam Eccleſiæ oppidi Travemundæ, & filius IOANNES BACKMEISTERVS, Medicinæ D. & Profeſſor *Tubingenſis, Conſiliarius & Archiater Bado-Durlacenſis, meritis in rempublicam & litterariam clariſſimus*, quorum operis & curis acceptos referimus *Annales Mareſchalci adauctos & ad noviſſimum uſque ævum, Ducis glo-*

Præcipua hiſtorica Mecklenburgica.

Obitus præmaturus.

IV. Mareſchalci Commentariolus in Annalium vocabula obſcuriora.

V. Sebaſt. Backmeiſteri continuatio Annal. MARESCHALCI.

VI. Io. Backmeiſteri Animadverſiones in eosdem Annales.

Schedius nimium indulſerit rebus alienis & evagationibus. BIBLIOTH. THOMASIANA *T. I. p. 52. ſq.* Addendum tamen eſt, quod ipſum hoc tædium, obſervationum copia & præſtantia haud difficulter detergatur & compenſetur, judice FABRICIO *ad Schedii de Diis Germanorum Libellum, notis M.* IO. IARCKII *illuſtratum præfatione.*

(*l*) Quorum hanc ſeriem habe: *Accipanda tragœdia vario carminum genere: Silva carminum latinorum, germanorum, gallorum: Diſcurſus de aſtris heroico carmine: Franceis XII. libris eodem metri genere abſolutiſſimum opus: Lacrymæ in honorem æternitatis carmine heroico: Sonnettæ 500. ex latinis & græcis item Heinſii & aliorum Poetarum ſcriptis depromtæ & puritate germanica donatæ rythmis incluſæ: Parodiæ ſacræ ex odis Horatii & Catulli, materia ſacra exhibita, extractæ: Duo hymni in feſtum, quod Nativitati Chriſti ſacrum eſt: Hymnus Veneris in Vernacula, cum commentariis ex variis græcis & latinis autoribus: Diſputationes de patria poteſtate, de Imperii Romano-Germanici politica ſive jure publico, & ſciagraphia univerſi juris feudalis ſub præſidiis* REINHOLDI DERSCHOVII & WILH. WITZENDORFFI in Academia quæ Regiomonti floret a. 1639. ventilatæ. Circumfertur etiam ſub ipſius nomine opuſculum Choro- & topographicum manuſcriptum, cujus titulus: *Von den incorporirten Landen Mecklenburgs.* Quod excerptum eſt ex Libro III. operis Genealogici ſupra laudati.

Series ſcriptorum Schedii.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

glorioſiſſimi FRIDERICI WILHELMI obitum *continuatos* non ſolum, ſed etiam *dilucidatos & animadverſionibus* lucernam olentibus *expoſitos & locupletatos*, ineditos hucusque multumque deſideratos. Succedit his annalium continuationibus & interpretibus ipſe iterum MARESCHALCVS, cui e re eſſe viſum fuit, annales latine ſcriptos opuſculo vernaculo poetico illuſtrare, adeoque quod ſoluto ſermoni defuit, in ligato repenſare. Fecit ſcripto V. libris abſoluto Titulum: *Chronicon rhythmicum de Regentibus Obotritarum:* & poſt præmiſſa XV. capita generaliora denuo hanc addidit notulam & inſcriptionem: *Incipiunt nunc* VITAE *Regum Obotritarum & Principum Megapolenſium* (*m*). Inde eſt, quod vulgo hoc ſcriptum venire ſoleat ſub nomine *Vitarum Obotritarum*, a quibus tamen integris paraſangis diſtat. Scriptæ enim ſunt vitæ Obotritarum ſoluto eoque latino ſermone, uberiori etiam Commentario conſpicuæ, & ſi bina, quæ fatis erepta ſunt, authentica volumina inſpexeris, Regum Reginarumque Obotritarum imaginibus, veſtitibus, armis, ornamentis & inſignibus in membrana deſcriptis, mirifice illuminatæ, quas quidem Tomo II. monumentorum dicavimus. Chronicon vero, quod e caligine in diem hoc loco protrahitur, Vitarum Obotritarum epitome eſt ac breviarium; haud paucis tamen ſelectioribus argumentis novisque rerum & ſpecialioribus factorum circumſtantiis, quæ fruſtra in Annalibus & Vitis Obotritarum quæruntur, ditatum atque refertum. Pauculas his de derivatione & ſignificatu vocum obſoletarum adjecimus conjecturas atque opiniones. Ab antiquitatibus rerumque geſtarum memoriis tranſeundum nunc eſt ad Leges Juriumque præſidia & adjumenta. Quæ enim diu quæſita & expetita fuerunt Commentaria *Juris provincialis Mecklenburgici*, a præſtantiſſimo Viro, doctrina, probitate, judicio, rerumque Legalium & Judicialium peritia inſtructiſſimo DAVIDE MEVIO dogmatica ratione congeſta; illa ex authentico codice ſollicitius deſcripta, publico & communi uſui noluimus invidere. Cauſa, quæ ad occupandam hanc Jurisprudentiæ provincialis ſpartam Jurisconſultiſſimum Mevium impulit, publicum & commune fuit deſiderium, patriæ rationibus innixum. Diutius enim utiliſſimum hoc inſtitutum inter deſiderata publica relatum & ipſis Ducibus *Adolpho Friderico & Ioanni Alberto II.* probatum adeo fuerat, ut *in Reverſu aſſecurationis de anno 1621. §. 36.* ſpem fecerint de conferendis cum ordine nobilium conſiliis & publicando in vernacula *Codice Juris provincialis Mecklenburgici* in uſum Forenſem & publicum judiciorum. Fatale vero, quod plura utilia ſuffocavit, bellum tricennale maxime in cauſa eſt, quod nobiliſſimum hoc Principe & Legislatore ſapienti digniſſimum argumentum ſucceſſu deſtitutum fuerit. Cui & poſtea

VII. Nicolai Mareſchalci Chronicon de Regentibus Obotritarum rhythmicum.

A Libro de Vitis Obotritarum diverſum.

VIII. David Mevii Jus Provinciale Mecklenburgicum.

Ratio hujus inſtituti hiſtorica & impulſiva.

(*m*) Item in præfatione ad librum II. ubi poeta:

Wiewol ich in den erſten Buch eben,
Beſchrieben der OBETRITEN *Leben.*

Sub quo elogio citatur a BOCERO, HENNINGESIO, LINDEBERGIO *Chron. Roſt. p. 22. 23. 26. 34. ſeqq.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

poſtea moram injecerunt alia impedimenta, de quibus tollendis Principes anno 1661. 1675. & 1685. cogitaſſe, plura teſtantur documenta & ipſa Ducalis ſententia (*n*), ad ſollicitationes & gravamina ordinum provincialium anno 1685. emanata in hunc modum concepta *ad gravamen polit. I.: Daſs Se. Durchlaucht. nicht ermangeln würden, das exhibirte Concept eines Lehn-Rechts* (*o*) *mit denen dabey von Ritter und Landſchafft angemerckten unvergreifflichen Notis zu revidiren, und innerhalb der nächſten zwey Jahren zur Publication zu befördern, auch innerhalb folgenden andern zwey Jahren ein Teutſches* LAND-RECHT *nach Innhalt der Reverſalien verfertigen zu laſſen, und beydes ante publicationem einigen Deputatis vom R. und L. zu communiciren, jedoch an Dero hohen Jure ſtatuendi unpræjudicirlich.* Utrumque tamen & *Juris feudalis & provincialis* inſtitutum LEGISLATORIVM optato effectu omni caruit; ut inde demum negotii hujus tantopere laudati, ſed ob molem cauſarum neglecti ſæpe vel ſepoſiti dignitas pluriumque deſiderium celeberrimum *Mevium* incitaverit ad concinnandum cura privata & dogmatica Codicem juris provincialis Mecklenburgici. Haud quidem rem omnem acu tetigit inque lucem omnia ita conſtituit, ut nihil demi, nihilque addi queat emendatius; multa etiam fateor ex penu Juris Romani, eadem, qua in Commentario Juris Lubecenſis uſus eſt, methodo, Juri patrio Germanico intulit adſuitque quaſi inſtar illuſtrationis & ſupplementi; rem tamen fecit polivitque arduam, eamque uſui adaptavit, a rerum ordine & apparatu doctrinarum cum civilium tum feudalium commendabilem, dignam omnino, quæ ſolertius expendatur curisque ſecundis reviſorum illuminetur & publica demum muniatur autoritate Legumque vi & effectibus Jurium & Judiciorum

Lauder operis.

(*n*) Quæ adjuncta eſt *Receſſui de a. MDCCI.*

(*o*) Quæ juris feudalis Mecklenburgici Sciagraphia, COTHMANNIANA vulgo dicitur, quam *Dux Ulricus* cum ordinibus provincialibus, ut eorum monita provocaret, communicavit a. 1602. Reſcriptum hoc Ducale & ipſam delineationem juris feudalis Mecklenburgici cum notis & monitis provincialium ad plerosque articulos, ut & Ducis Friderici Wilhelmi mandatum pœnale a. 1704. de non alleganda hac juris delineatione in judiciis exhibuerunt LVNIGIVS *corp. jur. feud germ. T. II. p. 1583. - 1643.* & TORNOVIVS *in commentar. de feudis Mecklenburgicis.* Sed jam antea VLRICVM *Ducem* publicando juri feudali intentum fuiſſe docent ipſius quæſtiones XXVIII. feudales ordini nobilium a. 1581. propoſitæ & cum hujus ad eas reſponſionibus traditæ in curam & uſum HENRICI HVSANI *Cancellarii*, in inſtruenda conſvetudinum feudalium epitome occupati. Quam etiam LVI. capitibus ſeu articulis abſolutam eodem anno obtulit glorioſiſſimo Duci, cui e re tamen viſum fuit, ſuper eandem requirere votum & reſponſum ICti Wittebergenſis, qui Iuris Romani peritia quidem tunc inclaruerat, D. MATTHAEI WESENBECCII. In cujus reſponſiuncula data Wittebergæ d. 7. Ian. a. 1582. & cum HVSANI delineatione eodem anno typis vulgata hæc habentur verba: *Habe die Lehns-Artickul etliche mal überleſen; befinde ſie wohl und vernünftig denen Lehn-Rechten nach* (Longobardica intelligit præcipue) *geſtellet; wolte Gott daſs wie in Dännemarck, Franckreich, Niederland und anderswo, alſo auch ferner die Lehngüter zum Allodio, wie von anfangs, wiederkommen möchten, ſo würden Witwen und Wayſen bevorab weiblichen geſchlechts deſtoweniger zu ſeufzen haben, jedoch ſind die Töchter einigermaſſen in den Mecklenb. Landen beſſer bedacht, denn ſonſten der Orten, da die Lehnrecht gebräuchlich.* Quibus rationibus de reducendis feudis in allodia, robora & principia plura patriæ hiſtoriæ & juris clientelaris deſunt, repetenda ex ſcriptis ICtorum, qui peculiari ſtudio argumentum hoc *von Vererbung der Lehen* noſtro ævo ſcrutati ſunt, præcipue LVDEWIGIVS *ad A. B. T. II. p. 1006. ſq.* Ceterum HVSANI compendiolum denuo COTHMANNVM revidiſſe eoque *in concinnandis juris feudalis articulis* uſum fuiſſe docet inſpectio & TORNOVIVS *c. l. p. 143.*

Sciagraphia Juris feudalis Mecklenburgici.

Weſenbecii de hac judicium.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

rum corroboretur. Equidem eorum, qui publicationi Juris Patrii Provincialis & Meviano operi haud bene precari ſolent communis aſſertio & oppoſitio hæc eſt: *quod opus illud laboret reſtrictiori dictione nec caſus in foro controverſos omnes exhauriat;* ſed huic, ſi quod eſt vitio, medela facile puto afferri poterit curis recognitorum & prudentia ipſa Legislatoria, non quidem defixa in Legibus prolixis & copia vaſtis, ſed recte occupata in conſtituendis Legibus ſolidioribus, ſaluti, indoli & rationibus Reipublicæ convenientibus, etſi paucis, perſpicuis tamen, utilibus, pragmaticis, adæquatis & ad caſus obvenientes prona ratione, æquitate & analogia Juris applicandis. Et ubi terrarum demum reperire licet codicem Juris, tot Legibus ſpecialiſſimis refertum, ut omnibus & ſingulis litibus ſopiendis ſufficiat, rerumque circumſtantias innumeras, judicantium ceteroquin prudentiæ relictas, exhauriat. Laudatiſſimum certe, cui rerum tantum non omnium conſummatio ineſſe vulgo creditur IVS ROMANVM, mancum eſt, & in ipſa Republica *Romana* lacunoſum, in *Germanica* vero plane inſufficiens, cum quotidie in foris noſtris obveniant caſus, controverſiæ & argumenta (*p*), de quibus ne veſtigium quidem exſtat in univerſo Jure civili Romano. Quicquid vero ſit, haud probabitur juſtis rerum patriæ æſtimatoribus, opinio eorum, qui utiliſſimo inſtituto mox dicam ſcribendam & confidenter duntaxat acquieſcendum eſſe putant in Legibus hucusque latis provincialibus, Jure recepto Romano & Longobardico, demumque in præjudiciis, opinionibus Doctorum communibus arbitrioque & determinatione judicantium. De quorum quidem erroribus & fallaciis in tanta, quam noſtris temporibus Jurisprudentia Germanica nacta eſt, luce manifeſtiſſimis, non refert plura recitare. Subjunximus Meviano ſcripto pauculas, quæ conſiliarium quondam intimum illuſtrem HAHNIVM autorem agnoſcunt obſervatiunculas, curamque adhibituri ſumus, ut uberiores laudati Meviani operis annotationes & Commentarii ex amplo Jureconſulti & practici olim ſolertiſſimi opere MScto adhuc ſeligantur (*q*) & communis uſus fiant propediem.

Ejusque vindiciæ cenſoribus oppoſitæ.

IX. HAHNII Notulæ in Mevii jus provinciale.

Aliorumque operæ.

Spes

Argumenta de inſufficientia juris Rom. in foris Germaniæ. De Anonymi Commentario in Mevii jus provinciale Mecklenb.

(*p*) Qualia ſunt jura *domanialia*, *regalia*, *fiſcalina*, *georgica*, *Nobilium*, *villicorum*, *jurisdictionis patrimonialis*, *hominum propriorum*, *venationum*, *pertinentiarum*, *retractus gentilitii* & plura alia juris germanici communis particularis & ſtatutarii argumenta.

(*q*) Refertum enim eſt cumulo legum Romanarum & quæ ex iisdem fontibus deductæ ſunt, ampliationum & teſtimoniorum Doctorum. Quæ tamen nec quicquam faciunt ad explicandas juris *germanici & domeſtici* doctrinas, *ex patriæ quippe rationibus & originariis principiis hiſtoricis & legalibus* dilucidandas. Inſcriptio codicis hujus manuſcripti haec eſt: *Diſcurſuum practico juridicorum ad textum juris provincialis Mecklenburgici a D. Mevio exempli loco delineati, nondum autem publica promulgatione vigorem pragmaticæ ſanctionis nacti, ſpecimina XXII. in quibus præter ſolidam juris communis explicationem in ſpecie jura Megapolenſia & Pomeranica tam civilia quam feudalia, facta locis convenientibus vicinorum jurium collatione enucleantur ac maxima ex parte ſingulæ materiæ ex profeſſo & practice diſcutiuntur, adeo ut controverſæ doctorum opiniones in hac legali facultate circa practicas & genericas quæſtiones introductæ, per varias caſuum diſtinctiones, ſublatis æquivocis, ſolidis rationibus tollantur & concilientur.* In præfatione operis *de inſufficientia delineationis Mevianæ* ita diſſerit: *Licet autem illud jus provinciale ad Doctorum opiniones & controverſias ſopiendas omnino inſufficiens exiſtat, uti ex noſtris lucubrationibus, ubi plerumque judicis arbitrium circa dubias quæſtiones inſinuavimus, latius apparebit. Hiſce tamen non obſtantibus præſens hoc Mevii projectum ſua non deſtitueretur uti-*

Spes etiam eſt, fore, ut GVSTAVI ADOLPHI KVRTZII eruditæ commentationes *in capita quæ in Meviano Jure provinciali occurrunt* FEVDALIA in lucem brevi prodeant, & haud deſint patriæ Jurium cultores, qui hoc Juris provincialis & feudalis argumentum ab HVSANO, COTHMANNO, MEVIO delineari cœptum, ulterius perducant illudque ex primis, adæquatis & genuinis principiis liment, ex conſtitutionibus, ordinationibus, Tranſactionibus, Reverſalibus, reſolutionibus, Juribusque & rationibus ſingularibus patriæ, ex annalibus Hiſtoricis, actis provincialibus, chartis, Diplomatibus, litterisque feudalibus, placitis antiquis & ſtatutis, obſervantiis quoque & moribus domeſticis perpoliant, & in auxilium vocatis vicinarum regionum inſtitutis (*r*), Germanorumque Jurium & Hiſtoriarum præſidiis & rationibus demum perficiant, juſtumque proinde opus utrumque, tam *feudale* quam *civile*, reddant abſolutiſſimum. Quibus laboribus benigna auſpicia & fauſtiſſima fata apprecamur, ut publicum ac commune bonum augeatur & cuique ſuum facilius & felicius diſpenſetur, præcipue perturbationibus, ex Juris Romani & Longobardici in cauſis patriis abuſu oriundis, obex figatur, adeoque in curiis civilibus & feudalibus ſtatera ponatur legalis & perennis, quam nefas eſt tranſilire. *Et deſiderata.*

Inſequitur inter monumenta MORHOFIANVM *opuſculum de Gente Brocktorfia* non operoſum nec exaſciatum; ſed vel ob hujus generis ſcriptorum penuriam, vel nominis, quo auctor olim inclaruit, famam forte dignum, quod tenebris ſubtrahatur. Et quotusquisque quæſo eſt, quem fugiat, quantum lucis Hiſtoriæ provin- *X. Georgii Morhofii argumentum de gente Brocktorfia.*

---

utilitate, ſi modo per publicam promulgationem in avthenticam Legem abiiſſet, quod, cum factum non ſit inde quoque non majorem habebit autoritatem, quam alterius priuati ICti, quare etiam in nonnullis quæſtionibus ab eo receſſum fecimus, quatenus illud vel praxis vel ſanior juris ratio poſtulavit. In epilogo vero, quem *ſpecimini II. ad Titulum II. P. I. de parentibus & liberis* adjecit, plenior eſt in eadem epicriſi: *epilogi* inquit, *loco monendum duxi* (1) *jus hoc provinciale Mecklenb. delineatum ad omnes cauſas in foro decidendas haud ſufficere, ſed judicis arbitrio ac deciſioni, ex ratione naturali, juribus communibus, nec non facti cujusvis circumſtantiis deſumendæ, majorem partem relictam eſſe.* (2) *Nec idem hoc jus quæſtiones in foro controverſas determinare poſſe per regulam in abſtracto & uniformiter poſitam cuilibet conſtabit. Controverſæ enim Doctorum opiniones verſantur circa quæſtiones practicas & genericas, quæ plures ſub ſe comprehendunt caſus, ſicque potius facti ſunt, quam juris, ex individuorum caſuum particularibus circumſtantiis, prudentis judicis arbitrio metiendis determinandæ, illud autem, quod ex facto demum deciſionem recipit, nunquam juris regulam in abſtracto poſitam admittit. Quando igitur B. Mevius in præfatione contrarium ſtatuit, in eo communem ſecutus eſt errorem.* Reliquam philoſophiam Commentatoris taceo. Cujus ſpecimina deſinunt *in parte II. operis Meviani tit. XI.*

(*r*) Præcipue Pomeraniæ, cujus feudorum indolem deſcribunt SAM. STRYKIVS *exercitatione de feudis pomeranicis a. 1679. edita* & MEVIVS *in dem rechtlichen Bedencken von der Pommerſchen Lehngüter eigenſchafft und wie weit dieſelbe mit der lehnleute ſchulden können beſchwert werden*, apud LVNIGIVM *Corp. jur. feud. T. 2. p. 1478 - 1542.* Quod argumentum idem ex inſtituto tractavit in *Delineatione juris feudalis Pomeranici adhuc inedita;* quæ tamen affecta ſaltim in ſchedis deliteſcit. Pertinent huc *ſyndici* CAROCII, FRIDERICI & HENNINGII GERDESII, AD. TRAMPII, IAC. STYPMANNI, BALTH. CHARISII aliorumque ſcripta feudalia pomeranica, pleraque manuſcripta. Quibus omnibus palmam præripuit CONR. FRIDLIB *a* FRIEDENSBERG *in jure feudali Pomeranico veteri & novo, ex vetuſtis provincialibus privilegiis, receſſibus, actis, concluſis, ducalibus & regiis ordinationibus & reſolutionibus congeſto & cum jure Longobardico collato:* Digno omnino, quod ex latentibus ſcriniis in publicum uſum protrahatur. *Scriptores juris feudalis Pomeranici.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vinciali fœneretur cognitio familiarum virorumque nobilitate & præclaris factis in patria illuſtrium, quorum quippe originibus, proſapia, fatis, inſtitutis rebusque in toga & ſaga geſtis plura ſæpius antiquitatum momenta & argumenta hiſtorica omnis ævi & generis in lucem vindicantur & emendantur, genealogica præcipue, feudalia & Eccleſiaſtica. Nec vero adeo multi ſunt qui huic rei operam navarunt, ut omnia hic exhauſta arbitreris, cum plurima inculta potius jaceant & fata meliora expectent. In Holſatia præter ELVERFELDIVM, ANGELVM, HENNINGESIVM, ADAMI & paucos alios ſupra laudatos, vel ſoli ſunt DANCKWERTHVS (*s*), SPANGENBERGIVS (*t*), IO. DAN. EBERVS (*u*) & WEIDEMANNVS (*v*), qui ſpartæ huic ornamenti & incrementi aliquid attulerunt. Nec vicinis regionibus eſſe licuit felicioribus, utpote quæ his ſyrtibus hærentes, vindice & ſtatoribus deſtituuntur, vel inſtructæ quidem ſunt ſcriptoribus rerum patriæ, ſed iis, quorum ſcrinia vel cum blattis colluctantur vel in carceribus privatorum deliteſcunt. Pertinent fere huc apud *Brunſvicenſes & Luneburgenſes* ſcripta IO. LEZNERI (*w*), IO. FRID. PFEFFINGERI (*x*); apud Pomeranos FRIEDENSBERGII (*y*), & ELZOVII (*z*), & apud Megapolitanos LATOMI (*a*), HOININGS-

Uſus hiſtoriæ gentilitiæ ejusque ſcriptores.

Apud Holſatos.

Brunſvicenſes & Megapolenſes.

Studium in hoc argumento Danckwerthi.

(*s*) *In opere Chorographico Holſat. P. I. c. 3. ibique p. 19. ſqq. index familiarum Cimbriæ emortuarum.* Idem *genealogias familiarum ſpeciales & recentiores earumque prædia* perſecutus eſt *c. I. P. 2. & 3.*

(*t*) *Speculo nobilitatis P. I. L. VII. c. 18.*

Eberi. Sperlingii.

(*u*) *In genealogia nobilium de Thienen, Kilonii a. 1670. excuſa.* Promiſit idem *integrum de omnibus familiis Holſatiæ Nobilium opus genealogicum.* In quo inſtituto deſudaſſe etiam OTT. SPERLINGIVM & DETL. MARCVM FRISIVM, teſtis eſt MÖLLERVS *Iſag. P. I. p. 211.* Nuper de utilitate hujus argumenti diſſeruit illudque evolvendum in ſe recepit AD. HENR. LACKMANNVS *P. I. introd. in Hiſt. Sleſv. Holſat. p. 416.*

Weidemanni.

(*v*) *In tabulis progonologicis nobilium Holſatorum & in easdem introductione hiſtorica generali.* Quod ſcriptum ineditum eſt & laudatur ab AMTHORIO *in dem hiſtor. Bericht von dem Zuſtand der Schleſv. Holſt. Ritterſchafft ed. a. 1714. p. 5.*

Lezneri.

(*w*) Cujus tam impreſſa quam manuſcripta huc facientia recenſet D. IOACH. MEIER *in originibus & antiquitatibus Pleſſenſibus, præf.*

Pfeffingeri.

(*x*) Qui *Hiſtoriam nobilium & illuſtrium familiarum Luneburgenſium in XIII. Voluminibus MSC.* congeſſit, & documentis, diplomatibus & obſervationibus illuſtravit. Ex quibus *junior* IO. FRID. PFEFFINGERVS multa depromſit & *hiſtoriæ Brunſvico-Luneburgenſis germanice ab ipſo editæ* inſeruit. Plura vide apud DAN. EBERH. BARING *in Clave diplom. inter ſcriptores rei diplomat. p. 54.*

Fridensbergii.

(*y*) Cujus in MS Cto latet *hiſtoria & genealogia Ducum & Succeſſorum, item Vaſallorum Pomeraniæ cum enarratione vitarum eorundem & meritorum.* Cui vaſto operi ſubjunxit *Geſchlecht-Regiſter der verſtorbenen und noch lebenden Vaſallen in Vor-und Hinter-Pommern nach Anleitung Mart. Rangonis, Pauli Friedeborni, Io. Micrælii & aliorum.*

Elzovii.

(*z*) Sub cujus nomine circumfertur manuſcriptum: *Geſchlechts-Beſchreibung der Adel. Pommerſchen Familien.*

Latomi.

(*a*) *Beſchreibung und Stamm-Regiſter aller ausgeſtorbenen und noch lebenden adelichen und rittermäſſigen im Lande zu Stargard eingeſeſſenen Geſchlechter.* Quod ſcriptum LATOMI alias *Steinmetzii*, editum eſt ab ipſius heredibus *Stetini a. 1619. 4.* ſed tertia ſeu ultima ſaltim pars eſt operis majoris, cujus prima & ſecunda pars complexa eſt familias in tractu *Mecklenburgico & Henetico.* Quæ utraque in publicum nondum eſt emiſſa. Spectat huc quoque GEO. RIXNERI *Deſcriptio inſignium Nobilium Mecklenburgenſium*, cujus avthenticum exemplar ſervatur in archivo Sverinenſi. Confer *inſignia Nobilium Pomeranorum & nonnullorum Megapolenſium, inſerta operi Siebmacheriano ed. a. 1657.*

Rixneri.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

NINGSHVSENII (*b*), PRITZBVRII (*c*), IO. SCHVLTZII (*d*), quorum omnium operas ſuperabit *Dn. de* BAEHR in ampliſſimo, quod meditatur, *opere Hiſtorico Genealogico & Heraldico de familiis nobilium Megapolenſium.*

Illuſtre ſibi nomen conciliavit MELCHIOR GOLDASTVS *ab Haiminsfeld*, Vir præſtantiſſimi ingenii, variæ & exquiſitæ eruditionis, ingentis animi & adſidui laboris, phœnix ſui ipſius ævi, quod litteratos plures vidit, ſed qui eum induſtria æquent, oppido paucos, qui ſuperent neminem (*e*). Teſtantur hoc ſcripta ipſius, non mole ſaltim cumulata, ſed rebus amplificata, cauſis juris publici, hiſtoricis, criticis, etymologicis, litterariis & antiquitatum egregiis argumentis repleta, præcipue actis publicis, chartis & diplomatibus ſtupenda cura & felicitate ex carceribus tabulariorum undique conquiſitis abunde adeo referta & exornata, ut numerum 12000. documentorum egrediantur. Nec eſt, ut cum IACOBO WENCKERO (*f*) & qui eum ſequitur IO. PETRO A LVDEWIG (*g*) opera & collectiones Goldaſti vehementer inſimules ſubleſtæ fidei, ideo quod codicillos & documentorum alteram fere partem ſuſceperit ſine diſcrimine & arte ſecernendi vera a commentitiis; ipſa enim, recte judicante IO. DAV. KOELERO (*h*), bina Goldaſti RATIONALIA, *Tomo II. & IV. Conſtitutionum Imperialium* addita, hujuſmodi incuſationes facile retundunt, & pro ſelectu plurimarum chartarum & fide inventarii Goldaſtiani, utplurimum tabulariis Regiis & illuſtrationibus ſubnixa, oppido militant ac ſunt inſtar vindiciarum; utut negandum non ſit, quod in tanta rerum & documentorum multitudine quædam (*i*) irrepſerunt,

XI. Melch. Goldaſti memoranda vetera Holſatica & Schaumburgica. Laus auctoris.

Qui notatur a Wenckero & Ludewigio.

Sed defenditur & excuſatur.

(*b*) Vicarii quondam præſidis *in judicio provinciali & aulico Mecklenburgico.* Qui omnium fere nobilium patriæ genealogias & merita gentilitia negotioſo *opere hiſtorico de familiis nobilibus Mecklenburgicis* deſcripſit, quod in nonnullis lima quidem & accuratione indiget, ſed dignum tamen quod tenebris eripiatur. *Hoinckhuſenii.*

(*c*) Autoris *indicis conciſi familiarum nobilium Ducatus Megapolitani ordine alphabetico conſcripti & ed. Hafniæ 1722.* *Pritzburii.*

(*d*) Qui ex archivo Sverinenſi *Hiſtoriam familiarum de Pleſſen, Hagen, Negendanck* per modum annalium collegit & plura congeſſit, quibus LATOMI aliorumque curæ reddi poterunt auctiores. Elogio dignum præcipue eſt ANONYMI ſcriptum adhuc ineditum: *Verſuch einer genealogiſchen Beſchreibung der uralten adelichen Ritter und Stifftmäſſigen Familie derer von Pleſſen in Mecklenburg nebſt 5. Stamm-Tafeln mit chronologiſchen und hiſtoriſchen Anmerckungen.* *Schultzii.*

(*e*) AVTOR *des Lettres qui lui ont été ecrits par divers Savans, imprimées Ff. a. 1688.* ECCARD. *Hiſt. Stud. etym. p. 160: Circa annum 1635. gravem jacturam res critica Germanorum patiebatur morte polyhiſtoris eximii Goldaſti, qui non ſolum variis ſcriptis antiquitates, jus publicum remque literariam inſigniter illuſtraverat, ſed facem etiam accenderat linguæ teutonicæ, varia monumenta ſtupenda aſſiduitate colligendo:* SCHELHORNIVS *Amœnit. T. 5. p. 273.* De *Bohemicis, Allemannicis paræneticis* GOLDASTI, uſu & raritate commendabilibus, ſpeciatim diſſeruit SCHMINCKIVS *in præf. ad Bohemica:* AVTOR *Biblioth. Bremenſ. Claſſ. VIII.* IO. HENR. A SEELEN *in memor. Staden. p. 188.* Vitam Goldaſti ejusque ſcripta omnia curate recenſuit AVTOR *Bibl. hiſt. Hamb. cent. VIII. art. 71-100.* *Elogia Literatorum de Goldaſto.*

(*f*) *Apparatu archivor. Obſerv. 9. §. 13. p. 116.*

(*g*) *Præf. ad. reliquias Manuſcript. T. I. p. 77. 97.*

(*h*) *In der kurtzgefaſten und gründlichen Teutſchen Reichshiſtorie* hoc a. edita *in prolegom. §. 25. p. 9.*

(*i*) Qualia ſunt *adulterina Baſilii Imperatoris genealogia, a* PHOTIO, notante MORERO, protruſa; *Annii Viterbienſis* commenta, *fucatus Caroli M. Biographus* TVRPINVS & *ſuppoſititiæ Leges antiquæ*, judicante ABBATE GOTWICENSI viro omnium ſcientiarum co- *de Weſtphal. Monum. inedit. Rer. Germ.* *Errorum Goldaſti exempla.*

runt, quorum fides vacillat, & quæ collectori ingenuo quidem, ſed aliquantulum nimis credulo & Ariadne Critica diplomatica deſtituto, vel ex imperitia vel ex culpa, fraudulenterque & ad fucum faciendum divendita vel transmiſſa fuerunt ab aliis & ab ipſo *Frehero*, a quo ſe deluſum ipſe fatetur *in Rationali altero.* Sicuti vero & noſtra ætate, tot bellis licet diplomaticis exercitata, tot regulis lydiis Criticæ artis omnis ævi inſtructiſſima, in his tamen argumentis plures peccare aliquando & ad lapidem offendere ſoleant; ita nec hodieque prorſus omnes Codices & reliquiæ monumentorum tam genuinæ originis tamque ſubactæ adeo farinæ ac purificatæ glebæ eſſe videntur, ut nihil illis ſpurii & lolii adhæreſcat, eximiæque fertilitatis granis nulli ſilices admixti inveniantur. Facilius igitur condonandæ ſunt veterum aberrationes, & mitius agendum cum Goldaſto, qui, ſi vel operibus curas poſteriores addidiſſet, vel noſtri ævi adjutus fuiſſet præſidiis, omnes procul dubio labeculas ipſe ſuſtuliſſet, & quæ in illis nitent, cultiora reddidiſſet lucidiſſimaque. *Fata Manuſcriptorum Goldaſti.* Et optandum omnino eſſet, ut MSCta ipſius, quorum plurima apud Bremenſes (*k*) aſſervantur, publici juris demum fierent cum ſelectu, nec conderentur adeo inſtar carminum ſibyllinorum. Quod vero hic emergit opuſculum ex avthentico deſumtum eſt, quod ipſe olim manu exaravit obtulitque *Principi* ERNESTO *Schauenburgico*, cui inſerviens Goldaſtus ſexcentis fortunæ fluctibus jactatus, nec paucioribus inimicis quam amicis circumvallatus conſedit demum (*l*) circa ann. 1615. & ſequentes. *Scripti præſentis cauſa.* Enatum autem hoc (*ll*) ipſi ſcriptum eſt ex controverſia Schauenburgica circa idem tempus agitata, quo quippe *Erneſtus Comes Holſatiæ & Scawenburgi, e priſcis* (*m*) *Holſatiæ Comitibus oriundus & Comitatus Pinnebergici Dominus*, ab Imperatore *Ferdinando II. anno 1620.* Principibus Imperii adſcriptus, uti cœpit titulo Principis Holſatiæ, quem contra Rex Daniæ Chriſtianus IV. ex jure ab Ottone III. Comite Schaumburgico conceſſo, Holſaticis tantum Principibus ex Oldenbur-

---

rona condecorato & in diplomaticis rebus ad miraculum usque verſato, *Præfat. ad Chron. T. I. f. VIII.*

De Manuſcriptis Goldaſti votum Ludewigii. (*k*) Teſte KOHLIO *in den Hamb. Ber. a. 1733. ubi p. 362. 411. 520. 600. 776. Goldaſtianorum MSCta LXXI. enumerantur;* & LVDEWIGIO *c. l. p. 77. qui optandum*, inquit, *edi a Bremenſibus, qui Bibliothecam Goldaſtianam redemerunt, nomina eorum, quibus accepta tulerit Goldaſtus ſingula inſtrumenta; fama enim fert, Goldaſtum in ſuo exemplo illa adnotaviſſe ſua manu.* Et ibidem p. 97. *Poſt tria volumina conſtitutionum imperialium plura dicunt ſupereſſe apud Bremenſes, qui poſſident illius omnem librariam ſupellectilem, cujus tamen manuſcripta tegunt conduntque, ne ſalivam moveant potentioribus. Cetera.*

(*l*) Quod patet ex GOLDASTI *paradoxo de honore Medicorum ſcripto ad* HERMANNVM CONERDINGIVM, *Medicum tunc Holſato-Schaumburgicum. Francof. a. 1620.*

(*ll*) Cujus MÖLLERVS *in Iſag. ad hiſt. Cherſ. Cimbr. P. I. p. 153.* meminit ſub titulo: *Schauenburgiſche Deduction und Bericht vom Uhrſprung, Herkommen, Zuſtand und Bewandnis der alten Fürſtlichen Graffſchafft Holſtein.* Sub quo titulo etiam refertur *inter MSCta Goldaſtiana in Bibliotheca Bremenſi aſſervata c. l. n. 7.* Nec quicquam vero de præcipuo hoc opere commemoravit D. HAVBERVS *in recenſione Scriptorum res Schauenburgicas illuſtrantium*, quæ habetur in ipſius *primitiis Schauenburgicis p. 34.*

Origines Comitum Schauenburgenſium. (*m*) HAVBERVS *in originibus Schauenb. c. l. p. 27.* HERM. *de* LERBECK *chron. Schauenb.* apud MEIBOMIVM *T. I. Scriptor rer. Germanicarum p. 494.* ubi in adjectis commentariis de primis comitum Schauenburgenſium natalibus e gente *Walpecenſi & Santerslebenſi* ſtudioſe diſpexit. Addatur chronicon Oſnabrugenſe ERDWINI *apud eundem T. 2. ſcript. rer. Germ. p. 206.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

burgica ſtirpe oriundis, cum ſcriptis tum armis vindicavit; de qua contentione LONDORPIVS (*n*), PFANNERVS (*o*), OLEARIVS (*p*), SPENERVS (*q*), BIERLINGIVS (*r*), LVNIGIVS (*s*) litteras & rationes explanatius conſignarunt. Non vero tam in hac arena Goldaſtus ſubſtitit, quam in inſtruenda hiſtoria publica & territoriali Comitatus Holſatiæ occupatus & adeo largiter verſatus fuit, ut in originem, indolem & ſtatum vetuſti principatus Holſatiæ ſedulo inquiſiverit, de ſuperioritate, libertate, juribus & prærogativis Comitum Holſatiæ avitis & hæreditariis diſpexerit, pluraque argumenta antiquitatum, hiſtoriarum juriumque publicorum ſingularia & alibi fruſtra quæſita ſparſerit circumfuderitque liberali manu induſtriaque & eruditione haud vulgari. Equidem ultra ſepta aliquando proſiliit, & more, publici juris doctoribus veteris ævi admodum ſolemni, argumenta ad probandum ſæpiuſcule ex Anglia, Gallia, Normannia, Britannia & Hiſpania, item ex Legibus civilibus Romanorum conduxit, indeque conſecutionis filum ad jura publica & provincialia Germaniæ trahere ſtuduit; nec de Legibus antiquis Holſatiæ, de Pfaltzgraviatu Holſatiæ ejusque quatuor laudatis officiis, de nomine quoque Ducis, Principis, Nobilis, Comitis & Comitatuum & de Cæſareo reſervato Jure ſuperioritatis in feudis Imperii, æque ac de allodialibus Principatibus ita diſſeruit, ut in iis nil quicquam deſideretur vel expungi & emendari mereatur; ſed ingenuo tamen cenſore & litterarum alumno indigna ſemper res mihi viſa eſt, ob humanos nævos & errores quosdam ſcriptoribus inſultare, & in tanta innumerabilium rerum amplitudine ſtudiorumque fatis, vitæque & mundanorum omnium lubricitate, abſolutiſſima quæque & conſummata omnia depoſcere & ad amuſſim exigere. Fieri namque per rerum humanarum rationem haud minus firmam unquam poterit, ut omnes ſuo quovis loco & tempore omnia vel eadem ſaltim reſciant, vel ipſi litteratiſſimi Viri, mortalium imperfectiſſimam conditionem exuant, utpote quæ *pauca* quidem ſinit recte, ſed *multa* erronee ſcire & *plurima* ignorare. Quod idem cum pace refragantium dixerim de illis, qui cum *Scaligero & Salmaſio* eruditionem non guſtaſſe, ſed devoraſſe omnem videri volunt, vel qui polyhiſtores vocari malunt quam homines, adeoque, quod mirari ſubit, percupere ſolent, ut in muſarum otiis ſtantes ſeu negotioſi (*t*) aliquando moriantur, vel quod idem eſt, ut crepundiis rebusque vaniſſimis ac mox perituris ſcholaſticis intenti, imo miſere ſarcinati,

Elogium & argumenta.

Aberrationes & nævi.

Non tamen odio ſed excuſatione digni.

(*n*) *Actorum publicor. T. III. c. 39. 40.*
(*o*) *De præcip. Princip. Germaniæ gentibus c. XI. p. 308.*
(*p*) *Compend. Chronici Holſat. L. 10. c. 3. p. 192-197.*
(*q*) *Sylloge hiſtorico Genealogica p. 143.*
(*r*) *Diſſert. de familia comitum Holſato-Schaumburgicorum extincta §. 14. quæ inſerta eſt Analectis Haſſiacis collect. VIII. n. 6. p. 393. ſeqq.*
(*s*) *Parte ſpec. Archivi Imp. cont. II. p. 58. 61.*
(*t*) De qua Biblophilia videatur *de* LVDEWIG *in peroratione* quam præfationi ad Tomum IX reliquiarum ſubjunxit p. 51. *Vellem* inquit, *ſi per fata licuerit, me ſtantem mori, in* MVSARVM *otiis negotioſum.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nati, limina æternitatis conſummatumque & puriſſimum ſeculum ingrediantur. Modeſte ſatis de facultatibus ſuis ſperavit *Goldaſtus*, qui ipſe mancas easdem agnovit, ſeque non omniſcium, ſed induſtrium jactitavit. Cujus ſedulitatis teſtes etiam ſunt adjecta ipſius operi teſtimonia, quibus doctrinas ſuas & laudata argumenta ſingula fere ipſe ſtabilivit; quibus & nos paſſim notulas, otio ſuppilato, adjunximus, quarum præcipuæ ſunt *de feudo Sleſwicenſi*, *de Diplomate Archi epiſcopatus Hamburgenſis*, *de Henrico Leone*, *judicio decemvirali*, *Transalbingia*, *Stormaria*, *Wagria*, *Hamburgo Metropoli Nordalbingiæ & Connoburgo Eccardi*, *de palatiis Comitum Holſatiæ* apud Hamburgenſes *de Eidora fluvio ex opinione Eccardi*, cæteraque (*tt*) puſilla alia e re litteraria & hiſtorica recentis ævi paſſim adjecta. Circa ultima bina ſpargere juvat nonnihil inſtar luminis præſidiique. De reſidentiis (*u*) enim Comitum Schaumburgenſium, e regione ædis Divo Iacobo ſacræ Hamburgi ſitis, *Aulæ Schaumburgica & Dominica* præcipue vocari ſolitis, ſcripta nonnulla, inedita adhuc in manus inciderunt, quorum recenſionem dabimus per tranſennam. Primum eorum eſt D. NICOLAI *de publico Regali ſeu jure aulæ & palatii Schaumburgenſis in civitate Hamburgenſi.* Secundum & tertium ejusdem autoris (*v*) ſub titulis: *Hiſtoria de juribus curiæ Schauenburgenſis & immunitate Miniſtrorum Holſaticorum de a. 1660. Relatio commiſſionalis ad Regem & Ducem de a. 1659. adjuncto inſtrumento ſolenni & notariali ſuper juribus aulæ Schaumburgicæ confecto de a. 1658.* Quartum eſt *Thomæ* BONHORNII *de jure palatii & privilegiis aulæ Schaumburgicæ Hamburgenſis Hiſtorica deductio.* Et quintum denique MATTHIAE SLVTERI Senatoris olim Hamburgenſis *Nachricht von den Concordaten der Stad Hamburg betreffend die arreſta gegen andrer hohen Herrſchafften Unterthanen, item der Hanſeeſtädte, auch von den privilegiis des Thumcapitels und der Engliſchen Nation, und von dem Schaumburgiſchen und Mühlenhof ſamt den königlichen und fürſtlichen Häuſern in der Fahlentwirt und Steinſtraſſe entworffen a. 1691.* Quorum ultimus, utut in aliis accuratior, in eo tamen inter reliqua nonnulla fallere videtur, quod *aulam Schaumburgicam* & *dominicam*, hodie *molariam* (*w*) Mühlenhoff vocatam, haud invicem diſtinxerit, conten-

De teſtimoniis & notulis operi additis.

De Comitum Schaumburgenſium curiis Hamburgenſibus.

Scriptores hujus argumenti. D. Nicolai.

Bonhornii.

Slüteri.

Obſervatio GVNDLINGII *de Epiſcopo Lubecenſi inveſtiente.*

(*tt*) Quod de Epiſcopo Lubecenſi comites Holſatiæ quondam inveſtiente Goldaſtus retulit & in notulis dictum eſt; id fuſius explicuit GVNDLINGIVS *Diatriba de feudis vexilli §. 35. p. 85.* docens ex ipſis Sigismundi & Alberti II. litteris, epiſcopum non ſuo quodam jure ſed ſpeciali Cæſaris mandato inſtructum vicaria tantum opera inveſtituram exercuiſſe. Addit idem, quod Sigismundus Imperator Epiſcopum Ioannem Scheelium hac ſpeciali gratia cumulaverit ideo, quia is olim Cæſari fuerat ab epiſtolis in concilio Baſileenſi. Allegato etiam argumento *de Connoburgo Eccardi* addi meretur elegantiſſima commentatio litteratiſſimi MICHAELIS RICHEY *de Hamburgo veteri in Connoburgo Smeldingorum perperam invento*, qua noviſſime rationes Eccardi ex inſtituto ſolide diſcuſſit.

(*u*) De quibus GOLDASTVS *parte I. c. I. §. 3. h. l.*

Cenſura in ſcripta Nicolai.

(*v*) Cujus ſcripta ſingula quidem hiſtoria & rationibus ſunt inſtructa, juris tamen Romani floſculis & digreſſionibus maculata largiter & fere obducta. Addidit primo opuſculo commentariolum in communia ſuffragia ſeu Receſſum Hamb. de a. 1529. art. 24. ubi de exemtione & jure Curiarum Schauenburgenſium hæc ſtatim aſſerit: *So ſehen de Ehrbare Rath und gemene Borger vor God to bowen unſer Landes-Herren Wahnungen und Höve binnen diſer Statt, cætera.*

(*w*) Cujus etiam denominationem idem a poſſeſſore *Thormöhlen*, ſuperiori ævo hac curia inſtar com-

tenderitque ſimul, curiam Schaumburgenſem Seculo XIII. & XIV. non aulam ſed pomœrium tantum fuiſſe, locum, quo poma naſcuntur; adductus præcipue fide extractuum *librorum quorundam reſignationum & hæreditatum civitatis de a. 1266. 1274. 1367. 1413. 1420.* (*x*), *& diplomate Comitum* IOHANNIS ET GERHARDI, qui a. 1255. Begoinis partem pomœrii conceſſerunt his verbis: *Notum fieri cupimus, quod nos dilecti Patris Adolphi precibus inclinati de* POMOERIO *noſtro in Hammeburg contra eccleſiam Sancti Iacobi ſito, quod Magiſter Otfridus a patre noſtro & nobis in feudo tenuit, religioſis Dominis Begoinis tantam partem conceſſimus perpetuo poſſidendam, quanta ad ædificia ſua & alia ejus neceſſaria fuerit opportuna.* Etſi vero haud inficiemur, quod pomœrium in veteribus chartis *de a. 1084. 1197. 1250. 1266.* apud VGHELLVM (*y*), MIRAEVM (*z*) SCHANNATVM (*a*), LEVCKFELDIVM (*b*) & plures ſæpius pomarium ſeu hortum pomis conſitum, aliquando & liberum intra & circa mœros vel muros locum (*c*) indigitet; hoc tamen æque manifeſtum eſt, quod *pomœria Begoinarum* res prorſus

Aula Schaumburgica an Pomœrium fuerit?

commendæ inveſtito, repetiiſſe videtur parum curate. Occurrit enim hoc nomen multo ante in documentis ſeculi XIII. XIV. Unde putante OLEARIO & DANKWERTHO improbabile haud eſt, quod domus iſta nomen conſecuta ſit vel a regione vel a *molendino ſuperiori ſeu antiquo*, cujus mentionem injiciunt Comitis Adolphi III. qui illud exſtrui curavit, chartæ de a. 1238. apud LAMBECIVM *orig. Hamb. L. I. p. 28. n. 94.* & Litteræ Comitum Ioh. & Gerhardi datæ a. 1246. eorundemque charta de a. 1258. qua reditus antiqui molendini intra civitatem Capitulo Hamb. ad tempus conceduntur, apud STAPHORST. *T. 3. Hiſt. Hamb. eccleſ. p. 746.* Addantur Litteræ *Comitis Holſatiæ Adolphi*, quibus Henricum Blomenbergium inveſtit cum antiquo & novo molendino a. 1321. item *Comitum Iohannis & Adolphi* documenta de a. 1321. & 1324. quibus *in locum Io. Starckii fratribus de Stendal Henrico Ioanni & Winando eorumque heredibus quinque coros ſiliginis, witſchepel vulgariter dictos, in novo & antiquo molendino, jure pheodali & cum exemtione ab Herfahrt indulſerunt.* Satis vero in aprico eſt, quod curia hæc antiquitus *Molaris*, deinde etiam *regia & dominica* Königshoff, Herrenhoff, appellata fuerit ex eo forte tempore, quo illa Woldemaro II. Regi a. 1203. deinde iterum Comitibus &, factis hereditatum diviſionibus Holſatiæ Ducibus Regi & Principi ceſſit, qui etiam nunc alternis vicibus curia illa potiuntur, ejusque juribus miniſteriales ſuos inveſtiunt. Quibus ſingulis argumentis explicatius dilucidandis inſerviunt ARNOLDVS LVBECENSIS *L. 6. c. 17.* SPANGENBERGIVS *Chron. Schaumb. L. I. c. 24. p. 56. c. 29. p. 71.* BIERLING. *cit. diſſ. §. 12.* RECESSVS *diviſionis hereditariæ de dato Kiel Dominica miſericordias Domini a. 1390.* ſeqq. & ſpeciatim *inſtrumentum diviſionis hereditariæ inter Regem Fridericum II. & Ducem Adolphum de d. Flensburg a. 1581. ibique*: *Was wir auch als Hertzoge zu Holſtein in den Stiftern Lubeck und Hamburg von Prælaturen, Canonicaten, Commenden und Vicarien zu verleihen haben, ſoll uns auch gemein bleiben, alſo daſs unſer einer um den andern per vices nach Andeutung der alten Erbtheilung und hergebrachten Gebrauchs dieſelben ſollen zu conferiren haben, imgleichen es auch zu halten mit dem Hofe in Hamburg der Königs-Hof genant.* Quæ repetita ſunt in *Chriſtiani IV. Regis & Friderici Ducis conventione de reparanda communibus ſumtibus curia, hodie molaria vocata, de a. 1638.*

Conjecturæ de aulæ molariæ & regiæ denominatione.

(*x*) In quibus mentio fit *pomœrii Comitum juxta eccleſiam S. Iacobi*, item *hoſti, bodæ & domus Beguinarum.* Conferantur chartæ de a. 1249. 1252. 1268. apud STAPHORST. *P. I. p. 22. 135. 137.* quæ mentionem injiciunt *horti juxta S. Iacobum, campi apud S. Iacobum, horti extra civitatem in parochia S. Iacobi apud portam, quæ ſtat verſus Hoſpitale.*

(*y*) *Tomo VII. p. 1273. & d'* ACHERI *T. IX. ſpicileg. p. 349.*

(*z*) *Codice piar. donat. c. 93. 94.*

(*a*) *In Rebus Fuldenſibus.* Pluresqve citati a DV FRESNE *gloſſar. Tom. V. p. 633.* Quibus ſymbola accedunt CHARISII ET BEDAE *apud* VOSSIVM *in Etymologico Lingvæ lat. p. 399.*

(*b*) *Antiquitat. Poldens. C XIV.*

(*c*) Docente LAVRENTIO *in Amalthea onomaſtica p. 527.* PITISCO *Lex. Rom. T. 2. p. 457.* LAMBECIO *Orig. Hamb. P. 2. p. 31. n. 195. & Append. p. 88. not. (i) ibique de pomœrio antiquæ urbis aucto & ſuburbio mœnibus cincto.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Negatur rationibus & documentis.

ſus fuerint ſeparatæ, ad origines aulæ Schaumburgicæ, ipſis pomœriis antiquioris nullo modo niſi præpoſtero pertrahendæ. Conſtat etenim ex chartis & diplomatibus ævi vetuſtioris de a. 1248. 1251. 1279. 1295. quod curiæ huic jam tum inditum fuerit nomen *domus*, *curtis*, hoc eſt domus aulicæ ſeu curialis. Quid? quod in inſcriptione citati diplomatis de a. 1255. curia illa Schaumburgica non pomœrium *ſed aula & domus conventus* appelletur, prouti verba inſcriptionis NICOLAVS (*d*) & STAPHORSTIVS (*e*) notarunt: *Dit is de Utſchrifft des Breves den de Holſten Herren hebben gheven unbeſegelt up den Hoff und dat hieſs des Convents S. Iacob tho Hamburg als he is in dem Latin.* Cui accedunt chartæ diviſionis inter Comitem *Adolphum* & fratres *Gerhardum* & *Hinricum de a. 1303. 1304.* (*f*) Literæque Transactionis & diviſionis hæreditatis inter *Comites Gerhardum Albertum & Hinricum ab una, & comites Ottonem Adolphum XIII. & Wilhelmum II. ab altera parte Chilonii a. 1390.* conſignatæ (*g*); in quibus curia hæc Schaumburgenſis titulo *aulæ* inſignitur, non vero nomine *Bodæ*, uti quidem ex libris hæreditatum Hamburgenſium de a. 1413. 1419. 1420. laudatus SLVTERVS aſſeruit. Quod ad alteram porro attinet obſervatiunculam (*h*) de *Eidora* ECCARDIANA *ſeu veteri Dena*, hoc tantum adjicimus, quod non nova ſit hæc opinatio nec *Eccardo* autore nata, ſed a LEIBNITIO *diſſertatione de originibus*

Opinio Leibnitii de Dena fluvio & nomine Danorum.

De Nicolai ſcriptis ineditis aliis notitia.

(*d*) *In hiſtoria de juribus curiæ Schaumburgenſis f. 19.* Idem Auctor alia plura de Ducalibus juribus civilibus & eccleſiaſticis opuſcula reliquit, quorum tituli ſequuntur. (I) *Relatio hiſtorica & juridica de origine & fundatione eccleſiæ Metropolitanæ Hamburgenſis, ejusque patronatu deque Capitulo Canonicis & præcipue de præpoſitura ſeu prælatura & in hanc conferendam juribus Holſaticis* addita recenſione *meritorum Comitum Principumque Holſatiæ in eccleſiam cathedralem*, ſcripta a. 1660. Holſatiæ quippe dominis ſicuti debetur gloria amplificationis urbis, ita & competit elogium reſtaurationis templi S. Mariæ ſeu cathedralis, ut ideo in antiquis inſcriptionibus ſepulchralibus & *in vita Anſcharii* dicantur *ſecundi poſt Carolum M.* & *Francorum Reges eccleſiæ fundatores.* LAMBECIVS *L. I. p. 23. n. 79.* Addi merentur hiſtoriæ & juribus præpoſituræ ſpeciatim chartæ & bullæ Papales *Pii II. Sixti IV.* de anno *1462. 1474:* Reſolutio regia *Svecica de a. 1651. art. I. n. 3.* & nomina PRAEPOSITORVM *apud* STAPHORSTIVM *Vol. II. præfat. p. 5. 7. & p. 238. n. 21. p. 498. Vol. III. p. 251. 543.* item RECESSVS *primæ diviſionis Hæred. inter Ioannem R. & Fridericum I. Ducem de a. 1490.* RECESSVS *ſecundæ & tertiæ divis. hered. inter Reges & Duces de a. 1544. & 1581.* (II) *De origine & indole telonii Schaumburgenſis.* Cui ſcripto addatur LINDENBROGIVS *de fundationibus vicariarum n. 33. & liber viſitat. n. XI.* apud STAPHORST. *Vol. III. p. 495. & 582.* (III) De *Præbendæ majoris Schauenburgicæ & Holſaticæ & minorum vicariarum jure & collatione Ducali Holſatica.* Quod opuſculum affectum videtur, neque ad finem perductum, & elucubratum, in nonnullis illuſtrandum documentis, transactionibus, litteris fundationum, libris memoriarum & viſitationum eccleſiæ cathedralis, hiſtoriaque præbendarum minorum Lindenbrogiana, quæ ſingula recenſuit STAPHORST. *Vol. 2. p. 138. 215. 217. 227. Vol. 3. p. 493. ſeqq. 556. 569. 576. ſqq. 836. ſeqq.*

(*e*) *Part. II. hiſt. eccleſ. p. 33.*

(*f*) Quibus *Adolpho Comiti* diſerte adſignatur *curia in Hamburg cum appertinentibus reliquis juribus & hereditatibus item inſula Gorgeswerder & Eccleſia Eppendorf & Nienſtædt cum pertinentiis.*

(*g*) Ibique verba: *Und iſt neben gedachten uralten Gerechtigkeiten Graf Otten und ſeinen Mitbenennten erblich zugetheilet, der Hoff binnen Hamburg gegen S. Jacobi Kirchhof belegen mit allen dazu gehörigen Hauſern, Straſſen und andern Gerechtigkeiten, immaſſen Graf Adolph der XIIte denſelben inne gehabt hat.* Quas tabulas diviſionis fuſius recenſet & explicat CYRIACVS SPANGENBERG *Chron. Schauenb. L. 2. c. 10. p. 106.*

(*h*) *Ad P. I.* GOLDASTI *c. 1. not. l.*

bus Francorum adinventa & commendata (*i*) his rationibus: *Verba Ravennatis mihi ſuſpicionem fecere,* DINAM *notaſſe amnem, qui poſtea* EYDORA *dictus eſt &* TÖNNINGAM, *oppidum prope ejus exitum in Oceanum, nominis veſtigium ſervare. Nec video, quis alius fluvius commodius hoc loco intelligi poſſit, præſertim cum hinc etiam* DANNEMARCA *optime dicta cenſeri qveat limes Denæ & Danorum quos ipſos ab hoc fluvio nomen accepiſſe credibile eſt, & deinde quicquid trans ipſum eſt citerioribus* DANIAE *nomine veniſſe; ſane Eydoræ Eyder appellationem poſteriorem eſſe conſtat, ex quo Dani limitem ſuum valle & arborum indaginibus munivere, id enim eſt* HEGGE *& aditus ſeu porta* HEGGEDOR. Nec improbabilis viſa eſt hæc conjectura GVNDLINGIO in Obſervationibus Gundlingianis, nec apparentibus rationibus fateor, plane deſtituta. Meminit enim PLINIVS fluvii DVNNAE ceu termini Daniam a Germania diſcernentis, & laudatus Leibnitio RAVENNAS Chorographus (*ii*) Danos, quos gentes laudat velociores, Daniamque Nordmannorum patriam appoſite collocavit juxta DINA *fluvium, qui inter cætera plura flumina Daniam transeuntia ingreditur in Oceanum.* Opinabile igitur videbitur Denos ſeu Danos a fluvio reliquorum Daniæ fluminum omnium principe nominari & Danemarcam ipſius *Denæ* fluvii ambitum dici & limitem; quemadmodum plurium gentium appellationes a fluminibus defluxiſſe conſtat ex exemplis *Warinorum* populorum ampliſſimorum vulgo a *Warna* fluvio in Megapoli, *Svartonum* a fluvio Schwarte, *Stormarorum* a Störe, *Tungrorum* a flumine Tunſtret hodie Unſtruta, *Hevellorum* a Hevelo fluvio. *Lingonum* ſeu *Linnorum* hodie Luneburgenſium a Lena, pluriumque (*k*) aliorum qui a fluviis nuncupari voluerunt. Et forte *Dena* fluvius dici potuit vel a gyro ſeu circulo & extenſione, *Ausdehnung*, quæ eſt ſententia *Gundlingii;* vel a vetuſto Germanico *Dün*, valle ſeu monte; unde & fluvium *Dunſtrut*, *Unſtruta* hodie, pluraque flumina e montibus ſcaturientia nomen *Dun*, *Dina* accepiſſe contendunt EGGELINGIVS (*l*) & SCHOTTELIVS (*m*). Quin hodieque littora arenoſa & montana in Belgio & Anglia *die Dinen* vocari, ejusdemque originis nomina eſſe urbis *Dunkirchen* pagorumque & oppidorum Thuringorum & ad Unſtrutam, *Tingesbrüken*, *Tingshauſen*, *Dingdorff* hodie *Tungsdorff*, operoſe adſtruunt

Conſenſus Gundlingii.

Rationes.

Conjecturæ aliæ & illuſtrationes.

De Etymo Denæ.

(*i*) *In Miſcell. Berolin. P. I. p. 14. & Tomo I. rer. Brunſv. p. 29.*

(*ii*) A PLACIDO PORCHERONO editus *a. 1688. L. IV. c. 13.*

(*k*) Pertinent huc *Wagri* putante quidem HOEVELIO a fluvio *Wageritz hodie Wacknitz* vocati; *Nuithones* a fluvio *Nötte* in Marchia Brandenburgenſi, *Reudingi* a fluvio Raddin in Pomerania, *Miſenenſes* a Miſe, *Condruſii* a rivulo Conna in Thuringia, *Foſii*, ut putat LEIBNITIVS a *Fuſe* fluvio Saxonico; *Circipani* a fluvio *Peni*, *Tollenſi* a Tollena, *Polabi* hodie Razeburgenſes a Slavico *Labe* ſeu fluvio *Albi*, cujus erant accolæ; *Redarii* vulgo a *Rhetre* quidem ſed rectius a *Rada* fluvio vocati; ipſique *Germani & Hermunduri*, quos a fluvio *Gera & Hiera* ad ſilvam Hercyniam, appellatos fuiſſe ſerio propugnant BRÜCKNERVS & ZOLLMANNVS *opuſculis peculiaribus.* Conferatur *Chronicon Gotwicenſe L. IV. de pagis Germaniæ med. p. 738. ſqq.* *De populis, qui a fluviis denominantur.*

(*l*) *De Chaucis p. 19.*

(*m*) *de Lingua German. p. 1426.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſtruunt ZOLLMANNVS (*n*) & IVNCKERVS (*o*), quorum quidem curis ſubſidio eſſe videntur exempla plurium Europæ fluviorum, *Don*, *Dune*, *Tena*, & terminatione Romana *Tauni* vocata, in quibus recenſendis GVILIELMVS LOMBARDVS *in explicatione Legum Anglicar: cap. II.* & PERIZONIVS *in Quinto Curtio* vindicato (*p*) occupantur. Nec a ſpecie veri alienum eſt, quod *Dena* fluvius nomen novum *Hegdoræ* ſeu *Egdoræ* ex eo tempore obtinuerit, quo vel Carolus M. fluvium eundem Imperii Germanici terminum conſtituit, vel ipſi Dani limites ſuos, beneficio præcipue & ope hujus fluvii contra irruptiones muniverunt vallo ſeu ſepimento, quod vulgo dicitur *Haicium*, Germanis *Hage*, *Hege*, Anglo-Saxonibus *Heie*, *Hedge* (*pp*), Unde ipſum *Hetebye* ſeu HEIDEBY (*q*) primum illud Sleſwicum & vetuſtiſſimum in Cimbria *munimentum* (*r*) nomen ſuum adeptum eſſe facile forte videri poſſet. Teſtis eſt DITMARVS MERSEBVRGENSIS, quem ex MSCto reſtituit LEIBNITIVS (*s*), quod Otto Imperator Sleſwicum petens, *foveas Danorum ad defenſionem patriæ paratas, eorumque munitionem & portam* HEGESDOR *ſuperaverit.* Addunt Annales Francorum Bertiniani, Fuldenſes, Loiſeliani, Metenſes & Tiliani apud DVCHESNIVM, (*t*) quod GODEFRIDVS *Rex Danorum, Carolum M. metuens, limitem regni ſui verſus Saxoniam vallo* (*u*) *munire conſtituerit eo modo, ut ab orientali maris ſinu ad occidentalem oceanum*

Conjecturæ hiſtoricæ.

(*n*) *Obſervat. de vera Origine Thuring.* in Miſcell. Lipſ. T. XI. *p. 278.*

(*o*) *Introduct. ad Geograph. med. p. 459.*

(*p*) Pag. 158. *Apud Scythas*, inquit, *communiter omnes majores fluvios Tana vel* DONA *aut Donau dictos putem, id porro nomen Græcos in ſua lingua pronunciaſſe Tanais, Romanos Danubius &c.*

Haiæ, Haicii etymon.

(*pp*) Hoc eſt circulo, vallo ſeu caſtello. Docet hoc BALVZIVS *in capitular. Caroli M. tit. 36. Quicunque iſtis temporibus caſtella & firmitates &* HAIAS *fecerit.* Et BLOVNTIVS *in Nomolexico Angl. L. 2. c. 40. §. 3: Vallatum fuit & inclauſatum foſſato*, HAYA *& palitio*, h. e. vallo ex palis confecto, vulgo *Palliſade.* Unde in *Fleta ſeu commentario juris Anglicani a* IO. SELDENO *edito L. 2. c. 48. §. 3.* vox *hawyare* explicatur *facere opus foſſatum, magnificum.* Faciunt huc chartæ & teſtimonia apud MARTENE *Tom. I. Collect. col. 1193.* & MONACHVM *Sangall. de rebus Caroli M. L. 2. c. 2.* quæ novem *Hegin* ſeu *munimentorum* mentionem injiciunt, pluraque alia citata a DV FRESNE *Gloſſar. Tom. III. p. 1035. ſqq.* SPELMANNO *Gloſſ. Archæol. p. 272.*

Heidebyæ derivatio.

(*q*) Cujus nominis derivationem vulgo repetunt a Regina *Hetha*, quæ floruit *circa a. 368.* HVITFELD *hiſt. Dan. f. 14.* NICOLAVS HELVADERVS *deſcript. antiquæ urbis Sleſvic. ed. a. 1630.* Sed DANCKWERTHVS *Chorogr. Schleſwic. p. 113.* more ſuo ex communi aquæ principio etymon haurit & HAIDBYAM æque ac EIDORAM ab *au*, *eid*, *ſeu udo*, *aqua*, dici contendit. Alii ad vocem, *haite*, *heid* ſeu planitiem confugiunt & ad HELMOLDVM provocant, qui *L. I. c. 12. p. 33.* adſtruit: *Sleſvicum habuiſſe terram* SPACIOSAM, *frugibus fertilem, ſed deſertam, ſilvamque adjacentem ſilvarumque robora.*

Ejusdem illuſtratio.

(*r*) Cui etymo illuſtrando inſervit MONASTICVM *Anglic. T. 2. p. 143. ibique: Et concedimus, ut habeant* HEYDBAD *ſeu jus boſcandi & faciendi hayas.* Et ibidem p. 916: *In omnibus aliis terris & boſchis (Buſch), quæ ſunt inter* HAITBIVM, *quod includit prædictas terras.* Ubi vox pro ſepimento accipitur. Alibi vero *Heitium*, *Haitbia* explicari videtur *delecta ſilvulæ pars, ſilva munita ſeu circumſepta.*

(*s*) *Tomo I. Script. rer. Brunſv. p. 323.*

(*t*) *Scriptor. rer. Francic. & apud* LABBEVM *ad a. 808.*

De vallo Dannewerck.

(*u*) Quod & hodie venit ſub nomine *Dannewerck*, de cujus memorandis vide SAXONEM *grammatic. L. 13.* WORMIVM *monum. Danic. L. I. p. 55.* CYPRAEVM *annal. Sleſvic. L. I. c. 10.* BRODERVM BOYSSEN *Chronico Sleſvicenſi*, edito a MENCKENIO *T. III. ſcript. rer. German. p. 568. 570. ſqq.*

num tota Egidore fluminis aquilonarem ripam, munimentum valli prætexeret, una tantum porta dimissa, per quam carra & equites emitti & recipi potuissent. Nondum tamen hæc omnia conjecturam ita stabiliunt, ut extra aleam dubitationis posita, vel reliquis palmam omnem præripere videantur. Quod enim de Plinii *Dunna vel Dumna* affertur, ipso fatente LEIBNITIO indiget adhuc circumspectione & dubiis haud minoribus involutum est, quam *Ptolomæi* vocabulum *Daucionum*, quo Danos intelligunt nonnulli, qui temere nimis & festinanter conjiciunt. De *Geographi Ravennatis* vero *Dina* magnifice adeo sentiendum non est, cum, ut plura taceamus, *citato loco §. 13.* non *Dine vel Dina*, sed *Lina*, a LEIBNITIO quidem in Dinam mutata, occurrat, plures etiam hujus Cosmographi lectiones obscuritate insigni premantur (*v*) & vel ipsum Oedipum excrucient. Nec causam conficit, quod de gentibus a fluviis appellatis in scenam adducitur. Non solum enim de fluvio Dena apud Scriptores commune fere & profundum ubique est silentium, ut vix una vel altera, sed ne quidem certa, ipsius mentio reperiatur; sed & veri simile haud est, quod Dani, amplissimi populi, ab extremitate regni & fluvio limitaneo nomen & appellationem sibi vindicaverint vel imponi sibi sategerint. Quodsi vero nominis etymon (*w*) ab aquis & fluminibus omnino derivan-

Dubia opponenda loco Plinii.

Et Geographi Ravennatis.

Rationibus item etymologicis.

(*v*) Cujus generis sunt *regio Mauringia & fluvius Bisigibilias.* Illam quidem LEIBNITIVS in Pomerania & Megapoli, GVNDLINGIVS in *Bremensium & Verdensium* regione quærit. Facilius forte *Mauringia* h. e. regio paludosa *Mohrland seu Marsch*, invenitur in Holsatia ejusque paludibus mœoticis, quæ a Crempa & Wilstria, vocari solent *Cremper und Wilstermarsch.* De quibus certe & *Ditmarsicis & Stormariis seu Nordalbingiis* regionibus, non tam coacte ac de Pomerania, sed sponte fere explicari poterunt verba *Geographi Ravennatensis* a IAC. GRONOVIO *editi L. 3. c. 11. Quarta*, inquit, *ut hora noctis Nortmannorum est patria, quæ & Dania ab antiquis dicitur, cujus* AD FRONTEM ALBES *vel* PATRIA ALBIS. *Mauringia certissime antiquitus dicebatur, in qua Albis patria* (Transalbingia seu Nordalbingia) *per multos annos* FRANCORVM *linea remorata est, & ad frontem ejusdem Albis*, DATIA MINOR *dicitur, & quæ hinc super exaltata est, magna & spatiosa Datia dicitur.* Sed quid sibi velit *Libr. IV. cap. 17. 18. Bisigibilias fluvius*, id instar crucis fuit LEIBNITIO, qui nunc *Oderam* nunc *Bisulam seu Vistulam*, & GVNDLINGIO, qui *Viserim seu Visurgin*, & ECCARDO, qui *Biesam, Billam & Ostam* fluviolos, quos Albis oceano propior recipit, inde formare satagunt. Illi in *opusculis de originibus Francorum*, huic *in annotationibus ad scriptum Leibnitianum*, quod additum est *commentario in Leges Salic. p. 249. §. 10.* Si addere nonnihil liceat hisce argutiis, Slavicum vocabulum *Wieschibiliqs*, a Geographo in Latinum *Bisegibilias* transcriptum fuisse conjiceremus. *Wise* vero seu *Wisse* apud Slavos est supra, *Wisiki* superior & *Bieli, Bielia*, albus, alba, docente FRENTZELIO *in Originib. linguæ Sorabicæ* & ex instituto IO. LEONHARD. FRISCH *T. IV. Miscell. Berolin. p. 191.* Ut igitur vexatum vocabulum idem foret ac *pars* ALBIS *superior* a Slavico *Wisse* & *morio, morze* h. e. mare. Forte perinde WISSEMARIA vetustum olim *burgum Wissimarium* ab *Obotritis Venedis* exstructum, dici poterit *urbs supra mare sita.* Quemadmodum *Wissegrod* Slavonice recte explicatur *urbs alta, superior.* Etsi non desint, qui Wissimariam vocari arbitrantur vel a Wandalico Rege *Wisimaro*, vel a Slavica voce *Wisu*, pendere, adhærere & *mier* pace, quasi urbs fuerit pacis caussa condita, cui securitas adhæret; vel a *Wisbyensibus* Gothlandis, vel a certitudine marini portus quasi *certomaria*, vel a latino *eis & mare*, demumque vel a sapienti quodam *augmento*, vel a laudabili quodam *Meiero*, qui Theotisca lingua idem est ac *judex, præses provinciæ.* Quæ sunt opiniones CHEMNITII, MYLII, MARESCHALCI, SCHEDII, CRANTZII, CHYTRAEI, parum, ut videntur, origini urbis Slavicæ convenientes, excepto etymo secundo, quod laudatur ab ALEXANDRO GVAGNINO.

De Ravennatis obscura voce Mauringia. Explicatio.

De ejusdem vocabulo Bisigibilias.

Opiniones variorum. Conjectura alia.

Illustratio a vocibus Wissegrod & Wismaria.

(*w*) Quod ab aliis operose deduci solet a famigeratissimo *Odino*, *Wodano* seu *Godano*, regni fundatore & Deo gentis Danicæ vel potius totius Septentrionis. Ita TORFAEVS *in Ser. Regum Daniæ L. II. c. 2.* BARTHOLINVS *Antiqu. Dan. L. I. c. XI.* NICOLSONIVS *differt. de Westphal. Monum. inedit. Rer. Germ.*

Daniæ etymon vulgo deductum ab Odino?

vandum fuerit, nihil forte obſtat, quin potiori jure contendi poſſit, DANIAM vel caput olim regni Danici CODANONIAM, hodie *Selandiam*, appellari a *Sinu* CODANO, & Danos ab eodem olim *Codanones* (*x*). Ipſa quoque etyma ſupra ab extenſione vel a montibus repetita ſponte concidunt vel certe ad incertiſſima quævis referri poterunt, cum vocis *Dune*, *Dena*, *Dana* apud Anglo-Saxones, Danos & Svecos multiplex adeo ſit ſignificatus, ut vel munificum (*y*), vel animi deliquium vel ſonum & tumultum (*z*), caducum (*a*) item, foreſtam & ſilvam (*b*), ſpeluncam, cotam & jugera (*c*) indigitet. Denique vero fidum non eſt, quod de *Egdora* & porta *Hegesdor* a LEIBNITIO memoratur. Egdoræ enim appellatio jam ipſo ævo, quod Carolingicum præcedit certe diutius ante munitiones ſive a Gothofredo Rege ſive ab aliis factas innotuit; Porta vero *Hegesdor* in Ditmaro reſtituto apud LEIBNITIVM quidem occurrit; ſed in aliis codicibus antiquis & recentioribus loco *Hegesdor*, aperte legitur *Wiglesdor*, quam vocem quidem Leibnitius ad voces corruptas retulit, ſed minori jure, quam quo ipſius ſurrogatum vocabulum ad earundem cenſum retuleris.

Et Leibnitianis.

XII. Bangerti Origines Lubecenſes.

Ad illuſtrationem & uſum antiquitatum rerumque hiſtoricarum haud parum contulit HENRICVS BANGERTVS, vir apparatu eruditionis non quotidiano, lectione multijuga & judicio excellens rerumque Germanicarum & Lubecenſium notitia haud leviter imbutus; cujus famam meritorumque ac Scriptorum ampli-

---

Epiſt. ad *Wilkinſium p. 11.* & omnes qui hypotheſin Islandorum de Odini ex Aſia per Scythicas terras in Saxoniam ſive Holſatiam, Daniam, & Sveciam immigratione amplectuntur. Placet aliis derivatio a *Danauia* ſeu veteri SCANDINAVIA, quæ ipſa felicius certe Daniæ quam Sveciæ vulgo vindicatur. IO. PETR. DE LVDEWIG *Erläuterung der Reichs-Hiſtorie in prælimin. p. 29.* Plures alii illud repetunt vel a *Danæis* ſeu *Græcis*, putante IO. OL. NYSTAED *in Athenis Cimbricis*; vel a *Dando* ſeu copia plurium bonorum præeunte STEPH. IO. STEPHANIO *in not ad Saxon. p. 28.* vel a Rege *Dana*, vel *Dano* Humbli filio, ſtatuentibus ADAMO BREMENSI, SVENONE, SAXONE GRAMMATICO, IO. WALLINGFORD *in Chronic. apud* TH. GALE *in Script. Hiſt. Britann. Vol. I. p. 532.* Aliisque Scriptoribus Hiſtoriæ Danicæ, recenſitis a NICOLAO PETRO SIBBERN *in Bibliothec. Hiſtor. Norweg. ſect. 2. p. 14. ſeqq.* Nec deſunt qui Danos a *Trojanorum* gente deſcendiſſe, vel a populis *Daucionibus*, vel a *lebete ſacro*, *Auguſto Cæſari a Cimbris oblato*, vel a Britannico *Den* ſeu ab armis, vel a *Dacis* populis Gothis ſeu Getis appellatos fuiſſe ariolantur. De quibus vide SPERLINGIVM *Commentat. de linguæ Dan. & nominis antiqua gloria*, & ANDR. WELLEIVM *Diſſert. de Orig. nominis Daniæ ed. Sleſv. a. 1584.*

A Danavia ſeu Scandinavia.
A Danæis.
A Dando.
A Rege Dano.
A Trojanis, Daucionibus, Cimbris, Dacis.

(*x*) De qua conjectura WACHTERVS *Gloſſar.* p. 251. *Hinc*, inquit, *Dania reapſe eſt Codanonia, & Dani ſunt Codanones, puta per aphæreſin.* Teſte PLINIO ſinus maris balthici dicitur Codanus, & inde *Codonavia urbs*, corrupte a latinis vocata videtur *Hafnia*, & a germanis *Copenhagen*, interprete MARESCHALCO *in Commentariolo Annalium Herulorum.*

Vel a Codano ſinu.

(*y*) OTTO SPERLING. *cit. Comment. de lingua Danica p. 13.* ubi vocabulum Danna antiquum Scandicum eſſe dicit, idem ſignificans ac munificum, honoratum, Saxonice *Dunis.*

Vel voce Danna.

(*z*) OL. WORMIVS *Spec. Lex. Run.* voce *Dynur p. 17.*

(*a*) LOCCENIVS *in Lexico Iuris Sveo-Goth.* & VERELIVS *in indice h. v.* Unde *Danarf* in Legibus Weſtrogothicis dicitur *vacans* hereditas. *Daneguldum* vero apud Anglo-Saxones dicitur *annua præſtatio duodecim denariorum ex unaquaque hida, h. e. centum jugeribus, ad conducendos milites qui piraticam Danorum coercerent.* WILKINS *in Leg. Anglo Sax. p. 198. 245. 298.* GVIL. NICOLSONIVS *diſſert. epiſtolari ſeu præf. operi* WILKINSII *præmiſſa p. 16. ibique de* voce *Danelaga.*

Quid Danarf & Daneguldum?

(*b*) THOMAS GALE *ſcriptor. hiſt. Britan. Saxonicæ & Anglo-Danicæ V. 2. in annalibus Waverleienſibus p. 218.*

(*c*) SPELMANNVS *gloſſar. Archæolog. voce Dena p. 167.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

plitudinem IO. POLZIVS (*d*), GODOFRIDVS HECHTIVS (*e*), IO. MÖLLERVS (*f*), IO. HENR. *a* SEELEN (*g*) & plures cumulate descripserunt. De ipso, quod ex schedis B. autoris descriptum, hoc loco prodit, opusculo seu *Originum rerumque Lubecensium commentario*, testem audiamus HENRICVM MEIBOMIVM *in introductione ad Historiam Saxoniæ inferioris p. 64.* ita statuentem: *Ut Hamburgensium rerum Historiam Lambecius, ita Lubecensium quoque orbi erudito exponere decreverat Vir cl. Bangertus, præclara Helmoldi & Arnoldi Slavicæ Historiæ conditorum editione notissimus magna eruditione & exquisito judicio tantæ rei par. Vix una tamen alterave pagella in specimen futuri operis publicata, infausto casu, (infelici e curru lapsu) mortuus est vir longiori vita dignissimus, quem primum in historia veteri & recenti præceptorem me habuisse lætor.* Addit huic elogio calculum, vota & symbola IO. MOLLERVS *c. l. Utinam*, inquiens, *laboris hujus de Historia Lubecensi affecti, quem absolvere per fata autori non licuit, lineamenta saltem & λείψανα e schedis conquirantur & posterorum serventur usibus. Quo enim apparatu & judicio illum sit aggressus, ex Helmoldi editione perspicimus & calculum nostrum addimus illustri* BOECKELIO, *qui cum Syndicus adhuc esset Lubecensis, his verbis Bangertum compellavit in epistola Helmoldo præfixa: Mihi ea est sententia nec falli animum puto, aut nunquam inventuram aut in te virum reperisse Lubecam, cui rerum suarum monumenta & ampliſſima quidem & memoratu digna posteritati transcribenda possit demandari.* Equidem a SEELENIO in recensendis *manuscriptis* MELLIANIS *rerumque* LVBECENSIVM *Scriptoribus & commentariis ineditis* occupato (*h*), BANGERTIANI hujus operis mentio nulla injicitur; ipse tamen alibi (*i*) e literis *Jo. Henr.* HEVBELII de eo quædam enarravit, doluitque cum MOLLERO aliisque, quod Historia ipsius Lubecensis absoluta non fuerit inque lucem emissa. Sitim horum desideriumque plurium aliquantulum nunc restinguet publicatio fragmenti Bangertiani e scriniis apographis cum cura collecti & descripti, copiosa lectione & observationum segete referti nec testibus destituti, rebus magis quam verbis & amplitudine præclari. Adeo enim in eo multa dicuntur egregie, ut, si ipsi, qua cœpit, linea pergere curasque posteriores addere licuisset, opus haberemus forte cultissimum numerisque omnibus absolutum. Quod tamen nostra ætas haud frustra, voveo, exspectabit ab annosa industria IACOBI *a* MELLE, meritis & canis reverendi, in concinnando *commentario rerum Lubecensium* occu-

Desideratæ & laudatæ a Meibomio.

Möllero.

Seelenio & Heubelio.

(*d*) *In programmate funebri, in obitum Bangerti a. 1665. edito.*
(*e*) *Germ. sacra & literat. p. 419. & in Observat. de Busto Lusatiæ antiquissimo in Miscell. Lips. T. VII. p. 187. Bangertus*, inquit, *vir rerum, quæ ætate media inter Slavos sunt gestæ, peritissimus, atque in antiquitate apprime versatus.*
(*f*) *Diatriba de Helmoldo §. 13. Isagoge p. 440. sq.*
(*g*) *In Athenis Lubecens. P. I. p. 62. P. IV. p. 433-449.*
(*h*) *Parte IV. Athen. Lubec. p. 620. seqq.*
(*i*) *C. l. Part. I. p. 69. P. IV. p. 448.*

cupatiſſimi; cujus argumenta a SEELENIO *c. l.* indicata lectoribus facile ſalivam movent.

XIII. Petri Saxii Res geſtæ Friſiorum Septentrionalium & Paralipomena. Laudes autoris.

Inter inedita locum ſibi vindicant ſcripta PETRI SAXII (*k*) *ab Eidora Friſii, provinciæ Egidorenſis olim primarii Senatoris*, viri antiquitatum rerumque memorabilium curioſi & ſtrenui indagatoris, quem nunc Hiſtoricum, geographum nunc mathematicum & philologum diligentiſſimum pereximiumque laudant HEIMREICHIVS (*l*), VICENTIVS MOLLERVS, *J. U. D. & Canonicus Hamburgenſis*, IOACH. THEODORVS, *Paſtor Cotzenbuttelenſis in Eideroſtadia* (*m*), IOANNES MOLLERVS (*n*), præcipue SEELENIVS (*o*), qui in recenſendis Saxii elogiis induſtrius eſt & copioſus. Utut vero non inficiemur, laudatum autorem res aliquando ſingulares & ab aliis haud obſervatas adnotaviſſe pluraque rerum antiquarum, chorographicarum & naturalium memoranda ex tenebris & latibulis protrahere enixe ſtuduiſſe; diſſimulandum tamen non eſt, quod plus laboris quam ſalis collectionibus ſuis aliquando tribuerit nimiumque ſæpe indulſerit fabuloſis narrationibus (*p*) rebusque, quas exſerto velut digito demonſtrare geſtit, incertiſſimis mediisque in undis ſubmerſis, deſperatis & plane deperditis. Hoc, quod de præcipuis rebus geſtis Friſiorum Septentrionalium ſacris, religioſis, ſecularibus & ſingularibus congeſſit opuſculum, omnium fere Saxii Scriptorum eſt compendiolum aliisque emaculatius conſignatum, nec antiquitatum teſtibus deſtitutum, quorum catalogum & nomina operi plane præfixit. Prodit illud ex eleganti *avtographo*, quod in membranis ab auctore ſcriptum & iconibus perantiquis ornatum, ceſſit Bibliothecæ Academiæ Kilonienſis. Reliqua ipſius manuſcripta avtographa KIELMANSEGGIANAE *Bibliothecæ* olim adquiſita, ex hac in Kryſingianam & inde in Regiam Hafnienſem migrarunt, quorum præcipuorum, quæ apographa ad manus ſunt indices ſeu rubra ſubjungere, nemini peritiorum diſplicebit. Primum eorum eſt: *Deſcriptio Hiſtorica Provinciarum Eyderſtedt, Everſchop & Utholm, earum*

Errores & defectus.

Scripti præſentis prærogativa.

Scriptorum autoris ineditorum recenſio.

(*k*) De hiſtorico homonymo PETRO SAXIO, *Scriptore Pontificii Arelatenſis*, rariſſimi olim libri, a MENCKENIO *demum T. I. ſcript. rer. Germ.* editi, vide LONGII *Bibl. Hiſt. de France p. 904.*

Judicium Heimrichii.

(*l*) *Præf. Chronici Friſiæ borealis ed. Sleſvici a. 1666. & recuſi a. 1668. 4. ibidemque in Catalogo Autorum præfixo*, inter quos laudat *Petri Saxii Chronicon Eidoroſtadienſe MSC.* Idem p. 50. 95. 135. & in *Literis ad P. Saxium a. 1650. ex Muſeo Strandenſi in ericeto paluſtri exaratis*, a SEELENIO *c. l. editis* diligentiam ipſius curioſam & ſolertiſſimam laudibus effert.

(*m*) In elogiis & *acclamationibus*, *Saxii Deſcriptioni provinciæ Eidoroſtadiæ præmiſſis.*

(*n*) *Iſag. ad Hiſt. Cimbr. P. IV. p. 247. 249.*

Seelenii.

(*o*) *Athen. Lub. P. I. p. 137. ſeqq. Annotavit multas res ſingulares & ad ſua usque tempora fere ſemper chronica perduxit. Matheſeos, inprimis Geometriæ, eum fuiſſe peritiſſimum, monumenta ejus ſatis ſuperque demonſtrant. Et quam ſedulus naturalium rerum fuerit ſcrutator, evincunt permulta de rebus naturalibus relationes minime vulgares.* Idem *p. 150.* Saxii opuſculum noſtra collectione nunc exhibitum collaudat his verbis: *Apparet, quod officio boni hiſtorici ſatisfacere magnopere laborarit. Locum* TACITI, *qui extat circa finem Libri de Moribus germ. tam erudite quam prolixe declaravit & de* HELGOLANDIA *ac* VESTA *in ea culta expoſuit:* Cui tamen æque ac *Virgiliani loci* de Heligolandia explicationi nonnihil ingenii, ſed parum ingenuæ & accuratæ critices ineſſe aliis videbitur.

Notatur Suffridus Petri.

(*p*) Quibus etiam ſcatent SVFFRIDI PETRI *Antiquitates & Origines Friſiorum*, judicante VOSSIO *L. 2. de lat. Hiſtoric. c. 32.* PONTANO *in Origin. Franc. p. 51.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

rumque incolarum, locorum, jurium, libertatum, ſacrorum, bellorumque & ſingularium ex domeſticis Scriptoribus MSC. receſſibus, actis & traditionibus majorum vetuſtis, relationibus & experientia congeſta, Coldenbuttelæ in Eiderſtadia abſoluta a. 1631. Secundum: *Nova totius Friſiæ Septentrionalis deſcriptio chorographica, civilis & hiſtorica, populorum præcipue originem, indolem, mores, poſſeſſiones, & fata complectens. a. 1636.* Tertium: *Friſia minor ſeu tabulæ inſularum & peninſularum tam majorum quam minorum juxta Ducatum Sleswicenſem in Oceano Britannico ſive Cimbrico ſitarum, in quibus hiſtoriæ præcipuarum rerum & factorum quorundam memorandorum breviter continentur, ſecundum præſentis ævi ſtatum ſtudio deſcriptæ a. 1638. cum mantiſſa tabellarum regionum & præfecturarum, quæ Friſiæ minori ſunt conterminæ.* Quartum: *Deſcriptio & annales Dithmarſiæ ab a. 278. ſeu narratio hiſtorica de Statu Ditmarſiæ, ex autoribus latinis, germanicis, maxime domeſticis breviter collecta. a. 1640.* Quintum: *Annales Eyderſtadienſium a Friſone incipientes & ad annum usque 1645. productæ, quibus additæ ſunt ejusdem autoris ephemerides Eyderſtadianæ.* Sextum denique: *Exercitationes & animadverſiones hiſtoricæ, quibus argumenta nonnulla patriæ Hiſtoricorum,* IO. ADOLPHI CYPRAEI, MATTHIAE BOETHII, NICOLAI HELDVADERI, IO. POMARII, CASPARIS HOYERI (*q*), LAVRENTII ADSII, MATTH. PAMPI, IVEN CNVTSEN, AD. TRATZIGERI, HENR. BVNTINGII, IO. PETERSENII, CARIONIS, PEVCERI *& chronicorum communium & vetuſtorum vel caſtigantur vel ſupplentur & emendantur.* Opuſculum hoc a. 1657. ab autore inceptum & 1660. abſolutum quidem ſed mancum tamen eſt & tenue, cui gracilitas dominatur & viſcera deeſſe videntur. Cui quoque & *Paralipomenis* conſignandis, quæ *Rebus geſtis Friſiorum* nunc prodeuntibus cum *Caſparis Hoyeri* deſcriptione Eidoroſtadiæ a *Jacobo Saxio* a. 1610. germanice edita adjectæ ſunt, forte immortuus eſt.

XIV. Scriptorum Rerum Danicarum Libri III.

Hunc proxime excipiunt in hac collectione *ſcriptorum rerum Danicarum libelli tres.* Quorum primus eſt *continuata appendix* ad incerti autoris annales Danorum præcipue Sialandiorum ab a. 1308. usque ad a. 1363. e Codicibus STEPHANIANIS depromta; Secundus, *Anonymi Chronologia* ab a. 821. ad a. 1300. ex antiquiſſimo codice membranaceo regiæ bibliothecæ Hafnienſis deſcripta; Tertius, *Incerti autoris chronologia* ex eodem codice antiquiſſimo ab a. 826. usque ad a. 1157. Quos quidem rerum æſtimatoribus non puto fore plane ingratos ac inutiles, quamvis breves illi ſint & inſtar fragmentorum. In rebus enim hiſtoricis Danorum & Germanorum vetuſtis laciniæ etiam deſideratiſſimum aliquando uſum exſerunt, lacunas explent, temporum rationes dilucidius diſtinguunt, Saxonem Grammaticum corrigunt, circumſtan-

Uſus eorum.

(*q*) Qui autor eſt *Deſcriptionis Friſiæ Eidorenſis*, Rebus Friſiorum ſeptentrionalium a P. SAXIO ſubjunctæ & IACOBO SAXIO adſcriptæ. Qui tamen illam ex latina in germanicam linguam & dictionem ligatam ſaltim coegit & cum præfatione edidit *Hamb. a. 1610.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tias rerum recludunt & momenta ſingularia ſæpiuſcule adjiciunt. Hinc inter plures alios ARNAS MAGNAEVS (*r*) & IOANNES PETRVS *a* LVDEWIG (*s*) hujus generis fragmenta hiſtoriæ Danicæ ſollicitiori cura & collectione digna judicarunt & vel ex ipſo codice membranaceo, cui præſentia debentur, ipſi nonnulla deſcripta ediderunt. Et certe qui noverint, quam amiciſſimo & atavito vinculo res Germanicæ cum Septentrionalibus & Danicis præcipue cohæreant, & quam pellucenti lumine vetuſtæ leges & annales Danorum, antiquitates Teutonicas jura & monumenta hiſtorica Germanorum omnis ævi perfundant, illi conſiliis & votis nemini eorum deerunt, qui in conquirendis veterum Legum, antiquitatum & hiſtoriarum glorioſiſſimæ Daniæ fragmentis, tabulis, codicibus occupantur, ut publici juris fiant, uſumque, quo pollent, omnem circumfundant communem & ampliſſimum. Quemadmodum ſpes eſt, fore ut IO. ISACII PONTANI (*t*) *Hiſtoriæ rerum Danicarum Tomus II.* hucusque deſideratiſſimus carceres rumpat & propediem inſigni & perenni rei hiſtoricæ commodo, poſt tot noctes in lucem conſurgat.

A Magnæo & Ludewigio laudatus.

Et rationibus commendatus.

Recenſuimus ſupra NICOLAI MARESCHALCI *annales Herulorum & Vandalorum, commentariolum in eosdem, & Chronicon rhythmicum de Vitis Obotritarum;* ſequuntur nunc ipſius *Deflorationum antiquitatum ab origine mundi usque ad a. 1522. Libri quinque*, typis vulgati quidem ab ipſo Mareſchalco a. 1522. ſed parce adeo, ut inter alios ipſius libellos editos raro admodum occurrant & in plurium manibus ipſi non niſi manuſcripti circumferantur. Digni tamen, qui annalibus ipſius & chronicis adjungantur. Non ſolum enim in declarandis principiis & cauſis hiſtoricis hoc ipſum opuſculum aliis plenius eſt & fœcundius, ſed etiam memorabilibus imperii Romani, Regum, Principum, Pontificum, illuſtriumque virorum inſtructum, præcipue rebus *Vandalicis*, *Saxonicis & Germanicis* cumulatum eſt, ut ab autore ſcriptum eſſe videatur inſtar compendioli vel ſummæ rerum hiſtoricarum univerſalium, ſpeciatim Germaniæ ac Saxoniæ (*u*). Formam opuſculi in quinque Libros diviſi & deflorationum titulo inſcripti mutuatus quidem eſt, ut alia nonnulla, a *Beroſo Babylonio*, qui compendii, ſui hiſtorici

XV. Nicol. Mareſchalci Deflorationes antiquitatum.

Argumenta hujus Libri generalia.

Maculæ eluendæ.

(*r*) Qui in lucem produxit *incerti autoris chronicon Danorum & præcipue Sialandiæ, deſiens in a. 1282.* De quo in præfatione hoc judicat: *invenies ibi non pauca, quæ in aliis Danicæ hiſtoriæ ſcriptoribus fruſtra quæres; offendes illa, unde Adami Pontificum Bremenſium hiſtoriam uno & altero loco emendare poteris, ut alia encomia præteream.*

(*s*) *Tomo IX. Reliquiarum, Libro I.* quo DANICARVM *rerum ſcriptores duodecim vetuſtioris ævi* exhibuit.

(*t*) Cujus & HVITFELDII operæ aliis omnibus fecundiores ſunt & commendatiſſimæ. De MEVRSIO enim idem, quod de MARESCHALCO ſupra, fatendum eſt, quod in rebus quidem & antiquitatibus latinis & græcis ſe veteranum & heroem præſtiterit, ſed in germanicis & ſeptentrionalibus militem ſe geſſerit novellum, minus peritum. Elogia PONTANI congeſſit MÖLLERVS *ad Bartholinum p. 272 - 277.* ubi etiam ex RESENIO & ANDREA meminit laudati PONTANI *Hiſtoriæ Danicæ adhuc ineditæ*, res geſtas Rerum Dynaſtiæ Oldenburgicæ ab exceſſu CHRISTOPHORI BAVARI ad obitum usque FRIDERICI II. continentis. De qua plura vide apud D. GEORG. KRYSINGIVM *diſſert. prælimi-nari ad vitam Friderici II. ed. Flensburg a. 1735. p. 4. ſqq.*

Elogia Pontani, Huitfeldii & Meurſii.

(*u*) AVTORES *Biblioth. hiſt. Hamb. cent. II. p. 277. ſqq.*

rici eandem fecit diviſionem & inſcriptionem *Chaldaicæ defloratio-nis;* ſed ipſe MARESCHALCVS has maculas illæſa fide & laudanda induſtria, recentior vero ætas famoſas illas Annii & Beroſi offucias, fide & veritate hiſtorica omnes ita eluit, ut nemini amplius imponere valeant. Pauculæ quas de *populis Luconiis*, *Vividariis*, *Salatiis*, *Teutonibus* & de Locis *Saturnio*, *Soltwedelio*, *Barderopoli*, *Marionæo & de idolo Irminſula*, adjecimus obſervationes, uberiori quidem illuſtrari poterunt explicatione; ſed plura ſunt Mareſchalci argumenta, quæ requirere videntur accurationem. Animus eſt, exempli loco, de quibusdam ſaltim ipſius diſpicere opinionibus, quas in his defloratiouibus & in omnibus fere ſcriptis protrudere & incruſtare præcipue ſtuduit. Quales ſunt (*v*) de *Irminſula & ſtatuarum cultu*, *de Parthenopoli ſeu Magdeburgo*, *Jodouta*, *Anglo-Saxonibus*, *Chaluſo fluvio & de Radegaſto idolo*, quas ſingulas paullulum exploraturi cum recentioris ævi litteratorum ſententiis & rationibus breviter comparabimus. Ex Irminſula, quam Martis idolum eſſe voluit MARESCHALCVS, alii nunc *Hermetem* quendam & *Mercurium*, nunc *Martem*, *Herculem*, *Hermionem*, Deam *Hertam*, quin *ſtatuam omnium*, *jedermans Säule*, effingere annituntur (*w*). Sed in honorem Arminii, qui Germanorum Mars, Romanorum terror, Victor Vari Germaniæque liberator exſtitit, hanc Statuam in monte Hermiensburg vel Eresburgi in Weſtphalia erectam fuiſſe late cum VOSSIO (*x*) ſtatuunt WASSERBACHIVS (*y*), SCHEDIVS (*z*), HACHENBERGIVS (*a*). Pro *Iſidis* vero ſimulacro & ſtatua *Talismannica*, præeunte KIRCHERO illam venditant nonnulli, quorum Aegyptiacas argutias τετελεσμένας & hieroglyphicas figurarum explicationes ſequi videtur IO. MAIERVS (*b*). Alii monumentum *Bætiliorum*, Lapidem ſtipitemque in honorem Deaſtri erectum, columnam Hermeam, Hermas ſeu indices mercuriales, vel Deum vialem & terminalem inde formant, de quibus paganæ ſuperſtitionis & cacozeliæ reliquiis legendi ſunt MAXIMVS TYRIVS (*c*), IO. HOELINGIVS (*d*) & EVERARDVS OTTO (*e*). Plures ſignum Rulandinum, columnam juſtitiæ & jurisdictionis ibi inveniri autumant; de quorum argumentis diſpiciunt GRYPHIANDER & EGGELINVS *de Weichbildis*, GODOFREDVS SCHVMANNVS

Notulæ adjectæ.

Argumenta libri ſingularia.

Opinio Mareſchalci de Irminſula.

Voſſii pluriumque ſententia.

Præcipue Kircheri.

Everardi Ottonis.

Eggelini.

(*v*) *Deflorat. Libro V.*

(*w*) TVRCKIVS *in faſtis Carolinis.* GYRALDVS *de Diis gentil.* CRANTZIVS *Saxon. L. 2. c. 9.* MEIBOMIVS *c. l.* quos ſequitur SCHVRTZFLEISCH. *in ſtricturis antiquitatum Valdeceiarum §. 9.*

(*x*) *De Origine & progreſſu idololatr. L. II. c. 32.*

(*y*) *Tract. de Statua Arminii.*

(*z*) *De Diis Germ. S. 3. p. 713.*

(*a*) *De German. media diſſ. 8. §. 6.* Item CHRIST. HINR. WEISIVS *in antiquitatibus Miſnicis Saxon. p. 403. ſq.*

(*b*) *In Hamburgo evangelico p. 169.* Conferatur WILLISCHIVS *de ſtatuis veterum Talismannicis ed. Lips. 1715.*

(*c*) *Diſſ. 38. utrum diis ſint dicandæ ſtatuæ?*

(*d*) *De Bætiliis veterum, ed. Groningæ a. 1715. §. 7. ſq.*

(*e*) *Tr. de diis vialibus plurium populorum p. 6. laudato a* FABRICIO *Bibl. antiquar. c. 8. §. 15.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

NVS *aliique de ſtatuis rolandinis a fabulis purgatis.* Sunt etiam, qui ADAMI BREMENSIS fide Irmenſulam pro ſtipite vel trunco habent *ſtatuæ ſacræ* inſtar erecto, ſive olim honoribus & memoriæ herois, ſive juri dicundo, *cultuique ſacro paganorum* deſtinato. Nec male ita. Quamuis enim *Tacitus* de veteribus Germanis fateatur: *Nec cohibere parietibus Deos, neque in nullam humani oris ſpeciem aſſimilare ex magnitudine cœleſtium arbitrantur, lucos & nemora conſecrant deorumque nominibus appellant ſanctum illud, quod ſola reverentia vident;* negandum tamen non eſt, quod ſub Romanorum præcipue imperio Diis ſuis ſimulacra & ſtatuas dicare cœperint, eorumque Romanos mores ſectando formas demum idolorum effinxerint (*f*), quorum ſacra quidem inprimis proſecuti ſunt in nemoribus & lucis. Inde eſt quod in *indiculo ſuperſtitionum & paganiarum Germanorum* ſeculo VIII. inter plura alia condemnentur *fana & caſulæ Deorum, ſacra ſylvarum, quæ Nimidas* (*g*) *vocantur, ſacra Mercurii & Jovis ſimulacra, quæ per campos portantur, & pagani ritus de ligneis pedibus & manibus.* Nec dubium eſt, hujus generis ſtatuas & arbores Diis dicatas vel eorum imagines referentes exſtitiſſe olim in permultis oppidulis & locis præcipue ſeptentrionalibus, quod WORMIVS & RVDBECKIVS teſtantur. Apud *Friſios* præſertim STAVO ipſorum idolum a *ſtab*, ſtipite dictum, & apud *Wagros Oldenburgenſes* teſte HELMOLDO *Chron. Slav. L. I. c. 3.* vetuſtiſſima quercus, arboribus & ramis circumſepta, deaſtro *Proven* olim conſecrata fuit; quod PETERSENIVS explicatius narrat (*gg*). Nec aliud dicendum eſt de *Pomeranis veteribus*, qui magnam quercum in luco *Rahholtz* conſpicuam prope Stargard olim cultu exceperunt. Quod idem conſtat de Megapolitanis, ſpeciatim *Exenienſibus*, incolis loci vel oppiduli *Exen*, a querceto nominati, cui olim tam peregrinationes ſacræ (*h*), quam ſodalitia S. Johannis, item Sacellum Sanctum reliquiis ſanctorum refertiſſimum & judicium provocationis ad quercus, *Aicheding* inde vocatum, famam haud levem conciliarunt. Cujus iliceti ſeu *ad quercus & arbores judicii* veſtigia & alibi teſte LEVCKFELDIO *in antiquitat. Blanckenb. p. 53.* reperiuntur; præcipue apud Auriacos Friſios orientales, quorum olim conventus judiciales habebantur *ad locum Upſtallesbome*, hoc eſt, ad erectiores & proceras quercus, a quibus eorundem vetuſtæ leges dici ſolent *Upſtallesbomicæ.* Pertinet huc Anglo-Saxonum ſeu veterum Holſatorum conſuetudo, qui ab arboribus, locum judicii communis (*i*) vocarunt *Dingsbom* ſeu arborem juſtitiæ. Quid? quod ſupremum judicium annuum, olim & ad finem usque ſeculi XVI.

Et Adami Bremenſis de ſtatua ſacris paganis deſtinatæ.

De cultu arborum.

Exempla de arboribus Deaſtris ſacratis apud Friſios.

Apud Wagros. Pomeranos. Megapolenſes.

De judicio ad quercus ſeu Iliceto exempla.

De ſacris arboribus apud Holſatos.

(*f*) Docet hoc ECCARDVS *rer. Fr. L. I. p. 417.* exemplis imaginum Thori, Wodani, Frejæ, Puſteri.

Nimidarum explicatio.

(*g*) *Nimidæ* ſunt ſacrificia *novem capitum* ſeu animalium, interprete ECCARDO *c. l. p. 411.*

(*gg*) *Chron. Holſat. P. I. p. 17: Vor dieſem Bilde war ein Abgott gebauet, drauf pflegte man ihm zu opfern, ein hoher Zaun war hie umher mit zwo pforten; den Baum, nemlich den Richbaum, worauf das Götzen-Bild geſtanden, durf niemand anrühren, den allein der Pfaff.*

(*h*) Vulgo *Wallfahrten*, *quæ a Wald* ſilva & a *peregrinatione* nomen ſortitæ ſunt.

(*i*) De veterum Germanorum judiciis *Stapel* dictis vide infra in Notis ad jus Sverinenſe.

XVI. inter Itzehoam & Rensburgum ſub dio celebratum ſolemni formula appellaverint *den järſchen Balcken*, idque quidem ob arbores judiciales circulatim & decuſſatim poſitos. Placet tranſcribere verba *veteris juris Pagorum Holſatorum*, *Ding und Recht*, quæ articulo XIII. ita fluunt: *So ju un juwen hovtman hir hüte en Ordel thogedeelt würde, dat em un ju nich framlick wäre, möget gy wol fart finden de Gegenordels unde ſchelden* (*k*) *dat van diſſer Stede, bet up ene andre belevelicke ſtedt, da jy ju en beter Ordel vermoden, als vor dat erſt uthgehende Göding* (*l*) *un vor den järſchen* BALCKEN, *dar myn gnädig ſte Herr recht holden let.* Inde puto explicanda eſt formula veterum Saxonum: *Das Gerichte hegen, die Hegung des Gerichtes*, utpote a *Hage* ſeu ſepimento vel circulo judicii ex fagis & eſculis, ramisque & lapidibus confecto, denominata; cujus ritus teſtimonia & exempla præcipue Saxonum, Slavorumque Wagriorum afferunt HELMOLDVS *L. I. c. 48.* SAXO GRAMMATICVS *L. I. p. 86.* CILICIVS *de bello Ditmarſico &* HACHENBERGIVS *in Germania media.* Ipſe pagi & judicii ruſticani præfectus a Germanis vocatus eſt *Hagemeiſter*; judicium vero colonarium ipſius dictum olim fuit *Hachting*, *Hageding*, præcipue apud (*m*) Weſtphalos & Francos. Addo, quod veterum Holſatorum antiqua formula proceſſualis (*n*) in litis ingreſſu uſitata originem debere videatur ſanctitati arborum fuſtiumque, adeo ut judicium ipſum & judex venerint ſub appellatione *Stab*, *Stave*. Explicat hoc argumentum codex argenteus evangeliorum a FR. IVNIO & THOMA MARESCHALCO editus, ubi (*o*) tribunal dicitur STAVASTOL, judex *Stava*, judicare *ſtaben*. Unde facile explicari poterunt vocabula & formulæ juris: *Stare in judicio*, *Standgericht*, *Stabregiment*, *Stapula*, h.e. forum principale, *Ariſtabo* in Lege Salica Tit. 17. *h.e. Ehrenſtab* ſeu munimentum ſepulchrale, item *Staplum Regis* in Lege Ripuaria Tit. 75. *h. e. ædificium ligneum* in ſtatuæ & turris formam aſſurgens, alio vetuſto nomine vocatum *Pfaltz* a *phala* ſeu turribus ligneis (*p*). Appoſite SPELMANNVS (*q*) hoc argumentum explicuit voce Boica *Stapfſaken*; dum *priſcus*, inquit, *hic apud Bojoarios ritus fuit, cujus Dux eorum Taſſilo in Decreto meminit inter leges provinciales §. 7. ſtatuens: De Bojariorum Stapfsaken, quibus ex vetuſta conſuetudine paganorum* IDOLOLATRIAM *reperimus, conſtitutum ſit, ut deinceps non aliter ſic dicat, niſi qui quærit debitum ſeu injuſte ablatum.*

Earumque uſu in judicio conſtituendo.

Formando & adminiſtrando.

Explicatio vocum huc ſpectantium.

(*k*) Hoc eſt impugnare ſententiam, appellare; quod ex *Tacito* patet: *Dum*, inquit, *diſplicuit ſententia, fremitu aſpernantur.* Idem habetur *in ſpeculo Sax. L. II. art. 12.* & jure *Ditmarſico vet. art. 15.*

(*l*) Iudicium ſecundæ inſtantiæ in pagis.

(*m*) HERM. AD. MEINDERS *diſſ. de judiciis centenariis p. 186.*

(*n*) *Man ſchall hir twiſchen uns kamen und uns dat recht avwinnen mit Stave*, in judicio, *und mit Lave*, *h. e. Gelübde*, *cautione.*

(*o*) *Matthæi Capite XXVII. 19. V. 25. Iohann. C. VIII. 16.*

(*p*) Quod optime contra Eccardum obſervat WACHTERVS *gloſſar. p. 1587.*

(*q*) *Gloſſar. archæol. p. 522.*

tum. Audito reo dicat iterata voce: debitum requiro: extendamus dextras noſtras ad juſtum judicium Dei. Hactenus Taſſilo. Tranſit vocem hanc vir acutus Lindenbrogius, quod me monet, ut mihi caveam in explicando. Opinor tamen de lite dici, quæ ante IDOLORVM STATVAS *conteſtata fuit; nam Saxonice memini me alicubi legiſſe Staf vel Stef pro* Statua, *ſaca* autem & *ſac* cauſa *eſt, & Stapfsaken* cauſa ad idolum delata. *Statua vero ſeu Stava Germanis & Anglis eſt Staff.* Et ſane quanta olim veterum majorum fuerit truncorum arborumque fagorum veneratio & præcipue dryolatria; id ſatis quidem ex legibus conſtat prohibitivis, contra cultores *arborum ſacrivarum vel ſanguinum* h. e. Diis conſecratarum vel hoſtiæ ſanguine adſperſarum, promulgatis in conciliis Galliæ *Antiſſidiorenſi, Nannetenſi, Arelatenſi, Turonenſi,* item *Toletano XII. a. 681. & 692. Rotmagenſi &* a CAROLO M. a. *789.* LVDOVICO PIO pluribusque Regibus & Principibus chriſtianis, ſpeciatim ſeptentrionalibus (*r*). Præcipue id ipſum elucet ex Sacris ſilvis, ex lucis & caſtis nemoribus Svevorum, Anglo-Saxonum, Friſiorum Sveonum (*s*); ut & e conventibus & comitiis olim in ſilvis vel ſub frondoſis arboribus inſtitutis, quin etiam ex antiquiſſimo more, templa ſacra in ſilvis (*t*) fundare vel arboribus ſacrativis circummunire. Collineant huc veterum conſecrationes quercuum capitolinarum, divis poëtis olim dicatarum, & ipſa locorum arborumque nomina a ſacris lucis & quercubus oriunda, quorum reliquiæ & memoriæ etiam nunc id loquuntur. In Holſatia huc ſpectare videtur locus, nunc pagus Trittovienſis *Eiche, Eichede,* ſacris gentilium quondam famoſus, *& ſacrata quercus editior prope Bordesholmiam* olim celebratiſſima *Schwerck-Eiche ſeu Zwercheiche,* a nanis ſeu dæmonum genere vulgo ita vocata (*u*). Idem ſtabiliunt *ſtatuæ & arbores ſacrivæ in* HELGOLVNDIA (*v*) *& miraculoſa vulgo quercus miræ magnitudinis in* DITMARSIA *prope Henſtedium* (*w*) loco editiori poſita, cujus rami omnes cancellatim infle-

Plures probationes de Germanorum præcipue dryolatria.

Et conventibus ſub annoſa quercu.

Reliquiæ hujus rei apud Holſatos.

Et veteres Cimbros, Teutones & Marſos.

xi

(*r*) Vide KEYSLERVM *c. l.* MESSENIVM *in Legibus Svecorum per* RAGVALDVM INGEMVNDI latine verſis a. 1481. L. I. c. 1. ubi ita: *Nemo idola colet aut in lucis & lapidibus fiduciam collocabit.*

(*s*) Quorum meminerunt, TACITVS *de M. G. c. 39. 40. Annal. L. IV.* AD. BREMENSIS aliique citati ab ECCARDO R. F. Libr. XXIII. p. 412.

(*t*) Docet hoc *diploma Henrici Leonis Raceburgenſi eccleſiæ datum a. 1158. Damus etiam Raceburgenſi epiſcopo omnes eccleſias cum jure præſcripto in terra Bütin, Nüſer, S. Georgii in Raceburg & eccleſias adhuc in* SILVIS *fundandas per totam ſadelbandiam.*

Zwerchlöcher & Zwercheiche prope Bordisholmiam.

(*u*) Quod conſtat ex *Edda Islandorum*, quæ memoriæ prodit, quod moles lapideæ ſepulchrales ſeu colles & tumuli ſaxei a nanis ſpiritibus ex vulgi opinione inhabitentur, a plebe ideo vocati *Zwerchlöcher*, antra ſpirituum. Id ipſum fere aſſeritur de quercubus ſacro cultui dicatis, quas a Spiritibus horumque præſidiis defendi fabulabantur. De quercus Bordiſholmenſis olim ſacerrimæ cultu teſtes laudo CORONAEVM *in antiquit. Bordisholm. MSC.* ARNKIELIVM *de Relig. Cimbr. gent. c. 30. §. 11. p. 176.* & FRID. VLRICVM STISSERVM *in noviſſime edita Hiſtoria foreſtali & venatoria germanorum C. XI. §. 11. p. 513.* ubi ita; *Die Sclaven erwehlten gleichfals zu ihrem Gottes-Dienſt die älteſten Eichen. Die Heſſen opferten bey dergleichen Bäumen ohnweit Fritzlar; es hielten die Holſteiner die ſo genante Schweneck-Eiche (Schwerck-Eiche) zwiſchen Spreng und Blumenthal im heiligen Werth.*

(*v*) i. e. *ſancta ſilva*, hodie *heilig Land.* P. SAXIVS & CNOBLAVCHIVS *tr. de Heligolandia* ibique locus TACITI *de Mor. Germ. cap. 40.* quem plures ad inſulam Rügiam trahunt.

(*w*) IOH. ADOLPHIDES *hiſt. Ditmarſ. MSC. L. I. f. 223.*

xi mireque pertexti & divini adeo visi fuerunt, ut Teutones & Marsi arborem instar oraculi diutissime coluerint & ex ejus ramusculis & nidis præsagia adhuc circa annum 1556. tulerint de fatis & amittenda libertate Ditmarsorum. Nec oblivione obliterata est memoria alni arboris apud *veteres Saxones* & CIMBROS (*x*) instar simulacri divini diu habitæ, ut plures taceamus statuas & columnas apud ANGLO-SAXONES cultui olim rite adeo consecratas, ut observante CAMBDENO cum ipsis Anglo-Saxonibus etiam columnæ sacræ in *Britanniam* migraverint, & ubique statuæ quadratæ, Hermæ dictæ, per vias dispositæ fuerint (*y*) instar numinum vialium. E Cimbria ad Megapolin transimus, ubi non desunt nomina, quæ hujus rei memoriam refricant. Laudatum supra oppidulum *Exenium* vulgoque *Mühlen-Exen*, gentilium *mallus* fuit seu conventus eorum solennis, sacer & judicialis ad quercus. *Gadebusum* item querceto & luco olim circumcinctum, sacer & silviger ille locus audit, quo famosi Radegasti, oraculi & Apollinis Slavorum horrida sacra solenniter diuque celebrata sunt, ut destructo demum anno 1151. a NICOLOTO principe Obotritarum & *Adolpho* Comite Holsatorum fano Radegasti, memoria ipsius relicta sit in appellatione pagi *Gadebuschi*, h. e. Deastri silvæ. Refero huc locum ob primam Slavorum baptizationem a Carolo M. a. 789. institutam satis famosum, *Prosèke* dictum Wismariæ vicinum, quem alii a *prosequi* vel *præ & sequar*, plures a *Prononis quercu* seu cultu appellatum volunt, rectius vero explicari putaverim, locum justitiæ, seu ad sacratas quercus judicium, dictum quidem vel a veteri theotisco *prod* seu *pruz*, quod notat *jus*, *judicium*, *distributionem*, vel a Slavica voce *prov* justitia; unde *Provonem* Deastrum Wagriorum dixerim *Justitiarium*. Idem de pago veteri *Buco Alten-Bukau* a fagis sacris (*z*) nuncupato Annales asserunt; quorum fide & hoc liquet, quod ipsi veteres *Triboci* (*a*) & vicus etiam nunc notus Alsatiæ *zu dreyen Büchen*, item castellum *Hochbuchi* (*b*) in Stormaria,

Observatio Cambdeni.

Exempla alia petita a locis Slavicis Mecklenburgicis.

Etymon Prosèke pagi & Provonis deastri.

(*x*) ARNKIEL *Cimbr. Heyd. Relig. p. 179.*
(*y*) OTTO *de diis vialibus p. 60.*
(*z*) CLVVERVS *L. II. Germ. antiqu. c. 2.*
(*a*) IO. BALTH. BEBELIVS *diss. de Tribocis §. I.*
(*b*) A Francis aliquando *Hochburi* seu *Sagenburg*, ab EGINHARDO *Hochsiburg*, ab aliis *Hoscoburg* vel corrupte scriptum vel de aliis locis *Sachsenburga*, *Osnaburga* intellectum, judicio ECCARDI & LINDENBROGII. Frequentissima *lectio est castellum Hochbouchi*, *Heobuki*, in Annalibus Francorum & Fuldensium apud FREHERVM & PITHOEVM. Quod a fagis patulis seu altis nominatum videtur Albique flumini contiguum, per Wilsos a. 810. destructum & a Carolo M. a. 811. restauratum legitur, nomine *Buchborg* seu *castelli*, *Silva fagi-nea circumdati* olim, hodie elogio *Hamburgi* conspicuum; ceu ex *Annalibus Francorum ad a. 810. ex* LAMBERTO SCHAFNABVRGENSI *apud* PISTORIVM *R. G. T. I. p. 153.* ALBERTO STADENSI *a. 833.* ADELMO *a. 810.* aliisque scriptoribus & ex passionali antiquo patet apud STAPHORST. *T. I. Hist. Eccles. Hamb. p. 325.* Equidem ECCARDVS *rer. Fr. T. II. p. 83.* locum *Hochbuki* a FAGIS dictum Linonibus, ut tradit, oppositum, a *Hammaburgo* in terra Smeldingorum sito & castellum INDAGINIS nominato, integris plane parasangis differre comminiscitur; sed finxit hæc omnia, ut loco *Hochbuki* saltim laudatissimum suum *Connoburgum* substitueret. Certe inter nominis allatas rationes, nec quicquam occurrit diversitatis; *fagus* enim idem ac *indago*, unde pagi *Volckshagen*, *Munchshagen*, & nobiles *de Hagen* in vetustis chartis appellantur indago Valquini, Monachi & nobiles de indagine. Nec, quod de Linonibus attulit, fidis innititur rationibus historiarum. Curatior et-

Castellum Hochbuchi dicitur a fagis patulis.

Item Buchborg, hodie Hamburgum.

Dissensus Eccardi notatur.

Remissio ad exempla regionum plurium germanicarum.

An huc pertineat Irmensula?

ria, *Buckovium* quoque Lubecense (*c*) & alia plura locorum ac Monasteriorum nomina (*d*) Hassiæ, Franconiæ, Sveviæ, Bavariæ, Lithuaniæ, Poloniæ, Hungariæ, origines & appellationes nominum debeant sacris silvarum arborumque fagorum. Et ad hujus generis cultum truncorum & arborum pertinuisse videtur columna, quæ Rostochii numinis honorem olim obtinuit, & a Waldemaro I. Rege Daniæ Vulcano tradita est, teste *Saxone-Grammatico* (*e*). Qui vero decantatam Irminsulam huc referunt, argumento plerumque uti solent a fide eorum petito, qui pro ipsa Saxonum Irminsula venditare audent stipitis septem pedalis monumentum, quod hodieque HILDESIAE in templo Cathedrali S. Mariæ dicato (*f*) ostenditur. Sed docuit CASPAR CALVOER *in Saxon. inf. ant. gentili p. 37. seqq.* quod hoc monumentum non sit ethnicum, sed Christianum; non statua, sed candelabrum a Ludovici Pii ecclesiæ fundatoris conjuge *Irmengarda*, vel in hujus memoriam a marito in ornamentum & illuminationem templi donatum, divæque Mariæ imagine, quam basis refert, condecoratum. Frustra vero Irmensula inde mutatur *in statuam Irmengardæ*, *Irmengardts-Säule.* Nondum enim de Irmensulæ Eresburgensis ad Hildesheimenses translatione ex fidis rationibus constat, nec ipsa truncum & columnam saltem, sed fanum simul & imaginem exhibet viri armati, in cujus dextra vexillum cum rosa florente, in sinistra bilanx, in pectore ursus, in scuto leo, in galea seu casside gallus conspiciuntur (*g*).

Observatio de ritu ejectionis idolorum sub nomine mortis a cultu arborum & statuarum oriundo.

Sed quicquid demum sit, id parum a certitudine abest, quod a veteri hoc cultu statuarum & idolorum gentilium in columna plerumque positorum descendere videatur ritus in opprobrium veterum imaginum sacrarum post receptum Christianismum sine dubio inventus, quo in plurimis olim pagis & civitatibus statuam seu imaginem hominis similitudinem habentem ex ligno & stramine vel ex be-

---

Etymon Hammburgi.

iam reliquis est nominis *Hammaburg* derivatio a *Hamm*, silva, & *burg*, castro, fortalitio. Cui quippe etymo suppetias ferunt plura vocabula: *Hammebrock* prope Hamburgum, pagus *Hamme*, Hamburgo vicinus, *Hammey* silva Marchiæ Brandenburgensis, *Hammer* pagus Holsatiæ, *Hamme* vetustum castellum silvestre Ditmarsiæ, *Hammerum* in Iutia & Norwegia; quæ singula a *silvis* appellantur. Consentiunt ADAMVS *Bremensis L. II. hist. eccles. c. 8.* LAMBECIVS *Orig. Hamb. p. 2.* STAPHORST. *P. I. p. 12. 489. 615. sqq.* MEIBOMIVS *rer. Germ. P. I. p. 417.* RVDBECKIVS *Atlant. T. I. p. 528.*

Bukovium. Scriptores de aboribus & silvis sacris.

(*c*) Lubecam olim *Bukovium* vocatam esse asserit DLVGOSSVS *Histor. Polon. L. I. f. 66.*

(*d*) Recensita a SCHMINCKIO *diss. de arbore seu statua Jovis, Thori Germanici, Hassiaca,* quam S. Bonifacius amputari jussit; HARTKNOCHIO *rer. Pruss. diss. 6. 7. 10. 14.* ARNKIELIO *d. l. c. 30.* KEYSLERO *antiqu. Celtic. p. 66. sq. & summatim a* SCHVRTZFLEISCHIO *disp. de Druidibus p. 19. sq.* Sed omnibus in declarando hoc argumento fœcundior & instructior est laudatus STISSERVS *in der Forst und Iagdhistorie der Teutschen cap. II.* quod agit *de sacris silvis & arboribus veterum Germanorum, Semnonum, Rugiorum, Nortwalorum, Hercyniorum, Svecorum, Porussorum, Saxonum, Thuringorum,* & speciatim de sacra *quercu Ramavensi, Upsaliensi, Porussica, & Welaviensi.*

De statua sacra Rostochiensi.

(*e*) *Histor. Danic. Lib. XIV. fol. 295. edit. 1644.* ubi ita: *Urbem quoque Rostock oppidanorum ignavia destitutam nullo negotio perussit, statuam etiam, quam gentis profana credulitas, perinde ac cæleste numen divinis honoribus prosequebatur, incendio mandavit.* Plura de hac statua disseruit FRENTZELIVS *in schedis MSC. de Diis Slavorum,* sed statuam hanc vel Sivæ dicatam, vel ipsius imaginem habuisse minus recte conjecit ex MARESCHALCO *Lib. I. annal. Her. & Vand. c. 4.*

(*f*) WEISIVS *c. l. p. 407.*

(*g*) De quibus PONTANVS *L. IV. Histor. Dan. a. 772. p. 89.* MEIBOMIVS *c. l.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

betulis & ramuſculis abiegnis vel querceis confectam, in pertica vel columna poſitam ſub mortis titulo inter ejulationes & querulos cantus oſtiatim publica proceſſione circumtulerunt inque foveam vel aquam demum inter contumelias præcipitarunt vel in ignem conjecerunt. Venit inde hæc conſuetudo ſub nomine *expulſionis ſeu ejectionis mortis Todt-Austreibung*, factæ plerumque die Dominica Lætare, quæ alias *de roſa*, *Majalis*, item *refectionis de panibus*, & propter citatum ritum dici ſvevit *Dominica atra & mortuorum*, *Todten-Sonntag*. Cauſam appellationis hujus ritus, Scriptores Poloniæ & Sileſiæ (*h*) repetunt a MARZANA ſeu MORZAWA, quæ eſt Nex Slavorum ſeu Dea mortis, a Polonico *Morze*, interficio, forte ita dicta. Quam *Poloni*, *Sileſii & Tranſylvani* regnante & mandante *Micislao* idolomaniam ethnicam ejurantes, & ad veri unius Dei verum cultum tranſeuntes deſtruxiſſe & cum Dea *Dzievonia*, h. e. Dea ſilveſtri ſeu Diana, aliisque Deaſtris *Jeſſa*, *Lactone*, *Nia*, *Letho*, *Poleto*, cæterisque quorum pertæſi erant, vel in cineres cremaſſe vel in aquam & ignem projeciſſe feruntur anno 965. die $\frac{17}{7}$ Martii, quæ erat Dominica Lætare. In teſtimonium igitur ſublatæ idololatriæ & in memoriam converſionis ad Chriſtianiſmum hunc ritum invaluiſſe autumant, cui tamen opinioni & hoc obſtare videbitur, quod ritus iſte deportationis & ejectionis mortis non ſaltem in *Poloniæ Tranſylvaniæ & in Sileſiæ pagis* & civitatibus *Wratislawiæ*, *Lignitzio*, *Brega*, *Wolawia*, ſed finita gentium ſuperſtitione ubique ferme in Chriſtianæ Germaniæ partibus uſum obtinuerit. De *Bohemia* (*i*), *Saxonia*, *Franconia*, *Miſnia*, *Thuringia* teſtantur MATTH. DRESSERVS *in tractatu de Feſt. p. 16.* & ZACHAR. SCHNEIDERVS *Chronic. Lipſ. L. IV. p. 143.* ſpeciatim ex reſponſo Conſiſtorii Jenenſis docuit ZEVNERVS *c. l. §. 14.* quod ruſtici in *præfectura Jenenſi* hujus decantati ritus tenaces fuerint adhuc anno 1699. d. 21. Martii, Dominica Lætare, cenſura eccleſiaſtica & captivitate ad emendationem & obſequium demum revocati. De reliquiis ejusdem olim conſuetudinis apud *Lipſienſes* ſpeciatim ediſſerunt SCHNEIDERVS *c. l.* PEIFFERVS *Origin. Lipſ. L. III. §. 18. p. 312.* & PAVL. CHRIST. HILSCHER. *Diſp. de mortis ejectione edit. Lipſ. p. 690.* Hildesheimii vero hæc ſolennia in deſvetudinem nec noſtra quidem ætate abiiſſe referunt IOANN. LEZNERVS *in Chronic. Corbeienſi c. 18.* ARNOLDVS *c. l.* & MEIBOMIVS *de Irmenſula c. l.* qui tamen cum MARESCHALCO fruſtra hunc ritum veteri cultui & memoriæ *Irmenſulæ* vindicant, hujusque ſtatuæ exiſtentiam & reliquias apud Hildesheimenſes inde aſſerere ſatagunt, quod utrumque oppido falſum (*k*). Quin apud HALBERSTADIENSES præcipue *Canonicos Cathedrales* ſpectacula hæc mortis ejectionis a multis ſeculis fere

Ratio appellationis, non petenda a Morzana Polonorum. Etymon Morzanæ & Dzievoniæ.

De ritus hujus uſu apud Polonos, Sileſios, Bohemos, Saxones,

Jenenſes

Lipſienſes,

Hildesheimenſes,

Halberſtadienſes.

(*h*) DLVGOSSVS *Hiſt. Polon. L. II. f. 94.* MART. CROMERVS *de Orig. & reb. geſt. Pol. Lib. III.* GVAGNINVS *in Chron. Pol. Lib. III.* CVRAEVS in *annal. Sileſ. p. 32.*

(*i*) De hoc ritu in locis ad Muldam hodieque celebrato late ſcribit IOH. CASP. ZEVNER. *diſſ. de Dominica Lætare. §. 10. ſqq.*

(*k*) CALVOER *in Sax. inf. ant. Lib. I. c. XI. p. 45.*

fere ad reformationis ſacra, certe usque ad adminiſtrationem IOHANNIS ALBERTI, *Marchionis Brandenburgenſis & Archiepiſcopi Magdeburgenſis* in publico loco ante templum cathedrale quotannis in Qvadrageſima dominica Lætare expoſita fuiſſe & ita celebrata, ut pyramidem quandam capitatam columnæ impoſitam, ejaculatis fuſtibus dejicere tentaverint, canentes Antiphonam: *Auferte hinc dicit Dominus, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis*; id quidem fuſe recenſet GEORGIVS TORQVATVS *in Annal. Magdeburg. & Halberſtad. P. III. l. 1. c. 9.*

Norimbergenſes, Eundem morem *Norimbergæ* & alibi, ubi larvam ſtramineam aqua ſubmergunt, etiam nunc obſervari teſtatur IO. CHRISTOPH.

Luſatos, EBERLINVS (*l*). De Luſatiæ nonnullis locis, in quibus hodieque mos iſte exportationis mortis haud exolevit, teſtes ſunt ABRAHAMVS & MICHAEL FRENCELII *fratres* (*m*). Cimbriæ Friſiæque *oppidula* & pagos ejusdem fere olim ritus obſervantes

Cimbros, Holſatos, PETRVS SAXIVS *in Friſiæ Septentr. deſcriptione* nominavit; quibus addenda eſt civitas Wagriæ Holſatorum *Oldenburgum*, ritus hujus mordicus olim tenax forte ex eo tempore, quo Vicelinus Epiſcopus deſtrui curavit Oldenburgenſium Deaſtros *Provonem & Siwam*, Deam illam vitæ ſeu Evam Slaworum, cujus utriusque nominis memoria etiam nunc ſuperſtes eſt in nominibus vicorum *Pronſtorp & Sibſtorp*, civitati Oldenburg vicinorum, & in nomine oppiduli Mecklenburgici *Siwani* hodie *Schwan*, ſtatua

Megapolenſes. & cultu Siwæ olim præſtabilis. In Megapoli præcipue *Swerini, Güſtrovii, Roſtochii, Ribbnitzii, Dobberani, Raceburgi, Swani Rhenæ*, aliisque in locis & oppidulis, ubi *Siwan, Radegaſtum, Swantewitum, Parenitonem* olim in cultu habuerunt, hujus generis ritus ante ſeculum XV. haud plane abrogatos fuiſſe, docent patriæ veteres Annales, documenta & chartularia; ut plures partes regionum taceamus, ubi *Marzana* Polonorum cultu excepta nunquam fuit, ſed ſolemnitas idolorum ſub mortis nomine ejectorum nihiloſecius obtinuit. Amplior igitur & probabilior eſt conjectura HILSCHERI *c. l. & Nerretteri* (*n*), quod ritus iſte, *Das Todt-Austreiben, der Todten-Sonntag*, renovet memoriam eliminati per

Denominatio ritus an derivanda a Deaſtro Teut? Chriſtianiſmum eminentis inter reliquos Deaſtri *Teutis, Thiod, Thoth, Teutatis*, omnium fere olim Septentrionalium Germanorum & Megapolenſium quoque idoli præcipui (*o*). Sed nec hæc opinatio cauſam conficit, vel ideo, quod quæ de Teutone DEO vel indigena & terræ filio vel heroe & gigante dicuntur, extra dubium plane non ſint collocata, nec ubique locorum applicationem admittant, nec ævo deſtructi gentiliſmi, nec ritui vulgari & communi, nec ipſarum gentium in Germania & extra illam ad chriſtianam

---

(*l*) *De ominoſis diebus Dominicis p. 7. ſqq.*

(*m*) Iſte, *in commentar. de Diis Soraborum Sect. 2. c. 29. §. 12.* Hic *in diſſ. 3. de idolis Slavorum. §. 8.*

(*n*) *In templ. Iud. & Gent. ed. 1701. p. 745.*

(*o*) Quod docent GERH. IO. VOSSIVS *L. I. de Orig. & progreſſu idololatr. c. 37. L. II. c. 13.* MARESCHALCVS *L. I. Annal. Herul. & Vand. c. 7.* LINDEBERGIVS *chronic. Roſtoch. L. I. c. 3. p. 15.* MÜNSTERVS *Cosmograph. L. III. p. 1124.*

nam fidem converſarum inſtitutis morumque ſimplicitati conveniant. Idem dicendum erit de conjectura eorum, qui Aegyptiaca ubique gloriantur, & a menſe Majo, cui apud Aegyptios nomen *Thot* inditum fuit, Dominicam Lætare apud veteres *Majalem h. e. mortis* vocatam eſſe comminiſcuntur; quæ ipſa conjectura nec tempori Quadrageſimæ nec rei denominationi reſpondet, utpote repetendæ non a *Majo*, ſed a betulis *den Mayen*, frondentium ramuſculorum primitiis, uti ex antiquitatibus Græcorum eruit ex inſtituto IOH. GEBHARDVS, *Bibliothecarius Wratislavienſis in programmate* Εἰρεσιώνῃ *Attica in feſto Pynneſſiorum.* Cui addenda ſunt veterum *Germanorum* comitia *Majalia a* PIPINO *a. 755.* menſe Majo inſtituta, *Maji campus* vocata, ſicuti in pacto *Legis Salicæ tit. 2. L. 14. 18.* porcus *Majalis ſacrifus* dicitur, qui in campo Majo mactabatur idoneus & pinguefactus ad ſacrificium. Propius ad cauſam accedit ſimplex opinio TORQVATI *in Annal. Magdeb. c. l.* ubi ita: *Solemni hoc ritu autores retinere voluere apud poſteros ingentis iſtius laboris & ſtudii memoriam, quod Carolus M. impendit ad deſtruenda regionum idola, quæ Saxones in* COLVMNA *poſita ut* DEVM *venerabantur; ſimul vero commonefacere, ut pro ſuis quisque viribus & officio adniteretur religionem veram, tot laboribus tantoque ſtudio inter toties ferociter rebellantes Saxones ſemel conſtitutam incorruptam conſervare rejectis & exturbatis e Chriſti eccleſia omnibus aliis dogmatibus verbo* DEI *contrariis.* Etſi vero hæc cogitatio ritus ipſius denominationi luminis nonnihil adfundat; ſimplicior tamen alia hujus rei explicatio verior aliis viſa eſt, huc quidem collineans, quod ipſis primis Chriſtianæ Germaniæ epiſcopis eorumque pro rejiciendis & expellendis Diis mortuis ſectandoque vero cultu viventis DEI factis crebro admonitionibus tribuenda ſint ſolemnia iſta exportationis Deorum ſub mortis denominatione. Dubio enim caret, quod Gentilium idola a laudatis Apoſtolis fidei Chriſtianæ præcipue vocata ſint mortis ſimulacra, capita mortua, Dii vita & vitalitate, ſpiritu omni & anima deſtituti, *nunquam viventes, qui oculos manu artificis formatos habent, ſed nunquam vident, qui ora oſtentabant; ſed muti ſemper fuerant, ſenſu omni carentes inſtar ipſius mortis & mortuorum, quos manus mortalis hominis formaverat* (*p*). Quod vero exportationem ejusque ritum ſpectat, facile ex moribus veterum Saxonum & Germanorum liquet, quod portatio idolorum pertinuerit aliquando tempore tempeſtatis vel imminente periculo ad ſacrorum ſolemnitates. Certe de *Thoro*, *Wodano & Frea* id alii probarunt, quorum capita, ut apparet, etiam in columna Theodoſiana a BANDVRIO publicata, in triumphum deducta ſunt. Nec negandum eſt, quod veteres Germani vetera ſimulacra & imagines Deorum imminente vel exiſtente malo publice exportaverint præcipue in campis & agris, ut ab arvis & pecoribus inclementiam aeris & mala quævis aver-

An ab Aegyptiorum menſe Majo?

Quid ſit Dominica Majalis?

Aliæ conjecturæ de conſuetudinis denominatione.

(*p*) Quæ verba habentur *libro Sapient.* c. XV. v. 15. 16. 17. *Pſalm.* CXV. 34. ſeqq. *Pſalm.* CXXXV. v. 15.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

averruncarent, vel ſegetes fœcundas redderent. Docet hoc indiculus ſuperſtitionum & Paganiarum apud BALVZIVM *T. I. in Capitularibus Carolomanni art. 28.* qui agit de ſimulacro, quod per campos portant (*q*). Sed ad aliud properamus *Mareſchalci* aſſertum de *Parthenopoli*, ſeu Magdeburgo civitate, quam a *Venere* appellari contendit falſo inductus principio, quod Romanorum numina a Germanis ubique culta fuerint urbibusque præcipuis indiderint appellationes. Apud PIRKHAIMERVM & PTOLOMAEVM ideo Magdeburgum dicitur *Meſowium*, *Meidenburg* vel *Medenburgum* ſeu *Jungfer-Stadt*, *Virginopolis* ita vocata, ob cultum *Romanæ Veneris* a Julio Cæſare vel Druſo Nerone ibi invectum; quem errorem ſequuntur (*r*) plures, quos BERTIVS *Comm. rer. Germ. L. 3. pungit* his verbis: *Qui Venerem Magdeburgi cultam a Romanis dicunt atque inde nomen ipſi datum, neſcio, unde Venerem didicerint eſſe virginem.* Aliis nomen placet repetere a *Parthena* Julii concubina, quam inter Deas retulit & in delubro apud Magdeburgenſes Veneris inſtar coli juſſit (*s*). Singularis vero eſt opinio ELIAE SCHEDII *de Diis Germ. S. IV. c. 6.* ubi *Amazonibus* ſeu *mazis* ſuis, virginibus, ſi Diis placet, in *Germania Scythica* bellicoſis, originem vocis vindicare ſatagit, notatus propterea a SAGITTARIO *in Antiqu. Magdeburg.* Rectius origo repetitur a *Friga* ſeu *Frea*, conjuge *Othini*, Gothice *Wodani*, quem utrumque Deaſtrum cum filio *Thoro* Septentrionales populi Gothi, Wandali, Angli, Saxones, mirifice venerati ſunt (*t*). Saxonum præcipue religio ſatis eluceſcit ex capitularibus Caroli M., qui ſacra hæc Gentilia *in pago Magdeburg* deſtruxit & baptizandis formulam (*u*) abrenunciationis Deorum Dearumque non *Romanorum*,

Mareſchalci aſſertum de Parthenopoli.

Quæ non dicitur a Venere,

Nec a Parthena Parthenopolis;

Sed a puella Dea Friga Germanorum Venere,

Magdeburgi olim culta.

De ſtatuarum circumportatione per campos.

(*q*) De qua ſuperſtitione ECCARDVS *in reb. Franc. L. I. p. 437.* exemplum retulit ex vita b. Mareſwidis collegii ſanctimonialium nobilium prope Bilefeldiam comitatus Ravensburgenſis fundatricis, verbis, quibus ipſe ritus publicæ circumportationis idoli ſeu ſancti patroni eccleſiæ præcipitur, ſequentibus: *Statuimus, ut annuatim ſecunda feria Pentecoſtes patronum in parochiis veſtris longo ambitu circumferentes & domus veſtras luſtrantes pro gentilitio Ambarvali in lacrymis & devotione vos mactetis, ad refectionem pauperum eleemoſynam comportetis & in hac curti pernoctantes ſuper reliquias vigiliis & cantibus ſolennizetis, ut prædicto mane determinatum a vobis ambitum pia luſtratione complentes ad monaſterium cum honore reportetis. Confido autem de patroni miſericordia, quod ſic ab eo Gyrade terræ ſemina uberius proveniant & variæ acres inclementiæ ceſſent.* Quem ipſum ritum Germanos a Romanis didiciſſe probabile eſt. Conſtat enim, quod hæc ſolemnia apud illos venerint ſub nomine *Ambarvalium* ab arvis dictorum, item *Rubiginalium* a rubigine, quam circumportatione hoſtiæ Ambarvalis a campis repellere putarunt.

(*r*) Cum CRANTZIO *Sax. L. II. c. 10. & 12.* NERRETTERO *Templ. Iud. & gent. p. 961.* ERNSTIO *var. Obſ. L. II. c. 19.* POMARIO *Chron. Sax.* DRESSERO, PETRO ALBINO, CHRISTOPH. ARNOLDO aliisque.

(*s*) ANDREAS WERNER *in Chron. Magdeburg. p. 3. 4.*

(*t*) De quo argumento vide SNOR. STVRLAEVM *in Edda Myth. 18.* IOANN. PERINSKIOLD *in notis ad vitam Theodorici p. 353.* TORFAEVM *Hiſt. Norweg. P. I. L. 3. c. 16.* EIVSDEM *Ser. Reg. Dan. L. III. c. 3. 4. Vetuſtiſſimam* CHRONOLOGIAM *Regum Anglo-Saxonum ab Othino deductam apud* LEIBNITIVM *in Scr. Brunſv. p. 47. &* SCHEFFERVM *de antiquis regni Sveciæ* INSIGNIBVS *ab Othini, Freyæ & Thori* CORONIS *repetendis c. 12.*

(*u*) Quam e MSCto Bibliothecæ Vaticanæ *Epiſcopus* PADERBORNENSIS in monumentis Paderbornenſ. primum communicatam STADENIVS inſeruit *ſpecimini ſuo Lectionum Francicarum.*

rum, ſed diſerte numinum *Germanorum Othini*, *Fregæ & Thori* præſcripſit, hujusque rei & propagandæ religionis curam HATTONI Miſſo ſuo & Comiti commiſit. Opinabile vero eſt, *Frigam Fream* ſeu *Freiam* ſub ſpecioſæ virginis imagine cultam, dictam fuiſſe a Celtico vetuſto & Germanico *Frai*, *Frey*, amabili, venuſto; cum quo convenit Anglicum antiquum *Efraw*, i. e. pulchrum, *Freien* diligere, *Fraia* iuvencula, Svecicum *Fria*, Francicum *Frium*, i. e. amice, Gothicum *frigon*, *fryon*, amare, *fryathwa* amor, *friond* amicus, ceu fuſe docent STIERNHELM *in Gloſſario Gothico p. 53.* SCHILTERVS *in Gloſſar. Teuton. p. 330 (v)*. Et dandum forte eſt *Freyæ* ejusque cultui, exemplo & venuſtati, quod veteri ævo Germanorum puellæ & virgines, olim *Mägde*, venerint ſub nomine & appellatione Freæ, quemadmodum apud Latinos virginibus tributa fuit appellatio *Veneris*, apud Slavos vero nomen *Siwæ* ſeu *Dziwæ*, quod Polonis hodieque virginem ſignificat. De Frea loquuntur vetuſtæ Leges Saxonum & Longobardorum, in quibus *Frea* vocatur *virgo pupilla*, quæ eſt ſub protectione & tutela. Ita *lex Longobard.* LVITPRANDI *apud Lindenbrog. p. 589. L. II. tit. 2. L. 4. Si quis Fream alienam ſine voluntate Mundualdi* (TVTORIS) *de caſa moverit, componat ille ſolidos XXXX. Et tit. XI. L. 2.* MVNDEBALDVS, qui *battiderit ſ. male tractaverit, Fream ſuam, mundium* (tutelam) *amittat.* Apud *Cimbros*, *Gothos*, *Islandos*, *Suecos*, & *Norwagios* FREYA notat virginem (*w*), *Hus-Freia*, *Hus-Froa*, domicellam, heram, teſte OLAO VERELIO *in indice* & GVDMANNO *in Lexico Islandico.* Quid? quod Freyæ proprium nomen, puellis olim peculiare adeo fuerit, ut degeneraverit in nomen luſtricum & appellativum, multis in locis Saxoniæque pagis diutiſſime uſitatum; cujus rei teſtimonium vide apud SAM. WALTHERVM *in Orig. & ſingular. Magdeburg. P. III. p. 8.* Nec a veri ſpecie alienum eſt, quod a *virginibus & domicellis* ad matres familias, heras & dominas, adeoque ad omnem demum ſexum ſequiorem hujus, quæ ipſa matrimoniis præerat, Deæ Freæ honorifica appellatio derivata ſit ſub nominibus *Fräulein*, *Frau.* In quam opinionem feruntur RVDBECKIVS, MESSENIVS, OL. WORMIVS (*x*), etſi alii vocem *Frau* a Gothico *Frauja* dominari, plures a *fry*, *frig*, *frey* libero, exemto; pauci vero (*y*) a *frofrair* ſeu ſemine derivare malint. Quæ tamen explicatio Rudbeckio diſplicuit, nec aliis facile probabitur, cum & ad viros præcipue amabiles & colendos ipſum *Freyæ* ſeu *Friæ* Deæ nomen olim tranſierit (*z*), ita ut apud Francos Viri honoratiores hoc elogio ornati fuerint, & apud *Anglo-Saxones Cimbros* Deus olim *Lif Frea* i. e. vitæ dominus, *Folfrea* i. e. populi do-

Dicta a venuſtate & dilectione.

Virgines inde olim vocantur Freæ.

Et Frea nomen ſit appellativum.

Tranſit ad Matres familias,

Et ad viros dilectiores.

(*v*) PEZRONIVS *Ant. Celt.* SCRIECKIVS *in Orig. & reb. Celticis.*
(*w*) Idem WILCKINSIVS, BENSON & *Stephan.* SKINNERVS ad leges & voces Anglo-Saxonicas obſervant de vetuſtis Saxonibus, quibus FREYA idem fuit ac domicella.
(*x*) *In Faſtis Danic. p. 57.* ECCARDVS *diſſ. de præſt. ſtud. etymolog. in Hiſt. §. 2.*
(*y*) ARNOLDVS *de Diis Saxon. c. 6. p. 87.* STIERNHELMIVS *in Gloſſ. p. 49.*
(*z*) Ceu ex OTTFRIDO *L. I. c. V. 69.* patet.

Freæ memoria in die Veneris,

dominus compelletur (*a*). Id certum eſt, Frejæ etiam nunc memoriam obtinuiſſe in appellatione diei, quo ſacra ejus olim & conjugia habebantur, ſexti *Freytag*, Gothis & Svecis *Fredag*, veteribus Saxonibus *Frigedag*, dies amabilis, dies amoris, unde *Freyen*, conjugium inire (*b*). Quin obſervante GAFFARELLO in Curioſitat. inauditis Freæ memoria inter aſtra ſupereſt in *cingulo Orionis*, quod Aſtronomi veteres *colum Frigæ*, hodie vero poſt repurgata Gentilia & recepta ſacra Chriſtianorum *colum Mariæ*, *Marien Rock*, vocare ſveverunt. Aliis huc adferre collibuit vocabula, quibus nil niſi pulchrum & amabile ineſt, *Freude*, *Freund*, *Friede*, Gothice *Frey*. Addunt vetuſtum Germanicum & Batavicum, *Frædmæder*, *Vredwif*, nutrix; nec non oppidulorum pagorumque nomina *Freyburg*, *Freyrup*, *Freyſtadt*. Ab *Othino* vero relictum putant appellativum nomen *Ottilia* hodie corrupte *Diljan*, itemque elogium vetuſtiſſimi judicii veterum Germanorum Holſatorumque *Ding und Recht* (*c*). Quibus addenda ſunt locorum nomina *Odenheim* cœnobium Benedictinum, *Odenſee* in Fionia, *Odenslef*, *Oden*, *Odensling*, in Dania, *Odenslund* i. e. Odini lucus prope Upſaliam, de quo ADAMVS BREMENSIS: *Is lucus tam ſacer eſt Gentilibus, ut ſingulæ* ARBORES *ejus ex morte vel tabo immolatorum divina credantur.* Spectat huc pariter *Odenſor* in Norica & *Eutinum* in Holſatia veteri ævo in ſigillis & chartis, quas ANGELVS *in Chronico Holſ.* ſequitur, *Oitinum*, *Oytin*, pagus *Outin* ſcriptum (*d*). Præcipue tamen *Othini* ſeu *Wodani* Martis Germanorum memoria ſupereſt in quarto die ſeptimanæ, Gothis & Cimbris *Onsdag*, *Othinsdag* vel *Wonsdag*, i. e. dies Wodani, Danis *Wodensdag*, Anglis *Wedensdag*, Scotis *Odenisdag*. Quod vero ſucceſſu melioris temporis aliis Gentilium deaſtris *Crodo*, *Puſtero*, *Drus*, *Thor*, *Helæ*, quæ Othinum comitabatur, & *Aurinæ ac Welledæ* ſive *Holdæ* feminis Germanorum fatidicis accidit, quod nomina eorum in opprobria & imprecationes *Kröte*, *Püſter*, DROSS, *Thor*, *Thorheit*, *Hölle*, *Alrun*, *Hure*, *Unholde*, exierint & commutata ſint; id etiam *Wodano* deaſtro armato & bellicoſo evenit, cujus memoriam etiam nunc apud *Saxones*, *Cimbros*, *Danos* refricat dictio malæ notæ: *Vede* bellum, *Vode* ſeu *Wode* i. e. malum periculum. Inde parœmia apud Germanos & Svecos nata, nec hodie deleta *die Wode ziehet, Oden kommt vorbey:* item formula abrenunciationis ſupra citata æque ac imprecatio apud *Islandos*, FAR TV TIL ODENS: *vade ad Othinum*, i. e. ad perniciem: item Anglicum *Wode*, unde forte eſt *Oede* (*e*), *Einöde*, *Wüſte*. De *Thori* vero ſeu *Thon-*

In cingulo Orionis.

In vocabulis amoris gaudii & oppidorum.

Othini memoria habetur in nominibus appellativis hominum & locorum; Præcipue Holſatiæ & Daniæ,

Et diei quarti ſeptimanæ.

Quare etiam in opprobriis & imprecationibus? Apud Danos, Saxones, Cimbros, Svecos, Islandos.

(*a*) Quod pluribus exponunt BENSON, HICKESIVS *in Grammat. Anglo-Saxonic.*
(*b*) WORMIVS *in Faſt. Dan. p. 56. & in monument. Dan. p. 16.*
(*c*) *Vide* WORMIVM *in monum. Dan. p. 117.*
(*d*) *Vide* HELVADERVM *L. III. Enc. p. 263.* KEYSLERVM *ant. Septentr. & Celt. p. 70.* ERPOLD. LINDENBR. *Hiſt. Dan. c. 17.* Sine fundamento diſſentiunt DANCKWERTHVS *in Topograph. Holſat. p. 195.* ad *Eudoſes Henetos*, & ALEXAND. MOLDE *im Uthiniſchen Stadt Gedächt. p. 9. & 61.*, ad *Batavorum* dialectum Utin, *aus und ein*, *provocantes.*
(*e*) Vide SCHEFFERVM *ant. c. 5. 7.* EVBERGIVM *de memorabilib. Upſaliæ c. 12.* BIRCHERODIVM *in antiqu. Danic. c. 12. p. 259.* & CALVOERIVM *in Sax. inf. antiqu. L. I. c. 12.*

Thondri Jovis Gentium Septentrionalium & filii *Freyæ* memoria in nomine diei ſextæ *Thorsdag*, *Thunersdag* ſuperſtite, variisque apud Danos & Svecos præcipue reliquiis in ſilvis & nominibus (*f*) pagorum & oppidorum legi merentur IOACH. WIELANDVS *diſſ. de Thora p.* 7. SCHEFFERVS *c. l. c. 6. & in Lapponia c. 26.* WORMIVS *in monumentis & faſtis Danicis d. l.* ubi plura adſperguntur de FRICCONE Deaſtro & Priapo ſeptentrionalium, quem cum *Freya*, *Othini filio* plures confundunt. Inſtar omnium fere nominandus eſt RVDBECKIVS, qui (*g*) hoc argumentum ex lapidibus runicis & nominibus urbium, pagorum, locorum, judiciorum, lucorum regumque & virorum illuſtrium Sveciæ ſtudioſe illuminavit. Progredimur ad Mareſchalci Jotutum, quod *Cæotudum* cum paucis aliis (*h*) vocavit venditavitque pro ſtella ſeu ſtatua victoriæ (*i*) in memoriam prœlii inter Henricum IV. Cæſarem, & Lotharium Ducem Saxoniæ in ſilva Welphia, dubio ſæpe Marte conſerti, erecta a Saxonibus. Cujus Jodutæ imaginem fuiſſe dicunt Virum armatum, clava ſubnixum, arma Saxoniæ tenentem, a Wernero epiſcopo Merſeburgenſi demum deſtructum. Conceſſit in hanc ſententiam cum pluribus aliis CRANTZIVS *Sax. Lib. V. 36. Metropol. VI.* 7. addiditque etiam, quod hæc ſtatua ex ſuperſtitione ruſticæ plebis degeneraverit in idolum Saxonicum in omni repentino periculo invocatum, ut etiam nunc inſtanti caſu tragico exſecrabilis illa exclamatio *jodcute* in uſu eſſe nondum deſierit, derivata, ut putat, ab Italico *Jo! mi adjuto, me adjuvate!* Idem repetit SPANGENBERGIVS *in hiſtoria hujus idoli c.* 7. & HENRIC. VAGEDES *in Op. Acad. p. 288.* prolixius diſquirentes de origine formulæ comminationis & exclamationis apud Weſtphalos & Rintelienſes uſitatæ. *Du ſolt jodute rufen.* Nec alienus eſt ab horum traditione THEODORVS HASAEVS qui *Obſerv. de joduta claſſ.* 7. *Biblioth. Brem. faſc. 5. p. 908.* originem vocis inveniſſe ſibi perſuaſit in Saxonum clamore & ſymbolo DIO ADIVTI! quo eos in prœlio cum Imperatore uſos eſſe comminiſcitur. Proxime his accedunt ii, qui formulam precationis IEHOVA, IOVATVTA, Germanice *Gott hilff!* cum *Heldvadero c. l.* vel cum barbaro gloſſatore voces *aja tutti* (*k*) *h. e. Bene omnibus* ſubſtituere, vel hanc ſtatuam *commune confugium vel omnium adjutorium* inſtar Irmenſulæ

Thori memoria in nomine diei ſextæ.

Et in ſilvis, pagis ac oppidis.

Quid Cæotudum ex opinione Mareſchalci?

An dicatur a vocibus Italicis?

An a germanicis, barbaris?

(*f*) Quibus adde TVNDERAM *Cimbriæ oppidum*, *& fide* SAGITTARII *in Antiquitatibus regni Thuringici*, THVRINGIAE *appellationem.* *Tunderæ derivatio.*

(*g*) In *Atlanticæ ſeu Manheimii* P. III. c. 12. p. 454. ſqq.

(*h*) SCHEDIO *hiſt. Mecklenb. MSCt.* WORMIO *monum. Dan. p. 9.*

(*i*) Cujus generis trophæa & ſtatuas Romanorum & Germanorum explicate recenſent IAC. GRONOVIVS *de imaginibus & ſtatuis principum §. 10. ſeqq.* SPONIVS *in miſcellaneis erud. antiquit. ſect. IV.* EDMVNDVS FRIGELIVS *de ſtatuis illuſtrium Rom. c. 2.* IO. IAC. RHODE *diſſ. de ſtatua, memoriæ quatuor fratrum Principum dicata, ut & de prœlio inter Marianos equites & Vitoldum Principem Lituaniæ a. 1370. commiſſo, deque ſtatua inde erecta Rudavienſi §. 7. ſeqq.* IO. SARTORIVS *de hypocryſi gentilium circa cultum deorum ſpeciatim ſtatuarum a diis ad homines derivatarum c. 7. p. 115. ſeqq.* *De ſtatuis victoriæ.*

(*k*) Vide *gloſſarium Romano-Theotiſcum apud* ECCARD. *rer. Franc. L. I. p. 863.* Nihil certi de etymo *Iodutæ* definivit adeoque rem in medio reliquit HEINECCIVS *Elem. Iur. Germ. L. III. p. 660.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

læ explicare geſtiunt. Nec deſunt, qui ex *Jodoute* gigantem ſeu ſtatuam excelſæ magnitudinis exſculpere annituntur, commoti forte ratione, quod apud Anglo-Saxones & Cimbros *jota* gigantem ſignificat, uti patet ex EDDA *Islandica P. I. f. 1.* ubi *Jotumhiem* idem eſt ac *Rieſenheim* (*l*). Sed a voce *Wopen*, vocabulo clamoris & diffidationis, nomen *Joduyt* explicavit IOANNES BVSCHIVS (*m*) *L. II. c. 27. de reformatione Monaſterii in fonte B. Mariæ* hæc referens: In *Monaſterio in fonte B. Mariæ Halberſtadienſis diœceſis ad unum milliare de Helmſted fuit monialis mihi ante multos annos bene nota, quæ reformationi valde fuit contraria dicens; Cum Prior de Hamersleve ad nos venerit, tunc in feneſtra ſolarii ſtabo, & cum ego eum in monaſterium noſtrum ingredi aſpexero, altiſſima voce tunc exclamabo* IODVYT, IODVYT, *id eſt* WOPEN, *quod verbum eſt diffidationis: ut ſic tota familia monaſterii pro earum defenſione concurreret. Cum ergo Prior tempore ſibi conveniente adveniret, ſoror iſta monialis in feneſtra ſtetit ſolarii cum aliis ſororibus, quæ dum os aperiret ad exclamandum claudere os ſuum non potuit, ſed aperto ore hians ſic ſtabat. Cui aliæ ſorores circumſtantes dixerunt, quare jam non clamas, ſicut facturam te jactaſti? quæ ſignum dedit, quod non potuit.* Pertinet etiam huc locus LEERBECII *in Chron. epiſc. Mind. §. 49.* (*n*), ubi ita: *Septima die menſis Martii hora prima dictus proconſul Albert Albrant cum conſulatu & dictis byſtenders cum tumultu euntes ad dictam curiam Ludovici in emunitate conſtitutam, ut dicitur, per vim & per violentiam ſine conſenſu electi Domini Wilbrandi ac capituli Mindenſis, eis minime requiſitis, ſed ſpretis dictas tres honeſtas Dominas miſerabiliter clamantes vulgariter* TO IODVTE, *omnibus circumſtantibus tam dominis de capitulo, quam vicariis ac aliis perſonis videntibus & audientibus, extra emunitatem & civitatem Mindenſem eas ejicientes & manibus violenter injectis.* Alii cum R. REINECCIO (*o*) & BODONE (*p*) ſanctum *Jodutum* ejusque religioſum cultum ſibi fingunt, vel cum ANGELO *Annal. Brand. p. 77.* DRESSERO *Chron. Sax. p. 27.* CHRISTOPH. ARNOLDO *c. 4. c. 9.* ad latinum etymon confugiunt & IODOVTE adjutorium interpretantur; vel cum LINDENBROGIO, SACHSIO, GERHARDO a MASTRICHT *diſquiſit. Hiſt. de Jodutha in Biblioth. Brem. c. l. 7. Faſc. 3. p. 510.* Germanicum ſibi formant a *deuten*, vi cujus *Jodoute* idem eſt ac victoriæ monumentum, ſignum, *ein Gedeute*, *Bedeutnüs*; quæ tamen vocula idiomati Saxonum haud convenit. Alia eſt ELIAE SCHEDII *in Hiſt. MSCta* opinio, quod *Toidudum* vel *Cæotudum* ſit *dubius eju-*

An a Cimbrica voce?

An a vocabulo clamoris?

An ab adjutorio?

Sententia Maſtrichtii.

Eliæ Schedii.

(*l*) PONTANVS *in chorograph. Dan. p. 654.*

De Buſchii codice MScto.

(*m*) *Autor librorum IV. reformationum & viſitationum plurimorum monaſteriorum per Saxoniam & vicinas regiones*, quas LEIBNITIVS *T. III. rer. Brunſvic. num. 39. p. 476. & n. 49. p. 806.* ſed mutilate edidit, uti patet ex prolixiori codice hujus libri MSCto, quem Bibliotheca olim Bordisholmenſis tenuit, nunc Kilonienſis Academica inter ſuos refert.

(*n*) *Apud* LEIBNITIVM *c. l. p. 204.*

(*o*) *Orig. M. p. 47.*

(*p*) *Chron. Brunſvic. picturat. ad ann. 115. apud* LEIBNITIVM *ſcript. Brunſv. T. 3. p. 335.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ejulatus seu planctus ob instans periculum *vel instantem mortem*, desumto forte argumento vel a veteri *Cædie* quod est obductum, celatum, clausum; vel a *Tud*, morte & Anglo-Saxonico *Dytam*, abscondere, forte & ab Islandico & Danico *Juta*, *i. e. incertum*, *dolosum;* vel quod SCHEDIVS ipse innuit ab exclamatione, *O Tod!* Unde derivari putat *Jdiote*, homo inscius, ignarus, quod tamen vocabulum rectius est a *Tudde*, *getudde* i. e. infimus plebis, ipsa plebecula (*q*). Convenientius proinde etymon *jodoutæ* videtur, quod a trita conclamationis vocula *jo*, & vocabulo *Dude*, populo repetunt nonnulli cum FRISCHIO (*r*). Vox enim *Dude*, *thiota*, *thiod*, *tude*, apud Celtas, Saxones & Francos, est populus, plebs. Ut *Jodoute* itaque sit formula *convocationis plebis seu clamor ad populum*, ut concursitet & lamentanti contra facinorosorum violentiam auxilium mutuum ferat. Quam consuetudinem haud temere deduxeris a veterum Germanorum *clamatoriis* (*s*) *ritibus*

Frischii opinio probatur,

(*q*) LEIBNITIVS *in collect. etym. p. 111.*

(*r*) *Observ. de clamore publico Jodoute T. IV. Miscell. Berol. n. 22.*

(*s*) Quibus antiquæ Germanorum leges resonant fere & ipsæ clamitant. Exempla habes in capitularibus Regum Francorum Caroli M. & Ludovici *Pii L. I. c. 10. L. IV. addit. 3. c. 11. L. V. c. 64. 134. lege Salica tit. 39.* Lege Longobardorum *L. I. tit. 18. §. 2. L. II. tit. 4. §. 1. 2. tit. 52. §. 15. tit. 53. §. 23.* ubi occurrunt formulæ: *pro causis suis clamare*, i. e. agere, postulare, *reclamare violentiam ad palatium*, *justitiam reclamare super aliquem*, *proclamare* seu in jus vocare, *reclamator* Advocatus, *clamati*, *clamodici* seu accusati. Spectant huc voces veterum Cimbrorum & Anglo-Saxonum *clameum* h. e. promulgatio, publicatio, hodie proclama; *disclamare* seu ab actione desistere; *clameum continuum*, vindicatio rei ablatæ; *Spada clamatoria* seu gladius clamatoris; quæ pleraque vocabula in Britanniam migrarunt & apud Anglos etiam nunc nota sunt teste COWELLO *instit. jur. Anglic. L. X. c. 8.* RYMERO *Act. Angl. T. II. f. 35. T. 13. f. 244. Clameum* Vocabulum etiam occurrit in diplomatibus apud DE LVDEWIG *Reliqu. T. IV. p. 202. & d'* ACHERY *spicileg. T. IX. p. 184.* Plura clamosa inveniuntur in jurisprudentia veterum Germanorum criminali, cujus formulæ sunt *Zetter-Geschrey*, *Verrufung*, *Beschreyung des Uebelthäters*, *Blutschreyer*, *das Noth-Geschrey*, item *das Gerufte* i. e. accusatio criminalis, quæ cum clamore proferebatur; de quibus vide *jus* WEICHBILD. *art. XXXV. & XXXVIII. in glossa.* RICHTSTEIG *c. XXXIII.* & interpretes *ad constitut. criminal. artic. 7.* STRYK. *de jur. sens. diss. 7. c. 3.* PETR. MASCOV. *discursu de clamore violentiæ vom Zetter-Geschrey ed. 1674. p. 7.* Perinde in censum clamationis venit officium clamatorium *des Abfinders und Vorsprachs* in iudiciis Holsatiæ inferioribus, quorum norma præscribitur in vetusto jure Holsatico, vulgo *Holsten Land-Recht* seu *Ding und Recht;* in cujus Tit. XIV. itidem obvenit formula des Vorspracks in causa criminali, quæ dicitur *Todten-Mann rufen* seu clamare propter occisum, de cujus autore quæritur. Nec in civilibus causis clamores plane desiisse docent formalia in judiciis multarum civitatum Germaniæ & Holsatiæ etiam nunc usitata in accusationibus contumaciæ aliisque causis judicialibus, quæ non nisi prævia trina clamatione præconis seu apparitoris finiuntur. Facit huc *clamor judiciarius*, quem describit SPECVLATOR SAXO *L. I. art. 62. §. 1. 3. L. III. art. 78.* & ibidem *L. II. art. 71. clamoris finis & effectus*, ut audito illo omnes puberes vel armis ferendis pares confluant & opem præstent. Quod idem in vetusto quodam codice MSC. *juris Hamburgensis de a. 1470.* & *Lubecensis de a. 1337.* expresse statuitur hac lege, ut audito afflicti alicujus clamore mox vicini adcurrant & ad ferendum adflicto auxilium & persequendum facinorosum convolent, sub multa trilibræ vel pœna etiam corporali. Plane huc collineat *Cimbrorum* veterum consvetudo, qua receptum fuit, ut is, cui damna vel opprobria imminebant, clamorem excitaret & ad templum proximum accurrens campanam pulsaret. Exempla de jure virginum Eydersladiensium, quibus per vim oblatum esset vitium, recensuit HEIMRICHIVS *in der Erneuerten Nord-Frefischen Chronic. edit. 1668. L. II. c. 11.* quod agit *de antiquis Frisionum juribus p. 180: Imgleichen von nothzüchtigen ist statuirt, dass die Jungfraue oder Fraue, so genothzüchtiget worden, solches dem ersten Menschen, so ihr begegnen würde, solle klagen, und so ferner allen, die ihr begegnen, solle nach der nächsten Kirchen gehen, und die Glocke schlagen und ihren Nachbarn solches zu erkennen geben, darnach soll sie mit ausgeschlagenen Haaren und Darstellung der Zeugen, denen sie ihre Noth geklaget, in des Landes Dinge die ihr beschehene Gewalt klagen; da denn 12. Bunden sollen benennet werden, die unbe-*

Exempla formularum clamatoriarum Germanorum in Legibus vetustis.

In judiciis Cimbrorum & Anglo-Saxonum.

In jure criminali,

Et forensi veteri Holsatico rustico,

Et hodierno civitatensi.

Saxonico, Hamburgensi & Lubecensi.

Et in moribus veterum Cimbrorum & Frisiorum.

spro-

Et formulis clamatoriis veterum germanorum aliis ſtabilitur.

& formulis clamandi, cum in cauſis civilibus, tum præcipue in criminalibus & arduis uſitatis. Refero huc vociferationes *Helffeio* (*t*), *Haro* (*tt*), *Hueſium* (*u*), *Zetter* (*v*), *Wappen*

ſprochen im Ringe des Dinges ſollen kennen, daſs ihr Gewalt geſchehen und ſie ihre Noth redlich fortgeklaget. Idem fere ſtatutum eſt *jure Weichbildico Art. 38. gloſſ. ult. Wann eine Jungfrau käme mit geſtrobelten Haar und zerriſſenen Geband, und klaget, daſs ſie genothzüchtiget, und beweiſet das mit Leuten, die ihr* Noth-Geſchrey *gehöret, bewahret ihre Klage mit allen Rechten &c.*

(*t*) Hoc eſt *auxilium*, *auxiliamini*. De qua exclamatione vide SCHILTERVM *ad Königshov. append. obſ. 15. p. 819.*

De Cimbrorum, Normannorumque clamore Haro.

(*tt*) Quæ exclamatio in Cimbria olim, Anglia deinde, Normannia & Belgio frequenter audita fuit. Docent hoc Leges & conſvetudines citatæ a CAROLO DV FRESNE *&* *Monachis* BENEDICTINIS *gloſſar. T. III. p. 1065.* Nolo tamen cum ipſis vocis hujus originem repetere a Neuſtriæ Duce *Rollone*, ex cujus Lege, ut in criminis reos ſtatim, audito clamore, vicini irruerent, natam eſſe contendunt formulam *Ha Raoul*, i. e. auxilium Rollonis. Nec arrident conjecturæ aliorum, qui a *rapina vel raptore* vel ab *avulſione capillorum* in legibus antiquis *Harouvenum*, *Haropium* dicta, vel cum GVIARTO *in hiſtoria Francorum ad a. 1206.* a *Rotomago* ejusque Danica expugnatione, oblique ſatis natales clamoris deducunt. Rectior eſt derivatio a *Francico Haren*, clamare, *Hareta* clamavit uti ex OTFRIDO, KERONE, NOTKERO explicuit SCHILTERVS *Gloſſar. p. 432.* Nec contorta videtur explicatio a Gothico HARMVR, luctu; unde Anglo-Saxonicum *Harm* damnum, læſio, & Germanicum vulgare *harmen*, *härmen*, dolere. VERELIVS *in ind. Lingv. Goth. h. v.* Sed placet inprimis derivatio a Cimbrico vocabulo HIOR, ſeu Gothico HAIRO, *gladio majori.* Quam conjecturam primus HICKESIVS *in Theſaur. Lingvar. Septentr. T. I. in Gramatic. Franco-Theotiſca p. 96.* attulit & hac ratione munivit: *Clamor haro, eſt a Cimbrico* HIER, *gladio, quia perſecutio malefactorum, contra quos inclamari ſolebat haro, vocata erat* SPADA *i. e. gladius, nempe quia gladio & armis erant reprimendi.* Addit idem ex libro Legum Normannicarum *cap. LVI.* manifeſtam rei illuſtrationem, quod judicia ad clamorem de *Haro* inſtituta ſub nomine *judicii gladii*, & decreta ſeu placita ſub elogio *Spadæ* itidem venerint ideo, *quod in hujus querelas malefactores Spada ſeu gladio & armis fuerint cogendi vinculisque mancipandi.* Quæ vide fuſius in codice legum Normann. apud LVDEWIG *c. l. T. 7. p. 260.* Firmant hanc ſententiam Hickeſianam formulæ in antiquis chartis Cimbricis & diplomatibus medii ævi Germanici haud raro occurrentes: *Cum* SPADA *inveſtiri, jure Spadæ ſeu gladii uti, feudum de haro, h. e.* ſupremum judicium ſeu juſtitiam criminalem, *jurisdictionem Spadæ poſſidere*, h. e. jurisdictionem criminalem. Unde *ſpadare* in Lege Salica idem eſt ac *ſecare*, diciturque a vetuſto Germanico *ſpahen*, findere, ECCARD *ad L. Sal. p. 76.* Ex quo facile explicatu ſunt legum veterum Germanorum *Allemannorum Tit. 44. 179. 56. 184. 89. Ripuariorum Tit. 32. §. 4.* vocabula & formulæ: *Spatha ſe idoneare ſeu defendere, ſpatham trahere, Spatharius* i. e. qui gladios conficit, vel armiger, qui enſes defert. Quo nomine etiam inclaruerunt ſec. XII. *milites ordinis S. Iacobi de la* SPATHA in Hiſpania, de quibus exſtat epiſtola Innocentii III. Pontificis, Magiſtris & fratribus Spatariis inſcripta apud DV FRESNE *T. VI. p. 630.* Adde Germanicas voces *Spaten*, *Spies*; Italicum *Spada*, Hiſpanicum *Eſpada*, Gallicum Eſpée, *Græcum σπάθα.*

Derivatio Dufreſnii & aliorum.

Clamor Hueſium quid?

(*u*) Quod deſcribitur in legibus Saxonicis Canuti Regis §. 26. *clamor multitudinis, quo latronem deprehenſum ſeu fugientem ac latitantem pagani omnes tenentur inſectari.* Convenit igitur *Hueſium* cum clamore de *Haro*, & teſte DVFRESNIO *c. l.* apud Gallos etiam nunc dicitur *Huer* & *Hueé*, latine *Hueſium* vel *Hutéſium.* Plures proinde, argumento e capitularibus Caroli Calvi Tit. II. c. 5. deſumto, illud repetunt a HVI, ſono illo ex ſibilo formato, vel, ſi malueris, clamore, qui fit cum cornu. Apud Anglos enim & Scotos *Huteſium levatum* dicitur *ſonus cornu & ore editus.* Quod patet ex FLETA *L. I. c. 20. §. 114.* & ex *Legibus Scoticis*, ſtatuentibus, ut contra latrones mox levetur HOY & CRY, *ſeu clamor cum cornu vel cum ore.* Quæ conjectura probabilior eſt quam iſta eorum, qui vocem a Gallico *hutz*, foras, arceſſere cupiunt, provocantes *ad vitam Ludovici Pii a. 840.* Nec placet derivatio IO. SKENAEI *de verbor. ſignificat. p. 77.* qui HVESIVM, inquit, *ſeu Hoyeſium clamor eſt, Gallice* OYER, *latine* AVDIRE; *quod eſt in uſu in proclamationibus, quæ fiunt a lictore armato.* Plura de jure & indole hujus clamoris *Huteſii* in foris Gallorum, Anglorum & Hiſpanorum, præcipue in cauſis *rei vindicationis & calumniarum* hodieque uſitati, obſervata ſunt a DVFRESNIO *c. l.* p. 124.

De clamore Zetter opinio Heineccii.

(*v*) Quod vocabulum HEINECCIVS *L. II. elem. Iur. Germ. Tit. XVIII. §. 25.* p. 24. explicuit *clamorem ad arma*, quo bellum privatum contra criminis reos indicabatur. Rationem repetit ex imperatoris Friderici II. *Lege II. Feud. 27.* qua *Zitterhand* dicitur *calida manus.* Hanc ve-

ro

pen (*w*), *Wrag* (*x*), *Mordrum* (*y*), quæ a *Jodutæ* ſignificatu & fine haud differunt, & omnes in diverſis ſaltim regionibus diverſæ populorum videntur exclamationes unius fere ſenſus & ſignificatus. Explicant hanc cauſam præcipue Leges Normannicæ apud LVDEWIGIVM *T. VII. Reliquiar. p. 259.* quæ *capite LVI. de Normannorum clamore de* HARO ita ſtatuunt: *Non debet exclamari, niſi in diſcrimine criminoſo: ad ignem videlicet vel ad latronem, homicidium vel roberiam vel in aliquo hujusmodi imminente periculo, ut ſi quis arrepto gladio irruat in alium furibunde. Ad hunc autem clamorem omnes debent exire, qui illum* audierint, *& ſi maleficium vitæ vel membrorum periculoſum viderint vel latrocinium, propter quod malefactor pœnam deberet reportare amiſſionis vitæ vel membrorum, ipſum debent retinere vel clamorem ſupradictum poſt ipſum increſcere & levare.* Ejusdem naturæ & indolis ſunt reliquæ flebiles, voces & clamores olim in cauſis criminalibus & bannitoriis in ordaliis veterum Germanorum, in afflictionibus graviſſimis, in judiciis accuſatoriis, præcipue in *caſu Juris feretri ſeu cruentationis* uſitatiſſimæ hodieque ſolemni formula quiritationis & clamoris retentæ in quibusdam locis Holſatiæ, Cimbriæ (*z*), Friſiæ & Bre-

Legibus Normannicis illuſtratur.

Item formulis quiritationis hodieque uſitatis apud Holſatos, Friſios, Bremenſes.

---

ro lege Alamannica Tit. X. HAISTERHAND, *heiſſehand* ſeu armatam manum vocari autumat. Quæ utraque explicatio legibus quidem ingenioſe illata, ſed haud ſponte innata, nec contextui & ſignificatui verborum congrua videtur. De quo dicendi locus fuit in diplomatario Raceburgenſi ad vocem *Hauſtöram.*

(*w*) Quod idem eſt ac lugere, clamare, *armis clamorem edere.* Quod SCHILTERVS *in Theſaur. antiquit.* TEVT. *Tom. III. pag. 825.* pluribus lectionum Theotiſcarum, Francicarum, Saxonicarum & Anglicarum teſtimoniis & vocibus *Wafft* luctu, *Waffan* clamore, *Wofft* & *Wop* fletu, *Wepan* plorare, *Wopgan* clamitare, vocare, *Wafan* gladio, abunde probavit, & HEIMRICHIVS *c. l.* ex jure & judicio Friſico illuſtravit, quod dicitur *Wapen-Gericht.*

Clamoris Wappen explicatio.

(*x*) De quo ſupra ad Ranzovii res Cimbricas diximus, quod *latronem* ſignificet. Idem ex Anglo-Saxonico & Germanico explicate oſtendit WACHTERVS *Gloſſar. h. v.* Mallem tamen hoc loco vociferationem *Wragk* vel *Wrage* in judiciis criminalibus veterum Germanorum olim uſitatam cum KRESSIO *comment.* ad *conſtit. criminal. art. 87.* repetere a Germanico *Rache*, vel rectius a Gothico & veteri Saxonico *Wracja*, *Wraeck*, *Wroge* ſeu accuſatione, actione de vindicta. Inde apud Friſios Septentrionales judicium criminale olim nomen obtinuit *die Wroge*, *das Wrage-Gericht*, teſte HEIMRICHIO *c. l.*

Clamor Wragk Cimbris & Friſiis uſitatus. Unde judicium Wroge dictum.

(*y*) Seu *Mortotum*, quod legitur in *Lege Longob. L. I. Tit. 9. 15. Lege Alemannica c. 76.* Item *Mortridum* apud BALVZIVM *ad Reginonem p. 586.* germanice *Mord-That*, Anglo Saxonice *Morthor*; unde clamor *Mordio!* de cujus apud Francos olim & apud Wetteravios diuturno uſu teſtantur annales & antiquæ cantilenæ Wetteravicæ, quas vide apud LESNERVM *Chron. Francof. p. 493.* Adde FRISCHIVM *in miſcell. Berol. T. IV. n. 32.* ubi voculam *jo* recte explicuit interjectionem clamantis, & *mordio*, *feurio* interpretatus eſt clamorem ob *homicidium incendium.*

De clamore Mordor, Mordrum apud Anglo-Saxones & Francos.

(*z*) Apud CIMBROS *veteres* clamorem Iodute æque ac apud gentes alias olim obtinuiſſe, fidem facit antiquiſſima paganorum Cimbrorum præcipue Sleſvicenſium ſeptentrionalium formula precationis communis & exclamatoriæ:

A jova tuta nei
Alwi alwoka nei.

Quam equidem HELDVADERVS *in Deſcript. civ. Sleſv. & L. III. Encolp.* f. 262. vertit: *Iova tu de te ajebas, voca me*: & ARNKIELIVS *de relig. gent. Cimbr. p 151.* expoſuit: *O! jova tuta me, a vi avoca me.* Addit idem colorem & declarationem a probabili, quod Cimbri has preces jaculatorias in bellis Italicis a Romanis Iovis auxilia implorantibus, didicerint & inde demum reduces invexerint in patriam ſeptentrionalem. Sed probabilius eſt, Cimbros paucos, qui a Romanis devicti in patriam tandem reverſi ſunt, tam hoſtium Romanorum, quam morum eorundem & lingvarum pertæſos fuiſſe, precandique formulas ſi quas olim receperint Romanas, civibus ſuis Germanis haud obtrudiſſe nec hos vel antea in patria *latine* locutos fuiſſe, vel

De Cimbrorum clamore Jodute. Precum veterum Sleſvicenſium explicatio Heldvaderi. Et Arnkielii e latino idiomate.

Bremæ (*a*) in casu homicidii, de cujus autore non constat (*b*). Illustrat hanc conjecturam DIET. a STADE *in explic. Voc. biblic. p. 694.* voce & formula in eundem finem in Frisia & alibi usitata, *to Wacke, Wapen*, i. e. ad arma; cui ex statutis Frisicis, *Köre* dictis, adjicit articulum n. 21. *Wenn dat ruchtbar worde mit jodoute ropende edder dergelicken.* Idem ex bibliis Svecicis & Danicis præcipue antiquis Lubecensibus de anno 1533. convenientiam clamoris Zetter & Jodutæ docuit eorumque verba apud Jerem. exstantia c. XII. 6. XV. 10. *Unde schreyen Tyotude aver dî, item aver den ydermann* TYODVTE *schreyet im Lande*, contulit cum interpretatione Lutheri, qui illa vertit: *Und schreyen Zetter über dich; wider den jedermann haddert und zancket im Lande* (*c*). Et videtur quidem LVTHERI versio aliis curatior, nec a vero vocabuli etymo valde remota. *Zeter* enim, quod apud Teutones & Anglo-Saxones ejulatum; & apud Islandos etiamnunc lugubria & planctus in-

Convenit vox Zetter.

Probatur versio Lutheri.

An Zeter dicatur a Cimbrico Syta?

---

vel Italice unquam clamitasse in præsentissimis patriæ periculis. Mallem igitur formulam laudatam, quæ & ipsa Teutonica est, e Cimbrico, Anglo-Saxonico vel Francico, e Cimbrico quippe idiomate oriundo, explicare. Forte prima precationis vocabula ipsam innuunt exclamationem *Ioydute*, quam frequenter scribunt *To jodute, joduyta Toydudum & Joyatudum.* Sequentia vero verba facinoroforum malitiam indigitant. *Awoka* enim idem est ac *criminosum, impium*; unde apud NOTKERVM *Ps. C. v. 3. awokes herza* dicitur *cor pravum*, vel, si mutare malueris *awoka* in Anglo-Saxonicum *Wraka, Wræcca*, latrones indicantur, prædones & piratæ, quibus Cimbria valde olim infestata fuit, ut facile creditu sit, bonos omnes contra piraticam & prædones precatos esse & clamitasse. Quod luculenter docent testimonia citata ab ECCARDO *in rebus Francicis & in notis ad Leibnitii origines Francorum*, qui in eo tamen septa transiliit, quod Cimbris ipsis ob piraticam nomen *Wraga, Wræcca*, ceu proprium adhæsisse olim, idemque illud ad Francos seu Wracos ex reliquiis Cimbrorum oriundos transiisse scripserit nimium confidenter. Reliqua precationis vocula *nei* afflictum forte significat; unde apud veteres Germanos *neizen* & apud CIMBROS & ANGLO-SAXONES *neiten, nythen* est angustare *Neiz, Neis*, afflictio, pressura, angustia, docentibus VERELIO, BENSONE, HICKESIO. Præmissæ demum binæ voces *A* vel *a jo* & *awi* videntur potissimæ interjectiones convocantis & exclamantis in angustias conjecti. Ut igitur precatiuncula paulo probabilior hæc foret:

A Ioytuda nei
Awi awoka nei
Latine?
O! adsint auxiliantes afflicto,
Ah! a prædonibus angustato.

Nostra e cimbrico veteri.

Alia conjectura Hoffmanni.

Hæc dum scripsimus vel lusimus saltim, in manus incidunt D. IO. GVILIELMI HOFFMANNI *Observationum juris Germanici libri duo* docte & eleganter scripti. Ibi *L. I. c. 12.* de clamandi quibusdam formulis in juribus Germanorum veterum obviis luculenter egit & formulam veterum precum Slesvicensium ab ARNKIELIO in latinum sermonem detortam ita exposuit: *Adsentiri non possum viris doctis, qui obscuras Sleswicensium formulas, quæ ne nunc quidem exoleverunt, ex latino sermone deducunt, & a Cimbris Romanarum victoriarum reliquiis in has terras allatas contendunt. Ac si mihi jus æquum detur, ut totidem aut pauciores aliquanto, quam Arnkielius & Helvaderus, litteras immutare liceat, sique* TVTA *per toedten, & woka per vetus workan* vel *würgen explicari posset, quidni mallemus illas exclamationes germanicas a jo! & a wi! agnoscere, totamque formulam interpretrari: Ohe! occidit me! Ohe! strangulat me!*

(*a*) KRESSIVS *comment. ad constit. crim. art. 87.*

Quiritationis criminalis nomina.

(*b*) Vulgo dicitur *Beschreyung, Zetter-Geschrey, Acht-Gericht, & apud Lubecenses Fahr-Recht.* MELLE *Nachricht von Lübeck c. 40. p. 255.* Addantur EBELINGIVS TRACT. *de provocat. ad judicium Dei C. 11.* MÜLLER *dissert. de jure feretri §. 3.* SCHOTTEL. *de antiquis Germ. juribus cap. 3.*

Seb. Schmidii explicatio Jodutæ.

(*c*) Iuxta fontem: CONTRA VIRVM LITIS ET RIXAE *in omni terra.* Quod uberius exponit IO. HENR. A SEELEN *observ. de rariss. codice Bibliorum Lutheran. Lubecens. inter selecta litterar. p. 173.* ubi §. 5. addit SEBAST. SCHMIDII versionem primi loci citati: *Etiam hi clamarunt post te:* SAT EST.

indicat, deductum videtur a vetusto Cimbrico *Tyta*, *Syta* h. e. lugere, quod plane convenit cum voce Jodoutæ vel joddutæ, si compositam vel corruptam potius illam dixeris ab Allemannico *Tod*, morte, Gothico *Dauth*, Anglo-Saxonico *Dead*, Islandico *Dauda*, & ab TYDA vel *Syta* plangere, docente VERELIO *c. l.* Inde *Jodoute* foret tragicus clamor, planctus mortis seu ululatus; cum qua explicatione convenit occasio erectæ statuæ, quæ tragœdia fuit seu cædes multorum hominum. Mallem tamen subscribere etymo FRISCHII supra laudato. Lumen vero his omnibus nuperrime addidit IO. GEORGIVS WACHTERVS vir doctissimus in *Gloss. Germanico*, quo nihil adhuc natum factumque est in re etymologica Theotisca felicius & limatius, vocibus *Todt p. 193. & Zeter-Geschrey p. 1692.* præcipue ex Islandico *Dauda syta*, i. e. *mortem plangere*, observans, quod indiculi superstitionum & paganiarum synodi Liftiensis a. 743. decantatus articulus II. *de sacrilegio super defunctos seu* DADSISA (*d*) nihil aliud indigitet, quam *mortis luctum* seu ejulatum in funere. De cujus quidem vocis *Dadsisæ* multiplici explanatione DVFRESNII, SPELMANNI, SAGITTARII, STADENII, ECCARDI, MEINDERSII, CALVOERII, REISKII, PISTORII, ROTHII, HARENBERGII alibi diximus opinantes, quod *Dadsisa* fuerit incantatio necromantica (*e*) seu

Opinio Wachteri.

Etymon Dadsisæ.

(*d*) Quæ a pluribus explicatur *vel mortis lytrum* seu immolatio animalium ciborumque & ferculorum super defunctos, *vel Dotsitte* i. e conventus super sepulchra vel vulgo epulæ funebres seu dapes pro mortuis, germanice *Todten-Speise*. Quarum illaudabiles reliquias dixeris feralia seu convivia funebria, quæ hodieque laute fieri solent ipsis diebus humationis in domo exequiali.

Reliquiæ Datsisarum.

(*e*) Vocula *Dat* enim est *Dod*, & *Zisen* idem ac *zischen* sibilare, vocare per sibilum, *die Todten-Zischung*, unde Græcum σιζειν. Rationem nunc adjicimus repetitam a paganorum opinione de sede animæ separatæ in sepulchro aut terræ superficie. Quæ fabella nostro ævo a IO. VITRIARIO *in observ. de statu animæ post mortem in act. erud. a. 1722. p. 393.* & in *supplem. T. 8. p. 182.* incrustata, olim inter credenda relata est in Synodo Eliberitana canone XXXIV. qui de domiciliis animarum intra & circa sepulchra hoc statuit: *Cereos per diem placuit in cœmeterio non accendi. Inquietandi enim sanctorum spiritus non sunt. Qui hæc non observaverint, arceantur ab ecclesiæ communione.* Intelligunt callidiores Pontificii, statutum hoc parum convenire cum limbo patrum & purgatorio, nec stare posse cum elogio infallibilitatis conciliorum. Inde est quod perspicax & oculatissimus BARONIVS *in Annal. eccles. T. II. ad a. 306. p. 858.* & FR. SYLVIVS *in addit. ad Caranzæ summam conciliorum p. 81.* hunc canonem de ritu quodam ethnico explicare fategerint: *Episcopi*, inquit ille, *in eo vehementissime laborarunt, ut ab idololatria fideles abterrerent, quam ob rem & in publica lætitia lucernas & in cœmiterio cereos accendere vetuerunt.* Et SYLVIVS: *Hoc canone prohibetur solum, cereos more gentilium accendi ad animas mortuorum sollicitandas & superstitionis ritibus evocandas, ut explicat Baronius. Dicuntur autem animæ inquietari metaphorice, quatenus eis displicet, quod ritus superstitiosi exerceantur propter illas.* Displicuit hæc ipsa explicatio DVPINIO *Biblioth. des aut. ecclesiast. P. II. p. 533.* ubi tamen & ipse se torquet, dum de picturis intra ecclesiam in parietibus non depingendis canonem explicat, putans, patribus hujus concilii non probatum esse usum imaginum nec etiam cereorum per diem accensorum. Sed verba canonis plana satis sunt, & addita ipsa ratio prohibitionis, quod spiritus sanctorum in cimiterio inquietandi non sint, respuit utramque explicationem ejusque pigmenta facile eluit. Nec est, quod Vitriarius c. l. ad pios patres ecclesiæ THEOPHYLACTVM, CYRILLVM ALEXANDRINVM, TERTVLLIANVM, MACARIVM, GREGORIVM, NAZIANZENVM confugiat, quorum quippe testimonia vel non satis perspicua sunt, vel rem ipsam haud conficiunt, vel certe ea nituntur opinione, quod angeli & animæ separatæ indumento seu corpusculo materiali contegantur ejusque ope vel præmia vel pœnas patiantur. In quo argumento ad exemplum Samuelis ab Endorea pythonissa excantationibus ab inferis evocati, & ad 1. Petr. III. 19. IV. 6. pie quidem, sed non appositе satis, provocare solent venerandi patres. Docet hoc fusius eruditissimus Theologus DEYLINGIVS

Etymon Datsisæ.

Ratio hujus opinionis.

Baronii & Sylvii frustraneæ exceptiones.

Pro fide Patrum vindiciæ.

Mareſchalci de Anglo-Saxonum in Angrivaria ſede opinio.

ſeu evocatio animæ defuncti per ſibilationes. Sed nolumus his immorari diutius, viſuri nunc de Mareſchalci quoad Anglo-Saxonum originem & ſedem in Angrivaria opinione. Quam oppido falſam eſſe, ex eo puto facile apparet, quod Anglo-Saxones Angrivariam & Weſtphaliam ſec. V. demum occupaverint; diutius vero antea degerint in *veteri Saxonia*, quæ non eſt Weſtphalia, ſed Holſatia.

Cui opponuntur rationes & autoritates Scriptorum præcipue Anglorum.

Docuerunt hoc VSSERIVS ARMACHANVS *in antiqu. eccleſ. Brit. p. 210.* ROB. SHERINGHAMIVS *de Anglor. Orig. c. 2.* & GVIL. NICOLSONVS *epiſcopus Derrenſis in diſſ. de Jur. feudal. veterum Saxonum*, quam WILKINSII *collectioni legum Anglo-Saxonicarum præmiſit f. XI.* ubi ita: *Vetus Saxonia non Weſtphalia eſt* (ut Theodoricus Engelhuſius, Wernerus, Laerius, Crantzius, & recentiores alii putarunt) *licet & illam ſubſecutis temporibus ab antiquorum Saxonum poſteris occupatam non inficier, ſed ea potius, quæ* HOLSATIAE *Ducatus hodie dicitur; huic ſententiæ lucem non mediocrem affert Suffridi Leovardienſis de Orig. Friſ. L. II. c. 12. teſtimonium, illam ſcilicet Holſatiæ partem, quæ Jutiæ proxima eſt* in antiquis *MSC. Chronicis Olt Saxen, veterem Saxoniam vocitari, quam appellationem poſteri in Alſatiam & Holſatiam facile mutarunt.*

Anglo-Saxonum ſedes vetuſta.

Rectius igitur Anglo-Saxones a PTOLOMAEO & TACITO relati ſunt inter Svevos, qui inter ambulationes & migrationes alias confederant præcipue in Holſatia & angulo cimbrico (*f*). Fruſtra igitur a MARESCHALCO, CRAN-

---

VS *P. I. Obſ. ſacr. p. 196.* & CHRISTOPH. HARENBERGIVS V. C. qui in citatum Canonem ſynodi Eliberitani egregie commentatus eſt in *Hiſtoria eccleſiæ Gandersheimenſis cathedralis diplomatica*, opere copioſa induſtria & eruditione referto *p. 543-578.* Et ut verum fatear, opinio de animæ domicilio ſub terra ſeu in locis ſubterraneis tumulis & ſepulchris non, quod Vitriarius comminiſcitur, in conſenſu & conceptu Patrum & Theologorum, ſed in Philoſophia gentilium orientali de Necromantia & evocatione animarum e ſepulchris, quam Phariſæi & Judæi ſecuti ſunt, originem ſortita eſt, uti facile intelligitur ex AGRIPPAE *occulta philoſophia T. II. p. 372.* PLVTARCHO *de Iſide p. 362.* IOSEPHO *Antiqu. Iud. L. XVIII. c. 2.* WITTERO *diſſ. de purgatorio Iudæorum p. 5.* Unde dubium non eſt quod a paganis Græcis, Aegyptiis, Perſis, dein Iudæis, hoc incantationis dogma propagatum ad Germanos & Chriſtianos tranſierit, adeo ut demum in Synodo Liftienſi Carolomanni a. 743. Saxones & Germani a paganiſmo recenter converſi ab Epiſcopis juſſi ſint a ſacrilegio ſuper defunctos ſeu *Dadſiſa* abſtinere. Certe ſenſum hujus inſcriptionis & formulæ explicuiſſe videtur & SPENCERVS *L. II. de Legib. Hebr. c. 16. S. 3. p. 594.* de evocatione animarum per ceremonias aſſerens, *quod Hebræi horrendis ceremoniis dirisque ſuper defunctos votis & magicis ſacrificiis* manes eorum *e ſepulchris lucorum elicere eosque vel implorare, ut & de futuris interrogare conſueverint:* Et MVSCVLVS *in explicatione dicti Eſaiæ LXV. 4. Si fragten die Todten und von den Daimons, was ſie zu wiſſen begehrten, alſo ſaſſen ſie entweder in oder* ZWISCHEN *den Gräbern und hobleten die Erſcheinungen der Todten heraus und blieben über Nacht an wüſten Orten, breiteten allda die Felle der geopfferten Thiere aus und legten ſich drauf ſchlafen um alſo in Traum zu erfahren, was ſich begeben würde.* De quo argumento evocationis & Dadſiſiæ legi merentur VITRINGA *de ſynagog. veter. L. I. P. 1. c. 2.* CLAVDIVS NICASIVS *dans l' explication d' un ancien monument trouvé en Gvienne p. 12.* BECKER *mund. faſcin. L. III. c. 9. p. 77.* ANT. *von* DALEN de *Oracul. Ethnic. origine c. 2. & diſſ. de divination. idololatricis Iudæorum p. 609.* HARENBERGIVS *c. l. p. 552. 556. 558.* & citati plures præcipue Scriptores de apparitionibus animarum poſt mortem apud AMELIVM *in Explic. dict. Biblic. Vet. Teſtamenti P. II. p. 804. P. I. p. 81. ſeqq.*

Origo Datſiſæ repetenda a græcis, Aegyptiis & Judæis.

Teſtimonium Spenceri, Muſculi,

Vitringæ & aliorum.

Anglo-Saxones dicuntur ab ongl. Alia opinio Baxteri.

(*f*) Qui anglo-Saxonice & Britannice dicitur *Ongl;* a quo *Anglo-Saxonum* & *Angliæ*, peninſulæ Cimbricæ nomen repetunt WITICHINDVS *Corbeienſis L. I. Annal. apud Meibomium T. I. p. 630.* BEDA *hiſt. Angl. L. I. c. 15.* BOXHORNIVS *in Lex. ant. Britann. h. v.* Sed alii aliter. A hamis *den Fiſcher Angeln* etymon repetunt BAXTERVS *in gloſſar. Antiquit. Bri-*

CRANTZIO aliisque e *Weſtphalia Angrivariorum* repetuntur, niſi forte Cimbriam Anglionum tam late accipere malueris, ut Saxones Suderalbingi & Nordalbingi omnes ſub hoc nomine comprehendantur: id quod tamen minus recte nec appoſite factum eſt ab ARNKIEL *in libro de Religione Cimbrorum gentilium* (*g*). Certe hanc gentem domeſticas & fixas præcipue ſedes ſuas habuiſſe in Cherſoneſo Cimbrica ſeu Sleſvicenſi, & coaluiſſe cum vicinis Jutis, Holſatis & Vandalis Mecklenburgicis, præcipue Svardonibus, Varinis & Teutonibus circa Lubecam, Wiſmariam, Swerinum, Guſtrovium ad Roſtochium usque habitantibus, id quidem conſtare puto ex PTOLOMAEO *L. II. c. 11.* TACITO de *m. G. cap. 40.* MELA *L. III. c. 3.* PLINIO *hiſt. L. IV. c. 13.* CLVVERO *c. l. p. 606.* & ex Angliæ Regni ſcriptoribus aliisque, qui *Cimbriam Anglionum* ſitam dicunt (*h*) inter *Saxones & Giothas* ſeu Holſatiam inter & Jutiam, quin vocare eam haud ambigunt *Angliam veterem*, *Angliam parvam*, ſedem quippe avitam *Anglionum* Britanniæ demum triumphatorum. Proinde nec mirum nec ſubleſtum videri poterit, uti quidem viſum eſt LEIBNITIO & CONRINGIO, quod *Verinorum & Anglionum ceu gentium concivium & vicinarum* vetuſtæ leges ſeculi V. colligatæ reperiantur & conjunctæ uno faſciculo. Supereſt hodieque memoria ſedis antiquæ *Anglionum* in integra Cimbriæ regione & peninſula, quæ Flensburgum & Sliam interjacet, cui nomen eſt *Anglia*, *Angeln*. Nec dubium eſt, quin vicina vetuſta civitatula *Eckelförde* portu feliciſſimo inſtructa ipſis Anglionibus originarium nomen referat, quod fuit *Engelfordo* (*i*), *Angelfurt*, h. e. portus Anglionum (*k*). Idem dicendum

Nordalbingica

Seu Cimbrica & Vandalica.

Unde Cimbria Anglionum,

Et conjunctio legum Anglionum & Werinorum ſeu Vandalorum.

Nomen peninſulæ Angeln, Portus & freti Anglionum Angelförd & Eckelſund.

Britannicar. d. v. EDENIVS *it MSCto apud* STAPHORST. *T. I. hiſt. eccleſiæ Hamb. p. 12.* Sed ab *anger* ſeu pratis deduxit, Saxonumque alios a ſilvis Holſatos, alios a pratis Anglo-Satos vocatos fuiſſe innuit STADENIVS *in explicat. voc. Biblic. p. 911.* Ab ANGVL, primi Daniæ Regis fratre, originem arceſſit SAXO *Grammaticus L. I. hiſt. Dan.* Ab *Angelis* DITMARVS MERSEBVRGENSIS & TORFAEVS *in Trifolio p. 128.* A *Smalandia* vero Svecorum Anglo-Saxones nominari, ex reliquiis nominum locorum Smalandiæ colligit & ſollicite ariolatur RVDBECKIVS *Atlant. T. I. c. 24. p. 622.* Alii hos Saxones a vicinis vocatos fuiſſe contendunt *inimicos* vel *peregrinos*, qui interprete *Boxhornio* vetuſta voce Cambrica audiunt *eingl*; unde VERELIO teſte ſunt voces *inſte*, inquilinus, *inna* domus. Plures originem laudant ab *Ang* vel *Enge*, loco conſtricto, tenui, item anguſtia vel coactione. LYDDVS in *anal. ad LL. Bojar. Tit. 12. §. 9.* Ingenioſa eſt opinio WACHTERI *gloſſar. p. 59* *Anglos*, inquit, *appellatos dicerem quaſi juvenes vel anculos ab* enke, *juvenis vocabulo vetuſtiſſimo*; *nam progeniem Svevorum fuiſſe & ver novum a Svevis emiſſum jam ante monui. Nec inſolens eſt novum populum appellare juvenes, & veterem ſeniores; illud ex nomenclatura Swionum, hoc Senonum patet.* Quæ tamen conjectura haud plane accommodata videtur ad *Cimbriæ populos vetuſtos & Anglo-SAXONES*, qui novi populi elogium forte reſpuunt & ipſi vocati ſunt ſimul *Angel-Saxen* & *Alt-Saxen* veteres Saxones.

Stadenii, Saxonis, Torfæi.

Rudbeckii,

Verelii, Lyddi, Wachteri.

(*g*) Evolvi poterunt CLVVERVS *Lib. III. Germ. antiqu. c. 27.* PETREIVS *de Orig. Cimbr. p. 7.*

(*h*) CAMDENVS *opere de Brit. p. 65.* BEDA *Hiſt. Eccl. Angl. c. 15.* SHERINGHAM *Tract. de Anglorum gentis origine*, BAXTER. *in gloſſar. antiqu. Britann.*

(*i*) Simili ratione *Tietfurt* ſeu *Teutfurt* dicitur portus veterum Teutonum. KETTNER. *Antiquit. Quedlinb. p. 24.*

Teutfurt dicitur a Teutonibus.

(*k*) Etſi vulgo nominis originem a *querceto* vel *quercubus*, vel a vetuſta *arce* hujus nominis, vel ab angulo germanice *Ecke*, vel fide inſignium civitatis a *ſciuris* repetere ſoleant, præeuntibus IONA *ab* ELVERVELT *de Holſatia ejusque ſtatu & ordinibus Cl. 3.* ANDR. ANGELO *de Weſtphal. Monum. inedit. Rer. Germ. Chron.*

Eckerfordæ nominis derivatio varia.

Eorum in novo Angliæ regno memoria & reliquiæ.

dum eſt de *Eckelnſund* vel *Eckerſund* in Principatu Sunderburgenſi (*l*) h. e. *freto Anglionum*, quod defluit in portum Flenopolitanum. Quid? quod ipſum regnum *Angliæ* regium ferat teſtimonium de Cimbriæ Anglionum & Saxonum fortitudine & nomine glorioſo: hi enim ſub ducibus *Hegiſto & Horſt* circa ann. 430. a Britannis contra Scotos & Pictos in auxilium vocati ipſos adeo Britannos rite devicerunt, ut victoriæ hujus perennis memoria ſuperſit in condita *heptarchia* & nova totius regni Angliæ appellatione ejusque præcipuis partibus *Eſſex* ſeu auſtrali Saxonia, *Suſſex*, Orientali regione Saxonum, *Weſtſex*, occiduo regno, *Eaſt-Anglia*, regno Anglionum orientem verſus (*m*). Quibus gentibus forte & in Ducatu Wahliæ *inſula* ANGLESEY nomen acceptum refert. Ipſi certe Angli autores ſunt (*n*), quod lingua Cimbrica ſeu Anglo-Saxonica ex hoc ævo invecta fuerit in Angliam; cujus rei exempla & reliquiæ in gloſſariis Anglicis cumulate proſtant. Et teſtis eſt ANDREAS FOVNTAINE *diſſ. epiſt. de numis Anglo-Saxonicis p. 163.* quod Anglorum numi & codices veteris ævi litteris notati ſcriptique ſint cimbricis ſeu Runis Anglo-Saxonicis. Verba ipſius hæc ſunt: „*Numi inſcriptionibus ſuis, quæ antiquas litteras ex Alphabeto „Runico deſumtas oſtendunt, ad dignoſcendam codicum in Anglia ſcriptorum ante non„gentos annos antiquitatem quam maxime conducunt. Nam ante id tempus priſtinæ „illæ litteræ tam in ſcribendis libris, quam in ſignandis numis majoribus noſtris in uſu „erant & Alphabeti illius antiqui, ſed minus elegantis pars fuerunt, quod, (ut ſcri„bit Ingulphus) Rex Aelfredus in novam & elegantiorem ſcribendi formam convertit, „quæ exeunte nono ſeculo, cum Rex ille principatum obtineret, Romanis litteris in ve„tuſtarum loco ſubſtitutis inoleſcere apud Anglos cœpit.*„ Explicatius de hoc argumento diſſeruit HVMPHREDVS WANLEY, cujus ipſa verba merentur apponi: *Majores noſtros Jutas Anglo-Saxonesque cum in Britanniam advenirent, litterarum prorſus rudes, quod aliqui putant, fuiſſe, adeo non credo,*

Speciatim in appellationibus regionum, locorum.

In Numis, codicibus & litteris.

Chron. Holſat. P. II. c. 20. p. 71. CHRIST. RANZOVIO in encomiis urbium Holſatiæ, quæ habentur in hypotypoſi a PETRO LINDENBERGIO edita *cap. XII. p. 276.* ubi ita:

Creditur a parvo nomen traxiſſe ſciuro
Salſi dives aquis Eckeeforda maris.
Eceleforda tamen dicendum rectius eſſet,
Antiqua oppiduli ceu monumenta docent.
Nominis ejusdem fuit hic arx tempore priſco;
Aſt ea nunc bello diruta tota jacet.

Probabilior his omnibus foret conjectura, quam ſuppeditat OLAVS MAGNVS *hiſt. gent. ſeptentr. L. VII. c. ult. de cuſtodia riparum*, ubi *Eggerſiord* appellari aſſerit *ſcopulos ovorum*, h. e. ſcopulos oblongos, qui ab ovis dicuntur ob *oblongam rotunditatem.*

Anglionum veſtigia in Megapoli.

(*l*) Ad memoriam & veſtigia ANGLIONVM qui cum *Varinis* & *Vandalis* in Megapoli & Pomerania coaluerunt, a SCHEDIO *in hiſt. MSCt. Mecklenb.* & DANCKWERTHO *in chorographia Holſatiæ* refertur ECKELBERG in Megapoli & ANCLAMVM Pomeraniæ; quod DANCKWERTHVS interpretatur Angelheim. Veriora vide diſſerentes GVNDLINGIVM *in Chorograph. Pomer. p. 64.* qui origines *Anclami* demum ad a. 1191. rejicit & SCHWARTZIVM *diſſ.* de *Iomsburgo p. 3.* & GERSCHOWIVM *in MSCt. de locis Pomeraniæ dirutis*, qui e ruderibus Tanglimi urbis Anclamum ſuccreviſſe referunt.

In Pomerania.

In Britannia.

(*m*) Legi poterunt de hoc argumento memoranda plura apud TORFAEVM *in ſer. Dan. L. II. c. 1.* DANCKWERTH. *Chorograph. Holſat. P. II. c. 10. p. 127.* HINRIC. A BÜNAV *in der Kayſer und Reichs-Hiſtorie P. I. p. 545.* IOANN. IAC. MASCOV *in den Geſchichten der Teutſchen L. IX. §. 34. 35.*

(*n*) LANGHORN *antiquit. Albionenſ. p. 19.* HICKESIVS, DAVISIVS, CAMDENVS, GIBSONIVS, BOXHORNIVS *c. l.*

do, ut illos ſecum Runas (ſeu Gothicas litteras) attuliſſe mihi perſvaſum eſt, tum quod in antiquis temporibus ſeptentrionales populi cis & ultra mare Balthicum Runis uſi ſunt; tum etiam, quod in antiquiſſimis noſtris codicibus nonnullæ Runæ Romanis litteris commiſtæ cernuntur; tum denique, quod Thorn & Wen, *quæ Romanas litteras amplexi, Anglo-Saxones retinuerunt nomine, figura & poteſtate, puræ putæ Runæ ſunt. Quinimo tantum abeſt, ut majores noſtri ſeptentrionales, cum in Britanniam proficiſcerentur, litterarum rudes eſſent, ut me judice probabile potius ſit, Romanarum litterarum illos ac barbaras alias gentes jam tum notitiam habuiſſe. Pariter inquam ac barbaras alias gentes, ſcilicet Francos, Germanos, Lombardos, Vandalos, ceterosque Gothorum populos, qui cum Romanis bello paceque res geſſerunt ac in ſcribendo Romanis litteris uſi ſunt. Valde igitur allucinati eſſe videntur, qui Saxones noſtros Romanarum litterarum cognitionem ab Hibernis cepiſſe dicunt, quemadmodum vir ille doctus Rodericus O Flaharty in Ogygia ſua. Neque minus falluntur, qui illos a Britannis Romanorum litteras didiciſſe contendunt, quæ aliquorum Cambro-Britannorum, qui docte ſcripſerunt, ſententia eſt. Cum contra maxime vero ſimile ſit; omnes tam Anglo-Saxones, quam Britannos & Hibernos Romanorum litteras a Romanis ipſis pariter accepiſſe. Verum hac de re ut aliis liberum judicium relinquam, citra controverſiam eſt, cum fide Chriſtiana majores noſtros Romanarum litterarum ſcientiam & uſum accepiſſe.*

Non tamen contendente MARESCHALCO & alicubi IO. MOLLERO, *Flensburga-Cimbro*, Cimbriæ Angliones ſoli illi putandi ſunt, quibus illuſtris adeo victoriæ ſeu conditi ſub proprii nominis elogio novi imperii honor competit; danda enim eſt & hujuſmodi gloria *Varinis Megapolitanis*, qui in comitatu *concivium Saxonum* terram Freſorum Batavorumque teſte PROCOPIO *L. IV. B. Goth.* occuparunt ibique REGNVM VARINORVM conſtituerunt inter Belgas celebratiſſimum olim ab a. 449. usque ad a. 595. quo Childebertus Rex Auſtraſiæ & Burgundionum ipſi finem (*o*) fecit. Nec denegandum itidem hoc erit præconium VANDALIS *Mecklenburgicis*, qui Duce Rege Genſerico & in ſocietate Alanorum Svevorumque circa a. 406. in Galliam, dein in Hiſpaniam irruerunt & a Bonifacio, Romanorum duce Africano, contra Imperatorem Valentinianum in auxilium evocati anno 428. Africæ præcipuam partem Romano Imperio ſubduxerunt, Carthaginem anno 438. occuparunt & in nominis Vandalorum memoriam novum Africæ regnum WANDALICVM condiderunt (*p*), quod ſub VI. Regibus Vandalicis, *Genſerico, Hunrico, Gundebaldo, Thraſimundo, Hilderico & Gilimero* floruit ad ann. usque 134. per

Eandem novi imperii gloriam ſibi acquiſiverunt Warini & Vandali.

(*o*) De quo momento plura habent PROCOPIVS *de bello Goth.* FREDEGARIVS *in app. c. 15.* CASSIODORVS *L. 3. ibique epiſtola Theodorici Veronenſis a Rege Gothorum contra Varinos auxilium poſcentis:* & ELIAS SCHEDIVS *in hiſt. Mecklenb. MSCt.* SIGISMVND. HOSMANNVS *im Regenten-Saal p. 741.*

(*p*) De qua Genſerici expeditione ejusque a. 455. Romæ ipſius famoſa occupatione, omniumque ibidem Romani imperii inſignium, vaſorum præcipue aureorum & argenteorum templi quondam Hieroſolymitani explicatione evolvi omnino merentur IORNANDES *de rebus Gethicis c. 33.* PROCOPIVS de *bello Vandal. L. I. c. 8.* FR. PAGI *in Critica ad ann. 428. §. 2. ſeqq.* & B. VICTOR *epiſcopus patriæ Uticenſis in hiſtoria perſecutionum, quas in Africa olim circa divi Auguſtini tempora Chriſtiani perpeſſi ſunt ſub Genſerico & Hunerico Vandalorum Regibus ed. Coloniæ a. 1537.* libello raro obvio. Addantur *Dn.* HENR. DE BÜNAV *Teutſche Kayſer und R. Hiſt. Tom II. p. 795. §. 3. ſeqq.* & IO. PETR. DE LVDEWIG *in vita Iuſtiniani §. 65. p. 334. ſeqq.*

De regno novo Varinorum Belgico Scriptores. Item de regno Vandalorum novo in Africa.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Opinio Mareſchalci de fluvio Chaluſo.

integros annos XCVI. ſupereſt etiam, ut ad fluvium *Chaluſum* properemus, quem MARESCHALCVS Luconiorum urbi ſeu Lubecæ proximum, eoque loco, quo Trava & Bagniſſa profluunt, collocavit, provocans ad Ptolomæum Alexandrinum. Hic vero de fluvio Chaluſo *L. II. Geograph. tab. IV.* hæc prodit: *Poſt Saxones a Chaluſo fluvio usque ad Suevum fluvium tenent Pharodini, poſt Sidini usque ad Viadum fluvium, ſub ipſis Ruticlii usque ad fluvium Viſtulam.* Deinde idem eodem loco civitates Germaniæ eorumque gradus longitudinis & latitudinis in climate ſeptentrionali enarrare audet, inter quas principio collocat *Phileum, Siatutandam, Teceliam, Phabiranum,* TREVAM, *Leuphanam, Lirimirim, Mariones duas*, cetera. Quid Ptolomæus per *Trevam & Chaluſum* hic indigitaverit, de eo anxie ii quærunt, quibus volupe eſt a ſcriptore Aegyptio, qui ne ſuam quidem patriam recte emenſus eſt, Germaniæ chorographiam & topographiam noſtratibus ne quidem recte exploratam, exſpectare definitam numerisque ſuis curate abſolutam. Plurium opinio eſt, quod per *Chaluſum* indicaverit fluvium *Trevam*, Helmoldo dictam *Trabenam*, hodie *Trave*. Ita CHYTRAEVS & cum eo CLVVERVS *Germ. ant. L. III. c. 21. §. 2. c. 27.* BANGERTVS *ad Helmold. L. I. p. 45.* LAMBECIVS *rer. Hamb. L. II. p. 11. n. 32.* CELLARIVS *diſſ. de Cimbris §. 7.* ECCARDVS *L. I. rer. Franc. p. 897.* MEIBOMIVS *introd. ad hiſt. Sax. inf. p. 54. Nondum*, inquit, *video ſatis cauſæ, cur rejicere Chytræi conjecturam debeamus magna veri ſimilitudine, ut in illis locis oppido ita etiam flumini Chaluſi nomen fuiſſe. Sub Carolo M. Travena vocatur, ſi diploma ejus Verdenſi eccleſiæ datum ὑποβολιμαῖον non eſt, in quo Travena abſorberi a mari ſcribitur.* Reſpexit vero *Meibomius* his verbis ſine dubio ad oppidulum *Cluſs* a *Travemunda* ſeu ſinu Chaluſi vel Travæ parum remotum, cui porro adnumerari debent duo prominentia ſeu brevia maris, vulgo *groſs und klein Klützer höft*, & præcipue tractus pago vel oppidulo *Klutze* vicinus, qui etiam nunc dici *ſolet klutzer Ort.* Hærent tamen alii ambigui, putantes, quod per Chaluſum potiori forte jure denotetur *Eidora* fluvius, quibus calculum adjicit BILIBALDVS PIRCKHAIMERVS *in Germaniæ deſcriptione.* Nec deſunt, qui cum ELIA SCHEDIO Chaluſum interpretantur fluvium Warnovium, *Warnau*, inducti ratione, quod Roſtochium a nonnullis dicatur ſitum ad Chaluſum & Academia nominetur aliquando a Bocero & Bodockio Profeſſoribus Roſtochienſibus *Chaluſana*, *Chaluſo-Balthica*, ſeu VARNO-Balthica. Sed quidem hæc appellatio ab ipſis Chaluſis populis circa mare Balthicum, in quod Chaluſus fluvius influit, conſidentibus ſignificatum ſortiri potuit, vel indulgenda tamen (*q*) eſt poëtis & Oratoribus, quibus Bo-

An Chaluſus ſit fluvius Treva?

An Eidora?

An Varnus fluvius?

Roſtochii ad Varnum varia nomina.

(*q*) Ita etiam condonandum eſt autori, qui in monumento Liliencroniano apud THEODORVM ANCKELMANNVM *in inſcriptionib. antiquiſſimis Hamb. p. 40. n. 121.* Roſtochium vocat *Academiam* OBOTRITORVM; item SIGISMVNDO DVRRFELDIO, qui in parergo Roſtochienſi civitatem *Rhodopolin* laudat: IO. MAVTNERO *Panonio in lyceo & curia Roſtoch. anagrammatica*, qui urbem *Roſarum* fingit; & denique IO. BERNARDO ZIN-

Bocerus & Bodockius adnumerantur. Ad *Hamburgum* nonnulli digitum intendunt, qui Trevam Ptolomæi forte per Aegyptiacum divinationis genus ibi inveniſſe ſibi imaginantur, quos confutare aggreſſus eſt ADAMVS TRATZIGER in Chronico Hamburgenſi manuſcripto, ubi ipſe tamen aliam opinionem, quæ Ptolomæi quidem deſignationem plane invertit, ſubſtituit: fluvium enim Chaluſum pro loco & oppidulo, *Trevam civitatem* vero pro *fluvio Trave* accipere ſatagit his verbis: „*Es iſt der Irrthum Ptolomæi daher veruhrſachet, daſs Ptolomæus gehöret die Trave nennen, die in die Oſt-See fleuſt, und gemeinet, daſs es eine Stadt wäre, diſſeits der Elbe gelegen, hat alſo mit Veränderung des A in E Trevam vor eine Stadt an die Elbe geſetzt, welches ſich dann ſo viel glaubwürdiger läſſet anſehen, daſs er folgends der Trave einen unrechten Nahmen giebet, und nennet ſie Chaluſium*, (erroneum hoc eſt & Ptolomæo contrarium, qui „fluvium Chaluſum & civitatem Trevam definite diſtinxit) *da doch „Chaluſus oder Kluſs noch heutiges Tages Anzeigung giebt; daher auch der Winckel „zwiſchen der Trave und der See belegen, der Klüſerort genennet, ſeinen Nahmen behält; wann man nun den Nahmen Treva dem Waſſer giebt, das noch heutigen Tages „die Trave genennet wird, und Chaluſum läſt das Städtlein ſeyn, ſo man noch zur Zeit „Kluſs nennet, ſo iſt dieſem Irrthum abgeholffen.*„ Iterum vero huic explicationi prorſus contrariam opinionem oppoſuit D. CASPAR DANCKWERTH *in chorogr. Holſat. p. 196. 197.* ubi quidem fluvii *Travæ* originem ejusque ex amnibus augmentum & influxum in mare Balthicum exactiſſime deſcripſit, ſed Chaluſum in fluviolo *Schwentina Holſatiæ*, ſinum vero *Chaluſi* in ſinu Kilonienſi, *Kielerwick*, inveniſſe ſibi viſus eſt, motus his rationibus: *Obwohl die alten Hiſtorien mich auf dieſe Meinung, dieweil dieſelbe melden, daſs die Wenden, welche den Schwäbiſchen Wandalen ſuccediret, biſs an die Schwentien und den Kieler Wick gewohnet, wie aus den Grentzen des Sachſen-Landes Cap. I. und ſonſten erhellet, gebracht haben: ſo ſtimmen doch die Nahmen allhie auch fein zu: Denn Keil heiſt auf Schwäbiſch Kall oder Chal; der Plöner-See heiſt bey den Alten der Collſee. Es iſt im Wagerlande ein ander See, der Kellerſee genennet, durch welche beede, Fluvius Chaluſus, die Schwentin, rinnet, ſo ihnen etwa den Nahmen hinterlaſſen.* Sed ita comparatæ ſunt hæ rationes, ut pari, immo meliori jure ad Megapolin referri poſſint, ubi quippe Venedi in ampliſſimo etiam tractu circa Travam & Lubecam conſederunt, quin itidem varia nomina, *Collenſee* ſeu *Chalſee* prope Zarrentinum, fluvius *Schale* in mare *Schalſee* defluens, & molendinum *Schalmühle* etiamnunc ſuperſunt & ad res pertinent manifeſtas, vel ſi item mavis, ad reliquias & indicia Chaluſii & Chaluſiorum. Ut taceam ipſum, ubi veterem Lubecam ſitam olim fuiſſe creditur, locum hodie *Collenhof* dictum pago *Schwartau* vicinum, item lacum *Kellerſee* vocatum, in quem & proximum Eutinenſem deinde & lacum Plœnenſem qui ADAMO BREMENSI *Colſee* dicitur, Sventina fluvius infunditur. Deinde vero Danckwerthi opinio diſſona plane eſt a verbis ſupra citatis Ptolo-

An Hamburgum?

Opinio Tratzigeri de oppidulo Cluſo.

Danckwerthi de fluvio Sventina.

Cui oppoſuntur rationes pro Trava Lubecenſi.

ZINZERLINGIO, *cui in faſtis Rectoralibus Laciburgicis* Roſtochium a Lazis denominare allubuit *Laciburgum*. Ut eos taceam, qui cum IO. NEOVINO hanc civitatem & academiam CODANAM vocare maluerunt ſtilo, ut videtur Plinii & Melæ, quibus mare Balthicum ſinus Codanus audit, ſicuti Tacito dicitur ſinus Germaniæ, item mare Svevicum, Oceanus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Nec Sventina a Ptolomæo dicitur Chalusus, sed Svevus.

lomæi, quibus fluvium *Chalusum* distinxit a fluvio *Suevo*, quem quidem Schwentinam esse infra ad num. XVIII. conjectabor. Tametsi enim ECCARDVS *c. l.* per *Suevum* fluvium, fluminis Viadri sinistrum ostium intelligat, quod nunc *Svine* Pomeraniæ fluvius vocatur; idem quoque IAC. PAVLVS GVNDLINGIVS *in Pomer. Atl. p. 157.* opinetur, asserens: *Von dem Chalusо bis an die Svine haben die Wariner gewohnt, welche andere Scribenten in die Grentzen des Landes Mecklenburg verweisen, und sie in ihrem Vaterlande allzuenge einschliessen*; ipsa tamen Ptolomæi de gentium Saxonicarum sedibus descriptio hanc explicationem ægre adeo admittere videtur, ut ultro appareat, quod illa de *Svevo seu Sventino Holsatico* interpretatio tolerabilior dici mereatur. Dabimus locum HELMOLDI *L. I. c. 58.* huc pertinentem: *Primi quidem Holzatenses acceperunt sedes in locis tutissimis ad occidentalem plagam Sigeberg, circa fluvium Trabenam in Wagria: campestria quoque Zuentineveld, & quicquid a rivo* SVALEN, *usque Agrimesou, & lacum Plunensem extenditur.* Idem vero autor locum Zuentinefeld *c. 92.* appellat pagum Bornhövede, olim quippe *Zuentinum* vocatum. Quin hodieque tractus prope *Bornbeck* (*r*), qui in Sventinam fluvium prope *Preezium* influit, venit sub nomine Sventinefeld a fluvio Svent, qui prope Prezium in Bornbeck influit, & deinde prope Chilonium per pagum Neomanasterium in sinum Chilonium & postea in mare Balthicum infunditur. Sed videamus ipsam Ptolomæi descriptionem, quæ in rem citari solet. *Cimbricæ*, inquit, *Chersonesi extensio, quæ post Albim fluvium est, 32. habet gradus, quæ ad ortum flectitur, 35.;* CHALVSI *fluvii ostia 37.*, SVEVI *fluvii ostia 39.* Porro: *Partem, quæ secus oceanum est, habitant supra Busactoros Phrisii usque ad Amasum fluvium: post hos Cauci parvi usque ad fluvium Visurgim; deinde Cauci majores usque ad Albim fluvium; deinde supra dorsum Cimbricæ Chersonesi Saxones; ipsam autem Chersonesum supra Saxones ab occasu habitant Siegulones, postea Sabalingii, post Cobandi, supra quos* CHALI (Chalusii) *& super iis quoque, qui magis occidentales sunt, Phundusii, qui vero magis orientales sunt, Charudes; omnium autem maxime septentrionales* CIMBRI, *post Saxones a* CHALVSO *fluvio usque ad* SVEVVM *fluvium tenent* PHARODINI; *post Sidini usque ad Viadum fluvium; sub ipsis Ruticlii usque ad fluvium Vistulam; interiores autem atque mediterraneæ gentes maxime sunt* SVEVI ANGLI, *qui magis orientales sunt, quam Longobardi, protensi ad* SEPTENTRIONEM *usque ad medium* ALBIS *fluvii, & versus Suevos Semnones, qui habitant post Albim, a præfata parte versus ortum usque ad Suevum fluvium. Inter Saxones autem & Suevos sunt* TEVTONARI *& Virani; inter Pharodinos vero &* SVEVOS, *Teutones & Avarpi.* Præcipue Ptolomæus hoc loco, ipso monente Eccardo, Saxonum antiquas sedes descripsit, easque in chersoneso Cimbrica ab Albis in oceanum influentis ripa dextra ad Chalusum & per Dithmarsiam, Stormariam & Holsatiam, usque ad Jutiam perrexisse innuit; *Pharodinos* vero, quos a *Chalusо* ad *Suevum* habitasse refert, curate a Sidinis separavit. Sidini vero, ut puto, sunt Pomerani, Sundii vel *Stetinenses*; *Pharodini* vero dicuntur Mecklenburgici *Warini*

Explicatio Helmoldi,

Et descriptionis Ptolomæi.

(*r*) Vide DANCKWERTH. *c. l. p. 197.* & de rivulo *Swale* ibidem *p. 243.* & infra *ad num. XVIII.*

rini & Swardones circa *Roſtochium*, *Wiſmariam*, *Suerinum & Schwartoviam* ſeu *Lubecam* habitantes, cum quibus ipſe Ptolomæus conjunxit *Teutones*, *Suevos & Anglos ſeptentrionales*, per quos quidem Holſatos & Cimbros (*s*) intellexiſſe facile videbitur, cum & ipſæ Teutonum, Suevorum & Anglionum memoria & reliquiæ nondum evanuerint, ſed etiam nunc in nominibus *Teutomarſia*, *Anglia*, *Svenſia*, hodie *Swanſen*, vireant & perdurent. Sed linquamus hæc, quæ Ptolomæo debentur, otia, & ad Mareſchalcum revertamur, cujus deſcriptio Chaluſi ſeu Travæ Lubecenſis præferenda erit chorographiæ *Danckwerthi*, qui pro Suentina Chilonienſi militavit nodumque in ſcirpo ſolvit. Utriusque tamen Chaluſi etymon (*t*) a clauſura ſeu cluſo deſumtum, non magis placet, quam SCHEDII *Trava* a trabe (*u*) repetita. Mallem conjicere, Chalu-

Etymon Chaluſi.

(*s*) DANCKWERTHVS *c. l. p. 125.* in ea etiam opinione hæret, quod Angli Cimbrici e Pomerania oriundi ſint, & primi Angliones in oris Pomeraniæ circa fluvium Pœne & in civitate *Ancklam*, ab Anglionibus Angelheim vocato reſederint. Idem fabulatur *Micrælius*. Sed hiſtoria & requiſita ratione in hac cauſa plane deſtitutus.

Anclamum an dicatur ab Anglionibus?

(*t*) Singularis eſt opinatio DANCKWERTHI *c. l. p. 196.* qui Sventinam ſeu Chaluſum Kilonienſem a *Chaluſiis* populis; ſed locos, qui in Megapoli & Wagria dicuntur *Cluzerort*, a *Clauſura* vocari ſtatuit ſubjuncta ratione, quod hi a Sventina ſeu fluvio Chaluſo nimium ſitu ſuo diſtent. Largior equidem, quod cum clauſura vox *Cluſum* coincidat, & inde forte *clauſtra* appellationem ſuam adepta ſint, quemadmodum monaſteria & templa eo pertinentia a *monachis* eorumque ſacris dici cœperunt *Münſter*; addo quoque, quod cœnobium *Cluſi* prope Gandersheimium a clauſura vocari facile videatur, cum teſte HARENBERGIO *Hiſt. Gandersh. diplom. p. 704.* illud in diplomate Berthæ Abbatiſſæ de a. 1227. & Lotharii Imperatoris de a. 1229. appelletur *locus, cui antiquitas* CLVSA *nomen indidit*; Sed hæc tamen parum patrocinii adferunt Danckwertho, qui dictam aſſertionem in eum ſaltim finem manifeſto finxit, ut primum falſum, quod de Chaluſo Chilonienſi fovet, tueretur, facile prævidens, quod, ſi Chaluſus pro Trava accipiatur, dubium ab ipſo motum ſponte corruat ideo, quia loci in Megapoli & Wagria a Chaluſo dicti nullatenus a Trava fluvio ſint remoti, oppido quippe huic proximi.

Danckwerthi opinio de Chaluſis locis, a clauſura dictis.

(*u*) Ideo, quod trabis figuram habeat. Pertinentius dixiſſet, quia cum *trabe*, quæ veteribus *meta frugis* eſt, comparationem admittit, SPELMANNVS *gloſſar. p. 542.* Lepida eſt *autoris vetuſti chronici Lubecenſis MSC.* vocis hujus deductio a *treffen*, *eintreffen*. Cui præferre mallem derivationem ab antiqua voce *Traf*, celeri curſu, unde *Traphan* apud WILLERAMVM in *Cant. c. 2. 7.* hodie *Trawen* ſeu *Draben* idem eſt ac celerius currere. Quod etymon illuſtrari poſſet ex chartis & privilegiis Cæſareis, civitati Lubecæ navigationis cauſa & ut paſſim verba ſunt, *ob naves*, *quas Koggeln vocant*, *habendas in* TRABENA, olim indultis. Quæ ipſa lectio etiam occurrit in diplomate *Friderici II.* de jure cudendæ monetæ civitatis Lubecenſis, & de non exſtruendo munimento juxta fluvium Chaluſum, a. 1226. ſcripto, cujus de *Travena* verba ita ſe habent: *Volumus inſuper & firmiter obſervari præcipimus, ut nulla perſona alta vel humilis, eccleſiaſtica vel ſecularis præſumat ullo tempore munitionem ædificare vel caſtrum juxta flumen* TRAVENE *ab ipſa civitate inferius usque ad mare & ex utraque parte usque ad milliaria duo.* Quid vero in chartis Lubecenſibus vox *koggeln* ſignificet, explicare lubet ex Henrici, Leonis diplomate fundationis epiſcopiæ Sverinenſis de a. 1170. apud LEVCKFELDIVM *in chronol. Abbatum Amelunxbornenſium p. 49.* & TOBIAM ECKARDVM *Tr. de autoritate Henr. Leonis circa ſacra p. 60.* ubi hæc ſtatuuntur: *Cives Sverinenſes in omnibus locis per ducatum noſtrum a telonio liberi erunt; ad uſus etiam mercationum ſuarum in portu, qui Wiſſemer dicitur*, duas magnas naves, quæ Koggeln appellantur, *& minores, quotcunque voluerint, naves alias ſine contradictione quorumlibet hominum ſemper habebunt.* Fuerunt igitur *Coggeln*, quæ latine ſcribi ſolent COCCONES ſeu *coggones*, naves armatæ, quibus barcæ, *die Barquen*, naves minores opponuntur apud GODEFRIDVM MONACHVM & ISIDORVM, quos citat FREHERVS *in gloſſario ſcriptoribus rerum germ. ſubjuncto p. 695.* Plura notavit SPELMANNVS *gloſſar. p. 137. & 149.* ubi vocem repetit a gallico *Coque*, concha, teſta, cujus figuram ejusmodi navigia referre putat. Malunt alii forte hoc navigii genus arceſſere a Celtico COCHL, quod denotat tegumentum commune, magnum & orbiculare & convenit cum vocabulo *globo*, *kugel*, & Anglo-Saxonico *Cugle*, tegmine, teſte BENSONIO. Cui tamen etymo MARESCHALCVS *in Libro de republica militari & cide Weſtphal. Monum. inedit. Rer. Germ.*

Trabenæ vocis explicatio varia.

Derivationis ab antiquo traben illuſtratio.

Originatio vocis koggeln.

Opinio Spelmanni,

Benſonis,

luſum appellari vel ab Anglo-Saxonico *Cloſs* (*v*) ſeu globulo, addita ratione, quod *Chaluſius* fluvius & tractus circumvagus, vulgo *Cluſer Ort*, in gyrum & rotunditatem circumeant & circumerrent; vel a vetuſto vocabulo Theotiſco *Chals* (*w*), quod hodie in *Holtz* degeneravit & olim ſilvam vel campum ſilveſtrem indigitavit. Cum qua notione & ipſa vox Træva ſeu Trava convenit, utpote dicta ab antiquo Anglo-Saxonico *Træ* h. e. ligno, ſilva (*x*). Ut igitur Chaluſus & Trava dialecto quidem differant, ſed ſignificatu uno denotare videantur *fluvium per campos & ſilvas labentem* (*y*). Addimus denique paucula ad Mareſchalci opinionem de Radegaſto Deaſtro, quem in omnibus fere ſcriptis pro *idolo Vandalorum* operoſe venditavit, quem etiam tantum non omnes cum Rhadagaiſo I. Teutone & Rege Vandalorum, qui a. 406. regimini Megapolenſium Gothorumque præfuit vel confundunt, vel ita explicant, ut ſacra Deaſtri hujus nominis ab hoc Rege bellicoſiſſimo repetenda eſſe perhibeant. Ita BANGERTVS *ad Helmoldum L. I. c. 52.* ALBINVS *Chron. Miſn. tit. XI. p. 299.* HENNINGESIVS *Monarch. IV. p. 288.* quorum aliorumque fide plures nituntur, qui pro nomine & etymo Radaigaſti *Vandalico* enixe pugnant cum MASIO *in ſchediaſmate de Diis Obotritarum &* TENTZELIO *in colloquiis menſtruis a. 1689. p. 698.* Sed errorem horum interpretum ex

Mareſchalci de Radegaſto idolo opinio.

Bangerti pluriumque explicatio ex hiſtoria Vandalica.

Mareſchalci.

Noſtra conjectura ex idiomate cimbrico petita.

vili Libro IX. cap. 2. 3. contrariatur aſſerens, quod Koggeln dicantur a græco κόκκυς, unco, apice, criſta; cum hujusmodi naves fuerint uncatæ, criſtatæ, acuminatæ. Addo conjecturam ab Anglo-Saxonico vocabulo *Cock*, *Koche* petitam, quod vas amplum excavatum ſignificat. Inde etiam noſtra ætate ſeptentrionalibus *Kugge* eſt linter ex arbore cavatus, Anglis *Cogs*, *Cockboot*, Francis *Koghſchip*, & Cimbris veteribus *Cowgs*; unde etiam nunc loci & campi foſſati, exhauſti, bene ſubacti & vallis muniti apud Ditmarſos dicuntur *Koge*. Forte etiam a cavatione appellationem nacta ſunt thecarum ſeu receptaculorum illa genera, quæ dici ſolent *Köcher*, pharetræ, *Svecis* Koger, *Anglo-Saxonibus* Cogre. Curatiora forte ſuppeditabunt PONTANVS *L. I. rer. Franc. c. 9.* ALTINGIVS *P. II. germ. inf. p. 7.* DV FRESNE *gloſſar. voce Coggo p. 733.* ibique laudati autores qui de *Coggonibus* & *Coggeſchuld* h. e. navatico ſeu debito navis diſpexerunt. Quod in diplomate Waldamari Daniæ Regis de a. 1326. dicitur *Teloneum Coggonum*, apud PONTANVM *Hiſt. Dan. L. VII. p 443. ſq.*

Chaluſus fluvius vel dicitur a gyro,

(*v*) Unde *græcum* κλωθω, circumvolvo, *Belgicum* clüte & cliſſen, adhærere, *Gothicum* kludde, compingere, adhæreſcere. STIERNHELM *in gloſſar. Ulph. Goth. p. 90.* Cui etymo favere videntur quædam lectiones, occurrentes in diplomate Ducis Henrici de privilegiis Grabovienſium a. 1445. ubi mentio fit *Klüſingsfort den Strom hinlang in die Roggeniz*, & in charta *Hans Negendancks de a. 1478.* qua in *Helmoldum Pleſſen* pagum *Retwiſch* transtulit ſub pacto retrovenditionis, cum pertinentiis, ſpeciatim *dem Haffhave*, *Mölne vnd der Hüſe tom Nedderklüze.*

Vel a ſilva & campis, quos circumfluit.

(*w*) Docentibus BENSONIO, HICKESIO *in Anglo-Saxonicis.* Quibus ſuppetias ferunt diplomata, quæ *Chalſi* ſeu ſilvæ mentionem injiciunt apud BALVZIVM *T. II. Hiſt. Arverniæ p. 520.* Pertinent huc verba chartæ Caroli M. de a. 709: *Ab ipſa jam orba venitur in Calmibus, usque quo pervenitur in planitiem.* Plures chartas hujus tenoris recenſet DV FRESNE *gloſſar. T. I. p. 53.* inter quas eſt charta Ludovici Regis Francorum de a 1154. qua mentio fit *deſtructionis calmæ ſeu ſilvæ.* Ad cujus vocis notionem recte referuntur vocabula *chalaris navis* i. e. navis ligna portans, & *calatum*, lignum. Aliis forte placebit derivatio a Francico *Chala*, h. e. vile, tenue. Quod occurrit in *Lege Salica*, *vocibus lerechala & chala ſinus*, quas Eccardus explicuit *tenuem fœturam & vilem ſatisfactionem.* Sed male cum alibi & in ipſa Lege Salica *tit.* XXXII. vox *Chala* ſumatur pro *valido*, *totali.* SCHILTERVS *gloſſar. p. 161.*

Alia conjectura.

De loco & ſignificatu Travenhorſt.

(*x*) Firmant hanc conjecturam diplomata & privilegia Comitum Holſatiæ civibus Oldenburgenſibus olim indulta, quibus diſerte deſcribitur locus *Travenhorſt*, ceu locus ſilvoſus, cui fluvii Travæ pars alluit. *Horſt* enim idem eſt ac locus nemoroſus, *Anglo-Saxonibus* dictus *Hurſt*, probante SPELMANNO *c. l.* Mutata litera initiali hodie dicitur *Forſt*, de quo vocabulo WACHTERVS *c. l. p. 467.*

(*y*) ECCARDVS *Rerum Francicarum Tom. I. p. 897.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ex ſimilitudine & conſonantia, ſed diverſo, ut ſæpe fit, ſignificatu nominum apud *Vandalos & Slavos* uſitatorum originem traxiſſe liquet ex hiſtoricis & etymologicis rationibus, quas exemplis ſtabilivit ABRAH. FRENTZELIVS *in commentario de Diis Soraborum* (z). Nec tamen Frentzelii aliorumque explicatione nominis Radegaſti, utut ex Slavica lingua (*a*) repetita, perſuadeor, ut Radegaſtum *Martem Slavorum* ſeu *Ducem belli* dicendum eſſe perhibeam. Malo nomen derivare a Slavico *Rada, Reda*, quod notat oraculum, reſponſum, & *gaſti*, quod idem eſt ac ſaltus ſpiſſus, locus ſilvoſus, *Polonice* goſt, geſtwa, docente MENINSKI *in theſauro linguarum orient. h. v.* Proinde famoſiſſimum hoc idolum ſimulacrum videtur Apollinis ſeu Oraculi Græcorum, quod a Slavis e Græcia, qua oriundi ſunt, in Germaniæ oras allatum, & recepto atavito ritu celebratum ubique fuit in locis condenſis & ſaltuoſis. Dabimus pauculas hujus conjecturæ hiſtoricas rationes. Principio audiendus eſt DITMARVS *Merſeburgenſis* (*b*), qui de ſilvoſo cultus Radegaſti loco apud Redarios hæc prodit: *Eſt urbs quædam in pago Redariorum, Ridegaſt nomine, tricornis ac tres in ſe continens portas, quam undique* SILVA *ab incolis intacta & venerabilis circumdat magna, duæ ejusdem portæ cunctis introeuntibus patent; tertia, quæ orientem reſpicit & minima eſt, tramitem & mare juxta poſitum & viſu nimis horribile monſtrat. In eadem nil niſi fanum eſt de ligno artificioſe compoſitum, quod pro baſibus diverſarum ſuſtentatur cornubus beſtiarum. Hujus parietes variæ Deorum Dearumque imagines mirifice inſculptæ, ut cernentibus videtur, exterius ornant; interius autem Dii ſtant manufacti, ſingulis omnibus inſculptis galeis atque loricis terribiliter veſtiti, quorum primus Luariſici ſeu* Radegaſt *dicitur & præ ceteris a cunctis gentilibus honoratur.* Deinde officium Radegaſti circa edenda oracula ſacri & civilis argumenti occupatum, deſcribere lubet verbis HELMOLDI *Chron. Slav. L. I. c. 21: Quatuor autem ſunt populi Slavorum in orientali provincia, qui Lutatii ſive Wilzi dicuntur, quorum Kyſſinos & Circipanos circa Panim, Riaduros ſive Tolenzos cis Panim habitare conſtat, inter quos de fortitudine & potentia valida orta eſt contentio, ſiquidem Riaduri propter antiquiſſimam urbem & celeberrimum iſtud, fanum, in quo ſimulacrum Radegaſti oſtenditur, regnare volebant, adſcribentes ſibi ſingularem nobilitatis honorem eo, quod ab omnibus populis Slavorum frequentarentur propter* RESPONSA *& annuas ſacrificiorum impenſiones.* Utrumque hoc, quod de loco ſilvigero & oraculo ſcriptores referunt, comprobant antiquitates vetuſtiſſimæ urbis *Mecklenburg*, qua Rhadagaſto idolo am-

Etymologia Frentzeliana.

Et Slavica alia.

Opinionoſtra de Radegaſto Apolline in ſilvis culto.

Probatio e Ditmaro,

Helmoldo,

(z) *Cap. 2. §. 9.* apud HOFFMANN. *in Scriptor. rer. Luſatic. T. II. p. 125.*

(*a*) Nimirum a vocabulis *Rad*, patrono bellico, & *goſcz*, luco. In quo argumento fidem ſecutus eſt MASII *de Diis Obotrit. c. 5.* Idem dixerim de opinione IO. PETRI LVDEWIGII & MICHAELIS FRENTZELII, qui in *diſſertatione 2. de Diis Slavorum* nomen deduxerunt a Polonico *Raſno*, bello, & *wodzu*, duco. Unde efformant *Raſwodzi*, ducem belli.

Opinio Maſii,

Et Ludewigii.

(*b*) *Chron. Merſeb. L. VI. fol. 65.*

ampliſſimum templum dicatum, in vicina vero ſilva, ubi *Gadebuſium* nunc eſt, imago ipſius ſeu ſtatua ex arboribus confecta ſacerrime erecta fuit, uti ex veterum annalibus retulerunt ELIAS SCHEDIVS *c. l. P. I.* REIMARVS COCKIVS, ſcriptor patriæ aſſiduus in chronico Lubecenſi manuſcripto, & qui hunc ſequitur, EHRENFRID GEIERVS *in Obſervationibus ad antiquitates Germanicas p. 105.* Equidem MASIVS *c. l. c.* 7. fidem COCKII ſugillat ideo, quod coronam Radegaſti in feneſtra templi verſus occidentem Gadebuſi ſupereſſe ſcripſerit, & præter eum, hiſtoricorum nemo, ſtatuæ Gadebuſenſis Radegaſto ſacræ meminerit; ſed hoc quidem argumentum nec autorem ferit, nec ad rem quicquam facit. Fabula enim de reliquiis coronæ Radegaſti, cujus aperto capiti avis quidem diſpanſis alis, ſed corona nunquam, impoſita legitur, ſatis a D. BVSSINGIO & TENZELIO *c. l.* exploſa eſt, quamvis ipſe MASIVS pro coloranda hujus coronæ vulgo æreæ traditione pluſcula argumenta conduxerit; verba vero laudati Cockii ἁπλῶς intelligenda non ſunt, ac ſi Radegaſtus in templo ipſo & oppidulo hodierno Gadebuſo religioſe cultus ſit; ſed explicationem jure ſuo intelligi poſtulant de veteri ſilva condenſa, quæ olim circumcinxit occupavitque hunc locum, cui recentius ævum, exſtructo a Teutonibus oppidulo *Godebuzo* (*c*) nomen demum Gadebuſch in memoriam veteris divi nemoris indidit. Quod & haud peregrinum *Maſio* videri poterit, qui ipſe p. 84. aſſeruit: *Mores religionemque Germanorum* (Slavorumque) *qui novit, ipſi probabile eſt, quod non omnes Radegaſti ſtatuæ in templis* (plerumque etiam umbriferis & arboribus circumſeptis), *ſed multæ quoque in lucis & ſilvis collocatæ fuerint.* Comprobabitur hoc ipſum luculentius, ſi nomina populorum locorumque, quos cultus Radegaſti olim occupavit, hujusque ſimul reliquias inveſtigemus. Teſtes ſunt Adamus Bremenſis & Helmoldus, quod *Lutatii ſeu Leutici* eorumque concives cis Panim *Riadarii ſeu Tolenſi & Winuli*, circa Panim *Kiſſini & Circipani*, deinde *Obotriti Mecklenburgici*, *Polubi*, *Wagiri*, *Bardewicenſes*, *Sorabi ſeu Luſati & Miſnici* præcipui populorum fuerint, qui Radegaſto reverenter litarunt. De Redariorum vulgatiſſima & ſilvoſa urbe Rethre, cujus locum *Stargardia* ſeu vetus caſtellum Pomeranorum hodie ſubit, ſatis conſtare puto, quod Radegaſtus ibi in fano ſuo aureus ſteterit & ipſi deinde urbi appellationem Radegaſt indiderit fide DITMARI *Merſeburgenſis* pluriumque. (*d*) Idem dicendum de urbe *Wineta* inter fluvios & ſilvas olim ſita ob Radegaſti delubrum æque famoſa. Innuit hoc MARESCHALCVS *Annal. L. I. c. 9. Rhadagaſus ſummus apud Herulos divorum in urbe* MEGAPOLI *phanum magnificentiſſimum habuit unum, alterum in* RETHRA, *tertium in urbe* VENETORVM *ampliſſima.* Ultimam hanc vero Winetam eſſe, teſtis eſt autor compila-

Schedio & Cockio,

Et e ſitu locorum cultu Radegaſti olim celebrium.

Præcipue antiquæ urbis Rethræ Redariorum.

Winetæ.

(*c*) Quo nomine occurrit in diplomatibus Seculi XII. & in charta *de originibus epiſcopatus Ratzeburgenſis a. 1154.*

(*d*) DITMARVS *Merſeb. L. VI. f. 65.* ADAMVS BREM. *L. II. H. E. c. 11.* CRANTZIVS *Vand. L. III. c. 4.* HELMOLDVS *L. I. c. 2.*

pilationis chronologiæ apud MADERVM *c. l.* qui *fuit*, inquit, WINETHAE *templum dæmonibus conſtructum, quorum deorum ſeu dæmonum princeps erat Radegaſt, prope Mecklenburg item.* Explicatius rem docuit M. BERNHARDVS LATOMVS *in Hiſtoria Mecklenb. MSC. P. I. ad annum 408.* ubi ita: *Es haben den König der Wandaler und Heruler Radagaiſum I. ſeine Unterthanen im Lande Mecklenburg, die Venetianer und Slavianer, wie ſie Rodericus de rebus Hiſpan. L. II. c. 1. nennet, das iſt, die Wenden und Pommern ſo hertzlich geliebet (e), daſs ſie ihn auch nach ſeinen Tod für einen Gotten ausgerufen und geehret (f), auch drey nach ſeinen Nahmen genannte und von Metall gegoſſene Bilde männlicher Geſtalt, welche für der Bruſt einen Schild, darin ein ſchwartzer Büffelskopf ſtund, und in der Hand einen Helleparten hatte, und dem oben auf dem Kopf ein Vogel ſaſs, aufgeſtellet, und eins in der Stadt Wineta, das andre in der damahls bekannten Stadt Rethre, und das dritte in Mecklenburg geſetzet, und Thiere und Menſchen ihnen geopfert haben.* Quod præcipue Mecklenburgum attinet primam Radegaſti ſedem & opulentiſſimam Obotritarum metropolin, res ipſa ſponte eluceſcit ex ſitu ipſius & ambitu, ex reliquiis & locorum veſtigiis, quæ etiamnunc teſtes ſunt veteris cultus ſilveſtris numinis Radegaſti. Præter *Gadebuſum* enim quod ſitu ſuo nunc partem veteris ſilvæ Radegaſto olim dicatæ occupat, ſupereſt non ſolum vicus *Radegaſt*, poſt tertium a Gadebuſo lapidem ſitus; ſed & ejusdem nominis fluvius, qui Gadebuſum alluit & inde longo per umbras ſilvularum & per agros Mecklenburgenſes tractu defluit, donec nomen amnis *Stöpenitz* ſubit, quod retinet ad lacum (*g*) usque, quo ſe exonerat, Daſſovienſem. Teſtatur idem integer ambitus civitatis Mecklenburgi, cujus vetera confinia SCHEDIVS *in Chorographia Mecklenb. MSC.* ita deſcripſit: *Die Hauptſtadt Mecklenburg, von welcher das gantze Land den Nahmen hat, war gelegen an einem luſtigen und feſten Ort von der* FICHEL *an bis an den Belt, und von dannen bis* BVKOW, *alſo, daſs ſie in der Länge 2. Teutſche Meilen und 5. im Umkreiſſe begriffen.* Ipſe vero locus *Fichel* dictus, ſilva puto fuit pinea, condenſa & alta, Slavis *Koina* vel *Kointze* vocata, cujus memoria hodieque ſupereſt in vico *Hohenfichel* a præfectura & pago *Mecklenburg* parum remoto. Perinde *Bukovium*, cujus Schedius meminit, dici videtur a Slavico *Buck*, quod Sorabis, Bohemis & Polonis noſtra quoque ætate eſt fagus, Φηγὸς, unde adjectivum *Bukowi* idem notat ac *fagineum, & Bukowina ſeu Buczina* vocatur ſilva faginea. Ejusdem explicationis ſunt nomina *Buzzow (h)*, *Bu-*

Mecklenburgi metropoleos Obotritarum, Ejusque viciniæ Gadebuſi.

Pagi Radegaſti.

Fichelia.

Bukovii.

(*e*) Quod inſtar miraculi foret. Cum ne ipſi quidem Vandali ſeu Teutones, quorum Rex Radagaiſus fuit, patriæ ſuæ hunc Principem ita coluerint, ut in numerum Deorum illum adſciverint.

Rhadagaſtus Slavorum non eſt e Regibus Vandalorum;

(*f*) Quod plane adverſatur moribus Slavorum, qui indelebili & Vatiniano odio Vandalos proſecuti, nec homines nec Reges & Deos Germanorum unquam evecti ſunt in cenſum numinum Deorumque Slavicorum. Quos quippe *de Sanguine Numinis Slavici proceſſiſſe oportuit* teſte HELMOLDO *L. I. c. 73.*

Nec e Diis eorundem.

(*g*) BANGERTVS *ad Helmoldum L. I. 6. 52.*

(*h*) *Buzovium*, *Bützow*, oppidum Mecklenburgicum, quod a capite *Bucephali* & inſignibus *Anthirii* Regis appellatum plures temere comminiſcuntur. Rectius forte conjeciſſent, ſi urbis hujus, quæ Slavicæ eſt originis, etymon dixiſſent Slavicum, oriundum a *Bück*, quod Slavis hodieque Sorabis & Bohemis denotat taurum, bovem admiſſarium; unde *Bycz* & *Byck* idem eſt

Buzovium non dicitur a bucephalo.

cu, *Buzue*, item *Bozoe & Boſaw ſeu Buzove* in Holſatia prope lacum Plönenſem, presbyteri Helmoldi quondam parochia; qui & ipſe teſtis eſt Libro V. c. 71. *Quod hi loci fagineis arboribus abundaverint, & epiſcopus Vicelinus inſulam, quæ dicitur* BOZOE, *incolere incipiens, habitaverit ſub* FAGO, *quousque exſtrueret caſas, in quibus conſiſtere poſſet.* Plures huc referre poſſem locos finitimos (*i*) reliquiis ſilvarum, quæ urbem Megapolin olim undequaque cinxerunt, nondum deſtitutos; ſed nominaſſe ſufficiat vetuſtum caſtrum hodie urbem Swerinum, in vicinia magnæ civitatis (*k*) *Meck-*

Zverini.

Error Schedii. eſt ac juvencus, bos junior, & *Buczowii* idem ac taurinum. Si fidem *Schedii* ſequi placuerit, adfinia huic ſunt *Bydzovum* & *Buczavium* nomina urbis Bohemicæ & Reuſſiæ. Sed erronee. Docente enim SARNICIO *Hiſt. Polon.* & STRANSKYO *in republ. Bohem. c. 2. p. 30.* hæc dicitur a fluvio *Bug*, illa vero a *Bydo* conditore; *Bydus* autem vocatur a Slavica voce *Buda*, taberna. Cum qua, quod raro fit, Germanicum vocabulum *Bude* plane coincidit.

Explicatio nominum Warini, Trebbi, (*i*) Inter quos ſunt *Critzow*, *Carow*, *Rambow*, *Modentinum* ſeu locus precum, *Warinum*, locus ſecurus, aqua & arboribus munitus; præcipue TREBBVM inter pagum Mecklenburgum & Gadebuſum ſitum, appellatum a Slavico *Trewo*, *Drewko*, ligno; & pagus BREZEN Gadebuſo vicinus, cui nomen eſt a Slavico *Brieſa*, *Breza*, betula, *germanice Bircke*, a qua & pagus Venedicus ad Albim *Breſeniz* dicitur, & tractus Smilowienſis hodie Greſmölenſis in Megapoli, *Brezen, terra Brezin* olim vocatur, ob ſilvam betuleam, qua totus circumveſtitus fuit. Cujus regionis *Breſen* in diplomate fundationis *Eccleſiæ Sverinenſis de a. 1171.* & in *chartis Sec. XIII. XIV.* ſæpius mentio injicitur. In quibus & aliquando obſervavimus nomen *Bryzanorum*, *Berſariorum* vel *Brezariorum* quos vel incolas tractus *Brezen* vel inſpectores rei venatoriæ dixerim, indubie vocatos a *brieſa* vel *berſa*, i. e. ſtipitibus & ramis betularum, quibus venationis tempore ſilvas ſepire conſveverunt. Unde *Birſare* apud DVFRESNIVM eſt ſilvam circumdare ſepto venatorio, vel etiam venari in ſilva foreſtata ſeu berſis cincta; a quo vocabulo forte eſt germanicum in re venatoria uſitatum *bürſchen*. Conferantur plura hiſtorica apud præſtantiſſimum AVTOREM *chronici Gotwicenſis L. IV. de pagis Germ. mediæ p. 564. 379. 717. 768. 776. 843.* in articulis de *Breſenizo*, *Brizanis*, *Berſana*, *villa Brieſen*, *Briegnitz*. De ſignificatu *Berſariorum* vide nonnulla notata ab ECCARDO *T. II. Rer. Franc. p. 97.* CARFRID. BVRI *in explicatione Iur. Feud. Schilteriani p. 252.*

Breſeni,

Berſariorum, Birſare, aliorumque.

Mickelburgum dicitur a magnitudine. Probatur conſenſu & ratione Stiernhelmii pluriumque. Præcipue Maji Jarli, Peringskioldi, (*k*) In antiquiſſimis chartis & apud ADAMVM BREMENSEM *L. IV. hiſt. eccl. c. 12.* & HELMOLDVM *chron. Slav. L. I. c. 2. 20. 87.* ſcribitur *Michilinburg*, *Mickilenburg*. Quod vocabulum oppido eſt Gothicum & Vandalicum a *Mikil*, *Michil*, h. e, potens, magnum eſſe, valere. Docet hoc STIERNHELM *in gloſſar. Ulph. gothico: Mickil eſt magnus, multus; unde* Mikilaus *princeps apud Marcum X. 42. idem eſt ac magnus princeps, & apud Nehem. III.* Michelpfaffe *magnus ſacerdos*. Convenit Anglo-Saxonicum & anglicum *Mickhel*, magnificum, & *Scoticum gimilicho*, magnifacio. MARESCHALCVS *Obſerv. 540.* FR. IVNIVS *Alph. Goth. p. 255.* Plura ſuppeditant ABRAH. MYLIVS *in Archæologo Teutone* apud LEIBNITIVM *in collect. etymol. P. II. p. 121.* & ECCARDVS *progr. de antiquiſſimo Helmſtad. ſtatu pl. 2. & in catecheſi Theotiſca p. 168.* Præcipue addi merentur rationes & exempla, quibus hoc etymon egregie eruunt & illuſtrant MAIVS IARLI ſeu WILDFORVLVS *in Hiſtoria vetuſtis Ormi Snorronidæ Annalibus in pergameno deſcriptis, inſerta p. 74.* & 10. PERINGSKIOLD *in annotationibus ad Theodorici Oſtergothiæ & Italiæ Regis Vitam ed. Holmiæ a. 1699. p. 240.* ubi inprimis ex *Hiſtoria Wilkinorum MSC.* quæ in archivo regio latet, commemoratur, quod Rex Ditmarus & Theodoricus filius fuerint *Mikill*, *mikil mapur*, magni, magnæque ſtaturæ. Idem docuit TORFAEVS *ſerie Regum Dan. L. I. c. 1. in catalogo monumentorum Islandicorum manuſcriptorum*, quorum unum eſt *Alexandri mikla ſaga* i. e. Alexandri magni vita. Adde ſuffragia GOLDASTI *in Notis ad parænet. p. 374.* DIEDERICI A STADEN *in ſpecim. Lect. Franc. p. 15. n. 5. in* OTFRIDI *oratione dominica.*

Torfæi.

Aliorum derivatio a mercatu. Sed vulgo nomen Mecklenburgum deduci ſolet a germanico *Meckeln*, mercari, unde *Meckler* eſt negotiator, & *Mecklerbuch*, liber proxenetæ, quo more inter mercatores recepto cambialia negotia conſignantur. Quod vocabulum occurrit in diplomate de jure & privilegio appellationis Lubecenſium apud MARQVARD. *de jure Mercat. L. III. c. 11.* Referunt huc forte affine nomen civitatis Brabantiæ *Mechlinæ*, quam a mercatu vocari putat BVTKENS *dans les Trophées de Brabant.* Cui tamen DVFRESNIVS rectiorem oppoſuit derivationem a *Malina*, ſiue alta maris inundatione. Et certe, hæc Megapoleos a mercatura explicatio, vetuſtæ ætati & origini civitatis parum videtur accomodata: Quod quidem & putaverim de plurium opinione, qui cum PHILIPPO CLVVERO, ELIA SCHEDIO, PETRO BERTIO *commen-*

Butkenii opinio.

Communior aliorum traditio.

Mecklenburgi & inter denſiora nemora ſitum, ut nomen ipſum accepiſſe mihi videatur a Slavico (*l*) *Zwere*, *Zwiergyna*, hoc eſt a ferina (*m*), ſeu loco foreſtali, ad feras captandas commodo & ſpatioſo, germanice *Waldſtatt*. Colligo hoc ex prima, vetuſtiſſima & frequentiori ſcriptione *Zvarinum & Zwierinum* (*n*), quod deinde in multiplices lectiones degeneravit, utpote *Schwareinum* (*o*), *Schwerynum* (*p*), *Schwierinum* (*q*), *Schweinum* (*r*), *Svarinum*,

---

mentar. rerum German. & MART. ZEILERO *Topogr. Sax. infer. p. 182.* denominationem trahere ſatagunt a Slavico & græco μεγαλος, falſa inducti ratione, quod Urbs Megapolis Reges Slavorum Autores & conditores habuerit, qui tamen fuerunt Reges Teutonum, Gothorum & Vandalorum. Cum noſtra vero conjectura, quæ a Gothico repetita, convenire videtur ſignificatus nominis *Rerich*, quod, teſte Adamo Bremenſi, Dani urbi Mecklenburgo olim addixerunt. Denotat enim hoc vocabulum idem ac vaſtum, opulentum, affluentiſſimum. Unde *Reregi populi*, tractum Megapolenſem inhabitantes, Danica lingua erunt *potentes & opulenti.* *Rericum quid?*

(*l*) Teſtes ſunt ANDR. MÖLLERVS *in proœmio de patris vita*, & ABRAH. FRENZELIVS *in Origin. Lingu. Sorab. præf. Lit. d. fac. 2.* quod urbes & caſtella in *iz*, *in* & *olw* deſinentia, Slavicæ & Sarmaticæ ſint originis, præcipue apud Luſatos, Pomeranos, Megapolenſes.

(*m*) Docet hoc M. DAN. ADAM WELESLAVINA *in ſilva quadrilingu. Bohem. Lat. Græca & Germ. ed. Pragæ a. 1598. lit. z.* Sed & hodie Bohemis fera dicitur *Zwire*, Polonis vero *Zwiergyna* & *Zwierz*, Venedis ſeu Slavis Sorabis *Swierina*, *Swerio.* *Sverinum Slavicæ eſt originationis.*

(*n*) In Diplomate Ducis Henrici Leonis *de eo, quod poſt mortem ipſius epiſcopatus ad manus Imperatoris redeant a. 1154.* ut & *de primitiva inſtitutione perſonarum in eccleſia Raceburgenſi a. 1158.* Et in ejusdem chartis *de terminis epiſcopatus Raceburgenſis* a. 1167. de *fundatione eccleſiæ Zuerinenſis a. 1170. de Libertate eccleſiæ Raceburgenſis ab omnibus exactionibus & angariis a. 1171.* & in pluribus aliis, quas in unum codicem membranaceum colligi curavit HINRICVS *de* WITTORP *Epiſcopus XVIII. eccleſiæ Raceburgenſis.* Occurrit eadem vocis lectio in *Gregorii Papæ* legitimatione Theoderici electi epiſcopi Zwerinenſis a. 1240. & in comitis *Helmoldi Zwerynenſis* charta donationis aliquot manſorum in villa Exen pro eccleſia Raceb. a. 1279. item in Diplomate *Ottonis IV. imperatoris R.* Stadenſibus *irrogato a. 1209.* & in privilegio *Alberti* Regis Sveciæ & Ducis Mecklenburgici capitulo Raceburgenſi conceſſo a. 1409. Spectant huc etiam lectiones *Szverinum*, *Szwerinum*, *Tzwerynum*, *Czwerinum*, quas obſervavimus in *ſtatutis Tzwerinenſis epiſcopiæ de a. 1238.* & in ſtatutis Synodalibus *epiſcopi Szwerinenſis Nicolai a. 1444. & 1452.* in renovatione ſtatutorum capituli Tzwerinenſis per *Fridericum Epiſcopum de a. 1222.* in deſignatione redituum eccleſiæ Raceburgenſis tempore *Iſfridi epiſcopi de a. 1194.* item in Transactione inter Comitem *Helmoldum* & Epiſcopum *Hermannum* propter Zwerini differentias inita a. 1284. & in Gravaminibus Carthuſianorum, Monaſterii Marienée prope Roſtochium *ad Ducem Albertum* miſſis a. 1545. nec non in tribus ſcriptis eccleſiaſticis a Clero pontificio Sverinenſi tempore Lutheri editis ac reformationi feliciter gliſcenti, politica ratione modeſte & pie oppoſitis, quæ hæc ſunt: *Ordinarium novum Eccleſiæ Tzwerinenſis de a. 1519. Agenda ſecundum ritum Eccleſiæ Zverinenſis correcta a. 1521. & Breviarium doctrinæ Diœceſis Zverinenſis a. 1529.* Ipſa hac vocis Zverini, Zwierini & Tzwerini antiqua ſcriptione quoque uſi ſunt DITMARVS *Merſeb. ad a. 1020. ed. a Madero p. 235.* HELMOLDVS *L. I. c. 87. 92. L. II. c. 3. 6. 7. 14.* GERVASIVS *Tilherienſis ad a. 1179.* MICRAELIVS *Chron. Pomer. L. VI. p. 528.* DLVGOSSVS *Hiſtor. Polon. T. I. f. 66.* Recentiori vero ætate Wendica litera *Z* abiit in leniſſimam S. docente FRENTZELIO *in Orig. Sorab. L. II. c. 2. p. 818.* ubi Slavos in literis ſuis Ebræos imitatos eſſe adſtruit. *In chartis vetuſtis dicitur Zvarinum, Zwierin.*

(*o*) ERNESTVS *de* KIRCHBERG *in chron. Meckl. MSC. ad a. 1378.* LAZIVS *de Migrat. gent. p. 654.* Schwareynum ſcripſit DANCKWERTH. *chorograph. Cimbr. L. I. c. 7. p. 40.*

(*p*) Quæ ſcriptio frequens eſt in *Actis capituli Schwerinenſis* & in chartis *Regis & Ducis Alberti*: Eadem occurrit in Literis indulgentiarum Pontificis Innocentii VIII. *pro capella caſtri Swerinenſis & Altari Sacri Sangvinis Schwerynenſis a. 1564.* *Vel Szverinum.*

(*q*) In literis Ducis Megapolenſis *Io. Alberti I. ad Franciſcum Burchardi a. 1564.*

(*r*) In literis donationis & confirmationis præpoſituræ Sverinenſis de a. 1509. ut & in Literis Guardianorum ad Ducem Albertum de a. 1531.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

num (*s*), *Sverinum* (*t*), *Swerinum* (*u*). Firmat hanc conjecturam proxima civitatis vicinia silvosa, quæ cum inferiori ipsius parte, *Smelna* vulgo *Schelfe* (*v*) vocata, una via cohæret & in nemus desinit condensum, amplum & instar insulæ (*w*) situm, feris omnis gene-

---

(*s*) ALTHAMERVS *in Commentario ad Tacitum.*

Wogiwotinza in diplomatibus Mecklenburgicis significatus.

(*t*) In HENRICI LEONIS Ducis Bavariæ & Saxoniæ privilegio de immunitate episcopatus & totius cleri Raceburgensis a *Wogiwotinza* h. e. a Censu Ducis seu ab onere contributionis de a. 1158. Eandem scriptionem secutus est Imperator FRIDERICVS *I.* in confirmatione Episcopatus Sverinensis *a. 1170.* Item ARNOLDVS *Lubecensis* Continuator Helmoldi *L. IV. c. 7. n. 2.*

(*u*) In Episcopi Friderici constitutionibus ecclesiæ Swerinensis, clericorum officium maxime concernentibus *de a. 1238.* In confirmatione infeudationis *Ducatus Mecklenburgici Comitatus Swerinensis, item Prignitz, Havelberg &c.* data ab Imp. Carol. IV. a. 1374. Addatur BOTHO *in Chron. picturato ad a. 1557.* ENGELHVSIVS *Chronico a* MADERO *edito a. 1671. p. 234.* & *Autor relationis de miraculis & Sacerdotibus sacri sangvinis Sverinensis in templo cathedrali a. 1540.*

Explicatio vocis Smelnæ, Schelfæ, Smeldingorum. Consensus Cosmi de Simmern. Opinio Eccardi & Danckwerthi Schediique. Abelii, Schrieckii,

(*v*) Quæ dicta videtur a Slavica voce *Smelna* junco, scirpo, unde Smelsina est juncetum. Slavi igitur Smeldingi seu Smelsini, qui hunc tractum urbis incoluerunt, a *Smelna* forte vocati sunt, sicuti plures populi nomen consecuti sunt a situ & qualitate loci. Consentire nobiscum videtur, COSMVS *de* SIMMERN *a Simmershausen & Kamp*, Consiliarius Cæsareus, *in vasto opere Cosmographico adhuc inedito f. m. 4085.* ubi in historia Mecklenburgica describenda occupatus, origines templi a Comitibus Sverinensibus in *Schelva* exstructi percontatur & hanc vocatam asserit a junco & loci situ, quem ita compositum esse refert *ut Schelffa pars urbis sit amœnissima peninsula in mari Sverinensi.* Sed ECCARDVS alicubi *Smeldingos* & *Polabos*, qui in locos Smeldingorum successerunt, ab Albi, & alibi iterum Smeldingos ab *Elda* amne & *Seme*, quod Slavice significat terram, deduxit, adeoque hoc etymo & terram & mare, quorum unum sufficerat, in designanda populi regione & appellatione conjunxit; DANCKWERTHVS vero a palude, vulgo *Poel*, & Polabos & Smeldinos vocatos defensitat; at SCHEDIVS hoc populos etsi *Slavicos* a Germanico *schmal* seu a tenui & gracili regione dictos parum appposite judicavit, ut alios taceamus, qui cum ABELO *in Antiquitat. Saxon. p. 322.* Smeldingos in Sweldingos seu Svevorum posteros convertunt, vel cum SCHRIECKIO *in Indice Originibus rerum Celticarum subjuncta* eo procedunt diverticuli, ut hos populos a medio territorii *Medioximos seu Medianos* vocatos, & ipsos Bohemos in medio saltus Hercynii habitantes fuisse, hariolentur. Quid vero ad hos omnes Mareschalcus? Is *Hilivones & Svardones populos* ad Lubecam veterem seu *Swartoviam* usque vergentes, incolas antiquissimas Sverini fuisse & ab his partem urbis superiorem *Svarinum*, ab illis vero inferiorem partem *Schilvonem* seu *Schelfe* appellari contendere videtur *L. I. Annalium c. 4.* Secuti sunt ipsius vestigia BEATVS RHENANVS *in Annotationibus ad Tacitum* & ALTHAMERVS *in Commentar. ad Tacitum p. 470. 561.* ubi alteram partem urbis Sverini a Hillevionibus una cum Smeldingis a Carolo M. devictis, nominatam fuisse autumat; uterque tamen Hilleviones & Smeldingos unum vel certe conjunctum populum fuisse asserit. Et posset quidem pro hac assertione in auxilium citari vulgaris scriptio *Schelifio*, *Schelmio*, *Schelmo*, quæ etiam in Statutis capituli Zwerinensis de a. 1238. & alibi sæpius occurrit; sed accensenda est hæc lectio communi errori Monachorum & eruditorum hujus ævi, qui in documentis Mecklenburgicis sphalmata plura literaria & grammaticalia committunt &, ne exempla desint, vocabulis uti solent latino-germanicis *Reysa* pro itinere, *hura* pro *heuer; packtu*, Pacht; *Deushenardo*, Gotthard; *perfecta sona*, Ausshnung; *stallum & stubelli*, Stall & Stuben; *Dammo Molendinorum*, der Mühlendamm; *infiltziari*, in indicem vel protocollum referre; *cancrare*, cancros capere; *summum ferculum*, pro supremo *judicio.* Quod postremum sphalma etiam prostat in versione latina articulorum Smalcaldicorum ed. a. 1580. cujus generis plura exempla vide apud VAGEDES *Oper. acad. diss. 2.* CONRING. *in Antiquit. acad. supplem. 42.* RECHENBERGIVM *de ineptiis Clericorum literariis §. 5.* B. LVDOVICVM *diss. de grammatica mala §. 8. sq.* & LIEBHARDVM *orat. de palingenesia & profligata literarum barbarie ed. a. 1672.* Nec convenit communis scriptio *Schelfio* a germanico *Schilf* formata idiomati Slavico & antiquissimis lectionibus & documentis Seculi XI. quæ habent ipsum Slavicum *Smelna*, *Scmielna.* Addantur HELMOLDVS *L. I. c. 87. L. II. c. 7.* SCHVRTZFLEISCH. *de reb. Mecklenb. n. 14. 18.* CLVVERVS *Germ. ant. p. 612. ibique* PTOLOMAEVS *de Pharadinis*, quos nunc *Sverinenses* & *Warinos*, nunc *Svardones* CLVVERVS *explicuit*, GARZO vero & ERASMVS STELLA ad Sorabos Slavos, aliique ad Svevos populos rejecerunt, ut adeo ubique appareat gentium & vocum Sarmaticarum & Germanicarum confusio.

Mareschalci,

Althameri.

Quorum opiniones rejiciuntur exemplis & ratione.

(*w*) In diplomate fundationis episcopiæ Sverinensis, quod *Henricus Leo* dedit a. 1170. recte descri-

generis hodieque refertum, vulgo *Werder* (*x*) vocatum. Sed ab Obotritis & Slavis Megapolitanis transeundum nunc est ad Venedos, qui tractum Gustrovienſem occuparunt & teste SCHEDIO Radegastum præcipue coluerunt in locis, qui hodie dicuntur Grabovia, Stavenhagea & Penzlinum (*y*). Quæ ipsa assertio nostram de cultu Numinis silvestris conjecturam denuo suffulcit, cum Grabovium a Slavico *Grab* (*z*), quod denotat arborem carpinum; *Stavenhagea* (*tz*) vero a fagis, æsculis, arbustis, & *Pentzlinum* a Slavico *penk* seu *pien* (*a*), arbore, trunco, appellari videantur. De

Grabovii, Stavenhageæ, Pentzlini.

---

scribitur per *insulam Zverino adjacentem usque ad rivulum*, hoc est, usque ad lacum; cui etiam nunc nomen est *papenteich*. In eodem diplomate mentio fit *navalis telonei in Zverin*, hoc est, portorium seu naulum pro pontonio seu nave vectoria, qua trajectus fiebat in urbem, cui aqua olim ubique instar insulæ circumfundebatur & recentiori demum ævo præstructi sunt pontes & aggeres agris consolidatis.

De insulæ & telonio Sverinensi observatio.

(*x*) In vetustis documentis legitur *Wehrd*. Quo nomine occurrit in *Registro præposituræ & conventus Poretzensis de a. 1286.* ubi mentio fit insulæ Segebergæ sub nomine *Werd*. Eandem lectionem habet charta apud *de* LVDEWIG *reliqu. T. I. p. 79.* In nonnullis legitur *Ward, Wehr, Warder*; ut igitur vocis origo esse videatur a securitate & custodia, vel ab arcendo, avertendo & prohibendo, *bewahren, wehren*. Quæ explicatio cum significatu rei opportune convenit, cum insulæ loco editiori sitæ & aqua undique cinctæ securitatem præstent, &, ne quis facile accedat, prohibeant. Firmant hanc conjecturam charta investituræ Comitis Frisiæ orientalis, diplomata & rationes, quæ ab VBBONE EMMIO & BRENNEYSENIO in historiis Frisicis proponuntur. Quibus accedunt plura nomina, quæ agnoscere videntur easdem a defensione & præstatione securitatis laudatas origines & notiones. Cujus indolis forte sunt nomina *Warnovium, Warnemunda, Warini seu Werini, Wehrding, Dingwehr* seu defensio judicialis, *Warding*, propugnaculum, *Donawerda* h. e. insula Danubiana, *Leowerd & Bolswerd* in Frisia, *Werdenbroick* in Clivia, *Werdensels* in Bavaria, *Wehrde* famosum ob Codicem Ulphilæ argenteum diutius asservatum cœnobium in Ducatu Montium; *Warda & Königswartha* apud MANLIVM *rer. Lusat. L. I. c. 8. Warde* in Iutia, *Wardingborg* in Selandia, *Warda seu Varinia, item Werulia dicta* urbs Ripensis apud LYSCHANDRVM *ad Avent. p. 14.* De Werdera Wollinensi vide ALB. GEORG. SCHWARTZIVM *commentat. de Iomsburgo oppido Pomer. Vand. Slavico p. 19.* & de aliis hujus nominis locis ZEILERVM *in Topographia Brunsvicensi* IAC. PAVL. GVNDLINGIVM *in Brandenb. Atlante p. 165. 169.* & BECMANNVM *Hist. anhalt. T. VII.* qui etiam meminit familiæ nobilis a Comitibus Woldenbergensibus oriundæ, dictæ *de insula* seu *de* WERDER. Præcipue huc faciunt chartularia & constitutiones Saxoniæ, in quibus loci *Werder, insulæ* & HEGER, qui notorie dicuntur a securitate *& sepimento*, unius habentur indolis & significatus apud LVNIGIVM *in codice Augusteo seu corpore juris Sax. Vol. II. L. IV. c. 1. 4. p. 6. 10. 11. 12. 23. 715.* Nec dissonat ab hac explicatione vocabulum, quo insula indigitatur, Gothicum, Danicum & Svecicum, *Holm*, quod idem *est ac* tumulus terræ, locus tutus, editior, circumseptus. Unde explicanda sunt nomina *Holmgang, Holmstesna, Sætholmia, Boringholmia seu Bornholmia insula*, quam vulgo terram Boringiorum veterum temere appellant. RVDBECK. *Atlant. T. I. c. 9.* IAC. *a* MELLE *de simulacris aureis ex agris Boringholmiæ erutis*, apud SEELENIVM *Bibl. Lubec. Vol. I. & Vol. III. p. 328.* Dissentiunt GRYPHIANDER *de insulis c. 1.* MISSON *in itinerariis &* AVTOR *des delices d' Italie*, qui vocem *Werder* a latino *videre* repetiit, ob situm & circumspectum amœnum, unde *Belvedere* apud Italos dicuntur deliciæ locorum, vireta, tempe, Tusculanæ.

De nomine Werd, Werder. Origo vocis ejusque ratio.

Illustrationes variæ germanicæ,

Et Danicæ ac Svecicæ.

Dissensus Gryphiandri & Missonii.

(*y*) Consentit MARESCHALCVS *Annal.* L. I. c. 4. ubi Radegasto lucum dicatum fuisse asserit, cujus situm describit *inter Malachinum*, quod Pentzlino & Stavenhagæ vicinum est, *& Teteravium in pede montis.*

(*z*) Inde *grabowy* est carpineum seu acernum, & *grabow*, locus aceribus arboribus consitus. Exempla addit FRENTZELIVS *in etymologicis* e Lusatia superiori Slavica, cujus pagi *Grosgrabe* & *Grungrabe* dicuntur a carpentinis. Sorabi Slavi dicunt *Rabow* suppresso *g.* pro *grabow*.

Originatio nominis Grabow, Stavenhage,

(*tz*) A *Stab* seu *Stav*, *arbore*, & in sensu civili *judicio.* STIERNHELM *glossar. Ulph. Goth. voce Stavia.* Et opinabile est, hunc locum olim dicatum fuisse conventui judiciali & criminali. *Hagen* vero idem est ac lucus & locus separatus, germanice *Hayn, Hege.* Unde *Stavenhageam* dixerim germanice *Stabenheim, Holtzstadt.*

(*a*) Inde *Penz, Pentzlin*, pagus Lusatiæ in vernacula dicitur *Stockstätz.* Sed FRENTZELIVS *Pentzelinum* dictum putat a *pinza*, cella, & *lina*, lino, argilla. Quasi cella linosa. *Leimkeller.*

Pentzlini,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ulterior probatio de Radegasto in locis silvosis culto apud Polabos.

De *Polabis* (*b*) circa Ratzeburgum præcipue consedentibus Radegasti strenuis cultoribus, & rerum annales & regiones ipsæ quaquaversum silvosæ adeo copiose testantur, ut Mareschalcus ipsam urbem Raceburgum & pagos vicinos a Radegasto nominatos fuisse perhibuerit. Sequitur ipsius vestigia SCHEDIVS *in Chorographia Mecklenb. MSC. f. 37.* *Ratzeburg ist auf Vandalischen Boden der Polaborum gelegen, und hat von dem König Radegaso den Nahmen, welchen nach seiner Italischen Expedition die Unterthanen so sehr respectirt haben, dass sie nicht allein etliche Flecken und Wasser nach ihm genennet, sondern auch in gantz Vandalien, so auch in Ratzeburg einen Tempel aufgerichtet, worin sie ihn als Abgott verehreten, und dahero hat Ratzeburg den Nahmen bekommen, gleichsam Radagastburg, welches die Wenden verkürtzen, und sprechen Ratze für Radegast.* Quam sententiam in multis erroneam idem in *Libro de Diis Germanorum Sect. III. c. 5. p. 723.* corroborare fluviique cujusdam nomine ampliare gestit, fide HENNINGESII subnixus, cujus & MARESCHALCI assertum hoc est, quod Polabi in Radegasti memoriam templum erexerint fluviumque, qui Ratzeburgum alluit, Radegaisum vocaverint. Quod *Kissinos Slavos* attinet, testes sunt KIRCHBERGIVS, HELMOLDVS & LATOMVS, quod Radegastum cultu exceperint præcipue in ea regione, quæ a pago, cui *Kessinum* nomen est, incipit & per pagum *Bockholt* ad *Dobberanum* usque progreditur, olim quercetis & silvis fagineis cumulate circumvestita, nec hodie illis plane destituta, præsertim circa Dobberanum, quod ipsum non a *dobber* seu pulchro, ut vulgo putant, sed a Slavico *dub*, *dobb*, quercu (*c*), nomen accepit. Idem dicendum est de locis, qui apud *Wagros* olim Radegasti cultui nuncupati feruntur, nimirum *Pretzio* (*d*) & *Ratztorpio*, hodie *Rastorp*, quod utrumque inter umbras

Præcipue Raceburgi,

Et apud Kissinos in silva Dobberanensi.

Item apud Wagros.

Polabiæ & Polaborum. (*b*) Quos a Slavico *Labe*, Albi, dictos puto, cujus fluminis accolæ fuerunt. HARTKNOCHIVS *in Orig. Pomer. apud Rangonem §. 12. p. 47.* Nec improbabile videtur, insulam *Polcdam*, hodie *Poel*, apud Wismariam reliquias *Polaborum* nomine adhuc conservare. In chartis & diplomatibus sæpiuscule dicitur insula *Polabia*. Consentit *Chronicon* GOTWICENSE *Tomo prodromo p. 732.*

Dobberani, (*c*) Polonis dicitur *dab*, Sorabis Slavis hodieque *dub*. A quo vocabulo recte explicantur nomen pagi Lusatiæ *Dubrau*, nomina propria *Dubravius*, *Dubranski*, germanice *Eichler*. Dobberanum igitur idem est ac *Eichstedt*. Forte etiam a querceto nomen olim obtinuit cœnobium

Dobriluci, Dobrilucense vulgo *Dobrelock*, *Dobriluch* in chartis apud SCHLEGELIVM *de Vet. Cell. p. 35.* & SAM. GROSSERVM *in Memorabilibus Lusaticis P. III. p. 63. sq.* Sed MANLIVS *c. l. apud Hoffmannum in scriptor. rer. Lusat. L. I. c. 2.* hoc repetit a *Dobber*, *dobry* pulchro & *lock*, luco, nemore. Opinabilius vero pro *lock* vocem *lug*, paludem seu aquam substituit FRENTZELIVS *in Nomenclat. utriusque Lusatiæ ap. Hofmannum c. l. p. 37.* Cui conjecturæ fidem facere videtur alluens fluvius DOBERA i. e. bona aqua. Quem fere significatum etiam tribuerim cœnobio Mecklenburgico, *Dobberthin* vocato, *loco quippe* bono, benefico & olim judicio singulari instructo. Hodieque enim Slavis Sorabis *dobrozinin* est benefacio, *dobroczynni* beneficus

Et Dobbertini.

Pretzii oppidi varia nomina. (*d*) Oppido & monasterio nobilium Sanctimonialium Ordinis Benedictini in Holsatia. Quod in vetustis autoribus & diplomatibus vocari solet *Briximon*, *Birchisinum Poretz*, *Porec*, *Porreze*, *Porethe*, *Poritze Brize*, *Birsenum*, *Birsina*, *Bresenum*; unde demum hodiernum Pretz. Vide ADAMVM *Bremensem p. 9.* PRIVILEGIA *Eccles. Hamburg. apud* LINDENBROGIVM *p. 131. sq.* DIPLOMATARIVM *Neomonasteriense & Bordisholmense Collectioni huic sub. num. XXIV. insertum ad a. 1220. 1248. 1286. 1296. 1324. 1357.* & ANONYMVM *in Vita S. Vicelini, ibidem.*

Conjecturæ etymologica. Si divinare nonnihil licuerit, locum a Wagriis Slavis putarem dictum a Slavico *Bre*, *Breh vel Brews*, ripa, margine aquæ; vel quod opportunius videtur a Slavica præpositione *po*, secundum, juxta, & *riek*, *ricka*, *rieza*, quod fluvium denotat. Formatum enim

bras & valles ſitum a ſilvis & fluminibus ſibi nomen aſſeruit. In Bardorum ſeu Bardevicenſium regione plures ſuperſunt reliquiæ hujus nominis, utpote *Radegaſt*, *Radebeck*, *Radebrock & Radeholtz*, quibus MARESCHALCVS Ducatus Guelpherbytani vetuſtum pagum, nunc cœnobium *Riddagshuſum*, adnumeravit. Facit huc teſtimonium CHRIST. SCHLÖPKENII *Chron. Bardevic. P. I. c. 7. §. 30.* quod adponimus: *In hieſigem Bardengow iſt die Verehrung Radegaſti ohne Zweifel geſchehen, und zwar, ſo viel aus denen vorhandenen Veſtigiis abzunehmen, wenigſtens an 4. Orten, nemlich zu* Radegaſt, *wo vermuthlich der Tempel oder das Bildniſs geſtanden, zu* Radebeck, *woſelbſt man den Götzen durch Beſchauung des Waſſers gefraget, im* Radebrock *und im* Radeholtz *bey Lune, an welchen beyden letzten Orten man ihn per auſpicia conſuliret hat.* Cui opinioni ſuffragantur annales Bremenſes MSC. ſeculi XII. qui appellationes vici *Radstahl*, hodie *Rasdal*, & pagi comitatus Oldenburgenſis *Ratſtadt* nomini & ſacris Radegaſti vindicant. Quibus denique accedunt nominum reliquiæ apud *Luſatos & Slavos*, *Sorabos* aliosque ſuperſtites in oppidulis Miſniæ *Radeberg & Radeburg*, in præfectura & civitatula *Radegaſt* principatus Anhaltini, & fide SCHEDII, in vetuſto mediæ Marchiæ Brandenburgenſis burgo & oppido *Ratenau*, quod vicinum eſt antiquo *Brenniboro* ſeu *Brandenburgo*, a Sarmatico *branny* ſilva, & *bor*, burgo, olim appellato, cultuque Radegaſti aliis minime ſecundo. Sed ſatis forte hæc paucula noſtram de cultu Deaſtri in ſilvis & umbris inſtituto, aſſertionem dilucidabunt, quæ tamen nec quicquam patrocinantur errori ECCARDI, qui *in diſſertatione de ſtudii etymologici præſtantia & uſu*, Radegaſtum Slavorum non Deum unquam fuiſſe ſed lucum duntaxat ſacrum denotaſſe contendit, refragantibus rei, locorum populorumque annalibus & probatiſſimis quibusvis ſcriptoribus. Reſtat ut nunc verbulum addamus de Radegaſti Slavorum affinitate & convenientia cum *Apolline Græcorum*, cujus fama & ſacra longe lateque in orbe percrebuerunt, ut cultus ipſius & imago plurium gentium animos expugnaverit ac cum ipſis gentibus migraverit in remotiores & peregrinas regiones, nomine ſaltim græco mutato in ſignificatum vernaculum. Itali certe, teſte *Herodiano & Pauſania*, Apollinis imaginem venerati ſunt ſub nomine *Beleni ſeu Pollionis*; Babylonii & Aſſyrii ſub titulo *Beli;* Aegyptii ſub appellatione *Oſiris* (*e*); Hyperborei & Sveci præcipue ſub titulo *Balduri*, h. e. potentis, a *Bäla*, voce etiam nunc Sveonis Dalecarlis uſitata, cujus ſignificatus eſt *valere*, teſte RVDBECKIO *T. I. Atlant. c. 34. p. 762.*

Bardosque,

Et apud Slavos Sorabos.

Radegaſti Slavorum cum Apolline Græcorum convenientia aſſeritur ex cultu hujusmodi oraculi inter gentes latiſſimo, Ab Italis recepto, Ab Aſſyriis, Aegyptiis, Hyperboreis, Svecis,

---

enim & exſtructum eſt hoc oppidulum oblongum plane ſecundum fluvium, Sventinam præcipue. Quam derivationem & aliud hujus nominis oppidulum Slavicum ſponte admittit ſitum in Luſatia ſuperiori Zittaviæ vicinum, Boricium vulgo *Poritz* vocatum, de quo videantur MANLIVS, HAVGWITZIVS & FRENTZELIVS *in Luſaticis apud Hoffmannum c. l.*

(*e*) Teſte WITSIO *in Aegyptiacis L. II. c. 2. p. 63. 64.* KIRCHERO *in* CHINA *illuſtrata & in Oedipo Aegyptiaco*, item VOSSIO, GYRALDO, CHARTARIO.

p. 762. Minus recte vero Rudbeckius (*ee*) more ſuo prærogativam Sveoniæ jactaturus contendit, Apollinis cultum ab hyperboreis, quos *Scandinavios & Svecos* ſeorſim laudat, populis ad Græcos demum & ad Aegyptios, Babylonios & reliquos omnes, Cimbros præcipue & Slavos migraſſe & tranſiiſſe; res enim ipſo ordine & jure potiori inverti merebitur, ſiquidem nec obſcurum nec dubium eſt, quod Slavi, Venedi & Antes populi a Græcis ſacra ſua derivarint iisque longe ante migrationem in Germanicas terras uſi ſint; quemadmodum perinde ex hiſtoriarum monumentis & annalibus conſtat, quod gentes Slavicæ jam ſeculo IV. in *Polonia*, *Lithuania*, *Pruſſia*, *Livonia* (*f*), item *Moravia*, *Carinthia*, *Carniola*, *Boſnia & Slavonia* (*ff*) adeoque ante ipſorum adventum in Vandaliæ regiones Apollini ſuo ſeu Radegaſto in nemoribus cultum præſtiterint & victimas conſecrarint. Quam vero luculentam Radegaſtus Slavorum referat ſimilitudinem Apollinis Græci, Aegyptiaci, Babylonici & hyperborei ſeu Svecici & ſeptentrionalis; id quidem ipſæ deaſtrorum imagines & concentus ſacrorum exponunt redduntque manifeſtum. Juvat in declarando hoc argumento maxime uti verbis THOMAE BRODERI BIRCHERODII (*g*), PAVSANIAE (*h*), BVLENGERI (*i*), GYRALDI (*k*), CHARTARII (*l*), HERM. WITSII, *c. l.* ADAMI BREMENSIS, DITMARI *Merſeburgenſis*, HELMOLDI, horumque fide utriusque Apollinis Græci & Slavici convenientiam delineare. Principio conveniunt qualitate locorum, in quibus fana eorundem exſtructa commemorantur. Stetit uterque vel in medio templi luco ſacro circumcincti, vel in medio & editiori loco nemoris, quod mari plerumque vicinum fuit. Templum utriusque & fanum magnifica & mira arte legitur exſtructum, fundamentum vero aræ & fani ex cornubus animalium factum & locus cultui utriusque dicatus, ſitu ſuo inter umbras, ſilvas & Maria ſemper ita poſitus & adaptatus, ut incutiendo animis ſacerrimo horrori ſuffecerit. Deinde manifeſta eſt utriusque convenientia in ſtructura, forma & imagine. Apollo enim Deliacus ex auro plerumque, aliquando ex ære formatus fuit, perinde ac Radegaſtus, Apollo Redarius

Et ab Antibus, Slavis & Vendis.

Aſſeritur porro ex ſimilitudine cum Apollinis cultu & imagine.

Et convenientia Radegaſti & Apollinis intuitu fani locorumque cultui dicatorum, Simulacri ſtructuræ & formæ,

---

(*ee*) Quem ſequutus eſt IO. DAN. SVKOW *in ſchedis de Tauro ſacro*, quarum ſummas vide apud AEPINVM, *ſchediaſm. de Mecklenburgenſium converſione a gentiliſmo ad Chriſtianiſmum §. 14. ſeqq.*

(*f*) Docente ALEX. GVAGNINO in *deſcriptione Sarmatiæ Europæ f. 19.* MATTH. DE MICHOVIA *in Sarmatia Aſiatica & Europæa apud Piſtorium inter ſcriptores rer. Polonic. Tom. I. n. 5.*

(*ff*) IO. WEICHARD *L. B. de* VALVASOR in præſtabili opere ampliſſimæ *deſcriptionis Hiſtoricæ & topographicæ Ducatus Carnioliæ L. VII. p. 373.* STREDOWSKY *in Hiſt. ſacr. Moraviæ p. 37.* ubi Radegaſtum apud Moravos in monte, qui hodie *Radhoſt* dicitur, cultu celebratum fuiſſe aſſerit.

(*g*) *In Schedis MSCt. de Tauro Cimbrico ſeu de tauri apud Cimbros & populos boreales veteres adoratione & cultu.*

(*h*) *In Græcia & deſcriptione ſtatuarum Deorum.*

(*i*) *De oraculis, vatibus & templis ethnicorum*: quod ſcriptum habetur in GRONOVII *Theſauro Græcar. Antiquitat. Tomo VII.*

(*k*) Cujus de Diis gentilium ſcripta inſerta ſunt *operibus ipſius editis Amſterodami 1696.*

(*l*) *In imaginibus Deorum, qui ab antiquis colebantur*, ex Italico in Latinum ſermonem translatis ab ANTONIO VERDERIO *Lugdun. a. 1581.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

rius & Megapolitanus, qui in urbe Rethra aureus & in Megapoli ornatiſſimus ſtetit. Uterque iuvenis eſt formoſus, imberbis; uterque intonſus, capillatus & criſpis capillis conſpicuus; uterque etiam ſine tegumento aperto capite & corpore comparet; uterque in capite geſtat, inſtar ſymboli, aviculam accipitrem (*m*) ſeu falconem, qui Rudbeckio docente, apud Hyperboreos unius dicitur ſignificatus cum gryphone, ave ceteroquin inter fabulas (*n*) collocata. *Imaginis,* *Ornatus,* *Symboli,*

(*m*) Cui eſt acuta oculorum acies, alacritas, & motus celerrimus, unde *Apollo* ab HOMERO dicitur *ſimilis accipitri.* Ab AELIANO *L. II. c. 26.* vocatur *Phœbus* GRYPHINAEVS, ſine dubio a falconibus ſeu gryphibus, qui etiam in curru, quem trahunt, Apollinis & in nummis Apollini dicatis comparent, docente ROSINO *in antiquit. Rom. L. II. p. 155.* PITISCO *in Lexic. Antiquitat. Rom. voce Apollo &* KVDBECKIO *c. l.* qui tamen ſibi dari poſtulat, Apollinem *gryphos aves* e Scandinavia & Hyperboreis terris ſecum in Græciam adduxiſſe. Addunt præterea AELIANVS & PAVSANIAS, quod niger accipiter Symbolum fuerit Apollinis Græcorum Deorumque gentium orientalium plurium. Quin etiam de occidentalibus populis retulit docuitque DIETERICVS DE BRY *in ſumtuoſo opere Indiæ occidental. in figurarum explicatione ad Tom. I. P. 3. n. 11.* quod Dii Magi & Haruſpices ſymbolo nigræ avis uſi ſint & hujus figuram geſtaverint in capitis parte ſuperiori dextra. De Slavis plura veſtigia exſtant, quod vetuſtiſſimum illorum inſigne militare fuerit *accipiter*, quem MARESCHALCVS Gryphum vocat. Erudite docuit THEOD. CRVGERVS *in Originib. Luſatiæ c. 6. §. 5. ſeqq.* Slavos Luſatos ad ſeculum usque decimum Gryphis imaginem in inſignibus habuiſſe, & hanc demum devictis Slavis cum aliis Slavicis inſtitutis evanuiſſe prorſus Seculo XII. De Pomeraniæ *ſeptuplici Grypho* & de civitate GRVPHSVALDIA tradunt nonnulli Pomeraniæ ſcriptorum, quod origines Slavis debeant. Cui tamen argumento calculum non adjicimus, cum utriusque origines potiori jure referri mereantur ad *Teutones* & *Vandalos*, quos emblemate & Symbolo Gryphi æque delectatos fuiſſe infra ad num. XVII. dicendi occaſio dabitur. Idem dixerim de *Gryphis* Dynaſtiæ Roſtochienſis & Principatus Sverinenſis in inſignibus Mecklenburgicis conſpicuis; quos vero ABRAH. FRENTZELIVS a Slavica gente repetit, adeo ut Guſtrovium a Slavico *Geſtrab* appellatum olim fuiſſe opinetur in litteris *ad* B. GEWESTPHALIVM, *Parentem deſideratiſſimum anno 1714. perſcriptis*, quarum verba huc ſpectantia ſequuntur: *Guſtrovium caput Wendiæ ſive Wenedorum principatus a geſt & ſtrovy i. e. ſalubri loco*, vel a *guz, frumine & ſtravi*, ſano, *bene cocto, haud male derivaſti*; ſed *ducam ego* a GESTRAB, *accipitre, falcone, Sorabis jeczebar. Credam autem rationem imponendi nominis fuiſſe volitantem in aëre falconem, quo viſo augures incrementa & felicia quæque urbi prædixerunt: Slavi enim more gentium auguriis quondam inhæſerunt. Inde & falconis figura olim inſigne fuit principatus Venedorum, quod docet idolum Radegaſt, cujus capiti falco alis explicatus imminet.* Quod etiam idem aſſeruit in commentario Philologico hiſtorico *de Diis Soraborum* apud HOFFMANNVM *c. l. p. 128. geſtrab eſt accipiter item falco Bohemis & Slavis; ex hoc Guſtrovium vel Guſtroina, caput Wendiæ in Mecklenburgicis nomen accepit, ſane ideo, ut conjicio, quod accipiter aut falco inſigne gentis atque idoli ſui fuerit.* Sed ob principatum *Wendiæ* in inſignibus Mecklenburgicis caput tauri conſpicuum eſt, nec civitatis inſigne unquam gryphus, ſed taurus ſylveſtris fuit. Mallem igitur accedere opinioni FRID. THOMAE, qui in *analectis Guſtrovienſ. p. 9.* Guſtrovium explicuit a Slavico *gus*, tumulo, & *trawa*, gramine, quaſi a collibus gramineis, compaſcuis & arvis jucundis, dictum. Addo opinionem IO. DLVGOSSI *hiſtor. Polon. L. I. f. 67.* contendentis, quod Guſtrovium dicatur a Polonico *Oſtrow*, *i. e. terra undique aquis cincta*, addita ratione, quod *Guſtrovia civitas in loco inſulæ ſtet erecta.* *De accipitre ſeu grypho Apollinis ſymbolo,* *Ejusque cultu & uſu apud Græcos, Indos,* *Slavos Luſatos,* *Pomeranos & Mecklenburgicos.* *Opinio Frentzelii de Guſtrovio.* *Alia opinio Thomaſi,* *Dlugoſſi,*

(*n*) A PLINIO *Hiſt. Nat. c. 49.* HIER. CARDANO *de rer. variet. L. VII. c. 27.* MICHOVIO *c. l. L. I. c. 14.* qui ſtruthiocamelos ſeu ingentis magnitudinis aquilas in Caucaſo monte, anſam fabulæ dediſſe ſuſpicatur. Sed obſervante CRVGERO *c. l. p. 134.* Vulgatus interpres codicis ſacri *gryphos* inveniſſe ſibi viſus eſt in interdicto divino de non comedendis volucribus immundis *Levitic. XI. 13.* cujus verba ita vertit: *Hæc ſunt, quæ de avibus comedere non debetis & vitanda ſunt vobis, aquilam & gryphem & haliætum.* Inde eſt, quod commentatores pontificii ad hunc locum, ipſique naturalium rerum Scriptores, Plinii ceteroquin recentioris ævi oculatiſſimi, VLYSSES ALDROVANDVS in ampliſſimo opere *Ornithologiæ L. X. c. 1. & Ieſuita* CASP. SCHOTTVS *Phyſ. curioſ. L. IX. c. 42. p. 998. ſqq.* in definienda hac quæſtione anceps hæreant & in honorem verſionis biblicæ veritatem haud obſcure diſſimulent. Sunt etiam, qui in Riphæis montibus & in Scythiæ magnæ Indiæque montium jugis apud Pactolum flumen gryphos alatos & quadrupedes antica parte aquilam dupli- *De grypho, ave fabuloſa, obſervatiunculæ phyſicæ, biblicæ & hiſtoricæ.*

Armorum. Uterque etiam deaſter armatus conſpicitur, Radegaſtus bipenni ſeu haſta, Apollo clypeo, aliquando & enſe, præcipue haſtam & ſagittas (*o*) ſemper in manu ferens. *Tauri & victimæ.* Taurus utrique ſacratus eſt & gratiſſima victima. Unde taurinum caput in pectore Radegaſti (*p*) & taurus niger in aris Apollinis apparet. *Officii & oraculi rituumque & ſacrificiorum.* Denique uterque conſpirat officio, effectu, miniſterio & ritu religioſo. Uterque enim augur fuit, oraculum & vates, ex tripode & editiori loco ſacra conſilia edicens; utrique flamines & ſacerdotes erant a latere & miniſterio, qui ſacris quippe vacantes, res ac ſolennitates deaſtris dicandas ſorte divinabant & de ſanguine hoſtiarum libabant, ut efficaciores eſſent oraculis capeſſendis. Præſto erant varia ſacrificiorum libamenta, hoſtiæ de ovibus & bobus, & in arduis ſæpe negotiis immolationes de cruore hominum. Sive igitur ſacrificiorum præparationes & conſummationes, mactationes hoſtiarum, ſanguinis libationes, ſacerrimique cruoris bibitionem; ſive populi omnis ſexus & ætatis concurſitationes, plauſus ritusque in capeſſendis utriusque Apollinis conſiliis & oraculis adhibitos expenderis, ubique facile habebis Apollinis Græci, Hyperborei & Slavici ſpontaneum concentum & connatam utrinque ſimilitudinem, ut Radegaſtum Apollinem Slavorum, a Græco recta linea deſcendiſſe vel ſimulacrum ipſius & reliquias retuliſſe, haud temere videatur. Sed diſcedendum eſt a rebus, quibus *Mareſchalcus* tumet & abundat, antiquariis, ſubobſcuris & lumine rerum hiſtoricarum præcipue Cimbricarum & Megapolenſium indigentibus. *Reliquorum Mareſchalci Scriptorum recenſio.* Supereſt tantum ut hic mantiſſam ſubjiciamus Catalogi ſcriptorum ineditorum & impreſſorum, quæ Mareſchalcum autorem agnoſcunt, & has ſibi habent præ-

---

plicem, poſtica vero leonem referentes conſediſſe, vel alibi pedes & ungues gryphorum ſe vidiſſe fabulantur. De quibus POMP. MELA *L. II. de ſitu orbis c.1.* SOLINVS *in polyhiſtore c. 25.* VICENTIVS BELLOVACENSIS *L. XV. ſpeculi c. 161. &* MICRAELIVS *præf. ad Pomer. L. V.* Plures tamen noſtro ævo imagines gryphorum hieroglyphice explicare ſolent, inſtar typorum vigilantiæ & fortitudinis. HOEPINGIVS *de inſign. c. 6. §. 8. n. 768.* LYMNAEVS *jur. publ. V. 12. 3.* CRVGERVS *c. l. p. 137. ibique* REVSNERVS *in emblemate XXXV.* Si vero viam, quam pandunt BOCHARTVS, SPENCERVS, KIRCHERVS aliique e ſacris literis & ab Ebræis ac Aegyptiis religioſa gentium derivantes, ſequi placuerit, facile conjeceris, *Gryphi* imaginem eſſe imitationem *Cherubimi in arca fœderis poſiti*, adeoque ab Hebræis quos Hyperboreos dixeris, & a Riphæis ſeu Orebitis ad Aegyptios, Græcos, Slavos, Vandalos & alios plures tranſiiſſe. Qua ratione Apollinem græcorum, qui *Orus* aliquando audit, æque ac Aegyptiorum Oſiridem dixerim ectypum *Aaronis*, utpote Præfecti Cherubinorum. Quam tamen conjecturam mythologicam alii adſcripſerint forte fabulis illorum, qui cum IAMBLICHIO Pythagoram venditarunt pro *Apolline hyperboreo.* Quorum rationes contudit MENAGIVS *ad Diog. Laërtium L. VII. n. 11.* & THEODORVS CRVGERVS *diſſert. de aureo fœmore Pythagoræ apotheoſeos ejus ſigno ed. Vitebergæ a. 1723.*

(*o*) Quas PORPHYRIVS & SERVIVS apud CHARTARIVM *c. l. p. 40.* cum radiis ſolis compararunt, ut Apollinem ſolis lumen adumbraſſe colore quodam oſtenderent.

Taurus, inſigne Slavorum. (*p*) Inde taurinum caput vetus & genuinum inſigne gentis Slavicæ fuiſſe aſſerunt SPENER. *Hiſt. inſign. illuſtr. tab. X. & L. I. c. 61. p. 249. §. 4.* SIEBMACHERVS & PAVLVS FVRSTEN. *in opere Noriberg. heraldico P. I. f. 7.* MASIVS *de Diis Obotrit. p. 84. ſqq.* Quin & partem Wagriæ, quæ ad Holſatiam ſpectat, taurinum caput ideo ſibi vindicaſſe, quod *Obotritis* Regibus olim ſubjecta fuerit, innuit IONAS *ab* ELVERFELD *de Holſatia claſſe I. cap. 2.* ubi hanc Wagriæ deſcriptionem laudat:

Wagria *taurigeros* a noſtris dividit agros
Oldenburgiaci jactat & arva ſoli.
Hæc ſed *Obotritis* olim ſubjecta ſuperbis
Frontis habet torvi ſigna tremenda *bovis.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

præfixas inſcriptiones: 1) *Epitome chronicorum Mecklenburgenſium vernacula lingua ſcripta & Caſparo de bella quercu* ſeu Schöneich *dedicata*, adhuc inedita. 2) *Manuſcriptum latinum de divinitate Aſtrologiæ & divinis effectibus, D.* IOANNI RHODIO *Syndico Lubecenſi* nuncupatum. 3) *Inſtitutionum Reipublicæ militaris ac civilis libri IX. cum CXXXII. figuris illuminatis inſtrumentorum rerumque militarium, editi Roſtochii a. 1515.* 4) *Hiſtoriæ aquatilium libri duo latine & græce cum figuris ed. Roſtochii a. 1520.* 5) *Mons ſtellarum, ſeu res a Judæis Sternbergæ a. 1492.* (*q*) *geſtæ latine editæ Roſtochii a. 1510. & 1522.* 6) *Hiſtoriola de eodem ſacrilegio Judæorum rhytmis Germanicis & latinis expoſita & in membranis deſcripta*, quas hodie aſſervat Bibliotheca Ducalis Sverinenſis, ex qua rhytmos Germanicos edidit *B.* DAVID HENRICVS KOEPKENIVS *in appendice memoriæ Conradi Loſtii Epiſcopi Sverinenſis p. 84. ſeqq.*

XVI. Bingii & Corvini ſelecta de migrationibus Cimbrorum.

Ad IO. MICH. CORVINI & BINGII opuſculum Cimbricum hoc tantum adjicimus, quod illud e commercio, quod invicem coluerunt litterario, de migrationibus Cimbrorum enatum & ex apographis (*r*) eorum litteris ſelectum fuerit. Quas quidem eruditi hactenus haud flocci penderunt ideo, quia & Saxoni Grammatico & hiſtoriæ gentium ſeptentrionalium facem accenſam præferunt. Quo fere elogio etiam dimittimus IO. IAC. DÖBELII Profeſſoris olim Roſtochienſis & CASPAR. VOGTII Conſulis Wiſmarienſis otium Mecklenburgicum, in hiſtoria Anthyrii regis & originibus inſignium Mecklenburgenſium tauri & gryphi præcipue occupatum. Quamvis enim VOGTIVS illiberaliter & cum bile aliquando adverſarium Mareſchalcum eluſiſſe, multaque ſale ſatyrico conſperſiſſe videatur; in ipſo tamen argumento ejusque conſtituendo veriori pretio acutius cernit, iisque facile palmam ancipitem fecit, qui pro Anthyrio rege ejusque navalibus ſignis, *bucephali capite & grypho*, mordicus pugnare ſolent. In quorum cenſum re-

XVII. DÖBELII & VOGTII otium Mecklenburgicum.

Inſignium Mecklenburgenſium ab Anthyrio deducta origo fabuloſa.

(*q*) Hujus hiſtoriolæ meminit SCHEDELIVS ſcriptor coævus *in Libris Chronicorum ab initio mundi per ſeptem ejus ætates, latine & germanice cum figuris innumeris, editis Noribergæ a. 1493. f.* Rariſſimis Libris hoc Chronicon adnumerant IENICHEN *in Notit. Bibl. Thorun. p. 15. &* THEOPH. SINCERVS *in collect. librorum rarior. P. I. p. 149.* Verba SCHEDELII de hoſtia Sternbergenſi a Iudæis lancinata & cruentata, vide ad annum mundi *6691. A. C. 1492. c. I. f. CCLVIII. Noviſſime*, inquit, *a. 1492. d. 22. Octobris in oppido Sternebarch ſub dominio Principum magnopolenſium auxilio Petri Sacerdotis Eleazar Iudæus & complices ſacramentum corporis Chriſti per hoſtiam majorem & minorem obtinentes, has perforarunt, & cruor illico proſiliit, quo lintheum præcinctum ruborem accepit. Quo miraculo territi ad Petrum deferunt. Principes autem illuſtres Balthaſar & Magnus fratres re comperta cum veſtigia vulnerum, quæ remanſerant, cernerent, Iudæos cum majeſtatem Chriſti contemſerint ac religionem illuſerint, concremari fecerunt. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum.* Veritatem hujus hiſtoriæ peculiari ſcripto defendendam ſuſcepit DAVID FRANKIVS *in dem ausführlichen Bericht von den zu Sternberg zerſtochenen blutrünſtigen hoſtien ed. Roſtochii a. 1711.* provocans ad conſenſum *Mareſchalci, Lindenbergii, Hederici, Laurenbergii, Io. Frid. Königii, Crantzii*, pluriumque. Conferantur ENGELKENIVS *diſſert. de hoſtia Sternbergæ a Iudæis conſoſſa habita Lipſiæ a. 1699.* & LOCHNERVS *in ſingularibus Mecklenb. c. 1. §. 11.* Scriptum vero MARESCHALCI *de Hoſtia Sternbergenſi* denuo recognovit & cum catalogo quorundam ſcriptorum Mecklenburgicorum edidit IO. HVBNERVS *I. U. L. Hamburgi a. 1730.*

Schedelii narratio de hoſtia Sternbergenſi.

Remiſſio ad Scriptores domeſticos.

(*r*) Autographæ utriusque autoris Litteræ ſupereſſe dicuntur & aſſervari *in bibliotheca acad. Hafnienſi.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

A pluribus defensa.

refero post supra nominatos HENNINGESIVM, REVSNERVM, POSSELIVM, BOCERVM, MASIVM, præcipue SPENERVM (*s*), LAZIVM (*t*), SEBAST. MVNSTERVM (*u*), VLYSSEM ALDROVANDVM (*v*) & plures recentiores contendentes, Anthyrium regem Herulorum sub Alexandro M. cum gente sua Herulea & Scythica fortiter militasse, post hujus fata vero immenso itinere longoque errore per Græciæ syrtes & mediterranei maris fretum Herculeum feliciter ductum, totum oceanum pernavigasse sinuque Codano transjecto & mare Balthico demum superato ad littora Warinorum Vandalorumque veterum seu Mecklenburgensium descendisse, regnum nunc Herulorum & Vandalorum avitum in his terris restaurasse & insignia in navis suæ velo & prora conspicua, *caput nimirum bucephali & gryphum* ex Græcia nunc in Vandaliam invexisse, ut insignia gentis Vandalicæ & ipsa arma regia & ducalia nostro adhuc ævo capite bubalino & grypho ornata, inde origines suas ceperint. Pleniorem aliis hujus rei recensionem nectit BERNH. LATOMVS *in genealo-chronico Mecklenburgico MSC. P. I. f. 14. sqq.* cujus argumentum tale:

Et a Latomo descripta.

Als Alexander M. 321. Jahr vor Christi Geburt gestorben, haben sich die Fürsten des Reichs der Regierung vvegen nicht vergleichen können; insonderheit hat sich der eine Fürst Cassander aufgemacht und die Abderiten, Heneter, Heruler oder Wandaler, so sich aus Paphlagonien zu Abdera niedergelassen, vertrieben, und ihnen als des Landes Fremdlingen einen andern Ort in Macedonia nicht vveit von Achaja am Egeischen Meer angevviesen, daneben auch Alexandri M. beyden Söhnen und den Hauptleuten nachgestellet. Da nun solches die aus Thracia an die Grentzen des Macedonischen Reichs versetzte Abderiten, Heruler und Wandaler gesehen, haben sie sich mit ihrem Obristen Anthyrio, der dem Alexandro M. lieb gevvesen, nicht getrauet länger da zu bleiben, und in Britanniam und Sarmatiam sich niedergelassen, bis Anthyrius ihnen zu Gemüthe geführet, dass ihre Vorfahren durch eine Wasserfluth aus Teutschland getrieben vvorden, und er gesonnen sey, solche Länder vvieder zu beziehen und einzunehmen; vvorauf das Volck sich vvillig erkläret, und ihn als König zu ehren angefangen. Als nun Anthyrius durch die Ostsee herausgeschiffet, hat er zum Gedächtniss des fürtrefflichen Kriegspferdes Alexandri M. vvelchem auf der einen Seite eines vvilden Ochsen Kopf eingebrandt gevvesen, das Bild eines Büffelkopfes im Siegel und einen guldenen Greiff am Vorschiffe geführet, vvoher der Gebrauch rühret, dass des Anthyrii Nachkommen solche in ihren Wapen gebraucht haben. Auch schreibet Polybius, dass etliche Jahre vor Christi Geburt die Cimbri oder Holsteiner darunter auch die Wagri, Polaber und Mecklenburger gehörten, einen Ochsen-Kopf im Wapen geführet haben, vvelches Wapen Kayser Carolus IV. augiret

---

Error Speneri,

(*s*) *Oper. Herald. P. II. L. I. c. 61.* ubi taurinum caput in insignibus Ducalibus conspicuum, a Bucephalo derivandum esse, tuto sibi adeo persvasit, ut de PICCARTO secus statuerit ideo, quia contendit, equum Alexandri non capite, sed nomine tantum Bucephalum fuisse, cui Thessalienſi more βεκεφάλιον herbæ figura innusta, bubulum vero caput, proprium nunquam fuerit. Cum PICCARTO sentit IO. PIERIVS VALERIANVS *in Hieroglyph. L. III. c. 29.*

(*t*) *De migration. gentium L. XII.*

Munsteri,

(*u*) *Cosmographiæ L. III. p. 1124.* ubi vexillum gryphe insignitum ab *Anthyrio* ad Svevi seu Oderæ fluminis ostia stabilitum fingit, indeque Pomeranorum gryphicum insigne ortum licentius statuit.

(*v*) *Ornitholog. L. X. c. 1.*

ret und die Crone und Hörner vorne vergulden laſſen (*w*). *Es hat auch Anthyrius die Städte Stargard, Kiſſin, Werle, Winetam zum Gedächtnüſs der Stadt Venedigen und die Stadt Megapolin nach Art der Stadt Megapolis in Arcadia, und die Stadt Bucephaleam oder Bukavv zum Andencken des Bucephali erbauen laſſen.* Cetera plura lubenter omittimus, pleraque etiam horum recitaſſe perinde eſt ac confutaviſſe. Certe enim fabuloſæ ſunt tantum non omnes, quæ ab inſignibus militaribus (*x*) ad hæreditaria, territorialia & gentilitia hodierna vulgo trahuntur conſecutiones, incerta etiam & commentitia pleraque videntur illuſtrium inſignium fundamenta, quæ ſeculo X. & XI. antiquiora (*y*) vulgo concelebrantur. Quod ſi vero ab inſignibus popularibus vetuſtis inſignium regionum & principum auſpicia deducenda fuerint, opus non eſt in explicandis inſignium Mecklenburgenſium originibus ad proram & puppim navis Anthyrii, ad Abderitas gentes & Herulos ex Paphlagonia & Macedonia in Wandaliam Mecklenburgicam invectos confugere; ſed præſtat omnino reſpicere ad ipſos patriæ antiquos cives vicinos & conterraneos, utpote Teutones, Wandalos (*z*), Svevos (*a*), Go-

Probabilior inſignium tauri & gryphi deductio a moribus populorum. Præcipue Vandalorum, Teutonum, Latomi pluriumque.

(*w*) Communis error eſt, *Carolum IV.* Imperatorem Mecklenburgenſium Ducum inter principes imperii receptorum inſignibus a. 1348. addidiſſe coronam eamque ſuperimpoſuiſſe taurino capiti, vulgo bubalino. Ita chronicorum ſcriptores fere omnes tradunt & inter hos anonymus in *Chronico de originibus Ducum Mecklenburgenſium*, quod *Dobberani* confectum & in membranis conſcriptum eſt a. 1541. die Eſto mihi. Ubi in vita *Antyrii Erulli Amazonii* hæc leguntur: *Als he nu ut Scitia geſchippet, heft he ſinen Herrn Kayſer Alexandro M. tho ehre des Perdes Bucephali höft, ſo mit twen witten Hörnen und enen Oſſenkop gelick geweſen, in dat hövt ſegel, und up ſin Ameralſchip foran enen Gulden gryp in blauen Feld laten macken, mit welcken ſchippen he dat Water de ader an den Lande to Pommern erreikent, darher ock dem lande to Roſtock der gryp, und dem lande to Mecklenburg de Oſſen edder Buffelskop thon ewigen Wapen angeordnet is; welcker forſtliche Wapen Kayſer Carl de IV. folgendes dem Huſſe to Mecklenburg tho ehren bether gezirt heft, und dewile alle Forſten von diſſen Antyrio und ſinen Voreldern den Herulis herkamen, und alſo ut königlichen Stamm geboren, dem Oſſenkop ene guldne Krone mit guldenen Hörnen, wo noch in gebruck iſſ, upgeſtettet hefft.* Idem cum Mareſchalco, Spenero & pluribus aliis fabulantur HÖPPING *de inſignib. P. V. c. 6.* LYMNAEVS *ſynt. jur. publ. L. V. c. 12. §. 3.* MVNSTERVS *Coſmograph. L. III. c. 474.* E ſigillis enim, quæ diplomatibus & litteris adpendent, manifeſtiſſimum eſt, quod *Iohannes Theologus* a. 1237. ſeqq. *Ioannes* a. 1286. *Henricus Leo* a. 1320. & ipſi fratres *Albertus & Ioannes* a. 1344. *1346.* ante factam in numerum Principum imperii receptionem uſi fuerint tauri capite *coronato*.

Latomi pluriumque. Et Anonymi Dobberanenſis. Höppingii, Lymnæi.

(*x*) De quibus TACITVS *c. l. effigies & ſigna detracta lucis & imagines ferarum in prælium ferunt.* Explicatius hoc argumentum vide apud CLVVERVM *Germ. ant. L. I. c. 34. p. 247. 256. c. 50. p. 344.* Faciunt huc ipſa vetuſtiora Regum Henetorum in Megapoli inſignia, quæ in *vexillis cohortium* adumbrata apparent. Præcipue Regis *Billugi*, *Gotſchalci*, filii *Henrici II. Nicolai Werlenſis* aliorumque inſignia, quæ *nigrum taurinum caput* referunt in vexillis, quibus quippe belli tempore contra vicinos & Rugianos uſi ſunt. ALEXAND. KIRCHBERG *in Chron. Meckl. rhytmico cap. X. ſqq.* Inde ſimul concidit error illorum, qui ad Sigillum quoddam de a. 1623. provocantes, *δέιγμα* circuli Wendici gryphum fuiſſe putant. Quo quidem *Henr. Burewinus* occaſione torneamenti Wormatienſis primus uti cœpit, ſed non niſi intuitu dominii Roſtochienſis.

De inſignibus militaribus Germanorum & Venedorum Megapolenſium.

(*y*) Docentibus HECHTIO *commentat. de Henrici Guelphi Bojoar. & Saxon. Ducis inſignibus gentilitiis p. 6. ſq.* LEIBNITIO *introd. in Tom. II. ſcript. Brunſvic. num. 25. p. 28.*

(*z*) Obſervante ROBERTO XIMENIO *in rebus Hiſpanorum, Oſtrogothorum, Hunnorum & Vandalorum p. 15.* Vandali Megapolenſes ſub Rege *Genſerico* in Hiſpaniam irruentes *taurinum caput* in vexillis militaribus oſtentarunt. Quo ipſo robur accedit aſſertis KIRCHBERGII, SCHEDII, aliorumque, qui Vandalorum inſigne gentilitium & militare in patria Wandalia teutonica & Megapolenſi fuiſſe referunt *tauri caput*.

Teſtimonia de inſignibus gryphinæis & taurinis Vandalorum, Svevorum,

(*a*) Qui in ſocietate concivium Vandalorum, ſpe melioris terræ Germanica relicta in Galliam, & Pyrenæis montibus perruptis, in Hiſpaniam irruerunt. Teſtes ſunt ISIDORVS *in Hiſtoria Vandalorum &* MARIANA *de reb. Hiſp. L. V.* apud ANDR. SCHOTTVM in *Hiſpania*

Cimbrorum gentiumque ſeptentrionalium.

Gothos (*b*), Cimbros (*c*), Friſios (*d*), Danos (*e*) & Svecos (*f*), qui

---

ſpania illuſtrata Tom. II. quod Svevi & Alani in caſtris circumtulerint *inſignia gryphonum.* Addantur PROCOPIVS de *bello Vand. L. I. c. 7.* RODERICVS TOLETANVS *hiſtor. Vand. c. 1. ſeqq.* IO. VALESIVS *de Vand. Alanis & Svevis. c. 15.*

Gothorum,

(*b*) De Gothonibus ſeu Gothis eorumque ducibus a gryphonibus *grippæ* appellatis vide RVDBECK. *c. l.* Cui adjungendus eſt ALDROVANDVS *d. l.* ubi *Peruſium* Umbriæ urbem a Gothis Italiæ tunc dominis *gryphoneam* appellatam, & gryphis icone inſtar inſignium ab aliis diſtinctam fuiſſe refert. Idem teſtis eſt, quod gryphium imagines apud Italos in ſtatuis, ſacellis, mœnibus, lapidibus ſepulchralibus & in ipſis inſignibus gentilitiis familiarum PISTORIORVM & MARTELLIORVM, nobilium gentium Bononienſium & Florentinorum hodieque ſpectentur, utpote poſteritati a Gothis relicta. Præcipue BARTHOL. DVLCINI & CASPARVS BOMBACI *in hiſtor. memorab. civitat. Bononiæ & Bolognæ*, variique *antiquæ hiſtoriæ Bononienſis* ſcriptores, tumulos in urbe Bononia antiquiſſimos gryphium imaginibus ornatos ad indicia referunt, quod Gothorum Vandalorumque reliquiæ in iis reconditæ fuerint. Iidem nobis autores ſunt, quod cives Bononienſes in bellis Italicis gryphi imaginem, ceu gentis Gothicæ inſigne, in vexillis geſſerint, ipſumque exercitum in memoriam majorum ſuorum, Gothorum fortitudine præſtabilium, dixerint *cohortem gryphoniam, compagnies del' griffon.* Numos Gothorum gryphibus inſignitos exhibuerunt BANDVRIVS, MEDIOBARBVS, PEDRVSVS aliique ſcriptores de numiſmatibus Imperatorum Romanorum & Gothorum Italiæ Regum.

A quibus Peruſium dictum eſt gryphoneæ. Aliaque veſtigia relicta ſunt apud Bononienſes.

Illuſtratio ex numis.

Teſtimonia de tauro Cimbrorum, Hunibaldi, Plutarchi, Spanhemii, Reineccii aliorumque.

(*c*) Quod *Cimbris* Tauri ſymbolum placuerit, teſtis eſt HVNIBALDVS *Francus*, qui tempore Iuſtini junioris floruit. Sed cum hunc ſcriptorem eo loco, quo Beroſum Annii, habendum eruditi recte exiſtiment, ad PLVTARCHVM provocabimus, qui *in Mario, oper. T. I. ed. Francof. a. 1590. p. 418.* retulit, quod in Cimbrorum Italiam vaſtantium vexillis inſtar ſigni exercitus conſpicua fuerit bovis figura. Quam de bove ambulante & libere in agris paſcente ceu pacis ſymbolo explicuit SPANHEMIVS *de Numiſmat. p. 800.* De cultu *tauri* apud Cimbros, quem REINERVS REINECCIVS *Hiſtor. Iul. P. III. in regno Cimbrico p. 387.* æneum fuiſſe adſtruit, vide MASIVM *de diis Obotrit. p. 71. ſq.* SCHLÖPKENIVM *chron. Bardew. p. 95.* CHYTRAEVM *proœm. in Chronol. Herodoti in Thucyd. p. 54.* Pertinet huc locus TACITI *c. l. Angli i. e.* CIMBRI *Hertham ſeu terram matrem colunt eamque intervenire rebus hominum arbitrantur. Eſt in inſula Oceani* h. e. Heligolandia *caſtum nemus; dicatum in eo vehiculum veſte contectum attingere uni ſacerdoti conceſſum. Is adeſſe penetrali Deam intelligit, vectamque* BVBVS *feminis multa cum veneratione proſequitur.* Quos ipſos ritus KIRCHERVS *in Oedipo Aegyptiaco* comparavit cum ſacris *Iſidis Aegyptiacæ*, cui æque ac OSIRIDI, ORO & APOLLINI, *Apis* ſeu taurus niger non ſolum ſacer fuit DIODORO, PLVTARCHO, MACROBIO & AELIANO aſſerentibus; ſed etiam *boves feminæ* ſacratæ fuerunt adeo, *ut omnes Aegyptii vaccas in* ISIDIS *gratiam coluerint*, ipſamque Iſidem in albam vaccam demum converſam fuiſſe vulgo perhibuerint, teſte LAVRENTIO PIGNORIO *in Menſa Iſiaca ed. Amſtelod. a. 1670. p. 79.* & prolixius docente RVDBECKIO *Tom. II. Atlant. p. 472. 537. ſqq.* Qui igitur Aegyptiorum, Græcorum, Germanorumque gentilium inſtituta a ſacris Hebræorum repetunt eaque quaſi umbras & reliquias lucis ſacræ ſcripturæ eſſe arbitrantur, hic iterum habebunt rationem ſtatuendi, quod *Iſis Aegyptiaca* & HERTHA *ſeu Iſis Cimbrorum* comparationem admittant cum ſacris Hebræorum & ſanctitate arcæ fœderis, quæ a duabus bobus feminis trahebatur. Ut plures convenientias prætereamus. Trahi forte poterit in auxilium fides TACITI, qui libro *de Moribus Germanorum* teſtimonium perhibuit, quod imago ipſius *Iſidis Aegyptiacæ* a Germanis cultu fuerit excepta. Sed falſum hoc eſſe, Tacitumque CISAM *Svevorum & Thuringorum*, ac HERTHAM *ſeu terræ Deam Vandalorum & Cimbrorum*, quæ Iſidis imaginem referunt, cum Aegyptiorum Iſide multimammia confudiſſe, explicate diximus in *Tract. hiſt. & etymol. de conſvetudine p. 371. ſq. 509. ſqq.* Quin & Deam Soraborum CITZAM, Slavorumque Polaborum SIWAM cum Iſidis Aegyptiorum & Herthæ Cimbrorum imaginibus & officiis convenire obſervarunt GAFFARELLVS *in curioſit. inaud.* TILEMANNVS *de eo, quod juſtum eſt circa nuditatem p. 78.* SCHWARZIVS *in Hiſtor. fin. Rug. p. 178.* De *Herta* ſpeciatim vide CLVVER. *L. I. ant. Germ. c. 27.* VOSSIVM *L. II. de idololatr. c. 52. 62.* DEMSTERVM *in Not. ad Roſinum L. II. antiquit. c. 4.* ARNKIEL *de Relig. Cimbr. c. 25. p. 132. ſq.*

Locus Taciti de bove fœmina Herthæ Deæ conſecrata.

Opinio Kircheri de Iſide,

Ejusque comparatio cum ſacris Ebræorum & Cimbrorum.

Error Taciti.

Herthæ, Siwæ & Citzæ convenientia cum Iſide.

De Tauro Friſiorum,

(*d*) HEIMRICHIVS *c. l.* cujus aſſertum firmant numi Friſiorum Batavorumque imagine bovina inſigniti apud Abbatem BIZOT *dans l' hiſtoire metallique de la republique d' Holland T. I. p. 63. ſq.*

Danorumque gryphe. Item Svecorum & Po-

(*e*) Plures cum WORMIO teſtantur, quod Draco volans, quem Dania in regni Vandalici memoriam adhuc in inſignibus geſtat, a *gryphe* originem traxerit.

(*f*) Legi meretur RVDBECKIVS *Atlant. Tom. I. p. 408. 757.* ubi agit de *grypho* Apollini hyperboreo ſacro, de *gripzholmia* ſeu *gryphæ inſula*, & de Scandinaviæ veteris hodieque ipſius par-

qui omnes vel tauro vel gryphe usi sunt instar symbolorum insigniumque militarium. Unde simul corruit opinio CLAVDII CHRISTOPH. LYSCHANDRI *in libello de Obotriticis & Megapolensibus* pluriumque simul supra in nota *lit. q.* citatorum, qui signa taurina insigniumque Mecklenburgensium gloriam Venedis & Slavis vindicare annituntur. Vandali certe antiquiores patriæ Teutonicæ incolæ moribus suis & institutis, quibus vixerunt, Megapolin occuparunt diu ante Venedos, qui emisso & migrante Vandalorum exercitu in terras Romanorum, seculo demum quinto desertas & patentes terræ Vandalicæ partes non impetu quodam & armata manu, sed paulatim & glisscente sensim immigratione inhabitare cœperunt. Nec ut vulgo putari solet Vandalia per Vandalorum partis emigrationem emarcuit quasi & populis Vandalis exhausta fuit; residua enim in avitis sedibus perstitit numerosa & ad patriam inhabitandam sufficiens multitudo, cujus stirps Germanica seu Vandalica nunquam exaruit nec defloruit unquam, vel ita defecit, ut Vandalos veteres colonos a Slavis subjugatos vel e patria eliminatos aliquis sibi imaginetur. Manifestum potius est, quod Venedi cum Vandalis coluerint vicinitatem & pacem mutuaque connubia inierint, & cum ipsis Vandalis in unam fere gentem, tametsi diversi juris & nominis, in una demum regione coaluerint. Ut igitur haud licentiose sentiant illi, qui adstruunt, Slavos ipsorum Vandalorum mores & instituta sæpius imitatos fuisse iisque adeo tauri gryphique symbolum placuisse, ut illud perinde suum fecerint in expeditionibus & vexillis (*g*). Sed plura dabimus de hoc argumento in historia Heraldicæ Mecklenburgicæ, hoc loco acquiescentes in judicio, quod SCHVRTZFLEISCHIVS *in Dissertatione XXV. de rebus Mecklenburgicis §. 7.* tulit: „Eorum, *inquit*, qui originem Prin„cipum Mecklenburgensium ex vetustissima Anthyrii stirpe arces„sunt, sententiam neque refellere neque confirmare in animo est. „Quamvis haud desint mihi argumenta, quibus probem, ultimos „laudatissimorum Principum horum majores non ex Asia, ubi nun„quam Obotriti militarunt, sed ex Europæ illa parte, quæ Sarma„tia dicitur, jam diu ante Karolingorum tempora profectos lumen „quoddam virtutis familiæque suæ in his oris accendisse posterisque „suis prætulisse. Tum vero non convenit ætati Alexandri M., ut di„camus, tunc fuisse hæreditarios Henetorum Principes & insignia „sua ab eo accepisse. Namque arma gentilitia Bucephali imagine di„stincta ideo more majorum sumta sunt, ut denotarent priscam gen„tis nostræ ferociam, ac simul indicarent insignia illa non fortunæ „sed fortitudini esse tribuenda; in qua re valde sibi placuerunt ve„teres, & a brutis insignioribus virtutum pariter atque insignium „sym-

Et qui Vandalos imitati sunt Venedorum.

Iudicium Schurtzfleischii.

partis meridionalis Sudermanlandiæ symbolo *grypho nigro* in planitie aurea. De gryphis Pomeranicis, quos *Svantibor* e Megapoli in Pomeraniam invexisse fertur, & de Vandalicis nominibus urbium *Gryphswald*, *Greiffenberg*, *Greiffenhagen*, videndi sunt MICRAELIVS *chron. Pom. L. VI. p. 567.* HARTKNOCH. *in Orig. Pomer. apud Rangonem p. 38. 61. sqq.* *meranorum.*

(*g*) Cujus argumenti diserte fidem facit DITMARVS *Merseburgensis chron. L. VI.* Addatur THEOD. CRVGERI *historia Geronis seu Origines Lusat. c. 6. §. 5. p. 138. sqq.*

„ſymbola acceperunt. Ipſe etiam Alexander M. qui primo Buce-„phalum domuit, ejus imaginem in plerisque numis extare voluit; „cujusmodi ſunt, qui præ ſe ferunt effigiem taurini capitis quique „literas BOYKEΦ expreſſas habent: teſtis eſt *Strabo*, Alexan-„drum ejus memoriæ urbem Bucephaliam dicaſſe; cui adſtipulan-„tur *Plinius*, *Solinus*, *Curtius*.„ Hactenus *Schurtzfleiſchius*.

XVIII. Io. Simonii Vandalia.

Plura, niſi morte præventus, VOGTIVS laudatus daturus fuiſſet in hiſtoria, quam meditabatur, Mecklenburgica & in critica commentatione, quam IOANNIS SIMONII *Vandaliæ* deſtinaverat. Quod quidem opuſculum utut a. 1598. vulgatum, ſchedis & ſcriptis Vogtianis in codicibus nonnullis manu exaratis cum ſubjunctum deprehendatur, haud a re alienum judicavimus, quod hoc loco ſummariis auctum inferatur (*b*).

XIX. Lucæ Backmeiſteri Hiſtoria eccleſiæ Roſtochienſis.

Merita Autoris.

Laudes, quas ſibi pepererunt alii in hiſtoria antiqua & publica Megapolitana occupati, has ſibi haud minori cumulo circumfudit, hiſtoriæ eccleſiaſticæ Mecklenburgicæ ſtudio præclarus LVCAS BACKMEISTERVS *D. & Prof. Theologiæ in Academia Roſtochienſi*, cujus vitam, merita & ſcripta OTTO FRID. SCHÜTZIVS (*i*), WITTENIVS (*k*), MELLENIVS (*l*), PETRVS SASSIVS (*m*) & plures alibi (*n*) citati expoſuerunt & collaudarunt. Multa ipſius ſcripta, acta præcipue. Auſtriaca (*o*), reſponſa, conſilia, orationes & litteraria commercia deliteſcunt adhuc inedita; quibus vel principe loco annumeranda eſt ipſius hiſtoria eccleſiæ & miniſterii Roſtochienſis, quam a pluribus (*p*) laudatam & deſideratam ex apographo deſcriptam nunc publici juris fecimus.

Scripti præſentis argumentum commendabile.

Ipſa enim hæc de initio & progreſſu reformationis evangelicæ apud Roſtochienſes hiſtorica narratio multum lucis ſpargit univerſim in hiſtoriam eccleſiaſticam Mecklenburgenſem, ex cujus ſingularibus & utiliſſimis pluribus argumentis multa in rem civilem & litterariam, ſimul derivantur adjumenta & præſidia, ratione & uſu fructuoſa. Optan-

---

Scripta Simonii alia.

(*b*) Reliqua SIMONII ſcripta pleraque ad genealogico-hiſtorica Mecklenburgica pertinent. Qualia ſunt *heros Megapolitanus ſeu quatuor de Vita Uldarici Ducis orationes: Stemma Megapolitanum a Bilungo A. C. 898. usque ad fratres Adolphum Fridericum & Io. Albertum, latino ſermone eoque ligato contextum: Ecloga de obitu Ducis Chriſtophori: Oratio de vita & morte Ducis Sigismundi Auguſti.* Quæ a *Simonio* conjunctim ſub titulo *Heroicorum Megapolitanorum* edita ſunt duobus faſciculis a. 1605. Tertium quidem eodem anno addidit faſciculum, ſed titulo Megapolitanorum, ſi argumenta ſpectes, incongrue donatum. Continet enim orationes meri argumenti theologici, politici & academici, utpote de perſona Chriſti, de bono diligentiæ, gubernationis, academiæ, ceteraque ejusmodi.

(*i*) In libris *de vita Chytræi L. I. p. 259. 278. L. II. p. 147. 196. 242. 585. L. III. p. 42. ſq. 58. 78. ſq.* & *in hiſtoria* adhuc manuſcripta, *eccleſiarum & verbi divini Miniſtrorum Megapolenſium.*

(*k*) *In Memor. Theol. decad. IV. p. 443.* ubi tamen filii ejusdem nominis & officii ſcripta cum paternis videtur confudiſſe.

(*l*) *In notitia Majorum Lubec. p. 43. ſq.*

(*m*) *In programmate exequiali ed. Roſtochii d. 13. Jul. a. 1608.*

(*n*) *In Tr. hiſtorico & etymol. de conſvetudine p. 450. lit. i.* & in *Novis litterariis Hamburg. a. 1730. p. 105. & 240.* ubi etiam mentionem & recenſionem vide de ipſius BACKMEISTERI *actis Auſtriacis, orationibus, conſiliis & reſponſis adhuc ineditis.*

(*o*) Quorum contenta & ſupplementa vide apud CRAVSIVM *in deliciis & otiis litterar. P. XIII.* & BERNH. RAVPACHIVM *in edita* nuper *Auſtria evangelica.*

(*p*) Teſte ZACHARIA GRAPIO *in Roſtochio evangelico præf. p. 12.* ubi utiliſſimo manuſcripto huic Backmeiſteriano permulta ſe debere ingenue fatetur. Addatur IO. HENR. *a* SEELEN *P. III. Athen. Lubecens. ſect. 2.* in vita IOANNIS BACKMEISTERI *p. 184.*

Optandum eſſet propterea, ut hiſtoriæ hujus campum, quem pauci (*q*) ingreſſi ſunt, alii demum ita occuparent, ut de hiſtoria, factis, beneficiis & juribus eccleſiarum Mecklenburgenſium cum univerſim tum ſpeciatim conſtaret ex annalibus, actis & documentis eccleſiaſticis fide probatiſſimis.

XX. Cornelii Hamsfortii Libri IV. de rebus Holſatorum. Laudes Autoris.

Quod autem HAMSFORTII *libros de rebus Holſatorum* attinet, ipſe autor inſtitutum in ingreſſu percenſuit, cui hoc ſaltim addimus, quod receptam in ſe ſpartam ita ornaverit, ut res Holſatorum & Ditmarſorum vicinarumque gentium bello & pace præclare geſtas ingenuo ſtudio deſcripſerit multaque cum iis conjunxerit argumenta hiſtoriæ imperialis, quæ declarandis & illuſtrandis rebus in imperio & provinciis Germaniæ geſtis, egregie inſerviunt. Mirari proinde ſubit, quod hoc opuſculum longiſſimi temporis intervallo e memoria fere omnium expunctum inter occulta hucusque latitaverit nec in conſpectum eorum venerit (*r*), qui carceres librarios vel recluſerunt vel in iis detentos ſeu captivos omnes in numerato habuerunt. Sed ipſum hoc, utut paſſim nævis quidem haud deſtitutum opuſculum, fatis benignioribus dignum judicavit IO. ADOLPHVS *a* KIELMANSEGGE, *Holſatiæ olim Cancellarius Aulæ & Præſes Regiminis ducalis*, qui illud ex apographo deſcri-

Scripti fata.

(*q*) DAV. HENR. KÖPKENIVS *diſcurſu de præſagiis reformationis Mecklenburg. & in Memoria Protoevangeliſtæ Ioach. Kutzeri:* GEORGIVS FRID. STIEBERVS *in vita primi Epiſcopi evangelici Mecklenb. Ducis Magni:* CHEMNITIVS *in vita Henrici pacifici MSC.* HEDERICVS & LATOMVS *in hiſtoria epiſcoporum Sverinenſium MSC.* POLTZIVS *in delineatione hiſtoriæ eccleſiaſticæ Mecklenb. ed. a. 1697.* NICOLAVS GRYSE *in vita & Hiſtoria doctrinæ Ioach. Sluteri ed. a. 1593.* GRAPIVS *in Roſtochio evangelico:* B. PARENS *in hiſtoria Eccleſiarum Mecklenburgenſium MSC. item in Sverino evangelico & hiſtoria agendarum Mecklenb.* DIET. SCHRÖDERVS *in hiſtoria paſtorali Wiſmarienſi:* FRIDER. THOMAS *de Luthero Biſecliſene ſeu reformatione evangelica in civitate Guſtrovia:* GVSTAVVS THIELE *in memoria templi cathedralis S. Cæciliæ Guſtrovienſ. ab. a. 1226. uſque ad a. 1726.* M. MANTZELIVS *in ſchediaſm. de Superintend. Parchimenſibus:* B. SCHÜTZIVS *in IV. Libris de vita Chytræi in ſupplementum hiſtoriæ eccleſiaſt. & litterariæ ſeculi XVI. editis.* Conſer SECKENDORFIVM *hiſtor. Lutheran. L. III. Sect. 8. §. 31. & paſſim:* KOCHIVM *Chron. Lubec. ad a. 1523.* quo reformatio evangelica Roſtochii primordium cœpit, & *ad a. 1524.* quo per HINRICVM MÖLLERVM, GEORG. WESTPHALVM, AEGIDIVM FABRVM & IOACHIMVM NOSSIOPHAGVM primos concionatores evangelicos in aula & urbe Sverinenſi eadem auſpicate initiata eſt. Adjicimus tranſeunter, quod D. IO. ALB. FABRICIVS *in Memoriis Hamb. ed. 1710. p. 871.* diem emortualem laudati Noſſiophagi, Sverino Hamburgum evocati & diaconi olim eccleſiæ Nicolaitanæ, per errorem retulerit ad annum 1547. Ipſe enim ſacrum apud Sverinenſes officium in eccleſia Franciſcanorum ſubeundum non ſolum denuo in ſe recepit a. 1546; ſed etiam deliberationibus de ordinandis agendis evangelicis cum RIEBLINGIO & AVRIFABRO a. 1551. interfuit & ſequenti anno primus demum ſub auſpiciis Ducis IO. ALBERTI I. concionator renati evangelii ad templum cathedrale conſtitutus fuit docente B. PATRE *in hiſtoria Sverini Evangelici MSC.* Conſerantur HAMELMANNVS *in oper. geneal. hiſt. P. II. p. 975.* HEDERICVS *in chron. Sverin. ad a. 1558.*

Laudes Scriptorum Hiſtoriæ eccleſiaſticæ Megapolenſi inſervientium.

Initium reformationis Evangelicæ cœptum Roſtochii & Sverini. Fabricii error in vita Noſſiophagi.

(*r*) Inter quos eſt IO. MÖLLERVS, qui in recenſendis ſcriptoribus rerum Holſaticarum & ſpeciatim Ditmarſicarum occupatiſſimus, hoc tamen opuſculum & elegans ſcriptum HEINRICI SEEDORFII, *Lubecenſis, de Ditmarſia libera* æque commendabile & ineditum ſilentio plane præteriit: nec IO. DETLEVI *elaboratiſſimi manuſcripti hiſtorici de Ditmarſis & Ditmarſia* vel verbo meminit *in Introd. ad Hiſtor. Cimbr. P. ult. c. 12. de Ditmarſia p. 626. ſq.* Omiſit etiam SEELENIVS in laudandis Lubecenſibus *& Athenis Lubecanis* ceteroquin ſolertiſſimus laudatum SEEDORFIVM I. U. D. & conſiliarium demum Haſſiacum; cujus etiam *Doropheria* ſeu de corruptione judicum, *& in jus provinciale Ditmarſicum* affecta commentatio inedita latent.

De Manuſcriptis Hamsfortii Seedorfii & Detlevi a Möllero omiſſis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

bi curavit & in codicem plurium Manuſcriptorum Holſaticorum retulit, cui hoc ipſum, quod emittimus, exemplum acceptum referimus. Paucas ſubjecimus notulas de genuinis inſignibus Ditmarſiæ liberæ & devictæ (*s*), de Henrico Zutphanienſi ejusque nomine, vitæ ipſius atque martyrii ſcriptoribus. Unica iis hoc loco accedit obſervatiuncula de etymo & ſignificatu nominis *Holſatorum*, in quo evolvendo *Hamsfortius* & plures non tam fluctuant parumque ſibi conſtant, quam manifeſte ad ſaxa & ſcopulos offendunt & in apertos errores dilabuntur. Primam non ſolum & antiquiſſimam Saxonum ſedem, Holſatiam appellant CLVVERVS *L. III. Germ. ant. c. 21.* & IO. DAN. MAIOR *in prodromo Atlanticæ*; ſed & definite iidem monſtrare ſatagunt, Saxones jam tum circa Chriſti nativitatem hanc regionem incoluiſſe (*t*). Fide vero ADAMI BREMENSIS *L. II. c. 8.* & SPECVLATORIS *Saxonis L. III. art. 64.* Holſatiam vulgo emollito vocabulo dictam putant *Holtſaſſiam* pro *Holtſaxia*, hoc eſt, ſilveſtri ſeu *nemoroſa Saxonia* (*u*). Alii, qui *Saſſe* pro ſaxo accipiunt, vocabulum Germanice reddiderunt *Hohlſtein*, *Hohlſteiner*, quaſi incolas cavæ petræ vel ſaxa volventes; quorum ſententiam, ſponte corruentem ipſe, qui ſæpius fabulatur, SVFFRIDVS PETRI *de Orig. Friſ. L. I. c. 12.* (*v*) reprobavit. Ad aquam & ſpeciatim ALSTRIAE fluvium digreſſus eſt CASPAR DANCKWERTH *Chorograph. Cimbr. P. III. c. 2. p. 169.* qui in etymologiis ſuis plerumque luxuriatur & pleraque locorum nomina ab aqua derivanda eſſe comminiſcitur, ſibique quidem facile perſvaſit vel ideo, quia in phyſicam Orphei & Thaletis ſerio juravit horumque regulis *de aqua prima rerum omnium materia*, ipſa adeo arva hiſtorica & philologica irrigare ſtuduit, miro fateor conatu, quo ipſum Helmontium ſuperavit. Sed, quæ eſt ſententia GOLDASTI (*w*), pronunciationis & variæ mutationis vitio corruptum fuit vocabulum. TACITVS in hac regione ponit *Foſos:* unde FOSETVM idolum inſulæ Heligolandiæ dici putant CNOBLOCHIVS & PETRVS SAXIVS *in Heligolandia.* PTOLOMAEVS & STEPHANVS ibidem locant Saxones. Unde patere putat Goldaſtus, *Foſos* fuiſſe gentem Saxonicam. CLVVERVS apud TACITVM pro *Foſi* legendum cenſet *Saxoni;* ſed alii malunt *Holſi*, cum frequens fuerit apud veteres ſcriptores litteræ H. in F. mutatio. Holſi vero a nonnullis ha-

Obſervatiuncula adjecta.

De Holſatiæ Holſatorumque Etymo.

An a Silvis?

Vel a lapidibus?

An ab Alſtria?

Vel ab Holſis?

Inſignia Ditmarſiæ antiqua.

(*s*) Addimus declarationem, quod Principes poſt occupatam Ditmarſiam non primi demum inſignibus addere cœperint equitem cataphractum, ſed huic ſaltim nunc in manum tradiderint gladium militarem, evaginatum & ad cædendum elevatum. Teſtantur hoc ſigilla permulta vetera Holſatica ſeculi XIII. XIV. præcipue & XV. quæ *in clypeo Ditmarſico* equitem cataphractum referunt, aliquando etiam haſta in humum demiſſa inſtructum.

(*t*) Conferatur MEIBOMIVS *introd. ad hiſtor. Saxon. inf. p. 4. ſq.*

(*u*) Adamum Bremenſem plerique ſcriptores ſequuntur, CHYTRAEVS, CRANTZIVS, RANZOVIVS, OLEARIVS, ANGELVS, SOLINVS, PETERSENIVS, KELLINGHVSIVS *L. I. de reb. geſtis Io. Ranzovii A.* 4. CASP. BVSSINGIVS *in topographia Hamburgenſi apud* STAPHORST *P. II. p. 90.* & plures Holſatiæ ſcriptores.

(*v*) *Nec ſaxis*, inquit, *nec ſilvis Holſatia* (hodie quidem) *ita inſignis eſt, ut inde nomen ſortita videri potuerit.*

(*w*) In amplis *vindiciis privilegii Bremenſis Henriciani contra objectiones Oldenburgenſium*, adhuc ineditis f. 84. ſq.

habentur pro ipsis Saxonibus, quos *Holsingos vocat* AVTOR *Annalium Francorum* ad annum DCCCLII. a quibus perhibente GOLDASTO *d. l. Holsatia dicta quasi Holsosatia, uti Hungaria quasi Humnoavaria.* Plures vero cum MÖLLERO *Hist. Cherson. Cimbr. p. 18. & 362.* SVFFRIDO PETRI & GVNDLINGIO citatis locis, Holsatos vocare malunt *Olt-Saxen*, veteres Saxones seu originarios & domesticos Saxones, & quidem intuitu eorum, qui cum *Anglionibus Cimbricis* relicto solo veteris patriæ cimbrico-Holsatico, in Britanniam migrarunt, ibique regnum *novum Saxonico-Anglicum* constituerunt; cui opinioni nuper calculum adjecit reverendissimus ABBAS GOTWICENSIS *T. I. Chronic. Gotwic. L. IV. p. 637. 713.* Et certum est, *Anglos scriptores* hujus quidem opinionis autores esse, vel certe occasionem dedisse, dum regionem Saxonum chersonesi Cimbricæ ANTIQVAM *Saxoniam*, & regionem *Anglionum Cimbriæ* VETEREM *Angliam* inter Saxones & Giotas sitam nuncupant, præeuntibus præcipue BEDA (*x*) & FABIO ETHELWERDO (*y*), quos sequuntur CAMBDENVS, VSSERIVS, SHERINGHAMIVS, item EDMVNDVS GIBSONIVS *in Chronic. Saxon. p. 12.* ubi hæc recenset: *Tunc a. 449. venerunt in Britanniam viri de tribus Germaniæ provinciis de* ANTIQVIS SAXONIBVS, *Anglis & Jutis.* A IVTIS *oriundi sunt Cantuarii & Vectuarii, gens, quæ incolit Vectam & apud Saxones occidentales adhuc vocatur Jutarum progenies. Ab* ANTIQVIS SAXONIBVS *originem duxerunt orientales, australes & occidentales Saxones. Ab* ANGLIS, *quorum patria ab eo tempore mansit deserta inter* IVTAS & SAXONES, *originem duxerunt Angli orientales, mediterranei, Mercii & omnes Nordhymbri.* Idem in adjecta *explicatione nominum* summatim ita differit: ANTIQVI *Saxones ii sunt, qui Saxoniam Germanicam incoluerunt, postquam* ANGLO-SAXONES *in hac terra Britannica sedem posuissent.* Quo sensu etiam SVFFRIDVS PETRI *c. l. L. II. c. 12.* scribit: *Holsatiæ partem extremam, quæ Jutiæ proxima est, in antiquis chronicis* OLT-SAXEN, *id est veterem Saxoniam, dici animadverto.* Quæ quidem oppositio Saxonum Veteris Saxoniæ seu *Germanicæ*, & *novæ transmarinæ* seu Britannicæ (*z*) vel eorum, qui in Holsatia perstiterunt & qui Britanniam occuparunt Anglis scriptoribus eorumque idiomati facile indulgenda; sed nondum forte accipienda est pro rei totius decisione. Ut enim plura taceam nec, quod LEIBNITIVS (*a*) attulit, urgeam, Holsatorum nomen non

An ab avita & vetusta regione Saxonia?

Quæ opinio ab Anglis præcipue Scriptoribus laudatur.

Dubia Leibnitiana aliaque.

(*x*) *L. I. Histor. Eccles. c. 15.* Sed *Libro V. c. 11.* ANTIQVOS *Saxones* ad Rhenum collocat.

(*y*) Apud SAVILIVM *in collect. script. Angl. p. 834.*

(*z*) Haud opus forte fuisset ad Britanniam provocare. Si enim oppositione antiquorum & novorum Saxonum indigeamus, hanc ipsam in patria reperire licebit, ævo tamen aliquantum recentiori. Constat enim, quod amplissimæ ad reprimendos Venedos Wagrios Saxonum coloniæ in Wagriam ductæ fuerint, quarum necessitudine Wagrii superstites apprime usi sunt, ut Wagria vocari cœperit *nova Saxonia*, ab Holsatia antiqua seu *Transalbina* olim disjuncta, nunc vero imperio consociata. De qua Saxonum Fresonum Hollandorumque in Wagriam migratione vide HELMOLDVM *L. I. c. 57.* PONTANVM *Hist. rer. Dan. L. V. p. 229.*

Wagria dicitur nova Saxonia.

(*a*) In opusculo *de originibus Francorum*, ibique *de Westphalia* a GREGORIO *Papa* in epistolis com-

non demum poſt occupatam ab Anglionibus & Saxonibus Britanniam innotuiſſe, ſed jam antea (*b*) *inter Germanos* in uſu fuiſſe adeo videtur, ut hæc appellatio non e Britannia demum in Germaniam, ſed potius e primis Cimbricis ſedibus cum ipſo Saxonum ſeu Holſatorum populo in Britanniam migraverit. Equidem ſunt, qui in chronico *Reginonis Prumienſis* ſcriptoris ſeculi IX. primam demum Holſatiæ mentionem obſervaſſe viſi ſibi ſunt, ſed notabunt facile alii, quod ipſe Regino, ſi vel unum & alterum locum ad a. 804. exceperis, nuſpiam fere Holſatorum, ubique vero Nordalbingorum, horumque regionis plane nemoroſæ meminerit, adeoque non nomine quidem, ſed re ipſa tamen Holſatorum ſedes deſcripſerit, præeuntibus Romanis & domeſticis antiquioris ævi, de Cimbrorum expeditionibus & bellis ſcriptoribus, qui vel terram eorum ſilvis & nemoribus opacam & caliginoſam, vel ſub nomine Nordalbingiæ indigitare ſolent (*c*). Communior eſt opinio, quod Holſatia dicatur ab Anglo-Saxonico HOLT ſeu ſilva & a SEAX terra. Sed mallem ab Anglo-Saxonico SEAT, SATT, h. e. ſedes, *ſetten* reſidere, unde *Sæt*, *Sæta*, incola, habitator; ut igitur Holſati dicti ſint ſilveſtres Saxones, *incolæ nemorum* (*d*). Pertinet huc quod PLVTARCHVS *in Mario de Cimbris* retulit: *Sedes Cimbrorum ſunt ad oceani ora in regione ob profundas & denſas* SILVAS *caliginoſa.* Idem innuunt ALBERTVS STADENSIS *ad a. 917.* & PITHOEVS *in Annalibus ad a. 853.* qui Holſingorum nomen a ſedibus repetunt ſilveſtribus & nemoroſis. Ipſa etiam, qua REGINO *c. l.* uſus eſt, appellatio *Holdenſten* (*e*) inde repetita facile videtur; cujus ipſius nominis *Holdſtein* vel *Holdenſtein* mentionem itidem injicit *Abbas Urſpergenſis ad a. 804.* Haud diverſum ab hac denominatione eſſe putatur (*f*) nomen *Holdiſtedt*, quod in ve-

De Holſatorum nomine ante invaſionem Britanniæ cognito.

An dicantur a ſitu & habitatione nemoroſa? Rationes opinionis probabiles.

Weſtphalia provincia Alt-Saxonum vocata.

commendatitiis epiſtola V. *provinciæ* ALT-SAXONVM dicta. Quod quidem obmotum dubium GVNDLINGIVS *in obſervationibus de eodem argumento* diluere ſtuduit.

(*b*) Videantur CLVVERVS *in Germ. antiqua d. l.* PAVLVS CYPRAEVS *de Saxonum, Cimbrorum, Vitharum & Anglorum origine & ſedibus P. I. c. 5.*

(*c*) PONTANVS *in Chorograph. Holſat. d. l.*

Conſenſus Hickeſii.

(*d*) Cui conjecturæ adſtipulatur GEORGIVS HICKESIVS *P. I. theſauri Linguar. ſeptentrional. præfat. ad inſtitutiones grammaticas Anglo-Saxonicas f. 3. Apud Anglo-Saxones*, inquit, *aliasque gentes ſeptentrionales per* SETAN *incolæ exprimuntur; unde nata mihi eſt opinio, urbes anſætenſes dici non a noſtro* ans *vel* anſt, Gothico *anſts*, favor, gratia, *ut olim ſentiebam; ſed a Cimbrico* A, *flumen, aqua, in regimine* Aen, *& a* Seat *vel* Sæt, *ſedes, habitaculum. Unde in compoſitione* anſeat *eſt urbs maritima, latinobarbare, urbs anſeatica & Hanſeatica, germanice An-geſteeden.* Quæ tamen derivatio Hickeſiana parum videtur adæquata & ſufficiens, cum multæ urbes hanſeaticæ non ſint maritimæ vel ad maria & flumina ſitæ. Placet magis etymon a vetuſta voce *hanſa*, fœdere, pacto vel *hanſel*, hoc eſt, merx, merces, commercii fructus. Ut igitur hanſeaticæ civitates vel ſint civitates *fœderatæ* vel *mercatoriæ.* De qua ultima derivatione adde paucula, quæ diximus in Notula *ad diploma Friderici I. de a. 1188.* quod BANGERTI *originibus Lubec.* inſeruimus p. 1288. Sed pergit HICKESIVS: *Sæt vel Seat autem ſignificare Sted, Stad*, ſtationem, ſedem, habitaculum, *& per ſynecdochen* urbem, oppidum; *Saxonica* ſumurſætas *ſeu ſumurſetenſes &* Dorſætas, *Dorſetenſes*, Dorſeatici *luculenter demonſtrant. Huc quoque ſpectant Saxonica* Dunſæta, *habitacula in montibus*, Dene Sæta, *ſedes vel manſiones in vallibus & germanicum* HOLTSAETA, *Holtſatia, vulgo Alſatia, quod ſedes aut habitacula in ſilviſ denotat.*

Error ipſius in etymo urbium Hanſeaticarum.

De Holdenſtenia Reginonis.

(*e*) Corrupte hoc vocabulum *Autor vitæ Caroli M.* per *Ondulſtetin* expreſſit, notante SCHVRTZFLEISCHIO *diſp. hiſtor. diſp. XIV. de rebus Dan. p. 12.*

(*f*) A CYPRAEO *c. l.* MÖLLERO *introd. in Hiſtor. Cimbr. P. I. p. 62.* Sed ex adverſo

TEN-

veteri chronico monaſterii S. Galli a STEPHANO BALVZIO *in notis ad Capitularia Regum Francorum p. 996.* laudato, occurrit ita deſcriptum: *Anno 804. perrexit* (*g*) *Dominus Karolus in Holdiſtede & multos Barones ſeu Viros, & mulieres inde adduxit in Franciam.* Situ proinde & habitatione Holſatos dixeris diſtinctos tam a parte Saxonum eorum, qui circa paludes & amnes degentes vocati ſunt *Marſati* ſeu *Marſo-Saxones*, *Marſi*, h. e. Saxones RIPVARII, hodie DITMARSI & *Stormarienſes*; quam ab iis, qui ANGLO-SAXONES & *Svevi* dicuntur, quorum ſedes fuiſſe patet in angulo Cimbrico, vel ſi mavis, in *pratis* Cimbriæ vel *locis piſciſluis.* Hinc etiam eſt, quod qui circa littora habitarunt, vel in conſtituendis & objiciendis aggeribus occupati fuerunt, olim *Wurt-Saxones*, *Wurt Sati* (*h*) vocati ſint ab Anglo-Saxonico *Warothe*, *Waurt*, area, aggere, loco item editiori ſeu contra vim aquarum elevato. Unde etiamnunc in Holſatia præcipue in Wagria ſuperſunt coloni, prædiis adſcripti, manſuarii, partiarii, *germ. Halb-Hufener*, qui *Wurſt-Satten* corrupte *Wuhrts-Settel*, in

Et illuſtrationes a diſtinctione Saxonum ſilveſtrium, ripuariorum, angliorum. Item limitaneorum ſeu Wurtſatorum,

---

TENTZELIVS *in colloquiis menſtruis a. 1690. p. 751.* hunc locum de civitate Saxonica *Altſtett* palentia olim Cæſarea explicuit. Cui ſubſidio eſſe videntur ea, quæ SAGITTARIVS *in antiquit. Alſted. & palatinatus Saxonici p. 17.* diſſeruit. Conferatur autor annalium apud LAMBECIVM *L. II. comment. de Biblioth. Vindob. p. 735.* ubi ita: *Carolus imperator Saxones absque bello a* PROPRIIS *finibus expulſos in Franciam collocat.*

Veterumque Holdiſtedt & Altſtett.

(*g*) Convenit EGINHARDVS *in vita Caroli M. Carolus tunc a. 804. omnes, qui trans Albim & Wihmuodi habitabant, Saxones*, rebelles Holſatos, *cum mulieribus & infantibus tranſtulit in Franciam.*

(*h*) Quorum cenſus annuus ſeu penſio in diplomatibus dici ſolet *Wurtinum*, *Wortins.* Ita legitur in *charta Henrici Domini Megapolenſis*, qua a. 1308. *fratribus Kalendarum de* INSVLA *territorii ſtargardienſis dimiſit proprietatem & libertatem ſuper quibusdam bonis, peciis, teutonice Overland, jugeribus & reditibus Vredelandenſibus quinque ſolidorum monetæ Brandenburgenſis in penſione arearum,* WORTINS *dicta.* In chartis Cimbricis ſeculi XV. ſæpius occurrit *Wortpfennig*, h. e. cenſus, reditus agrorum, aliquando etiam valor prædii. A quo ſignificatu parum recedit vocabulum *Wirtinſpennig*, quod *in jure Iutico L. I. c. 30.* denotat *prædii æſtimationem.* Apud Hildeſienſes hodieque cenſum ædium, præpoſito capituli quotannis exſolvendum venire ſub nomine *Worthzins* teſtis eſt GERICKEN *in Schottelio illuſtrato p. 89.* Et de *Oſnabrugenſium* moribus obſervavit LVDOLPHVS *continuat. obſervat. forenſ. p. 253.* quod homines proprii, vulgo *die hauſsgenoſſen des Meyerhofes zu Weſtrum*, capitulo Oſnabrugenſi etiam nunc præſtare debeant annuum canonem, qui dicitur *Worthpennunge.* Nec dubium eſt, quin Wurſati incolæ terræ *Wurſatæ*, germanice *Land Wurſten*, appellationem acceperint ab agris & aggeribus excultis & elevatis; prouti ex ſtatutis Wurſatorum de a. 1508. *Wurſter Wikör* dictis, & *ex jure aggerum terræ veteris* apud HACKMANNVM *tr. de jure aggerum in append. n. 1.* haud obſcure liquet. Plura de Wurſatis & juribus *Wurſaticis* vide apud MVSHARDVM *in antiquitat. nobilit. Brem. in vernacula editis p. 47. ſq.* GISEBERTVM *in periculo I. ſtatut. p. 878.* & HARO EIDE TOVWESIVM *Wurſato Friſum in collatione juris provincialis Wurſato Friſici cum jure Rom. & quibusdam ſtatutis Germanicarum provinciarum ed. Gieſſæ a. 1667.* Firmat conjecturam ALBERTVS STADENSIS *ad a. 1256.* ubi *Worthſacos* laudat, *Freſones & incolas pagi Wurſatiæ ſeu Wurden*, ad fluvium Viſurgim ſiti, cum *Hateleria & terra Kedingorum* contermini. Præcipuam quandam lucem affundit *diplomatarium* BORDISHOLMENSE *ad a. 1379. 1390. 1392. 1393. 1501. 1526.* ubi occurrunt formulæ: *Um die Wurt*, *Preſterwurt*, *Kerkenwurt*, *Wortſetelik*, *Wurt und Hoffſtedt.* Plura etiam loca & nomina in utraque Ditmarſia ſuperſunt, quæ a *wurth*, littore, aggere, facile recipiunt explanationem. Qualia ſunt *Wörden*, *Hogenwörden*, *Oldenworden*, *Süder & Nordenboſenwurth*, *Ammerswurth*, *Trennerwurth*, *Volkswurth*, *Wittenworth*, *Oſter-& Weſterwurth*, item & *Bargwörden & Hemmerswurth* ad littora Eidoræ ſita. Olim & famoſum gentis WVRTMANNORVM in Ditmarſia fuiſſe nomen, docet NEOCORVS *in Hiſtoria Ditmarſica MSC.* & VIETHENIVS *in deſcriptione Ditmarſiæ p. 53.*

Wurtinum, cenſus Wurtſatorum apud Megapolenſes. Wort & Wirtinspennig apud Cimbros. Worthzins apud Hildeſienſes, Et apud Oſnabrugenſes. De terra & juribus Wurſatorum.

Illuſtratio ex diplomatibus Holſaticis & nominibus Ditmarſicis.

in Frisia *Wortsaci*, *Wirsedi* (*i*) & *Wurst-Frieſen* (*k*), alibique *Wurſters* (*l*) appellantur. Ad explicandum vero vocabulum *Saten* faciunt plures dictiones, præcipue *Saze*, *Sazzen in ſpeculo Saxonico*, coloni, incolæ; *Cotſætæ*, *Cotſaten vel Coſati* ſeu tugurio-

Coſatorum, Landſatorum, Waldſatorum aliorumque.

lum inhabitantes, *Coſſettlanda* h. e. prædiolum Cotæ vel Caſæ adnexum; vetuſtum *Sadol* vel *Satal*, quod apud Anglos & Francos ſellam, item onus denotat. Quorſum faciunt nomina *Land-Saten*, contracte *Lanſten*, *Innſaten* ſive *Innſten*, *Ammts-Saten*, *Schrifft-Saten* item *Wald-Sazi*, *Waldſaſſen* apud SCHANNATVM *in Buchon. vet. c. 14. p. 433.* ut & vocabulum *Sadelbandia*, germ. *Saxen-Band*, quod in diplomatibus Mecklenburgicis Sverinenſibus & Bordisholmenſibus ſæpius occurrit & colonorum conjunctionem, diſtrictum, limites & jura ſignificat (*m*). Sed linquimus hæc & ad reliqua progredimur, cum ipſis his argumentis amico vinculo colligata.

XXI. Lamberti Alardi Nordalbingia.

Res quippe Holſatorum hiſtoricas *Hamsfortii*, excipiunt nunc res in Nordalbingia geſtæ, quas ſub titulo *Nordalbingiæ ſeu hiſtoriæ rerum præcipuarum a temporibus Caroli M. ad annum usque 1643. a principibus & populis in Nordalbinga geſtarum* ſtudioſe olim congeſſit & ineditas reliquit *M.* LAMBERTVS ALARDVS (*n*), *Guilielmi poëtæ laureati & eccleſiaſtis Crempenſis filius*, *Theologus Brunopolitanus*, *Aſſeſſor Conſiſtorii Meldorpienſis*. Præfationem quidem, qua Nordalbingiæ præluſit, ipſe autor Glückſtadii a. 1643. imprimi curavit, ſed ab edendo ipſo opere conquievit vel fatis abſtractus & plane impeditus fuit. Inde factum eſt, quod ipſius Nord-

Libelli fata.

albingia, cura quippe autoris ſui orbata, in tutorum manus inciderit, qui illam vel repoſuerunt & occultarunt, vel acceſſionibus adaugere ſtuduerunt, vel etiam debilitarunt & mutilam reddiderunt. Uſi nos ſumus variis codicibus plerisque apographis, quorum pri-

Codices varii.

mi debentur bibliothecis *ducali Holſaticæ*, *Wedderkoppianæ & Schröderianæ* (*o*). Notulæ, quas adjectas vides autorem agnoſcunt

---

(*i*) Quo nomine inſigniuntur ab autore *chronici Quedlinburgenſis ad a. 824.* apud LEIBNITIVM *T. II. ſcript. rer. Brunſv. p. 277.* ibique: *In Saxonia in pago Wirſedi XXVI. Villas fulgur conſumpſit.*

(*k*) Apud LAMBECIVM *Orig. Hamb. L. II. n. 156. in not. & n. 500. p. 81.*

Aliorum conjectura.

(*l*) Quos fruſtra quidem alii ab *electione* vel *curtibus* & *ſervitiis*, quibus Domino adſcripti ſunt, dictos opinantur, quaſi *Curtſatten*; argumento forte deſumto a bonis curmodicis. Vide *diplomatarium Bordisholmenſe ad a. 1379. & 1501.*

Vocabula alia huc facientia.

(*m*) Quibus adde nomina, *Sattelfreye*, *Sattelgüter*, *Sadelhöfe*, vel a voce *Sattel*, vel a *Sala*, judicio, vulgo repetita. De quibus LVDEWIG. *in jure clientelari* & POTGIESERVS *in commentar. juris German. de ſtat. ſerv. L. I. c. 4. p. 232.*

Scripta ipſius edita.

(*n*) Exſtat ejus typis exſcriptum *carmen Ebræo latinum de vera ſapientia ejusque uſu fructu* MATHIAE HOE *ab* HOENEGG, *Stephano* CLOTZIO *& patri Wilhelmo* ALARDO dicatum. *Hamb. 1643.* Idem edidit *lacrymas in obitum parentis una cum aliorum epicediis in eundem collectas. Hamb. 1646.*

Nordalbingiæ Alardi avtographa.

(*o*) Ipſum etiam avtographum ceſſit muſeo Schröderi Theologi olim Tychopolitani: apographa exempla inde forte migrarunt in bibliothecas CHRISTOPH. GODOFRIDI IOHNII *Vice-Cancellarii Glückſtadienſis* & NICOLAI PETRI SIBBERN regii ad arcem Glückſtadienſem olim concionatoris, cujus utriusque codices mancos paſſim cum noſtris contulimus. Autographum e muſeo Schröderiano tranſiit emtionis jure in poſſeſſionem NICOLAI ALARDI, *Theologi Holſati V. D. M. Steinbeccenſis*, cui etiam debemus apographi genuini inſpectionem & cum codicibus noſtris collationem.

ſcunt BRODERVM ENEWALDVM, qui inſtar ſupplementi illas congeſſit, ſtudioque & ſcriptis de cataclyſmis Holſaticis innotuit. Addimus ipſius ac autoris de populis Nordalbingiæ (*p*) obſervatiunculis & hoc, quod iidem populi a ſcriptoribus veteris ævi ſæpius compellentur *Transalbingi* (*q*), *Nordmanni* (*r*), *Nordlidi*, *Nordlindi* (*s*). Sed Nordalbingos & Nordalbingiam plures (*t*) dicunt & collaudant, unde etiam a Bohemis Comes Holſatiæ HARTVNGVS, qui expeditioni Lotharii Cæſaris in Bohemos ſuſceptæ interfuit, Comes vocatur NORDALBINGIAE, notante MEIBOMIO *in notis ad* LERBECCI *Chronicon fol. 48.* Ita & AVTOR *verſuum antiquorum de ſancto* VICELINO apud LINDENBROGIVM *ſcript. ſeptentr. p. 118. &* LEIBNITIVM *ſcript. Brunſvic. T. II. p. 774.* Holſatos canit Nordalbingos:

Nordalbingi dicti Transalbini, Nordlidi.

Albia transvexit juvenem, qui nos bene rexit;
Defuncti vero cineres *adlambit hyrundo:*
Illuſtremque Virum ſupra dictum Vicelinum
Ad NORDALBINGOS transmiſit fraude malignos,
In Domino fiſus Albim tranſire paratus
Tranſiit ut flumen, ſecum tulit utile lumen;
Wipenthorp venit, ibi ſedem ponere cœpit.

Indigitat poëtaſter *Holſatos* ad *fluvium*, quem iſte in *hirundinem* germanice *Schwalbe* infeliciter convertit, *Svale* recte vocatum & decurrentem per tractum Neomonaſterienſem olim Wipenthorpienſem, qui & pagus Holſatiæ & finis & confinium Holſatiæ ſeu terminus utriusque provinciæ Holſatiæ & Slaviæ vocatur in *diplomate* ATHELBERONIS *Archiepiſcopi Hammaburg. de a. 1136. & 1147.* & LOTHARII *III. Imperatoris de a. 1137.* In annalibus vero Francorum Pythœanis & Aſtronomi ad annum 808. NORDALBINGI ſeu TRANSALBINGI in Oſterfalos & We-

Qui Nordalbingi ad hirundinem?

(*p*) Quo nomine utuntur EGINHARDVS *de vita & geſtis Caroli M.* & in libro *de geſtis Saxonum*, cujus fragmenta *Adamus Bremenſis L. II. c. 1.* conſervavit: PADERBORNENSIS MONACHVS *annalium de geſtis Caroli Magni dicto L. III. a. 798. indict. 5.* & plerique rerum SEPTENTRIONALIVM Scriptores veteres & recentes.

Scriptores teſtes Nordalbingorum,

(*q*) HELMOLDVS *L. I. c. 47.* HERTIVS *notit. veteris Germaniæ popul. P. III. c. 3. Monument. Paderborn. p. 79.* COCCEIVS *Iurisprud. publ. c. 3. §. 3.* & plures, quos citavimus *in nota* (*d*) *ad Goldaſti Holſatica p. 875.*

Seu Transalbinorum,

(*r*) NORDMANNI *dicuntur a* THIETHVLDO *in Annal. Francorum a. 777. 780. 782.* & 798.

Nordmannorum,

(*s*) *Nortlindi* ſeu *Nortlendi* vocantur ab ADONE VIENNENSI *in chronic. ætat. 6. a. 796. & ab* EGOLISMENSI MONACHO *in vita Caroli Magni f. 244. & 259.* SIGEBERTO *in chronic. a. 780.* Addatur REINECCIVS *in comment. de Saxon. originibus.*

Nortlindorum.

(*t*) ERICVS *Rex Daniæ in hiſtoria gentis Danorum c. 104. & 181.* LERBECK *in chronic. Schowenburg.* CRANTZIVS *Saxon. L. I. c. 1. L. II. c. 18. & L. VII. c. 40. in fin.* HINRICVS AQVILONIPOLENS. *in Adolpheid. c. 1.* SPIGELIVS *comment. ad Bartholin. L. VI.* IO. CARION *Chronic. L. IV.* PETERSEN *in Chronic. Holſat. P. I. pr.* BROTVFFIVS *L. I. chronic. Martisburgenſ. c. 18. pr. & L. II. Genealog. Principum Anhald. c. 1. a. 1175.* ELVERFELD. *in Cherſoneſ. Cimbr. annal. claſſ. I. c. 2.* SPANGENBERG *L. I. Chronic. Schawenburgenſ. c. 8.* MEIBOMIVS *de pagis antiquis Saxoniæ f. 7.* MARCVS IORDANVS *in Tabula Holſat.* AVTOR *petitionis articulatæ pro reſtitutione in integrum adverſus latam ſententiam in Sachen der Stadt Hamburg* contra *die Hertzogen zu Lüneburg & conſortes die Schiffe und Staffel-Gerechtigkeit auf der Elbe belangend, in punctis con-& reconventionum, art. 47.* GERHARD MERCATOR *in Atlante Daniæ. Tab. III.* IOH. RAV *in Coſmograph. c. 17. fol. 497. in fin.*

Teſtimonia plurium.

Weſterfalos iterum diſtinguuntur, quin in diplomate CAROLI MAGNI *de fundatione epiſcopatus Verdenſis* de a. 786. ipſos inter *Transalbinos & Nordalbingos* hæc differentia conſtituitur, quod *Transalbini* ad dextram Albis inter Billenam & Travam, Eldam & Panim verſus orientem pergant, *Nordalbingi* vero ab Albi ad mare Germanicum verſus occidentem ad & trans *Egdoram* & Sventinam usque protendant. De qua quidem differentia, quæ unius rei diverſum reſpectum plagarum deſcribit, prolixius egit *B.* IAC. CAROL. SPENERVS *in notitia Germ. med. p. 402.* provocans ad citatum diploma, cujus tamen fides adhuc eſt ſub judice (*u*). Speciatim *Annales Loiſeliani*, *Egolismenſes*, *Bertiniani & Laureſheimenſes ad a. 795.* SAXONVM *Transalbinorum* meminerunt, ideo quod Obotritorum Regulum Wizzanem Francis fidelem non procul ab Albi in loco *Liuni*, hodie ILMENOVIA occiderint (*v*). De Legibus SVEVORVM *Transalbingorum* videndus eſt WITECHINDVS *de geſtis Svevorum Saxon. L. I. a. 97.* & qui per Svevos Transalbingos ſigillatim intelligit *Holſatos & Stormaros*, HENRICVS MEIBOMIVS *in introduct. ad hiſt. Sax. inf. p. 79.* Nec male, ut videtur. Svevorum enim gens ampliſſima per plures regiones diffuſa fuit & pars eorundem in Holſatia & Cimbria circa fluvium Sliam ad regionem Anglionum conſedit venitque inde ſub appellatione *Angel-Schwaben.* Teſtis eſt STRABO *Geograph. L. 7. &* TACITVS *de M. G. c. 40.* quod ipſi Angli populi Transalbini fuerint de genere Svevorum. Idem habet PTOLOMAEVS, qui Svevos Teutones & Pharodinos item Svevos & Anglios vergentes verſus ſeptentriones, ut & fluvios Chaluſum & Svevum conjunxit. Facit & huc autor anonymus in libello de Svevorum origine apud GOLDASTVM *in ſcript. rer. Svevic. ed. 1605. n. 1. f. 2.* ubi Svevos ad mare Balthicum in regionibus ſeptentrionalibus ceu avitis & originariis reſediſſe commemorat. Adde laudatos ſupra *Annales Francicos*, qui *Svavorum & Holſingorum* mentionem injiciunt, eosque invicem copulant; haud ſecus ac lex vetuſta *Anglionum & Werinorum* Cimbros & Megapolitanos cooptat. Calculum addunt D. MAIOR *tractat. de incolis Cimbriæ:* CYPRAEVS *c. l.* BAXTERVS *in Gloſſario antiqv. Britann.* ubi *Angli*, inquit, *Svevorum quædam natio una cum Jutis, Saxonibus, Pictis & Scotis provinciam occupavit Romanam, regnumque condidit Anglorum, quod nunc deſiit reddito veteri Britannico nomine.* Sunt etiam, qui famæ & memoriæ Svevorum Transalbinorum tribuunt originem appellationis maris Svevici ſeu Balthici & montis Svevi, de cujus tamen ſitu & veſtigiis nec quicquam reſciunt, item fluvii Svevi, quem pro veteri *Trava* venditant, vel pro *Warna prope Ro-*

Differentia Trans- & Nord-Albingorum.

De Saxonibus Transalbinis,

Svevisque.

Sedes eorum & vicinia.

Cenſores diplomatis Verdenſis.

(*u*) Vide WINCKELMANNVM *de notit. vet. Saxon. Weſtphal. L. III. c. 5.* HERM. ADOLPH. MEINDERS *in theſauro antiquitat. Franc. & Saxon. diſſert. 4.* STEPH. BALVZIVM *in notis ad capitul. Reg. Franc. T. II. p. 1066. ſeqq.* PAGI *in Critica Baronii a. 786.* Limites vero Saxoniæ *Transalbingiæ* verſus Slavos & ab Imperatoribus Carolingicis præſcriptos vide apud ADAMVM BREMENS. *L. II. c. 9.*

(*v*) ECCARD. *T. I. rer. Franc. p. 760.*

Roſtochium, vel demum pro Chaluſo accipiunt. Sed mallem huc referre appellationes laudati fluvii *Svalahæ* ſeu *Swalæ* in limite Holſatiæ, vel quod opinabilius eſt, fluvii *Swentinæ* prope Chilonium æque ac ipſius provinciæ Cimbricæ *Swanſen*, item arcis ac epiſcopiæ veteris hodie præfecturæ *Schwabſtæd*. Convenire videntur verba PTOLOMAEI *L. II. c. 2. Poſt Saxones a Chaluſo fluvio Trava usque ad Svevum fluvium (Swentinam) tenent Pharodini, Varini, poſt Sideni usque ad Viadrum.* Quibus tamen omnibus contradicit OLAVS RVDBECKIVS *T. I. Atlant. c. 24. §. 3. p. 622.* ubi Anglos & Svevos more ſuo translocat in Sveciam & ſpeciatim *Smalandiam*. Quicquid demum ſit, id conſtat, & apud annalium conditores teſtatiſſimum eſt, quod *Transalbingia*, *Transalbiana* ſeu *Nordalbingia* præcipue complexa ſit pagos ſeu regiones trium Saxoniæ verſus ſeptentrionem populorum, Holſatorum, Stormariorum & Dithmarſorum inter fluvios Albim, Swentinam, mare Balthicum & Germanicum. Ita enim ADAMVS BREMENSIS *L. II. hiſt. Eccleſiaſtic. Trans-Albinorum Saxonum tres ſunt populi: primi ad oceanum Dithmarſi & eorum eccleſia Mildenthorp; ſecundi Holſati, dicti a ſilvis, quas accolunt, eos Sturia flumen interfluit, quorum eccleſia Sconenfeld; tertii, qui nobiliores, Stormari dicuntur, eo quod ſeditionibus ea gens frequenter agitur, inter quos metropolis Hamburg caput extollit.* Accedit HELMOLDVS *L. I. c. 47. Tres autem ſunt Saxoniæ trans Albim quæ dicitur Nordalbingia populi (w), Stormari, Holſati, Dithmarſi nec habitu nec lingua, multum diſcrepantes, tenentes Saxonum jura & Chriſtianum nomen. Et c. 6. Inde extenduntur termini, ad Winithos, qui dicuntur Wagiri, Obotriti, Kycini, Circipani usque ad flumen Panim.*

Memoria & reliquiæ apud Holſatos & Cimbros in nominibus Sventinæ, Svanſen & Svabſtædt.

Rudbeckii opinio.

Nordalbingia tres populos Saxoniæ complexa.

Procedimus in via & ad ſeptem pertingimus fragmenta antiqui Juris Sverinenſis, quod indubie inter vetuſtiſſima jura ſtatutaria Germaniæ civitatum locum occupat. Quamvis enim hæc legum fragmenta ex genuinis documentis, codicibus membranaceis & ex archivis depromta, natales ſuos anno 1222. haud vetuſtiores, referant ad ſecula XIII. XIV. & quæ inſequuntur; dubium tamen non eſt, quin ipſa hæc jura origine & vetuſtate id ævum ſuperent & longo intervallo antecedant. Docent hoc non ſolum privilegia civitatis Parchimi a Duce Henrico Burevino II. a. 1218. impertita, quæ ſtatuti Sverinenſis ejusque articuli de ſolido pacis *Fredeſchilling* vocato, mentionem manifeſte injiciunt; ſed luculentius etiam, id apparet ex hiſtoria & factis Hinrici Leonis Guelphi, qui occupata Megapoli, primas a. 1160. in comitatum Sverinenſem colonias Saxonum deduxit, primumque comitem GVNTZELINVM *ab* HAGEN (x) Sverinenſibus & integro comitatui Sverinenſi præfe-

XXII. Septem fragmenta veteris Juris Sverinenſis, Seculi XII.

Sub auſpiciis Henrici Leonis & Guntzelini Comitis conditi circa a. 1165.

(w) Concinunt ANONYMVS SAXO *ad a. 785. & 798.* REGINO *ad h. a.* ANNALES *Pithœani & Francorum ceteri.* Ut & PONTANVS *chorograph. Dan. p. 664.*

(x) Equidem CHEMNITIVS *in hiſtoria Comitum Sverinenſium MSCt. in vita Guncelini §. 1.* MEIBOMIVS *in notis ad Lerbeckii chronicon comitum Schauenburg. p. 532.* SPANGENBERGIVS *in Chron. Manſf. c. 226.* & in *ſpec. nobilitat. L. II. c. 25.* Guncelinum vocant natum

Erronea Comitis Guntzelini proſapia.

ćturas & civitates Sverinum, Wittenburgum, Neoſtadium, Boitzenburgum & Transalbiæ pagos nonnullos complectenti a. 1164. præfecit, cujus cura & autoritate urbs reſtaurata, arx olim regia munita, Magiſtratus civicus delectus & conſtitutus, ipſaque curialis domus civitatis a. 1167. exſtructa fuit. Opinio inde omnino ſubnaſcitur, circa idem tempus & auſpicium Guncelini Vicarii Henrici Leonis vetera jura Megapolenſia & Sverinenſia, leges præcipue *Werinorum & Angliorum* hactenus complexa, recognita fuiſſe & Saxonicis præcipue inſtitutis & legibus adaucta, ſtatutorum etiam, quorum initia Henricus Leo jam circa annos 1158. & 1162. ſpargere cœperat, *Lubecenſium* argumentis illuminata. Ex qua veteris Megapolenſium juris interpolatione orta & epitomata videntur ſtatuta Sverinenſia, quæ anno 1222. a Duce Henrico Burevino Saxonum amico eorumque moribus faventiſſimo, deinde etiam ab ejus filio Nicoloto & ſucceſſoribus plurimis Megapolitanis civitatibus (*y*) in compendio præſcripta fuerunt & plerumque ſub elogio privilegiorum & ſacrorum jurium (*z*) ſerio commendata. Ex quo ævo hoc ſtatutorum Sverinenſium breviarium non in foris tantum civitatum Megapolenſium ſingularem cultum & autoritatem (*a*) obtinuit diffuditque; ſed & eandem ſparſit & dilatavit in vicinis regio-

Collecti ex legibus Germanorum præcipue Angliorum, Werinorum, Saxonumque.

De autoritate juris Sverinenſis Seculo XIII. tempore Henrici Burewini.

Rationum Meibomii confutatio.

tum *ex Bartenslebiorum apud Saxones familia equeſtri;* ſed erronee id fieri plura docent diplomata in quibus ſe teſtem ſubſcripſit *Guncelinum ab Hachen, item Hagen & ab indagine.* Dabit has chartas diplomatarium Raceburgenſe ab *Epiſcopo Wittorpio* collectum, quod Tomo II. monumentorum ineditorum V. D. cum publico communicabimus. Fruſtra etiam MEIBOMIVS in auxilium advocat HELMOLDVM *L. II. c. 14.* & ARNOLDVM *L. II. c. 32. 35.* qui Guntzelinum quidem nobilem virum bellicoſum, non vero a gente Bartenslebia oriundum laudant. In diplomate vero, quod MEIBOMIVS citat de fundata a. 1170. epiſcopia Sverinenſi, Guntzelinus teſtis quidem adducitur, ſed non niſi ſub nomine *comitis de Zwerin*; ab gentilitio enim nomine ex eo, quo comitis Sverinenſis dignitatem nactus eſt, tempore abſtinuit, recepto inter novos Principes, epiſcopos & comites evectos more. Plura de Guntzelino ejusque comitatu vide apud CHEMNITIVM *in epitome hiſtoriæ Mecklenb. in Vita Guncelini:* LATOMVM *in chronic. geneal. Mecklenb. P. I. ad a. 1161.* in fine. CHYTRAEVM *Saxon. L. XIII. p. 327.*

Juris Sverinenſis uſus in civitatibus Mecklenburgicis.

(*y*) De Guſtrovio teſtatur FRID. THOMAS *in Analectis Guſtrov. p. 50. ſeqq.* & TORNOVIVS *tr. de feudis Mecklenburgicis in præfat.* De Malchovia HEDERICVS *chron. Sverin. ad a. 1235.* LATOMVS *in Chron. Mecklenb. ad e. a.* De Röbelino SIBRANDVS *commentar. ad jura publica urbis Lubec. P. I. p. 99. p. 102.* De Weſenberga & Penzlino LATOMVS *d. l. ad a. 1263.* De Grabovio, Parchimo & pluribus autoritatis juris Sverinenſis argumentis diximus *in ſpecim. docum. ined.* p. 113. 128. & in *binis diſſertat. de juris Lubec. uſu §. 4. p. 32. §. 3. p. 6. ſeqq.*

(*z*) HEDERICVS *c. l.* & HÖVISCHIVS *in compend. jur. Sverin. de a. 1593.*

Elogia juris Sverinenſis.

(*a*) Docente SIBRANDO *c. l. p. 199.* TORNOVIO *c. l.* Addimus teſtimonium THOMASI *c. l. Iura Sverinenſia in magno olim pretio fuerunt tam in civitatibus Mecklenburgicis, quam Pomeranicis. Nam quia Sverinenſis comitatus prima fuit colonia Teutonum Saxonumque in his oris, ab Henrico Leone Gvelpho velut obex Slavis contumacibus oppoſitus & comites ejus Guncelini atque Henrici multum dignitate & autoritate eminuerunt, fieri aliter non potuit, quin hinc quævis jura civilia Legumque ac conſvetudinum Teutonicarum ſtatuta peterentur a vicinis Slaviſmum paulatim miſſum facientibus.* Præcipue ingenuum placet judicium Hederici: *Des Bürger-Rechts zu Schwerin haben ſich viele Städte in Mecklenburg, Pommern, und andere auch abgelegene Oerter in alten Iahren gebraucht, wie ſie dann in Erb-Fällen und anderen Sachen bey einem Rath zu Schwerin des Rechts ſich eines Theils annoch* (ſcripſit a. 1598.) *befragen, und gemeiniglich darauf ſchlieſſen ſollen; Derowegen habe ich der Stadt Malchau Privilegium oder vielmehr das Schweriniſche Recht hie ſetzen wollen, darum, daſs die Liebe Simplicitas und aufrichtige Ehrbarkeit unſerer Vorfahren daraus mit Verwunderung zu ſpüren, bey welchen die ſchöne Iuſtitia aus dem Licht oder Recht der Natur geſponnen, nicht vielweniger als jetziger Zeit, durch Kayſerliche und Päbſtliche-Rechte und darüber geſchriebene groſſe unzählige Commenten, gehandhabt und im Schwange gangen.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

gionibus, Holſatia (*b*) ſpeciatim, Pomerania (*c*) & Rugia (*d*) inſula. Cauſas, hujusmodi receptionis haud e longinquo arceſſendas puto. Etenim Guntzelinus Comes cum Adolpho Comite Holſatiæ, cui contra Canutum Regem Daniæ opitulabatur, in conſortio & fœdere vixit, Ducis etiam Sleſvicenſis Waldemari imperium a. 1200. adeo agnovit, ut ipſi & deinde Canuto Regi, qui Waldemari frater erat, a. 1202. Lubecæ homagium præſtiterit (*e*). Ipſe vero Henricus Leo colonias gentium Saxonicarum in Holſatiam, Wagriam, Pomeraniam & Rugiam a Danis occupatam invexit, cismarinam Rugiæ partem tributariam fecit, Bernonem epiſcopum ultimum Megapolitanum & primum deinde a. 1170. epiſcopum Sverinenſem, multa autoritate pollentem Rugiæ chriſtianæ præfectum & inſpectorem a. 1168. conſtituit (*f*) ejusque adeo diœceſi ſeu epiſcopiæ Sverinenſi (*g*) haud minimam partem Rugiæ, terram præci-

Hujusque juris cultu apud Cimbros, Pomeranos & Rugianos.

Rationes hujus autoritatis ex hiſtoria petitæ.

(*b*) De qua teſtatur LVBBERTVS DE PORETZ, *Conſul olim Kilonienſis*, in copiario membranaceo *vetuſto de a. 1252.* ubi expreſſe *juris Zwarinenſis ejusque apud Holſatos & ſpeciatim Kilonienſes* uſus & autoritatis meminit. Idem nos docuit autor qui *vetuſto juris Lubecenſis Codici a. 1337.* in membranis deſcripto, & in curia Kilonienſi olim aſſervato elogia quædam juris Lubecenſis præmiſit, in quibus *juris Zwerinenſis compendiati* mentionem injicit. Et ſi conjecturæ non nihil licuerit, dixerim, illud demum, introducto jure Lubecenſi, in Holſatiæ civitatibus deviguiſſe, & apud Kilonienſes forte circa annos 1315. & 1317. plane exoleviſſe. Anno enim 1315. Gerhardus & Ioannes comites in peculiari privilegio hæc ſtatuerunt: *Un geven de Stadt tho dem kile alle vrighet, de ſe van unſre Vorvaren hatt hedden, und dar tho nu gantz und vrigh Lübſch recht alſo vollenkomen, als de Stad to Lübeke et binnen heft unvrig tho brukende.* Et in privilegio a Ioanne Comite anno 1317. in feſto ad Vincula Petri Kilonienſibus conceſſo hæc præſcribuntur: *Item damus eidem civitati Kil liberum jus Lubecenſe quali civitas Lubecenſis utitur in ſua civitate, approbantes omnes libertates a noſtris anteceſſoribus confirmatas.* Nec fere dubium eſt, jus Sverinenſe apud Cimbros & Angliones præcipue auctoritatem, certe laudem & dignitatem quandam acquiſiviſſe. De quo argumento in *diplomatario Cimbrico.*

Dignitas juris Sverinenſis apud Holſatos & Cimbros,

(*c*) SCHVRTZFLEISCH. *in Orig. Pomer. §. 10.* MICRAELIVS *L. VI. p. 551.* qui teſtis eſt, quod in plerisque Pomeraniæ pagis, uſu olim obtinuerit Ius Sverinenſe, recentiori ætate & nunc quidem autoritate Iuris Lubecenſis, Magdeburgenſis, Culmenſis & Romani exturbatum. Reliquias ipſius tamen apparere *in ordinatione ruſtica Ducali Pomeranica* argumento communionis bonorum inter conjuges ruſticos receptæ, docuit HELWIGIVS *diſſ. de Iur. Lubec. non uſu, in civitatibus Pomeran. p. 6.*

Et apud Pomeranos,

(*d*) Patet hoc ex MATTH. NORMANNI *codice juris antiqui provincialis Vandalico-Rugiani,* quem ex antiquis patriæ moribus, legibus & inſtitutis, collatis etiam invicem nobilium, eccleſiaſticorum & ruſticorum, uſu rerum & experientia inſtructorum conſiliis perinduſtrie compilavit; in cujus titulo *von der Erff-Schichtung* ſeu de hereditatis diviſione diſerte refert, quod ex triplici jure, VANDALICO, DANICO & SVERINENSI *in Rugia* juſtitia dicta & adminiſtrata fuerit. Idem teſtatur HELVIGIVS *in Oratione de codice juris Rugiani, habita Gryphswaldiæ a. 1724. p. 14. penetravit vero jus Sverinenſe in ipſam etiam inſulam Rugiam, quod ex capitibus ſive fragmentis, quæ poſt Hedericum Sibrandus edidit, ſi conferantur cum iis, quæ paſſim in codice juris Rugiani provincialis reperiuntur, aperte conſtat.*

Ac apud Rugios.

(*e*) Docet hoc CHEMNITIVS *Vol. I. operis hiſtorici Mecklenb. majoris cap. 5.* quod agit *de Comitibus Sverinenſibus & Wittenburgenſibus ad a. 1200. ſeqq.* Addit PETERSENIVS *Chron. Holſat. p. 25.* Guntzelinum & Burevinum Henrici Leonis affinem pacem pepigiſſe cum Duce Cimbrico Waldemaro, Comitemque Adolphum ab obſidione Hamburgenſi liberaſſe & in tutelam ſuſcepiſſe.

Guntzelini cum Comite Holſatiæ conſortium.

(*f*) Quam conſtitutionem *Fridericus Barbaroſſa Imperator* confirmavit diplomate, *quod Bernoni Epiſcopo Sverinenſi primo gentis Transalbinæ prædicatori, apoſtolo Pomeranorum & Rugiorum,* impertivit *a. 1170. d. 5. Ian.* In quo ad terminos laboris & prædicationis Bernonis diſerte referuntur *Deminum cum terris & villis Tollenſee, Plote, Laſine, Tribuſees, Circipenis & omnibus villis terris iſtis adjacentibus, terra etiam Rugianorum de* DVCIS SAXONIAE *terminis adjecta.*

Pars Pomeraniæ & Rugiæ olim relata ad Epiſcopiam Sverinenſem.

(*g*) *In diplomate fundationis eccleſiæ epiſcopalis Sverinenſis de a. 1170. d. 8. Sept. die Mariæ nativitatis*

cipue omnem Bardenſem (*h*), ſubjecit adnumeravitque. Accedit etiam, quod Rugiani populi Saxonibus eorumque armis & legibus admodum infenſi fuerint; contra vero cum vicinis Mecklenburgicis amicum conſortium coluerint & cum Burewino Principe vixerint amiciſſime ſociati; quale vinculum æque inter Pomeranos Principes & Megapolitanos Dominos, Comites, & epiſcopos Sverinenſes, inprimis inter Principem *Bogislaum* & epiſcopum *Bernonem* arcte adeo coaluit, ut ille filios ſuos Bogislaum II. & Caſimirum in virtute & arte recte formandos (*i*) tradiderit Epiſcopo eumque in finem

---

Probatio e diplomatibus de a. 1170. 1177. 1185. 1191.

tatis ſcripto, & anno 1171. promulgato, in quo Henricus Leo limites epiſcopatus ejusque appertinentias in Megapoli, Pomerania, Rugia & Marchia Brandenburgenſi recenſuit. Vide ipſum diploma apud LEVCKFELDIVM *c. l.* LVNIGIVM *ſpicil. eccleſiaſt. append. P. II. p. 152.* ECKHARDVM *de autoritate Henrici Leonis circa ſacra p. 60.* LINDENBROGIVM, STAPHORSTIVM aliosque. Stabilivit eosdem terminos epiſcopatus Sverinenſis *Papa Alexander III.* in charta confirmationis epiſcopo *Bernoni* data *a. 1177.* qua Rujæ inſulæ dimidiæ usque ad oſtium Peni fluvii pluriumque Pomeraniæ locorum memoriam expreſſe fecit. Quam iterum iisdem fere verbis repetiit Pontifex Urbanus III. in confirmatione epiſcopiæ Sverinenſis de a. 1185. apud STAPHORST. *T. I. p. 593.* Addatur Papæ *Cœleſtini III.* bulla confirmationis epiſcopiæ Sverinenſis *de a. 1191.* qua Rugiæ quidem nullam mentionem injecit, ſed Pomeraniæ tamen plures locos epiſcopo Sverinenſi ſubjectos enumeravit. Vide hanc chartam apud LVNIGIVM *c. l.* STAPHORSTIVM *d. l. p. 596.* LINDENBROGIVM *ſcript. ſeptentr. p. 169.* Paucula ad utramque Alexandri & Cœleſtini, bullam commentatus eſt ALB. GEORG. SCHWARTZIVS *in hiſtoria finium Principatus Rugiæ p. 9. 10.* quo tamen Pomeraniæ & Megapoleos loca haud ſatis curate diſtinxit. Quod idem notavit M. SCHRÖDERVS *in primitiis Wiſmarienſ. p. 94.*

Teſtimonium Schwartzii.

(*h*) Obſervant hanc rationem SCHWARTZIVS *in introduct. ad hiſtoriam iuſtitiæ & judiciorum Pomeran. & Rugiæ p. 16. &* HELWIGIVS *in Orat. de codice juris Rugiani p. 13.* ubi ita: *Non multum poſt invectam Saxonum coloniæ partem, cum jus Sverinenſe a comitatu ejusque Metropoli ita appellatum in terris Vandalicis præcipue Mecklenburgicis & Pomeranicis caput extollere cœpit, quod a brevitate ejusque autore epitomatore potius & promotore Burowino Principe Obotritarum amico Rugianorum ſe commendabat, in multis quoque cum ſuis moribus conveniebat, paſſi ſunt Rugiani, ut iſtud jus juxta proprium & Danicum obſervari poſſet, cui obſervantiæ autoritas epiſcopi Sverinenſis non parum adjumenti fuit, cum ad ejus diœceſin pars principatus Rugiæ, diſtrictus verbi cauſa Bardenſis pertineret, ſiquidem & patrum noſtrorum memoria ſtetit adhuc in civitate Bardenſi granarium dicti epiſcopi, in quo proventus illius colligebantur.*

Bernonis Epiſcopi Sverinenſis autoritas.

(*i*) Teſtes ſunt LATOMVS *in geneal. Meckl. ad a. 1168.* CRAMERVS *hiſt. eccleſ. Pom. L. I. c. 47.* Plura de Bernonis autoritate & laude referunt HEDERICVS *in hiſtoria MSC. epiſcoporum Sverinenſ. in vita Bernonis ad a. 1170.* CRANTZIVS *Wand. L. V. c. 4. L. VI. c. 36. metrop. L. VII. c. 20.* LEVCKFELD. *in chronologia abbatam Amalunxbornenſium præf. & p. 47.* CASPAR IONGELINVS *in notitia abbatum Ciſtercienſium L. III. p. 70.* ubi teſtatum fecit, quod conſilio & perſvaſione Bernonis Epiſcopi Megapolenſis, olim in Amelungsborne ordinis Ciſtercienſis Monachi, Dobberanum cœnobium a. 1170. ſub auſpiciis Pribislai II. & Guntzelini comitis conſtructum & ad regulas cœnobii Amelunxbornenſis compoſitum, quin etiam abbati & monachis ex eodem cœnobio electis traditum fuerit ad inhabitandum ordinandumque. Quo ipſo illorum error expellitur, qui cum KOEPKENIO *in comment. de Megapoli fabuloſa p. 89. &* KLVVERO *in deſcript. Ducatus Mecklenb. P. II. p. 13.* Dobberanum ad regulas ordinis *Benedictinorum* formatum fuiſſe perhibent. Ad quorum normam tamen cœnobia Megapolitana *Dobbertinum a. 1218. Campus ſolis* ſeu *Sonnenkamp a. 1219. & Rhena a. 1237.* fundata & inſtituta leguntur. Sed circa annum fundationis, quem IONGELINVS *c. l. &* LEVCKFELDIVS *§. 16. p. 32.* Dobberanenſi monaſterio tribuunt, forte erronei nonnihil irrepſit. Litteræ enim fundationis habent calendas Martii anni 1169. quem ſequuti ſunt CHERVBINVS *bullar. magno T. I. p. 67.* HERMANNVS CORNERVS apud ECCARDVM *in corpore Hiſtorico Tom. II. p. 743.* CAROLVS *de* VISCH *in biblioth. ſcript. Ord. Ciſtercienſis p. 378.* MARESCHALCVS *deflorat. L. V.* Qui tamen in ANNALIBVS *L. II. c. 40. annum 1164.* ſubſtituit. Ex quibus SCHEDIVS *in topographia Mecklenb. MSC.* eundem denuo enarravit. Plura dabunt LATOMVS & CHEMNITIVS *in vita Pribislai II.* & DIPLOMATARIVM *Dobberanenſe, ab a. 1169.* usque ad ætatem reformationis congeſtum & avthenticis chartis quadringentis inſtructum.

Conſilium de ordinando cœnobio Dobberanenſi.

Error Köpkenii & Klüveri.

Jongelini, item Leuckfeldii, Schedii.

finem miserit Sverinum (*ii*). Sed præcipuum juris Sverinensis apud Holsatos, Cimbros & Pomeranos autoritatis momentum in eo positum est, quod illud non solum naturali & germanica æquitate ac brevitate commendabile, sed rerum argumentis ipsis, statui & moribus illorum consonum fuerit, ostenderitque maxime *vestigia & semina domesticarum avitarumque legum* ANGLIORVM & WERINORVM (*k*) quibus a seculo quinto majores eorundem usi fuerunt instar normæ juris originarii seu patrii. Equidem hactenus clarissimi Historici & Jureconsulti de legibus Angliorum & Werinorum mirifice disceptarunt, easque vel cum CONRINGIO (*kk*), LEIBNITIO (*l*), HERTIO (*m*), HACHENBERGIO (*n*), BRVNQVELLIO (*o*), HEINECCIO (*p*) inter leges *Thuringicas*, vel cum HOFFMANNO (*q*) inter Saxonicas, vel cum com-

Et ex ipso jure depromtæ.

Utpote argumentis veterum legum Angliorum & Werinorum haud destituto.

De promotæ juris Sverinensis autoritate a Pomeraniæ Principibus qui litteris incubuerunt Sverini. Illustratur exemplo juris Romani summopere evecti a Germanis in scholis Italiæ edoctis. Unde petenda est ratio collectionum jurium germanicorum Sec. XII. XIII. Et specialim juris Cimbrici a. 1240. Aliud exemplum de origine collectionis juris Rugiani. Leges Werinorum frustra vocantur Thuringicæ a Conringio, Möllero, Leibnitio, Hertio, Hachenbergio, Brunquellio, Heineccio. Judicium Hoffmanni.

(*ii*) Dubium non est, quin Principes Sverino in patriam reduces juris Sverinensis æquitatem laudaverint ejusque cultum & autoritatem promoverint. Quod institutum domesticum consultius omnino fuit consilio eorum, qui seculo XII. & XIII. ex Italorum scholis in patriam Germaniam reduces, juris peregrini Romani doctrinas subtiles, otiosas & a statu & moribus patriæ longe dissonas ebuccinarunt & invita Themide & ratione ubique & universim introducere strenue allaborarunt. Quo improbo labore & conatu id tamen effecerunt, ut cordatiores cives & ipsi Principes ac imperantes ipsis seculis XII. & XIII. colligere cœperint jura *provincialia & statutaria seu civitatensia* GERMANICA. Eundem salutarem effectum in Cimbria produxerunt illi, qui ex scholis italicis, romano jure pleni in patriam redeuntes, peregrina jura ad vivum resecare eaque, quamvis ad indolem reipublicæ non magis, quam Herculis cothurni ad pedes germanorum quadrantia, civibus suis obtrudere patriaque jura cum romanis confundere, cupide omnique nisu contenderunt. Movit enim hic conatus Regem Daniæ Waldemarum II. ut illi obicem positurus, consilio procerum secularium & ecclesiasticorum curam desigeret in colligendis legibus patriis Gothicis, Cimbricis, Saxonicis, Frisicis, quas circa annum 1240. in comitiis Wordingburgensibus promulgavit in codice juris Jutici, *Lowbuch* vocato, cujus fidem & autoritatem ipsi adeo Waldemari successores Daniæque Reges in diebus inaugurationis usque ad regni electivi in hæreditarium mutationem solemni juramento confirmarunt, testibus HARALDO HVITFELDIO *P. II. hist. Dan. p. 206.* BLVTINGIO *in commentat. MSCt. de originibus juris Iutici* & MÖLLERO *isag. in hist. Cimbr. P. I. c. 15. §. 8. p. 262.* Idem etiam exemplum, sed recentius suppeditat Pomerania. Cum enim PETRVS RAVENNAS, *Iureconsultus Italus* a Bogislao X. magnis stipendiis e regionibus transalpinis in Pomeraniam evocatus, nova multa patriis consvetudinibus adversa Pomeranis propinasset, excitati inde sunt Rugiani, ut de tuendis & in perennem ordinem collocandis legibus & consvetudinibus Vandalicis cogitare cœperint. Unde enatum est *jus patrium Rugianum* a NORMANNO collectum & supra laudatum.

(*k*) Quas ediderunt HEROLDVS *in Libris originum & Germanicar. antiquitatum p. 127.* LINDENBROGIVS *in Cod. Legum ant. Germ. p. 479.* LEIBNITIVS *T. I. rer. Brunsvic. p. 81.*

(*kk*) *In Origin. jur. German. c. 13.* ubi inscriptionem ab imperita manu irrepsisse suspicatur & Leges a Francorum Regibus solis Thuringis latas fuisse contendit. Quam opinionem secutus est MÖLLERVS *in isag. ad hist. Cimbr. p. 260.*

(*l*) Qui c. l. ita statuit: *Mirum Anglos & Werinos conjungi. Equidem Taciti temporibus vicini erant trans Albim, sed postea Werini cis Albim, Angli trans mare profecti sunt. Werinos ad mare pertigisse ex Procopio discimus; idem* Widikindus *refert de Thuringis, antequam a Saxonibus invaderentur. Itaque credibile est,* Werinos *habitos pro parte Thuringorum & habitasse in regione Cauchorum.*

(*m*) *Notitia vet. German. popul. P. II. c. 2. §. 339.*

(*n*) *In Germania media diss. 1. de regimine veterum Germanorum §. 13. p. 11.*

(*o*) *Histor. jur. Rom. Germ. P. IV. c. 2. §. 16. p. 587.*

(*p*) *Histor. juris civilis Rom. & Germanici L. II. c. 1. §. 12.*

(*q*) *Specim. de origine Legum German. p. 55. Sect. VII. §. 1. Nullius,* inquit, *pene gentis Germanæ tam obscurum nomen & sedes adeo incognita nostra ætate mansit, quam Angliorum & Werinorum, qui eruditis multam disceptandi occasionem dederunt; accedit confusio, quam inscriptio legis causat; hinc nonnulli legem de solis Thuringis accipiendam esse sunt interpretati; quicquid sit, id pro verisimile habemus, gentes fuisse Saxonibus affines.*

Dissensus Eruditorum circa has Leges.

compluribus denique inter leges dubias & incogniti nominis retulerunt; sed haud obscurum quin fere manifestum probatumque alibi (*r*) videtur, quod *Angliones* fuerint veteres Saxones, Cimbri, Angli in primis sedibus Slesvicensibus (*s*) habitantes, *Werini* vero, præcipui populi Herulici & Vandalici in Megapoli (*t*), præcipue Rugia & Pomerania consedentes, quos cum Anglionibus & Saxonibus TACITVS *de moribus Germ. C. X. XXXVII. XL.* PTOLOMAEVS *L. II. c. 11.* PLINIVS *hist. L. IV. c. 14.* MELA *L. III. c. 3.* STRABO *L. VII. p. 449.* manifesto conjungunt & una quasi societate & necessitudine colligatos circumscribunt. Docent hoc explicatius & utriusque gentis viciniam, nexum, consortia, unionem & amicitiam, mutuis fere institutis & consuetudinibus paceque belloque excultam, uberius loquuntur & exponunt BOXHORNIVS (*u*), STRVVIVS (*v*), ipse LEIBNITIVS (*w*), ZEI-

Quæ Cimbris Anglionibus & Werinis Megapolensibus vindicantur.

Probatur rationibus.

(*r*) *Specimine document. ineditorum Mecklenburgensium p. 51-61.*

(*s*) De quibus supra diximus ad MARESCHALCI *defloratione antiquitatum.*

Varinorum nomina & etymologia Vandalica.

Item Varni, Warnemundæ, Werinæ, Warini & Warenæ. Warlini & Wartharum.

(*t*) Varini populi a PROCOPIO & PLINIO *Varni Guarini & Carini*, a PTOLOMAEO *Viruni*, a IORNANDE *Werini*, *Werti* & ab aliis *Varri*, *Vari*, *Warnavi* *Wardones*, *Svardones* nominati, recte dici videntur ab *arcendo*, *custodiendo*, *Vandalice* *wären*, *wariegen*, *unde* *wehren*, *bewahren*; Præcipuas enim sedes habuerunt in propugnaculis & limitibus provinciæ marique maxime proximis & ad securitatem natis & factis. Inde ab iis nomina & significatum habent *Warna* seu *Warnau*, aqua, fluvius Warinorum prope *Warnemunde* in mare Balthicum decurrens; *Werina* seu *Werla*, arx olim famosissima & a Venedis occupata; *Warinum* oppidum, *Warena* urbs antiquissima castello olim & vallis munitissima, iuxta lacum *Müritzium*, ad gerenda negotia feliciter accommodatum sita; item *Warlinum seu Varenium* Stargardense, & *Warthæ* plures seu arces & propugnacula, quorum reliquiæ & rudera in Megapoli & Pomerania nec hodie prorsus conspectui subducuntur. A Warinis seu Werinis etiam *Swerinum* nomen suum accepisse conjicit SCHWARTZIVS *in introduct. ad historiam iustitiæ Pomeran. p. 16.* Sed malui hoc, ut supra indicaui, arcessere ab idiomate Slavorum, qui ipsius urbis autores exstiterunt & architecti. Unde Sverino urbi antiquissima ætate non nomen *Werinum* vel articulo Vandalico S. præmisso *Swerinum*, sed nomen Slavicum *Zvarin* vel *Tzvarinum* inditum fuisse constat. Facile vero concedimus in sententiam LYSCHANDRI, *qui in commentar. ad Aventinum p. 14.* & *in synopsi historiarum Danicarum p. 28.* Warinorum in *Cimbria* memoriam notavit docuitque, quod Cimbrorum Warinorumque judex seu Præfectus tertius *Truidus*, tria propugnacula seu *Wärn* exstrui curaverit nominatim *Wardberg* in Scania, *Wardingborg* in Seelandia & *Warinia*, *Warde* hodie vocata, in Chersoneso Cimbrica tractus Riepensis sita, & synodo ecclesiastica nunc spectata. Idem testis est, quod fluvius urbi Wardæ proximus & in mare occidentale defluens dicatur *Wardaæ* seu aqua Wardorum, & quod olim præripia & regiones hujus propugnaculi Cimbrici & Ripensis venerint sub nomine *Haruliæ*, *Heruliæ seu Weruliæ*, a sedibus Heruliorum & Werinorum ita nuncupatæ. Quod ex Lyschandro itidem retulit ERICVS PONTOPPIDANVS *in theatro Dan. p. 351.* De Varinis in *Rugia* & *Pomerania* consedentibus vide CLVVERVM *c. l. n. 9. 10.* & SCHWARTZIVM *c. l. p. 16. not. a.*

Fluviique Wardæ & tractus Weruliæ.

De Anglionibus Cimbris testimonium Boxhornii, Struvii,

(*u*) *In histor. universf. ad a. 449. p. 368.* ibique: ANGLORVM *Cimbricorum expeditione factum est, ut Britanni* LEGES, *instituta, mores, linguam & litteras ipsas Germanorum &* SAXONVM *recipere coacti fuerint.*

(*v*) *In historia Iuris c. 6. p. 420. & 423. Habemus quoque & Legem* ANGLORVM *apud Germanos quondam usitatam, usque dum Anglo-Saxones in Britanniam leges suas introducerent, & legem* WERINORVM *sive Varinorum, qui Vandali erant, a Varna amne sic dicti. Vulgo explicantur Varini per Thuringos, sed dum utraque Lex conjungitur, facile patet, Werinos gentem fuisse Anglis vicinam. Angliorum Leges concernebant Anglos in primis sedibus suis in Slesvicensi ducatu habitantes. Werini vero habitabant in tractu Megapolitano ad Varnam fluvium, qui Rostochium alluit, ad Warnemundam & prope mari Balthico infunditur.*

Leibnitii,

(*w*) *Tom. I. script. rer. Brunsv. p. 29. lit. K.* ubi ad Chorographi Ravennatis *Librum. IV. c. 17.* observat, *quod confinalis Daniæ regio, quam Ravennas nominat Saxoniam & ad Daniam antiquitus pertinentem, sit Holsatia & forte etiam Wagria, a* SAXONIBVS & ANGLIS *Taciti tempore habitata, qui deinde & Albim transierunt & cum* IVTIS *chersonesi interioribus incolis Britanniam invaserunt.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ZEILERVS (*x*), CLVVERVS (*y*), DANCKWERTHVS (*z*), CELLARIVS (*a*), HECHTIVS (*b*), *de* BVNAV (*c*), SCHWARTZIVS (*d*), ARPIVS (*dd*) aliique. Ipſæ vero, quas juris Sverinenſis, omnium fere ſtatutorum civitatum Germaniæ antiquiſſimi (*e*), fragmentis eorumque primo præcipue, ex vario Germanorum jure adjecimus commentationes & obſervatiunculæ, ſatis dabunt teſtatum explicatumque, quod illa Legum *Angliorum & Werinorum* lacinias contineant & rudera quaſi tueantur, cum legibus etiam Germanorum conciviumque vetuſtiſſimi mediique ævi, præcipue Saxonicis (*f*), Anglo-Saxonicis (*g*), Cimbricis Sleſvicenſibus (*h*), Juticis (*i*), Lu-

Et Legum ipſarum collatione cum reliquiis juris Sverinenſis, Legibus Cimbricis, Anglo-Saxonicis aliisque patriis.

(*x*) *In Germania novo-antiqua p. 6. 7.* ibique diſerte de *Cimbris, Anglis Svevis & Varinis una ſocietate & religione conjunctis.* Idem aſſerit MEZERAI *dans l' abrege Chronolog. de l' hiſtorie de France T. I. p. 97.* ubi *Saxones, Herulos, Warinos Megapolitanos, Anglos Cimbricos & Friſos* fœdere & itinere in Belgium & Britanniam conjunctos laudat. *Zeileri, Mezerai,*

(*y*) *German. ant. L. III. c. 7. 22. 27.* Cui addatur ALTINGIVS *Not. infer. German. P. II. p. 61. ſqq.* *Pluriumque aliorum.*

(*z*) *Chorograph. Ducat. Sleſvic. & Holſat. P. III. c. 5.*

(*a*) *Diſſ. de Cimbris & Teutonis & in Geograph. L. II. c. 5. p. 477. ſqq.* item PETREIVS *de orig. Cimbrorum p. 9. 10.*

(*b*) *De auspiciis rei heraldicæ inter Germanos, ſpeciatim Saxones p. 4. ſq.* Addatur HERTIVS *not. vet. German. popul. P. II. §. 39.*

(*c*) *P. I. hiſtoriæ imperatorum & imperii Germ. p. 30.*

(*d*) *Hiſtor. finium Principatus Rugiæ p. 25.* ibique de Cimbris & Teutonibus e primis ſedibus *Iutia, Sleſvico & Holſatia* ob maris exæſtuationem *in Rugiam* migratis.

(*dd*) *In Themide Cimbrica, §. 24. ſqq.*

(*e*) Res ſatis expedita eſt, quod bina factio *Legiſtarum* & *Decretiſtarum*, altera *Gibellina* ſeu Cæſarea, altera Pontificia ſeu *Welphica* vocata, potiſſimum demum moverit Principes Germaniæ provinciarum, ut Seculo XIII. animum defigere cœperint in colligendis legibus & conſvetudinibus domeſticis provincialibus & municipalibus, iisque tuendis contra torrentes & irruptiones jurium adventitiorum canonici & Romani. Loquimur hic ſaltim de legibus Germanorum municipalibus ſeu ſtatutariis, quæ ſi exceperis Sleſvicenſes & Lubecenſes vetuſtas, certe tantum non omnes jure Sverinenſi circa annum 1164. ab Henrico Leone & Comite Guncelino condito, apparent recentiores. Quod quidem de ſtatutis Hamburgenſibus, Auguſtanis, Nordhuſanis, Argentoratenſibus, Spirenſibus, Brunſvicenſibus, Cellenſibus, Luneburgenſibus, Bremenſibus, Aquisgranenſibus, Goslarienſibus, Auſtriacis, Bavaricis aliisque probatum dabimus in libello *de fontibus juris R. & G. eorumque uſu in germania §. 15.* *Leges Sverinenſes plurima ſtatuta ætate ſuperant.*

(*f*) Apud LINDENBROGIVM *Cod. LL. ant. p. 476.* Addatur MEIBOMIVS *introd. ad Sax. infer. hiſtor. p. 79. ſq. &* KEMMERICHIVS *in acceſſionibus inſtitut. juris civilis R. & G. Libr. I. Tit. VI. p. 51. ſq.* De reliquis Germanorum Legibus Seculi V. usque ad Seculum XIII. conſulantur CONRINGIVS, KVLPISIVS, HOFFMANNVS, BAYERVS, STRVVIVS, THOMASIVS, BRVNQVELLIVS, HEINECCIVS *in originibus & hiſtor. juris Germanici.* *Notitia Legum Saxonum & Germanorum veterum.*

(*g*) Quæ ex inſtitutis & moribus *Cimbrorum*, *Iutorum*, *Anglionum & Saxonum* ortæ, & ab his populis in Britanniam invectæ ſunt, docente NICOLSONIO *in præfat. ad Wilkinſii collectionem Legum Anglo-Saxonicarum.* Unde eſt, quod in his legibus reperiantur, genuina veterum Saxonicorum jurium veſtigia & argumenta, quibus compilatio Legum Saxonicarum ſeculo XIII. ſub titulo *ſpeculi Saxonici* facta, ſed ſuppoſititiis & admixtis jurium peregrinorum doctrinis cumulatius maculata, feliciter emendari poterit. Digna videntur BOXHORNII *c. l. p. 368.* verba, quæ adponantur: *Britannos Germanorum Saxonumque Leges recepiſſe, ex infinitis legum librorumque monumentis Anglo-Saxonum notis & lingua, quæ ipſis Germanis vulgo jam ignota ſunt, ſcriptis facile unicuique conſtat; cujus ego rei meminiſſe debui, ut Germanicarum antiquitatum ſtudioſi ſic admonerentur, in ſola illa regina inſularum Britannia, ut Germanorum colonia, ſupereſſe hodieque plurima monumenta, ex quibus veterum Germanorum* VITA, MORES, LEGES, MAGISTRATVS *& quæ ejus generis ſunt alia, nullo negotio poſſunt cognoſci.* Idem adſtruunt SPELMANNVS, COWELLVS, SHERINGHAMIVS, infra citati. *De jure Anglo-Saxonico e Cimbrico & Saxonico oriundo. Teſtimonium Boxhornii.*

(*h*) Quæ a *Svenone* rege civitati Sleſvico circa ann. 1140. ſolenniter ſunt præſcriptæ, ex avitis conſvetudinum Cimbrorum, Anglionum Saxonumque argumentis ceu majorum fidei commiſ- *De ſtatutis Cimbrorum Sleſvicenſium a. 1140.*

sis maxime collectæ. Conveniunt cum antiquissimis his statutis in rerum præcipuis momentis vetustæ leges civitatis *Flensburgensis*, emporii celebratissimi in meditullio ducatus Cimbrici meridionalis & in finibus ANGLIAE *Cimbricæ* collocati. Autor harum legum exstitit Waldemarus Dux Slesvicensis, Abelis Daniæ regis nepos, cujus cura illæ *a. 1284.* collectæ sunt ac consignatæ idiomate veteri Saxonico. Addantur item *Leges Frisiorum provinciales antiquæ* recognitæ a. 1426. correctæ & adauctæ a. 1559. 1568.

Et Flensburgensium a. 1284.

Elogium de Codice juris Cimbrici a. 1240. promulgato.

(*i*) Quæ curante rege WALDEMARO II. ut supra diximus occasione irruentis juris Romani, ope præcipue Uffonis seu Oveni Archiepiscopi Lundensis nobiliumque virorum, legum patriæ peritiorum in codicem Iuris, Anglo-Saxonico idiomate *Law* seu *Low-Buch* inscriptum relatæ & a. 1240. mense Martio in comitiis solemnibus publicatæ sunt, docentibus HVITFELDIO *in præfat. ad leges provinciales terræ Scanicæ* MEVRSIO *Hist. Dan. cont. L. I. p. 24.* PONTANO *Rer. Dan. L. VI. p. 321.* MVSAEO *dissert. de different. juris civ. & jutici c. 1. §. 3.* & BLVTINGIO *d. l. ac in commentario juris Cimbrici adhuc inedito de successionibus vom Erbgangs-Recht c. IV. & XXXVII.* De codicibus hujus juris lingua Danica, Latina, Germanica & a. 1486.lingua veteri Saxonica exaratis & editis vide MÖLLERVM *in introduct. ad hist. Cimbr. P. I. c. 15. §. 10. 11. sqq.* GIESEBERTVM *in periculis statut. P. I. præfat.* & HVITFELDIVM *c. l.* ubi codicem hunc legum Cimbricarum & æquitate & forma, facilitate perfectione & modo lites prosequendi *legibus Danicis Selandicis & Scanicis præstare & præ ceteris omnibus jure prælationis gaudere*, disertissime fatetur. Mirari omnino subit, hæc jura Cimbrica, dignitate & valore maxime præstabilia commentariis juris patrii egere hucusque debuisse, nec provocare valuisse curas & studia interpretum Iuris Germanici peritorum. Qui certe hic non spicilegia, sed ipsam messem antiquitatum legumque Germanicarum colligent, nec hospitia sed ipsa domicilia frequentabunt genuinorum jurium veterum Saxonicorum, quibus laudatissimus codex juris Cimbrici refertissimus est, adeo ut collectionibus omnibus legum Germanicarum Seculi XIII. XIV. & præcipue speculis, Saxonico & Svevico, interpolationibus juris patrii & argutiis jurium peregrinorum mirifice fœdatis, palmam facili opera extorqueat. Sed obloquitur PETR. PARVVS, *Rosæfontanus*, eques Danicus & Professor quondam eloquentiæ Hafnienſis, qui in *refutatione calumniarum Ioannis Magni Gothi in Damos a. 1560.* edita leges Iuticas & Selandicas partim juri *civili* partim juri *Canonico* congruere & ex utroque jure desumtas esse confidenter differit. Quin etiam *D.* PAVLVS CYPRAEVS, ICtus Cimbricus & Consiliarius Ducalis Holsato-Slesvicensis, in Scholis Gallorum & Italorum juris Romani principiis plane imbutus & in academia Aureliana juris utriusque Canonici & Romani Doctor creatus, idem argumentum tractandum explicandumque sibi sumsit *in commentariis ad leges patrias Slesvicenses* hactenus ineditis & ab ipso in Academia Aurelianensi inter musas Romana instituta ubique canentes conscriptis, teste filio ADOLPHO CYPRAEO *in annalibus episcoporum Slesvicensium p. 464.* Et hic quoque ipse patris vestigia audacius premens *c. l. p. 245. p. 404.* collectores codicis juris Cimbrici propterea laudat, *quod in sacris literis non solum versatissimi, verum juris etiam Pontificii &* CAESAREI *peritissimi fuerint, adeoque ex his multa legum capita de verbo ad verbum desumserint.* Sed falsum posterius hoc esse, ipsa lectio *Iuris Iutici*, nullo quippe Iuris Romani principio vel argumento inquinati, oppido manifestat. Facile tamen excusaverim PETRVM PARVVM & utrumque CYPRAEVM, qui indubitate ad ita sentiendum inducti sunt vel a præconibus Iuris Romani vel ab ipsis Iuris Iutici commentatoribus, quorum primi & ultimi juri jutico ubique flosculos juris Romani copiose adsperserunt. Sunt illi præcipue triumviri KANVTVS, PARVVS THVRDO DEGHN & IOACH. BLVTINGIVS, quorum primus sub elogio *Episcopi Viburgensis, venerabilis utriusque juris* DOCTORIS *super jutorum legisterium & Legati Regis Christiani I.* circa annos 1460. & sequentes usque ad a. 1481. inclaruit librumque conscripsit sub titulo *expositionum legum juriumque jutorum, eorumque cum jure* ROMANO *concordantiarum & allegationum, ed. Hafniæ a. 1508.* Alter, qui *Diaconum & Legiferum Daniæ* se nominat, ex eodem juris Romani apparatu compilavit *articulos & correctiones legum juticarum ex consensu* MELIORVM *Regni in parlamento Danorum compositos*, editos Hafniæ a. 1580. Tertius *glossam in codicem juris jutici* edidit, laude promerita haud quidem defraudandam, sed legibus tamen juris Romani non tam respersam quam maculatam. Idem etiam ex *speculo Saxonico* juris cimbrici expositionem frustra conduxit vulgari forte errore subnixus, quod jura *Cimbrica a* WALDEMARO promulgata, originem traxerint ex speculo Saxonico. In qua opinione hærent GOLDASTVS *in collect. consuetud. & Leg. Imp. tit. de speculo sax. in f.* ERICVS MAVRITIVS *in præfat. ad consilia chilonienſia* & ipse HVITFELDIVS qui *c. l.* adstruit: *Omnes Leges collectæ Danicæ magna ex parte originem habent ex jure Saxonico, quod cuivis facile deprehendere licet, qui eas vulgo cum libro Sachsenspiegel contulerit.* Idem repetit BLVTINGIVS *in observationibus de originibus & introductione juris jutici Obs. I.* ubi tamen primum falsum aperte prodit provocans ad HEIGIVM *P. I. quæst. jur. civil. qu. 8.* asserentem, quod jus provinciale Saxonicum a Carolo magno statutum fuerit, speculumque adeo Saxonicum natales suos debeat ævo Carolingico, seculo quippe IX. a. 810. Quod ipsum fabulosissimum dogma, a DVCKIO *de usu & aut. juris Rom. L. II. c. 2.* & a GLOSSATORIBVS *speculi Saxonici* L. III. art. 82. ad nauseam usque recoctum, satis confutatum est & exturbatum a GRYPHIANDRO de Weich-

Testimonium Huitfeldii.

Desiderantur interpretes juris Germanici periti.

Prærogativa juris Cimbrici Romano jure non maculati.

Error Petri parvi jus Rom. pro juris Cimbrici fonte venditantis.

Item Pauli & Adolphi Cypræorum.

Erroris ratio danda est commentatoribus, romani juris peritis, Præcipue Episcopo Kanuto, Parvo Thurdo, Joach. Blütingio.

Error Goldasti, Huitfeldii aliorumque, qui ex speculo Saxonico juris Cimbrici origines trahunt.

Quæ opinio nititur principio fabuloso,

Lubecenſibus (*k*) & in ſpeculo Saxonico (*l*) collectis conſpirent, adeoque in multis argumentis communem fere cum juribus Germanicis parentem & originem domeſticam ſponte prodant. Dabimus & hoc loco unum alterumque exemplum tam ex verbis quam argumentis legum petitum. Quemadmodum enim formulæ in fragmentis Sverinenſis juris obvenientes de *Rheda*, *Rate ſeu gerada*, *de mulcta ſolidorum*, *vulneribus*, *ſucceſſionibus*, *pace domeſtica*, *duplici menſura*, *ſolido pacis ſeu fredo*, *præſcriptione hominum propriorum*, *diſtinctione hæreditatis cognatorum & agnatorum ſeu de ſucceſſione ad fuſum & lanceam* (*m*), *ſeparatione liberorum*, *communi-*

Weichbildis Saxon. c. 37. CONRINGIO, HERTIO, STRVVIO laudatis locis. Iura igitur *antiqua Saxonica* in avitis inſtitutis *legalibus* & *conſvetudinariis Saxonum* domeſticis & genuinis, in rationibus & indole ſtatus civilis Saxonici vetuſti præcipue radicata, hæreditario more a majoribus ad poſteros fideliter & pure propagata, a collectione *Repkoviana* ſeu a SPECVLO *Saxonico* diſcernere omnino debuiſſent HVITFELDIVS & BLVTINGIVS, qui facile reſcire & animadvertere poterant, quod ſpeculum Saxonicum privata tantum autoritate ab EPKONE REPGOVIO nobili Saxone circa vel rectius paulo poſt medium ſeculi XIII. demum compilatum nec vim Legum habeat, nec ipſa antiqua jura Saxonica originaria ſalva & illæſa referat, ſed cum juribus Romanis & adſcititiis aliis argumentis maxime confundat, nec origine & ætate ſua codicem *legum* CIMBRICARVM ſuperet. Si enim vel liberalius computum feceris & REPGOVII *Conſiliarii Comitis Hoieri Falckenſteinenſis* fata & vitæ circumſtantias a HEIGIO *d. l.* BECMANNO *Hiſt. Anhalt. P. III. p. 312. P. VII. cap. 3. p. 356.* HORNIO *præf. ad jus feud. §. 12.* GAERTNERO *præf. ad ſpec. Saxon. §. 4.* LEVBERO *diſcurſu de privilegiis Magdeb. P. II. n. 21. 22.* KETTNERO *antiquit. Quedlinb. p. 216. ad a. 1266.* HOFFMANNO *in ſpecimine conjectur. polit. de originibus LL. Germ. p. 107. ſq.* CONRINGIO, SCHILTERO, STRAVCHIO, LVDOVICO, RINCKIO & SCHREITERO aliisque *de ſpeculo Saxonico* ſcriptoribus large ſuppeditatas in ſelectum & ſummam conferis, id tantum pro ſpeculatore efficies, ut collectionis ipſius natales demum poſt decem a promulgato codice juris Cimbrici annos, probabili ratione circa annum 1250. determinentur. Quid? quod fide annalium cimbricorum nixus haud temere conjectare mihi videar, ſi EPKONEM REPGOVIVM, ſpeculatorem Saxonem dixerim æmulatorem Uſſonis & collectorum codicis juris Cimbrici, quorum quippe juris Germanici & Saxonici operas imitari nonſolum, ſed admixtis ſuæ collectioni variis rebus philoſophicis, hiſtoricis, antiquariis, allotriis, juris canonici & Romani pigmentis & doctrinis præcipue juris publici Germanici, maxime fabuloſis, ſuperare & glorioſe vincere conatus fuit. Quare etiam, ut inſpectio ſpeculi manifeſtat, methodum eandem & ordinem ab *Uſſone* obſervatum ſecutus ipſumque codicem ſuum Saxonicum, uti VFFO codicem Cimbricum, in *tres libros & 242. articulos* univerſim partitus eſt. Ut itaque dicam, quod res eſt, jus *Cimbricum* ſeu *Iutico-Saxonicum* non ex ſpeculo Saxonico, ſed ex ipſis legibus, moribus genuinis & inſtitutis domeſticis veterum Saxonum, Cimbrorum, Guthorum, Friſiorum, Germanorumque aliorum & concivium interpretandum; ſpeculum vero Saxonicum ex adverſo ſed potiori plane jure explicandum, reformandum emendandumque putaverim ex codice juris Cimbrici, utpote ſpeculo antiquioris, vetuſtiſſimorum jurium Saxonicorum curatioris & purioris ſyſtematis, admixtionibus jurium peregrinorum & detorſionibus rerum patriarum non depravati nec vi legis ſcriptæ deſtituti. Dubium tamen non eſt, quin Leges Cimbricæ aliquando ex ſpeculis Saxonico & Svevico, dogmatica ratione illuſtrari poſſint argumentis juris Saxonici & Allemannici a ſpeculatoribus recte poſitis & inſtar teſtimoniorum doctorum juris patrii in ſubſidium adcitandis. Idem forte nobiſcum ſtatuit OTTO SPERLINGIVS, qui teſte MÖLLERO *c. l. p. 273.* ineditum reliquit opuſculum *de hiſtoria juris Danici ab ovo repetita*, *in qua omnia inde jura Saxonica originem ſuam derivare oſtenditur.* Addatur AMTHORIVS *programmate de juribus Sleſvic. & Holſat. edito a. 1711. p. 5.* VOGTIVS *commentat. in leges juticas de homicidio §. 4.*

Omnique deſtituitur hiſtorica ratione.

Speculi Saxonici compilatio recentior eſt codice juris Cimbrici. Repkovius ſpeculator æmulus videtur Uſſonis & Cimbrici juris Codicis.

Quod docent argumenta ſpeculi & ipſius partitio.

Jus Cimbricum explicandum non eſt e ſpeculis.

(*k*) De quarum initiis ſub Henrico Leone, fontibus juris Germanici communis & ſpecialis, progreſſu & codicibus diximus in diſſert. *de Origine & fontibus juris Lubecenſis.*

(*l*) De cujus uſu apud Holſatos nonnulla obſervarunt MAVRITIVS *præf. ad conſ. kilonienſia*: GIESEBERTVS *periculo ſtatut. I. p. 43.* SAM. REYHERVS *in hiſtoria jurium univerſali ed. Kiliæ a. 1711. c. 42. p. 343. ſqq.* HERTIVS *de conſultat. & legibus ſpecial. rerum publicarum german. Tom. I. Opuſcul. p. 429.* WERLHOFIVS *ſpecimine II. juris German. particularis c. 2. p. 187.*

De uſu ſpeculi Saxonici apud Holſatos remiſſive.

(*m*) Obſervante HOFFMANNO *c. l. p. 56.* origo hujus diverſitatis & ipſæ diſtinctiones inter bona

one bonorum, reſignatione judiciali, ipſa maxime vetuſtiſſimorum placitorum Angliorum & Werinorum veſtigia legumque Saxonicarum, Cimbricarum & Lubecenſium argumenta referunt; ita & alia hujus generis adſunt indicia, ex quibus nominaſſe lubet formulas, quæ de *harpatore*, *freſo*, *feminis freſum facientibus & de præſcriptione annali circa bona hæredibus deſtituta* in legibus laudatis Werinorum & Sverinenſium occurrunt. De primo argumento LEGES *Angliorum & Werinorum tit. V. Lege XX.* ita ſtatuunt: *Qui harpatorem, qui cum circulo harpare poteſt, in manum percuſſerit, componat illum quarta parte majori compoſitione, quam alteri ejusdem conditionis homini. Feminas freſum facientes ſimiliter.* Per harpatorem LEIBNITIVS *in notulis ad legem Angliorum T. I. Rer. Brunſvicenſ. p. &.* intelligit muſicum, qui circulo ſeu arcu fides tangit. Sed mallem interpretari lyricum cytharædum qui *harpat* ſeu teſtitudinem, cytharam vel *harpam*, inſtrumentum teſte Diodoro Siculo *lyræ* olim non abſimile, pulſare didicit; cui muſices modulatiſſimæ generi CIMBROS olim ſummopere ſtuduiſſe & pertinaci induſtria totos deditos fuiſſe referunt CYPRAEVS, BIRCHERODIVS, MAIOR *de populis Cimbricis* & alii plures. Quin teſtes ſunt WORMIVS *L. I. monum. Dan. c. 7. p. 84.* & ARNKIELIVS *de ſepulturis veterum Cimbrorum gentilium L. I. c. 23. §. 8. p. 164.* quod Cimbri muſici cum ipſis *citharis* & inſtrumentis muſicis, urnis olim mandati fuerint, ideoque ſæpius citharæ ſeu harpæ in tumulis repertæ ſint. *In Norwegia*, inquit WORMIVS *c. l. prope Hollojen in Mandalenſi territorio non ita pridem duæ effoſſæ* ſunt *urnæ, in quarum altera cineres & oſſium reliquiæ, in altera inſtrumentum muſicum, Danis eine* MVNDHARPE, *ex cupro deaurato nitidiſſimo, ſuo ſplendore omnes in admirationem trahens. Et varia hujus generis in agri Sleſvicenſis tumulis reperta proponit* IO. ADOLPHVS CYPRAEVS *annal. eccleſ. Sleſvic. L. I. c. 2.* Accedit inde nova pro noſtra opinione argumentatio, quod *leges Angliorum* ſint veterum Cimbrorum leges, quorum quippe formulas dicendi, mores & linguam produnt. Etſi enim ſint, qui referente HICKESIO *Grammat. Franco Theotiſca p. 96.* Harpam dictam velint ab Arpis populis Italicis, quos hoc inſtrumentum inveniſſe putant; etſi quoque innuente VOSSIO *de poematum cantu & viribus rhytmi p. 119.* alii hujus inſtrumenti denominationem Bardis Gallorum tribuere ſoleant; minus recte tamen, quin inſulſe hoc fieri judicant CAROLVS DV FRESNE & *doctiſſimi monachi ord. S. Benedicti in gloſſar. ad ſcriptores med. & inf. lat. ed. noviſſ. Tom. III. p. 1066.* appoſite aſſerentes; quod Harpæ vocis *originatio deducenda ſit a veteri* SEPTENTRIONALI *vocabulo*, SAXONICE *ſcripto Herppa*, CIMBRICE *Harpa ſeu cithara.* Idem dixerim de vocabulo *Freſum*, cujus originatio æque Cimbrica eſt & craſſi *lanificii genus* apud Anglo-Saxones & Friſios olim, hodieque apud Cimbros & Britannos *Freſee* vulgo dictum indigitat. Quod

Adjiciuntur exempla de vocabulis harpatoris & Freſum facientium.

Quod utrumque Cimbris peculiare fuit.

Teſtimonium Dufreſnii & Benedictinorum.

bona expeditoria & utenſilia, mobilia & immobilia, primæ debentur Legibus Werinorum & Anglionum.

Quod denominationem ſuam accepit a Freſis Cimbricis, panni hujus laniferi corrugati ſeu freſati inventoribus & nundinatoribus præcipuis, qui ipſum hoc opificium & negotium præcipue feminis lanariis ſeu FRESVM, *frezium vel fimbriam* facientibus (*n*) detulerunt; inter quas olim feminæ *Friſiorum Eidorenſium & inſularium*, præcipue *Femarienſium* eminuerunt & inclaruerunt, adeo ut LAVRENTIVS ADSEN *in ſchedis MSCt. annalium Eyderoſtadenſium* & AVTOR *vetuſti MSCt. Femarienſis* locum dederint opinioni, quod *Femaria* FIMBRIA olim vocata, hoc nomen debeat feminis freſium ſeu FIMBRIAM h. e. pannos & limbos pexatos hodieque faſcias ſeu tibialia pexa & lanaria vendentibus. Quæ tamen conjectura dubia videtur & æque incongrua, quam alia hujus argumenti DVFRESNII *gloſſar. c. l. p. 710.* qui feminas freſum facientes, eas ſaltim mulieres quæ cannabim in aqua madefactam macerant & confringunt, fuiſſe putat vel ideo, quod *freſum* eſſe videatur a *frendere* & idem ac *fractum*, *ſubactum*, *diviſum*. Mallem ipſas origines nominis *Friſiorum* vel *Friſiæ* regionis, utpote paluſtris terræ vallatis foſſis refertæ & munitæ, repetere (*o*) ab infringendo, ſubigendo; neutiquam vero a latino *frendeo*, ſed a Cimbrico *frieſen*, i. e. rumpere, perfodere, unde *Fries* apud Helvetos, Belgas & ipſos Friſios etiam nunc denotat foſſorem, quod ex PICTORII *dictionario Helvetico* notat LEIBNITIVS *in collect. Etym. præf. §. 2. p. 11.* Ad alterum progredimur argumentum de annali hæreditatis deſtitutæ præſcriptione, quod exprimitur in *ſtatutis Sverinenſibus §. 17. Si moritur quis, hæredum præſentia carens, aſſument illam Conſules cauſſa rei ſervandæ usque ad* ANNI *terminum, quo revoluto, ſi nullus hæres venerit, ad manum tranſeat poteſtatis.* Plane convenit hoc ſtatutum de præſcriptione bonorum vacantium cum jure CIMBRICO *Jutico*, quod *L. I. c. XXIII.* rem ita definit: *De dar Erve unde Schuld manen will na enes*

De Freſi inventoribus Cimbris.

Freſi & Friſiæ etymon.

Aliud exemplum de præſcriptione annali bonorum hærede deſtitutorum.

(*n*) Abundavit olim Germania his mulieribus, adeo ut ubique etiam in palatiis Regum *Genecium* ſeu *Peſelium* quoddam exſtiterit, hoc eſt locus, quo mulieres penſa in lanificio & re veſtiaria exequebantur. Cujus moris meminerunt *Leges Allemannicæ & Longobardicæ* in titulis *de ancillis penſilibus in curte Regis.* Et teſtis eſt EGINHARDVS, *quod Carolum M. haud puduerit, filias regales adſveſcere lanificio coloque & fuſo.* Reliquiæ horum gynæceorum ſuperſunt in Cimbria, præcipue Friſia & Ditmarſia, ubi hodieque periſtilium ſeu primus ampliorque ædium locus dici ſolet *Peſel.* Quod vocabulum *Piſile* occurrit in Caroli M. breviario rerum fiſcalium apud LEIBNITIVM *in collect. etymol. P. II. p. 325.* & in charta de a. 803. apud VGHELLVM *in Italia ſacra*, *citatum* ab ABBATE GOTWICENSI *L. III. chron. p. 450.* qui ita: *Per piſilia hic intelliguntur triclinia, theotiſce Stuben, quamvis nonnunquam hoc vocabulum pro* VESTIARIO *acceptum fuerit. Acta murenſis monaſterii p. 9. ajunt: Cœpit inde vir venerabilis cellam conſtruere, ædificavitque primum dormitorium, ſubtus autem* piſalem. *Denotat alias gynæceum ſicut pluribus teſtimoniis firmat Cangius verbo gynæcium, voce a vocabulo* penſili *formata, quod in tali loco* penſa *mulieres alibi trahant;* pitel *hodie Zelandis veſtiarium, Friſiis autem culinam denotat.*

De Genecio & Peſelio Germanorum veterum, Cimbrorumque & Ditmarſorum.

(*o*) Non deſunt tamen, qui Friſiæ vocis natales e Phrygia arceſſere geſtiunt, & utramque terram perinde ac Thraciam & Britanniam a *frigore* denominatam fuiſſe arbitrantur; quos doctiſſimus SKINNERVS *in Lexic. Angl.* confutavit. Nec audiendi ſunt, qui *Friſios* a libertate, Anglo-Saxonice *Freſt*, vocatos gloriantur; conſtat enim quod libertatem demum Carolingico ævo adepti & tenaciter deinde quidem tuiti, ſed jam ipſo Auguſti Cæſaris ætate *Freſi* vocati fuerint, docente *Ant.* HEIMRICHIO *in Chron. Friſ. Sept. L. I. c. 1. p. 4.* ubi tamen vel a principe *Freſone* vel a *Mari* Freſiam terram tanquam *Mersland*, corrupte *Wresland*, nuncupatam eſſe ſatis temere ariolatur.

Opinio aliorum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

enes Mannes Tode, de kame edder ſin Vulmachtiger up den 30. Dach, ſo fern ſe binnen de Stadt ſin; is he buten de Stadt, ſo ſtah dat 6. Wecken; is he buten den Lande, ſo ſtaht idt jamling IAHR *und* TAG: quo adjecto die ſine dubio indigitatur *dies Saxonicus*, tres complexus citationes legales, quarum quævis rejecta olim eſt in diem decimum quartum, ut igitur computatis tribus diebus, quibus citatum in foro vadimonium ſiſtere oportuit, dies Saxonicus conficiat ſex hebdomades & tres dies; quod LVDEWIGIVS *in Opuſculis & Tom. VII. Reliquiar. p. 418. not. 109.* GVNDLINGIVS *in Obſervationibus* haud una ratione *illuſtrarunt*, & LVNIGIVS *parte ſp. archivi Imperii Cent. IV. P. I. p. 220. 443. P. II. p. 120. 639.* diplomatibus ſeculi XII. ſtabilivit. Quibus accedit concentus jurium antiquorum *Saxonici L. II. art. 19. Weichbildici art. 21. Anglicani ap.* COWELLVM *Inſt. Jur. Anglic. L. II. tit. 6. p. 87. Normannici* apud de LVDEWIG *reliquiarum MSCt. T. VII. p. 187. 417.* Clare *jus Cimbricum* hoc præſcriptionis annalis argumentum proſequitur *c. l. Syn dann nene rechte Erven beth in dem 7. Lede, ſo mag man dat Erve anleggen unde warderen un laten idt ſtahn Jahr unde Tag; kamen under des de rechten Erven nicht, de* KONING *nimmt dat Erve und lat idt bewaren; kamen överſt nene, behold de Konig dat God* IAMLING *efte* IAHR *und Dag, is ene ummeghande Jahr unde* 6. WECKEN. Eodem jure hæc præſcriptio recepta eſt in cauſis *der hilligen Brüche*, hoc eſt *violationis feſtorum*, ſi quis dies feſtos profanaverit inferendo alicui vim, damnum, injuriam; uti ſtatutum eſt *L. I. cap. L. Lib. II. cap. LXXX. ſeq. cap. LXXXV.* ubi ita: *Hillige Bräkes-Sake ſtahn nicht baven Jahr und Dach.* Quo annali tempore etiam actiones propter *homicidium, rapinam, debilitationem membrorum, vulnerationem & Mannbot* ſeu *Werigeldum* præſcribi dicuntur *c. l. L. II. c. 9. 89. L. III. c. 21. 27.* Egregie cum jure Sverinenſi & Cimbrico conſpirant jura & immunitates, quas *Henricus Leo Dux Saxoniæ & Bavariæ*, Wisbyenſibus & Gutenſibus ſeu incolis totius inſulæ Gothlandiæ conceſſit anno MCLXIII. luculento diplomate, quod LAMBECIVS *L. II. rer. Hamb. p. 79. exhibuit* ibique *n. 251: Si quis vero Iuthenſium in quacunque civitate noſtra mortuus fuerit, bona ſua hæres vel cognatus ejus, ſi forte præſens eſt, recipiat & in pace fruatur; ſin autem bona illa in eadem poſſeſſione, qua ille obierit,* ANNVM & DIEM *in diſtrictu reſerventur; ſi vero nullus infra tempus denominatum, bona iſta* requiſiverit *Judex civitatis ea recipiat.* Nec dubium eſt, quin HENRICVS LEO, qui circa a. 1158. & ſequentes annos Lubecenſibus jura municipalia elargiri cœperat, ipſa hæc præſcriptionis annalis jura civitati Lubecæ æque conceſſerit, id quod tum ex ratione hujus Legis, tum ex vetuſtis codicibus juris Lubecani & ex Friderici I. Imperatoris diplomate confirmationis privilegiorum Lubecæ civitatis manifeſtum eſt. Ratio legis (*p*) attempera-

Convenientia juris Cimbrici.

Quo dicitur præſcriptio binnen jamling h. e. intra annum & diem Saxonicum.

Convenientia juris Wisbyenſis & Guthenſium a. 1163.

Juris Lubecenſis a. 1158. 1162.

(*p*) Quam recte perſpiciunt HERTIVS in *not. ad Puffendorff. L. IV. c. 12. c. 5.* & 10. SAMSTRYCK *diſſ. de præſcriptione rerum per mare allatarum p. 13.*

perata fuit indoli civitatum mercatoriarum, quæ finem omnem collocant in flore & libertate commerciorum, quarumque ideo maxime intereſt, ne dominia rerum negotia & contractus periculo, incertitudini, ambiguo eventui, futuris litigiis, reſciſſioni, evictioni, vel intervallis temporum exponantur, ſed brevi tempore omnia certa fiant, citoque negotia ſecura reddantur ac determinentur. Teſtis eſt HELMOLDVS *Chron. Slav. L. I. c. 35. ad a. 1158. Tandem victus Comes Holſatiæ Adolphus fecit, quod neceſſitas imperavit, & reſignavit Henrico Leoni caſtrum & inſulam Lubeke, & tunc jubente Duce reverſi ſunt mercatores* (quibus Henricus Leo a. 1151. commercium cum Lubeca inhibuerat) *cum gaudio deſertis incommoditatibus novæ civitatis & cæperunt reædificare eccleſias & mœnia civitatis, & transmiſit Dux nuncios ad civitates & regna aquilonis* DANIAM, SWEDIAM, NORWEGIAM, RVSSIAM *offerens eis pacem, ut haberent liberum commeatum adeundi civitatem ſuam Lubeke, & ſtatuit illic monetam, telonium &* IVRA CIVITATIS HONESTISSIMA, *a quo tempore proſperatum eſt opus civitatis & multiplicatus eſt numerus accolarum ejus.* Cum igitur Henricus Leo civitati Lubecæ in commodum mercaturæ & commercii honeſtiſſimas leges præſcripſerit, dubium non eſt, quin in eundem finem præſcriptionis terminos temperaverit volueritque eosdem contractiores. Comprobant hanc ſententiam vetuſti *codices juris Lubecenſis membranacei*, præcipue OLDENBVRGENSIS ſub auſpiciis *Adolphi IV. Comitis ſcriptus a. 1238.* TVNDERENSIS *de a. 1243.* KILONIENSIS *de a. 1315. juſſu Comitum Gerardi & Joannis conſignatus*, & ſupra laudatus *Codex de a. 1337.* qui omnes in hoc præſcriptionis argumento conveniunt & quorum forte pleraque argumenta repetita ſunt in codicibus aliis antiquis (*q*). Accedit diploma Friderici I. de a. 1188. apud LVNIGIVM *archivi Imp. P. Spec. cont. 4. P. I. p. 1230.* quod omne, ſi quod eſt dubiolum, ſtatim eximit. Meminit enim diſerte juris jam tum conſtituti Lubecenſis, ejusque intra civitatem emendationis, quam civibus ſpeciatim ita præcipit, ut, *quicquid intra civitatem ſui juris poſtea emendare voluerint, emendare non obmittant*; cujus ipſius argumenti fidus interpres eſt ARNOLDVS *L. II. Chron. Slav. c. 35. Priusquam*, inquiens, *Friderico I. civitatem aperuiſſent exierunt ad eum rogantes ut libertatem civitatis, quam a Duce* HENRICO LEONE *prius traditam habuerant, obtinerent, &* IVSTITIAS, *quas in* PRIVILEGIIS SCRIPTAS HABEBANT, *ſecundum jura Suſatiæ & terminos, quos in ſilvis, paſcuis, fluviis poſſederant, ipſius autoritate poſſiderent: Imperator vero annuit eorum petitioni.* Ipſe vero Fridericus Imperator in citato diplomate hæreditatibus vacanti-

1238. 1315. 1337.

Argumentum diplomatis Friderici I. de a. 1188.

(*q*) Inter quos ſunt codex de a. 1235. laudatus a MELLENIO *in der Nachricht von Lübeck p. 248.* & codex membranaceus, quem Wetta Lubecenſis aſſervat, ceterique laudati ab VFFENBACHIO *Biblioth. MSC. Part. IV. col. 79.* PETRO FRID. ARPIO *in feriis æſtival. p. 286. &* HOFFMANNO *progr. de antiquo juris Lubecenſis codice*, diſſertationi NICOLAI RVMPFII *de inſignioribus defectibus jurisprudentiæ Germanicæ criminalis* præmiſſo.

Juris Lubecenſis codices veteres.

tibus annale tempus præſcriptionis præfinivit luculentiſſimis verbis, quæ ſequuntur: *Si quisquam mortuus ibi fuerit & forte hæredem non habuerit*, OMNEM *hæreditatem & ſuppellectilem ipſius* ANNVM & DIEM *integraliter in domo, in qua moritur, reſervandum cenſuimus, niſi forte aliquis ei proximus intra tempus denunciatum adveniat, qui hæc jure civitatis obtineat; ſi vero intra tempus illud nemo proximorum venerit, quæcunque* (tam mobilia, quam immobilia) *hæreditavit* REGIAE *poteſtati ſolvantur.* Quo jure fiſci, olim regio & principali, deinde ad Magiſtratum civitatis delato, etiamnunc Lubeca utitur juxta ſtatuta hodierna *L. II. tit. 1. art. 9. tit. 2. art. 14.* *Stirbet jemand ohne kundige Erben, ſein nachgelaſſen Guth ſoll man dem Rath überantworten zu bewahren Jahr und Tag* (r); *würde ſich aber binnen Jahr und Tag niemand angeben, noch eine Recht dazu zeugen laſſen, ſo iſt das Erb-Guth dem Rathe heimgefallen.* Idem annale tempus jure LVBECENSI *L. I. tit. 3. a. 3. L. III. tit. 6. a. 3. L. I. t. 8. a. 1. 2. tit. 5. art. 2. L. V. t. 6. art. 1.* præſcriptum eſt vindicationi hominum propriorum, bonorum mobilium & immobilium eorumque evictioni, juri agendi contra ædificantes, juri exigendi promiſſam dotem, ut & impugnandi negotia in librum publicum ſeu protocollum curiale relata; quos caſus omnes explicuit & cum principiis juris Romani, a quibus prorſus differunt, ſtudioſe contulit HEINECCIVS *diſſ. de præſcript. annali juris Lubec. a jure Romano diverſa.*

Conſenſus Juris Suſatenſis,

Conſonant in hoc argumento plurium Germanorum leges præcipue veteres, quibus & Lubecenſes partem juſtitiæ debent, SVSATENSES *in membranis conſcriptæ Sec. XII. art. 51. 52. ſeqq.* SAXONICAE *provinciales ſeu ſpec. Sax. L. I. art. c. 7.* ALEMANNICAE *in ſpec. Svev. c. 258.* MAGDEBVRGICAE *Weichbild. art. LIX.* cum quibus amico vinculo cohærent *leges* LVNEBVRGENSES *antiquæ* apud LEIBNITIVM *T. III. ſcript. R. B. p. 754.* ibique:

Saxonici, Svevici, Magdeburgici, Luneburgici,

Heft he unſe Börger nene Erven, de ſine Herwede ſcholen uphewen, ſo ſcölen ſick de Radmanne unterwinden mit Urkunde des Vagedes &c. unde ſchal idt holden Jahr unde Dach; kummt binnen der Tydt nen ſiner Erven, ſo ſcölen de dwe dele to de Stadt

Bremenſis,

buwe, de drüdde Deel dem Vagt; *item* jura ſingularia *civitatis* BREMAE a Friderico I. a. 1186. ſtabilita, apud LVNIGIVM *P. ſpec. arch. Imp. cont. IV. p. 220. ut & civitatis* STADAE *ab Ottone IV. conceſſa a. 1209.* apud MVSHARDVM *in memoriis nobilium ducat. Bremenſ. & Verd. p. 155.* ubi ita: *Si quis in civitate in ſua Wickbeld mortuus fuerit ſuum Herwede ſub judiciaria poteſtate per annum & diem permaneat ſub exceptione legitimi hæredis.* Quibus ex

Hamelenſis,

ERNESTI Ducis Brunſvicenſis tabulis privilegiorum Hamelenſium *de a. 1335.* apud de LVDEWIG *T. X. reliqu. MSCt. L. I. n. 4. p. 26.* accedit civitatis *Hamelæ* conſtitutio: *Ut, ſi aliquis hoſpes moriatur in civitate ſine hæredibus, judex debeat bona illius occupare in hoſpitio, in quo moritur, anno* ET SEX *ſeptimanis & ſi medio tempore nullus verus hæres talia bona cum jure ſuo expetet* IVDEX *bona hujusmodi obtineat.* Quemadmodum vero plurium gentium, utut a Ger-

Computatio diei Saxonici & Lubecenſis.

(r) Qui tamen in praxi Lubecenſi hodierna non eſt Saxonicus & civilis, ſed naturalis & communis, ſpatium XXIV. horarum. MEVIVS *ad cit. locum.*

a Germanorum ſedibus nunc divulſarum & extra Germaniam agentium conſuetudines & leges, ob eandem vel æqualem cum Germanis proſapiam, avitum conſortium rerumque communem ſtatum cum juribus Germanorum hodieque in præcipuis argumentis & rationibus communi quaſi concentu conſpirant & ad declarandam curatius, ſupplendam ornandamque & illuminandam Jurisprudentiam Germanicam egregie conducunt; ita etiam huic momento lucem afferunt *leges Britannorum* ANGLO-SAXONICAE ex genuinis inſtitutis & moribus CIMBRORVM VETERVMQVE SAXONVM præcipue conductæ, teſte SHERINGHAMIO *de Anglorum gent. origine L. II.* SPELMANNO *in gloſſar. archæologico p. 358.* & docentibus COWELLO in *juris Angl. inſtitutionibus c. l.* THOMA *de* LITLETON *in inſtitutionibus leg. Angl. cum* EDW. COKII *commentario editis a. 1628. f. 316.* Cum quibus harmonica ſunt placita & jura NORMANNORVM, qui CIMBRIS & ANGLO-SAXONIBVS vicini & conjuncti olim fuerunt, deinde vero in Galliam & Angliam irruentes, plures Germanorum conſuetudines & Saxonicas antiquas Leges ibi intulerunt ac propagarunt; quod copioſe docet collatio legum Normannicarum inque eas commentatio JCti longe meritiſſimi IO. PETRI de LVDEWIG *T. VII.* RELIQV. MSCT. *c. l.* Taceo leges, HISPANICAS, inſtitutis *Allemannorum & Wiſigothorum* inprimis refertas, nec in argumento præſcriptionis a Germanorum Gothorumque rationibus & inſtitutis plane diſſonas. Videamus ſaltim conſenſum legum WESTROGOTHICARVM *in Sveonia*, quas e Gothico in latinum convertit IO. LOCCENIVS, notulis & animadverſionibus illuſtravit CAROLVS LVNDIVS ediditque OLAVS RVDBECKIVS *tit. de jure hæreditario cap. XIV. Si vir Anglicus in hoc regno moriatur, nec ejus propinquus adſit, ad* ANNVM *usque ſtabit ejus hæreditas; ſi ne tunc quidem advenerit ejus hæres,* REX EIVS *hæreditatem capiat &* EPISCOPVS, *ſi ſit ſacerdos.* Addimus SVECIAE *leges provinciales ed. a* LOCCENIO *tit. III. C. XXIII. p. 46. Si vir moriatur, qui non habet hæredes intra regnum, ſi adveniat verus hæres, intra* NOCTEM & ANNVM *cum plenis documentis, quod defuncti legitimus hæres ſit, ille defuncto ſuccedat in bonis; ſi non ad dictum tempus accedat,* REGIO FISCO *cedant ejus bona ſive immobilia ſive mobilia non jure donata & hoc Lex vocat* DANAARFF: *Si ignoretur hæres, nec de eo certi quid afferatur, aut ipſe intra* NOCTEM *& annum non accedat, dimidium* REX *hæreditet & alterum pro anima ejus det.* Quæ iisdem fere verbis repetuntur *in legibus* SVECIAE *civitatum* ab eodem *editis tit. 3. c. 18. de vacante hæreditate p. 35.* Quibus legibus annalis præſcriptio etiam in caſibus hæreditatis petitionis, rerum amiſſarum & ab inventore coram viatoribus vel parœcianis in judicio publicatarum, bonorum in littus ejectorum, *Strand-Güter*, quin & in crimine homicidii ſtatuta & præfinita legitur *tit. III. c. 12. XV. c. 11. LL. provinc. tit. X. c. 24. tit. XIV. c. 36.* Ex qua tamen juris Svecici cum jure Germanico præcipue *Cimbrico & Lubecenſi* harmonia

Concentus gentium in Germania natarum; ſed extra Germaniam degentium.

Anglorum,

Normannorum,

Weſtrogothorum,

Svecorum.

neutiquam concludendum eſt, quod jurium horum origines repetendæ ſint a jure Sveo-Gothico, qua tamen conſecutione uti allubuit CHRISTIANO NETTELBLADT *in nova de fontibus jur. Lubecenſ. conjectura c. 3. §. 8.* Cujus & alterum a commerciis Lubecenſium cum Wisbyenſibus & Svecis petitum argumentum rem neutiquam conficit. Conſtat enim & ſupra ſtabilitum eſt, quod ſub Henrici Leonis auſpiciis Lubeca non ſolum iisdem immunitatibus & mercaturæ privilegiis, quibus Wisbya, inſula Gothlandiæ, gaviſa eſt (*s*), inſtructa fuerit; ſed etiam ipſe Dux in promovenda præcipue Lubecæ (*t*) civitatis commercii commoda animum totum defixerit tanto adeo ſucceſſu, ut Sveci & ſeptentrionales populi reliqui ad portum Lubecæ frequentiſſime adpulerint; dubiumque omnino ſit, utrum Dani (*u*) an *Sveci* in emporio Lubecenſium, an hi apud *Danos*, an apud *Guthenſes* & *Svecos* frequentius commercium exercuerint. Quod ultimum quidem ex MESSENIO & ERICO *Upſalienſi* laudatus autor haud feliciter defendit, cum contrarium pronius conſequi facile videatur; præcipue cum Lubecenſes maluerint bella ſæpius Svecis indicere, quam eorum commerciis frui. Ut taceam, quod de coloniis Wisbyenſium ad Lubecenſes & inprimis Wiſmarienſes commercii cauſa deductis annales ſeculi XI. & XII. commemorant; quorum fide & hoc conſtat, quod vergente ad finem ſeculo XIII. decantata Wisbya fata ſua & decrementa acerbe adeo paſſa ſit, ut libertas & flos negotii ibidem fere exaruerit exſpiraveritque. Quibus & hoc accedit, quod Wisbyenſibus Gothlandis & Svecis non tantum cum Lubecenſibus & Germanis populis hujus oræ & regionis; ſed cum aliis itidem maris balthici accolis & plerisque gentibus, præcipue cum Ruſſis, Polonis, Belgis, Danis, Anglis, Gallis, Hiſpanis & Græcis negotia interceſſerint, docentibus ex inſtituto CAROLO LVNDIO & OLAO BENZELIO *diſput. de Sveonum cum gentibus Europæis ſecundum leges & pacta commerciis cap. II. membro 2. 3. 5. 6 - 10.* Quorum tamen populorum jura & Legum origines nemo unquam Nomotheſiæ Svecorum vindicavit, nec ex Svecia tanquam ex Legum officina omniumque rerum matrice, uti Rudbeckius omnes gentes ex Atlantica & Manheimio, educere hactenus auſus fuit. Quod Lubecam attinet, certe ex annalibus Cimbricis, Danicis & Vandalicis op-

Sed propterea Legum Germ. origines repetendæ non ſunt e Sveogothia. Rationes hiſtoricæ.

Argumenta alia ex Benzelio.

Lubeca privilegiis mercaturæ inſtructa. Præcipue ab Henrico Leone evecta.

(*s*) Ex Henrici Leonis conceſſione & confirmatione immunitatum ab ipſius avo Lothario imperatore Gutenſibus conceſſarum. Quod docent verba diplomatis apud LAMBECIVM *c. l. p. 78.* & *præfatio legum Wisbyenſium* apud LEIBNITIVM *T. III. ſcript. Brunſvic. p. 750.*

(*t*) Quod indicant diplomatis ultima verba *d. l. Nos quoque &* terram *noſtram arctius diligant & portum* noſtrum in Lubeke *diligentius frequentent.* In eundem finem Comites Holſatiæ Iohannes & Gerhardus I. Wisbyenſibus immunitates largiti ſunt a. 1255. Verba diplomatis hæc ſunt: *Cives tam in oppido Wisby, quam in ipſa terra Godlandiæ manentes, noſtrique diſtrictus terminos cujuscunque negotii cauſa transeuntes, tam in eorum tranſitu quam reditu cum omnibus mercimoniis & bonis ſuis in noſtram recipimus protectionem, conductus noſtri ſecuritatem eisdem plenius conferentes, talemque gratiam ac libertatem ipſis concedentes, ut iidem omni jure, quo dilecti patris noſtri ſuorumque prædeceſſorum tempore feliciter uſi ſunt, ſicut illuſtris Hinrici Ducis Brunſvicenſis felicis memoriæ privilegia civibus dictis ſuper eadem libertate collata continent, perpetuo libere perfruantur.*

Lubeca Sec. XIII. a Danis occupata.

(*u*) Qui initio ſeculi XIII. ipſam Lubecam occuparunt & diutius res Lubecenſes geſſerunt teſte ARNOLDO *Chron. Slav. p. 466.* & *Chron. Slavica* apud LINDENBROGIVM *in ſcript. rerum ſeptentr. p. 205.*

oppido teſtatiſſimum eſt, quod Lubecenſium negotia ſeculo XI. XII. XIII. cum Cimbris, Jutis & Danis, Saxonibus, Suſatenſibus, Wagriis & populis Slavis atque Vandalis omnium frequentiſſima fuerint, quin ex ruinis vicinarum civitatum mercaturæ flore olim eminentium, *Sleſvici* præcipue, *Bardovici*, *Oldenburgi & Mecklenburgi*, Lubeca ipſa, emporii inſtar, ſenſim efflоruerit & incrementa ceperit invidenda. Si vero etiam largiamur, quod a Wisbyenſibus & Svecis, Lubecenſes æque ac aliarum regionum mercatores (*v*), aliquid forte juris didicerint vel in uſus ſuos converterint, ſane id circulos rei nauticæ (*w*) & cambialis haud egreſſum eſt, ideoque & in tam multiplici Lubecenſium cum aliis gentibus commercio, ad prærogativam quandam Sveo-Gothorum haud referendum, multoque minus trahendum eſt ad inſtituta & jura civilia, forenſia & ſtatutaria alia Lubecenſium. Quæ quippe in ipſa republica nata indoli rerum ad civitates pertinentium vel propria & domeſtica, vel cum moribus majorum communia, & inprimis congrua fuerunt inſtitutis Germanorum vicinorum & concivium, utpote legibus celebratiſſimis Saxonum, Cimbrorum, Angliorum, Werinorum aliarumque gentium teutonicarum, ex quarum rationibus, cum conſuetudinariis tum legalibus, Lubecenſis juris origines repetendas eſſe, ex hiſtoria & collatione legum Germanicarum rerumque innumeris exemplis ſponte eluceſcit. Quodſi vero inter illa reperiantur non pauca, cum Legibus & moribus Svecorum conſona (*x*); hæc tamen propterea natales ſuos Svecis eorumque legibus debere haud meliori jure dixeris, quam quo origines linguæ Germanicæ vindicaveris Gothis & Sveonibus ideo, quod multæ Germanorum voces in gloſſariis Svecorum inveniantur cum horum idiomate verborumque ſignificatu appoſite conſonantes. Sicuti enim hunc concentum lingua Theotiſca non cum Svecana tantum, ſed cum omnibus ſeptentrionalibus & fere Europæis communem ſervat (*y*); ita etiam Lubecenſium jura ob convenientiam cum Svecano, origines ſuas non Svecis eorumque Themidi, ſed majoribus & communi gentium *Germanicarum* juri, conſvetudini, ſtatui, morumque rationibus acceptas referunt; inter quas forte haud temere primas partes detulerim *Cimbris*, *Danis & Saxonibus*, ita ut, ſi ex quo alio, certe ex jure veteri *Saxonico*, legibus *Anglo-Saxonicis* & jure *Jutico*, jus Lubecanum genuina & innata ratione ſæpius explica-

Et ab indole commerciorum petita.

Item ab originibus juris Lubecenſis germanicis & fontibus præcipuis.

Et convenientia juris Lubecenſis cum inſtitutis germanorum communibus.

(*v*) De Anglis & Batavis egit ANDR. LANGE *notit. legum naut. p. 66. 89.* GROTIVS *in Florum ſparſione ad inſtit. p. 117.* Quin etiam a Lubecenſibus eorumque juribus multa repetiiſſe ſuaque ipſa feciſſe Livonos, Poruſſos, Rigenſes ipſa teſtatur hiſtoria commercii & ſtatutorum lectio.

Lubecenſium jura nautica ab aliis adoptata.

(*w*) Quod docet inſpectio veterum codicum juris Lubecenſis & collatio Libri VI. ſtatutorum Lubecenſium de jure maritimo agentis cum jure Wisbyenſi, apud IO. HADORPHIVM, MARQVARDVM, ut & LEIBNITIVM *d. l. T. III. p. 750.*

(*x*) IO. IOACH. RANGO *de concordantia juris Lubecenſ. & Svecani, diſſertatio epiſtolica ad D. Wincklerum, de Bylanginibus Lubecenſium.*

(*y*) Quod HICKESIVS, STEPH. SKINNERVS, OLAVS BORRICHIVS & plures enucleatius docuerunt.

ri ornarique & illuſtrari exiſtimaverim. Nec ſolus ego nec primus contra NETTELBLADTII novam illam conjecturam de *fontibus* juris Lubecenſis *Svecanis*, nonnihil moneo; fecerunt id pridem Duumviri HOFFMANNVS *programm. de juris Lubecenſis antiquo codice p. 7.* & HEINECCIVS *in hiſtoria juris Romani & Germanici p. 493.* ubi ita: *Cum pleraque communia habeant Gothicæ & Germanicæ leges, dicere malim, utramque gentem talia a majoribus accepiſſe, ut non opus ſit fingere, Lubecenſes jus ſuum ex ſeptentrione petiiſſe, de quo plane ſilent annales; nec magis verum eſt, eſſe jus Lubecenſe jus Slavicum vel Venedicum; Suſato enim cum Venedis nihil unquam commune fuit.* Cui & contra jus Slavicum diſputationi plane aſſentior, utut celeberrimi viri GRYPHIANDER (z), COCCEIVS (*a*), THOMASIVS (*b*) & ARPIVS (*bb*) huic errori patrocinium tulerint, adeoque jus Lubecenſe, quod eſt Vandalicum ſeu Germanicum, cum Sarmatico ſeu Venedico confuderint coëgerintque in conſortium. Certum eſt, Venedos æque ac reliquas omnes gentes, Legibus ſuis vixiſſe & conſvetudinibus quas *Slavicas* nominatim annales (*c*) appellant: ſed aberrationibus manifeſtis proxime accedit opinio, quod Leges Slavis propriæ a Germanis populis vita & moribus a Slavica gente nullo non tempore diſtinctis (*d*) nec unquam oppreſſis (*e*) in uſum receptæ vel relatæ fuerint in ſtatuta civium Lubecenſium. Ipſo enim ævo, quo jus Lubecenſe lineamenta ſua & origines ab Henrico Leone adeptum eſt, Slavica gens borealis ab ipſo & ab Alberto Urſo devicta, depulſa & cum ipſis legibus & moribus paganis ſtatui civili & ſacro Germanorum nec antea accommodatis tota fere exturbata, certe attenuata & repudiata fuit, ut numeroſa etiam concio Saxonum, Weſtphalorum, Suſatenſium & Fran-

Conſenſus Hoffmanni & Heineccii.

An juri Slavico locus?

Negatur rationibus hiſtoricis.

(z) GRYPHIANDER *de Weichbildis c. 80.*

(*a*) *Iurisprud. publica c. 3. §. 59.*

(*b*) *In notis ad Monzambanum p. 415. & ad Kulpiſium p. 22.*

(*bb*) *In feriis æſtivalibus p. 285.*

De Legibus & moribus Slavicis. Teſtimonia Scriptorum.

(*c*) Annales Francorum apud Pithœum ad a. 894. *Barbari vero pro pace obſides ſe daturos per Legatos promittunt ad Trachulfum directos, cui præ ceteris credebant quaſi ſcienti* LEGES & CONSVETVDINES *gentis* SLAVICAE. Cujus juris Slavici mentionem quoque injiciunt *Speculator Saxo L. III. art. 64.* HELMOLDVS *Chron. Slav. L. I. c. 82. L. II. c. 12.* Plura de legibus Slavorum vide apud DANCKWERTH. *in chorograph. Holſat. P. III. c. 5. p. 199.* & HOFFMANNVM *ſpecim. conjecturarum politic. c. 2. periodo 3. ſect. 9. p. 69.* Ut igitur minus recte *in Diſcurſu Gundlingiano ad Cocceji jurisprud. publ. c. 3. §. 59. p. 108.* dicatur: *Slavos deſtitutos fuiſſe legibus peculiaribus ſeu propriis.*

Teutones ſeu Vandali a Slavis diſtincti. Nec oppreſſi.

(*d*) Quod docent abunde diplomata Mecklenburgica, in quibus *Teutones* & *Slavi* invicem ſibi opponuntur & jura Teutonica & Slavica ſæpiſſime diſtingvuntur.

(*e*) Sed in alia omnia ivit D. CHRISTIANVS NETTELBLADT *in nova conjectura de font. Iur. Lub. c. 3. p. 32.* ibique: *Vandali diu ante Lubecam conditam has oras reliquerant; paucos autem illos, qui remanſerant, a Venedis oppreſſos fuiſſe notum eſt, qui & ipſi non multo poſt Lubecam conditam a Saxonibus funditus deleti fuerunt.* Ut ut vero conſultiſſimus autor Slavorum gentem ſeculo XII. exſtirpatam fateatur, nihilominus tamen eodem loco §. 9. probavit opinionem eorum, qui juris Lubecenſis originem etiam ex Venedorum moribus repetendam eſſe cenſent. Sed ex adverſo haud tolerandam eſſe judicat eorum ſententiam, qui originibus juris Lubecenſis inferunt Leges Vandalorum. Opponit enim *Vandalis* rationem: *quia ante Lubecam conditam a Venedis fuerunt oppreſſi.* At forte eodem jure plerique hanc ipſam rationem & *Slavis* opponendam eſſe dixerint, utpote qui Seculo XII. ante Lubecam ab Henrico Leone inſtauratam & conditam, certe ante originem ipſius juris Lubecenſis a Germanis plane devicti, eliminati, quin moribus, nomine, & memoria ipſa odioſi, macula notati & ſatente ipſo *Nettelbladtio* funditus deleti fuerunt.

Deleti vero ſunt Slavi in Vandalia Seculo XII.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

& Francorum ab Henrico Leone evocata, eorum loco in Megapolim, præcipuasque ejus civitates Lubecam, Wismariam & Sverinum deducta fuerit. Quam rerum conversionem HELMOLDVS *L. I. c. 5.* aperte descripsit prodiditque his verbis: *Ita Henrici Leonis expeditionibus & coloniis adductis provincia Slavorum devastata fuit, ut, qui remanserint Slavi, propter penuriam & agrorum desolationem tanta inedia confecti fuerint, ut congregatim ad Pomeranos & Danos confugere coacti sint, qui tamen nihil miserantes illos vendiderunt Polonis, Sorabis, Bohemis.* Inde factum est, quod Slavorum gloria & nomen ipso seculo XII. abierit in opprobrium & invectivam, adeo ut Slavi nunc dicti fuerint mancipia, servi, smurdi (*f*), ju-

Et argumentis ab odio & ejectione Slavorum Sec. XII.

(*f*) Obscurum hoc nomen esse nec ab ullo eorum, qui glossaria latinitatis infimæ condiderunt, memoratum, notat POTGIESSERVS *commentar. de statu servorum L. I. c. 4. p. 298.* Qui vocis solius sono rem divinare putant, illi vel cum SCHILTERO *in praxi juris Rom. exerc. III.* ad *Sorabos* Venedos a Germanis in servitutem redactos, vel ad *Svardos Slavos*, *Svardones* & *Sworbos* dilabuntur cum TENTZELIO *in colloquiis menstr. a. 1693. p. 87.* qui inde repetit formulam Thuringis hodieque usitatam: *der arme Schwardte* i. e. servilis homo, pauper, miserellus. Sed hæc nondum originem & etymon nominis eruunt conficiuntque, quod in chronicis uno eodemque significatu varie scribitur, nunc *Zmurdus*, *Schmurdus*, *Svardus*, *Sworbus*, teste PAVLINO *in hist. Isenacensi §. 65.* Svardones vero, populi quippe Germanici, male huc trahuntur, qui putante WACHTERO *glossar. p. 1335.* a longis gladiis dicti sunt, vel cum Warinis & Waris populis coincidunt, unde etiam Obotritæ cum Warinis aliquando expeditionibus conjuncti, *Wari* vocantur a DITMARO *Merseb. L. VIII. ad a. 1018. p. 106.* Nuper ANCHERSENIVS *in observationibus de solduriis* ab Islandica voce *Schmürtt*, diminutione, nomen explicuit. Sed non est, ut ex Islandia, famosissima *Thule* insula, originem vocis revocemus; sufficit enim ipsa Slavonica vox *Zmurt*, quæ idem significat ac contemtum, abjectum, mortuum, docente FRISCHIO *in Miscellaneis Berolinens. T. IV. p. 190.* Et videtur hoc vocabulum oppositum primo laudatissimo nomini *Slavorum*, quod plures cum MICHOVIO *Sarmat. Europ. L. I. c. 2.* BOHVSLAO BALBINO *epit. rerum Bohem. L. I. c. 10.* PRAETORIO *orb. goth. L. II. c. 1.* arcessere volunt a Sarmatica voce *Slavo*, gloria, glorioso. Cum quo etymo & reliqua Slavicarum gentium nomina *Venedorum* & *Antarum* coincidunt, ut alibi exposuimus. In chartis Seculi XII. & XIII. megapolensibus observavimus aliquando formulam *vendere vel donare Smurdos cum mansis, cum jugeribus, agris.* Unde patet, illos fuisse glebæ adscriptos & conditione serviles, instar hominum abjectorum & propriorum. Quod idem ex chartis Seculi XI. XII. & XIII. docte ostendunt POTGIESSERVS & SCHILTERVS *d. l.* Nec est, quod laudati autores in describendo *jure Smurdorum* ambigui hæreant & Schilterus addat: *hoc* IVS *& re & nomine hodie ignotum esse.* Ipsum diploma manumissionis ab Ottone Burggravio de Kirchberg a. 1279. scriptum & a Schiltero laudatum, rem ipsam explanate sistit verbis:. *Notum esse volumus, quod nos fratres de Conditze* (utpote Smurdos a Slavis natos) *ex ipsorum* SERVILITATE *nobis in* IVRE SMVRDORVM *ab antiquo adstrictos manumittimus a tali servitute late & libere.* Inde apparet, jus Smurdorum ipsam universim denotare conditionem servorum Slavorum, & in hos competentia *jura servitutis* secundum rationes & instituta Germanorum. Haud congrua itaque est descriptio ANCHERSENII, qui *jus Smurdorum*, ut Islandicum etymon suum tueretur, interpretatus est *jus minorennium;* pro quo forte rectius & Islandico convenientius dixisset *jus capite diminutorum* seu *hominum statu civili carentium.* Angustior etiam ipso definito est definitio FRISCHII *laudati*, qui per jus smurdorum *jura mortuarii seu caduci* intelligit & Smurdum dicit *subditum sive colonum, quo mortuo dominus ex hæreditate sive relictis bonis ejus, optimum unum sibi eligit & sumit vel equum vel meliorem vestem.* Nonsolum vero ad jus Smurdorum limitate & restrictive spectat jus mortuarium seu capitale, germanice *Haubtrecht*, *Haubtfall*, *Curmede*, *Budzheil*, *Baudeling* vocatum; sed & reliqua pertinent jura præstationum, operarum, censuum, obligationum, permutationum, venditionum effectuumque aliorum servitutis Germanicæ, hominibus propriis partim peculiaria, partim Venedis servis speciatim propria, qualia forte fuerunt *jura Bedemundica*, aliis *Burmethica* & *Brutmetha* dicta h. e. pensiones pro impetranda venia nubendi, item *jura marchetæ & maritagii* seu pensitationes pro remittenda severiori disciplina ecclesiastica in nocte nuptiali, vel rectius redemtiones & lytra virginitatis; ad cujus generis vectigalia in Megapoli olim pertinuerunt *Thaleri connubiales die Klauen* vel *Kloven Thaler* vocati, notante KEYSLERO *in antiquitat. septentrional. p. 487.* Plura vide apud *V. cl.* ESTOR

Et redacti in statum Smurdorum. Schilteri & Tentzelii Explicationes vocis Smurdi, Novaque opinio Anchersenii reprobantur. Alia conjectura probatur ex Frischio, Et formulis diplomat. De jure Smurdorum opinio Schilteri. Quæ verbis diplomatum confutatur. Opinio Anchersenii & Frischii nimis restricta. Exempla jurium & Smurdis singularium & cum servis communium. Brutmethæ & Marchetæ descriptio. Lytrum conjugale in Megap. olim usitatum.

jure civili, opificiario & connubiali Germanico (*g*) deſtituti nec ad teſtimonium dicendum in contractibus, in chartis & diplomatibus amplius citati (*gg*). Nec eſt, ut Legum Slavicarum conditionem lautam adeo fuiſſe putes, ut illas excellentia ſua olim & florentibus Slavorum rebus Vandalos ſeu Germanos in amorem cultumque rapuiſſe tibi imagineris. Conſtat enim quod uterque populus ſegregato invicem ſtatu civili & ſacro vixerit, & utriusque jura omni ævo & loco ſeparata fuerint cuique peculiaria, niſi quod Venedi nonnulla Vandalorum Cimbrorumque (*h*) aliorumque Germanorum inſtituta adoptarint vel alia cum gentibus ex univerſali & morali vel pagana & populari ratione habuerint communia. Quorſum pertinent jura aſyli in atrio ſacro, cura egenorum, ſenum & parentum, operæ georgicæ, jus manuarium, monomachia, pœnæ capitales in adulteros, excurſiones piraticæ, judicia ſub dio, conventus ſacri in ſilvis, fides promiſ-

Explicatur ex indole ipſarum Legum Slavicarum vel cum aliis communium.

ESTOR *comment. de miniſterial. p. 130.* SCHILTERVM *c. l. exerc. 36.* Conſentit *Speculator Saxo L. III. art. 73.* ubi ita: *Man ſagt, daſs alle Wendin frey ſeyn, darum daſs ihre Kinder nach den Wendiſchen Vater gehören, das iſt doch nicht, wan ſie geben ihre Gebühr und Baurmiete ihren Herren als oft ſie Mannen nehmen.*

De odio Slavorum communi, Et excluſionibus ab opificiis.

(*g*) Pertinet huc formula hodieque in litteris natalitiis tyronum opificiariorum requiſita, *quod non ſint Slavicæ ſed ingenuæ & teutonicæ nationis.* De qua vide ANT. FABRVM *in der Europ. Staats-Cantzeley T. I. c. 1. faſc. 2. n. 5. p. 831.* AHASV. FRITSCHIVM *in additionibus ad Lymnæi jus publ. L. IV. c. 8. n. 299. p. 155.* De Venedorum excluſionibus ab opificiis & collegiis legi meretur HILLIGER *tr. de abuſibus, qui in collegiis opificum German. vigent c. 2. §. 11. p. 95.* Et ſi audiverimus COCCEIVM *in jurisprud. publ. c. 1. §. 12.* ab ipſo odio Slavorum eorumque exſortio a juribus imperii Germanici originem traxit formula, qua Germania dicitur *Sanctum Romanum imperium* TEVTONICAE NATIONIS. Sed has argutias meas facere nolo, cum Vir doctiſſimus, niti videatur erroneo iſto aſſerto, quo perhibet quod Bohemia Slavorumque orientalium provinciæ omnes caruerint jure civitatis Germanicæ ſeu ſyſtematis imperii Germanici. Quod ejus placitum tamen hiſtoricis rationibus omnis ævi confutatum eſt a LVDEWIGIO *diſſ. de ſuffragio Regis Bohemiæ in comitiis recuperato & D.* WIDEBVRGIO *in Originibus Marggraviatus Miſniæ.* Adde & hoc, quod teſte DATTIO *in commentario de Pace publica*, ipſa formula, qua dicitur *imperium nationis Germanicæ*, originem demum cœperit *Seculo XVI.* tempore imperatoris Maximiliani, qui hanc formulam æque ac illam, qua Iuſtinianum imperatorem *Romanum*, ſuum in imperio *Germanico* anteceſſorem haud appoſite prædicavit, oppoſuiſſe videtur auſui & argumentis Regum Galliæ, qui & Italiam ſubigere & imperium Germanicum tanquam allodium Francicum ſibi aſſerere & recuperare annitebantur. Quæ forte machinatio & Friderico III. Patri Maximiliani occaſionem ſuppeditavit, inſtar ſymboli uti literis A. E. I. O. V. earumque explicatione *Auſtriæ eſt imperari orbi univerſo. v.* HEISS. *dans l' hiſtoire de l' Empire T. I. L. III. p. 201.*

Obſervatio Cocceji de origine formulæ imperii teutonicæ nationis. Cui dubia opponuntur. Noſtra conjectura.

Dubium de dignitate linguæ Slavicæ removetur.

(*gg*) Poſſet forte pro ſuperſtite diutius dignitate & gloria gentis Slavicæ, inſtar vindiciarum aliquid excogitari & afferri ex *aurea Bulla tit. XXX. §. 2.* ubi Carolus IV. ſtatuit, *ut electorum filii vel ſucceſſores præter teutonicum & latinum idioma a ſeptimo ætatis anno in grammatica italica ac* SLAVICA *inſtruantur, cum illud non ſolum utile ſed & neceſſarium habeatur, eo quod illæ linguæ frequentari ſint ſolitæ, & in his plus ardua ipſius imperii negotia ventilentur.* Sed hoc dubium ex hiſtoria aureæ bullæ, imperii Germanici, rationibus regni Bohemici & ex ſtilo cancellariæ imperialis & ipſius Bohemicæ Slavici idiomatis a Seculo XII. plane neſciæ, ſolide diluit LVDEWIGIVS *ad A. B. T. II. p. 1416. ſqq.* Nec in rei Slavicæ defenſionem citare poteris titulum Germanicum regum ſeptentrionalium, quo dicuntur: *Der Gothen und* Wenden *Könige.* Hoc enim elogio vel ob victorias, quas a Slavis præcipue Ericus III. & Canutus filius feliciter reportarunt, ſalutari cœperunt, quemadmodum inter Principes mos eſt, & olim Iuſtinianus a bello cum Antis ſeu Slavis geſto dici voluit Imperator Anticus ſeu Antarum; vel etiam id ipſum elogium originem debet interpreti, qui latinum titulum: *Reges Gothorum & Vandalorum*, germanice expoſiturus, more olim ſolenni, Vandalos & Venedos in promiſcuum cenſum retulit eorumque nomina indiſcreta judicavit. De quo errore CLVVERVS *L. I. Germ. ant. c. 46.* DANCKWERTH. *chorogr. Holſ. P. I. c. 7.*

Ut & aliud dubiolum de titulo Regum Venedorum.

Slavi quædam inſtituta a Cimbris adoptarunt.

(*h*) Quorum etiam ſepeliendi ritu, litteris, ſacris quin & ſacerdotibus Venedos uſos fuiſſe docet ALEXANDER MOLDE *im Bericht von der Wagrier Sitten p. 57.* ubi & de credendis eorum egit ſect. 2. p. 60-68. Addi meretur P. KOHLII *ſpecimen theologiæ gentilis Cimbricæ purioris ed. Kiliæ a. 1723.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

missorum, judicia criminalia ferri candentis, vomerum ignitorum, aquæ frigidæ ac ferventis loco torturæ. Inter proprias vero Slavorum leges & consvetudines peculiares præcipuum locum tenent leges hospitalitatis, pœna combustionis ædium contra illos statuta, qui peregrinos hospitio recipere renuerunt, odium singulare contra mendicos & stupratas, item licentia furtorum, juramenta super arbores, agros fontes & lapides, jura sepelitionis in parentes decrepitos statuta, matrimonia sine consensu parentum valida, æqualitas conditionis desponsandorum, pœna & judicium crucis, singularis numinum cultus, religio Græcorum ritibus maxime fœcunda, polygamia succedanea lege Hiddæ prohibita (*i*) cura architecturæ (*k*) ad res sanctiores relatæ & hujus generis plures consvetudines paganæ civiles & populares. Quarum ne una quidem ita comparata est, ut assensum Legislatoris juris *Lubecensis* sibi conciliare, vel locum deposcere & invenire potuerit in jurisprudentia Germanorum satis instructa, rationibus domesticis munita, a paganismo ipso seculo XII. repurgata, civitatique Teutonicæ accommodata. Proinde Venedi a me haud impetrabunt, ut illos juris Lubecensis coadjutores agnoscam vel jus illud municipale Germanicum dicam & venditem *Slavicum*; id quod frustra & aperto adeo errore fieri puto, ut facile pateat, quid reponendum forte sit conjecturæ, quam in hoc argumento præclarissimus autor supra laudatus, luculentis verbis ita ornavit: *Jus autem Lubecense a nonnullis Slavicum ea maxime de causa* (*l*) *dictum videtur, quod in locis a Venedis gente Slavica antea habitatis, maxime in usu fuit. Unde simul apparet, cur jus Lubecense, si vel maxime Slavicum appellandum esset, in Polonia, Bohemia, Misnia, Lusatiaque non fuerit receptum; Venedi enim, a quibus repetenda esset hujus appellationis ratio, Slavi quidem fuerunt, at non omnes Slavi, Venedi* (*m*). De-

Vel propriarum, ad statum germanorum haud attemperatarum.

(*i*) Hodieque a Græcis & Russis interdicta docente M. HEINECCIO *hist. ecclesiæ græc. L. III. c. 7.* & THEOCLETO POLYIDE *in sacra tuba fidei ecclesiæ græcanæ oriental. ed. a. 1736. p. 180.*

(*k*) Qua Germanos longe superarunt. Quod testantur numerosiores urbes a Slavis conditæ.

(*l*) Quæ causa appellationis imbecillis videtur & ipsa causa plane destituta. Quod enim pace dissentientium dixerim, Venedorum tempore jus Lubec. nondum in usu fuit, nedum exstitit. A devicta vero Sec. XII. & abjectissima gente Slavica vel ejusdem memoria Germanos, Saxones, Lubecenses & Victorem Slavorum Henricum Leonem, juris Lubecensis architectum, jus ipsum Lubecanum *Slavicum* appellasse; id quidem nec rei, nec tempori, nec rationi est consentaneum. Cum enim Slavica gens borealis ex habitationibus suis Seculo XII. vel expulsa vel ipsa eorum memoria odiosa & sordens, vel plane exstincta fuerit; verisimile haud est, Germanos nomen & mores eorundem studiose adeo recoluisse, ut juri Lubecensi propterea affingi possit nomen juris Slavici.

Jus Lubecense nec nomine nec re est Slavicum.

(*m*) Vim hujus regulæ non perspicio. Slavi enim omnes sunt Venedi & utrumque Slavorum & Venedorum nomen idem & generale gentis sarmaticæ fuisse ex historicis facile intelligitur. Rationem vero, quare jus Lubecense in *Bohemia, Misnia, Lusatia & Polonia* non fuerit receptum requirere & sciscitari, res otiosa est, quæ sponte concidit, si ex illo falso, quod jus Lubecense sit Slavicum, rationem illam desideraveris. Si vero esset Slavicum, quod non est, tum quidem non ex nova inter Slavos & Venedos distinctione, sed ex separato Slavorum *borealium* & *orientalium* regimine & jure, desideratam rationem alii forte rectius suppeditaverint. Sed non est, ut ita circa hanc quæstionem divagemur. Ratio enim non factæ apud Bohemos, Silesos, Polonos, seu Slavos olim orientales receptionis juris Lubecensis hæc est, quia in his & Lusaticis regionibus alia æque Germanica jura, utpote *Saxonicum & Weichbildicum Magdeburgense*, Seculo XIII. introducta fuerint & in foris recepta. Si itaque *jus Lubecense* ex ea ratione dici mereatur Slavicum, quia illud in locis a Venedis borealibus antea habitatis in usu fuit, certe consequitur, quod etiam Speculo Saxonico & juri Magdeburgico nomen juris Slavici competat, quia utrumque *jus Saxonicum & Magdeburgicum* in locis a Venedis orientalibus habitatis, usum obtinuit. Quod vero quam temere fiat, sponte apparet. Plura de hoc argumento diximus *in Tr. de consvetudine p. 64. sq.* Addatur CONRINGIVS *in originibus jur. Germ. c. 31. p. 194.* GIOVANNI *in Germ. Princ. L. I. c. 5. §. 10. p. 384. sq.* BENIAM. LEVBERVS *de stapula Saxon. a. 1329. 1342. sq. & in discursu de privilegiis Magde Westphal. Monum. inedit. Rer. Germ.*

Quæstionis de jure Lubecensi in Slaviæ orientalis regionibus non recepto disquisitio.

Denique ut hoc obiter moneamus, non aliam ob cauſam jus hoc Venedo-Slavicum a nonnullis Wandalicum (*n*) *vocatum videtur, quia Venedi regiones a Vandalis derelictas occuparunt* (*o*). *Alias enim jus Vandalicum Germanicum in rerum natura nunquam* (*p*) *fuit.* Sed plura alia de Legibus vetuſtis Slavicis, Vandalicis, Megapolenſibus, Cimbricis Holſaticis, ſpeciatim de antiquis Saxonicis, vetuſto jure terræ & banni Saxonum, jure *Hallenſi*, *Hollenſi*, *Hollerico ſeu Hollandico* a Rege Daniæ Chriſtiano I. Domino Holſatiæ a. 1470. peculiari diplomate in terra Krempa & Wilſtria abrogato, item de jure Hollandico ab Adolpho, Duce Sleſvicenſi & Comite Holſatiæ a. 1438. e pagis Utinenſibus exterminato, de Friſiorum Holſatorumque jure *Lotding*, & Friſico jure provinciali ſeculi XIII. Aſighebock dicto aliisque jurium patriorum codicibus & argumentis dicenda ſuperſunt, quorum recenſum & expoſitionem dedimus ad *codicillum jurium civitatum Mecklenburgenſium de a. 1585.* hactenus ineditum & ad *diplomatarium Neomonaſterienſe & Bordisholmenſe* ex membranis & codicibus avtographis collectum ab anno 1136. uſque ad 1600. Quod utrumque hiſtoriarum juriumque monumentum, temporis & chartæ anguſtia hoc loco excluſum, volente Deo, proxime ſequenti tomo obſervationibus illuſtratum cum publico communicabimus. *Dab. Kiloniæ d. 4. April.* M D CCXXXIX.

Remiſſio ad alia.

ERNEST. IOACH. *de* WESTPHALEN.

---

deburgicæ civitatis P. I. n. 198. P. III. n. 113. ſq. Quod ultimum opuſculum ob raritatem & utilitatem *Dn.* IO. GOTFR. *de* MEIERN nuper recognovit & Tomo III. Actorum pacis Weſtphalicæ inſeruit.

(*n*) Sed male; utraque enim gens & origine & ſtatu & moribus diverſa.

(*o*) Quæ ratio nec probabilis eſt nec cohærens cum ipſius autoris principiis. Emigratio enim Vandalorum, Slavorumque in Vandalicas terras adventus diutiſſime ante Lubecam conditam & uti ipſe c. l. p. 31. urget, Seculo V. contigit, jus Lubecenſe vero demum Sec. XII. originem cœpit. Et iterum ipſe autor p. 32. contendit, paucos, qui remanſerant, Vandalos a Venedis *oppreſſos fuiſſe.*

De juris Vandalici rationibus & reliquiis.

(*p*) Dixerit aliquis eadem fere ratione, nec jus Gothicum in rerum natura fuiſſe. Dubium ſane non eſt, quin Vandali Svevique Legibus & conſvetudinibus Germanicis inſtructi fuerint in ampliſſimis, quas poſſederunt, Germaniæ regionibus. Nec interierunt hæc inſtituta domeſtica Seculo quinto, facta emigratione partis Vandalorum. Multi enim, certe copioſa portio, ſub Rege Fridebaldo in patriæ poſſeſſionibus ubique relicta fuit; mixta quidem poſtea cum novellis advenis Slavis, ſed expulſa nunquam nec oppreſſa. De quo argumento CRANTZIVS, CHEMNITIVS, LATOMVS Hiſtoriographi Vandalici ex inſtituto. Plura hoc loco non addimus. Plures enim Allemannorum mores, leges præcipue Teutonum, Angliorum, Werinorum pluriumque gentium Vandalicarum ad jura Vandalica pertinere, nemo facile inficiabitur, qui operæ pretium eſſe putaverit de ſedibus Vandalorum, terra Vandaliæ & Vandalorum complexu & amplitudine hiſtoriarum monumenta conſulere. Ipſum compilatorem codicis *juris Rugiani* ad *jus* VANDALICVM provocaſſe ſupra monuimus. Quod pluribus explicuit HELVIGIVS *Orat. de codice juris provincialis Vandalico-Rugiani p. 15. & p. 23.* ubi ita: *Codex ipſe inſcribebatur antiquum Vandalico-Rugianum jus provinciale, quæque ex jure Danico & Sverinenſi in eum relata erant, id omne jus communi Vandalico-Rugiano nomine appellabatur.* Unde ſimul forte apparet, male hunc codicem germanice aliquando dici ac citari *Wendicum ſeu Slavicum, Wendiſches Rugianiſches Landrecht.*



Contenta Tomi Primi Monument. Ined.

I.

Henrici Ranzovii Cimbricæ Cherſoneſi ejusdemque partium, urbium, inſularum & fluminum nec non Cimbrorum originis, nominis, fortitudinis, fidelitatis, rerumque geſtarum quatuor, libris comprehenſa, deſcriptio nova A. C. M D XCVII. a prima Oldenburgenſium Comitum in Reges Daniæ electione CXXXXIX. ab ultima Dithmarſiæ ſubactione XXXVIII.

II.

Nicolai Mareſchalci, Thurii, Annalium Herulorum ac Vandalorum Libri ſeptem.

III.

Eliæ Schedii Teutſche Ueberſetzung der Hiſtoriæ Herulorum Nicolai Mareſchalci.

IV.

Commentariolus Annalium Herulorum ſive Megapolenſium, ſeu difficilium ac obſoletorum locorum verborumque in iis occurrentium interpretamentum, ſcriptum ab ipſo autore Annalium Nic. Mareſchalco Thurio.

V.

Sebaſtiani Bacmeiſteri, V. D. M. Continuatio Annalium Herulorum ac Vandalorum.

VI.

Johannis Bacmeiſteri M. D. & P. P. &c. Tubing. Animadverſiones Genealogico-Chronologico-Hiſtoricæ in Mareſchalci Thurii Annalium Herulorum ac Vandalorum Libros ſeptem.

VII.

Nicolai Mareſchalci Chronicon Rhythmicum de Regibus Obotritorum & Megapolenſ. in Teutſcher Sprache.

VIII.

Davidis Mevii Jus Provinciale Mecklenburgicum ſ. Beſchreibung des Mecklenburgiſchen Land-Rechts, in Teutſcher Sprache.

IX.

Henrici Habnii, Jcti Notæ ad Davidis Mevii Jus Provinciale Mecklenburgicum.

X.

Georgii Morhofii Argumentum de Gente Brocktorffia.

XI.

Melchioris Goldaſti ab Haiminsfeld, Memoranda Vetera Holſatica ſeu de Origine & indole vetuſti Comitatus & Principatus Holſatiæ *deque ſuperioritate, juribus, privilegiis, prærogativis Comitum Holſatiæ & Schaumburgiæ avitis & hæreditariis Libellus, additis* Obſervationibus, Teſtimoniis & Diplomatibus, *quibus adducta varia* rerum Germanicarum, ſpeciatim Holſaticarum *probantur & ſtabiliuntur.*

XII.

Henrici Bangerti Origines Lubecenſes.

XIII.

De præcipuis Rebus geſtis Friſiorum Septentrionalium breviter deſcriptis & iconice adumbratis libri VI. e ſummis antiquitatum tenebris producti per Petum Sax. *ab Eydora-Friſium A. C. M DC LVI.*

XIV.

Scriptorum Rerum Danicarum libri III. continuata Appendix ad incerti Autoris Annales Danorum & præcipue Sialandorum ab Anno 1308. *ad Annum* 1363. *ex codicibus Stephanianis ſcripta.*

XV.

Nicolai Mareſchalci, Thurii, Deflorationes Antiquitatum ab origine mundi uſque ad annum 1522. *Libri V.*

XVI. *De*

XVI.

De Veterum Cimbrorum aliorumque Septentrionalium Populorum Migrationibus Selecta Commercii Literarii Joh. Bingii & M. Corvini.

XVII.

Joh. Jacobi Dœbelii & Caſparis Vogtii Otium Mecklenburgicum, ſeu de Anthyrio ejusque & Mecklenburgicis Inſignibus contentio.

XVIII.

Joannis Simonii Vandalia Anno 1598. *ſcripta.*

XIX.

Hiſtoria Eccleſiæ Roſtochienſis ſeu Narratio de Initio & Progreſſu Lutheraniſmi in urbe Roſtochio, authore D. Luca Bacmeiſtero.

XX.

De Rebus Holſatorum vicinarumque gentium præclare geſtis libri IV. ſeu Fœtus & Pignus cariſſimum Cornelii Hamsfortii Junioris Anno MDLXXIX. ineunte autumno.

XXI.

Nordalbingia ſive Hiſtoria rerum præcipuarum in Nordalbinga a temporibus Caroli Magni ad Annum præſentem MDCLIII. a Principibus & populis geſtarum ſuccincte juxta Annorum ſeriem comprehenſa a Lamberto Alardo Stormaro.

XXII.

Septem Fragmenta veteris juris Zwerinenſis de anno 1222. 1224. 1235. 1263. & 1593. *I. Jura Swerinenſia, quibus Burewinus II. Civitatem Guſtrovienſem donavit, e membranis Archivi Guſtrovienſis; collata cum vetuſtis Legibus Angliorum & Werinorum, Cimbrorum, veterumque Saxonum pluriumque Germanorum gentiumque vicinarum. 2. Fragmentum Germanico idiomate exaratum de Anno* 1224. *ex Archivo Guſtrovienſi. 3. Jura Suerinenſia a Domino Nicolao Civitati Malchaw data A.* 1235. *ex cod. vet. Civitatis. 4. Statuta Suerinenſium Civitati Röbel conceſſa e cod. Civitat. 5. Fragmentum juris Suerinenſis manu Joachimi Wedemanni, e codice antiquo. 6. Jura & obſervantiæ Suerinenſes e MSto Senatoris Höviſchii. 7. Fragmentum inter ſchedas Höviſchii repertum & ipſius commentariolo ſub num. 6. plerumque ſubjunctum ſine anno.*

XXIII.

Codicillus Juriam Civitatum Megapolenſium de Anno 1589.

CIMBRICÆ CHERSONESI DESCRIPTIO.

LIBER PRIMUS.

Cimbria Peninſula.

EX inſignioribus mundi Cherſoneſis, ſeu Peninſulis, quarum quatuor Geographi, *Petrus* APPIANUS *Cosmographiæ part. I. cap. 17.* VADIANUS *in Epitome trium terræ partium: in principio cap. de ſinibus maris mediterranei præcipuis*, conſtituunt, THRACICAM, CIMBRICAM, TAURICAM & INDICAM, quæ AUREA Ptolomæo dicitur, eſt apud Hiſtoricos maxime celebris *CIMBRICA:* quæ ab Albi flumine prope Hamburgum inſtar linguæ humanæ, vel manus a carpo productæ, inter Britannicum & Germanicum nunc Occidentale & Orientale maria duo ſita, & directe ad Aquilonem vergens, verſus oppidum Scagam (quod ejusdem Cimbriæ eſt terminus & a proximo Norwegiæ littore, octo milliaribus marinis diſtat) in longitudinem duodecim dierum itinere extenditur, in latitudinem vero ab inſula nimirum Cimbria ad Buſenam inſulam, vel proxime Alburgum in Jutia, ubi maxima, dierum ſex itinere expedito patens porrigitur. Regio eſt plana, nemoroſa & fructuoſiſſima, omniumque rerum, quæ aut uſu neceſſariæ, aut pretio ambitioſæ,

Ejus Regio & fundus.

uberrima. Ager multis in locis campeſtris, uliginoſus & irriguus atque ob id fertiliſſimus: quem ut incolæ *Marſch*, *Mæriſch*, quod e mari hoc excluſo, ad culturam redactus, vel quod quaſi aquis merſus ſit; ita aridiorem & ſteriliorem agrum *Geeſt* appellant quaſi Güeſt, quod infœcundum ſeu ſine fœtura ſignificat.

Montes.

Montes habet raros: In arduis & excelſis duobus, Segebergenſis & Plonenſis arces ſunt extructæ. Colles præterea multos eosque aut naturales, aut ſtudio hominum congeſtos, in quibus caſtella ac prædia a Principibus & Nobilibus ſunt ædificata. Aliquibus locis ſunt

Commoda.

fodinæ calcariæ, & ſcaturigines ſalinares. Accolæ maris Occidentalis, in littore etiam ex aqua marina ſal coquunt; piſcibus tam marinis, quam fluvialibus ita abundat, ut fluminum mare Occidentale illabentium vicini ſingulis menſibus diverſi generis piſcibus ipſimet frui affatim & finitimos quoque eorundem participes facere queant. Halecum quoque in multis locis eſt captura, & in quibusdam mediterraneis præſertim nonnullæ ſunt piſcinæ ac ſtagna: quibus per aliquot annorum intervallum jam ad ſationes aquis per apertos canales ſubductis, jam vero ad piſcationes, aquis rurſum ſtagnantibus & canalibus obſtructis utuntur. Triticum, hordeum, ſiliginem, avenam, panicum, & varia legumina, tanta ubertate producit, ut annuatim in alias provincias, tanquam ex penuaria cella transmitti magna copia poſſit. Pecorum paſtus hic eſt largiſſimus & copioſiſſimus, unde magnum incolæ quæſtum faciunt, exigendis in provincias alias, & vendendis armentis. Sylvoſa & nemoroſa cum ſit regio: mirum videri non debet, reperiri Nobiles, qui uno ſaltem anno, ex ſola porcorum ſaginatione ſummam 4000. Joachimicorum confecerint. Nam pro uno porco ſaginando talerus: In Ducatu Slesvicenſi tetradrachmum: in Jutia didrachmum plerumque expendi ſolet. Interim tamen præcipuæ ſylvæ ad Principes ſpectant, in quarum nonnullis viginti millia porcorum ſaginari poſſunt. Anno Chriſti 1590. in nemore Rendesburgenſi, 14000. in Segebergenſi & adjacentibus ſylvis, ultra 19000. in Abbatia Borsholmenſi 10000. in Reineſeldenſi 8000. in Arensbocenſi 4000. Trittoviæ & Reinbecciæ 8000. porcorum ſaginata eſſe compertum habeo. Ducatus Sleſ- *Sylvæ.*
vicenſis, Jutiæ totius, & Nobilium proprias ſylvas excipio, quæ & ipſæ non contemnendos reditus præſtant. Præterire nequeo, quin hic unum indicem: In ſylvis ad arcem Gottorpiam pertinentibus, ſi annus eſt quernis ac faginis glandibus mediocriter fœcundus, porcos circiter 30000. pingues effici poſſe. Plurimum item emolumenti ex equorum, boum, ovium, & hædorum gregibus, nec non ex mellificio ad incolas redit. Hydromilæ cernuntur hic multæ, quarum aliæ neceſſitati pinſendorum frumentorum, leguminum & oleorum: aliæ contuſioni corticum: aliæ auro purgando, ferro, cuproque tundendo & ſubigendo: quædam diſſectioni lignorum, nonnullæ ferramentis poliendis, & papyro pulve-

rique tormentario conficiendo ſerviunt. In Holſatia maximæ cum ſint ſylvæ, ſaltus & nemora, (ut paulo ante dictum eſt) abundant ea varii generis feris, quas delectatione magna Principes & Nobiles conſectantur: quales ſunt cervi, capreoli, apri, lepores, vulpes, lupi, martes, caſtores, meles, lutræ, verræ, ſciuri &c. Avium etiam nulla hic eſt penuria, ut ſunt grues, cygni, ſylveſtres, anſeres varii generis, anates, mergi, querquedulæ, ardeæ, perdices, columbæ, turtures, ſturni, attagenes, phaſiani & turdi. Vini & aromatum etſi minime ferax eſt hæc regio, tamen utraque merx copioſe advehitur, ut tolerabili pretio quilibet comparare eandem ſibi valeat.

Flumina. Flumina habet navigabilia plurima, ac verſus Orientem in mare Balticum ſe exonerantia, Travenam, ſinum Chilonienſem, in quem Swentina labitur, Wanderanam, Sleyam, Gudium & Lymicum: verſus Occidentem mare Germanicum ingredientia, Billenam, Albim, Alſteram, Storam, Eydoram, Trejam, Mildam, Heveram, Nibſaam prope urbem Ripenſem, quæ omnia fere æſtum patiuntur.

Portus. Portus non deſunt opportuni, & tuti in utroque mari. Orientales quidem ad oppida Trawemundam, Neoſtadium, Grotenbrodam, portum Sacrum, Chilonium, Eckelfordam, Sleswigam, (cujus tamen portus maxima ex parte a Regibus Daniæ, in bellis ſuperiori ævo geſtis, eſt obſtructus) Flensburgum, Apenroam, Haderslebiam, Coldingam, Horsneſiam, Archuſium, Alburgum, & in Lymico ſinu nonnulli. Occidentales vero portus ad urbem Hamburgum, in Albi Itzehoam & pagum S. Margarethæ, in Stora ad oppida Brunsbuttelum, Meldorpium, Lundam, Tönningam, Huſium, Tunderam, Ripas. Eſt etiam in Strandio nuncupatus Butyri ſinus, & in Inſula Ockholmo ſtatio Bolhus appellata, nec non portus quidam in amne Walpurgenſi. Sunt præterea alii quidam portus, in utroque littore maris; ſed non adeo frequenti navium adventu celebres, quorum loca nobis non ſatis ſunt cognita. Eorum tamen ex parte mentio fiet infra, ubi flumina deſcribentur.

Differentia linguarum Incolæ in Holſatia generali lingua utuntur Germanica, ſpeciali vero Saxonica. Sleſvicenſes promiſcue utuntur Danica, Saxonica & Friſica linguis, quarum poſterior peculiare quiddam habet, in Orientali ſeu minori Friſia, Jutæ ſola Danica. Etſi autem omnes hujus terræ populi ſeſe loquentes invicem primo vix intelligunt, tamen aliquamdiu converſati, facile ſermoni populari aſſuefiunt. Ut enim locorum parva diſtantia, ita & linguarum exigua eſt differentia.

& Locorum. Locorum hæc ratio eſt, ut aut paluſtria aut campeſtria appellentur vulgo. Qui depreſſa ideoque paluſtria & uliginoſa poſſident loca, MARSI vocantur, quaſi inter paludes limoſasque voragines demerſi: ut Storæmarſi, Crempæmarſi, Wilſtriæmarſi, Dithmarſi. Qui altiores atque aridiores terræ partes occupant, HOLSATI, quaſi inter ſylvas ſaltusque ſiti, hodie nominantur: qua in ſententia etiam eſt Abbas Stadenſis in Chronico ſuo. Quanquam non deſint, qui Holſatiam Holſtein quaſi Holtz und Stein: ſive Holtſtedt, quaſi locum lignorum, a magna ſylvarum copia dictam velint.

Ante multos vero annos, qui Septentrionem verſus habitarunt Jutæ & terra eorum JUTIA, ut qui Orientem verſus NORDALBINGI & terra eorum NORDALBINGIA ſeu TRANSALBINA, quod nimirum a reliqua Germania per Albim fluvium eſſet ſeparata, appellabantur: idque potiſſimum Caroli Magni tempore, ſicuti ex privilegio Ludovici I. Imperatoris A. D. 854. Aquisgrani dato conſtat, quod ſic habet: *Nordalbingia*

Progenitor noſter Carolus glorioſæ memoriæ decrevit, Pontificialem ſedem fieri Transalbiam: (quæ terra eſt Nord-Albingorum) laxata captivitate, quam ob multam perfidiam, in ipſis Chriſtianitatis initiis patratam, per ſeptennium paſſi ſunt, ne locus ille a Barbaris invaderetur & defendi poſſet, Egeberto Comiti reſtituere præceperat. *ſeu Transalbia.*

Ad eum modum Helmoldus cap. 6. dicit: Ultima pars Saxoniæ, quæ eſt Transalbia, dicitur Nordalbingia, continens tres populos, Ditmarſos, Holſatos & Stormarios. Quin & Francorum annales denominatione Nordalbingiæ regionis eosdem populos appellant. Bulla itidem Nicolai Papæ, qui tempore Ludovici Imperatoris vixit, facta mentione caſtelli Hammenburgenſis, id nominat ſedem Nordalbingorum. Etſi autem vocabulum illud non ſatis eſt latinum, venia tamen danda eſt longinquis a Latio regionibus, ſi ſuæ linguæ mixtis nominibus regionum vocabula faciant, quod & ab Italis, Gallis, & fere omnibus fit.

Provinci. Hodie Cimbria univerſa in STORMARIAM, WAGRIAM, DITMARSIAM, HOLSATIAM, DUCATUM SLESWICENSEM & JUTIAM, minoresque aliquot regiones & inſulas, ut: Cimbriam minorem, quæ nunc dicitur Fimbria, Swantiam, Angliam, Eliſiam ſive Alſam, Sundewittam, Arriam ad ortum: Inſulam vero ſive terram ſanctam, Stapelholmiam, Eiderſtadium, Nordſtrandiam, Foeream, Sildiam & paucas alias ad occaſum dividitur.

Ex his priores quatuor provinciæ, Stormariæ, Wagriæ, Holſatiæ, Dithmarſiæ, cum adjacentibus inſulis ac tractibus, abolita penitus Comitatuum priſtina denominatione, in gratiam Daniæ Regis Chriſtiani I. axiomate Ducatuum ornatæ ſunt, a Friderico III. Imperatore A. C. 1474. & obſcurato vel diſſimulato veteri Cimbriæ nomine, ſub Holſatia comprehenduntur, cogunturque ex iis Holſatiæ Principes exemplo reliquorum ordinum Imperii Romani & ex matriculæ publicæ præſcripto, quoties uſus poſtulat, Romano Imperio, cujus feudum ſunt, militiæ idoneos equites 40. & pedites 80. quemadmodum & ex Ducatu Sleſvicenſi Daniæ regno, cujus is feudum eſt, tempore neceſſitatis totidem pedites equitesque, ſecundum transactionem Otthoniæ A. C. 1580. initam, ſubmittere & præſtare. Sed his omiſſis omnem HOLSATIAM JUTIAMque in quinque ſtatus ſeu ordines diſtribuemus.

Primus erit Regiæ & Ducalis Familiæ ſeu Status regnans. *Status ſatiæ gnans,*

Secundus eſt ordo Eccleſiaſticorum.

Ter-


ad p. 2. A



HENRICUS RANTZOVIUS,
Eques Auratus.
Produx Cimbricus Praefectus Segebergensis
Dominus in Breidenberg Drakenburg
Wellingsbüttel Hatstedt Tuschenbeck
Ranzovisholm Wandesbek Lindewith
Bucken Melbeck Reingstorf Ovendorp
Nutschau Nuchel Grunow Stelnow Erfrat et
Ranzow Anno Christi MDXCVI. Aetatis suae 71.

Brühl sc. Lipsiae.





Itzehoa
Stora Fl.
Wilster
Bredenbeg
Bramstedt
Segeberg
Loteslo
Lubec
Crempe
STORMARIA
HAMBVRCG
Hæc regio tãpore
bina dicta est
Caroli M. Nordal.
Episcopatus Bremensis
MERIDIES

OCCIDENS

TYPUS CHERSONESI CIMBRICÆ

MARE OCCIDENTALE
five
OCEANUS GERMANICUS

Die West See



B.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

HUNGARIA



I. Status Regnorum

Ducatus Holsatiæ.

Stormaria.

SIGNIA II. Status Eccle-

Ducatus Lubecensis.

siasticorum.

HI ENIM DVCATVS HA-

bent quatuor status:

Ecclesiasticorum, Nobilium, Civitatum et Rusticorum et Insularum

Ecclesiasticus habet Episcopus duos:

Lubecensem et Slesvicensem.

Ecclesias Cathedrales V.

Lubecensem, Hamburgensem, Slesvicensem, Hadel
Ottinensem

Abbatias circ. VII.

Bordesholmensem, Segebergensem, Arn
Lunensem et Ruensem et præterea alia
civitatibus et oppidis,

Monasteria nobilium virginum V.
Itzehoense, Pretzense, Wilstense, Slesvicense et

V. Ordo et insignia Insul

Angelia ex quo Angli orti.

Frisia minor

Insula ARR

Insula ERSEN

Insula BASSOE

Insula terra sancta

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

I. Status Regnorum.

Ducatus Slesvicensis. 

Ducatus Holsatie. 

Stormaria. 

Dithmarsia. 

Wagria. 

II. Status Ecclesiasticorum.

INSIGNIA Episcopatus Lubecensis. 

INSIGNIA Episcopatus Slesvicensis. 

HI ENIM DVCATVS HABENT quatuor status:

Ecclesiasticorum, Nobilium, Civitatum et Rusticorum et Insularum

Ecclesiasticus habet Episcopus duos:

Lubecensem et Slesvicensem.

Ecclesias Cathedrales V.

Lubecensem, Hamburgensem, Slesvicensem, Haderslebiensem et Oitinensem

Abbatias olim VII.

Reinfeldensem, Bordesholmensem, Segebergensem, Arnsboccensem, Cismariensem, Lamensem et Ruensem et praetera aliquot monasteria in civitatibus et oppidis,

Monasteria nobilium virginum V.
Itzehoense, Pretzense, Vtersense, Slesvicense et Reinbeccense.

V. Ordo et inlignia Insularum.

Insula Fimbria 

Anglia ex quo Angli orti. 

Frisia minor 

Eiderstadium 

Strandt Insula 

Insula 

Insula 

Insula 

Provincia 

Insula 

Insula 


Insula 

Insula terna sancta 

Insula 

Insula 

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



quadruplex ordo.

Tertius Nobilium.

Quartus Civium.

Quintus Rusticorum. Dabimus hic in Tabula, I. partes horum Ducatuum, earumque insignia. II. Insignia Ecclesiasticorum. III. Nobilium. IV. Civitatum. V. Insularum, quæ omnia suo loco infra explicabimus.

PRIMUS STATUS.

Status Regiæ & Ducalis Familiæ.

Generalem horum Ducatuum gubernationem hac tempestate Potentissimus Daniæ Rex Dn. CHRISTIANUS IV. & Reverendissimus ac Illustrissimus Princeps Dn. JOANNES ADOLPHUS, Archi-Episcopus Bremensis & Episcopus Lubecensis, hæres Norwegiæ Holsatiæque &c. Princeps, alternis ab uno in alterum annis transferunt. Quæ cum ad Regem devolvitur, Regiæ ipsius Majestatis nomine Produx Cimbricus eam administrat. In arduis vero negotiis, nihil nisi omnium in Holsatia ordinum præcipuorum adhibito consensu decernitur: inter quos primum locum Episcopus Lubecensis tenet. Quando vero communis est deliberatio cum Slesvicensis Ducatus ordinibus, Episcopus Slesvicensis in ea principem obtinet locum.

De JUTIA nihil hic dico, cum Danico imperio semper paruerit, & jure Danico utatur.

HOLSATIÆ vero Principes, qui hodie vivunt, sunt, CHRISTIANUS IV. Daniæ Rex, ejusque fratres UDALRICUS & JOANNES, FRIDERICI II. Danorum Regis filii. JOANNES ADOLPHUS Archi-Episcopus Bremensis, & Præsul Lubecensis ejusque frater JOANNES FRIDERICUS, ADOLPHI Ducis Holsatiæ filii.

Et JOANNES, Sunderburgi Dominus, FRIDERICI II. frater, ejusque filii CHRISTIANUS ERNESTUS, ALEXANDER AUGUSTUS, JOANNES ADOLPHUS, FRIDERICUS PHILIPPUS ALBERTUS.

II. STATUS ECCLESIASTICUS.

Ordo Ecclesiasticorum.

Ecclesiasticus Status in Jutia, ut hoc prius dicam, in quatuor divisus fuit Episcopatus, in RIPENSEM, ARHUSIENSEM, WIBURGENSEM & WANDALICUM seu BURGLAVIENSEM, de quibus post latius. In Holsatia vero & Ducatu Slesvicensi in duos Episcopatus in LUBECENSEM & SLESWICENSEM. Hamburgensis enim Bremensi subjectus est.

In Capitula seu Collegia Canonicorum itidem quinque: LUBECENSE, HAMBURGENSE, SLESWICENSE, HADERSLEBIENSE & OITINENSE.

Abbatias septem: REINFELDENSEM, BORDESHOLMENSEM, SEGEBERGENSEM, ARNSBOCENSEM, CISMARIENSEM, LUMENSEM & RUENSEM.

Et Monasteria quindecim, inter quæ ITZEHOENSE, PRETZENSE, UTERSENSE & SLESVICENSE, nostro adhuc tempore virginum Vestalium choris addicta, magno redituum proventu celebria sunt; cum cætera fere in usus scholarum, xenodochiorum & alio conversa sint.

III. STATUS NOBILIUM.

Nobilium.

Nobiles in his Ducatibus, ut etiam in Jutia & Dania, arces & prædia sua pleno jure ac dominio, quemadmodum Comites in reliqua Germania, cum venationibus, aucupiis, & piscationibus libere possident. Etsi vero nonnulla eorum prædia utriusque generis feuda censeantur: maxima tamen ex parte allodialia & hæreditaria sunt: & ne exactionibus aut vectigalibus novis a Principibus graventur, Holsatorum privilegiis cautum est. Quæ Principes, priusquam a subditis fidelitatis juramentum præstatur, & ipsi ad gubernationem perveniunt, juramento confirmare tenentur. Liberam enim horum Ducatuum status ex Regum & Principum suorum filiis, quemcunque velint, eligendi potestatem habent. Quod privilegium speciali quodam CHRISTIANI I. beneficio promulgatum ipsis est, cum post obitum Ducis Adolphi Comitis Holsatensis ac Schawenburgensis avunculi ipsius, sine hæredibus extincti, in Ducem electus a provincialibus confirmaretur.

Bella Principes absque Ordinum consensu suscipere nec solent nec debent.

Nobilium lites a Senatu Ducatuum dijudicantur, præsidentibus plerumque per vices Principibus, a quibus, præstito malitiæ juramento, Holsatienses ad Cameram Imperialem appellant.

Ordo autem senatorius 24. equestris generis viris constat, quibus adhibetur generalis Cancellarius & Juris utriusque Doctores quatuor, cum Jus est pronunciandum.

Nobilium in Holsatico & Slesvicensi Ducatu Familiæ 50. numerantur, videlicet:

RANZOVICA, ALEFELDICA, REVENTLOVICA, WALSTORPIA, POGWISCHIANA, DE WISCH, SEHSTEDIANA, BLOMIANA, BOCKWALDICA, KRUMMENDICKIANA, MEINSDORPICA seu MEIENDORPICA, BROCKDORPIANA, BREIDANA, HESTENICA, QVALIANA, WONSFLETHICA, RATLOVIANA, WENSINIANA, DAMIANA, TINEANA, HAGENICA, HOLKIANA, PLESSENA, GADENDORPICA, WITTORPIANA, HOIKENA, OTTENIA, HOIERENSIS, UCKENA, MÖTENA, MAGNUSSENA, ROSENCRANTZIA, IVENSENA, KERCKBERGIANA, STÖVENA, KASBROCHIANA, MUNKIANA, WOGIA, HACKIA, HERBERGIANA, PENSENA, GRABOVICA, RENKENA, SIVERSENA, KÖLERANA, LEVENA, PAISENA, PETERSENA, ANDERSENA & JOHANNSENA.

Atqui ex his sola familia Ranzoviana superstites masculos hodie habet 118. arces & prædia 71. Alefeldica & Rumoriana, quæ pro una censetur, masculos 59. arces & prædia 31. Pogwischiana & de Wisch masculos 28. arces & prædia 18. Bockwoldiana masculos 24. arces & prædia 11. De cæteris inquirere quisque poterit. Olim plures fuerunt in his Ducatibus familiæ, quæ nunc penitus mortuæ interciderunt, ipsorum tamen Nomina in Archivis reperiuntur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

IV. STATUS CIVIUM.

Civium. Omnes fere in his Ducatibus civitates ex singulari Comitum, Principum & Regum suorum gratia, certis quibusdam privilegiis donatæ sunt: & Jure vel Romano, vel Lubecensi utuntur.

Civibus a sententiis Senatus suæ urbis ad quatuor civitates, CHILONIUM, RENDESBURGUM, ITZEHOAM & OLDESLOAM, judicio peculiari appellationis exercendo destinatas, provocare licet. De quibus vero litibus ipsæ decidere nequeunt, & acquiescant contendentes, certis conditionibus, ad Principes & Senatores Holsatiæ: & ab his nonnunquam etiam ad Cameram Imperialem appellatio devolvitur.

Civitates vero Ducatus Slesvicensis, quemadmodum & Jutiæ, quia iisdem cum Danis gaudent privilegiis, eodem quoque Jure utuntur: nisi quod Husenum cum paucis aliis, ab Adolpho, FRIDERICI I. Regis Daniæ filio, Reverendissimi Archi-Episcopi Bremensis Dn. Johannis Adolphi parente, peculiari jure, quod Wichbildt vocant, donatum fuit. Sed de civitatibus, quæ huc pertinent, paulo post uberius.

V. STATUS RUSTICORUM.

Rusticorum. Rusticorum genera duo sunt: Unum hæreditaria ac libera: alterum conductitia & angaria possident bona.

Ipsi aut scripto jure controversias decidunt, aut coram propriis suis Caussidicis sub dio, de caussis in præsentia Præfecti, duorumque Assessorum agunt. Cum in medium prodierunt litigantes, diligenter ab utraque parte exploratis rerum momentis, rusticorum cœtus ad deliberandum modumque sententiæ statuendum exire jubetur. Quo pro agresti captu invento ad consessum redeunt, & quicquid vel exemplis vel crassis naturalis judicii illorum rationibus, eis justum esse videtur, per constitutum quendam præconem litigatoribus in medium pronunciant.

Qui in judicato acquiescere nolunt, illis debito modo ad Senatores Principum vel commune forum Holsaticum, & ab hoc nonnunquam etiam ad Cameram Imperialem, pro rerum de quibus litigatur dignitate, provocare liberum est, de quibus alias.

Nunc singulas Provincias, earundemque præcipuas civitates excutiemus: ac primo quidem loco de Stormaria agemus.

STORMARIA.

Provincia Stormaria. STORMARIA, quæ inter Albim, Billenam, Storam, ac Swalam flumina, interjecta, ad Travenam usque se extendit, & in longitudine septem, in latitudine vero octo milliaria conficit, regio est perquam amœna, omniumque rerum necessitati deservientium feracissima, vino tantum ob cœli inclementiam excepto.

Nihil in ea otiosum, nihil sterile. Si tamen quid cujuscunque modi negat messem, viget pabulis. Ac dicta est Stormaria, quasi Storæ Marsia, a Stora fluvio piscifero ac navigabili, ac Marsia id est terra campestri, & quasi aquis mersa. Habet enim palustria & campestria loca plurima, Germanico idiomate Marsch-Länder appellata, Marsiam nimirum Hasseldorpianam, Colmarianam, Hirtzhornianam, Crempensem, Bredebergensem &c. quæ ad Albim Storamque sitæ, & contra impetum aquæ, singulis sex horis crescentis ac decrescentis, aggeribus sunt munitæ. Pluviales autem aquæ per nonnullas cataractas emitti: & necessitate cogente eædem recipi possunt.

Unde dicta?

Civitates habet HAMBURGUM, ITZEHOAM, CREMPAM. *Ejus Civitates, arces, cœnobia.*

Vicos: Vedelam, Elmeshornam & Brambstedium.

Arces Regias, Ducales, Comitumque Schowenburgensium & Nobilium curias plus minus 15. quarum præcipuæ deinde describentur.

Coenobia virginum Vestalium duo: Parœcias & templa in urbibus & pagis circa 50.

Cygnum rubro in clypeo pro insigni habet candidum, cujus aurea corona collum cingit, idque ideo quod provincia hæc fere tota palustris, maximaque ejus pars ob Neptuni violentiam, id est aquæ & æstus impetum, vallis sit munita.

HAMBURGUM.

Hamburgum. Metropolis Stormariæ Hamburgum, urbs est opere & opibus, situ & mercatura præstantissima, fossis ac vallis, muris & propugnaculis firmissima, emporiumque totius Germaniæ florentissimum & celeberrimum. Sita in loco palustri, pingui & ubere: agris, pascuis, hortis amœnissimis & frugiferis, ex quibus cives magnum quæstum capiunt: ædificiisque plurimis, ad secessum & recreationem animi conditis circumdata.

De appellatione ejus variæ sunt opiniones. Quidam ab idolo quodam eo in loco culto: quidam ab Hama Saxonum pugile, a Starcatero Dano in eo loco pugna peculiari prostrato, nomen derivant. Alii, qui Gambrivios Holsatos constituunt, ex Gambrivio exigua mutatione Hamburgum faciunt. Verum has Etymologias, tanquam pueriles & nauci, Petrus Lindebergius, de origine Vandalicarum urbium lib. primo, & ipsi Hamburgensium annales, prorsus rejiciunt. Nomen enim a vicina olim sylvula Ham indigitata contraxit: apud quam veteres Saxones arcem Hamenborg appellatam, quæ in urbem deinde coaluit, ædificarunt: quemadmodum ex Helmoldo, antiquis instrumentis, majori urbis sigillo, litteris & privilegiis, in quibus Hammenburg legitur, videre licet. Cui vetus vocabulum Ham, quod Saxonico idiomate sylvulam: (unde in Dithmarsia die Suderham, Norderham sylvulæ) Frisica vero lingua planitiem campestrem seu pratum denotat, suffragatur.

Urbis natalem Historici non recensent; Vicissitudinibus autem ejusdem incrementa & quomodo immunitates a diversis Holsatiæ Principibus acceperit, luculente satis tradunt.

Ex ista Historiarum farragine, quæ maxime videntur memorabilia, huc transcribere placuit.

III. STATUS NOBILIUM HABET
Has Familias Anno MDXC.

Ranzov. Alefeldt. Schestede. Walstorp et Reventlou. Bockuvolt Bogvisch et de wisch.



Qualen Ratlow. Blome. Brocktorp. Crumendick. Meinstorp.



Tinen. Dam. Heisten. Swein Gadendorp. Breide.



Stake. Wensin. Plesse. Wittorp Wonisstet. Hagen.



Holck. Magnussen. Hoier Vken Sturen Hacke.



Kassenbrock. Harberger. Woic. Pensen Iohansen



Muncken. Petersen Andersen Grabov. Paisen. Hocken.



Siversen. Leven. Lancken. Stove. Moeten.



Kercberge. Iuensen und Rosenkrantz. Koeler.





IV. STATVS CIVITATVM COMplectitur Sequentes Civitates.

Lubecam.



Civitatem Imperialem, quæ ideo annumeratur, quod ab Adolpho II. Comite Holsatiæ in finibus Wagriæ de novo ædificata est, inter Travenam et Wakenissam fluvina.

Hamburgum.



Quæ civitas certis privilegiis et conditionibus recognoscit principes Holsatiæ. In finibus Stormariæ inter Albim et Alsteram flumina ædificata est.

Flensborch. *Slesvick.*





Husen *Hadersleben.*





Sunderborch. *Nicopen.*





Tundern. *Breidstedt.* *Rendesborch.* *Itzehoe.*









Crempe. *Wilster.* *Oldesl.* *Segeberg.*









Hilgenhave *Oldenburg.* *Plone.* *Kil.* *Oitin.*











Meldorp. *Heide.* *Lunden.* *Ekelenford.* *Nienstadt.*











Neumünster. *Lutkenborch.* *Tonningen.* *Gardinck* *Borch.* *Wedel.*

















































































cuit. A. C. igitur 801. Carolus M. Ecclesiam Cathedralem Hamburgi fundavit ac ordinavit. Circa annum Christi 810. Vandali e Pomerania progressi, odio Christiani nominis, hanc urbem diripuerunt, penitusque devastarunt: quæ tamen sequenti anno, jussu Caroli M. Imperatoris, denuo fuit ædificata: sedemque in ea elegit Eridagus Presbyter, quem Carolus M. sacris in Nordalbingia administrandis præfecerat.

Mortuo Eridago circa A. C. 833. Caroli Magni filius Ludovicus D. Anascharium primum creavit Hamburgensis Ecclesiæ & vicinarum Archi-Episcopum eumque sedem ibi habere suam voluit.

A. C. 840. Dani ac Normanni, instructa classe Albim adverso flumine ex Oceano Germanico ingressi, hanc urbem invaserunt, magnaque hominum strage edita, templa, monasteria & bibliothecas magnis impensis comparatas exusserunt.

Iidem A. C. 876. mortuo Ludovico Imperatore reversi, ac Nordalbingiam invadentes, totum illum tractum ultra citraque Albim situm & una urbem Hamburgum depopulati sunt.

Rursum iidem A. C. 919. Archi-Episcopo Hamburgense Hogerio, urbem ac viciniam misero modo exusserunt, plurimisque Christianis interfectis devastarunt.

Mœnibus autem primum cincta fuit, & 12. turribus, 3. autem portis exornata, Henrici III. Imperatoris & XII. Archi-Episcopi Alebrandi tempore, quem alii vocant Bezelinum, electus is fuit A. C. 1003. & qua parte templum Cathedrale austrum spectat, domum sibi munitam extruxit.

Hoc defuncto circa annum Christi 1043. Bernardus, Dux Saxoniæ in altera parte templi Cathedralis, quæ sita est ad Boream, arcem condidit, quæ aliquoties quidem a Vandalis diruta, subinde tamen reædificata fuit, cujus rudera & muri etiamnum prope Alstriam & molendina visuntur. Bezelini successor Albertus, Comes Bavariæ, primum templum e lapidibus construi curavit.

Rursum Vandali circa A. C. 1000. Hamburgum totamque viciniam binis irruptionibus invaserunt, ædesque sacras demoliti sunt, cum magna Christianorum & incolarum strage.

Iidem redeuntes A. C. 1066. urbem ferro & igne horrendum fœdantes, arcem Bernardi Ducis Saxoniæ, in ripa Alstriæ, ad reprimendos hostium incursus ædificatam, demoliti sunt, & sacra miserabiliter profanarunt.

Iidem quoque A. C. 1072. Duce Critone Tyranno, binis incursionibus urbem divastarunt, ac diripuerunt, odio Christiani nominis, quod admodum hostiliter persequebantur.

A. C. 1106. Godefridus Comes Holsatiæ & Stormariæ, qui Hamburgi sedem suam habuit, ad Vandalos, quos in vicinia grassari audierat, excurrens, eosque parva manu repressurus, ac rusticos, auxilium ejus implorantes, defensurus, ab iis cum universo comitatu suo trucidatus fuit, capite ejus amputato, quod in victoriæ signum; hostes, una cum ingenti præda secum abstulere.

A. C. 1182. Adolphus III. Comes Holsatiæ cum Fridericum Barbarossam in castris prope Lubecam convenisset, Hamburgensi civitati multa præclara privilegia ab Imperatore impetravit. Hic Adolphus III. cum eundem Imperatorem in Asiam secutus esset, contra Saracenos militans: Henricus Leo Dux Brunsuicensis & Saxoniæ, ex Anglia reversus, Hamburgum interim cum Itzehoa ac Plœna occupavit: Adolpho Comite Dassilienſe, Adolphi III. Holsatiæ Comitis Vicario & affine, ac cæteris præfectis, quos Comes in illis munitis urbibus reliquerat, cum matre & conjuge absentis Comitis, expulsis.

Cum Waldemarus Dux Sleswicensis, Canuti Regis Daniæ frater, Adolphum III. Holsatiæ Comitem, aperta pugna devictum, ac Hamburgum fugientem, bello persequeretur, urbs adventantem Ducem Waldemarum amice excepit ac intromisit, circa A. C. 1201. qui præsidia sua, cum Capitaneo quodam Rhodolpho, in ea collocavit. Neque enim cives Adolpho Comiti, qui Albi trajecto in Comitatum Stadensem aufugerat, urbem salvam servare, neque tam potenti hosti, resistendo, pares esse poterant. Sed eodem anno Comes Adolphus postliminio reversus, præsidiis hostilibus ejectis, urbem recepit & munivit. Hanc cum non longo tempore tenuisset, Waldemarus Dux Sleswicensis cum magno suorum & sociorum exercitu, rediens, obsidione eam cinxit, tandemque ea potitus est, Comite Adolpho capto, inde in castra Waldemari, qui Lawenburgum quoque obsederat, deducto; quumque hæc arx hosti sese dedere nollet, catenis ferreis ligato, & Sleswicum abducto: E quo tamen carcere, datis obsidibus duobus Comitis filiis, uno filiorum Adolphi, Comitis Dassilienſis, unoque filiorum Henrici Comitis Dannenbergensis, & octo e filiis Nobilium, (quorum patres ad decennium sese obstringere cogebantur) post rursum emissus ac liber factus est.

Post, Otto IV. Imp. circa A. C. 1215. Hamburgum Danis iterum eripuit, quod tamen anno sequenti Waldemarus Rex Daniæ, & Adebertus Comes Orlemundanus, Regis in Holsatia Vicarius, vicissim arctissima obsidione cinxit, commeatu undique terra, & Albi incolis intercluso, quos tandem fame compulit, ut sese dederent. Itaque Rex occupatam urbem Comiti Orlamundano Alberto hæreditario jure possidendam mancipavit: quam is tamdiu tenuit, donec in pugna, ad Bornhövedam commissa, Rex Waldemarus fuit ab Adolpho IV. Holsatiæ Comite superatus, atque ex Holsatia cum suis fugatus. Tum enim ad Holsatiæ Comites urbs rediit, circa A. C. 1226.

Porro in hanc urbem Joannes & Gerardus, filii Adolphi IV. Holsatiæ Comitis, Christophorum Regem Daniæ in pugna Loheidense devictum, & cum conjuge Regina captum, abduxere die Pantaleonis A. C. 1261. & ibidem aliquamdiu detinuere, donec ingenti lytro persoluto, Rex & Regina liberi fuerint dimissi.

A. C.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

A. C. 1281. Urbs plus media sui parte, Vulcani violentia, in cineres redacta est, multique in illo incendio homines periere. A. C. 1375. Cum Hamburgenses potentia & divitiis suis elati, Comitum Holsatiæ, qui longissimo tempore ipsorum legitimi fuerunt Domini, jugum suis cervicibus excutere decrevissent, ac statuam Rolandi in libertatis suæ signum, in ponte, qui etiamnum Rolandinus appellatur, erexissent: Carolum IV. Imperat. Lubecæ convenerunt, petentes, ut ejus approbatione & confirmatione urbs inter Imperiales recenseretur. Sed cum Holsatiæ Comites jus suum in Hamburgenses constanter tuerentur coram Imperatore: civitati Decreto Imperatorio mandatum fuit, ut Holsatiæ Comites porro quoque pro Dominis suis agnosceret, & nihilominus privilegiis, quæ veteres Imperatores urbi concesserant, gauderet ac uteretur. Hac sententia (quæ jam est in manibus Christiani IV. Regis Daniæ ac Norwegiæ) lata, Hamburgenses Rolandi statuam rursum demoliti sunt, & Comites Holsatiæ pro legitimis Dominis recepere.

A. C. 1464. a festo Pentecostes usque ad festum Sancti Bartholomæi 20000. hominum urbanorum pestis sævitia periere.

Hodie urbs hæc Holsatiæ Principes, certis tantum privilegiis & conditionibus, recognoscit; de qua tamen subjectione in Judicio Cameræ Imperialis ab utraque parte hodie disceptatur.

Nihilominus A. C. 1482. d. 5. Novembr. Senatus Populusque Hamburgensis, Joanni Regi Daniæ, & Friderico I. Holsatiæ Duci: quemadmodum post A. C. 1538. mense Majo Christiano III. Regi Daniæ, promissionem fidelitatis, more Majorum certis conditionibus in Curia Hamburgi præstitit. Id ipsum cum & in tractatione Itzehoæ, inter Regis Daniæ Friderici II. Consiliarios, & Hamburgenses A. C. 1588. instituta, se facturos recepissent, Rege morte præmatura rebus humanis exemto, hucusque intermissum fuit.

A. C. 1589. d. 16. Julii, circa medium noctis turris templi Divi Nicolai, cujus fastigium in stupendam altitudinem assurgebat, fulmine tacta fuit: omniaque ædificia turris, quæ ex ligno constiterunt, exusta, ac campanæ colliquatæ sunt, sola lapidea basi relicta. Verum hæc sequentibus annis, non tamen eo fastigio, quo prius conspicua fuit, rursum ædificata est. Parochias habet quatuor, D. Petri, Divi Nicolai, D. Jacobi, & D. Catharinæ: ac præter has Ecclesiam Cathedralem, in qua Benedictus V. Pontifex Romanus, qui sede Apostolica per Ottonem I. Imperatorem remotus, & custodiæ Adaldagi Hamburgensis Archi-Episcopi, ejusdem Cæsaris Cancellarii traditus est A. C. 1341. Et Johannes I. filius Adolphi A. C. 1266. Gerhardus I. Johannis frater, A. C. 1281. Woldemarus A. C. 1306. Gerhardus II. A. C. 1312. Johannes II. A. C. 1359. ac Adolphus A. C. 1380. Holsatiæ & Schauenburgi Comites, terræ mandati sunt: & etiamnum Canonicorum, duodecim Curias in urbe possidentium, est Concilium: atque etiam vicinum quoddam Auditorium, in quo Superintendens ac lector Theologicus, quater singulis hebdomadibus, & quidem publice, doctrinam pietatis profitetur.

Habet insuper urbs Hamburga ædes sacras sex alias, D. Joannis, cui schola trivialis, & virginum Vestalium adjacet monasterium: D. Mariæ Magdalenæ, cui cœnobium decrepitis mulierculis dicatum adhæret: Sancti Spiritus, cui incorporatum est Nosocomium: S. Gertrudis: S. Anascharii, & extra portam saxeam S. Georgii, cui contiguum est Nosocomium leprosis destinatum.

In his templis omnibus, excepto D. Anascharii sacello, quod vacat, singulis septimanis 38. vicibus ceremoniæ sacræ peraguntur, ac conciones Divini verbi habentur.

Turribus constat eximiæ altitudinis quinque, nimirum ad templa D. Petri, Cathedrale, D. Jacobi, D. Nicolai, ac ad portas Elerianam & Winsenianam. Turres humiliores habet complures.

Politicæ gubernationis forma honesta est, & sunt Judicia jure ac legibus bene constituta.

Senatus quatuor Consulibus & viginti Senatoribus constat.

Fora urbis quatuor sunt: boarium, equinum, lupinum & piscinum.

Macellum præter hæc unum: & locus amplus panibus vendendis accommodus.

Sunt portæ præcipuæ octo: Anascharii, Milrensis, quæ & Elleriana dicitur, aggeris, hospitalis, saxea, Winseniana, ædilis, & prati.

Pontes tam sublicii quam lapidei quinquaginta tres, cum Albis & Alstera urbem hanc cingant, & aliquoties interfluant.

Naves quamplurimæ magnæ & capaces ad longinquas navigationes & exercendam mercaturam peropportunæ, quas numero comprehendere admodum est difficile: quod nunquam omnes in portu simul conveniant; sed nonnullæ per hyemem, nonnullæ per integram æstatem absint. Quare earum numerum omittendum esse duxi, ne certus pro incerto poneretur.

Domus zythi seu cerevisiæ coquendæ, privilegio donatæ, sunt 707.

Porticus negotialis una, elegantissime adque imitationem Antwerpiensis extructa.

Balnea publica duo.

Aquæ ductus artificiosi duo, per quos aqua limpidissima ex intimis terræ penetralibus elicitur, ac in altum sublata per varios canales in urbem defertur.

Omnis generis piscibus hæc urbs abundat, qui ex Albi, Bythena & Alstria capiuntur: ita ut singuli menses novum genus piscium suppeditent; hancque nullus Cimbriæ locus illorum copia antecellat: præcipue tamen hic esoces, sturiones, salmones, lampetræ, murenæ, capitones vel blenni, & rhombi capiuntur, & vili interdum pretio venduntur.

Negotiatio maritima & frequens in longinquas regiones, Indiam, Italiam, Hispaniam, Galliam, Angliam, Scotiam, Irrlandiam, Norwegiam, Livoniam, Daniam, Sveciam etc. Navigatio magna dedit urbi incrementa & civium multos ad insolitam opulentiam evexit: ut & coctura cerevisiæ, quæ ob saporis præstantiam, in

in tota Germania, præ multis aliis maxime commendatur, Medicorum etiam teſtimonio, ut & cujusdam Raimundi Cardinalis, qui eam guſtans: Quam libenter eſſet vinum protuliſſe fertur.

In hujus urbis æde Divi Petri præter complura alia, tabularum & imaginum ornamenta, cernere eſt picturam, a primario quodam cive ibi poſitam ſummo artificio Optices, cujus adſpectu nemo ſaturari, neque ſimilem facile alibi reperire poterit.

Inſignia urbis ſunt & ab antiquo fuerunt tres turres, inter has mediæ porta urticæ folium recipit, ut ex picturis, ſigillis veteribus, & moneta tam argentea, quam aurea in urbe hac olim percuſſa, conſtat.

Nundinas ſtatas celebrat tres, præcipue: I.) Feſto divi Viti. II.) Divi Jacobi. III.) Divi Feliciani. Diſtat Lubeca decem, Lüneburga ſeptem, Segeberga & Itzehoa totidem, Oldesloa ſex, Stada 5. ab Utercenſe cœnobio quatuor, a mari Orientali per Albim navigando 18. milliaribus.

HATZBURGUM.

Hatzburgum. HAtzburgum arx, ad Comites Holſatienſes ac Schauenburgenſes ſpectat. Diſtat Hamburgo 3. fere, Itzehoa 5. Blanckeneſa uno milliaribus.

WEDELA.

Wedela. WEDELA exiguum ad Albim oppidulum mercatorium, Hatzburgo admodum vicinum, cujus inſigne ſtatua eſt inſtar viri armati, & una manu gladium, altera urticæ folium geſtantis, quem noſtrates appellant *den Rholandt*, Inſignia autem originem ut ego exiſtimo ſumſerunt a coloſſo illo lapideo, qui ibidem conſpicitur; geſtans dextra gladium ſiniſtra pomum, quo orbis terræ inſigniri ſolet, capite coronam cum cruce ferrea: altero pede Comitum Holſatienſium ac Schowenburgenſum inſignia. Trajicitur hic Albis: & ampla vectigalia de bobus & equis, qui ſingulis annis magno numero ex Regno Daniæ, & locis vicinis iſthuc adducuntur Comitibus Schawenburgicis, quibus paret oppidulum, numerantur. Nundinas celebrat annuas, ad 25. diem Martii. Diſtat Itzehoa quinque, Hamburgo tribus fere, Buxtehuda duobus, Blanckeneſa, ubi etiam Buxtehudam verſus eſt trajectus Albis, uno milliaribus.

HASELDORPIA.

Haſeldorp. HASELDORPIA eſt arx vallo ac foſſa munita non procul ab Albi inter Wedelam et Uterſenſe monaſterium, fertili, amœno ac paluſtri loco ſita: Agris ibidem per ductas foſſas interfluentesque rivos, more Hollandico diviſis. Olim Epiſcopatui Hamburgenſi & hinc Bremenſi ſubjecta: poſtea permutata fuit cum Ducibus Holſatiæ, & ab his cum Alefeldiis, qui eam hæreditario nunc jure poſſident. Joannes enim Rex Daniæ, cum Hannſio ab Alefeld, Equite aurato, illam commutavit, data arce Dorninga quæ in Jutia ſita fuit. Olim pro bobus hac actis, vectigal ibi pendi ſolebat; ſed Albis inundatione cum nonnulli pagi circumjacentes ſubmerſi eſſent, actus bonum, alio translatus eſt, & vectigalium ſolutio deſiit.

BARMSTEDIUM.

Barmſtedium. BARMSTEDIUM, arx Comitum Holſatienſium ac Schowenburgenſium diſtat Itzehoa duobus, Bramſtedio totidem, Steinburgo uno milliaribus.

PINNENBERGA.

Pinneberga. PINNENBERGA arx, foſſa & vallo circumdata opportunitate nemorum amœna. (Habet enim ſylvas amplas, in quibus magni greges porcorum ſaginari poſſunt;) pertinet ad Comites Holſatienſes & Schawenburgenſes. Diſtat Bredenberga arce quatuor, Hamburgo tribus, ab Uterſenſi monaſterio uno milliaribus.

UTERSENSE MONASTERIUM.

Cœnobium Uterſen. UTerſenſis Monaſterii ac Baſilicæ ibidem erectæ, primus fundator eſt Dominus Henricus de Bramſtedte, qui jacto lapide primo, moniales duodecim ex alio quodam cœnobio in id deduxit, eique dimidiam omnium ſuorum bonorum partem dedicavit; cujus filius unicus in eodem monaſterio, ab hoſtibus paternis fuit interfectus, ibique humatus.

Floret adhuc virginibus Veſtalibus e nobilitate oriundis, & magno redituum proventu. Diſtat Hamburgo 3½. Itzehoa totidem milliaribus, Wedela duobus, & Pinnenberga uno.

ELMESHORNA.

Elmesborn. ELMESHORNA vicus mercatorius Comitum Schowenburgenſium cum Eccleſia Parochiali ſatis eleganter extructa, & nonnullis molendinis aquaticis magni proventus.

Nundinas ſtatas habet tres, primas die Jovis poſt Quadrageſima; ſuntque nundinæ equinæ. Alteras Dominica I. poſt Trinitatis, qua ſimul encænia celebrantur. Poſtremas die 21. Sept. quæ equinæ ſimul ſunt ac boariæ nundinæ. Diſtat Hamburgo 4. Itzehoa 3. Pinnenberga duobus, Barmſtedio totidem fere milliaribus.

STEINBURGA.

Steinburg. STEINBURGA, arx Sereniſſimi Daniæ Regis Chriſtiani IV. ſatis eleganter ædificata, & multis reditibus opulenta: cujus Præfectus hodie eſt Benedictus Alefeldius, Henrici Ranzovii gener, Conſiliarius Regius. Ad hanc præfecturam pertinet Wilſtriæ Marſia, Crempæ Marſia, & Dithmarſiæ dimidium. Duæ illæ priores neceſſitate cogente fere 5000. millia armatorum producere & alere tenentur. Diſtat Itzehoa Crempa & Predenberga uno milliari.

CREMPA

Crempa.

CREMPA parvum & venuſtum Stormariæ oppidum, mercimoniorum frequentia haud poſtremum, civibus habitatum 440. inter quos Oenopolæ duo, totidemque caupones, cereviſiam peregrinam vendentes: vallo egregio, foſſisque & propugnaculis, a Joanne Ranzovio Equite aurato, flagrante bello Lubecenſi A. C. 1535. ita fuit firmatum, ut merito Holſatiæ munitionibus adnumerari potuerit. Jam tamen vitio temporum & aquæ injuria, fundamenta ejus, paullulum collapſa ſunt, quorum inſtauratio, a Rege Daniæ recens inaugurato, commiſſa eſt Benedicto Alefeldio, Præfecto Steinburgenſi.

Nomen habet a navigabili & ſibi homonymo flumine Crempa, quod medium oppidum interfluens, Storæ primum, inde Albi illabitur.

Jus municipale cum inſignibus A. C. 1271. a Gerhardo I. Holſatiæ Comite, Adolphi II. filio accepit.

Templum in ea eſt unicum.

Naves 19. quarum majoribus hoc tempore Hamburgum, & alio per Albim, minoribus vero verſus pagum Kellinghuſen navigatio inſtituitur. Eſt & navis una 90. laſtarum capax, qua, nonnulli cives Ulyſipponem & Venetias navigant, præterquam quod cum Hamburgenſibus nautis, aliqui cives ſocietatem ineunt.

Incolæ alioquin partim mercaturam exercent, partim agriculturæ operam dant, ac hæreditarium Dominum Chriſtianum IV. Daniæ Regem hodie agnoſcunt.

Nundinas ſtatas habet duas, priores Dominica proxime Margarethæ diem, antecedente; poſteriores octiduo poſt diem Galli.

Inſignia ſunt tres piſces.

Diſtat oppidum Hamburgo ſex, Wilſtria duobus, Itzehoa uno, ab arce Bredenberga uno, ab arce Steinburgo dimidio milliaribus.

HEILIGENSTADIUM.

Heiligenſtadium. arx ædificata eſt a. 1583.

HEILIGENSTADIUM arx cum pago ad Balthaſarem Ahlefeldium, Henrici Ranzovii Producis Cimbrici generum ſpectat: cujus templum unum ex vetuſtiſſimis & primis, quæ in Cimbrica Cherſoneſo extructa fuerunt eſſe exiſtimatur.

Nomen ejus derivant a ſanctorum exuviis, quæ ibi tumulatæ ſunt.

Temporibus enim Ottonis III. Imperatoris ingens perſecutio exorta eſt, in hac & vicina ad Albim regione, quam infideles Vandali in Chriſtianos exercuerunt, ac trucidatorum cadavera in Albim & Storam projecerunt, quæ hoc in loco ex aquis emergentia, a ſervatis reliquiis piorum hominum ſepulta fuere.

Affirmant quoque nonnulli, in eadem illa clade Chriſti fidelium, cum Hamburgum Stormariæ, & Altenburgum Wagriæ, a Vandalis devaſtarentur, ex illis locis huc confluxiſſe quasdam exulum reliquias, qui templo exſtructo ſacris operam dederint, & ab hoc conventu ſanctorum iſtorum hominum, loco nomen inditum eſſe.

Hic, Officialis Capituli Hamburgenſis annuas ſynodos celebravit, litesque Eccleſiaſticas audivit, & diremit.

Templum D. Virgini Deiparæ ſacrum & a Nobilibus circumhabitantibus, ac in primis Krummendikiis laute dotatum eſt, qui olim habebant Jus Patronatus, in hanc Eccleſiam: nunc autem eſt penes Abbatiſſam Monaſterii Itzehoenſis, A. C. 1575. domus Eccleſiaſtæ nocturno incendio conflagravit, in quo ipſe, cum univerſa familia ſua, quæ ſeptem hominum erat, miſere interiit.

Unico a Bredenberga milliari, dimidio ab Itzehoa ſitum eſt, ad ripam Storæ.

ITZEHOA.

Itzeboa. Elevat. poli 54gr. 30 min.

ITZEHOA, dicta, quaſi *Itz ſo hoch*, quod Inſula, in qua fundata jacet, partim marinis fluctibus adjecta gleba, partim induſtria & labore eo-uſque evecta ſit, ut habitari potuerit: mercimoniis & populi frequentia eſt inſignis: ut & ſitus locique natura & navigatione, ac proinde negociatione, quæ fit per flumina Albim & Storam, quorum hoc undiquaque cingitur, intra oppidum tribus pontibus ſtrato. Jus municipale Lubecenſium, ſylvas, prata, nec non inſignia ab Adolpho IV. Comite Holſatiæ A. C. 1233. accepit.

Olim magis, quam nunc fuit munitum. Primum enim a Ludero Bilingo, Saxoniæ Duce, totiusque Holſatiæ Domino, ſub Ottone III. flumine & loci opportunitate, munitiones ſuppeditante, circa annum Domini milleſimum, contra Vandalos firmari cœptum eſt: qui Imperatoris Henrici II. A. C. circiter 1012. tempore, depopulata omni hac vicinia, incenſisque pagis & villis, unicum hoc Itzehoenſe propugnaculum expugnare non potuerunt: quod tamen Woldemarus II. Dux Sleſvicenſis, Canuti Regis Daniæ frater, Adolpho III. Holſatiæ Comite, in loco, quo nunc prædium Henrici Ranzovii Producis Cimbrici, Stelnow, ſitum eſt, devicto, & Hamburgum fugiente, circa annum Chriſti 1201. perfecit, oppido capto ac direpto.

Poſtmodum vero, anno ſalutis 1206. Holſatiæ Proceres, opportuni ſitus commoditate incitati, denuo hoc oppidum munire cœperunt; ibidemque contra Regem Daniæ Waldemarum, cujus Præfectum in arce Segeberga, nonnulli Nobiles Holſati, quod ipſorum Jus abolere vellet interfecerunt, ſe defenderunt fortiter, aquarum firmati præſidio, quæ mirum in modum pro pridie feſti Nativitatis beatæ Mariæ, bis in eam altitudinem exæſtuarunt, ut ponte quem Dani conſtruxerant, dejecto, cives tuerentur hoſtibus excluſis. Stora enim quemadmodum & alia quamplurima Holſatiæ flumina, in Oceanum Germanicum ſe exonerantia, ad aliquot milliaria æſtu marino exagitantur.

Itaque hunc diem Oppidani celebri memoria, & annuis nundinis celebrant: eundemque ob partam tam illuſtrem victoriam Civium diem nuncupant. Etiam affirmant ſub victoriæ tempore, creſcente aqua, binis vicibus columbam in aëre volantem viſam, ejusque alteram alam, tandem a milite tormento læſam, in terram decidiſſe,

se, quæ adhuc ibi in Monasterii choro, ad rei memoriam conservatur.

Obsessa etiam fuit Itzehoa, circa A. C. 1227. ab eodem Waldemaro (qui Canuto fratri defuncto in regno Daniæ successerat) anno altero post cladem Bornhoderensem quam Rex ab Adolpho IV. Holsatiæ Comite, & civitate Lubecensi passus fuerat, non tamen eam cepit, verum re infecta, damno ab Holsatis affectus, relinquere fuit coactus.

Præter sacellum, in foro, cui schola trivialis contigua est, templa habet duo: unum extra urbem, equestri D. Georgio sacrum, alterum in nova urbe D. Laurentio inauguratum, cui cœnobium 21. nobilium virginum etiamnum monialium habitu divinis officiis occupatarum, & delubrum quoddam Ranzovianæ sepulturæ destinatum adjacet.

Cœnobium ibidem.

Cœnobium autem dictum Gerhardus I. Adolphi IV. religiosi filius, ex villa Ivensiete ad confluentem Storæ & Albis, in Crempensibus palustribus sita, Itzehoam transtulit, ac D. Mariæ Virginis Deiparæ, honori consecratum, multis reditibus auxit, inque ejusdem Ecclesia, primus ex Comitibus sepulturam accepit A. C. 1286.

Postea & filius ejus Henricus, qui, fraternitatem Calandicam in Münsterdorp restituit, A. C. 1310. Et Nepos Gerhardus Magnus, qui a Nobili in Jutia est cæsus, A. C. 1340. & pronepos Henricus cognomento Ferreus A. C. 1380. cum fratris Uxore Elisabetha A. C. 1388. & fratre Nicolao A. C. 1400. Albertus item Holsatiæ Comes in Dithmarsia equo lapsus, A. C. 1403. Gerhardus Dux primus Slesvici, in Dithmarsia cæsus, A. C. 1404. Henricus Comes Holsatiæ & Episcopus Osnabruggensis A. C. 1424. & Henricus IV. Dux Slesvigæ Holsatiæque Comes, Sponsus in obsidione Flensburgensi transfossus A. C. 1427. Adolphus VIII. qui absque prole mascula decessit A. C. 1459. postremo hic est sepultus.

Exstant præterea in hac ipsa Ecclesia aliorum illustrium virorum, & Nobilium Familiarum inprimis Ranzowiorum marmoreæ sepulturæ, monumenta, tumbi, epitaphia, & inscriptiones plurimæ, quas in Itinerario suo, Nathan Chytræus, ac Laurentius Schraderus retulerunt: & Georgius Bruno, in quarto suo urbium theatro, nec non Petrus Lindebergius, in Hypotyposi, artium, palatiorum, monumentorum Ranzovianorum recensent.

Refectorium porro hujus cœnobii ædificatum est, sumtibus Hartwici Rewentlovii, nobilis Cimbri, cum Adolphum VI. Comitem Holsatiæ Segebergæ occidisset, & post cædis a Joanne XXII. P. P. Romæ absolutus esset, illa satisfactione Canonica, ei indicta.

Sacellum vero, cujus mentio facta est, Henricus Ranzovius ex unanimi Dn. Abbatissæ Catharinæ Alefeldiæ & Consulum ac Templi D. Laurentii Curatorum consensu, quibus ad reparationem ejusdem 160. & pro loco sacelli 560. tetradrachmas persolvit: A. D. 1591. exstruxit, inque illud ex avita, jam penitus repleta, & nimis angusta crypta, patris, matris & filii Caji corpora transferri curavit, ac se in id, tanquam suum & posterorum commune conditorium a morte sepeliri mandavit. Cavit præterea testamento, ne hoc monumentum cum ædificio mutetur, neque alteri veneat, neque donetur, neque pignori obligetur, aut ullo modo alienetur: ut ita familiare Ranzowici nominis perpetuo maneat.

Molendina juxta hoc oppidum quatuor extant; estque duabus nundinis annuis potissimum famosum, quarum priores Dominica Lætare, posteriores, die Galli celebrantur. Compertum enim est circa 3000. equos, totidemque boves, tum ibi venales exponi, de quibus vectigal pendi oportet.

Cives qui annuatim cerevisiam coquunt, ibi degunt 40. fere, tam in nova, quam veteri civitate.

Myropolium habet unum: tabernas 10. in quibus tum vinum, tum cerevisia peregrina venditur.

Naves grandiores ac minores omnis generis habet circiter 22. quæ mercimoniis civium, per Storiam in Albi & Oceano Germanico exercendis, inserviunt.

A. C. 1562. Platea Vicariorum, quæ dicta fuit *die Papenstrate*, in veteri oppido prope templum sita, tota conflagravit: quæ jam restituta est. Hodie hoc oppidum Christiano IV. Daniæ Regi, tanquam Holsatiæ Duci, ad quem a Patre Friderico II. post mortem est devolutum, paret.

Non procul ab Itzehoa, apud pagum Nordoë, supra montem conspicuum, in quo Nymphas habitasse vetustas credidit, Henricus Ranzovius, elegantem quadratam, inque apice acuminatam ex Albo Buceburgensi lapide pyramidem construxit, eamque Deo Trino & Uni, nec non Friderico I. Christiano III. & Friderico II. Danorum Regibus, Dominis suis variis Inscriptionibus dedicavit.

Insignia oppidi sunt duæ turres, inter quas urticæ folium explicatum est.

Distat Segeberga septem, Rendesburgo sex, Meldorpio quinque, ab Henrici Ranzovii prædio, Melbeka, uno, ab Albi itinere terrestri sesqui milliari, per Storam vero navigando tribus: ab arce Bredenberga dimidio milliaribus.

MUNSTERDORPIUM.

Munsterdorp.

Itzehoam & arcem Bredenbergam medio itinere interjacet Parochia Munsterdorpiana, ubi Conventus annui sub nomine fraternitatis Calandicæ celebrantur, a Pastoribus circumjacentium Ecclesiarum, qui ibidem annuatim convenientes binis vicibus, causas, ac lites Ecclesiasticas audiunt, & componunt: Habentque hic reditus, ad id destinatos, propriamque domum, in qua per unum ac alterum diem commorantur, & amice convivantur.

Est in hoc pago fons quidam D. Sixto sacer, majorum opinione febri quartana laborantibus haud insalubris, cujus aquæ virtus, Gallo cuidam febricitanti, per somnium (ut narrant) revelata, potanti sanitatem restituit: quem vetustate collapsum, Henricus Ranzovius Produx Cimbricus A. C. 1587. instauravit, attestante id Inscriptione quadam, quæ lapidi incisa ibidem legitur.

Idem quoque Henricus Ranzovius, reditus certos ordinavit, e quibus in hujus pagi templo eleemosynæ, in usum quinquaginta pauperum, singulis annis bis distribuuntur.

BREDENBERGA.

Bredenberga. BREDENBERGA, arx munitissima & celeberrimi Nominis in Stormaria, ad Storam sita in colle, undiquaque planitie ad quingentos passus & fossis circumsepta, atque distincta, quæ planities singulis sex horis, ubi necessitas ita postularit, aggere Storæ perrupto, inundatis late agris, aquis obduci potest.

Condita primum est a JOANNE RANZOVIO, Equite aurato A. C. 1530. quam deinde, HENRICUS RANZOVIUS, Joannis filius, novis ædificiis, eleganti Bibliotheca instructissimoque omni genere apparatus bellici armamentario sic auxit, & expolivit, ut illi secundas inter totius Cimbriæ munimenta hi nunc deferant, qui oppugnationum non imperiti habentur.

Arcis situm, magnificentiam, elegantiam, & munitionem Georgius Crusius, Georgius Braunius, Decanus & Canonicus Colonienſis, tomo quarto urbium orbis terrarum, & Petrus Lindebergius in Hypotyposi sua arcium & palatiorum Ranzovianorum ad unguem descripsere: quo benignus lector, ne in immensum liber hic excrescat, remittitur.

Distat Hamburgo septem, Lubeca decem, Chilonio novem, Rendsburgo sex, Segeberga septem, Steinburgo uno, Itzehoa dimidio milliaribus. Ab hac arce, usque ad ostium Storæ, quo Albim ingreditur, 3½. milliaribus navigatio per Storam conficienda.

KELLINGHUSIUM.

Kellinghusium. INter Bredebergam & Bramstedium situs est pagus Kellinghusium dictus, in quo Ecclesia Parochialis exstat, super quam miræ altitudinis turris erecta est.

Pontem sublicium super Storam fluvium stratum habet, per quem Itzehoam, Segebergam, Neo-Monasterium, & Chilonium iter instituitur. Distat Segeberga quinque, Bredenberga duobus, Itzehoa & Bramstedio totidem milliaribus.

STELNOVIUM.

Stelnovium. STELNOVIUM, prædium, cum pago, est ejusdem Henrici Ranzovii, quod ab Alefeldiis emit, situm in loco paluſtri & riguo ad fluentum quoddam satis latum ac profundum, quod non procul a prædio Storæ se commiscet. Prope hoc prædium A. C. 1201. Adolphus III. Holsatiæ Comes cum Waldemaro, Duce Slesvicense, infelici pugna congressus, victus est, ac fuga vix Hamburgum evasit, multis suorum partim ferro, partim captivitate desideratis. Distat Itzehoa, Bramstedio, Bredenberga sesquimilliari, vico Kellinghusio dimidio milliari.

Non ita remote ab hoc prædio, pons est RANZOVIANUS, ultra centum pedes longus, candido e saxo, Henrici Ranzovii Producis Cimbrici impensis constratus, A. C. 1585. supra fluvium, qui trajectu sfratrum Ranzoviorum, vulgo *der Bruder Rantzowen Fortt* nuncupatus, Storam fluvium ingreditur.

BRAMSTEDIUM.

Bramstedium. BRAMSTEDIUM vicus est, fluvio cinctus. Conveniunt illius in Circuitu, aliquot rivi, in area conspicitur colossus, vulgo *Rholandt*, dictus, sub imagine viri armati, una manu gladium & altera insignia Holsatica tenentis.

Ecclesiam Parochialem eamque satis amplam habet, unam: Pontes per quos Hamburgum, Itzehoam & Neo-Monasterium versus, iter instituitur, quatuor.

Molas aquaticas, tres. Mercatum unum, ad 22. diem Julii.

Non parum lucri ad Incolas redundat, dum peregrinis fœnum, ad usus jumentorum, quæ magno numero per vicum hunc, ad Albim aguntur, vendunt.

Juxta hunc vicum, Hamburgum versus, pugna inter Joannem Comitem Wagriæ & Adolphum Comitem Schawenburgensem habita, ac in ea Adolphus captus est, A. D. 1317. die Decollationis Johannis Baptistæ. Locus pugnæ in hodiernum usque diem pugnæ campus, vulgo, *der Streit-Kamp*, appellatur.

Ab altera hujus vici parte, etiam prælium est commissum, in quo Henricus, Episcopus Osnabruggensis, & Holsatiæ Comes, Comitis Adolphi filiorum tutores devicit A. D. 1401. Distat Kellinghusio duobus, Bredenberga tribus, Itzehoa tribus, Neo-Monasterio duobus, & Hamburgo sex milliaribus.

TRALOVIUM.

Tralovium. TRALOVIUM, prædium est, ad Nobiles Brockdorpianos pertinens, ubi salinæ scaturiunt. Distat Brambstedio quinque cum dimidio, Segeberga uno cum dimidio, Oldesloa unico: & Nutzschowio dimidio milliaribus.

NUTZSCHOVIUM.

Nutzschovium. NUTZSCHOVIUM, Castrum est, colli impositum, quod a Pensenorum Nobili familia Holsatica emtum, A. C. 1578. Henricus Ranzovius Produx Cimbricus, de novo funditus ædificavit, domo veteri dejecta.

Ambit hoc undiquaque lacus piscibus abundans, & sylva quercinea ac faginea: ac ab occidentali parte castri, hortus est insigniter amplus, ferax, ac amœnus. Pulcris præterea conclavibus, dormitoriis, areaque lapidibus sectis strata superbit: denique is ejus est, ex omni bonorum ac pulcritudinis genere splendor, ut inter Nobilium sedes primarias non immerito possit referri. Distat Lubecca quatuor, Segeberga duobus, Oldesloa dimidio milliaribus.

ARNSBURGUM olim OLDENHORNA.

Oldenborna seu Arnsburgum. OLDENHORNA olim nunc ARNSBURGUM dicta, arx est quadrata forma constructa, & admo-

admodum munita, fossâ profunda aggereque excelso. Arcis singuli anguli, singulas turres impositas habent. Pons est e lapide vivo siliceo, qualis, his in oris, nunquam antehac fuit visus: Ædificium, Italico Architecturæ artificio constructum est, conclavibus intus partim aureo, partim argenteo colore obductis, incredibili sumtu Petri Ranzowii, qui etiam non procul arce templum condidit, mira venustate exornatum. Xenodochio, & habitationibus, pro Ecclesiaste, & cæteris personis, quibus templi cura commissa est, undequaque cinctum. Sepulturam ipse suam in templo, vivus, sibi nec non uxori & filio, præmortuis, & e lapide Alabastrino construi fecit. De hac arce sequens extat Epigramma:

Inscriptio Arcis
ARNSBURGI.

Arx ego, temporibus fama victura futuris
ARNSBURGUM proprio nomine dicta vocor.
Desolata situ, laceris & diruta saxis,
Cultior antiquo, sto, reparata loco.
Præstitit hoc PETRUS, GOSCHII laudata propago,
RANZOVIUS, priscis quem genus addit avis.
Non temere id factum. Celebri sed gentis honori
Et REGI & PATRIÆ sum bene structa meæ.

Distat Lubeca sex, Hamburgo & Segeberga quatuor milliaribus.

TRITTOVIUM.

Tritovium. TRITTOVIUM, Arx ad præterlabentem Billenam, ædificiis elegans, fossâ, vallique munitione firmissima: sylvis fructiferis, in quibus aliquot millia porcorum saginari possunt, circumdata: inter Lubecam & Hamburgum sita, a JOANNE LARGO Comite Holsatiæ & Schauenburgi extructa, circiter A. C. 1342. a Lubecensibus est occupata, ab Holsatis vero recuperata A. C. 1535. Molas habet duas juxta arcem. Solvitur hic quoque vectigal a mercibus illac transvectis. Distat Lubecca sex, Segeberga totidem, Hamburgo quatuor milliaribus.

REINBECCA.

Reinbeca. REINBECCENSE ad Billenam monasterium, in arcem ab Adolpho Holsatiæ Duce p. m. ante aliquot annos, venuste & magnifice ædificatam conversum est, cum Lubecensibus id penitus antea esset exustum.

Piscinas habet celebres: sylvasque ad saginandos porcos opportunissimas: ac molas aquaticas complures. Segeberga distat septem, Hamburgo duobus, Trittovia totidem: Trajectu Albis qui dicitur Tollenspiker, uno, Bregersdorpio dimidio milliaribus.

WANDESBURGUM.

Wandesburgum. WANDESBURGUM vulgo Wandesbeca, arx est fossâ duplici circumdata, cum adjuncto stagno ac prædio: quam HENRICUS RANZOVIUS Produx Cimbricus, emtionis titulo ab Adamo Trazigero J. U. D. acquisivit, ac de novo funditus ædificatam, veteribus ædificiis dirutis, novis, ac area 40. pedes longa, 30. lata, splendide exornavit.

Hortis peramœnis, & amplis, agris, pascuis, ac sylva quercinea, cujus arbores certa serie dispositæ, elegantem præbent adspectum, undique cincta est: pratis præterea irriguis luxuriat.

Adjacet ipsi pagus, qui & idem nomen & eundem Dominum cum arce habet: ac molendina tria, quorum unum frumentis pinsendis, cætera duo, pulveri bombardico parando inserviunt. Distat Segeberga septem, Bredenburga totidem, Trittovia tribus cum dimidio: Bergerdorpio duobus, Hamburgo dimidio milliaribus.

Et hactenus de Stormaria dictum.

WAGRIA.

Wagria Slavorum. WAGRIÆ provincia Slavorum, seu Henetorum aut Vandalorum aut denique Herulorum Regibus olim paruit, quibus Adolphus II. Holsatiæ & Schawenburgi Comes eam circa annum 1140. per nobiles ac subditos suos eripuit, & Holsatiæ Comitatui adjunxit: quod prius fuerat per Henetos ante aliquot annos occupata.

Reliquas Cimbricæ Chersonesi partes oppidorum & cœnobiorum frequentia, regionisque amplitudine, longe superat, continens in longitudinem a Totislovio nimirum, ad pagum usque Grotenbrot duodecim milliaria, in latitudinem vero quinque.

Olim sub Obotritis Meckenburgicis. Quamvis nulla de hac Provincia Holsatiæ Duces usurpent insignia, nigrum tamen caput bubulum, flavo clypeo inclusum, quod sub Obotritorum fuerit potestate, ipsi assignatur.

Complectitur urbes Imperiales LUBECAM, OLDESLOAM, SEGEBERGAM, OLDENBURGUM, TRAVÆMUNDAM, NEAPOLIN, PLOENAM, OITINUM, PRETZAM, GROTENBRODAM & PORTUM SACRUM: Arces Regias Ducales & Episcopales, ac Dominia nobilium circa 54. e quibus nonnullorum descriptiones sequuntur.

Monasteria duo Pretzense & Plonense. Abbatias quatuor: Reinfeldensem, Segebergensem, Cismariensem, & Arnsbocensem. Parœcias & Templa plus minus 80. connumeratis quæ in urbibus extant & pagis.

Agros item fœcundos & feraces, ac læta saginando pecori pascua. Venatoribus quoque & piscatoribus, ob densissimas sylvas, fluminaque frequentissima, stagna & piscinas jucunda præbet exercitia.

LUBECA.

Lubeca. LUBECA, urbs est Imperialis, & libera, ac civitatum Wandalicarum & inclytæ societatis Anseaticæ caput, in extremis Imperii finibus

sita, & maris Orientalis porta: per quam omnium rerum fere ad usum humanum necessariarum, ingens copia, per totam pene Germaniam distribuitur.

Quod autem Wagriæ adnumeretur duæ sunt causæ, & quod ab Adolpho II. Comite Wagriæ Anno 1140. inter Travenam & Wachnesam flumina, in finibus Wagriæ fuerit ædificata, cum prius flumini Swartæ adjaceret; & quod Episcopi & Capituli ejusdem cortes splendidas, partemque bonorum maximam, ambitu suo complectatur.

Urbem ipsam etsi nonnulli anno Nativitatis Domini 151. a Vitego Cimbrorum Duce: nonnulli anno 1040. a Godescalco Udonis filio & Obotritorum rege tricesimo primo: nonnulli circa A. C. 1114. a Truda quodam: nonnulli denique alia tempestate fundatam esse contendant: Tamen Historici omnes Lubecæ urbis natalem primum & verum faciunt annum verbi corporati 1140. quod eo nimirum ab Adolpho II. Comite Holsatiæ & Schawenburgico sit fundata, ædificata, & mœnibus cincta: Cui eam Bavariæ & Saxoniæ Dux potentissimus, Henricus Leo extorsit, qui & emporio indicto multisque immunitatibus concessis, igne fortuito conflagratam renovavit, & Episcopali sede ex Oldenburgo translata condecoravit, primo ejus existente Episcopo Ceroldo, qui templa Divi Joannis & beatæ Mariæ virginis, suis impensis extrui curavit, certosque reditus, utriusque Presbyteris assignavit. Sed nec Henricus Leo, eam diu obtinuit; Ab isto enim in Imperatoris Friderici Barbarossæ, qui magna privilegia urbi donavit: A. C. 1182. ab illo vicissim, A. C. 1188. in Leonis ex Anglia reversi potestatem pervenit: Cui Adolphus III. A. C. 1192. ex Asia redux, eam iterum eripuit. Quo denuo per Danos ex Holsatia ejecto, in Canuti VI. Danorum Regis ditionem deflexit. a. 1201. A Daniæ Regibus ad Fridericum II. Roman. Imperat (a quo Imperiali exemtione A. 1227. donata est) devenit: & ab eo die magnis subinde incrementis potentiæ ac divitiarum sumtis, Imperialis mansit.

Nominis ratio a Scriptoribus in diversa trahitur.

Principio enim BUTE, post COLONIA MAGNA, & tandem LUBECA fuit appellata.

BUTE inquam: sive a Godescalci conditoris filio, sive ad similitudinem ejus, quam Sauromatæ habitabant, juxta Mæstim lacum: sive in honorem filii VENERIS qui BUTE vocabatur:

COLONIA MAGNA, ob crebras locorum mutationes, divitias, portum opportunissimum, variasque merces: LUBECA, vel a Lubimaro Rugiorum Principe, qui maximopere eam locupletavit auxitque: Vel a LUBA quodam Piscatore, qui tenues, eo in quo nunc jacet fundata loco, casas habuit, primumque ibi resedit.

Sunt quibus vocabulum LUBECA Vandalicum esse placet, sonans ornamentum & coronam. Non solum enim omnium Anseaticarum civitatum, saltem caput est & regina, sed etiam totius maritimi tractus Vandaliæque.

Contra non desunt, qui nomen Sarmaticum esse contendunt, sonans amiculam ut esset *Liibeck*, id est *Liebcken*, Amasia, vel quod a primo statim fundationis anno, tot earum tulerit, quot nec mons, qui fingitur Veneris: vel quod a vicinis Regibus, Principibusque sæpius fuerit petita & adamata, ac etiamnum adametur.

Sunt qui Saxonicum esse nomen referunt, sonans angulum seu terminum regnorum, ut esset *Lubegck*, quasi *Lobeckgh*, quod nimirum tribus, Daniæ Norwegiæ & Sveciæ regnis vicina sit: & trium Megapolensis Saxoniæ & Holsatiæ Ducatuum fines attingat iisque adjaceat.

Pontes habet tres: Unum ante portam Holsaticam, super fl. Travenam, alterum super Vuackensum, ante portam moletrinarum quas habet 10. conspicuas, vilioribus quibusdam exceptis, quæ contectæ, a quovis conspici nequeunt: & tertium ante portam Huxtariensem, super fluvium, qui e stagno Raceburgensi derivatus, incerti nominis est, & post in Wagnesum illabitur. Portis patet quatuor præcipuis, Holsatica, molari, Hoxtariensi & porta Arcis.

Cæterum etsi non multo ante nonnulla eorum, quæ memorabilia maxime acciderunt in hac urbe, enumeraverimus: tamen hic pauca alia adjicere libuit, e magna Historiarum farragine seorsim excerpta, quæ sequuntur.

A. C. 1147. Urbs per Nicolotum Vandalorum & Obotritorum Ducem, adverso flumine Travena classe armata venientem improviso incursu, in ipsis nundinis fuit occupata, direpta ac vastata 300. civibus occisis. Nec hac strage contentus fuit infidelis Obotritorum princeps: sed duas insuper equitum turmas emisit, quæ Wagriam invadentes, Colonos pene omnes, quos Adolphus Comes e Batavis Ultrajectinis, Frisis & Westphalis collegerat, interfecerunt, & magnam inde prædam abegerunt.

Non longe post, eadem pene secundum capta fuisset, ab eodem Vandalorum Duce Nicoloto. Subito enim impetu eam occupare statuerat: sed pii cujusdam Presbyteri Atelonis opera defensa fuit, qui dolum hostis subolens, advenienti pontem supra Wagheniſſam stratum subduxit, itaque eum exclusit.

A. C. 1174. Cœnobium D. Joannis fundatum fuit, ab Henrico Episcopo Lubecense tertio, qui Monachis e familia Divi Benedicti id concessit. His inde ob vitam dissolutam per cives expulsis, & in cœnobium Cismarienſe translatis, ipsum Monasterium Divi Joannis ad moniales transiit.

Idem Episcopus templum Cathedrale fundavit, & præsente Duce Henrico Leone primum fundamenti lapidem jecit.

Cum Imperator Fridericus Barbarossa circa annum Christi 1182. semissem vectigalium redituum molarium, & collybi in civitate feudi nomine donasset, Adolpho III. Comiti Holsatiæ: lis inter Comitem & civitatem fuit exorta paulo post, ob vectigalium quæ Comes exaggeravit magnitudinem: Unde etiam factum, ut Comes aliquot cives Lubecenses, Oldeslovii & Hamburgi ceperit: de qua injuria cum conquesta esset civitas, coram Imperatore Friderico, ejus transactione effectum est, ut Lubecenses Comiti Adolpho pro vectigalibus, & cæteris reditibus 300. marcas argenti: pro pratis vero ad ripam Travenæ,

venæ, a Travæmunda Oldeslovium usque sitis 200. marcas, argenti numeraverint: veteraque sua privilegia salva retinuerint.

Cum Canutus Rex Daniæ urbem hanc subjugasset, circa A. C. 1201. eaque per 25. annos plus minus in Danorum potestate fuisset: tandem pertæsa jugi Danici Friderici II. Imperatoris opem per internuncios imploravit, qui edicto publico principes urbi vicinos, jussit contra Danos auxilia ferre. Itaque Lubecenses commodam occasionem nacti, arcem quam Rex Waldemarus A. C. 1215. ædificaverat, & Dani possidebant, gladiis subter vestes tectis ingressi, quos adoriebantur, trucidarunt, ac arcem diruerunt. Adolphus autem IV. Comes Holsatiæ & finitimi Principes, copiis collectis, se Lubecensibus adjunxere, pugnaque aperta cum Rege Daniæ Waldemaro II. qui Canuto fratri in regno successerat, prope pagum Bernhövedensem congressi sunt, magnaque hostium strage edita, superiores evaserunt, Ottone Duce Brunsvicense, qui Regias partes sequebatur capto: Dithmarsis quoque qui primum Regi auxilio venerant, ab ipso deficientibus hostique sese adjungentibus. Sic in pristinam libertatem Lubecenses restituti, & pluribus ac potioribus privilegiis a Friderico II. Imperatore donati sunt A. C. 1227. festo Mariæ Magdalenæ.

A. C. 1209. Lubeca tota fuit concremata, exceptis quinque domibus, quæ plateæ in qua erant sitæ, nomen dederunt, quod etiamnum retinet.

Sic A. C. 1238. Eadem magna damna ex ignis incendio passa est; unde Scripto decretum est, ne deinceps, domiciliorum tecta ex straminibus; sed imbricibus coctilibus conficerentur.

Non longe post, nimirum circa A. C. 1251. semisse sui urbs exusta fuit.

Circa A. C. 1261. Comes Holsatiæ Joannes, memor captivitatis, in qua ob cædem Borcardi Boeti nobilis Holsati, Lubecæ perpetratam, nonnullo tempore detentus fuerat, collecto exercitu circum urbem incendiis, & rapinis grassatus fuit. Etsi autem tum Lubecenses Comiti Holsatiæ resistere noluerunt, quod vires suas copiis hostilibus impares esse cernerent: post tamen ubi Comitis exercitus dilapsus esset, advocato in auxilium Alberto Duce Brunswicense, vicissim Wagriam invaserunt, captaque Oldenburga, Kilonium menstrua obsidione cinxere: qua finita onusti magna præda, in urbem rediere.

Cum Lubecenses nobilibus quibusdam, ob inobedientiam & contumaciam Holsatia ejectis, receptum darent: Gerardus II. Comes Holsatiæ, urbi bellum intulit, excitataque ad Travæmundam munitione, commeatum intercluſit. Re tamen postea per Ericum Daniæ Regem composita, pax fuit constituta.

A. C. 1356. secundum alios 1366. curia urbis conflagravit.

A. C. 1367. Nicolaus Bruschke, nobilis, Consulem Lubecensem in æde beatæ Mariæ confodit, ob litteras quasdam adversus ipsum scriptas. Homicida vicissim in quatuor partes, quæ portis urbis fuerunt præfixæ, est dilectus.

A. C. 1385. clandestina conjuratio fuit inter cives nonnullos Lubecenses, ac Dethlevum & Godescalcum Gadendorpios, aliosque nobiles Holsatos, de præcipuis e Senatorio ac patricio ordine occidendis, & imperio urbis ad sese rapiendo. Verum fraude mirabiliter per Consulis filium Parsevalium detecta, conjurati fuerunt capti, & duces conspirationis rotæ, reliqui capitis supplicio affecti. Gadendorpius autem a Lubecensibus, in proprii sui pagi cœmeterio frustim est concisus, cum antea aliquot Lubecenses, ut præfectum Mollovienſem, & Henricum Scherfenbergium Capitaneum ipsorum interfeciſſet.

A. C. 1403. tanta pestis grassata fuit Lubecæ, ut a festo corporis Christi, usque ad festum Martini 18000. hominum, exceptis pueris, ac infantibus, perierint.

A. C. 1408. Lubecensis Senatus a civibus urbe ejectus, postea tamen, re ad Imperatorem Sigismundum delata, ac discussa, per Ericum Regem Daniæ (Imperatore ei sententiæ a se latæ executionem deferente) restitutus fuit, unde factum est ut Lubecenses, una cum nonnullis aliis Vandalicis civitatibus Anseaticæ societatis, fœdus cum Danis de subsidiis 1000. militum, ultro citroque contra hostes mittendis, pacti sint.

A. C. 1501. exorta est simultas quædam inter Joannem Regem Daniæ ac Sveciæ & civitatem Lubecensem, quæ magnis turbis ac damnis causſam dedit, duravitque in annum usque Christi 1512. quo Flensburgi res placide transacta fuit.

A. C. 1506. Urbs Ducibus Megapolitanis, horumque confœderatis bellum intulit, ob privilegiorum veterum immunitatem: quod cum biennium durasset A. C. 1508. rursus compositum fuit.

Hoc anno, nocte insequente feriam alteram Paschatis, templum beatæ Mariæ virginis combustum, eodem tamen anno reædificatum fuit.

A. C. 1534. Lubeca obsessa fuit a Christiano III. Rege Daniæ & Joanne Ranzovio ejus belli Ductore: quam obsidionem, cum per sex menses cives tulissent, eo redacti fuere ut in pacis conditiones a Rege latas consentirent. Aliquot enim naves ipsis ereptæ fuerunt, Travæmunda capta, & castello ibidem erecto, & ante Oitinum nonnullæ ipsorum cohortes cæsæ: cum antea ipsi arcem Segebergam frustra obsedissent, oppidum incendissent, & Trittoviam spoliassent.

Consules qui has tragœdias contra voluntatem præcipuorum e Senatu ac populo excitaverant, pœnas justas dederunt, Marcus Mejerus in Dania, & Wolfgangus Wollenbeberus, Wolferbyti.

A. C. 1563. una cum Rege Daniæ Friderico II. quo cum naves suas bellicas conjunxerat, bellum hæc urbs gessit, contra Sveciæ Reges Ericum & Joannem: quod A. C. 1569. rursus Stetini sopitum est, per Legatos Imperatoris Galliæ & Poloniæ Regum, ac quorundam Germaniæ Electorum & Principum: Cæsareum Delegatum, agente Joanne Friderico Pomeraniæ Duce.

Urbis insigne est aquila biceps, nigri coloris, exhibens in pectore clypeum, transverse divisum, cujus superior pars albet, inferior rubet.

Nullas statas jam celebrat nundinas. Exteris tamen institoribus, per annum triduo merces

suas

ſuas exponere ac divendere licet, quacunque illud fiat anni, menſis, aut ſeptimanæ parte.

Sed de hac urbe ad Wagriam noſtram non amplius pertinente, ſatis.

Plura autem qui expetit Albertum Crantzium & Hermannum Bonnum conſulat: quo benignum lectorem remitto.

Diſtat Roſtochio quindecim, Wiſmaria octo, Segeberga quatuor, Oldesloa totidem, Plœna ſex, Chilonio decem milliaribus.

OLDENSLOA.

Oldesloa. OLDENSLOVIUM, oppidum a vetuſtate ſic dictum, parens jam Regi Daniæ Chriſtiano IV. Civium judicio peculiari appellationis exercendo in terra Holſatica, cum tribus aliis oppidis deſtinatum, captum fuit a Gunzelino Comite Swerinenſe & cæteris quibusdam Principibus Megapolitanis, qui abſentibus Joanne & Gerhardo Comitibus Holſatiæ, in expeditione cum Abele Duce Sleſwicenſe contra ejus fratrem Ericum, Regem Daniæ, Holſatiæ partem eam, quæ Joanni Comiti parebat, armata manu invaſere ac diripuere. Exuſtum quoque fuit per Ericum Ducem Brunſwicenſem, qui multa hoſtiliter per Holſatiam incendiis ac rapinis fecit.

Uberrimas habuit olim ſalinas, e quibus cum maximus proventus annuus ad Adolphum II. Comitem Holſatiæ redundaret, & hinc non parum lucri ſalinis Lüneburgenſibus decederet, Henricus Leo, Dux Saxoniæ, commotus odio Comitis, venas ſalinares, per cuniculos avertit & perdidit. In his tamen jam paululum reparatis adhuc ſal coquitur.

Coctores Cereviſiæ ſexaginta habet, Cives ducentos quinquaginta.

Noſocomium unum.

Tabernas in quibus vinum & cereviſiæ peregrinæ venduntur, quatuor.

Molas diverſas intra & extra oppidum ſeptem.

Pontes tam in urbe quam ſalinis totidem.

Travena oppidum hoc cingit: & Beſta fluvius ibidem Travenam illabitur.

Vectigal hic Ducibus Holſatiæ dependitur, de mercibus omnibus, quæ hinc inde partim navigiis, partim curribus transferuntur & in naves librantur, exceptis iis, quæ ad Lubecenſes & Hamburgenſes pertinent, idque certas ob cauſſas, quod nimirum viciſſim Incolæ harum provinciarum, omnium tributorum in utraque civitate immunes eſſe debent.

Urticæ folium, in cujus medio Divi Petri clavigeri facies extat, pro inſigni gerit.

Nundinas ſtatas celebrat octiduo poſt feſtum Joannis Baptiſtæ.

Diſtat Hamburgo ſex, trajectu Albis Tollenſpiker dicto quinque, Mollenio & Lubeca quatuor, Segeberga duobus milliaribus.

SEGEBERGA

Segeberga. SEGEBERGA, priſcis temporibus Aelberga dicta, arx eſt ſublimi in monte, cum oppido ad radices ejus ſito, cum antiquitate tum primi fundatoris Lotharii Saxonis Imperatoris opera admodum illuſtris. Is enim primitus arcem tumultuario opere extruxit, & a Canuto Vandalorum Rege magis elaboratam ſecundo occupavit, A. C. 1134. munitione & præſidio firmavit, & Segebergam quaſi montem victoriæ appellavit. Conſtituit autem hanc quaſi cuſtodiam, adverſus Vandalos, ut ex ea, illi, tum in officio, tum in religione Chriſtiana poſſint retineri.

Inſuper etiam A. C. 1137. hortatu D. Vicelini Epiſcopi Oldenburgenſis Monaſterium ad radices montis excitari curavit, & ſex pagorum reditus ipſi donavit, commendans curam ac inſpectionem ejus D. Vicelino, qui tum, libris & ſacra ſuppellectile id inſtruxit, tum primum præpoſitum ibi conſtituit Tietmarum ſuum collegam.

Fuit autem illud Monaſterium ordinis Divi Auguſtini, in quo Monachi, non indocti, illi familiæ ornamento fuere. Nam anno Chriſti 1184. Theodoricus Præpoſitus hujus Monaſterii, præclare dictus, electus eſt in Epiſcopum Lubecenſem, qui 23. annis Epiſcopatum cum laude gubernavit.

Meinardus, ex eodem Monaſterio, cum nonnullis Nobilibus Cimbricis, profectus eſt in Livoniam: ubi verbo Divino & ferro, populum idololatricum, ad Chriſti cultum adegit, & primus Livoniæ Epiſcopus factus eſt.

Hoc Monaſterium cum per Vandalos eſſet deſtructum: D. Vicelinus aliud, prope pagum Hagersdorpianum, conſenſu Adolphi II. Comitis Holſatiæ, ædificare cœpit. Verum Geroldus XII. Epiſcopus Oldenburgenſis, ſucceſſor D. Vicelini, inde Segebergam, illud rurſus tranſtulit, & veteri in fundo ædificavit.

Eccleſiam habet beatæ Mariæ & Divi Joannis patrocinio ſacratam: in qua Adolphus Wagriæ Comes, Joannis II. filius, A. C. 1315. in arce oppido imminenti ab Hartwico Rewentlowio Nobili Cimbro, cujus filiam ſtupraverat, confoſſus, terræ mandatus eſt: cujus monumentum lapide coctili conſtans, vetuſtate collapſum reparari, literasque deaurari Henricus Ranzovius Produx Cimbricus, ſuperioribus annis curavit: addens illi novum inſuper monumentum, ex tabulis ligneis compoſitum, in quo hiſtoria cædis Adolphi, inferius ſcripturis, ſuperius picturis, ſpectatoribus ob oculos ponitur.

Oppidum ipſum interjacet duo ſtagna, quorum illud, quod ad Auſtralem oppidi plagam conſpicitur, minus eſt, & imum montis alluit: alterum Septentrionale, ingentis eſt magnitudinis, & variorum piſcium copia admodum fœcundum.

Anguillarum receptacula, quæ magna copia, in iis, quotannis capiuntur, habet ſex in circuitu.

Jus municipale Lubecenſium titulumque civitatis, cum inſignibus, Joannis & Gerardi, fratrum, Holſatiæ Wagriæ & Schawenburgenſium Comitum liberalitate A. C. 1260. quemadmodum & vicinos agros, paſcua, & piſcationes, primum accepit: Quæ Comitum donatio non ſolum ad hunc uſque diem inviolata permanſit; ſed a Succeſſoribus etiam ipſorum, eſt confirmata.

Jam

Jam Sereniſſimum Daniæ Regem Chriſtianum IV. quatenus is eſt Dux Holſatiæ, Dominum agnoſcit.

In longitudinem oppidum eſt ædificatum conſtans duabus portis, altera Lubecenſi ad ortum, altera ad occaſum Hamburgenſi, ab illa, ad hanc ſexingenti ſexaginta paſſus, ab hac uſque ad portam Monaſterii, octuaginta numerantur.

Xenodochium unum.

Molas aquaticas circumjacentes octo habet.

Hic etiam vectigal a negotiatoribus, merces hac transferentibus, nomine Ducum Holſatiæ exigitur.

Incolæ partim agris colendis, partim opificiis exercendis, pannoque conficiendo, partim etiam calce fodienda victum quærunt.

Oppidum autem olim munitum, ſæpius incendio fuit deformatum, & a diverſis hoſtibus occupatum.

Arx in prærupti montis faſtigio jacet, ut ſupra dictum eſt, & quidem tanta altitudine, ut exinde, famoſarum Anſeatici fœderis urbium, turres, Lubecæ quæ quatuor: Hamburgi quæ ſeptem, & Luneburgi, quod duodecim milliaribus hinc diſtat cœlo ſudo & ſereno conſpici poſſint.

Ac ſunt (ſi credere fas eſt) qui arcem montemque hunc Seebergam vocant, eo, quod, e vicini ſtagni profundo ſublatus, & jugis illis a Diabolo impoſitus narratur, atteſtante hoc ruſticorum invicem ſeſe execrantium veteri proverbio:

Perfidus hinc ſtygias is te traducat in undas,
Qui Segebergenſis ſuſtulit arcis onus.
Daß dich der thue plagen,
Der Segeberg hat getragen.

Et alio:

O! jucunda quies, dæmon mortalibus inquit,
Quando humeris gereret, te Segeberga, ſuis.
Ruhe du biſt guedt
Sagt der Teuffel, do er Seegebergk trug.

Aliter:

Fama refert Satanam Segebergam ferret vt arcem
Vocibus his uſum: Quam pretioſa quies.

Sed fides, penes lectorem eſto.

Occultis quidem terræ cuniculis, non facile everti, nec muralium machinarum ictibus concuti poteſt: cum duriſſimæ rupi calcariæ inſiſtat, & præcipitibus naturæ clauſtris, nec non quæſtuoſæ adjacentis calcifodinæ foſſa, maxime tuto ſit loco, tormentis inſuper magnis & cæteris munitionibus, pro capacitate ſua, ſatis inſtructa.

Hinc tanta ſua firmitate ſuperba, complures obſidiones, hoſtilesque conatus, ſtrenue eluſit.

Primum enim Pribislaus Vandalorum princeps, cui Lotharius Imperator hanc arcem, cum oppido eripuerat, et vna cum tractu Holſatiæ Adolpho Schawenburgico, cum titulo Comitis tradiderat; collecto exercitu, poſt obitum Imperatoris, Segebergam ſubito invaſit, Monaſterium & oppidum cum adjacentibus pagis, Marte, ac Vulcano devaſtavit: & pios Eccleſiæ Miniſtros eiecit. Arce tamen quod & ædificio-

rum & præſidiorum genere ac robore ſatis eſſet munita, potiri nequaquam potuit.

Hanc deinde, Henricus Comes de Badewida (quem Albertus Urſus Marchio Brandenburgenſis, ejecto ex hoc Comitatu per vim Adolpho II. Comite, Dominum ejus conſtituerat) incendit ac diruit odio Adolphi II. Comitis Holſatiæ: cui ille non ſolum eam reſtituere, ſed tota etiam Nordalbingia cedere cogebatur.

Arcem una cum Monaſterio & ſubjecto oppidulo, quæ adſiduis Vandalorum incurſibus, erant devaſtata ac deſolata, Adolphus II. inſtauravit & mœnibus incluſit circa annum Chriſti 1140.

Wagriam etiam armata manu, cum Nobilibus & ſubditis ſuis, invadens, Ducibus Vandalorum eripuit, ſubjugatamque Comitatui ſuo adjecit, cui deinceps ad hodiernum uſque diem, manſit inſerta.

Porro cum Henricus Leo, circa annum Chriſti 1188. Lubecam ſecundum occupaſſet, abſente Comite Holſatiæ Adolpho III. in Aſia: & poſt totam Holſatiam, Wagriam ac Stormariam ſubjugaſſet, excepta arce Segeberga, quæ ſola hoſti ſeſe dedere noluerat, eam Henricus Leo, per Capitaneum ſuum Gualtherum, de Blanderſile obſedit. Verum Eggo Sturius nobilis Cimber, coactis in ſumma celeritate nonnullis copiis, obſidentes hoſtes adortus eſt, & in fugam conjecit, Capitaneo eorum Gualthero de Blanderſile capto, & in arcem Segebergam abducto.

Poſt cum Adolphus Comes Diſſilienſis collecto exercitu in Lubecenſes, & omnes Henrici Leonis aſſeclas graſſaretur, ac tandem fauſto prælio copias hoſtiles non procul Lubeca prope Travenam viciſſet: Hermoldum Comitem Swerinenſem, & Jordanum Truceſium captos, in eandem arcem deduxit, quorum hic ſexingentis marcis auri, ille trecentis ſeſe redimere coactus fuit.

Circiter A. C. 1201. poſtquam Waldemarus Dux Sleſvicenſis, Canuti Regis Daniæ frater, Adolphum III. Holſatiæ Comitem fugientem bello perſequeretur, arcem is Segebergam per milites ſuos obſedit, qui collibus nonnullis circum eam aggeſtis, magnis conatibus eam oppugnarunt irritis tamen, quod præſidiorum alacritate acriter defenderetur, qui, ut hoſtes eo magis de expugnatione arcis deſperarent, licet magna fame adflicti, molares tamen inſtrumentis ferreis inciderunt, & calcem in pulverem redactam extra muros projecerunt, ut eos commeatu abundare hoſtes inde exiſtimarent. Deinde tamen cum Adolphus III. Holſatiæ Comes, Hamburgi a Duce Waldemaro captus eſſet, hæc quoque arx Danorum poteſtati ſeſe dedidit: cum prius nobiles qui in præſidiis ibidem collocati erant, cum incolumitate ac libertate veterum privilegiorum ac jurium, immunitatem pacti, & hac de re ipſis ſtipulatio a Danis facta fuiſſet.

Hanc recuperavit Adolphus IV. Holſatiæ Comes, Adolphi III. filius, adjutus nobilium quorundam Cimbricorum ope ac fortitudine, qui Danico Præfecto occiſo, præſidia expulerunt, arcemque receptam, Comiti legitimo Domino, tradiderunt.

Eandem circa A. C. 1227. Waldemarus II. Rex Daniæ, qui defuncto fratri Comiti succesſerat, aliquandiu obſedit, fruſtra tamen ut eam tandem reliquerit, inque Daniam redierit.

In hanc arcem Gerardus Magnus Comes Holſatiæ, Ottonem Chriſtophori I. Regis Daniæ filium, copiis ejus victrici manu profligatis, captivum deduxit, & nonnullo tempore detinuit.

Exorta porro ſimultate inter Holſatiæ Comites Henricum & Nicolaum ab una: & civitates Lubecam & Hamburgum ex altera parte, accidit ut in oppido Segebergenſi, civium conſenſu ac opera, Henricus ferreus & Nicolaus Comites, cum aliqua ſuorum manu ducentos equites, (quos permiſſu Comitis Wagriæ Joannis, utraque urbs ad reprimendos graſſatores, viis publicis infeſtos ibi alebat:) nocturno incurſu ceperint, & univerſos ſecum abduxerint captivos, qui poſt, ingenti lytro ſeſe redimere coacti fuerunt.

A. C. 1380. Dithmarſi finibus ſuis egreſſi, Wagriam invaſerunt, & Segebergenſe oppidum cum adjacente præfectura & pago Bornhövedenſe Vulcano conſecrarunt.

A. C. 1470. Rex Daniæ Chriſtiernus fratrem ſuum Gerhardum Comitem Oldeburgenſem & Delmenhorſtenſem in hoc oppido cepit.

A. C. 1535. Lubecenſes hanc arcem obſederunt, ſed cum capere non poſſent, oppido exuſto, obſidionem ſolverunt.

Hanc ſuperioribus annis temporum vitio, nonnulla ſui parte collapſam, Henricus Ranzovius Produx Cimbricus, & arcis Capitaneus, ſumtu Regio inſtaurari curavit, novisque ædificiis, ac muris ornavit.

Puteum habet arx in parte Septentrionali, olim ab hominibus, morti ob ſcelera addictis, magno labore in annos aliquot producto, per rupis penetralia in quibus etiam pernoctare cogebantur, excavatum centum, quadraginta ſex ulnas profundum extra aquam 115. nimirum, ac in aqua 31. Putei diameter in orificio vel ſummitate eſt ſeptem, perimeter ſex, Rotunditas in margine 21 ½. ulnarum. Aquæ per catenatas amphoras, ope magnæ cujusdam rotæ, quam homines curſitando circumagunt, e profundo extrahitur.

Haud procul ab hoc oppido Henricus RANZOVIUS Produx Cimbricus, in honorem FRIDERICI II. Daniæ Regis potentiſſimi, & in memoriam filiorum, nepotum poſterorumque ſuorum, Pyramidem ac obeliſcum egregium ac Regium exſtruxit, & hunc & illam variis inſcriptionibus exornavit, quas ſatis fideliter in Hypotypoſi arcium ac palatiorum Ranzovianorum, nec non in opere ſuo Poetico doctiſſimus Petrus Lindeburgius deſcripſit, & una cum typo oſtendit: quo lectorem remitto.

Inſigne hujus oppidi eſt propugnaculum turritum, monti impoſitum, ex quo duo vexilla foliis urticæ inſignita prominent.

Mercatum annuum celebrat feſto omnium ſanctorum.

Diſtat Kilonio ſex, Rendesburgo octo, Itzehoa & Hamburgo ſeptem, Oitino quinque, Lubeca quatuor, Oldesloa, duobus milliaribus. Elevatio poli ſecundum Tychonem de Brahe 53. grad. 55. minut.

OITHINUM.

Oithinum.

OITHINUM oppidulum, una cum arce Epiſcoporum Lubecenſium primaria ſedes, ab Adolpho II. Comite Holſatiæ, Wagriæ, Stormariæ & Schawenburgi juxta ſtagnum exſtructum eſt: a quo etiam inſignia ſua urticæ folium, cum inſcriptione OITHIN, & jure municipali Lubecenſium accepit.

Epiſcopatus autem Oldenburgenſis qui nunc ad Lubecenſes Antiſtites eſt translatus ab Ottone primo, Imperatore fundatus eſt Anno Domini 952. (ſecundum alios 970.) & conſtitutus in eo Marco quidam, primus Epiſcopus.

Arcem dictus Adolphus ſecundus, una cum trecentis agrorum manſis, ex poſtulatione Henrici Leonis, Epiſcopatui Oldenburgenſi, circa A. D. 1159. attribuit. Cum id ſe facturum antea Vicelino Epiſcopo Oldenburgenſi promiſiſſet.

Hac ratione arx illa ſedes Epiſcoporum Oldenburgenſium, & poſt translationem Lubecenſium facta eſt.

Mortuo FRIDERICO I. Rege Daniæ, A. C. 1533. Lubecenſes nullo indicto bello Holſatiam invadentes, Trittoviam, & hanc arcem, una cum oppidulo expugnarunt.

Sed poſtmodum auſpiciis CHRISTIANI III. Holſatiæ Ducis, a JOANNE RANZOVIO, Equite aurato, & Nobilibus Holſaticis, recuperata ſunt omnia, Lubecenſibus in fugam non procul ab Oitino converſis & cæſis.

Arx autem ipſa a CHRISTIANO III. in Regem Daniæ electo, cum proteſtatione de reſarciendo damno, & expenſis in recuperationem ejus factis, Epiſcopo Lubecenſi & Canonicis reſtituta eſt.

Habuit Lubeca Epiſcopos uſque ad Johannem Adolphum Ducem Holſatiæ, & præſentem A. C. 1586. d. 16. Septembr. electum triginta ſex.

Memoratu dignam Hiſtoriam, quæ accidiſſe fertur, in ditione Oitinenſi, non pigebit hic ſubjungere.

Duobus ab Oitino milliaribus habitans nobilis quidam, vitæ plane diſſolutæ, cum propria manu undecim homines interemiſſet, Diabolo ſe diris execrationibus devovit, niſi duodecim interfectorum numerum impleret. Non longe temporis interjecto ſpatio, illi, bene poto, & ex oppido Oitino equitanti, obviam forte factus eſt ruſticus quidam, cui ſuccenſebat: In eum ſtatim equo calcaribus concitato irruens, in hæc verba erupit: Eja! tu opportune te mihi offers, duodecimus enim es futurus, quem enſe interficiam. Ad hæc ruſticus ſubito terrore perculſus, ictum declinaturus, DEUM invocans, poſt ſaxum propinquum procidit. In id cum vehementi impetu equum inſultaret, nobilis ex eo excuſſus, ac in terram deturbatus, cervicem fregit. Ad utramque ungulam equinam anteriorem, affixarum ſolearum veſtigia, in hodiernum uſque diem ſaxo impreſſa, conſpiciuntur, ac teſtimonium iræ Divinæ oſtendunt, confirmant-

que:

que: Atrocia ſcelera & delicta, puniri atrocibus pœnis, etiam in hac vita. Saxum ita inſignitum, adhuc ibi exſtat, ut modo indicatum eſt, ad perpetuam rei geſtæ memoriam, eſtque a me, & multis aliis viſum.

Habitant Oitini nonnulli Canonici, & præterea Xenodochium ibidem quoddam, ab Epiſcopo aliquo Lubecenſi conditum & donatum, viſitur: una cum templo ſatis amplo, condito, circa annum Chriſti 1310. ab Epiſcopo Lubecenſi Borcardo, in quo templo Eberhardi ab Holle, Epiſcopi Lubecenſis & Verdenſis ſoror, ſub tumba lapidea elevata, ſepulta jacet.

Nundinas celebrat quatuordecim diebus poſt feſtum Michaëlis.

Diſtat Segeberga quatuor, Lubeca portu ſacro, Ciſmaria totidem, Neapoli duobus, Lütkenburgo & Plöna totidem milliaribus.

PLOENA.

Plana.

PLOENA urbs Wagriæ arcem habet in excelſi montis jugo eximiam, in qua Henetorum ſeu Obotritorum & Wagrorum olim Reguli, qui e Polonorum gente oriundi erant, habitarunt.

Sita eſt loco amœno, ſylveſtri, & irriguo, inter duo ſtagna, admodum piſcoſa, ita ut ultra viginti genera piſcium in iis reperiantur: aquis item undique circumſepta eſt, quas incolæ interjacent, habetque quatuor receptacula anguillarum, cæteris in Holſatia magnitudine & ſapore præſtantiorum, celebria, (præter Nobilium ut Ranzoviorum & Alefeldiorum in vicinia bona poſſidentium) ex quibus maximus proventus ad Principem Holſatiæ Joannem iſtius oppidi Dominum, pervenit.

Jus Muncipale Lubecenſium A. C. 1333. ſecundum alios 1336. huic oppido indulſit Adolphus IV. Comes Holſatiæ & Wagriæ: cujus filii Joannes & Gerardus, defuncto Patre, civibus id confirmarunt.

Pontes juxta hanc urbem ſunt quinque: Molendina aquatica totidem.

Portæ duæ Holſatica & Lubecenſis. Ante portam Lubecenſem Buthue Regulus Obotritorum & Wagriæ, dedita hoſti arce & urbe, contra fidem datam cum ſexcentis e Bardewico militibus a Critone Tyranno & acerrimo Chriſtianorum perſecutore eſt interfectus, cauſſam necis prætendente, quod in arce ſtuprum, nonnullis Virginibus e nobili Vandalorum familia oriundis illatum eſſet. Ipſe tamen Crito juſtas & horrendæ hujus cædis & perſecutionis Chriſtianorum pœnas, paullo poſt luit. Scribunt enim ipſum, cum ab Henrico legitimo Wagrorum Duce, fratre Bathuæ, Danorum ope in Wagria reſtituto, ad convivium magnificum Plœnam eſſet invitatus: ex ſubornatione tum propriæ uxoris Slavianæ, tum Henrici Ducis, per Danum quendam, ſecuri, ex improviſo percuſſum eſſe, ſub ipſo limine cœnaculi, in quo convivatus fuerat, cum eo excedere voluiſſet.

Stagnum oppidi majus 2½ milliaribus in longitudine porrigitur, ex quo oritur fluvius Suentina.

Varia ejus oppidi fuit fortuna. Henrici enim de Badewida, qui primo Comiti Holſatiæ Adolpho abſenti, per vim Holſatiam eripuerat, tempore, Holſati, ſponte ſua, Comitis injuſſu, Plœnam invadentes occuparunt, & ſub Comitis jugum redegerunt. Poſtea Henricus Leo eandem obſedit, & cepit, impoſito arci præfecto quodam Marquardo, cui totius Holſatiæ gubernationem commiſerat. Et quamvis Secundus Comes Holſatiæ Adolphus, proſcripto per Imperatorem Henrico Leone, & in Britannia exulante, eandem occuparit; tamen Henricus ab exilio reverſus, non ſolum urbem hanc, ſed totam inſuper viciniam, Holſatiæ magnatum ope adjutus, recuperavit.

Sed & Waldemarus Dux Sleſvicenſis, Canuti Regis Daniæ frater, Adolpho III. Holſatiæ Comite acerrima pugna devicto, eam occupavit, & depopulatus eſt. Sic innumeris bellis fuit enervata.

Quater etiam incendio penitus eſt abſorpta, nimirum A. C. 1456. 1534. 1577. 1578. Anno quoque Chriſti 1552. die Mariæ Magdalenæ fulminis ictu incenſa, circa forum conflagravit.

Eccleſia ejus primo fundata eſt A. C. 1115. in honorem S. Nicolai, una cum Monaſterio D. Auguſtino ſacrato, jam abolito.

Civiles habet domos 116. ædiculas 22.

Inſigne ejus eſt folium urticæ, inter turres duas præruptas, ſub quibus aqua delabitur.

Mercatum annuum celebrat, decimo quarto die poſt feſtum Michaëlis.

Diſtat portu ſacro quinque, Segeberga, Chilonio, & Oldenburgo totidem: Pretza duobus, Oitino & Lütkenburgo totidem milliaribus.

OLDENBURGA.

Oldenburga.

OLDENBURGA, urbs olim fuit, ad mare Balticum ſita, antiquitate, magnitudine & mercatura celebris, & arce etiam ampla, in colle humana opera congeſto, ædificata inſignis, cujus adhuc luculenta & alta exſtant veſtigia.

Nominis originem ab antiquitate contraxit, & Vandalico idiomate Stargardia, Saxonico Oldenburga, Latino urbs vetus, Danico Bremeſia dicta fuit.

Habitabant in ea tantæ fiduciæ Reguli, ut Danorum Regi inferre bella, & inde expectare non vererentur.

Hanc urbem Etelerus nobilis quidam Dithmarſus, quondam adjutus a Ditthmarſis & Svevonis Regis Daniæ auxiliis, invaſit, diripuitque multam non ſolum ex ea, ſed etiam tota Wagria prædam.

Vandali binis incurſibus, circa A. C. 1065. & rurſum A. C. 1140. penitus eam devaſtarunt.

Rurſus Danorum Rex Waldemarus per filium ſuum & Epiſcopum Abſolonem, quos mille equitibus inſtruxerat, eandem urbem ac totum vicinum tractum, cædibus, incendiis ac rapinis devaſtavit: quo in tumultu in omnes incolas, ſine diſcrimine ſævitum eſt, exceptis Presbytero Brunone, ipſius bonis, iisque hominibus, qui in templum Oldenburgenſe confugerant, quibus hoſtes pepercere. Capta etiam fuit, ab Alberto Magno Duce Brunſwicenſe, circa A. C. 1259. & poſt, a Lubecenſibus circa A. C. 1263. qui

de Weſtphalen Monum. ined. Rer. Germ.

Wagriam invadentes, magnam inde prædam abegerunt.

Huic urbi Jus Municipale Lubecenſium contulit Adolphus IV. Comes Holſatiæ & Wagriæ A. C. 1333. quod Joannes & Gerardus Comites, Adolphi IV. filii, poſtea confirmarunt, licentia ſimul mercatus annui, circa feſtum S. Michaëlis celebrandi conceſſa A. C. 1392.

Portum habebat tutiſſimum, quem nunc a mari exaggerans arenas æſtus excluſit. Quo incommodo ſplendor ejus defluxit: ut jam diu alluvione creſcente, in mediterranea loca cives ſeceſſerint.

Epiſcopatum Imperator OTTO, ejus nominis primus, in eo oppido erexit, cui Vandalicas gentes ſibi tributarias, a Sleſwico, uſque ad Panim fluvium, Præfecto Marcone Epiſcopo primo, circa A. C. 952. vel, (ut alii volunt) 970. ſubjecit. Hanc poſtea Henricus Leo, ſub Geroldo Oldenburgenſium Epiſcopo duodecimo ac ultimo & Lubecenſium, primo, Lubecam, ubi etiamnum manet, tranſtulit.

In hac civitate Vladislaus II. num. 21. Rex Polonorum, qui Uxorem habuit Chriſtinam Henrici Imperatoris filiam, dum tredecim annos exulaſſet, reditumque in patriam pararet, mortuus & ſepultus eſt A. D. 1196. ætatis 56. Sed locus certus ſepulchri nunc ignoratur. Cromerus lib. 6. Hiſtor. Arnoldus Mylius & Annales Holſatiæ.

Ibidem, in Templo, ſepulti ſunt, quinque RANZOVII: & proprium ſacellum Dethlevus Ranzovius, unico ſuo filio Cajo, Argentorati A. C. 1590. mortuo, condi, ipſumque huc A. C. 1591. d. 12. Februarii, transferri curavit, quo in loco etiam, ejusdem unica filia jacet humata A. C. 1596. d. 24. Aprilis.

Inſigne oppiduli eſt turris, ſupra quam expanſum urticæ folium conſpicitur.

Tres annuos celebrat mercatus, primum feſto Palmarum: ſecundum die Viti: ultimum die S. Michaëlis.

Diſtat Segeberga ſeptem, Oitino tribus, Portu ſacro duobus, & ab arce Ranzow, totidem milliaribus.

LUTKENBURGUM.

Lutkenburgum.

LUTKENBURGUM, exiguum eſt oppidum, unde & nomen contraxiſſe videtur, cum Oldenburga olim magna civitas, non procul inde, ſit ſita. Agnoſcit Dominos, Ranzovios in Nienhus: & ex agricultura victum quærit.

In hoc oppido interfectus eſt Canutus, Dynaſta Wagrorum, filius Henrici, non ſine ſuſpicione inſidiarum, quas frater Zwentepoleus ipſi ſtruxit;

Mercatum annuum celebrat die 5. Dionyſii.

Diſtat Oldenburga tribus, portu ſacro totidem: Oitino duobus, ab arce Ranzow uno milliaribus.

TRAVÆMUNDA.

Travæmunda.

TRAVÆMUNDA, ad Travenæ oſtium, quo, ea mare Balticum ingreditur, ſita, olim pagus, de quo vario Marte inter Comites Holſatiæ ac Lubecenſes diu concertatum eſt: nunc ædificiorum ſplendore ac frequentia, oppidulo haud abſimilis, a Comite Holſatiæ Joanne Largo, repugnantibus ac proteſtantibus gentilibus ſuis, urbi Imperiali Lubecæ titulo emtionis tradita fuit, cujus Jurisdictionem etiamnum agnoſcit.

Eſtque ſtatio ibi ſolventium & appellentium ex vaſto Oceano navium celeberrima. Adolphus III. Comes Holſatiæ arcem olim firmiſſimam in portu Travæmundæ Lubecenſium, vulgo *Mugkenburgk* dictam, condidit, paullo poſt dirutam.

Obſeſſa fuit a Rege Daniæ Waldemaro II. & Adolpho IV. Holſatiæ Comite, ab ipſo odio civitatis Lubecenſis, duobus propugnaculis in utraque ripa Travenæ excitatis portuque per navim veterem demerſa obſtructo, in cujus tamen vicem Lubecenſes alium effoderunt Hoc poſtea catenis concluſo, naves Lubecenſium e mari Baltico acceſſu prohibere conati ſunt. Verum naves civium Revelia redeuntes, ventoque ſecundo actæ, magno impetu ferrea repagula fregerunt, & ad urbem delatæ, ibique robore militari inſtructæ, ad hoſtes redierunt, ac eos, expoſita armatorum manu, Travæmunda abegere.

Eadem quoque capta fuit, cum navibus octo Lubecenſium bellicis, a Johanne Ranzowio ſummo belli Imperatore, cæterisque Ducibus Chriſtiani III. Regis Daniæ A. C. 1534.

Conſpicitur hic, in loco edito pharos magnifica ac rotunda, ſplendidiſſima præbens luminaria, ad tutiorem periculoſo tempore appulſum, id eſt, ad navigantium, vere & autumno conſervationem ſalutemque, exſtructa.

Diſtat autem Travæmunda, Segeberga quinque plus minus, arce Ranzow tribus, Oitino duobus, Lubeca totidem milliaribus.

NEAPOLIS.

Neapolis.

NEAPOLIS ſeu NEOSTADIUM, *Neuſtadt*, fertili loco, & ad mare Balticum, ejusque portum commodiſſimum ſitum oppidulum: Cujus cives non tam navigationibus, quam agris colendis ſunt occupati.

Unicum habet Templum.

Inſigne ejus cymba eſt, in qua viri duo, altera manu remum, altera urticæ folium præmonſtrantes ſedent.

Mercatum annuum octiduo poſt feſtum Michaëlis celebrat.

Diſtat Grotenbroda quinque, Lubeca quatuor, Portu ſacro tribus milliaribus.

GROTENBRODA.

Grotenbroda.

GROTENBRODA, vicus ad mare Balticum ſitus, ubi eſt portus & trajectus in Fimbriam inſulam: cum qua ante multa ſecula firma fuiſſe terra, poſtea autem maris violentia, diviſa, dicitur.

Habet Eccleſiam Parochialem.

Diſtat ab arce Ranzow quinque, ab Hilligenhaven duobus, Cismaria totidem milliaribus.

POR-

PORTUS SACER.

Portus sacer.

PORTUS SACER, alias HILLIGENHAVEN. Oppidulum exiguum, a precibus & sacris, quæ naves soluturi, celebrare solent, sic nominatum.

Ab hoc trajectus est in Lalandiam, octo milliarium, per quam boves, equi & frumenta, e Dania in has oras importantur, vectigali soluto.

Habet templum unicum, cum alta turri, quam navigantes observant: & molas alatas septem.

Domo ardua, in cujus fastigio vexilla duo & urticæ folium splendet, pro insigni utitur.

Cives ejus ex agricultura & negociationibus maritimis se sustentant, habentque majores ac minores naves octodecim.

Distat Chilonio septem, a Precensi Cœnobio sex, ab arce Ranzow quatuor, Segeberga octo, Nienhusia arce tribus, Plœna quinque, ab arce Putlosen duobus milliaribus.

Porro tractus ille, qui has urbes Plœnam, Oldenburgum, Lütkenburgum, Nienstadium, Hilligenhaven, in circuitu interjacet, multas arces ac prædia, nobilium Ranzoviorum, ut Ranzovium, Schoneweidam, Hogenfeldiam, Clampiam, Cletkampiam, Niendorpiam, Bredovium, Helmstadium, Panckeram, Putlosiam, Lorstorpiam, Salwitziam, Rastorpiam, Schmolam, Singen, Salzowium, & Nienhusium (quod A. C. 1535. a Lubecensibus obsessum, sed cum vallo, fossis & stagnis egregie munitum sit, captum non fuit) ambitu suo, complectens omnis pene, pauciſſimis possessionibus exceptis, quarum aliæ nostra ætate venditione in alias familias transiere, ante annos 400. ad Ranzovios pertinuit: & istæ arces omnes, a sese invicem, ac supra memoratis oppidis, parvo intervallo distant, quædam tribus, quædam duobus, quædam unico milliaribus.

Sita quoque fuit non procul a Plœna arx Ranzowiorum, Nienslagia appellata, triplici vallo ac fossa, atque insuper stagnis plus minus 24. (quæ adhuc cernere licet) circumdata: quæ cum a Slawis capta & destructa esset, Ranzowius quidam, arcis Dominus eam rursus ædificare de novo voluit; Sed cum a Comitibus Holsatiæ ac Lubecensibus, qui propter munitissimum locum aliquid siniſtri suspicabantur, prohiberetur; alio in loco, ubi nunc est castrum Ranzovium prædium exstruxit, idque incoluit.

PRETZIA.

Pretzia & Monasterium Pretzense.

PRETZIA, oppidulum & monasterium, quod nostra adhuc tempestate virginum Vestalium Nobilium choris frequens, magno reditu proventu floret, vigetque ad Swentinam fluvium situm est, habens duas Parochias, alteram in Monasterio, alteram in oppidulo.

Hic sepulta est filia Comitis Gerardi, a Patruo Adolpho in Monasterium detrusa. Præter Ranzovios, multos etiam ibi humatos, jacet illic Nicolaus, Christiani I. Regis Daniæ ac Sveciæ Consiliarius, qui præter cætera dona, militare munus 28. equos, cœnobio, moriturus dedit.

Non procul ab hoc oppido, in loco, qui adhuc appellatur Danorum campus; commissum putatur prælium, ancipiti victoria, inter Danici Regis Waldemari filium Christophorum, ejusque socium Episcopum Absolonem, & inter Brunonem ac Macradum Holsatos, qui ultima voluntate Adolphi II. Comitis Holsatiæ, filio impuberi Adolpho III. Curatores erant constituti, ac proinde hoc nomine Holsatiam administrantes bellum gerebant.

Distat Segeberga quatuor, Chilonio, Plœna, Lutkenburgio duobus milliaribus.

COENOBIUM CISTERCIENSIUM.

Reinfeldense.

COENOBIUM CISTERCIENSIUM, in REINEFELDE Anno 1186. ab Adolpho III. Wagriæ Comite, non procul a Travena exstructum est. In eo Joannes Wagriæ Comes, qui Regem Christophorum primum, in pugna Loheidensi devicit, & A. C. 1261. captum, Hamburgum deduxit, mortuus A. C. 1264. nec non Gerardus, Gerardi filius, qui peste grassante A. C. 1530. obiit, sepulti sunt.

Hac tempestate Joannes Dux Holsatiæ FRIDERICI II. Regis Daniæ p. m. frater, arcem ibidem exstruxit,

Sylvæ illi adjacentes sufficiunt quinquies mille porcis saginandis, cum glandes quernæ ac fagineæ feliciter proveniunt.

Ex sola venditione lignorum quinque millia thalerorum, intra unius anni spatium, Principem percepisse compertum est.

Distat Lubeca duobus, Segeberga & Oldesloa totidem milliaribus.

CISMARIENSE MONASTERIUM.

Cismariense.

CISMARIENSE MONASTERIUM, ex urbe Lubeca, Joanne Wagriæ Comite assentiente, Cismariam translatum, & Monachis Sancti Benedicti inhabitandum traditum est.

Exstructum autem fuit anno 1238. ut ex inscriptione testudinis ejusdem templi videre licet.

Magnos proventus habet ex sylvis, tam quoad saginationem porcorum; quam quoad ligna divendita.

Sepultus in eo jacet Gerardus quidam Holsatiæ Comes & Ingelburgis Daniæ Regis filia, ac præterea Hartwicus, miles de Ranzow A. C. 1356.

Hodie in arcem conversum est.

Distat Segeberga octo, Lubeca quinque, Plœna quatuor, ab arce Ranzow tribus milliaribus.

ARNSBOCENSE MONASTERIUM.

Arnsbœcense.

ARNSBOCENSE Monasterium, Nicolaus Holsatiæ Comes, qui, altero oculo amisso,

in ſummis belli periculis conſtitutus, voto, id promiſerat, condidit, circa A. C. 1398. paullo ante obitum: ac primum omnium Virginum Veſtalium, ex Pretzenſi & Itzehoënſi Monaſteriis evocatarum diverticulum fecit.

Poſtea vero circa A. C. 1402. ſub Gerardo Duce Sleſvicenſi, per Albertum Rodenburgium Canonicum Lubecenſem, pluribus reditibus fuit auctum, ac permiſſu, conſenſuque Ducis Gerardi, in domum Carthuſienſium commutatum.

Agros & ſylvas alendis pecoribus, ferendisque ſegetibus, habet aptiſſimas, piſcinasque feraciſſimas, & quidem circa 365. vel, ut alii ſcribunt, ultra 400. quibus Monachi Carthuſienſes, piſcivori, quarto quoque anno, modo ad piſcationes, modo ad ſationes, aqua per certos meatus educta, utebantur.

Nunc magnis impenſis arx ibidem eſt ſplendide ædificata, a Joanne juniore Duce Holſatiæ, & pulcerrimis atriis, ac commodiſſimis conclavibus exornata.

Diſtat Segeberga & Plœna tribus, Lubeca duobus, Reinfeldio totidem milliaribus

RANZOVIUM.

Ranzovium. RANZOVIUM, antiquum & opulentum caſtrum eſt; agrorum enim fertilitate, ſylvarum frequentia, pratorum, paſcuorumque amœnitate, ferarum aviumque ſylveſtrium copia, ſtagnis ac piſcinis, quas illud ac vicinum prædium Schœneweida 24. habet, admodum excellit. Hydromylis conſtat duabus, & anguillarum receptaculis quatuor.

Emit hoc caſtrum HENRICUS RANZOVIUS Produx Cimbricus A. C. 1590. ab Hanſio Ranzovio gentili ſuo quinquaginta novem millibus thalerorum: nimis care quidem: ſed ad emtionem invitatus, quod cum ſtirpe Ranzoviana commune nomen haberet, & per aliquot centum annos a Ranzoviis inhabitatum fuerit, & ne extra familiam ſuam alienaretur.

De integro autem HENRICUS RANZOVIUS, Caſtrum hoc incredibili ſumtu reædificavit, ac eleganti ſacello, pulcris conclavibus, variis fortiſſimorum heroum, aliorumque illuſtrium virorum imaginibus, ac picturis, inſcriptionibus ſaxo inciſis, menſis ex Alabaſtro, & vaſis ex argilla Italica, artificioſe paratis, ac illi ex Italia, & aliis peregrinis regionibus dono miſſis, aliisque ſplendidis rebus mirum in modum exornavit. A poſteriori Caſtri parte, domicilium, e ſolis abiegnis trabibus, baſi lapidea poſſeſſor ſibi conſtrui curavit; quod lacu & hortulo variis arborum & herbarum generibus inſtructo, circumdatum eſt. Sed hæc de caſtro hoc dixiſſe ſufficiat, cujus magnificentiam Albertus Lomaierus Lubbecenſis Weſtphalus, carmine Hexametro Eislebiæ impreſſo deſcripſit.

EPIGRAMMA IN ARCEM RANZOW.

HAec domus eſt domuum forſan poſtrema mearum
Inſtat enim vitæ, jam prope meta meæ.
Hoc opus, eſt operum, poſtremum forte meorum,
Sentio enim, gelidam non procul eſſe necem.
Quare trado manum. Mortalia cuncta valete,
Mi domus in celſo eſt ædificanda polo.

INSCRIPTIO SACELLI ARCIS EJUSDEM.

QUod decet atque pium eſt, hoc arci rite ſacellum
Nobile conjunxit, nobilis autor opus.
Scilicet HENRICUS renovans RANZOVIUS arcem
Hanc natis, ſacrum condidit hoc ſuperis.

Diſtat vico Grotenbrode quinque Neoſtadio quatuor, ſacro portu, Cismaria & Chilonio totidem: Pretza duobus, Nienhuſio, Oitino, Ploena & Lütkenburgo uno milliaribus.

NUCHEL.

Nuchel. POrro prædium NUCHEL ab hac arce milliari fere diſtat, ibidem Henricum Ranzovium Producem Cimbricum, Dominum legitimum agnoſcens, qui illud a gentilibus ſuis Ranzoviis, Dominis de Bulke emit, conſpicuum eleganti templo, quod frequentatione omnium Wagriæ incolarum, donaria huc ſua afferentium magno numero, & ſacra facientium, olim fuit celeberrimum.

REDINGSTORPIA.

Redingſtorp. REDINGSTORPIA, arx eſt, ejusdem Henrici Ranzovii Producis Cimbrici, in ſtagno piſcifluo ſita, ædificiis, ac muris quadratis cincta, ſylvis amplis & feracibus paſcuis admodum nobilis, horto eleganti, & fonte, qui ex albo Buceburgenſi lapide ab imo fundo, ad ſummitatem uſque conſtructus, ferroque probe munitus & in ſuperiori parte pomo aureo ornatus eſt, peramoena, agris fœcundis, reditibusque dives, quam ab Alefeldiis nobilibus emtam, regiis conclavibus ac atriis adeo exornavit, ut tam ſitus opportunitate, quam ſtructuræ magnificentia, ſit admiranda.

Diſtat Segeberga quatuor, arce Ranzovio tribus, Lubeca duobus milliaribus.

OVENDORPIA.

Ovendorp. AB hac arce, milliari plus minus integro, ſitum eſt prædium Ovendorpia, quod itidem ab Alefeldiis, Henricus Ranzovius Produx Cimbricus emit, A. C. 1572. commoditate loci, re pecuaria, ſolique ubertate haud poſtremum.

Diſtat Oitino tribus, Lubeca unico, Travæmunda dimidio milliaribus.

ERFRADUM.

Erfradum. ERFRADUM, prædium eſt, ejusdem Henrici Ranzovii Producis Cimbrici, quod ab agnatis ſuis Ranzoviis A. C. 1590. emit, ſitum, loco partim uliginoſo, partim nitrato, unde etiam Nitri

tri fodina est, in vicinia, qua, ut & ovium pascuis, haud vulgaris quæstus ad possessorem prædii redundat.

Exstruxit sibi Henricus Ranzovius ibidem domicilium, ad morem Norwegicorum e sola abiete.

Æquo spatio interjacet Segebergam & Plœnam oppida: & sic utroque distat duobus, Ranzovia arce tribus milliaribus.

HOLSATIA.

Holsatiæ Chorographia.

HOLSATIA, a Stormaria distinguitur Stora: a Dithmarsia fossâ Holsatica, lacu Kudensehe, amni Walpurgensi, nec non paludibus aliquot ad Eidoram usque: A Ducatu Slesvicensi Eidora & Leonis amne: A Wagria stagno Plœnensi, Swentina, Swala, & Trawena fluminibus.

Longitudo ejus novem milliaribus, latitudo septem fere describitur.

Album urticæ folium, rubro in clypeo pro insigni gerit.

Terræ denominatio non obscuram originem habet. Nihil enim aliud Holsatiæ nomen, quam nemorosam coloniam, seu inter sylvas constitutam habitationem significat. Cum enim Marsus Germanorum Rex sextus (ut Joannes Petrus Historiographus Holsaticus ait) frugiferæ, fertili & palustri illi ad Albim regioni, quam, ejus de nomine *Marsch-Land* indigitarunt, felici regimine aliquandiu præfuisset, populus adeo excrevit, ut palustrium multi, in sylvas habitatum ire, coacti fuerint, qui postea dicti sunt Holsatenses *die Holsaten.*

Albertus Abbas Stadensis (cujus Chronicon ex Bibliotheca Ranzowiana superioribus annis prodiit) scribit, Saxonum, qui in Hadeleriam appulerant, & ad Albiam pervenerant, nonnullos Albiam sylvam succidisse, eamque incoluisse, in qua postmodum inventi, Holsati appellati sunt.

Alii Holsatiam appellant, a lignis lapidibusque quasi *Holtstein:* alii a loco lignorum, quasi *Holtstädt.* Ego primam de nominis etymo veriorem judico sententiam.

Regio est alendis pecoribus, saginandisque porcis, propter sylvarum ubertatem fertilissima. Etsi autem circa Rendsburgum paullo sterilior & arenosa magis est: tamen hæc pars omnino infructuosa non existit. Armentis enim gratissima pabula affatim suppeditat, in diesque etiam agricolarum industria, adeo excolitur, ut ubi quondam nil præter incultos, arenisque obductos campos videre erat, hodie, eos, in agros frumenti feraces conversos, maximo incolarum commodo cernas. Oppida habet: Chilonium, Rendesburgum, Wilstriam, & Neo-Monasterium: Arces Regias seu Ducales & nobilium curias circa 35.

Abbatiam unam Bordesholmensem.

Parœcias cum sacellis plus minus 60. annumeratis urbium templis.

Ejusdem topographia. Chilonium.

CHILONIUM.

CHILONIUM, Metropolis Holsatiæ præterquam quod situ & maris vicinitate lauta, piscatu ubere, & portu capaci delicioſa, etiam perauguſtis nobilium comitiis & vertumnalibus, quæ, quotannis circa divi Antonii diem, ibi solemni habentur frequentia, urbiumque insuper peculari appellationis judicio exercendo destinatarum conventu admodum celebris est.

Urbis ornamenta sunt maris Baltici vicinitas, per quod longe lateque naves suas, quas majores & minores habet circiter 20. emittit, & negotiationem exercet: felix salmonum, asellorum, concharumque piscatus: templi magnificentia: Principis arx sumtuosa, cum sacello venustissimo marmoreo: & Henrici Ranzovii, Nobiliumque plurimorum ædes magnificæ.

Appellationem nominis e cuneo, ut germanice sonat, obtinet, quod sinu seu isthmo, veluti quodam cuneo mare Balticum urbem attingat, ejusdemque negotiatoribus & navibus, marinis fluctibus defatigatis, tutos recessus præbeat, σφενόπολις. *Dictum e cuneo.*

Vetus & celebre fuisse oppidum, præter alia argumenta attestatur, & quod egregiis, maxime inclytis civitatibus emporialibus, fœderi illi, quod Ansam Germanicam vulgo indigitant, fuerit annumerata: & quod privilegiis præcellentibus, a Gerardo I. anno 1271. a Gerardo II. & Nicolao, anno 1310. Holsatiæ & Schowenburgi Comitibus sit decorata: Quæ, Serenissimi Daniæ Reges & Holsatiæ Principes, sigillatis deinde litteris corroborarunt.

Jus autem municipale Lubecensium ab Adolpho IV. Comite Holsatiæ ac Wagriæ primum accepit.

Hanc urbem Gerardus Comes Holsatiæ Adolphi IV. filius, obsidione cinxit, adjutus Alberti Ducis Saxoniæ & Lubecensium copiis, eamque Germano suo Joanni Comiti Holsatiæ, cui in divisione Comitatuum obtigerat, per vim eripere voluit. Sed cum probe a Comite Joanne munita esset, & Incolarum ac præsidiorum virtute fortiter defenderetur: in hostium potestatem non pervenit.

Vertumnalia & mercimoniorum contractus, quæ prius e regno Daniæ Lubecam erant destinata, Joannes Largus Comes Holsatiæ in hanc urbem transtulit, permissu & ratificatione fratris sui, Christophori Regis Daniæ. Unde accidit, ut intra paucos annos, cives, contractuum frequentia ditiores facti, magnificas ac splendidas ædes, quarum nonnullæ etiamnum hodie visuntur, exstruxerint. Idem Comes hanc urbem, præ cæteris suis oppidis, apprime diligens, magnis eam privilegiis auxit.

Ecclesiam habet parochialem Divo Nicolao consecratam, cui sacellum Ranzoviorum inclusum est, in quo multi eorundem perhonorifice conditi sunt.

Monasterium item Minoritarum, quod hodie in Xenodochium est conversum: in cujus Ecclesia Adolphus IV. Holsatiæ ac Wagriæ Comes, qui Waldemarum II. Daniæ Regem in Bornhövede A. C. 1226. festo Mariæ Magdalenæ devicit, sepulturæ traditus est. Anno 1261. cum antea ejusdem instituti Monachatum fuisset professus, idemque monasterium anno 1244. ædificasset.

Ibidem

Ibidem ſepulta quoque eſt, Anna, Comitiſſa Holſatiæ A. C. 1415.

Inſigne urbis eſt, urticæ folium in cymba eminens.

Nundinas ſtatas celebrat duas: primas feſto trium Regum, quibus coincidunt Vertumnalia, poſteriores Dominica Invocavit.

Diſtat Lubeca & Hamburgo decem, Segeberga ſex, Sleſwico quinque, Nortorpio & Plœna quatuor, Eckelnförda tribus & Pretza duobus milliaribus.

REINHOLDSBURGA.

Reinholdsburga.

REINHOLDSBURGA ſeu Rensburgum, elegans Holſatiæ oppidum & limes ejus, qua Sleſwicenſem Ducatum id attingit, arce Regia conſpicuum, a Reinoldo iſtius loci Incola primo appellationem meruit.

Arx de Reinoldo nomen adepta Duce eſt. Is Reinoldus juxta nonnullorum opinionem, e nobilitate fuit oriundus, quem e familiaribus ſuis, Henricus Leo Dux Brunſvicenſis, ſubſtituit Comiti Dithmarſorum Rhodolpho, occiſo a ſuis ſeditioſis in Bockelnborch, cum Comitiſſa Walpurga A. C. 1142. eique illam terram iterum ſubjugatam in feudum tradidit.

Hunc Reinoldum veriſimile eſt, fundaſſe in vicinia ſua præſidium contra ſeditioſos, in loco ubi nunc arx conſpicitur, vel in loco Nienborch, idque ab illo tempore, Reinholdsburgum vocatum eſſe. Hodie contracto vocabulo *Rensburg* dicitur. Ejus appellatio primum legitur A. C. 1200. in Hiſtoriis, quando Canutus VI. Danorum Rex, Rendesburgum Adolpho III. vi eripuit, idque probe tumultuario opere munitum, ponte per Eidoram facto, paratam ſibi clavem fecit in Holſatiam.

Urbs eſt vallis altis munita, opportuno loco ſita, propter quam, cum utriusque regni clavis & robur validum habeatur, ſummis viribus inter Danos & Holſatos decertatum eſt in Loheide ſæpiſſime: ut conſtat ex ſacello nuper diruto, ubi magnus numerus oſſium interfectorum hominum, quæ, aliquot currus complevere, fuit inventus, & adhuc viſa ſunt crania ſagittis transfixa, quæ cum innumera eſſent, & eo in præliis congeſta, in proximum templum extra urbem fuere translata, ibique denuo humata.

A. C. 1227. Waldemarus II. Rex Daniæ, eam obſedit, nec tamen ſubjugavit, ſed per Comites Adolphum IV. Holſatiæ, & Henricum Swerinenſem vi armata repulſus, multos ſuorum, quos Holſati partim trucidarant, partim ceperant, amiſit.

Eidora totam eam circumfluit, & aliquoties curſu ſuo dividit, ita, ut inde navigatio ad remotiſſima etiam loca, inſtitui queat, & molendinis inſuper agitandis ſufficiat.

Rotæ præterea cujusdam miniſterio, aqua ex Eidora ſurſum evecta, paſſim inde in domos civium derivatur, ac diffluit.

Jus municipale & inſignia, Gerardus, Henricus, & Nicolaus Holſatiæ Comites, fratres A. 1339. civitati conceſſerunt.

A. C. 1331. Gerardus Holſatiæ Comes ad prohibendum Regi Daniæ Chriſtophoro tranſitum, in Holſatiam, celeriter eductis 400. equitibus, incolis ex Rensburgo, conflixit cum præſidio Danorum in vallo Danio *Denenwerck*, numero longe ſuperiori, atque regium agmen diſrumpens, multos cecidit, aliquot cepit. Rex cum filio Waldemaro, in fratris oppidum Chilonium declinare volens, a Burcardo de Itzehude Gerardi Comitis Capitaneo captus eſt, & Comiti Gerardo, ex vulnere Gottorpii decumbenti, traditus. Occiſi ſunt hac pugna duo nobiles Comiti chariſſimi, quorum alteri, qui dictus fuit *Wideke von den Oſten*, ante Rensburgum in *Satiſſowe*, religioſæ pietatis monumentum, crucem erigi, & perpetuo eo in loco exſtare juſſit.

Poſtea cum A. C. 1347. magnates Holſatorum in Comites ſuos conſpirarent, Marquardus *Weſtenſee*, & Luderus *Krummendieck*, nobilitatis ſeditioſæ Duces, arcem Rendesburgum cum attinentiis loco pignorum occuparunt; atque oblatam pecuniam, quam mutuo Comitibus dederant, recipere recuſarunt. Eam arcem Comites fratres Henricus Ferreus & Nicolaus ope civitatum maritimarum iterum expugnarunt, devicta ſimul ſeditioſorum nobilium turba, in *Lackenſee*, & *Woltorp*, quo tempore etiam Kakesburgum deſtructum eſt.

Turrim arcis rotundam & venuſtam Gerardus Magnus, Holſatiæ Comes an. 1230. ædificavit. Alias duas turres in eadem arce condidit, impenſis ſuis Henricus Comes Holſatiæ, quarum ſtructura eodem die, quo Comes Henricus fatis conceſſit, fuit abſoluta A. C. 1304.

Chriſtianus Tertius Daniæ Rex, munitionem, quæ jam videtur, fieri curavit.

Joannes ejus frater, cui in diviſione obtigerat, arcem eandem vetuſtate collapſam, A. C. 1578. ædificiis ſplendidis rurſus exornavit.

Quo mortuo ad Fridericum II. Daniæ Regem, ejusque hæredes, una cum oppido pervenit.

Vectigalia hic quoque penduntur.

Domos habet 206. inter quas 25. coquendæ cereviſiæ deſtinatæ ſunt.

Hydromilas intra urbem quatuor:

Noſocomia tria:

Templa totidem: quorum unum in ſuburbio, alterum in urbis meditullio D. Mariæ ſacrum, cujus turris ædificata fuit A. C. 1454. ſumtibus duorum civium: & tertium S. Spiritus in Noſodochium converſum eſt.

Coquitur hic cereviſia mediocris ſaporis, & exiſtimationis, quæ in proximos pagos diſtrahitur.

Habet pontes quatuor, omnis generis naves, circiter 70. & portum excellentem, magnis navibus, qua urbs occaſum ſpectat, aptiſſimum.

Ignis calamitatem ſæpius fuit experta. Nam A. C. 1264. tota, poſtea A. C. 1286. media ſui parte exuſta, & anno ſequenti templum Parochiale ex lapide coctili a Civibus fuit exſtructum. Anno altero poſt, nimirum A. C. 1288. & rurſum A. C. 1330. poſtridie Oculi tota fere pauculis ædificiis exceptis, conflagravit.

Sic etiam A. C. 1388. die S. Dorotheæ tertia pars urbis incendio periit, denique A. C. 1491. tertia quoque ſui parte, hæc urbs in cineres redacta fuit, cujus mali occaſionem dedit civis quidam,

quidam, rixatur cum uxore, eamque pulsat, lebetem in tumultu, plenum ferventis sevi, evertit, unde incendium enatum est.

Utitur pro insigni tribus turribus, in quarum media porta, & supra hanc, urticæ folium cernitur.

Nundinas annuas habet Festo D. Matthæi.

Distat Flensburgo septem, Itzehoa sex, Svavestetio quatuor, Slesvico tribus milliaribus.

WILSTRIA.

Wilstria. WILSTRIA, oppidum elegans, fere in rotunditatem constructum, in ripa fluminis Wilstriæ, quod per cataractas, in Storam influit, & oppido nomen imposuit. Aëre situm salubri, & loco satis amœno, ac fructifero, tam agriculturæ, quæ copiosa hic est, quam mercaturæ, quæ & ipsa haud negligitur, accommodo.

Jura municipalia cum insignibus ei attribuit Gerardus II. Comes Holsatiæ & Schowenburgensis A. C. 1282. VI. Id. Augusti, quæ deinceps Christianus I. Rex Daniæ A. C. 1460.

Post, hujus filius Joannes A. C. 1483. & sic proinde hujus Posteri, Fridericus II. & Christianus IV. Daniæ Reges & Duces Holsatiæ, confirmarunt.

Templum habet unum D. Bartholomæo sacrum, Nosocomium unum. Cives 340. & inter hos 50. Zythepsas, vel cerevisiæ coctores, naves majores & minores 26. quibus per Albim suas distrahunt, ac peregrinas accipiunt merces. Tabernam vinariam unam. Tres, in quibus Hamburgensis cerevisia divenditur.

Insigne ejus est, piscis in amne natans, sub urticæ folio.

Duos celebrat Mercatus, priorem, festo Divi Bartholomæi, posteriorem Divi Dionysii.

Distat Flensburgo tredecim, Lubeca duodecim, Hamburgo & Segeberga octo, Rendesburgo sex, Heida quatuor, Itzehoa & Crempa uno milliaribus.

NEO-MONASTERIUM.

Neomonasterium. NEO-MONASTERIUM, oppidum ad Swalam, primo fuit Wippendorff, postea Faldera appellatum. Ibi cum sacellum quoddam ligneum, quod omnium primum, in Holsatia fuisse perhibetur, Vicelinus Holsatorum Evangelista, reperiisset: Monasterium ibidem Canonicorum Regularium, quorum ille fuit Præpositus circa epochæ Christianæ annum 1152. tempore Adolphi I. Comitis Holsatiæ & Adalgeri Archi-Episcopi Hamburgensis & Bremensis, construi fecit: quod postea Novi-Monasterium appellatum, & tandem (cum A. C. 1140. & postea sæpius a Slavis infidelibus devastaretur) per Adalberonem Archi-Episcopum Bremensem, Bordesholmiam translatum est.

Paullo infra hoc oppidulum, Schwala & Stora confluunt.

A. C. 1322. Dithmarsi in Holsatiam, cum impetu pervoluti Neomonasterium incendiis ac rapinis devastarunt.

de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.

Insigne ejus est cygnus candidus, cum diductis alis, in rubro clypeo, cujus collum corona aurea ambit, albo urticæ folio desuper imminente.

Mercatum annuum celebrat, octiduo ante festum Decollationis Johannis Baptistæ.

Distat Rendesburgo quinque, Chilonio quatuor, Segeberga tribus, & Brambstedio duobus milliaribus.

BORDESHOLMUM.

Bordesholm. BORDESHOLMUM, Colonia Novi-Monasterii & cœnobium ad Eydoram fluvium non minus elegans quam famosum: quod una cum sancti Vicelini reliquiis, quæ annis plus minus 160. Novi-Monasterii, requieverant, inde huc translatum est.

Templum habet perelegans, in quo cum Nobiles, & Equites aurati quamplurimi tum etiam Illustrissima Princeps, Anna, Friderici I. Daniæ Regis Uxor prior, & Joachimi Electoris Brandenburgici soror, sub tumba ænea, cui ipsius & Regis Friderici mariti, veræ imagines sunt infusæ, quiescit.

Præter alia autem ornamenta, quibus templum abundat, tabula ibidem aræ imposita conspicitur, quam Joannes Brugmannus Husensis, (qui haud minori artificio tabulam insignem, in templo Segebergensi existentem sculpsit) Anno 1521. tanta arte atque industria elaboravit, & expolivit, ut nullum huic simile opus multi, qui maximam Germaniæ partem perlustrarunt, se vidisse attestentur.

De hac tabula ejusque auctore (qui in summa paupertate mortuus est,) venustum hoc Epigramma Matthias Pausenius scripsit:

Nuper ad hæc oculos vertens celamina Phœbus,
An sunt humana sculpta ait ista manu.
Non sum Phidiacam qui carpam Zoilus artem,
Aut quod Lysippi dextera fecit opus.
Sed tamen hæc illis si non dignoscere possem
Stultior essem oculis, quam fuit aure Midas.

Habet hoc cœnobium sylvas & piscinas plures ac fœcundas, quibus plane est circumdatum.

Hodie in scholam seu pædagogium conversum est, ex quo, tanquam equo Trojano, multi celebres viri prodeunt.

Distat Segeberga & Rendesburgo quatuor: Chilonio & Neo-Monasterio duobus milliaribus.

BODCAMPIA.

Bodcampia. BODCAMPIA, arx in Holsatia sita, exquisito opere ac admiranda industria, instar ædificiorum Italicorum, ita ut plurimorum Architectonicæ peritorum judicio, inter omnes Holsatiæ arces pulcerrima habeatur, primum, a Joanne Ranzovio Equite aurato, ad originem Eidoræ fluvii & non procul, a Capite Storæ e paluſtribus locis Waldradensibus ortum ducentis, qui uterque fluvius post navigabilis reddi-

tur, conſtructa, ac ad Nepotes ipſius e Paulo Ranzovio, filio, per hæreditatem jam devoluta, duodecim ſtagnis circumjacentibus, horto amœno, & ſylvis, agris, pratisque frugiferis abunde ornata.

Diſtat Segeberga & Plœna tribus, Pretzia, Chilonio & Neo-Monaſterio duobus milliaribus.

HANROVIUM.

Hanrovium.

HANROVIUM, Caſtrum elegans, ac munitum in finibus Holſatiæ ac Dithmarſiæ, vallo & foſſatis, contra Dithmarſorum rebellium molitiones, a Comitibus Holſatiæ ſuperiori ævo eductis, cinctum, fundi fertilitate ac ſylvis fœcundum: quod priſco quidem tempore ad Holſatiæ Principes ac Comites pertinuit: poſtmodum autem Clementi de Wiſch, divenditum, ab hoc porro eodem titulo, ad Mauritium Ranzovium, & hujus filium Cajum Henrici Ranzovii Producis Cimbrici generum pervenit. Peregrini, hic quoque vectigal, Imperiali auctoritate, ante noſtra tempora, confirmatum, dependunt.

Diſtat Meldorpia, Heida, & Itzehoa duobus, Rendesburgo tribus milliaribus.

MELBECA.

Melbeca.

MELBECA, ædificiorum pulcritudine, ac firmitate, arx potius eſt, quam prædium Henrici Ranzovii Producis Cimbrici, non procul a Dithmarſiæ finibus, loco fertili ſita, ſtagno inædificata, muro ex quadratis lapidibus intrinſecus & extrinſecus partim diſtincta, partim variata, & ponte ſublicio, ac area, e ſaxo vivo, pulcre decorata, quam, cum a Parente Joanne Ranzovio, Equite aurato, hæreditate accepiſſet Henricus Ranzovius, eam, uti reliquas arces omnes, ita reparavit A. C. 1576. ut hæredes quod in ea deſiderare poſſint, non habeant.

In hac arce more Romano cippum quendam, ſeu columnam 30. fere pedum longam & 4. latam, idem Henricus Ranzovius erexit, in qua, & horarum diſcrimina ab omnibus partibus, una cum nomine Auctoris & inſcriptio quædam lapidibus inciſa cernuntur.

Diſtat Meldorpio & Heida, milliaribus duobus; Itzehoa & Bredenberga arce, uno.

Qui porro habitus ſit uſitatior Incolis trium Provinciarum præmiſſarum, ſequentes picturæ Lectori exhibebunt. N. 1–8.

DITHMARSIA.

Deſcriptio chorographica & hiſtorica Dithmarſiæ.

DITHMARSIA provincia eſt partim arenoſa, partim paludoſa, natura & ſitu firma, frumenti ferax, paſcendisque & enutriendis pecoribus, ob pratorum viridantium ubique luxuriem, fœcunda.

Ab oriente tuetur ejus latus flumen Eidora, ab occaſu mare Britannicum, ad meridiem claudit Albis, ad Aquilonem ſtricto acceſſu cingunt paludes immeabiles & foſſæ perductæ, quæ neceſſitate ita urgente, quemadmodum & omnis ejus regionis planities, per machinas affabre confectas aquis compleri, ut longe lateque diffundi poſſint: utque nemini pateat exitus aut introitus.

Accedit fluxus & refluxus *Ebbe und Fluth* vicinorum fluminum, quo, ſolum redditur ita lutoſum & lubricum, ut nec pedeſter, nec equeſter pateat tranſitus.

Navigio hoſtili fieri neque poteſt acceſſus. Recedente enim aqua hæret in luto.

Alias etiam in pleno fluxu naves magnæ applicare non poſſunt.

Nomen accepit, ut Dreſſerus in Iſagoge Hiſtorica refert, a Gothico Dialecto Dit, id eſt dives, & Marſo Germanorum Rege ſexto, ut ſit Dithmarſch, quaſi *Reichmarſch* ſeu *Reich-Land.* Petrus Albinus in Viperto Dithmarſiam derivat, a Teutone, quodam Ditone, ſeu potius ab ipſis Teutonibus populis, & Marſia vocabulo id eſt loco campeſtri, ſeu fundo marino. *Marſch* autem dicitur tam continens, & locus littoralis, quam quælibet alia planities ad amnem ſita. Henricus Ranzovius Demerſam potius, cum inter limoſas locorum paluſtrium lacunas, vallis undique cincta ſit, quam Dithmarſiam appellat. Oſius vero *Marſch-Land* dici vult, quaſi *Moraſt-Land,* a paludibus inviis & crebris. Non abſurde deductum nomen, hinc quoque videri poſſet, quod excluſo mari excitatisque aggeribus, continenti adjecta, & ad fertilitatem redacta terra eſt, *ein aus dem Meer eingeweihtes und fruchtbar gemachtes Land.* Sed ſuum cuique ſit judicium liberum.

Incolæ ante noſtra tempora, homines erant duri, ſævi, & agreſtes, viribus fortes, audaces, proceri, & communiter longæ ſtaturæ, ut Helvetii, animoſi, rixoſi, ut ſeptentrionales omnes. Pro Patriæ libertate dimicabant fortiter, eamque liberam ſine exactione retinere, aut prorſus bello amittere avebant. Imminente bello diſcordias & offenſiones inteſtinas ſeponebant, erantque concordes ad finem uſque ejusdem. Si modice a vicinis læderentur, duplum vice verſa rapiebant. Quod ipſi damnum inferrent, pro nihilo reputabant, dicentes: non ſe, illud; ſed ſuos fatuos patraſſe. Interfectus ab eis, centum marcis antiquis litabatur.

Occiſorum hominum cadavera alitibus & canibus devoranda exponebant; nec ut ſepulturæ ab amicis traderentur permittebant, exanimatis inſuper illudebant, & ventriculos extrahebant; quibus ad baculos longos alligatis, divinabant eorum uxores, ituræ ſimul cum viris in bellum.

Fidem victori datam raro ſervabant, multo minus, victi λύτρον promiſſum exſolvebant.

Ad rebellionem erant proni, & jugi Principum admodum inſolentes, quorum alios ejiciebant, alios interficiebant, alios reſolutis aquarum obſtaculis Neptuno conſecrabant.

Primum enim Dedonem Saxonem, & hujus ſucceſſorem Etelerum Comitem, cognomento album, qui Idam, cæſi Dedonis viduam (cui Henricus III. Imp. patruus erat, & Leo VIII. Pontifex avunculus,) duxit, crudeliter interemerunt. Hinc Rhodolphum Marchionem, hujusque paullo poſt filium, in proprio caſtello Bokelenburgo trucidarunt, & conjugem ejus Walpurgam naribus atque auribus amputatis, in profluentem abjecerunt, qui adhuc nomen ab illa ſervat.

Porro





Brühl sc. Lipsiæ





Vulgaris Civium Habitus in Holsatia. 3.

Habitus Puellae plebejae, in Civitatibus Cimbricis. 4.



Puella Cimbrica Aquam bajulans. 5.

Doliarius Cimbricus. 6.



Vulgaris Rusticorum Habitus in Holsatia. 7.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Cimbricus Ovium Pastor. 8.



Habitus Incolarum Dithmarsiæ tam ad Militiam quam ad Agriculturam apti. 9.

Habitus Fœminæ in Dithmarsia. 10.



Dithmarsiæ Matrona et Patersamilias. 11.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Porro cum Adolphus III. Holſatiæ Comes, A.C.1186. eos ſibi ſubjectos teneret, illi a fide præſtita recedentes, odio Comitis, omnem nobilitatem, quæ multa eo loco erat, ejecerunt.

A.1322. Poſt cum Gerardus & Joannes, Comites Holſatiæ, magnis copiis coactis, & quatuordecim ducibus extraneis adjuti, bello ad obedientiam eos compellere ſtatuiſſent, & res initio ſatis proſpere ſuccederet, converſa tamen paullo poſt fortuna cum Dithmarſis intra templum quoddam concluſis, & pro incolumitate ſua ſupplicantibus, victores gratiam denegarent, ac templum una cum obſeſſis, admoto igne exurere decreviſſent: Comites ab ipſis, qui conſiderato præſenti exitio, animisque inde receptis, ex deſperatione hoſtes incautiores, invadebant, in fugam conjecti ſunt, & duodecim Duces, cum 2000. militum cæſi.

Gerardus deinde Dux Sleſwicenſis A.C.1404. cum Dithmarſos fugaſſet, & diſſipaſſet, jamque nimia prædæ cupiditate incautius cum exercitu ſuo recederet, ab ipſis, qui iterum clanculum ſeſe collegerant, bello victus, cum duodecim equitibus auratis, & 300. nobilibus, ac flore pene omni robuſtæ vividæque Juventutis Holſaticæ interiit. In cæſos, adeo ſævierunt hoſtes Dithmarſi, ut excepto Comite, paucisque aliis equeſtris ordinis viris, ſepulturæ beneficium reliquis denegaverint, quorum tamen plerique & per uxores, & conſanguineas fœminas, ſub monialium habitu fuere ſepulti. A.C.1500. Denique cum Joannes Rex Daniæ Norwagiæ & Sveciæ, Chriſtierni I. filius, magno militum robore collecto, expeditionem juſtam in Dithmarſos, qui Patri ſuo ejusque hæredibus, ab Imperatore FRIDERICO III. cum cæteris vicinis Ducatibus in feudum traditi erant, ſuſcepiſſet: non ſolum ipſum prælio victum in fugam compulerunt: verum etiam Adolphum & Ottonem Comites Oldenburgicos, & præter hos, qui ex Dania & cæteris duobus regnis, in eam militiam una profecti occubuerunt, ſexaginta quoque nobiles Holſatos interque hos, novem Alefeldios, & quatuor Ranzovios, in quorum numero fuit & BREIDO RANZOVIVS, Joannis Equitis aurati (cujus ductu 59. annis poſt, ad obedientiam Regum Daniæ, Ducumque Holſatiæ, penitus fuere compulſi) frater, ac una circiter 4000. e plebejis militibus, occiderunt.

Dithmarſi hæc omnia ſub libertatis ſuæ prætextu perpetrarunt, quam per quingentos fere annos, excuſſo ſemper cervicibus dominatu, incredibili animorum pertinacia, etiam defenderunt, donec tandem, a fortiſſimis Chriſtiani I. Danorum Regis nepotibus, Joanne & Adolpho, Holſatiæ Ducibus, & Pronepote Friderico II. Danorum Rege A.1559. tribus præliis ſuperati, debellati, & in ordinem redacti fuere. De hujus belli Hiſtoria lege C. Cilicium Cimbrum, Andream Wellejum, Davidem Chytræum, D. Eraſmum Lætum, & Hieronymum Oſium.

Juſtitiæ adminiſtratio ante deditionem penes ſingularum parochiarum delectos erat, a quibus appellatio ad quadraginta Octoviros Heidæ ſingulis Saturni diebus judicium celebrantes, devolvebatur: ab his ad totius provinciæ conventum: in quo quod concludebatur ratum erat.

Subactis autem populis & in duas partes diviſis, ex ſingulis delecti fuerunt, cognoſcendis & dijudicandis cauſſis, undecim Senatores indigenæ, quibus duodecimus Prætor Regius Juris conſultus cum Scriba adjunctus eſt. Supremi vero Præſides ex nobilitate Holſatica, duo, deſignantur. Eorum alter in ditione Regia plerumque eſt præfectus Steinburgenſis, in ditione vero Holſatiæ Ducis Præfectus Gottorpienſis.

A ſententiis duodecim virorum provocatio libera permittitur, per eas gravatis, ad Principes & Senatores illorum: ſed non ulterius. Ita enim cum eis transactum eſt; Quo uſi ſunt Jure ſcripto, nondum debellati, id jam paullulum mutatum eſt, & ſecundum Jus Saxonicum & Cæſareum commune, ab Henrico Ranzovio Produce Cimbrico, & Collegis emendatum. Ac ad normam illius Juris omnes cauſſæ deciduntur, & pœnæ delinquentibus irrogantur, reſervata tamen Principibus jus illud augendi vel diminuendi poteſtate libera.

Nullas præſtant operas angarias Principibus; ſed de ſingulis agrorum paluſtrium jugeribus aureum; de campeſtribus vero dimidiam ſementis partem dependunt.

Qui ſe fundis ſuis tolerare nequeunt, militiam ſequuntur, aut nautis operam dant. Quanquam antehac opinio fuerit, quod ſuccinum nullibi niſi in Boruſſia naſcatur: tamen compertum eſt, etiam in Dithmarſia inveniri.

Multo quam ante, rectius, incolæ inter ſe conveniunt, nullis exiſtentibus factionibus, dum contra opulentiorum & potentiorum injurias defenduntur tenuiores, & æquali Jure vivunt univerſi.

Lingua utuntur Saxonica; ſed alia in paucis verbis pronunciatione.

Viri caligis amplis, ut nautæ, incedunt, Mulieres, diverſi coloris veſtimentis.

Provincia tota ſeptem milliaribus in longitudinem et quinque in latitudinem patet.

Parochias habet viginti & unam. Oppida tria: Meldorpiam, Heidam & Lundenum. Prædia duo Fridrichshoff & Hatſtedium.

Poſtremo expugnationis tempore 24000. hominum armatorum in aciem producere potuit, quorum numerus jam auctus dicitur.

Magnam piſcium copiam incolæ capere poſſunt, tam ex Oceano, quam fluviis, ut Albi, Milda, Eidora: ac ſtagnis Cudenſi & Windbergenſi; rivulisque nonnullis in mare influentibus.

Molas aquaticas & alatas, habet quam plurimas, quæ incolarum ſunt propriæ. Illuſtriſſimi Holſatiæ Principes Equite cataphracto in rubro ut vulgus loquitur campo, clypeos avitos, hujus ratione Ducatus auxerunt.

MELDORPA.

Meldorpia.

MELDORPIA, olim dicta *Mildendorp*, a Milda rivo vicino, qui olim flumen fuit navigabile.

Oppidum ipſum ter expugnatum & everſum legitur, primum a Gerardo Duce Sleſvicenſe Anno 1404. Secundo, a Joanne Danorum Rege, &Fri-

de Weſtphalen Monum. ined. Rer. Germ.

& Friderico Holſatiæ Duce, anno 1500. ac tandem a Friderico II. Daniæ Rege, & Joanne ac Adolpho Holſatiæ Ducibus anno 1559.

Monaſterium habet Minoritarum, quod ante expugnationem terræ deſtructum eſt.

Templum D. Johanni ſacrum & turri eminenti conſpicuum exſtruxit; ob religioſorum totius Provinciæ annuum Conventum & frequentia Judicia, quæ ſingulis ſeptimanis ibidem peraguntur, celebratur.

Inſigne ejus eſt theatrum quinque turriculis diſtinctum.

Nundinas annuarias celebrat Domin. Judica.

Diſtat Huſeno quinque, Itzehoa & Hanrovia quatuor milliaribus.

Elevat. Poli 54. grad. minut. 36.

HEIDA.

Heida. HEIDA, Oppidum eſt quadratum, ſicut & forum ejusdem, quod peramplum, longum latumque 800. paſſus, habens in ſingulis quatuor angulis amplas & regias, inque omnes Dithmarſiæ partes ſe extendentes vias.

Nomenclationem ducit ab Erica; quæ Germanis *Heide* indigitatur.

Celebre admodum eſt famoſo emporio, ædificiorum elegantia, & 48. Judicum, qui ante ultimam expugnationem, ſingulis ſeptimanis hic Jus dicere ſolebant, conventu.

Situm eſt in totius fere Regionis meditullio, ita, ut unius diei ſpatio, incolæ illuc confluere, & neceſſitate ingruente in ejusdem foro convenire poſſint.

Templum habet equeſtri D. Georgio ſacrum, idque unicum.

Non procul ab hoc oppido A. D. 1404. in loco *Hamme* nuncupato, Gerhardus Dux Sleſvicenſis, cum Equitibus bis ſenis, & ex Holſatica nobilitate 300. cæſus occubuit, eodemque in loco anno 1559. vice verſa Dithmarſi devicti pœnas dederunt, & libertatem, quam ſibi arrogabant, una cum vita amiſerunt.

Inſigne urbis eſt effigies D. Georgii, confodientis draconem.

Nundinas ſtatas habet Dominica Judica.

Diſtat Itzehoa quinque, Tonninga tribus, Meldorpia & Lundena tribus milliaribus.

Elevatio poli 54. gr. min. 37.

LUNDENUM.

Lundium. LUNDENUM, Oppidum itidem eſt venuſtis ædificiis, & delitioſo ad Eidoram fluvium ſitu, lautum.

Templum habet unum D. Laurentio ſacrum, & cratem cum dimidiata aquila pro inſigni.

Annuos mercatus celebrat duos, primum, Dominica Palmarum, alterum feſto Divi Michaëlis.

Diſtat Gottorpio quinque, Huſenio & Svaveſtedio, unico milliaribus.

HATTSTEDIUM.

Hattſtedium. HATTSTEDIUM, prædium eſt, Henrici Ranzovii, Producis Cimbrici in Dithmarſia ſitum: fundo perquam frugifero & amœno. Quod is, poſtquam A. C. 1565. ſumtibus ſuis emtum, vallo circumdediſſet, egregieque ædificaſſet, a potentiſſimo Rege Daniæ Friderico II. merum Imperium & Jurisdictionem ſimplicem ibi locorum (quo modo Comites ac Barones in Germania & tota nobilitas Cimbrica & Danica ſuis poſſeſſionibus cum tali libertate fruuntur) obtinuit.

Diſtat Meldorpio, Heida & Hanrovio duobus, Itzehoa tribus, Rendesburgo quatuor milliaribus.

Porro vulgarem Dithmarſorum habitum ex ſequentibus picturis cernere licet. N. 9–13.

DUCATUS SLESWICENSIS.

Hiſtoria Sleſwici. DUCATUS SLESWICENSIS, alias Suder Jutia, vel Jutia Auſtralis ac Meridionalis appellatus, primum Gerhardo V. Holſatiæ Comiti Henrici Ferrei filio, cum Dominio pleno, utili & directo, cumque vaſallis, & reliquis pertinentiis, per tradita vexilla & inſignia, ab Olao II. Rege Daniæ, ejusque matre Margaretha (cum Regum Daniæ Imperio & juri ſupremo ſemper hic Ducatus fuiſſet ſubjectus) Niburgi, per feudi collationem, ſolemniter eſt conceſſus.

Poſtea cum Dani Holſatis hoc feudum rurſus eripere conarentur, & Ericus Rex Daniæ, diuturnis ac gravibus bellis, ob iſtum Ducatum Comites denuo infeſtaret, eo demortuo, res fuit placide compoſita, ita ut Chriſtophorus Rex Daniæ, Erici ſucceſſor, Adolpho Duci Sleſwicenſi, & Comiti Holſatiæ, Ducatus Sleſwicenſis feudum cum omnibus, ad id pertinentibus contulerit A. C. 1440. Dominica Cantate.

Nomen, a civitate Metropoli & Epiſcopa utpote parte digniori, deductum eſſe videtur.

Longitudine octodecim milliaria, a vallo nimirum Danorum, Coldingam & Ripas usque, latitudine vero, quæ inæqualis eſt circa ſex aut ſeptem milliaria conficit.

Anguſtiſſimus eſt prope Sleſwicum, ubi Treja fluvius, ab occaſu, & Sleja ab ortu mare Occidentale & Orientale ingredientes Iſthmum faciunt, & Danorum illud opus memorabile attingunt.

Hoc autem primus omnium, contra Carolum Magnum, tanquam regni ſui militem, Godefridus, vel ut alii eum nominant Gotricus Annonio Monacho lib. 4. Hiſtor. Francorum atteſtante, excitavit: deinde Thyra Daniæ Regina, Gormonis vidua & Haraldi mater, multis in locis conciſum & attritum reparavit.

Et demum Margaretha nigra, Canuti Regis mater reſtauravit, foſſisque & muris ampliſſimis, quorum adhuc luculenta exſtant veſtigia, auxit, & firmavit.

Agger vero iſte profunditate ſua, qua Holſatiam ſpectat, tranſitu difficilis, ſexaginta pedes latus, totidemque altus hoſtibus arcendis inſtar obicis objectus, & ſpatio milliaris Germanici, a maris Orientalis littore, ad Occidentalis Oceani ripas

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Dithmarsica Sponsa Virgo et Sponsus. 12.



Foemella Dithmarsiæ honoratior. 13. Foemella Schleswicensis. 14.



Foem. Flensburg. 15. Foemella Tunderensis. 16.



Brühl fec. Lipsi.



ripas exacte perductus fuit: eique Liminarcha cum custodibus limitaneis, circa annum Domini 940. a Danis præfectus est, ut ab incursionibus atque direptionibus vicinorum Holsatorum, & Saxonum tutiores essent.

Urbes & oppida hujus Ducatus insignia, & portubus commodis ornata ad Eoum mare sunt Sleswiga, Ecklensorda, Flensburgum, Apenroa, Haderslebia; ad mare occiduum seu Britannicum: Husenum, Tundera, Brettstedia.

Arces seu curias Regias Ducalesque complectitur 28.

Nobilium castella & prædia, quibus, pro domibus utuntur, ultra centum:

Paræcias tam rurales, quam oppidanas, adjunctis vicinarum insularum Ecclesiis, supra quadringentas: quarum plurimæ plumbo sunt contectæ:

Episcopatum unum, Sleswicensem scilicet.

Capitula duo, Sleswicense & Haderslebiense.

Abbatias duas, Lumensem & Ruensem.

Insignia ejus sunt leones cœrulei duo, in solo luteo.

SLESWICUM.

Metropolis Cimbriæ Sleſvicum.

SLESWICVM, Cimbriæ quondam totius Metropolis, amplissimum & ex commerciorum frequentia opulentissimum oppidum, nunc pro fatali ejus casu, pristina magnificentia haud conspicuum, situm est in ipso Isthmo Cimbricæ Chersonesi, ubi inter maria duo, Oceanum scilicet Germanicum, & mare Eoum sive Balticum, minima est intercapedo terræ, quæ olim justi milliaris Germanici longitudinem excessit. Nam flumen Threja usque ad pagum Hollingstede refluit, a quo Sleswicum oppidum ad Sleam, sinum maris Baltici, haud plus unico milliari distat.

Origo appellationis.

Cranzius, & qui Saxonum conscripsere Historias, aliam Sleswico appellationem attribuunt, quam etiamnum apud Danos & Frisios usus retinet. Hi enim sua lingua hoc oppidum Hedebui, vel Heidebam nuncupant, quod a quadam Daniæ Regina, cui Hethæ nomen, dicant primitus esse conditam.

(Ex vetusto Codice)

Urbs magna & priscis, fuit Heideba dicta sub annis,
At nunc Sleswigam, patria lingua vocat.

Quid Hedebui?

Appellationis Hedebui vestigium in Occidentali littore ad Sliam, etiamnum supereſt.

Ecclesia nimirum, quæ vetus Hedebui nomen retinet; Quod si etiam Danum vel Frisicum colonum Germanicæ linguæ ignarum, iturum Sleswicum, aut inde redeuntem interroges, quonam se conferat, non Sleswicum, sed Hedebui respondebit. Idem affirmat Guilielmus Cambdenus, in Britannia sua, allegans vetustissimum quendam Autorem, qui Patricius Consul, Fabius Quæstor Ethelwerdus sit dictus, ac Adulphi Regis Abnepos fuisse videatur, floruerit que circa annum salutis 950. hujus Ethelwerdi verba ponit hæc: Anglia vetus sita est inter Saxones & Giotos, habens oppidum Capitale, quod sermone Saxonico Sleswic, secundum vero Danos Haitby dicitur.

Invenio quoque in Annalibus Caroli M. a quodam Anonymo Monacho conscriptis, loca circa Sleswicum priscis temporibus Sliestorp nuncupata fuisse.

Hodierna autem nuncupatio oppidi ex Saxoniæ idiomatis proprietate originem habet. Saxones enim sinum excurrentis fluminis, stagni aut maris alicujus *Wick* appellant. Est inde oppidum *Schleswig*, quasi *Schliesvvieck*, a fluvio Sleja, cujus tractus, e regione oppidi se sinistrorsum flectendo sinum efficit, qui etiamnum *die Wieck* ab incolis indigitatur.

Descriptio & historiæ Urbis.

Ambitus urbis olim multo amplior fuit, ut ex interciſis & interruptis vallorum aggerumque ruderibus videre est, si principium ab Orientali Sliæ ripa, finis vero ab Occidentali latere ejusdem sumatur, apud superstitem Ecclesiam, cui Hedebui nomen manet. Videntur enim ibi vallum fossæque adhuc satis integræ. Alioqui paucos ante annos, quædam etiam pilæ lignei pontis, per quem transitus supra sinum fuerat compendiosiori via, qua Ecklensordam, Chiloniumque itur, apparebant.

Huic loco mons altus imminet, Oldenburgi nomen habens, arboribus, fruticibus & spinis undequaque consitus, ut propter densitatem ascensus sit difficilis, in cujus summitate arx posita fuit munitissima, clavis Isthmi Cimbrici. Ea etsi omnino nunc diruta sit, ut nihil fere reliquiarum supersit, manent tamen tres fossæ profundæ, quibus olim fortalitium illud circumdatum fuit. Eam vero arcem & urbem Sleswicum, cum Henricus I. Imperator Marchioni Saxoniæ sedem ibi constituisset, illo mortuo Dani obsederunt expugnaveruntque, ut ex castrorum vestigiis adhuc satis apparet.

Fuit præterea ab urbis parte Aquilonari agger, qui tunc temporis, non tam alte Gottorpium versus, uti jam ascendit, cum neque tum Gottorpium arx condita, neque hi aggeres, qui hodie Gottorpium ducunt, ducti essent. Erat enim pars illa Aquilonaris, tota paluſtris & saltuosa, quemadmodum lacus Bustorpianus, & qui castellum alluit, *der Borch-See*, nemusque & saltus *Pölen* nuncupati, adhuc satis demonstrant: ut transitus Sleswicum versus per illum aggerem saltem pateret.

Hodie dicti aggeris pars maxima sub aquis resident, & Favonio Zephyroque ventis, aquas abigentibus cernitur.

In ejus aggeris medio, loco editiore, propugnaculum seu castrum D. Georgii fuit, cujus fundamenta superioribus annis, cum Adolphus Holsatiæ Dux, domum ibidem ædificaret, satis operose muris exstructa, sub terris inventa sunt.

Urbs ipsa partim arte, partim natura loci fuit munita & peropportuno ad negotiationem situ condita, portum habens, ad exercenda commercia commodissimum. Ex Belgio enim, Britannia, Galliis & Hispaniis ad ostia Eidoræ fluvii navibus merces transportabantur, quæ per Trejam Hollingstadium subvectæ, facili negotio Sleswicum; ac inde per mare Eoum, in Daniæ, Norwegiæ Sveciæque regna, in Livoniam, Russiam, Borussiam, aliasque Germaniæ

provincias, quas mare Balticum alluit, importari poterant.

Primum templum ab Erico Daniæ Rege Haraldi fratre, quem S. Anaſcharius ad Chriſti fidem convertit, conditum, ac Deo vero dedicatum eſt, circa A. C. 848. Helmoldus in Chronicis Slavorum lib. I. cap. 5. ſcribit, Eccleſiam Cathedralem hujus oppidi ſub Ludovico Imperatore Caroli Magni filio, primum erectam, quod & Saxo Grammaticus lib. 9. ac Cranzius, in Dania lib. 4. cap. 10. teſtantur.

Illud autem Slavi poſtea cum civitate peſſumdederunt, diripuerunt, & funditus depopulati ſunt.

Qua Slavorum perſecutione ceſſante, auctus iterum eſt Sleſwici cultus Divinus, & pleraque Monaſteria ac templa ædificata. Reſtaurata eſt inprimis Cathedralis Eccleſia, ac opibus reditibusque aucta: Exſtructum etiam ab Anglis prope forum, S. Spiritus templum, cujus elegans turris, ex parte, adhuc ſupereſt, viſunturque circa illud, veſtigia tabernarum, exſtructarum in uſum mercatus, adjunctaque ſunt, ejusdem nominis Xenodochii rudera.

Erat etiam Eccleſia D. Nicolai, ex Auſtrali Cathedralis latere, quæ adjunctum habuit Monaſterium ordinis D. Auguſtini Orientem verſus. Ea ædificia funditus diruta & ſolo æquata ſunt, ut nulla eorum veſtigia ſuperſint.

Exſtitit item Xenodochium & Sacellum S. Georgii, ad pagum ejus nominis, ſupra montem, Aquilonem verſus, ſed & illud totum, in nihilum eſt redactum, una cum ſacello, exſtantibus pauciſſimis tantum ruderibus.

Prope hoc ſacellum Ericus Rex Daniæ ab Holſatis nocturno incurſu fugatus, caſtrisque ſuis, magna Danorum ſtrage edita, exutus fuit. Supra eundem montem penes viam, qua Flensburgum itur, ſacellum eſt D. Michaëlis Archangeli, forma rotunda, uti plerisque in locis, antiqua infidelium delubra cernuntur.

Supereſt quoque integrum monaſterium nobilium in peninſula Sleſwici, *Holm*, dicta.

Ædificium in eadem peninſula, primum pro mercatoria domo ab Anglis exſtructum, ſequenti tempore in Eccleſiam ſacratum, plane dirutum jacet.

Ea nunc eſt olim opulentiſſimæ & ampliſſimæ urbis deploranda facies. Sed nihil mirum. Ut enim hominibus vitæ ſuæ: Sic imperiis, regnis, rebuspubl. & urbibus ſui ſunt fatales termini.

Cæterum variam fortunam per iniquum Martem urbs eſt experta. Nam inter Danos ac Holſatos innumeris olim præliis de ea concertatum fuit, in quibus modo hi, modo illi victores, urbeque potiti, eam aliquamdiu poſſederunt.

Durat adhuc Cathedralis Eccleſia, in qua ut maxima pars Epiſcoporum Sleſvicenſium (quorum habuit quadraginta quatuor) humata quieſcit: Sic & Daniæ Reges Holſatiæque plurimi.

Waldemarus Dux Jutiæ A. 1314. ejusdemque filius Ericus anno 1325.

Abel Daniæ Rex, interfectus a Friſiis, Eiderſtadenſibus, A. C. 1253. cujus corpus Canonici, cum ſpectris infeſtarentur, effoſſum, poſtea, in ſylva *Pone* humarunt, ubi adhuc nocturno tempore ab incolis venari dicitur:

Fridericus I. Daniæ Rex Anno 1533. Anna Regis Friderici filia A. 1519. Sophia Friderici conjux Bugislai Pomeraniæ Ducis filia A. C. 1568.

Fridericus Dux Holſatiæ, Epiſcopus Hildeſienſis & Sleſwicenſis, & Coadjutor Bremenſis, A. C. 1556.

Chriſtianus, filius Adolphi A. C. 1577.

Joannes, Friderici Regis filius A. 1580.

Adolphus, Joannis frater A. 1586.

Eliſabetha, filia Adolphi A. 1587.

Et Philippus A. 1590. uterque Adolphi filius.

Sepultus ibidem eſt porro Guſtavus Trolle Svecus, Archi-Epiſcopus primo Upſalienſis, deinde Epiſcopus Ottonienſis, A. C. 1536. & plures nobiles alii. Ex Ranzoviis Henricus, Pauli Johannis Ranzovii Equit. aurati fratris filius, qui cum turma equitum Martinode Roſſem in Belgio adfuit, & deinde Gottorpiæ in foſſa ſubmerſus, ibi eſt humatus A. D. 1546.

Jacobus Woldemari filius Præfectus Gottorpienſis, & Præſes Eiderſtadienſis, A. D. 1552. ſub lapide ejus imaginem continente, ante chorum terræ eſt mandatus.

Et in hac urbe A. C. 1251. Abel Rex Daniæ fratrem ſuum Ericum, cum quo de regno antea contendit, doloſe captum, & capite truncatum, ita tamen ut cuti adhuc, nonnihil cervix adhæreret, ſaxisque alligatum in Slejam demerſit, quibus tamen ſingulari Dei judicio ſolutus Ericus, ſuperne enatare viſus eſt. Fratrem autem paullo poſt niſi reſipiſcat, ſe inſecuturum, priusquam cæderetur, vaticinatus eſt: quod & eventus, ipſo biennio poſt ab Eiderſtadiis viciſſim interfecto, comprobavit. Sepultus Ericus primo apud Fratres Prædicatores Sleſvici: deinde in Dania Regiis ſepulcris eſt illatus.

Epiſcopatus Sleswicenſis fundatus eſt ab Ottone I. Imp. A. C. 946. ac poſtea a Daniæ Regibus variis reditibus auctus.

Cives ibi ſunt 400. circiter, in quibus Cereviſiarii decem.

Non procul a Sleswiga Siwardi Regis lacus eſt, in hodiernum usque diem ſic nominatus, quod is Rex, magnam victoriam, adverſus hoſtes ibidem olim obtinuit.

Inſignia urbis exhibet murus turritus, aquis eum præterlabentibus cum ſemilunula ſtella & clypeo parvo, cujus pars dextera rubri, ſiniſtra vero coloris eſt albi, qualia Ranzovianæ familiæ ſunt inſignia. Unde non levis ſuſpicio naſcitur, ſolum Sleſvicenſe, olim, ad eam ſpectaſſe Familiam, vel ejusdem auſpiciis & interceſſione civilibus privilegiis, donatum oppidum, ut ita ad perpetuam rei memoriam, declarandamque gratitudinem, integrum Ranzoviorum inſigne, uſurpet in ſcuto & cornua in galea.

Nundinas celebrat ternas quotannis.

Diſtat Huſeno & Flensburgo quatuor, Rendesburgo tribus, Ecklenforda duobus milliaribus.

Veſtitum fœmineum exhibet figura N. 14.

ECKLENFÖRDA.

Ecklenforda.

Ecklenforda, quam Danicus Scriptor, Echinoſurdum vocat, urbs eſt maritima, aquis pene circumdata, & portu egregie ornata, a ſciuro

a sciuro Germanice *Ekerken* & vocabulo *Furd*, quod vadum significat, sic appellata.

Castellis duobus, quorum rudera etiamnum visuntur, negotiatione maritima, & cerevisia salubri admodum celebris est, quam Cacabillam quod bene cacare faciat (sit honos auribus) nominant, auctore Reimundo Cardinale. Ipse enim Italice dixerat, Cacabelle; unde incolæ nominarunt Cacabillam.

Pontem habet unum & Xenodochium ab Alefeldiis fundatum & sacello ac mediocribus reditibus, ornatum & dotatum.

Piscis hic captus est A. C. 1580. admodum miraculosus, 13. ulnas in longitudinem, 2. fere in altitudinem & 6. in rotunditatem seu crassitiem porrectus. Linguæ pondus fuit 22 librarum, quas vocant *Lis-Pfund*, quarum unam constituunt quatuordecim vulgares, seu mercatoriæ libræ. Cordis pondus fuit 80. librarum, ejusdem epate 2½. tonnæ repletæ sunt.

Urbs capta fuit ab Erico Rege Daniæ & exusta circiter A. C. 1416.

Insignia ejus sunt triplices turres, supra quarum una sciurus emicat.

Mercatum annuum celebrat Festo D. Michaëlis.

Distat Rendesburgo quatuor, Chilonio tribus milliaribus a trajectu *Missund* unico milliari.

FLENSBURGUM.

Flenopolis. FLENSBURGUM, quasi fluminisburgum dictum esse, sunt, qui affirmant. Alii nominis originem, a, Flenone viro nobili fortique milite deducunt, qui prope littus maris Baltici habitans, eo ipso in loco, ubi nunc situm est Flensburgum, casas quasdam piscatorias, sibi tributarias habuit. Ad has postea tam vicini, quam exteri, loci commoditate adducti, non solum confluxerunt, ibique suam sedem collocarunt: Verum etiam ex piscationis quæstu, & paullo post institutarum navigationum commodis, advenarum congressu & frequentia adaucti, formam & titulum oppidi acquisiverunt, ut sic Flensburgum, quasi Flenonisburgum nomen obtinuerit, circa A. C. 1200.

Elev. poli 55. gr. 30. scrup.

Postea huic novo oppido Waldemarus, Dux Jutiæ circa annum 1284. Jus municipale cum quibusdam aliis privilegiis concessit, quæ progressu temporis, partim a Daniæ Regibus, partim a Jutiæ & Holsatiæ Ducibus, viginti sex vicibus confirmata & aucta sunt.

Oppidum vero hoc inter montes excelsos littori maris Orientalis adjacet, in quod ejus portus se extendit, tanta commoditate, profunditate, & securitate, ut plerique cives ex domibus suis naves mercibus implere, & easdem rursus exonerare possint.

Amœnissimo & saluberrimo in loco ædificatum est, nec non purissimis scatet fontibus, abundantiaque omnium rerum affluit, quæ ad omnes necessitates pertinent. Insuper sylvis amœnissimis, & ferarum plurimarum nutricibus copiose abundat.

Suburbia habet duo, eaque conspicua, separata diceres oppida.

Ædes habet magnificas, & splendide exstructas.

Templa tria: D. Mariæ, D. Nicolai, & Divi Joannis, quorum hoc omnium est vetustissimum.

Nosocomion unum, in quo 28. pauperes aluntur, & gymnasium celebre, a Ludolpho Naaman Minorita Monacho institutum, in quo tres linguæ, Hebræa, Græca & Latina docentur.

Arcem itidem satis pulcram & in monte collocatam; ejusdem nominis urbi imminentem.

Porro urbs ipsa in longitudinem est ædificata, quæ 2341. passuum: numerusque civium 1134. esse deprehenditur.

Variam experta fuit in bellis, a Daniæ Regibus & Holsatiæ Comitibus gestis, fortunam. Aliquoties enim obsessa, spoliata & expugnata fuit, dum Dani modo eam eriperent, Holsatiæ Comitibus, modo Comites eam recuperarent.

Murum, quo fuit cincta, Ericus Daniæ Rex sustolli, urbemque profundissimis iterum fossatis cingi curavit, attestante Cranzio, Sax. lib. 10. cap. 25. 30. & 40.

Sepulta fuit in Monasterio Minoritarum, jam destructo, ante altare, Sophia Woldemari Regis Daniæ filia, Marchionis cujusdam Brandenburgici uxor, cum prole sua, ut lapis supra impositus testatur. Translatum autem est corpus cum lapide jussu Friderici II. Regis Daniæ, ad templum D. Nicolai, ex admonitione Henrici Ranzovii, Producis Cimbrici.

In obsidione quadam Henricus Holsatiæ Comes, Dux Sleswicensis, lancea cujusdam militis noctu, per sepimentum hostile, quo urbs erat cincta, interemtus est; cum hostium res exploraturus, scala admota, sepem conscendere vellet.

Post hujus obitum tamen, ab Adolpho Henrici fratre, urbs una cum arce superata est. Cum postea Adolphus bello inter Regem Daniæ & proceres Regni, & ipsum, composito, Ducatum Sleswicensem ritu solemni in feudum accepisset, verus ille Dominus civitatis ac arcis est factus.

Quo sine hærede mortuo, ad Christianum I. Oldenburgensem Daniæ Regem, & ex sorore Adolphi natum, devolvebatur oppidum: Illius abnepoti Christiano IV. Regi Daniæ hodie paret.

Insuper ortu suo oppidum hoc nobilitavit, præstantissimi nominis celator & pictor, Melchior Lorichius, qui difficilibus remotissimarum nationum peregrinationibus clarus, Græciam, Italiam, Galliam, & Belgium peragravit: ut earum artium peritos videret, & ab iis disceret. Sane ad excellentium artificum imitationem, tam accurato judicio, feliciterque se contulit, ut publica ipsius opera, & elegantissima ectypa, magistris suis, exterisque nationibus sint admirationi: Inprimis autem Solimanni Turcarum Imperatoris & Selymi filii, nec non Ismaëlis Persarum Regis, Legati effigies, quas in æs Constantinopoli sculpsit.

Eidem urbi, patriæ suæ, ornamento exstitit Thomas Finckius, Geometricis artibus scriptisque clarus, Academiæque Hafniensis Professor primarius: & plures alii viri sane doctissimi.

Naves

Naves magnas & parvas habet circiter ducentas.

Urbis insignia sunt propugnaculum seu turris, ex quo leones duo caput exserunt.

Nullas quidem statas celebrat nundinas; siquidem propter magnam mercatorum frequentiam, qui terra marique eo confluunt, perpetuæ hic sunt negotiationes.

Distat Haderslebia septem, Huseno quinque, Sleswico & Gottorpio quatuor milliaribus.

Habitus Fœminarum ex figura patet N. 15.

AAPENROA.

Apenroa.

AAPENROA, patens & exile oppidum sic dictum, quod apertum & non occlusum portis, nec mœnibus cinctum sit.

A Waldemaro Jutlandiæ Duce, civilia jura & privilegia accepit, A. C. 1335.

Direptum fuit, a militibus Friderici I. Regis Daniæ A. C. 1524. ob denegatum obsequium.

Templum habet unicum: & arcem, cujus præfectus hodie est Cajus Ranzovius, Henrici Ranzovii, Producis Cimbrici gener, ac portum peropportunum, in quo capiuntur aselli magna copia.

Nundinas celebrat.

Distat Ripis quinque, Flensburgo quatuor, Haderslebia tribus milliaribus.

HATTERSLEBIA.

Haterslebia.

HATTERSLEBIA, haud vulgare Sleswicensis Ducatus oppidum, in veterem civitatem, quæ Haderslebia & novam, quæ Brobui dicta, dividitur. Altitudo poli 56. gr.

Nominis appellationem ab Hothero Daniæ Rege meruit: non a rixis, ut nugivenduli quidam fabulantur.

Piscibus tam marinis, quam fluvialibus affluit, sylvasque varii generis habet plenissimas.

a. 1423.

Ecclesiam habet D. Mariæ sacram & Cathedralem, in qua Rumpoldus Silesiæ Dux, ad componendum inter Daniæ Regem Ericum, & comitem Holsatiæ lites, Ducatus Sleswicensis caussa, exortas ab Imperatore Sigismundo missus, & peste in ipsa tractatione extinctus, sepulturæ traditus est: In qua etiam aliqui Ranzoviorum terræ mandati, resurrectionem exspectant: nempe Casparus de Nienhuss, Præfectus Flensburgensis & Schotburgensis, sub lapide imaginem ipsius & uxoris repræsentante: Et Melchior Dynasta in Salwick quod castrum pro Tuschou, a Reg. Majest. Daniæ, titulo permutationis, ad se transtulit, mortuus A. C. 1589. die 11. Aprilis hora 3. post meridiem.

Est & in hac urbe aliud quoddam sacellum jam vacuum, D. Severino sacrum, Xenodochium item, in ipso oppidi ingressu, & schola celebris, a Joanne Holsatiæ Duce, A. 1567. ædificata, copiosisque reditibus dotata.

Insuper & portum habet tutissimum, in Oceanum Orientalem vergentem, & arcem in colle quodam eximiam, quam Joannes Holsatiæ Dux solo æquavit, & rursus non procul ab oppido in peninsula, cum eleganti Ecclesia, auro, & marmore mirum in modum exornata, novam & forma quadratam, centum & quinquaginta passus longam, totidem fere latam, ædificare cœpit, nomine ipsius Hamburgum nominatam. Verum cum is, morte præventus, supremam operi manum non imposuisset:

FRIDERICUS II. Daniæ Rex, eam, quam jure successionis, adeptus erat, perfecit, hortosque venustissimos, ac amœnissimos adjunxit.

Jus municipale & privilegia Civica, a Waldemaro Jutiæ Duce A. C. 1292. urbs primum accepit: quæ postea a Successoribus confirmata sunt sæpius.

Nobilium domos & quidem egregias continet plurimas.

Obsessa fuit diu a Nicolao Comite Holsatiæ: & tandem capta.

Pontes ibi conspiciuntur tres, cum nonnullis molis aquaticis.

Naves magnas ac parvas habet 20.

Pro insigni, pontem gerit, super aquam exstructum.

Mercatum annuum celebrat die Michaëlis.

Distat Coldinga & Ripis quatuor, a Trajectu proximo duobus, & vicissim a Trajectu per mare usque ad urbem Assenam duobus milliaribus.

HUSENUM.

Husum.

HUSENUM, initio a tribus propolis seu nundinatoribus, qui tribus ibi discretis domibus habitantes, ex circumjacentibus pagis, nundinando, victum quæsiverunt, *zu den dreyen Häusern*; postea vero accedentibus aliis ædificiis plurimis *Husem* appellatum fuit. Ac hodie frequentia civium, artificumque, varia multi generis opera conficientium, maritimis negotiationibus, ædificiis domuum splendidis, agri fertilitate, pastione pecudum uberrima, Eidoræque & Heveræ fluminum navigabilium commoditate, oppidum est opulentum, celeberrimum & Flensburgi æmulum.

Portum habet mercatorum negotiationibus famosum, ad quem ex Hollandia, Seelandia, Anglia, Scotia &c. varii generis merces apportantur, & hinc Flensburgum (quinque tantum milliaribus Husio dissitum) avehuntur, & sic ex Oceano Occidentale, in Orientalem transferuntur.

Cives plerique sunt culti, humani, & litterarum non imperiti, studia litteratosque magni faciunt, & filios propriis sumtibus in Academiis alunt.

Verbi divini Ministros amore & honore prosequuntur debito: & pauperum inprimis, curam habent maximam. Singulis enim annis homines certi constituuntur, qui pauperum habitationes visitent, & cuique pro necessitate pecuniam distribuant.

Oppidum ipsum etsi paucos intra annos, omnium rerum incremento, & opibus præsertim quantum facies ejus pollicetur, mirifice locupletatum, nec non ædificiorum (quæ tamen ter Vulcani violentia sunt combusta) multitudine, in tantam amplitudinem excreverit, ut inter omnia totius Ducatus Sleswicensis oppida, jam ferme maximum sit, vel etiam brevi futurum: nullum

nullum tamen Jus civitatis habuit, nec muris aut fossis clausum fuit: eo quod Dithmarsorum, & Eiderstadensium vicinorum (qui hoc in oppido refugium videntur habere tutissimum) defectio semper metueretur.

Nunc autem & anno quidem 1582. d. Febr. 19. jus civitatis & statuta, quæ *Weichbild* appellant, certis conditionibus ac legibus, ab Adolpho, Holsatiæ Duce, obtinuit, electis ex Civium numero octo Senatoribus & Secretario, quibus Præses est additus.

Templum habet unum, idque elegantissimum, & Deiparæ virgini sacrum: Monasteria duo: quorum alterum dirutum est, cum arcis admodum venustæ ædificatio, ab Adolpho, Holsatiæ Duce, inciperetur: alterum D. Georgio sacrum adhuc floret, & pauperum senumque opportunissimum est domicilium. In hoc tumulatus est præstantissimus pictor, & cælator Joannes Brugmannus, qui, (ut supra dictum) præter alia monumenta excellentissima, tabulas Bordesholmi, & Segebergæ reliquit, plane stupendas.

Cives multis utuntur navibus, ad merces avehendas, ac revehendas.

Insignia urbis sunt leones duo: linguam aperto rictu exserentes.

Nundinas annuas celebrat binas: I. Dominica Trinitatis, alteras festo D. Matthæi

Distat Flensburgo quinque, Sleswico quatuor, Snavestedio 1. milliaribus. Elevatio poli 55. gr. 10. scrup.

TUNDERA.

Tondera. TUNDERA, oppidum est elegans, in ea Ducatus Sleswicensis parte situm, quam Frisiam minorem appellant, loco sane tam segetum fertili, quam pascuis apto. Usurpandi Juris Lubecensis facultatem ab Abelo, Jutiæ Duce, quem postea sibi Regem Dani adsciverunt, civibus Reinhardus Minorita anno 1243. impetravit.

Obsidione diuturna cincta fuit, ab Adolpho VII. Comite Holsatiæ, Joannis Largi filio, tandemque capta.

Effuderunt se marini fluctus, horrida tempestate commoti, ad Ecclesiam oppidi primariam usque, altitudine pedum duorum, & semissis, anno Christiano 1532. Proditum hoc est memoriæ incisis passim in muros parietesque crucibus. Nunc vero jactis obicibus circum quaque spatio aliquot jugerum, ora illa contra injurias efferveſcentis & sævientis Oceani Occidentalis munita est.

Ac nostra quidem ætate anno 1555. d. 18. Junii molas cataractam habens, firmata est, & mari opposita, ac producta illa ab Hojer ad Cohart usque.

Nec multo post, anno nimirum 1564. Johannes Senior, Holsatiæ Princeps, molem aliam juncta cataracta constituit, quæ a Rotebul ad Windigart usque porrigitur.

Hinc evenit, ut nisi intervallo magni milliaris, naves ad oppidum jam appellere non possint, ut videre ibi sit, quod Seneca scribit:

Omnia tempus edax depascitur, omnia carpit,
Omnia sede movet, nil sinit esse diu.
Flumina deficiunt, profugum mare littora siccat,
Subsidunt montes & juga celsa ruunt.

Et in eandem sententiam Ovidius lib. III. Metamorphoseon.

Vidi ego quod fuerat quondam solidissima tellus
Esse fretum, vidi, factas ex æquore terras
Et procul a Pelago conchæ jacuere marinæ
Et vetus inventa est in montibus anchora summis,
Quodque fuit campus, vallem decursus aquarum
Fecit, & eluvie, mons est deductus in æquor
Eque paludoso siccis humus aret arenis.

Tempore autumni & veris, trajicere commemoratas duas cataractas possunt, Liburnicæ & Scaphæ, eæque applicare ad arcem, quæ oppido vicina, probe munita, tormentis æneis, bellicis munitionibus, omnium rerum commeatu, abunde instructa: & Ducis Adolphi, laudatissimæ memoriæ, hæredum est. Vetus fert fama Anglos, hoc in loco naves conscendisse, qui in Angliam sic modo appellatam, trajicientes, ibique considentes, Britanniæ antiquitus nominatæ nomen dederunt.

Nam non longe remotus est pagus exiguus, qui etiamnum nomen Anglorum obtinet.

A. C. 1522. d. 16. Junii tota oppidi platea Occidentalis fuit exusta.

Eadem quoque circa A. C. 1581. d. 30. Septembr. noctu intra tres horas denuo conflagravit, paucis domibus exceptis.

A. C. 1586. d. 29. Junii, platea lupina incendio consumta est.

Insigne oppidi, navis est, quæ navigationum opportunitatem arguit.

Ternas, in anno statas habet nundinas: 1. Festo Pentecostes. 2. festo D. Bartholomæi. 3. festo Michaëlis.

Distat Sleswiga & Londena Dithmarsorum octo, Husæno sex & Flensburgo quatuor milliaribus. Addimus figuram vestitus N. 16.

BRETTSTEDIA.

Bretistedia. BRETTSTEDIA, exiguum est oppidulum. Nomen a planitie terræ, in qua conditum, meruit.

Templo constat unico.

Non procul ab hoc oppidulo ad littus Oceani Occidentalis, Fridericus II. Rex Daniæ, portum, capiendis navibus commodum, fieri curavit, per Petrum Ranzovium præfectum isto tempore Flensburgensem.

Pons unico pede, oppidulo insignia præbet.

Nundinas habet.

Distat Gottorpio & Flensburgo quatuor, Husæno duobus milliaribus.

GOTTORPIA.

Gottorpia. GOTTORPIA, arx non procul ab oppido Sleswico sita est, nomen a Gothis obtinens,

de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.

qui hic olim caſtrum habuiſſe dicuntur. Veterum Ducum Sleſwicenſium, fuit ſedes, nunc Johanni Adolpho, Holſatiæ Principi, Archi-Epiſcopo Bremenſi & Præſuli Lubecenſi, una cum oppido ſubjecta, firmiſſimis propugnaculis ac muris craſſis ab Adolpho ex Oldenburgenſi familia ejus nominis primo, munita, ædificiisque novis ac ponte lapideo, oblongo, ornata eſt. Sylvas habet adjacentes frequentiſſimas, & feris refertas. In his ſylvis triginta millia porcorum ſaginari poſſunt.

Vicinum habet telonium celebre, ad omnes Holſatiæ Duces, qui ad Ducatuum gubernacula ſedent, pertinens: ubi compertum eſt, fertilibus annis, pro 50000. bobus in Germaniam ex Dania abactis, vectigal depenſum fuiſſe.

Sæpius hæc arx obſeſſa fuit a Danis, & præſertim circa A. C. 1416. Diuturnam ac graviſſimam obſidionem, qua Ericus, Rex Daniæ, multa manu eam cinxit, fortiter ſuſtinuit: nec tamen ob firmitatem munitionum, in ejus poteſtatem pervenit; ſed is, re infecta, recedere ſuit coactus.

Diſtat Geltinga quatuor, Bolgenſtedio, Mohrkercka, & Satropholmo duobus milliaribus.

SVAVESTEDIA.

Svaveſtedia.

ARx eſt & ſedes Epiſcopi Sleſvicenſis, cujus præfectum hodie agit, Nicolaus Ahlefeldius, Henrici Ranzovii gener.

Arx una cum ſubjecto oppidulo ad Trejam ſita, nomen habet a ſvavitate loci, quod nimirum ſvavi etjucundo loco ſit ſita: vel quod ſtatio fuerit ſvavis, tum temporis cum præterlaberetur adhuc mare Occidentale.

Nec obſtat quod ex latino et germanico vocabulis, nomen ejus confectum eſt, minime Latinum. Idem Angli, Galli, Itali & Germani, faciunt ſæpius, ut ſuæ linguæ miſceant verba ex otica, ut Neo-Monaſterium, Nordalbingia, Ahlefeld, Svaveſtedt.

Habet hæc arx, ab ortu & ſeptentrione ſylvas, cervorum, capreolorum, aprorum, leporum, & fere omnis generis ferarum, admodum fœtas, optimaque & præſtantiſſima utriusque Ducatus Sleſvicenſis & Holſatiæ venatio, hoc loco putatur eſſe. Princeps enim laudatiſſimæ memoriæ Adolphus, A. C. 1579. octoginta plus minusve cervos, uno die cepit ac proſtravit. Ac hodie tanta eorum copia ibi conſpicitur, ut viatoribus ſæpe magno numero obverſentur, eosque aut curribus prætereuntes, parum curent, aut etiam interdum vix minis, loco moveri poſſint. A Meridie adjacet arci Stapelholmiæ planicies, & locus campeſtris, amne Treja, tantummodo ſemota.

Ab occaſu Eiderſtadia provincia ſita eſt: de qua utraque poſtea peculiariter dicetur.

Diſtat Meldorpo & Gardinga quatuor, & Tönninga tribus milliaribus.

JUTIA.

Deſcriptio Jutiæ.

JUTIA, Cimbricæ Cherſoneſi pars extrema & Daniæ Regni provincia præcipua ac peninſula; dupliciter diſtinguitur in Auſtralem ſeu Meridionalem, & in Borealem, ſeu Septentrionalem.

De Auſtrali diximus. Reſtat Borealis. Ea a Coldinga, & oppoſita illi ad Oceanum occiduum urbe Ripis, ad Scagæ noviſſimum promontorium, quod a proximo Norwagiæ littore octo diſtat milliarium trajectu, porrigitur.

Etymologia nominis varia eſt. Petrus Parvus Danus, in refutat. calum. Johann. Magni Gothi, Jutiam a Gothis, initio Gothiam, deinde Guthiam, & ad extremum per litterarum transmutationem, Jutiam eſſe appellatam aſſerit.

Joannes Magnus Gothus, Hiſt. lib. 2. cap. 2. Jutiam a Jutone Saxonum Duce (qui Regis Cimbrici Bocchi filiam Cumeram trecentis fere & octo, ante natum Chriſtum annis in uxorem duxit; accum ea, eam Cimbricæ Cherſoneſi partem, quæ nunc Ducatus Sleſvicenſis dicitur, a Socero, in dotem accepit) Jutiam & Jutoniam dictam affirmat.

Huic ſubſcribit Petrus Suffridus, de Origine Friſiorum lib. 2. inquiens: Jutia temporibus Bedæ, Vitia, qua Witland, & Jutæ vitæ, quaſi Vitlenders a Jutone Duce, qui Vit primitivo nomine appellabatur, ex anagrammatiſmo ſyllabarum vocata eſt. De hac autem Viti terra, inter Saxones & Danos, acris ſæpe contentio fuit, qua, in dies gliſcente, & in majus creſcente, cum de tota Cherſoneſo certari cœptum eſſet, etiam tota Cherſoneſus, Cimbris, altius bello implicitis, ad recordationem Vitonis Vitlandia, & demum Jutlandia ſeu Jutia nominata fuit.

Regio ipſa etſi priori Auſtrali, id eſt Ducatu Sleſwicenſi, quadruplo productior, & olim plurimis locis fuit horrida, ac inculta; nunc tamen hominum induſtria, in jugera frugifera, & amœnos fundos, ita eſt redacta, ut fructuum, frumentorum, boum, equorum & piſcium fœcunda generatrix dici poſſit. Nam ut cætera præteream, non ſolum ingens frumenti copia in Belgium quotannis hinc aſportatur; ſed & eo, inque alias Europæ partes, myriades aliquot boum & equorum venales emittuntur.

Pro ſingulis autem capitibus, regiis Publicanis, hic Joachimicus numeratur integer: quæ ſumma congeſta, aliquot millia aureorum excedit.

Ac conſtat ex Jutia ac reliquis Daniæ partibus uno aliquando anno, ultra quinquaginta boum millia, in Germaniam eſſe acta.

Ad feras quod attinet, conſpiciuntur hic ut & in aliis vicinis inſulis, magni cervorum greges, ex quibus Regia Majeſtas, unius menſis ſpatio, cum anno 1593. menſe Auguſto, ſuis aulicis convenaretur, ultra mille & ſexcentos cepit, & irretitos jugulavit, & hos quidem ex ſelectioribus cervis, vitulis cervinis, capreolis, apris, leporibus & vulpeculis non computatis.

Piſcium generibus variis ita abundat, ut dici vix poſſit, quam copioſa eorundem præda ab Occidentali potiſſimum ejus terræ parte, per totum fere anni curſum capiatur: tanta profecto ut emtionis & venditionis pretium aliquot auri tonnis æſtimetur.

Quod Cranzius ex Mela refert, Jutiam inculatam frugibus eſſe: ſit ſane ita, ſi Melæ ætatem reſpexe-

respexerimus: si vero qualis nunc est, æstimabitur, valde exculta exstat.

Civitates enim continet viginti octo, arces regias viginti: monasteria quatuordecim, præter ea, quæ passim in civitatibus existunt.

Nobilium arces ac sedes complures: quarum præcipuarum numerus seorsim postea in singulorum Episcopatuum descriptionibus ponetur.

Parœcias & Ecclesias rurales circa mille. Nam ex monte quodam in Wenslia, non procul ab Hircino oppidulo, quadraginta duæ, turrigeræ Ecclesiæ, eæque omnes fere plumbo contectæ conspiciuntur.

Etsi autem Jutiam nonnulli in novem provincias dividunt, ut Chytræus & alii: nos tamen compendiosiori methodo, universam Jutiam Borealem, in quatuor Episcopatus, Ripensem, Archusiensem, Aalburgensem, seu Burglaviensem & Wiburgensem distribuemus, eosque ordine excutiemus.

EPISCOPATUS RIPENSIS.

Episcopatus Ripensis.

DIœcesis Ripensis, metropolis urbs Ripæ est, in ripa Oceani Occidentalis, sita, mater plurimorum virorum eruditorum, præclarisque ingeniis fœcunda: Quæ a commoditate limpidissimi fluminis Nilsaa, triplici incursu civitatem intersecantis, seque in Oceanum exonerantis, tribus leonibus insignitur.

Castellum habet munitum & Regium, qua parte urbs Oceanum spectat;

Templa duo: Cathedrale, & Sancti Spiritus.

Cathedrale, e saxo quadrato pulchrum, & amplum est, una cum turri, miræ altitudinis, in Lilio monte primum ab Erico II. Rege Daniæ, magnifice substructum, quem S. Anascharius, ad dandum Christo nomen permovit, circa annum Christi 848.

Civitates septem huic Diœcesi subjacent, quarum præter Ripas, Coldinga & Hornesia principes sunt;

Arces & Regiæ domus decem:

Castra Nobilium centum.

Nomarchiæ quas vulgari lingua Danica *Harrit* vocant, triginta: inter quarum limites parœciæ rurales 282. continentur, amnes famosi plures sunt, de quibus libro secundo.

Nundinas annuas celebrat binas, priores, festo D. Joannis Baptistæ, alteras, die nativitatis Mariæ.

Distat Coldinga quatuor, Wedela octo, Arhusio quatuordecim milliaribus.

COLDINGA.

Coldinga.

COldinga, a flumine allabente nomen habens, sita ad mare Orientale, urbs est amœna & pervetusta, teste Ptolomæo; altitudo poli 55. gr. 28. min. Arcem vicinam, & urbi supereminentem, Aquileburgum *Arnßburg* Ericus VIII. Rex Daniæ primo exstruxit, quam postea Christianus III. Rex Daniæ, aëris clementia & loci amœnitate illectus, studiose renovavit, inque ea, A. C. 1559. Calend. Januar. humanis rebus miraculose subductus, animam efflavit.

A cujus obitu dicti Regis vidua Dorothea, jucunditate soli itidem adducta, Coldingæ quod reliquum vitæ erat, in perpetuo cœlibatu vivere præoptavit, ibique scholam novam intercessione viri consularis Severini Paludani mota, & Nosocomion condidit.

Arci hortus adjacet venustus, estque in urbe telonium.

Nundinas annuas celebrat binas: 1. die Olai Regis, 2. die Francisci.

Distat Haderslebia quatuor, Wedela totidem, a trajectu Mittelfordio duobus, Horsnesia octo milliaribus.

Quinque a Coldinga, Scanderburgo autem quatuor milliaribus, pagus distat Jelling.

In eo monumentum Gormonis Daniæ Regis, admodum vetustum extat, quod, cum dominus Henricus Ranzovius, æri, ante aliquot annos incidi curarit, hic subjicere placuit.

Antiquitas Monumentorum & Lapidum sepulchralium.

Sciendum autem quod Dani, cum propter defectum saxorum, pyramides, & obeliscos exstruere minime potuerint, olim, in memoriam Regum ac heroum suorum, ex terra coacervata, ingentem molem montis instar eminentem, statuerint.

Litterarum in typo signatarum explicatio.

A. Templum, sive sacrarium, duobus conjugum socialibus bustis interpositum, plumbo tectum.

B. Lapis sepulchralis, qui in altitudine habet ulnas quinque & dimidiam, in circuitu novem, in uno latere formam hominis, ut vides, exhibet, in altero literas in sequenti tabula expressas.

C. Mons ad septentrionem, qui habet altitudinem quadraginta sex ulnarum, latitudinem trecentarum sexaginta ulnarum, amplitudinem in superiori parte centum duodecim ulnarum.

D. Fons, funditus ex saxis exstructus, ex quo, in dies, aqua hauritur, a circumjacentibus populis, in circuitu habet, quadraginta septem ulnas.


E. Mons ex altera parte, versus meridiem, est altus triginta septem ulnas, in circumferentia, quadringentas triginta unam ulnas, habet: in superficie est amplus, centum quinquaginta septem ulnas.

F. Litera ubi notatur, est insignis magnitudinis lapis, paullo tamen minor illo, qui apud Templum, inter duos montes collocatus est.

Sed ut melius omnia intelligantur, totius monumenti typum præposui; nec non formam Alphabeti, qua tum temporis idiomate Cimbrico, sive Danico usi sunt, una cum inscriptione: quæ universa, propterea cæteris adjicere volui, quod superioribus annis Romæ editus fuerit liber, variarum inscriptionum Domino RANZOVIO, ab amico quodam suo, eoque primæ notæ homine transmissus: in quo, au-

de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.

tores omnium fere litterarum recenſentur. Inter alios vero Ulpius, quoque Epiſcopus Gothicarum litterarum inventor, per Lucam Fanenſem celebratur illarum hujusmodi expreſſis characteribus :




Hæ Gothorum litteræ, ſcriptionis forma plane cum præmiſſis conveniunt, pauciſſimis lineolis exceptis, quas

Tempus edax rerum, quas invidioſa vetuſtas in lapidibus, quibus inciſæ erant, abolevit: ut colligi poſſit iisdem characteribus, & Cimbros & Gothos uſos olim fuiſſe. Sunt adhuc in aliis Daniæ locis lapides, ſimilibus characteribus inſigniti, quos (DEO volente) dominus RANZOVIUS, brevi quoque, pio antiquitatum ſtudio, per artis Hieroglyphicæ miniſterium edi curabit.

Fuit & lapis in Holſatia, talibus figuris notatus, eo in loco ubi Crito princeps Slavorum interfectus eſt, non procul ab oppidulo Lutkenborch, in ejus memoriam in trivio erectus.

Exſtat adhuc in campo Hourslundt, in Ducatu Sleſvicenſi, non procul a loco Ammerwatt dicto, alius lapis, altitudine trium ulnarum, a ſuperficie terræ: ubi ultra hominum memoriam inter Danos & Holſatos acerrime fuit pugnatum, & maximum commiſſum prælium; in cujus rei memoriam, ibidem collocatus eſt. Ejus hic formam ſubjectam habes.

Litteræ non intelligibiles. Libuit præterea his ſubjungere ignotas quasdam litteras, ex ferro factas, quæ Sleſvici, clavis ferreis, januæ, domus Capitularis affixæ, a nemine hactenus legi, multo minus intelligi potuerunt. Gothicæ tamen eſſe putantur. Earum ſimiles nonnullæ, in alio ejusdem oppidi loco, inventæ; ſed hominum incuria deperditæ ſunt.



Horſenium. HORSNESIA, vel Horſenium, urbs, ad mare Orientale ſita, emporio celebri admodum famoſa, & Eccleſiis, pulcrisque ædificiis exornata eſt, quam circumjacent & regia & nobilium caſtella plurima.

Nundinæ hic quoque celebrantur.

Diſtat Archuſio quatuor, Randershuſio octo, Mariakera underim milliaribus.

EPISCOPA ARHUSIENSIS.

Epiſcopatus Arhuſienſis. DIœceſis Arhuſienſis metropolis ARHUSIA; ex caſulis piſcatorum originem duxit, indeque paulatim in urbis formam aucta eſt, ut ſunt fere urbium initia, tenuia. Unde & Arrhuſia quaſi remorum domus fuit dicta. Ar enim remum ſignificat, & inſignia urbis ſunt tres remi.

Situs urbis amœniſſimus eſt, ab Oriente, ſinu maris Baltici alluitur, in quo ante urbem non procul a littore, tutiſſima navibus exſtat ſtatio: cæteris partibus, cingitur montibus & ſylvis, ac hortis etiam undique exornatur.

Pars urbis meridionalis in monte ſita eſt, ad cuius radices amnis a lacu vicino Brabantico ortus, & ab occaſu in ortum fluens, inque mare ſe exonerans, portum efficit multarum & magnarum navium capacem, quem proximis annis molibus & aggeribus aliquot, in mare jactis, longiorem & capaciorem cives fecerunt.

Reliqua urbis pars, tota fere, in planitie ſita eſt, & cum meridionali parte, ponte jungitur, unde præcipua montis platea Brobierro dicitur, nomine ex ponte & monte facto.

Templa olim plura habuit, nunc duo tantum exſtant: quorum primum Cathedrale ſplendide exſtructum, D. Clementi ſacrum, collegioque Canonicorum deſtinatum: Alterum D. Mariæ dicatum, cui olim Monaſterium nunc Noſocomium eſt adjunctum.

Epiſcopalis ſedes circa annum 1000. ſecundum alios 1014. conſtituta, Poppone Epiſcopo I. ordinato, qui Daniæ Regem Haraldum & Suevonem, quoque, poſtea trium regnorum Regem, cum ingenti hominum multitudine, ad fidem Chriſtianam convertit.

Portum habet celebrem, quem ingens illud promontorium Hellenis efficit, quod ab Arce Regia Kalloe, per regionem Mols uſque ad altiſſimum montem Ellemansberch, ad duo milliaria ſe extendit, & ſuo, inſularumque aliquot objectu, placidum nautis æquor efficit.

Diœceſis porro Arhuſienſis in umbilico Jutiæ Septentrionalis, ſita, ſylvis, feris, lætisque agris, præ aliis hujus terræ partibus abundat.

Civitates habet ſeptem, quarum Arhuſio excepta, Randruſium primaria eſt.

Arces quinque Regias ex quibus maxime celebres ſunt Scanderburgum & Silckenburgum. Nomarchias triginta & unam.

Parœcias rurales 304.

Arhuſia habet inſignia.

Mercatum celebrat die S. Olai Regis.

Diſtat Randruſio & Horſenio quatuor, Mariakera ſeptem milliaribus.

RANDRUSIUM urbs eſt egregia & lauta, ad Gudium fluvium, ubi Nicolaus Jepſonius Gerhardum Calvum, Comitem Holſatiæ A. C. 1340. interfecit, & is poſtea a filio Comitis Henrico ferreo Callenburgi obſeſſus, captus, & in quatuor partes diſſcitus, pœnam fœdifragæ cædis, cum multis ſuis aſſeclis dedit. *Randruſium.*

Mercatus annuos binos: 1. Die S. Bartholomæi 2. die S. Galli celebrat.

Diſtat Mariakera tribus, Arhuſio quatuor, Holſtenbro, decem milliaribus.

SCANDERBURGUM arx Regia, & egregia, quaſi Schonburgum appellata, lacubus, ſylvis, venationibus, & reditibus anniverſariis locuples. *Scanderburgum*

Diſtat Mariakera tribus, Alburgo ſeptem, Holſtenbro duodecim milliaribus.


SILCKENBURGUM, arx itidem Regia, cujus præfectus hodie eſt, Franciſcus Ranzovius, Henrici Ranzovii, Producis Cimbrici, filius. *Silckenburgum.*

Piſcationibus & venationibus circumquaque abundat. Diſtatque Mariakera & Holſtenbro octo, Alburgo quatuordecim milliaribus.

EPISCOPA

HÆ LITTERÆ VISVNTVR SLESWICI ad pag. 63.

LAPIS TALIS REPERITVR IN CAMPO HOVRSLVND, IN VIA PVBLICA, NON PROCVL A IAMMERWAT, HABENS IN ALTITVDINE TRES VLNAS SVPRA TERRAM





Virgo in Silt.






Septentrio
Gormo
circa a
92
Brühl fc. Lips

Tab. XII.



TYPVS ALPHABETI

ᚠ ᛒ ᚦ ᚮ ᚱ ᚴ ᚼ ᚾ ᛁ ᛅ ᛋ ᛏ ᚢ ᛦ

A b c d e f g h i k l m n o p q r s t v

Gorme Rex Danæ uix: circa annum Dñi 929

Haraldus Rex Danæ Angliæ et Norvegiæ uix: circa annum Dñi 964.

INSCRIPTIO MONVMENTI GORMONIS IN PARVO LAPIDE TYRÆ VXORI POSITI

ᚴᚮᚱᛘᛅ : ᚴᚢᚾᛁᚴᛅ : ᚴᚮᚱᚦᛁ : ᚴᚢᛒᛁ : ᛏᚢᚱᛁ : ᚦᚢᚱᛋᛁ : ᚮᚠᛏ : ᚦᚮᚱᚢᛁ : ᚴᚢᚦᚢ .

Gorma Kommga giorda Kube dyse offuer Thyre Konæ


ALIA INSCRIPTIO MONVMENTI HARALDI REGIS PARENTIBVS SVIS GORMONI ET TYRÆ POSITI


ᚼᚨᚱᛅᛚᛏ ᚴᚮᚾᚱ : ᚴᚢᚾᚴᚱ ᛁᚴᛅ : ᛒᚮᚴᛏ : ᚴᛁᚱᚴᚢ : ᚴᚢᛒᛁ : ᛒᚮᚱᚾᛁ : ᚼᚨᚢᚠ : ᚴᚢᚱᛘ : ᚠᚮᚦᚢᚱ : ᛋᛁᚾ : ᚮᚴ : ᚮᚠᚢᚱ : ᚦᚢᚱᚮ : ᛗᚮᚦᚢᚱ : ᛋᚢᛋᚢ

Haraldt Kong byggt Kierke Kybl dyse offuer Gorm Fader sin och offuur Tyre Mutter sinse

ᚼᚨᚱᛅᛚᛏ ᚴᚮᚾᚱ : ᚴᚮᚱ ᛋᛋ : ᚼᚨᚾᛋ : ᛏᚮᚱᚢᛗᛘᛅᚱᚴ

Haralder Kcß offuer Danmarck





EPISCOPA WIBURGENSIS.

Episcopiá Wiburgensis.

EPiscopatus Wiburgensis longitudo, ab Ortu in Occidentem duodecim milliaria, patet: Et tres civitates, quarum Wiburgum princeps, totidemque arces, Nomarchias sedecim & Ecclesias parochiales rusticas 218. possidet.

Freta item memoratu digna, quinque præfert, Salingicum, Virckenum, Hualpenum, Seberum, & fretum Ottonis, in Historiis celeberrimum, hic enim, Otto I. Imperator, cum exercitu substitit.

Quippe suis viribus diffidens, ulterius progredi non ausus, indignabundus hastam in undas projecit. Quod ipsum, loco sempiternæ memoriæ, nomen Ottesund, in hodiernum usque diem peperit.

Civitas Wiburgum.

WIBURGUM civitas mediterranea, & ferme in totius Regionis meditullio sita, ob Episcopi domicilium, & Comitia, olim, a Regibus ibi celebrata, maxime celebris fuit.

Quin etiamnum ob facillimam victus rationem, clarumque Canonicorum Collegium, & sedem judicii, in Jutia supremi, admodum famosa existit.

Ad illud enim universæ Jutiæ appellatio instituitur, caussæque Civiles & Criminales deferuntur.

Civium mercatura præcipue in coëmendis & vendendis equis & bobus, frumentis ac piscibus consistit, quorum maximum numerum in Germaniam deducunt: indeque vicissim sálem, lupulum, pannum, holosericum aliaque vitæ usibus necessaria, emta, passim in circumjacentibus provinciis divendunt.

In hac urbe sepultus est Ericus VII. Rex Daniæ, a Marstigio cæsus.

Plura de eadem civitate Ailnothus Anglus scribit.

Nundinas annuas celebrat binas, priores die XIV. Januarii, alteras, d. XXII. Septembr.

Distat Silckenburgo quatuor, Aalburgo octo, Calloe novem, Ripis decem milliaribus.

Hujus Diœcesis pars est Salingiæ peninsula fertilissima, Lymico sinu circumdata, & Vandalicæ Episcopæ, ad ortum objecta: quæ in quatuor Nomarchias, & triginta rurales parœcias, distincta, equos generosissimos progenerat, quos venales expositos, exteri avide expetunt, & magno pretio coëmtos longo agmine, alio gentium abducunt.

EPISCOPA BURGLAVIENSIS seu WANDALICA.

Episcopatus Wandalicus h. e. Burglavienſis.

DIœcesis Wandalica, seu Burglavienſis, a Monasterio, quod olim Episcopus inhabitavit, priusquam Episcopalis sedes, Aalburgum transferretur, nomen accepit.

Civitates continet sex, quarum Aalburgum præcipua: Nobilium domos centum.

Nomarchias & quidem satis amplas, tredecim: Quæ, in universum templa rustica 180. & plumbo ut fere in Daniæ Regno omnia contecta possident.

AALBURGUM urbs est vetustate, emporio & Episcopatu clarissima. Eam maximæ profunditatis sinus Lymmericus, seu Lymicus (qui totam fere Jutiæ latitudinem permeans, & per varios tramites sese spargens, ac aliquot insulas & peninsulas complectens, mercium communicationi servit utilissime) allabitur, grandioresque naves ad ipsos civitatis muros admittit.

Cives Oceanum ac mare Orientale, longe lateque pernavigantes, amplas exercent negotiationes, ac suas merces per dictum sinum, varias in partes se extendentem, devehunt, adjacentibusque oppidis, monasteriis, civitatibus, & nobilium curiis communicant.

Hæc civitas a Christierno III. per Joannem Ranzovium & Mariscalcum regni Daniæ Ericum Bannerum A. C. 1535. vi capta, & non procul inde, rusticorum circiter 25000. sunt interfecta, horumque Dux Clemens Nauclerus, qui per seditionem Regium nomen affectabat, captus, & plumbea corona dehonestatus, justas sceleris sui pœnas dedit.

Mercatum annuum celebrat festo Pentecostes.

Distat a Sebojo sex, Westerwyck duodecim, Holstenbro quatuordecim milliaribus.

Partes hujus Diœcesis maxime illustres sunt Wensilia seu Wendia, Hannomarchia, Thya & Morsæa, de quibus ordine dicetur.

Wensilia olim Burgla.

WENSILIA, olim Burgla, inter reliquas hujus Diœcesis partes, grandior, & celebrior est: Cujus longitudo a meridie promontorium, ad osque Scaunicum, nautis metuendum, in Borealem Oceanum decem milliarium Germanicorum spatio excurrit, & Lymico sinu, a reliquo Jutiæ corpore discriminatur.

Angulus autem ille, qui propter pericula adeo infamis & formidabilis habetur, ingens est syrtis, longissime se in mare protendens, ut qui tuti & citra periculi metum esse volunt, non propius duobus milliaribus ad littus accedant. Tale etiam est totum Jutiæ littus Occidentale.

Quocirca qui in Norwagiam, vel ex Oceano Occidentali, in Orientem tendunt, remotissimo, longoque circuitu, Jutiam evitare coguntur, cum admodum humilis sit totus ille tractus, littoralis & planus. Sunt tamen pauci montes in hoc longissimo littore, ex quibus nautæ suas capiunt observationes & indicia: nimirum Rauensberg, qui ab Ottensund, quinque abest milliaribus, & ad plagam jacet Austrinam: Hanwith versus Boream & promontorium *Hertzhals*, quod septem Scaga milliaribus distat.

Cum autem nullam navibus stationem fidam habeant, eo quod littus sit arenosum atque vadosum, ex alto venientes, convocatis in subsidium sociis, & vicinis, in littus educunt naves, usque eo, quo, fluctus maris evitare, easque attollendo, tundendoque lædere minime possint.

In ligneis domibus ex tabulis & asseribus constructis, habitant, quod locus hic, minutissimis arenulis abundet, quas ventus in quamcunque

HENRICUS RANZOVIUS, PRODUX CIMBRICUS, LECTORI SALUTEM.

Nutrici patriæ grates si debet alumnus,
Ut lex naturæ nos ratioque docent:
Non hunc quem dulci patriæ meditabar honorem,
Mome, Theonino carpere dente potes.
Me non ambitio, non vana superbia vexat,
Nec leve scribendi me Cacoethes habet.
Sola soli patrii mentem dulcedo coegit
Quoque erga proavos, quisque tenemur amor.
Ipse licet patriæ gratam persæpe probarim
In multis opera divite rebus opem:
Attamen hoc vitæ postremo accedat in actu
Munus, & impositi sit colophonis opus.
Et patriam cecini & proavorum encomia Cimbrûm;
Postera (*sic spero*) me quoque fama canet.

In librum hunc Henrici Ranzovii.

Si bene de patria meritos Roma inclyta quondam
Totius Patriæ dixerit esse Patres.
Quem Te Ranzovi bellatrix Cimbria dicet,
Undique tot factis quam celebrem esse facis.
Quam domibus, bellis, quam cultis arcibus ornas,
Auxilio fulcis, consilioque juvas.
Insuper hoc ipso extollis super æthera libro
Enumerans pulcri commoda cuncta situs.
Quotque arces habeat, quot templa, quot oppida, & urbes,
Quo nunc utatur Jure, simulque statu,
Per Dium Fidium Ranzovi Cimbria dicet
Non solum Patrem te patriæ, sed Avum.
Perge modo ut solitus spretis succurrere Musis,
Et patriam ex omni parte juvare tuam.
Sic patria & Musæ nunquam tua facta tacebunt;
Si vero taceant, ipsa loquetur humus.

P. Lindebergius.

In laudem CIMBRIÆ EPIGRAMMA.

CIMBRIA *dives opum est, vaginaque rerum*
Sortis & omnigenis plena feraxque bonis.
CIMBRIA *mercatu terra est clarissima multo,*
Et soror Aonidum, mater & artificum.
Fœta viris, piscosa lacu, opportuna fluentis,
Nobilis emporio, culta domo & domino.
Europæ lumen, Cereris granarium opimæ,
Quæ decus a Musis, Pallade, Marte tenet.
Belligeri domitrix populi, Pandora bonorum,
Et generosa situ & delicioſa loco.
Cimbrigenum salve tellus Mavortia: sat nunc
Laus tua nota polo, nota salo, atque solo.

Petrus Lindebergius P. C.

CIMBRIA de se loquitur.

Quod mihi sit læti facilis clementia cœli,
Et quod pinguia sint prata, quod uber ager:
Hoc Eidora palam testatur magnus & Albis,
Squala fatetur idem jactitat atque Stora.
Hoc Sventina simul Billenaque & Alstria contant,
Et quæ piscosis Sleja superbit aquis.
Lymicus hoc placidisque fluit qui Gudius undis,
Nipsaque Ripensi comprobat omnis agro.
Nec porro hanc laudem cum Treja Heveraque Travena,
Ut nec fœcundo flumine Milda silet.
Omnes hi fluvii junctâ suffragia voce
De nostra insigni fertilitate ferunt.

In Effigem DOMINI HENRICI RANZOVII, Producis Cimbrici.

Vera quidem; scriptis sed quam tamen exprimit ipse,
Multo ea RANZOVII verior effigies.

Aliud.

Holsatum decus & Produx RANZOVIUS *heros,*
Ingenio dubium est divitiisve prior?
Holsatum decus & Produx RANZOVIUS *heros,*
Divitiis potis est, & potis ingenio.
Ac pariter quamvis præsenti tempore rarum
Est Medicus, Vates, Astrologusque & Eques.
Non igitur mirum, quod plurima scripta relinquat
Arte sagoque valet, Marte togaque viget.

Petrus Lindebergius P. C.

Ad Henricum Ranzovium, Produc. Cimbr. Votum Adolphi Occonis, Medici Augustani.

Te pietas sistat coelis, Te carmina famæ,
Exige felices, Vir generose, dies!

LIBER

I.

CIMBRICÆ CHERSONESI
EJUSDEMQUE PARTIUM, URBIUM, INSULARUM
ET FLUMINUM,
NEC NON

CIMBRORUM
ORIGINIS, NOMINIS, FORTITUDINIS,
FIDELITATIS, RERUMQUE GESTARUM
QUATUOR LIBRIS COMPREHENSA,

DESCRIPTIO NOVA.

E PENU LUCUBRATIONUM
NOBILISSIMI ET MAGNIFICI VIRI, DOMINI,

HENRICI RANZOVII

PRODUCIS CIMBRICI
DEPROMTA, ET CONSCRIPTA
A. C. MDXCVII. A PRIMA OLDENBURGENSIUM COMITUM IN REGES
DANIÆ ELECTIONE CXXXXIX.
AB ULTIMA DITHMARSIÆ SUBACTIONE XXXVIII.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

partem ceu nivem impellere ſolet; ſæpeque accidat, ut arena accumulata, domos & tabernas ita operiat, ut mane ſurgentibus, niſi per ſumma tecta, nullus pateat exitus.

Quare levi ſtructura & ſtudio, ita ſunt compactæ ædiculæ, ut non magno diſpendio, ab uno loco in alium transferri poſſint.

Diſtincta eſt hæc terra Wandalorum in Nomarchias ſex: in parochiales Eccleſias ſeptuaginta: arcem unam Selſtrupiam: Monaſteria duo: & oppida tria, Sebejum ad mare Orientis ſitum, Sebuy, Hieringum *Herring* & Scagenam ſeu Scagam, quod Cimbricæ Cherſoneſi terminus, in Boream oppoſitumque Norwagiæ littus, & piſcium captura admodum celebre eſt, & a piſcatoribus tantummodo inhabitatum, navibus appelli nequit.

Orientale & Occidentale maria, circa hunc tractum confluunt.

Hannomarchia. HANMARCHIA, ſeu Hannomarchia, Danice *Hanherrett* provinciola eſt, quinque milliarium in longitudine & duorum in latitudine.

Parochiales Eccleſias ſupra viginti comprehendit, & ſyrtes aliquot undis opertas & admodum periculoſas, Sandoras & Bragas appellatas, in quas multi impingunt.

Thya. THYA, eximie fertilis & piſcatura nobilis, provinciola eſt, quam Incolæ ab ululando ſic dictam pro vero habent, loca enim iſta, nunc arboribus nudata, olim denſiſſimis ſylvis inſtructa, luporum immanium, aliarumque ferarum hoſpitia fuiſſe narrant.

Cumque proximis annis putamina, & nucum teſtæ, cervinaque cornua, in paludibus, ut certa veſtigia & ſigna detonſarum ſylvarum reperta ſint, multo veroſimilior opinio illa redditur.

In Nomarchias quatuor THYA, interſtincta eſt, quæ quinquaginta ſex parœcias rurales continent.

Arcem unicam Orumnam habet, oppidumque unum Thyſtadium: ubi Chriſtianus III. Rex Daniæ ſcholam Juventuti primus condidit.

Cernitur & hic Veſterviga cœnobium pervetuſtum, in quo Regia puella ſepulta eſt, patrio ſermone *Liden Kiptin* dicta, Danicis carminibus & rhythmis ſonoris, ob pulcritudinem & virtutem decantata.

Non longe hinc, templum eſt ruſticum Hanſtadium, limes inter Oceanum Occidentalem & mare Orientis.

Morſili. MORSINGA quatuor itidem milliaria longa, & duo lata eſt, progreſſu, ab Ortu in occaſum facto.

In ea ſunt Nomarchiæ tres, Parochiæ rurales undetriginta: Arx unica *Lundſchlodt*, & civitas unica Nycopia. Hujus altitudo poli eſt 56. gr. 50. m.

Sinus & freta plura, inter reliqua *Fegeſunds* illuſtre eſt, a Daniæ Rege Fengone ſic appellatum, qui ibidem ſepultus eſſe creditur.

Nunc, relictis his Inſulis interioribus, calamum noſtrum ad exteriores, in mari tam Orientali quam Occidentali ſitas, convertemus.

Finis primi libri.

LIBER SECUNDUS
DE
INSULIS, FLUMINIBUS ET PISCIBUS
PRÆCIPUIS CIMBRICÆ CHERSONESI.

Lib. II. De Inſulis Cimbriæ maris Occidentalis.

SUperiori libro Cimbriam univerſam ejusdemque urbes præcipuas deſcripſimus, nunc inſulas ei adjacentes & flumina celebriora adjiciemus.

Ac primum omnium ad occiduam oram ſitas, inſulas, nominatim referemus, dicturi poſtea de Eois. Occidentales autem ſunt: Buſena, Terra ſancta, Stapelholmia, Friſia minor, Eiderſtadia, Nordſtrandia, Ockholmia, Amerum Fœria, Sildia, Jorſandia, Rimnia, Farenloff, Monnoe, Fanoe, Numind. &c.

Buſena. BUSENA, Dithmarſiæ vicina Inſula eſt, ex qua aquis æſtu maximo remiſſis, vado, ſecurus patet tranſitus. Elevatio poli 54. gr. 37. min.

Olim non in eo, quo nunc jacet, ſita fuit loco. Auſtralis enim pars, ubi nunc Oceanus ſtagnat, impetu maris ademta, Aquilonari viciſſim per alluvionem tanta frequentia advecta eſt, ut templum viciſſim inſulæ, quod habet unicum & D. Clementi ſacrum, bis, intra trecentos plus minus annos deſtrui, alio transferri & reædificari oportuerit: quemadmodum in receſſu maris, templi veſtigia, quæ veteris cœmeterii nomen etiamnum retinent, & conſtans fama, atteſtantur.

Hodie, ſepta eſt hæc inſula aggeribus tota, ſicuti fere reliquæ omnes unica excepta ſacra.

Tres continet pagos, BUSEN, Huſen & Werns, quorum primus Parochiali campanaria eminet.

Incolæ agricultura & piſcatura vivunt. Mercaturam quoque exercent, portus profundi beneficio, in quem etiam graviores naves appellere & ſaburari poſſunt.

Hilligdia. TERRA SANCTA, quæ Saxonum inſula, Ptolomæo; nobis *Hillige-Land* dicitur, non ejus conditionis provincia eſt, cujus ſunt reliquæ, in Occidentali Oceano, ad Cimbricam Cherſoneſum: Quæ omnes, aggeribus munitæ, & contra marinu impetus fluctum, ſunt circumvallatæ præter unicum hanc, ſacram, præcelſis montibus & inacceſſis undique rupibus circumdatam. Olim multo quam nunc, fuit amplior; Septem enim tum Parochiis fuit diſtincta, ex quibus ſupereſt unica.

Ac

Ac etiamnum recedente mari, exesum & suppressum Neptuni violentia solum conspici potest. Elevatio poli 54. gr. 55. m.

Nomen Insulæ nonnulli ab Hilgone loci Episcopo: nonnulli a virginibus sanctis, quæ ibi olim appulerunt, choreasque duxerunt, deducunt. Locum illum planum, & graminis nunquam feracem incolæ adhuc exhibent.

Constat autem Insula hæc tota (quemadmodum ejus præfectus Georgius *Brueck*, ad Henricum Ranzovium scripsit) binis rupibus, separatis, rubenti una, candenti altera.

Prior, munimentum, arx & præsidium insulæ, una tantum via conscendi potest, & instar muri rubentis recta ex mari emergit, ad altitudinem sex & quadraginta ulnarum, id est brachiorum utrinque extensorum, seu orgyarum superne pingui solo & fertili ubique contecta. Hordeum ex se fundit, fabas, pisa, & siliginis loco hordeum Anglicanum, ea præstantia, ut duo modii, tribus Eiderstadiensibus præstent. Profert lactucam, raphanos, spinaceam, cum ejus speciei olere Italico conferendam. Nullos serpentes, bufones, nec alia venenata animalia habet. Armenta hic eduntur magna, oves, vaccæ, equi, quos pedibus ligatos, magna diligentia observant, ne rupes, gramina quærentes, adscendendo, periculum sibi accersant, indeque in mare decidant.

Aër hic purus atque salubris, Ecclesia in summitate est.

Incolæ, gens industria, robusta, dives, & rei nauticæ perita, ac extra patrium solum ad res magnas & dignitates emergens.

Diversi generis avibus nidos, & quæ non investigari possunt domicilia rupes hæc alta præbet: quarum incredibiles greges, in autumno hic turmatim convolant, grues videlicet, cygni, anseres, anates, mergi, alaudæ, turdi, galeritæ, & similes multæ, quæ incolis grata fercula præbent. Aquæ pluvialis in hac insulæ parte usus frequens est, quam in cisternis Italico & Belgico more conservare nunc discunt. Tuta insuper hic navibus statio, capaci in portu, qui & summæ profunditatis est, exhibetur: in quem aditus ad Austrum patet. Quandoque centum, & plures onerarias naves fovet sinu suo, & a Boreæ Zephyrique incommodis defendit, æstu marino maxime remisso; naves etiam grandiores, hinc, pelago committi possunt, cum altitudo trium ulnarum semper remaneat.

Nusquam alibi in insulam hanc patet accessus, quam per ipsum portum, qui, a Duce Adolpho I. ex Oldenburgensium Comitum familia propugnaculis & castro, in quo Gubernator habetur, cum præsidio, probe est munitus.

Altera insulæ sacræ rupes, quæ candet, sabulosa est, & calcem, quæ excisa divenditur, gignit, ubi suavissimi fontes passim eructant.

Cuniculi in ea latibula habent.

Non est hæc, uti rupes rubens compascua: cannabim tamen producit.

Hic ad Boream & Subsolanum admiranda naturæ miracula, ex montium visceribus eruuntur. Metallum, colore & nitore aurum perfectum exhibens. Argentum rude. Rubrum. *Volt-Ertz.* Incolæ *Mummer-Gold* vocant.

Metallica materia aurea est, quam erutam ad Adolphum Holsatiæ Ducem piæ memoriæ, emittere incolæ solebant. Tusa, lota, tosta, & separata aurum perfectum reddit, & tantam sulphuris quantitatem ut hinc sumtus in separationem impensi, colligi possint. Inveniuntur & in iisdem venis nuces avellaneæ, & candelæ cereæ, tum instar lapidem induratæ magna copia & conversæ in metallicam auream limaces conchæ: Glessum etiam *Bornstein*, item minores arborum rami metallici, tanta subtilitate, quanta nullus argentarius faber, licet artificiosissimus, ex auro conficere possit.

Si lignis instructa foret, quæ ex vicina importantur Holsatia, dici de ea posset:

Terra suis contenta bonis, non indiga mercis.

Fuit præterea hæc insula sacra, halecum captura quondam famosa: sicuti hoc quoque tempore piscibus omnis generis abundat, præsertim ostreis, adeo præstantibus & magnis ut Londini in Anglia, vel Venetiis in Italia vix grandiores inveniantur.

Adhæc invenere incolæ nostra memoria Cameram quandam fornicatam, in rupe excavatam, satis amplam & profundam: quam subire & ulterius investigare a Magistratu jussi tentarunt.

STAPELHOLMIA. Stapelholmia Peninsula negotiatione & mercatu Anglorum olim celebris, priusquam vicina terra e mari vindicaretur. Hodie posthabitis mercibus, quæstum facit, agricultura, & pecoribus alendis, atque vendendis. *Stapelholmia.*

Nomen habet a Germanico vocabulo *Stapel*, quod emporium, mercimoniis & negotiationibus frequens: & *Holm* quod peninsulam seu planitiem herbidam, aquis circumfusam designat.

Inde duo ibidem celebriores pagi, *Süder-Stapel*, & *Norder-Stapel*, quoque denominantur. Atque exstant adhuc dictorum commerciorum vestigia in Holdingstadio (ubi Angli navigaturi in Britanniam, naves conscendere solebant) Templum nimirum ex Britannico cœmento exstructum quod mercatoria domus initio, postea vero mercatura deficiente, & incolis ad Christianam religionem adactis, DEO dicatum fuit.

Simile templum ante paucos annos videri poterat Slesvici, in oppidi peninsula *Holm*, nuncupata, & aliud ad forum S. Spiritus, cujus amœna turris, sicut & tabernarum circum exstructarum vestigia, adhuc supersunt. Sed eorum ædificiorum supra jam mentio facta est; quare eorundem repetitione supersedeo.

Eadem insula, cervis, capreolis, aliisque feris abundat.

Illustrissimus Holsatiæ Princeps Philippus, in illa, cervam cornutam A. C. 1589. paullo ante obitum suum cepit.

Trajectus habet duos: unum in Dithmarsiam, alteram versus arcem Svavestedium.

Qui autem habitus in hac Insula sint frequentiores sequens pictura docet. Num. 17--20.

FRISIA,

Frisia minor.

FRISIA, MINOR nuncupata, (cum Orientalem, mediam & Occidentalem, prope Westphaliam, quæ Monasterienſem & Oſnabruggenſem Epiſcopatus continet, Geographi ponant) terra frugifera, & maxima itidem ex parte paluſtris eſt.

Etymologica derivatio.

Nomen accepit non a frigore *Frieß-Landt*, ut Chronicorum Hollandiæ autor aſſerit: nec a voracitate, quaſi *Freß-Land*, ut quidam nugantur: nec a Phrygibus, ut Wolfgangus Lazius refert, nec a libertate, quaſi *Freye-Land*, ut Hadrianus Junius contendit: nec a Friſo, ut Abbas Spannheimenſis fabulatur; ſed a Friſone conditore ſuo, ut Petrus Suffridus de origine Friſiorum multis atteſtatur.

Friſia autem minor, ab Eidera ad Tunderam usque, & per duo fere milliaria Sleswigam ac Flensburgum verſus ſe extendit, & ambitu ſuo complectitur Eiderſtadiam parochiam, *Melſtede*, ubi olim arx fuit Middelburgum vocata, ad quam Rex Abel copias ſuas collegit, cum in Friſiam contenderet, civitatem Huſenum, parochiam Hattſtede, oppidum Bredtſtedte, Norſtrandiam, Suldiam, Fordam, Amerum, Ockholmiam, urbem arcemque Tonderam, & huc pertinentes paroecias, ſui diſtrictus, quos Friſii Harde, Dani vero *Harritt* indigitant.

Harde quid?

Harde autem ſeu *Harritt*, nomarchiam, judicium, ſeu parlamentum, quibus aliquot parochiæ & pagi ſubſunt, ſignificat.

Et videntur nomina illa, eandem vim habere, quam *Forde* apud Tartaros: quod vocabulum congregationem multitudinis, ſub uno judice viventis, denotat.

Sciendum porro Friſiam hanc, longe olim majorem & ampliorem fuiſſe; pluresque inſulas & parochias continuiſſe, quæ partim ante aliquot ſecula, partim Patrum noſtrorum memoria, ab Oceano abſorptæ ſunt, quarum nomina apud Incolas adhuc exſtant ac numerus ultra quinquaginta ſeſe extendit.

Accidiſſe illud volunt, quod nimiis divitis affluentes, vallum contra Oceani violentiam, ea qua debebant induſtria, non munirent ac repararent: ſed ſuis negotiis intenti, & periculi contemtores pauperibus hoc oneris imponerent: qui, cum parum haberent ibi proprii, de conſervando vallo minime ſolliciti fuerunt.

Unde irreparabile damnum exortum, quod nunc potius deplorari, quam corrigi poteſt.

Quanquam autem multa loca ſuperioribus annis indeſinenti hominum ſtudio & labore, ex mari iterum poſtliminio vindicata, reſtituta, & ad uſum traduͣta ſunt, majorem tamen eorundem partem, Neptunus ſibi conſervavit.

Qui porro habitus Hattſtedienſium hujus Inſulæ incolarum ſit, ſequens icon exhibet N. 21. 22.

Eiderſtadia.

EIDERSTADIA, ſeu Friſiæ Eidorenſis Cherſoneſus, incolarum frequentia, agri fertilitate, paſtione pecudum uberrima Eidoræque & Heneræ fluminum commoditate, vicinas Friſiorum provincias antecellit.

Parochias exhibet ſeptendecim.

Ejus oppida duo ſunt, quorum Gardinga mediterraneum pene inter Eidoram, ac Heveram flumina, pro inſigni fanum;

Tönninga vero totius terræ illius, melle & lacte manantis emporium, (ex quo, una æſtate, vicies ter, centena millia librarum caſei, navibus aliquando exportata cognovimus) vas, ſive tonnam gerit, & Gardinga milliari integro abeſt.

Arcem habet admodum venuſto opere ab Adolpho, Holſatiæ Duce, in ripa Eidoræ A. C. 1583. ædificatam, in qua, ejusdem Ducis præfectus judicium exercet, & ſcriba ejus Provinciæ plerumque commoratur.

Ubi Ducatui Sleſvicenſi adhæret, unius milliaris latitudinem obtinet, ſed qua in mare protenditur; latior: longa, milliaria quatuor eſt. Paſcuis ac pratis undiquaque vireſcit, & bobus tantæ magnitudinis abundat, quales in univerſo ſeptentrionali tractu, vix alibi inveniuntur; imo ne in Hollandia quidem, quod ii fatentur omnes, qui iſtam provinciam ſunt pervagati.

Incolæ hujus peninſulæ, lingua cum advenis loquuntur Germanica, inter ſe autem peculiari & genuina, a peregrinis minime intellecta.

Sylvas non habet. Quocirca ceſpitibus natura ei providit, qui ad alendum ignem, hinc inde effodiuntur, & a ſole arefacti & toſti, incolis magnam commoditatem præſtant.

Ædificiis referta tota eſt, ut omnem Eiderſtadiam unam dixeris civitatem.

Fundum exhibet uberrimo fœnore nobilem, ac jugera parva 48000. quæ ab incolis *Demettlandes* nominantur.

Libertatem ſuam adverſus vicinos, tum vero Abelem Daniæ Regem, in acie, a ſe, annum circiter Chriſti 1253. trucidatum ſtrenue defenderunt Eiderſtadenſes: & in hunc usque diem, ſicut & vicini Friſii, ultra annui tributi penſionem, nullis extra ordinem ſervitiis & miniſteriis, a Sleſwigæ Ducibus onerantur, niſi illorum accedente voluntate bona.

Veſtitu honeſto utuntur, ut ex veſtibus eos pro oppidanis quis duceret. Earum formas, ſequentes picturæ oſtendunt. N. 23--28.

Nordſtrandia.

NORDSTRANDIA ſeu Strandt-Friſia, elegans, & haud contemnendæ magnitudinis inſula, Ducatui Sleſvicenſi vicina, cum quo continens olim fuit, nunc autem gurgite lato,

Diſcernens illam truculentum dividit æquor ut Catulli verbis utar.

Jugera agrorum aggeribus concluſa 36350. continet, & extra aggeres jugera 3200.

Parochias viginti duas, & portus tutiſſimos decem habet.

In ejus medio tractus quidam eſt ceu limes Moerdio vocant ſublimior quidem, ſed paluſtris.

Duo ferme milliaria habet in longitudine, in latitudine autem ſtadia quatuor, ſex, interdum etiam octo.

Pars inſulæ humilior colitur: altera licet ſit inculta, incolis tamen ſufficientem ignis materiam, e ceſpitibus torrefactis præbet.

Lata eſt & compaſcua, ut ab Eiderſtadiæ fertilitate, multis in locis, parum diſcrepet.

Incolæ excipiendis hoſpitibus, & tractandis amicis, ſummam ſuam exhibent humanitatem: etſi Gens alioquin eſt, ab hujus ætatis vitiis, non prorſus aliena.

Circum-

Incolae in STAPELHOLMIA peninsula Dithmarsiae vicina, a qua Eidora flumine separatur.

Habitus muliebris Stapelholm. 17.

Habitus rusticus Stapelholmensium. 18.



Sponsa Stapelholmensis. 19.

Virgo Stapelholmensis. 20



Habitus virilis Hatstedens. 21. Habitus muliebris Hatsted. 22







Eiderstadii Matrona 23. et Virgo. 24.



Habitus Muliebris Eiderstadensium. 25.

Habitus Virilis Eiderstadensium. 26.



Habitus Rustici Eiderstadensis 27.

Habitus Puellæ Rusticæ Eiderstadensis. 28.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Circumjacent, atque Oceano innatant insulæ complures, quæ maris impetu quotidie minuuntur, & propter exiguitatem vix nomen merentur.

Olim, quam nunc fuit amplior insula:

Parochias enim nonnullas, mare absorpsit, ex quibus præter turres, aqua decrescente prominentes, nulla sunt vestigia.

In hac possidet Gerhardus Ranzovius, Henrici Producis Cimbrici filius, prædium, dictum Moersum, quod cum agris circumjacentibus 38000. thalerorum emit.

Habet in eadem provinciola, Dux Holsatiæ Joannes Adolphus, Archi-Episcopus Bremensis, Præsidem, qui jus, Ducis nomine, administrat, & annuas pensiones a subditis mulctasque a reis exigit.

Cæterum quo habitu fœminæ & mares, in hac insula utantur, adjectæ figuræ docent. Num. 29–31.

Ockholmia Ockholmia, Insula est parva, unius Parochiæ, alias Uchholmia appellata.

Fœminæ & Maris, item Puellæ Ockholmensis habitum subjuncta figura ostendit. N. 32–34.

Amroma. Amerum, Amroma, seu Ameroa unicam Parochialem Ecclesiam sancto Clementi sacram obtinet. Compascua est, & piscatoribus dives, funditque ex se tractum arenosum ad duo milliaria.

Gloriantur Incolæ, quod nati mures apud se nulli, nec aliunde importati vivere possint.

Feoræa. Feoræa, Forda, Andreæ Vellæo, Foëre, duo milliaria longa, & unum lata, tres parœcias ostentat, quarum media sancti Johannis ad formam Cathedralis Ecclesiæ exstructa est.

Insula, tali situ & conditione ditatur, ex deperditis & submersis naufragio bonis, quæ huc frequentius appellunt.

Æstu marino remisso, ex continenti in eam vado, accessus patet.

Arx hic quondam Lehenbecciæ familiæ fuit, cujus nunc tantum vallum & ruinæ supersunt.

Habitus vestium tam virilium, quam muliebrium Foerensium subjunctæ imagines exhibent. N. 35–38.

Sildia. Sildia, Sildra, seu Sildræa, exiguo intervallo, a duabus commemoratis Insulis distat.

Solum habet culturæ patiens.

In longitudine unicum, in latitudine vero milliare dimidium colligit.

Versus Austrum promontorium Vœrtrop ad milliare longe extendit, & aliud, ad Boream bifurcatum, ad duo milliaria protrudit, cujus pars una, List, altera Melhorn appellatur.

Parochiales Ecclesias quatuor exhibet, & curiam Henrici Ranzovii, Producis Cimbrici, adeo præstantem, ut merito inter nobilium dominia referri possit.

Qua vestitus forma incolæ utantur, adjuncta schemata declarant. N. 39–41.

Jorslandia Jorsandia, milliare dimidium, in longum & latum tenet, ovibus abundat, & a Sildia milliari distat.

de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ

Rimnia. Rimnia sive Rim a Listræa promontorio Sildiæ dimidii milliaris: Ripis, Jutiæ oppido, duorum milliarium intervallo distat.

Insula est unius milliaris & parochiæ. Aggeres habet, colle arenosos & pascua.

Farenlof. Farenlof, unius est parochiæ.

Mondoa, Mandia seu Mannoe, milliari a Rimnia distant, exigua insula est.

Nam ad dimidium milliare longa, ad hujus quartam tantum partem lata compascua est, & piscatorum sedes.

Fanoa. Fanoa, Fandia, seu Fanoe Boream magis Zephyrumque respiciens, longa milliaria duo, & dimidium lata, in duas parochias dividitur: Quarum Australior *Süder-Houett*, ubi celebris piscatorum est frequentia; Borealis autem in specie Fanoe dicitur.

Portum optimum habet.

Numindia. Numindia, abs Jutiæ oppido Rincopene, milliaribus distat duobus. Sunt præter has ab occiduo latere hujus celebris Cherſoneſi nonnullæ aliæ; sed minores insulæ, in Oceano sparsæ, quæ fere omnes Ripensi Diœcesi subsunt, videlicet:

Langlecha, Landsfastholm, Klitera, Norbia, Suderhafnia, Torsmindia, Huga, Stadeloa, quæ paucis villis constant.

Holmia. Holmia, duarum parœciarum est, & piscatura celebris insula.

Venora. Venora, quasi dicatur Veneris, vel amicorum, sive pulchra insula, in Nomarchia est Hiermensi.

Mons Bovensburgum. Auricula Harsiliæ, una parochia est comprehensa: a qua non procul Bouensburgum, montium altissimus, importuosus, naufragiisque creberrimis infamis, in mari attollitur: cujus jugum primam aëris regionem adæquare videtur, secundum Jonam Coldingensem.

Hucusque enarratæ sunt insulæ in mari Occidentali sitæ, cum portubus, in terra solida existentibus, e quibus, in Islandiam, Scotiam, Angliam, Belgium, Galliam, Hispaniam, Indiam, Italiam, &c. navigatio institui potest.

Insulæ Cimbriæ ad Mare Balticum. Sequuntur Insulæ & loca ad mare Eoum seu Balticum sita, e quibus, in Norwegiam, Daniam, Sueciam, Prussiam, Russiam, Livoniam, Pomeraniam, Ducatum Megalburgensem &c. navigari potest, sunt earum nomina hæc: Cimbria minor seu Fimbria, Anglia minor, Swantzena, Elisia, Arria, Sunderwithia, Kekenitza, Bassœa, Arrœa, Hiarnoa, Indelavia, Gernoa, Alroa, Wors, Thuna, Samus, Damea, Kittolmia, Jordholmia, Wedderoa, Molsa, Hilgenesum, Ramsoa, Hielmia, Lessoa, Rom, Hertzholmia, Fidsholmia, Pickerholmia.

Descriptio Fimbriæ seu Cimbriæ minoris. Cimbria Minor, seu Fimbria, unica tantum littera immutata, adjacet illi fere Chersoneſi Cimbricæ parti, quæ Wagria appellatur.

Abest a continenti aliquot centum passibus, & latitudine unum milliare, longitudine vero duo complectitur. Piscatu & grata fertilitate admodum famosa est: cum vix ulla sit in tota insula terræ gleba, quæ ædificiis occupata non

eſt, quin ſiliginem & maxime quidem triticum copioſo proventu producat: quod, in Galliam, Italiam & Hiſpaniam, ob grani præſtantiam avehitur, ibique care venditur.

Quatuor eſt diſtincta parochiis, nimirum *Borch*, *Landkirch*, *Petersdorff* & *Bandendorff*: pagis 37. Quin & eleganti decoratur oppidulo *Borch*, & brevi inde ſpatio arce Glambecenſi, cujus muri tantum ſuperſunt. Olim autem fuit admodum munita.

De hac inſula, inter Daniæ Reges, & Holſatiæ Comites, varia & cruenta fuerunt bella geſta, dum utrique poſſeſſionem hujus inſulæ ſibi vendicarent.

Chriſtophorus, Rex Daniæ, memor ingentis illius beneficii, a Johanne Largo, Comite Holſatiæ, fratre, ipſi præſtiti, quo, per eum ad regni Daniæ gubernationem evectus eſt, inſulam hanc hæreditario jure poſſidendam, Joanni Comiti donavit, ac tradidit. Poſtea Dani Holſatis eam rurſus per vim eripuere: quam tamen circa A. C. 1416. Henricus, Dux Sleſvicenſis, & Henricus, Comes Holſatiæ, armata manu receperunt. Triennio poſt, nimirum circiter A. C. 1419. die Kiliani martyris, Ericus, Daniæ Rex, eam occupare contendens, primo & ſecundo aggreſſu, cum univerſo exercitu, ab Incolis ejicitur. Ex ſuis ducem de Borch, Patruelem, & circiter 1500. viros deſideravit. Hac duplici clade, ac repulſa irritatus Rex, tertio eam aggreſſus, in ſuam redegit poteſtatem, omnesque nullo ſexus habito diſcrimine fere interfecit, rapinis ac incendiis omnia vaſtans. Tandem res ita compoſita, ut Comites Holſatiæ eam in feudum a Regibus Daniæ conceſſam tenerent. Hinc etiam A. C. 1580. Regiorum filiorum tanquam Holſatiæ Ducum nomine, Henricus Ranzovius, Produx in Holſatia Regius, Joannes & Adolphus, Holſatiæ Duces, a Rege Daniæ, Friderico II. Ottoniæ, in feudum eandem acceperunt: quæ res ſolemni pompa & celebritate fuit peracta. Vexillum quod Vaſallis conferebatur, erat coerulei coloris, cum corona aurea, quæ eſt inſigne perpetuum inſulæ.

Incolarum numerus exiſtimatur a nonnullis 5000. hominum.

Naves magnas ac parvas habet 50. quibus negotiationes incolæ exercent, ac frumenta ad urbes vicinas tranſportant.

Oppidulum Borch, mercatum celebrat annuum, octiduo ante feſtum Michaëlis.

ANGLIA MINOR.

Anglia Angelſaxon.

ANGLIA MINOR nomen habet, Saxone Grammatico atteſtante, ab Angulo Dani, Daniæ Regis fratre, qui huic provinciolæ initio præfuit, cujusque poſteri Angli dicti, Britanniam poſtea, vi, occupatam, ſuo de nomine Angliam nuncuparunt, & priſcum inſulæ nomen, novo patriæ ſuæ vocabulo, permutarunt. Idem affirmat Guilielmus Camdenus in ſua Britanniæ Chorographica deſcriptione his verbis: Cum inter Jutlandiam & Holſatiam, antiquam Saxonum regionem provinciola ſit in Daniæ Regno, quæ dicitur Anglen, me tandem avitam noſtram ſedem inveniſſe, & inde Anglos in hanc inſulam demigraſſe, affirmare auſim: Utque verius affirmem, jam juſſit vetuſti Scriptoris autoritas, quem Thomas Allen, Oxonienſis, plurimis & optimis artibus ornatiſſimus, mihi ſuppeditavit.

Inſcribitur hic auctor patricius Conſul, Fabius Quæſtor Ethelwerdus: Adulphi Regis abnepos fuiſſe videtur, floruitque circa annum ſalutis 950. Verba autem ejus hæc ſunt: Anglia vetus ſita eſt inter Saxones, & Giotos. Idem venerabilis Beda, qui in Anglia ortus, circa A. C. 730. vixit, Angliam majorem, ab hujus Angliæ nomine, nomen accepiſſe aſſerens teſtatur. Et Petrus Suffridus, de origine Friſiorum lib. 2. hiſce ſuffragatur:

Angli, quibus alias cum Danis bellum erat, patriæ ſuæ pertæſi, cum a Britannis invitarentur, ſpe melioris conditionis ac fortunæ, cum tota gente in Britanniam navigarunt, eamque tribus longis navibus, quæ bellatores ferebant præmiſſis occuparunt.

His ſubſcribit Annonius Monachus Benedictinus cap. 78. & alii Hiſtorici plurimi, inter reliquos, Henricus Ranzovius, in ſuo de Imperiorum periodis libello his verbis: Circa hoc tempus, quod incidit in annum Chriſti 446. Angli & Saxones feruntur invitati ad defendendam Britanniam, in quam tribus longis navibus, cum copiis auxiliaribus ſunt delati, &, cum Britannia ab illis eſſet defenſa, non ſolutis ſtipendiis perpetuum domicilium & ſedes in ea fixerunt, & Britanniæ, ſuo de nomine nomen impoſuerunt.

Conſtat præterea ex Ptolomæo & Cornelio Tacito, Anglos, antiquiſſimos eſſe terrarum Septentrionis ad Oceanum incolas: Tacitus enim Anglis, conjungit Arios Eliſios Manimos, qui hodierno adhuc die appellatur Ar, Alſen & Mone.

Sunt qui Angliam ab angulo deducunt, quod inter Jutlandiam & Holſatiam in angulo ſit ſita, & veluti brachium porrectum ſe extendens, ab una parte flumine Slia claudatur, ab altera vero ſinu freti ac urbe Flensburgo terminetur.

Arces Principum & curias nobilium continet viginti quatuor.

Civitates duas Flensburgum & Sleſvicum, & oppidum unum Kappel.

Nomarchias ſeu Hardas quatuor, longitudinem & latitudinem fere habet æqualem, quinque nimirum milliarium.

Parochias triginta octo.

Schwant

SCHWANZENA ſeu Schwantia, duo circiter milliaria longa, totidemque lata, nobilium curias quindecim, & parochias aliquot continet.

Alſenia.

ELISIA *Alſſen*, mediocris magnitudinis inſula: quæ nimirum quatuor milliaria in longum, & duo in latum comprehendit. Sunt in ejus circuitu, multi trajectus ac portus.

Oppidum habet unum Sunderburgum & ejusdem nominis caſtrum, ac præterea arces quinque Gammelgard (prope quam itidem portus eſt peropportunus, dictus Bruniol) Oſterholm, Melsgard, Norburg, Rönhoff, quæ omnes,

F.


TYPUS PA

SEPTENTRIO

MARE ORIENTALE

Holden

Holdens Sund



F.

TYPUS PARVÆ ANGLIÆ INTER IVTIAM ET HOLSATIAM.

ORIENS

EKLENFORDE

MARE ORIENTALE sive BALTHICVM

SEPTENTRIO

MISSUNT

MEMBLES

Tischerboden

Capped Oppidum

Dotenmarck

Buckhaven

Rasle K.R.

Die De GELTINGEN EX. Alefeldt

Duttelud D.R.

Kronsgarde

Rundthof H.R.

Wackerbalg

Estrup

Norgorde

Ostergarde

NIE HARRIT

Nybul Vehre

Nybul H.V.H.

Elgarde

Lungarde

Stemberg

Slirup

Quern

Grnutloff

Schwersby

Serup

Holden

HVSBY HARRIT

Frien Willen G. Ranz

Ruchloster Lucksborg

Muncke Brarup

Rulschau

Hurup

Hurup

HIGGEL

Hurup

Nukerok

AVX

FLENSBORCH STAT

OCCIDENS

Lindet Bornkercke

B.K.

Bronsyharck

Tustrop

Valuaskercke

SCHLIES HARRIT

Morkercke

Suaerbrorup

Loyte

Trestet

Noroder Brarup

Sahdorpowe

Callsby

Tolck

Boef

Ulsby

STRVCKTORP HARIT

Struckturp Tumby

Farensted

de Hof H.V.A.

Satrupholm

Hof H.V.A.

Rottekerck

Closter

Schleswig

Hatbe Damle

Nibul

S. Michel

GROTORP

Grotefold

HARRIT

Stendorp

Bolstensted

Hollingstede hinc Veteres Anglanaves conscendentes ac in Britanniam per oceanum navigabant

F.







29

30



Nordstrandiæ gentis vestitus Fœminæ et Maris.

31



Virgo Nordstrandensis.

32



Mulier Ockholmensis.

Brühl fc. Lipſ.





33



Ockholmenſis Ruſticus.

34



Habitus Puellæ Ockholmenſis.

35



36



Foere Inſulæ Daniæ ſub Præfectura Flensburgenſi, quo multæ merces ſubmerſæ appellere ſolent.

Veſtitus virilis in Foere.

Veſtitus muliebris in Foere

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf









37



Habitus Anus in Insula Fœrensi.

38



Habitus Virginis in Insula Fœr.

39



Sildia Insula Danica ad Adolphum Holsatiæ Ducem pertinens.
Habitus Rustici in Insula Sildia.

40



Habitus Fœminæ in Insula Sild.

Brühl. sculps.



omnes, cum tota hac insula exceptis quinque prædiis nobilium, ad Joannem Holsatiæ Ducem Friderici II. Daniæ Regis piissime defuncti, fratrem spectant.

Ad oppidum Sunderburgum portus est satis profundus & capiendis magnis navibus mercatoriis amplus ac sufficiens.

Ipsum oppidum arctissima obsidione, ab Erico Rege Daniæ cinctum & aliquoties oppugnatum est, sed ob firmitatem sui, & præsidiorum fortitudinem, in manus hostium non pervenit.

Parochias continet hæc insula Elisia, tres & decem; satis populosas. Hardas tres, ex quibus aliquot armatorum millia, brevi temporis spatio produci possunt.

Abundat piscibus tam marinis, quam fluviatilibus.

Ferax est frumenti optimi, boum item & equorum generosissimorum.

Multas habet sylvas in insulæ circuitu in quarum nonnullis circa 5300. sues saginari queunt.

Saltuosa item existit & varii generis ferarum venationem præbet.

Circa A. C. 1421. Ericus Rex Daniæ, classe instructa ad hanc insulam contendit, spe ejus occupandæ, exemplo Fimbriæ, quam paullo ante cœperat, omniaque in ea crudelissime gesserat: sed nobilitatis, quæ in ea copiosa extitit, & cæterorum Incolarum virtute, aditu prohibitus militem exponere non potuit. Accessit ventus vehemens, qui naves disjectas magno periculo in Daniam repulit. Id ipsum itidem accidit circiter A. C. 1430.

Distat a Sunderwitha unico, ab insula Fionia duobus, Flensburgo septem milliaribus, mari conficiendis, quatuor autem si quis terra iter instituat.

Arria. ARRIA, Arr, minor est, quam præcedens Elisia, a qua sesqui milliari distat, Ducique Holsatiæ Joanni paret, sylvis item convestita est, & proinde, gratos venatoribus præbet recessus: præcipue autem in illis Damæ magnæ, magna copia reperiuntur.

Tres habet parochias cum oppido Nicopia: cui portus commodus adjacet.

In eadem insula duæ sunt arces sitæ, Sebugardia & Grauensteinium, quam utramque Joannes Dux Holsatiæ ante aliquot annos nove exstruxit.

Sundewit. SUNDEWIDT, insulæ Elisiæ vicina, a qua per angustum quoddam fretum maris Baltici dirimitur, duas Parochiales Ecclesias, & Ducales arces tres Sandbergam, Belgardum & Amelundgardam nuncupatas exhibet.

Trajectus habet duos Kekenisferam & Holmisferam, a quo posteriore Anglia duobus milliaribus, per mare conficiendis distat.

Etiam hæc insula, cum sequente, Joannem Ducem Holsatiæ, Dominum agnoscit.

Kekenitz. KEKENITZ, Peninsula sylvosa tota, & feris repleta, quæ 18000. plus minus sues uno anno saginare potest. Unicum habet prædium Kekenitzgaard: quod cum ipsa insula Joannis Ducis Holsatiæ imperio subjecta est.

Bassoea. BASSOEA pertinet ad præfecturam arcis Arpenroeæ: milliare unicum rotundo quasi situ con-

tinet; Parochiam habet unicam, sylvasque optimas, proinde jucundam venationem præsertim leporum præbet.

Arroea. ARROEA, *Arroe*, in aditu Ducatus Slesvicensis sita, ubi in Fioniam per Assensem seu Ottensem sinum ad oppidum Assenium trajicitur. Quatuor pagis distincta est, & a continente aliquot centum passus distat, & Episcopo Slesvicensi subjecta est.

Sequuntur Insulæ Jutlandiæ adjacentes sic appellatæ.

Insulæ Jutlandiæ adjacentes.

Hiarnoa. HIARNOA, Hiarnoe, sepultura Hiarni Daniæ Regis celebris.

Endola. INDELAVIA seu Endola, Endeloe, milliare integrum longa, dimidium lata, sylvas & unam parochialem Ecclesiam habet.

Gernoa. GERNOE, Alroe, Wors, insulæ tres in ipsis faucibus sinus Horsensis sitæ.

Thuna. THUNA, Tun, ab Arrhusia Jutiæ tribus milliaribus distans, unicum longa & lata est, ac parochiam continet unicam.

Sampsoe. SAMUS DANICA, Sampsoe, frumentorum ferax, & amœna admodum insula est unius milliaris: pagos complectitur plurimos, parochias quinque, cœnobium unum, quod Dorotheæ Christiani III. Regis viduæ, post Randesheimium alimentorum nomine fuit concessum.

Kitholmia. KITTHOLMIA, JORDHOLMIA, Wedderoa, Molsa, Hilgenesum, Ramsoa insulæ parvæ sunt.

Hielmia. HIELMIA, Hielm, non longe a promontorio Hassens sita, insula est rotunda & alta. Hora unica circumiri potest. Aliquot Regias equas alit; producit allium sylvestre, & fruticeta habet brevia, quernea, unde fasces igni concitando, fovendoque idonei cæduntur.

Tres in ea fuerunt olim nobilium sedes, quas Rex Christophorus ejus nominis ultimus in fiscum redactas, solo adæquavit.

Lessoa. LESSOE, juxta Sebui Wensliæ oppidum, insula est tribus milliaribus longa, uno lata. Sylvas habet fertiles, portum unum & parochias tres, quarum turritam & præeminentem nauclerі ad evitandum pericula diligenter observant. Incolæ capitulo Wiburgensi parent.

Tenthol-mia. Rom-Hertzholmia, *Tidesholmia*, quasi Germanorum insula & Pickersholmia, insulæ sunt parvæ, & nautis metuendæ, propter syrtes propinquas. Quo pertinet Scaga, promontorium Cimbriæ ultimum, nautis notissimum, in quo, pharos, ardentibus perpetuo candelis Daniæ Regis sumtu colluescens, longe emicat.

Et aliæ plures. Præter nominatas, quibus ab Occasu & Oriente Jutia circumdata est insulas: eadem etiam interiores habet peninsulas, & insulas plurimas: Wensliam, Hannomarchiam, Thyam, Moersam, Salingiam, de quibus superiori egimus libro.

Oelandiam, Oxeholmiam, Handsholmiam, quæ unum milliare longa, inter duos rapidissimos amnes sita, tribus parœciis habitatur:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Oſtholmiam rotundam, totidemque parœciis cultam.

Jegenam, Livolandiam, Egholmiam, Bodumnam peninſulam, quæ unum cœtum parochialem alit.

Aggeroam, Fauffuerlandiam, ſylvis ſuperbam, & anguillarum copioſa piſcatura celebrem inter Thyam & Salingiam.

Ottoniam ſeu Tirholmiam, cui Thiram Haraldi Regis matrem nomen indidiſſe ratiocinor, quæ poſt diſceſſum Ottonis Imperatoris ex Jutia, omnem a Sleſwico Regionem ſeptentrionem verſus, vallo muniri curavit.

Enumeratis qua potuimus diligentia inſulis, nunc flumina Cimbricæ Cherſoneſi, ſi non omnia, ſaltem celebriora & potiora, juxta ſeriem Alphabeti digeſta referemus, eorundemque origines nude ac ſimpliciter, & quidem brevibus ſubjiciemus.

FLUMINUM CIMBRIÆ DESCRIPTIO.

De fluminibus Cimbriæ.

Albi. ALBIS, nobiliſſimus Germaniæ fluvius, ex montibus, qui Moraviam, a Bohemia dividunt, erumpit, & ſuſceptis aliquot fluminibus, Bohemiam, Miſniam, Marchiam Brandeburgenſem, Megapolitanum, Lüneburgenſem & Saxonicum ducatus pertranſiens, Stormariam Dithmarſiamque, octodecim milliarium curſu præterlabitur: tandem in occiduum mare ſe exonerat. A fonte ſuo, usque ad Storam 128. fluvios plus minus excipit.

Aiſtria. ALSTRIÆ Origo, non procul a pago *Koldenkirche* demonſtratur, unde, Hamburgum currens, Zythepſis, ſuo de flumine, aquam ad coquendam cereviſiam gratiſſimam ſubminiſtrat, & Albi demum ſe commiſcet.

Baſt. BAST fl. ex ſylva Rensburgenſi initium ſumens, Eidoram poſtea intrat.

Billena. BILLENA, ex ſylva Trittovienſi ortus, Reinbeccam, Bergerdorpiam, paluſtriaque aliquot loca irrigans, poſt quinque milliarium curſum Albi conſociatur.

Crempa. CREMPA, Stormariæ flumen, haud longe ab arce Stenburga, Henrici Ranzovii, Producis Holſatiæ natali, famoſa, exoritur: inde Crempam alluens civitatem, poſt in Storam Albimque ſe immittit.

Eidora. EIDORA fluvius navigabilis & piſcoſus, prope arcem Ranzoviam *Bodkamp*, enaſcitur, unde Bordesholmia cœnobio, Chilonio & Rendesburgo civitatibus, ac arce Hala, præteritis relictisque, ad Occidentem currit, interque Dithmarſiam & Eiderſtadiam naves ferens onerarias, poſt quatuordecim milliarium curſum, a mari Britannico excipitur.

Limes eſt vetus, Daniæ & Holſatiæ, ad quem ſæpe de imperio inter Saxones & Danos non ſine cruore decertatum eſt.

Giſelov. GISELOV fl. ex Ditthmarſiæ pago *Alluerſtorff* deſcendens, Eidoram confecto curſu intrat.

Gudinus. GUDIUS, fluvius celebris & maximus in Jutia, Randruſium alluit, variisque piſcium generibus, & confertiſſimus & maxime admirandus eſt, ac in mare Orientale ſe effundit.

Hevera. HEVERA, Eiderſtadiam & Nordſtrandiam dividens, Huſenibus portum præbet tutiſſimum, indeque in mare occiduum delabitur.

Holſtedia. HOLSTEDIA cum Scodburgo Jutiæ fluvio celebri confluit, ac uno alveo, in Oceanum Occidentalem deſcendit.

Hylchius. HYLCHIUS, qui & Trux dicitur, in mare Orientis ſe exonerat.

Leveſoa. LEVEZOA, ſeu leonis amnis, *Löwens Owe*, Holſatiæ limes, paullo infra Chilonium labitur in mare Eoum.

Liverſoa. LIVERSOA, ex monte Wensliæ prope templum Vennebergenſe naſcitur.

Lunoa. LUNOW, Holſatiæ fluvius, prope Emekendorp & Geuenſtede in Eidoram exit.

Lymicus. LYMICUS fluvius, & ſinus Jutiæ profundiſſimus Aalburgum alluit, totamque fere Jutiæ latitudinem permeans, per varios tramites ſeſe ſpargens, plures inſulas & peninſulas complectitur.

Milda. MILDA ex ſtagno Kuderſehe exortus, Meldorpiam Dithmarſiæ, quam ſuo nomini adoptavit, alluit, quo peracto, in Oceanum Germanicum deſcendit.

Nibſaa. NIBSAA, flumen limpidiſſimum, Ripas Jutiæ civitatem, triplici incurſu interſecat, indeque in Oceanum Occidentalem influit.

Ryoa. RYOA, fluvius clarus, in Wenslia, dividens præfecturam Huitboiam ab Hannomarchia, & ad Africum defluens, in ſinum Lymicum evolvitur.

Scierna. SCIERNA, parvis initiis in Oriente conſpicitur, poſtea multorum fluminum aquis auctus, in occaſum præcipitanter vergit, ac Oceano Britannico illabitur.

Scodbur. SCODBURGA, Auſtralem Gothiam ſeu Jutiam a Septentrionali diſterminans, memorabili Sclavorum clade illuſtris fluvius eſt. Etenim in agro, huic flumini adjacenti a Danis uno conflictu ad 40000. Sclavorum protriti ſunt.

Slia. SLIA, in quo Anaſcharius Archi Epiſcopus Bremenſis, multa millia Danorum, ſicuti Joannes Baptiſta Judæos ad Jordanis fluenta, olim baptiſavit, oritur ex ſylva Poëla (in qua Abel Daniæ Rex in Friſia cæſus, & ex Sleſwicenſi templo, in quo prius humatus & ob nocturnos lemures erutus, jacet ſepultus) Gottorpiam, Ducum Holſatiæ arcem, & oppidum Sleſwicum alluit, tandem, prope vicum Capellam, in mare Balticum deſcendit.

Sorch. SORCH, pagum *Soreck* præterfluit, inde Eidoram intrat.

Stora. STORA, ex palude Walradenſi ebulliens, non procul a Bredenberga, arce Henrici Ranzovii munitiſſima, Trajectum fratrum hoſpitio excipit, inde Itzehoam interſecat, Stormariam Holſatiamque dividit, & Heilgenſtedium præterlabens,

terlabens, Crempamque ſuſcipiens, demum confecto decem milliarium curſu Albi ſe committit.

Swentina. SWENTINA ex ſtagnis Plœnenſibus naſcitur, inde flexis ambagibus cœnobium Pretzenſe, & arcem Ranzoviorum Raſtorp præterfluit, ac tandem prope Chilonium, præceps, in ſinum Baltici maris devolvitur. Apud hunc *Traſico Rex Obotritorum*, Caroli Magni confœderatus, 4000. Nordalbingorum profligavit, verſiculis hiſce vetuſtis id atteſtantibus.

Aſt illis Obotritorum Dux nomine Thraſco
Comperto tali motu, tulit obvia ſigna
Conſertaque loco pugna quem Suentina dicunt.
Quatuor hoſtilis, proſtravit millia cœtus.

Schvala. SCHVALA, ex ſaltibus Bordesholmi ſe evomit, Neomonaſterium præterit, tandem per Storam in Albim exoneratur.

Trajectus fratrum. TRAJECTUS FRATRUM, ex paroecia *Koldenkercken* exortus, Bramſtediam deflectit, & non ita remote a Bredenberga, hæreditaria Ranzoviorum arce, Storæ ſe aquis conſociat.

Super hunc Henricus Ranzovius Produx Cimbricus, pontem, maxima ſui parte, e lapide albo Buceburgenſi, ſterni curavit, inſcriptionibus, quæ ibidem conſpiciuntur, illud atteſtantibus.

Travena. TRAVENA ſeu Trava, ortum accipit in pago Travenhorſt, unde, pergens, ſtagnum Venſinianum, mox Segebergam, inde Oldesloam, & Reinfeldenſe monaſterium, tandem Lubecam Imperialem ſalutat, ubi per Tramundæ oſtium, poſt duodecim milliarium curſum in ſinum Codanum, ad Cimbriæ Cherſoneſi dorſum, ſe exonerat.

Fluvius eſt, non lacus, ſed vado profundiſſimo, ut mediocribus navibus onuſtis ſit panſis velis navigabilis.

Treja. TREJA ſeu Threna, a tribus rivulis in eam confluentibus ſic appellatus, ex ſylvis prope Gottorpiam proſilit, Svaveſtedium arcem Epiſcopalem præterlabitur, ac inde Eidoram intrat, cum quo conjunctus Oceano Britannico conſociatur.

Wachneſia. WACHNESUS, latiſſimum & profundiſſimum flumen, a Septentrione Lubecam alluit.

Walpurgsana. WALBURGIS OUVE in paludibus Hanrovienſibus creſcit, deſtructum caſtellum Bocklenburgam præterit, ibique nomen a Walpurga Rudolphi Comitis Conjuge, a Dithmarſis, naribus, auribusque mutilata & eo in loco ſubmerſa, nomen accepit; inde per ſtagnum Cadenſe Wilſtriam deſcendit, ubi non procul, per cataractas in Storam delabitur.

Wilſtria. WILSTRIA fluvius, prope urbem Wilſtriam, per cataractas quasdam ad id paratas, Storam ingreditur.

Præter enumerata flumina etiam ſtagna habet, admodum piſcoſa, & penitus infinita: inter quæ non ultimum locum obtinet Plœnenſe, quod in longitudinem 2 ½. milliarium & in latitudinem unius milliaris, quibusdam in locis extenditur. Stagnum longum, album, paludoſum, anguſtum: Pardelonenſe, Suſelerenſe, Stipſtorpianum, Barcovianum, Silenterenſe, Wenſinianum, Mözingenſe, Niendorpenſe.

Ac ut de reliquis verba facere deſinam, ſola Holſatia, Dithmarſia & Wagria non exiguæ magnitudinis ſtagna triginta ſex, parvis non numeratis, continet: & ſola Abbatia Arnsbocenſis piſcinas circa 400. Arx Ranzoviana cum prædio Schœneweida 24.

Amnes & freta. Amnes item & freta habet famoſa plurima, amnem Uterſenſem, Kudenſehenſem, fretum Fegeſundicum, Sallingicum, Virkenum, Hualpenum, Seberum, Ottonicum, Mittelfardenſe &c. Ex quibus omnibus & præſertim ex Orientali & Occidentali Oceano tam copioſa omnis generis piſcium præda, per totum fere anni curſum capitur, ut celebris iſtius piſcationis emtionis & commutationis pretium, aliquot auri tonnis æſtimetur. Solertia ſiquidem accolarum maris, quæſtum e piſcatu captantium, aliorum regni incolarum neceſſitati, non modo ſuccurrit, ſed & illius fructus ad extremas Germaniæ, Galliæ, Italiæ aliarumque remotiſſimarum gentium oras, magno fruitionis deſiderio promanat. Non abſimile eveniſſe apud priſcos, teſtis eſt Valerius Maximus, qui ad voluptatem & ingluviem luxuriantium ſui ævi implendam, etiam eſculenta piſcium lautiora ab ultimis Oceani littoribus, attracta eſſe narrat.

Innumera illa Cimbriæ piſcium genera nemo facile recenſuerit, cum maxima illorum pars nobis ignota ſit:

Piſcium genera. Quare aliquot ſaltem ſpecies notas ut inde plagæ hujus commoditas ſimulque DEI bonitas innoteſcat, hic recenſere libet.

Notiores itaque ſunt piſces:

Accipienſer, vulgo ſturio.
Aloſa ſive alauſa.
Anguilla.
Aſellus.
Aurata.
Aſchia, græce φάγρος.
Albula.
Aſtacus.
Balæna ſive Cetus.
Bolemius.
Cancer.
Carabus.
Conchæ.
Canicula marina.
Callyonimus.
Conger.
Cyprinus vel carpio.
Cyprinus latus vel praſinus.
Delphin.
Draco.
Eſox vel Salmo.
Erythrinus.
Epelanus.
Fundulus.
Gobio vel gobius.
Gobio capitatus.
Gladius.

Halec vel halex.
Halex muriatica,
Halex infumata.
Halecula novaculæ formam referens.
Helto.
Lucius vel lupus.
Lingulaca.
Minutulus.
Marlangus vel Galamus.
Muræna.
Muræna oculata.
Muſtela.
Oſtrea vel concha.
Paſſer.
Perca minor.
Phoca, vitulus marinus.
Plateſſa.
Raja.
Rombus.
Rombus aculeatus.
Saler.
Scarus.
Scombrus vel ſcomber.
Solea major.
Solea minor.
Spirinchus.
Stella.
Turdus.
Tenca, ſive Tinca.
Thymus.
Xiphias.

Balena. a. 1587. Balenæ in Holſatia prope Geldingam Angliæ minoris arcem & pagum A. Chriſti 1587. captæ ſunt duæ, tantæ ſane magnitudinis & longitudinis, ut mas, vix quatuor & viginti equis, in aulam Oceano adjacentem Nicolai Alefeldii, qui Henrici Ranzovii Producis Cimbrici gener eſt, potuerit deduci, ejusque caput bipenni amputatum, a robuſtis tribus ruſticis levari ac portari. Fœmella, maſculo inſana iſta quantitate multum ceſſit, licet propter embryonem ſive fœtum, quem intra ſe, trium fere cubitorum longum habebat, tumidiore eſſet. Carne autem utriusque, abjectis capitibus, ſpinis & inteſtinis, tonnæ repletæ ſunt viginti: & lardo novem: quemadmodum illud in ſuis quinque annorum commentariis Petrus Lindebergius refert.

Facere porro non poſſum, quin memoria repetam hoc in loco Hiſtoriolam, quam patriæ novus auctor Jonas Coldingenſis refert, de Regum quorundam Commiſſariis. Hi, ſeriis confectis negotiis, congreſſi, inter cætera de ſuorum Regum præeminentia quis videlicet præſtantior atque opulentior jure haberetur, contendebant. Nam quiſque ſui domini opes oſtentabat: ille aurum, hic argentum, alius frumenti & vini copiam jactabat. Satis enim conſtat, unam regionem non omnia proferre.

Tandem Dano loquendi poteſtate facta, cum omnes quonam ſententia ejus inclinaret avide expectabant, ſui quoque Regis abundantiſſimas opes, acute ſatis, ille hoc modo extulit. Si, inquit, omnium totius Europæ Regum gaza licet maxima venum exponeretur, cariſſimeque venderetur, pretio vero repræſentato, ac inde ligneæ patinæ viliſſimo coëmerentur: Omnia tamen iſta licet infinita futura vaſa, termis recens captis piſcibus onerare atque exonerare Rex Danus ſufficiens eſt. Quo dicto, omnium ſuffragiis, palmam ſuo Regi obtinuit, ſed de his ſatis.

Finis libri ſecundi.

LIBER TERTIUS
DE
ORIGINE, NOMINE, SEDIBUS, MORIBUS, FORTITUDINE, BELLIS ET REBUS PRÆCLARE GESTIS CIMBRORUM.

Lib. III. Origo Cimbrorum. CIMBROS a Gomero nepote Nohæ ex maximo natu filio Japheto ortos eſſe, nomenque ab eo, per tot ſecula paullulum immutatum trahere, conſentiens omnium opinio eſt. Cum enim poſteritas Japheti majorem orbis terrarum partem in Europa Aſiaque minore occupaſſet, (quod ipſi, cum etymon nominis dilatationem ſignificantis, tum fauſtum Nohæ parentis votum portendit) poſteri a Gomero orti ac Cimmerii dicti, ad Boſphorum Mæotidi paludi proximum, (qui de illis Cimmerius eſt appellatus) ultra Thraciam ubi Tanais oritur, ſedes ſuas poſuerunt. Cujus rei etiam Propheta Ezechiel cap. XXXVIII. certiſſimus eſt teſtis, qui Gomer & Thogarma latere Aquilonis expreſſe vocat. Quod de Palæſtina, ubi vir divinus ſacri Numinis inſtinctu ſcripſit, accipiendum eſt. Eo enim in loco floruiſſe olim Cimbros potentia & nominis celebritate præter Boſphorum & mons & oppidum ejusdem loci, ab ipſis Cimmerium nominatum, documento ſunt. Hinc poſtea ſuccedente tempore, per regiones propinquas Ruſſiam, Lithuaniam, Livoniam, Boruſſiam & Vandaliam, quam nunc Pomerani & Megapolitani obtinent, in Cimbricam Cherſoneſum progreſſi, totoque ejus littore ſe paſſim diffundentes, late dominati ſunt, & caſtrato paullulum nomine litteraque interjecta Cimbri nuncupati. Quando vero migratio hæc contigerit, ignotum eſt. Herodotus meminit, Cimbros, cum irruptione facta, Lydiam invaſiſſent, ab ejus populi Rege repulſos eſſe. Sabellicus præterea ab Aliate qui Lydorum Rex fuit, eos Aſia ejectos ſcribit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

bit. Opinantur nonnulli eos vel inusitata Oceani inundatione coactos, vel vi a Gothis expulsos sedibus suis emigrasse. Alii suapte sponte ac voluntate sive fato quodam impulsos, sive opum alienarum cupiditate accensos, cultiora loca appetiisse existimant.

Nominis derivatio. Nominis Etymologiam Wolfgangus Lazius & Caspar Peucerus, ex lingua Germanica deducunt, ac primum ex vocabulo Cimber, litteris usu vulgi paullulum affectis, Kimper ex eo Kemper, *oder Kämpffer*, quod virum bellatorem significat, faciunt. Hos refutat Petrus Suffridus de origine Frisiorum lib. I. cap. 7. inquiens: Vocabulum Cimber, originis Hebrææ est, & ex Gomer derivatur.

Ex Gomer enim litterarum modica deflexione fit Comer seu Cumer: ex eo Cumber, & inde Cimber. At, utcunque proferatur, nomen est proprium, nec aliud quicquam significat, quam filium Japheti, illum, qui Cimbricæ gentis autor fuit: quemadmodum nec Cimbrorum nomen aliud quicquam denotat, quam posteritatem ex Gomero. Ejusdem sententiæ est Guilielmus Camdenus, in sua Chorographica Britanniæ descriptione, his potissimum verbis: Gomerus filius Japheti natu maximus, Gomeris, qui postea Cimbri & Cimmerii dicti, in his ultimis Europæ finibus, originem dedit, & nomen imposuit. Cimbrorum enim sive Cimmeriorum nomen hanc orbis partem quodammodo opplevit: nec solum in Germania, sed etiam in Gallia latissime patuit, cujus lingua latrones interpretatur Cimbros. Unde paullo post, subjungit idem Autor: Nec quis detrahendi studio nostris Cumeris sive Cimbris objiciat, quod Cimbros lingua Gallica latrones dici, Sextus Pompejus scripserit. Licet enim Cimbri in illa Ϛ mundi ætate, qua fortitudo bellica excelluit, ab his Europæ finibus errabundi, ut Autor est Possidonius, ad paludem usque Mæotiden, latrocinando militiam agitarint: non tamen Cimber magis latronem significat, quam Ægyptius superstitiosum, Chaldæus Astrologum, & Sibarita delicatulum. Sed quia tales fuerunt illæ nationes, de illorum nomine, qui tales sunt, vocantur: Et in hoc mecum sentit eruditionis lumen Josephus Scaliger. Cimbrorum meminerunt Ephorus, Clitarchus, Plutarchus, Posidonius, Ptolomæus, & Strabo Autores Græci: Ex Latinis Cæsar, Livius, Plinius, Florus, Tacitus, Eutropius, Orosius, Mela & plures alii, ex quibus videre est, Cimbricum nomen huic genti fuisse primitivum, quo antiquius aliud habuerit nullum. Trecentis enim totis ante Christum annis, cum Saxones partem Cimbriæ Duce Juthone occupassent, Cimbria ex Cimbris appellata fuit. Ac idem nomen huic genti salvum permansit, adhuc postea ducentis annis, hoc est ad ætatem usque C. Marii. (vid. Pet. Suffrid de orig Frif. lib. 2. cap. 10.) sub quo facta est expeditio Cimbrica, anno ante natum Christum centesimo undecimo. Permansit eidem genti nomen idem adhuc salvum, postea quoque ducentis integris annis, id est ad ætatem usque Cornelii Taciti, qui, anno post Christum centesimo librum scripsit, de moribus Germanorum, in quo, gentem hanc, solito nomine Cimbros, & terram ipsam Chersonesum Cimbricam appellavit. Tacito, post annos 600. successit venerabilis Beda, qui anno 730. Christi scribens, gentem hanc Vitas appellavit, ut ex allegato lib. I. de Jutia loco patet.

Consensus Autorum & historia.

Bedæ post annos 500. successit Saxo Grammaticus, qui anno post natum Christum 1200. scribens, eandem gentem Jutas appellavit, nomine in hunc usque diem usitato. Habitasse insuper Cimbros inter Germanicum & Britannicum maria duo, non procul a Saxonibus, versus Aquilonem, Tacitus, Plinius, & Ptolomæus expresse affirmant; Strabo vero intra Albim & nequaquam in Chersoneso eosdem Augusti tempore, cui æneum lebetem plurima sanctitate consecratum obtulerint, egisse scribit, Possidonii crasso errore seductus: qui etsi inundationes, quæ in patria sua non fiunt, etiam nusquam terrarum fieri putans, negat: non negat tamen Cimbros Chersonesum incoluisse, quod plane negat Strabo. Atqui scire idem non modo debuit, sed etiam potuit, Cimbros Chersonesum habitasse, tum, cum expeditionem facerent in Italiam. Nam cum Romanorum provincias in Germania, & eorundem res in his gestas, commendaret: habebat tabulas Augusti, habebat commentaria Cæsaris, habebat alia, quæ tunc exstabant, unde patriam eorum disceret, quam Romani suo periculo docti, jam non norant longe ante, quam Augustus nasceretur; & cum mentionem faciat lebetis, quem Cimbri Augusto donaverant, causas ignorare non debuit, cur is, donatus fuerit. Donatum ait, ad veterem offensam leniendam, quod non ita est! Augustus enim Albim Romanæ ditionis terminum in Germania esse voluit, ideoque edicto vetuit, ne Duces ultra Albim, Orientem versus arma proferrent. Si igitur Cimbri intra Albim habitarunt, non dona, sed tributa ab illis accepit Augustus, ut a cæteris, quos subditos suos habere voluit. Nam, amici dona: Subditi tributa dare & conferre solent. Quocirca dona a Cimbris accepit, quod ultra Albim habitarent, quemadmodum a reliquis Transalbinis omnibus.

De sedibus Cimbrorum eorumque bellis,

Fœderibus,

Quod ex fœdere solemni factum est, in Conventu publico Romanorum & Trans-Albinorum Principum. Fœdus hoc utrique extorsit mutuus metus. Transalbini enim cupide pacem hanc amplexi sunt, Cis-Albinorum exemplo docti, contra Romanorum pertinacem & potentem vim, sine periculo bellum suscipi non posse. Romani etiam spectro Drusiano moti, quod eventu ipso videbant comprobatum esse, facile passi sunt, Albim imperii sui terminum in Germania poni: cum vererentur, si longius progrederentur, futurum, ut Cisalbini, a tergo ipsis incumberent, & commeatum suorumque subsidium & reditum denique intercluderent. Et erat ipsis vel illud in præsenti abunde satis, quod veterem societatem inter Cisalbinos, ac Transalbinos hoc fœdere interrupissent, & exinde æternæ diffidentiæ fundamenta jecissent.

Quas artes Romanorum proprias fuisse ex Tacito, luce clarius apparet, qui, multis exemplis docet

docet Romanos, non alia ratione fregisse Germanos, quam ferenda inter eos discordia. Has autem artes posteros etiam eorum, longis temporibus usurpasse & adhuc exercere, quotidiana experientia attestatur. Ad Albim quoque Cimbros Imperium obtinuisse ex Ptolemæo, qui Trajani tempore vixit, colligi potest. Ait enim supra dorsum Cimbricæ Chersonesi, Saxones habitare, idque ut mihi videtur suo tempore: alioquin locus iste si a Cimbris antea non fuisset habitatus, non nominatus esset Cimbrica Chersonesus; quod ipsum si necesse foret, aliis etiam argumentis & potissimum nostris Archivis probari posset. Quemadmodum etiam Ptolomæus & Mela, Cimbros non modo Chersonesum ipsam, sed etiam ultra Albim provincias intermedias inter Chersonesum & oram Gallicam interjacentes; ad Austrum autem Sicambros ad Septentrionem Oceanum Britannicum iisdem Cimbris terminum fuisse, confidenter affirmant. Verum Henricus Ranzovius Produx Cimbricus hoc non probat, contentus, terminum fuisse Cimbricum, Albim, Billenam Travenam, & Oceanum.

Ethelwardus Anglus scribit: gentem, quæ maritima loca incoluit, a Rheno flumine usque ad Doniam urbem, quæ nunc vulgo *Dannemarck* appellatur, Saxones nominatos esse, eosque in nomen Saxonum coaluisse. Ast ego, qui Doniam Civitatem non novi, pro Doniam, Daniæ urbem scriptum fuisse existimo, præsertim cum in textu sequantur hæc verba vulgo *Dannemarck* nuncupatur. Ac aliter judicare non possum, quam Sleswicum fuisse: illo enim tempore fines regni Daniæ erant non procul ab urbe Sleswico, apud Danorum illud opus *Danwergk* etiam hodie nominatum.

Et fuit Sleswicum non quidem Daniæ, sed totius Cimbriæ Metropolis, quondam & ampliſſimum opulentissimumque oppidum, in ipso Cimbricæ Chersonesi isthmo situm. Indicant hoc frequentes Conventus ibidem habiti, connubia contracta, confœderationes peractæ, ut Caroli Magni, Henrici I. Ottonis, Imperatorum: Gottfridi, Henningii, & Heraldi, Daniæ Regum, qui in illo loco classem exercitumque collegerunt: nonnunquam non procul ab eadem urbe invicem decertarunt, de finibus Daniæ disceptarunt, & fœdera diversis temporibus erexerunt. Quod ex Historiis tam Gallicis, quam Danicis & Archivis videre licet.

Fabulæ gestis & fortitudine,

Constat præterea, nullum Romanorum Imperatorum Albim trajecisse, excepto Carolo Magno, qui tandem A. C. 789. aliquot victorias adeptus, nonnullus ex Trans-Albinis & Nord-Albingis subegit, ad Christianam religionem convertit, & A. C. 804. aliquot hominum millia in Brabantiam transmisit: quorum maxima pars tempore Ludovici Imperatoris, Caroli filii, sunt reversi, & priora loca denuo occuparunt: ut patet ex privilegio ab eodem Aquisgrani dato. Trans-Albinos & Nord-Albingos dico: sic enim Cimbri longe ante Caroli Magni tempora fuere appellati, ac quidem discretis temporibus, interdum etiam Jutæ & Angli. Deinceps Albis, Billenæ, Storæ, Travenæ, & Eidoræ accolæ: (cujus fluvii extremitates, & insulas adjacentes Frisii occuparunt) Stormari, Holsati, Dithmarsi, Wagri & Sleswicenses dicti. Ita exolevit illud vetus Cimbricum nomen, invalescentibus paullatim singularum partium novis nominibus.

Ab omni autem memoria, primi exterorum Dani, Cimbris, ut maxime vicini semper extiterunt: Ita etiam in patriam successerunt. Saxones Cimbris nonnullis etiam imperarunt, præsertim illis, qui in dorso Cimbricæ Chersonesi habitabant, ut Nordalbingis nunc Holsatis, & quidem progenitores, Widekindi & hujus posteri. Cum Saxonibus tamen Reges Daniæ, de his ditionibus, assidua bella gessêrunt, in quibus nunc hi, nunc illi victoriam obtinuere. Sic Nordalbingi Saxonum tunc quasi subditi, maximam opem tulerunt Widekindo, contra Carolum Magnum. Widekindum in his etiam locis aliquando delituisse, & Nordalbingorum opera, bellum redintegrasse, constat ex annalibus Francicis.

Paruit autem ab eo tempore, quo Christiana religio primum in has terras invecta est, Holsatia Carolo Magno, suo Victori, & filio ipsius, Ludovico Pio, qui Archi-Episcopum Holsatiæ cæterarumque Gentium Septentrionalium, Hamburgi instituit S. Anascharium: Ordine ejus successoribus, post, & inter alios, Ottoni Magno, qui Hermanno Bilingo, homini novo, & filiorum suorum præceptori, Duci Saxoniæ a se creato, Nordalbingiam quoque regendam attribuit: cujus posteris, cum 150. annos, eam possedissent, extinctis, Lotharius Imperator Adolphum III. Comitem Schowenburgensem, Holsatiæ Comitem primum constituit. *ac Christianij*

Qua familia masculina, his in locis, iterum deleta, ad Comites Oldenburgenses, inprimis ad Christianum I. e sorore Adolphi, ultimi Schowenburgensium & Holsatiæ Comitis natum, postea Danorum Regem, ejusdemque posteros Holsatiæ Principes, Cimbrica Chersonesus translata est. In quorum potestate 164. annos jam permansit: utque diu permaneat, DEUS Trinus & Unus faxit!

DE MORIBUS ET INSTITUTIS Veterum CIMBRORUM.

VEtustissimi illi Cimbri, qui in Holsatia postea sedem habuerunt, eorumque posteri prisca illa Germanica lingua, quæ Saxonum genuina est, primis temporibus utebantur: cui Danica in nonnullis vocabulis convenit. Regem aut Principem agnoscebant neminem, sed exortis subinde bellis, ex suis, fortissimum quemque, & factis illustribus spectatum Ducem sibi deligebant, si qui forte explorata virtute, & factis præclare editis, pares electionem facerent dubiam, hæc, sorte per ipsosmet jacta, definiebatur. *Mores Cimbrorum bel*

Nec

Nec diuturnius cuiquam erat imperium, quam bellum ipsum, cujus gerendi Dux esset declaratus, duraret. Præter Nobiles, colonosque, & quosdam conditione servos (quos Christiana nunc pietas sustulit) nullos inter se vitæ status aut discrimina alia habebant: Quemadmodum ne nunc quidem inter finitimos Danos, Noricosque in usu sunt: nisi quod ante paucos annos in Suecia quidam, novo exemplo, eos incognitos hactenus honoris titulos gradusque adepti sunt. Summa apud eos dignitas, summusque honos, & status, post electos belli Duces, Equitum erat, quos ab ornamentis, quæ illis conferuntur, Auratos vocamus. Ad hunc maximi honoris gradum, nulli patebat aditus, nisi qui virtute bellica, factisque in hostem egregiis patratis, cujuscunque vel classis vel fortunæ esset, ad id dignitatis culmen, merito adscendere putaretur. Iis enim solis, ut præclarum & ingens, compertæ spectatæque virtutis præmium, in conspectu exercitus, patentibusque campis, ab ipsis Ducibus, quorum ductu & auspiciis, strenuam & memorabilem in bello operam præstitissent, solemni ritu & ceremonia conferebantur. Quod ipsum, & apud alias plerasque gentes in usu fuit, & recenti memoria Franciscus Galliæ Rex laudatissimo sane exemplo, in consuetudinem quodammodo revocavit. In Christianæ fidei societatem, repudiatis idololatricis superstitionibus, Saxones tandem sese contulerunt. Ante id vero tempus, Solem & Lunam, aliosque vanæ religionis Deos adorabant, eosque diversis & certis in locis colere, & sacra ipsis facere solebant.

Superstitio & recta fides.

Neque enim cœleste & immortale NUMEN, ullis aut ædibus, aut aliis operibus, manibus mortalium fabricatis includi & contineri posse credebant.

De animarum tamen immortalitate recte statuebant, doctrina ea, quasi per manus a Gomero usque, primo Gentis Auctore posteris tradita. Honesta item inter ipsos jungebantur connubia: Maris nimirum unius, fœminæque copulatione, quorum alterutro fatis functo, secundas nuptias non celebrabant.

Civiles consuetudines.

Ut pares essent Conjuges, ejusdemque status & conditionis, magnopere observabant. Qui aliter contraxissent, publicam ignominiam, & suspicionis sinistræ notam subire videbantur. Reos adulterii & convictos, capitali supplicio afficiebant, ut certior Majorum sanguis propagaretur. Juris dicendi judiciique exercendi hunc habebant morem.

Erat universa ditio in certas hardas & parœcias divisa; Hæ, statis temporibus locisque pro se quæque seorsum suis cum armis, patente sub dio, in campis conveniebant; aderantque ejusdem loci viri nobiles, qui velut testes judicio assiderent. Ibi in medium prodibant, qui contra alios litem movere se justam existimarent: auditisque & cognitis partis utriusque actionibus, defensionibusque, Conventus universus, in consilium bat: idque temporis spatium, quod interim deliberando terebatur, curam vocabant. Expensis diligenter & velitatis in partem utramque controversiis, in consessum redibant, vocatisque litigatoribus de jure pronunciabant. Si quis judicio stare non vellet, ad duodecim constitutos sive Judices sive Arbitros, & ab his ad universæ ditionis Conventum provocare, ei licebat.

de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.

Et judiciales.

Hæc, minuendarum litium, judiciique exercendi consuetudo, semel quotannis observabatur. Est in hunc usque diem locus non procul Rendsburgo, qui,

Judicium annuæ trabis.

ANNUÆ TRABIS nomen, ab eo judicii more, etiamnum retinet: solentque illic, nunc quoque terminandis controversiis, nonnunquam rusticorum Conventus haberi, ac fuerunt præterea in aliis Chersonesi partibus, similia loca, quorum memoria longinquitate temporum intercidit. In Jutia adhuc in quotidiano usu sunt talia conciliabula, & Hardæ nominantur. His præsidet unus ex nobilitate, qui *Landes-Dommer* nominatur, id est judex terræ.

Instituta criminalia.

Homicidii crimen ultimo supplicio non persequentes, mulcta plectebant pecuniaria, ne uno infelici casu, duo de medio tollerentur, idque ita usque ad Christianum ejus nominis tertium Daniæ Regem observatum est: Qui ut erat Princeps prudentiæ miræ & æqui bonique observantissimus, quoniam ea consuetudo a Divino simul humanoque Jure discrepare videbatur, inolitam usu & temporis diuturnitate legem, ante annos non adeo multos, consensu procerum, ita constrinxit, ac mitigavit, ut qui inopinantem quempiam, armisve ad corporis sui defensionem non instructum, interfecerit, capite pœnam luat: in reliquis priscæ consuetudinis vigor obtineatur, ut a sanguinis profusione temperetur

Si acriores forte contentiones de jure aut honoribus inciderent, inter Nobiles præsertim, antiquo Romanorum more initis duellis Marte judice lites dirimebant. Erant sepulturæ eorum in sylvis & agris. Tumulos aggestis lapidibus vestientes, & advolutis grandibus saxis muniebant; quod genus complures passim adhuc visuntur, qui Gigantum strata vocantur: idque eo, quod veteres Cimbri homines essent proceri ac validi, & Gigantum stirpe nati crederentur. At qui paucos ante annos, non procul ab Anthonii Ranzovii prædio, Nienhoff, sceleta duo inventa sunt, alterum sex ulnas longum, alterum quinque.

Nonnulli quoque, sed pauci, exstructis rogis, more Romano cremari, cineresque collectos in urnas custodiri volebant: cujus rei vestigia aliquot, nostro seculo, comperta sunt.

Fides pactorum.

In dictis, pactis, factisque, fides summa, & mira animorum constantia erat: quam non præstare vel leviusculis etiam in rebus, omnino ignominiosum & inhonestum ducebant.

Neque opinio ea & existimatio penitus apud posteros evanuit: sed ut ab optimis accepta Majoribus, studio magno etiamnum retinetur, ut nobili homini inprimis nihil æque turpe putent, ac, datam fidem fallere: idque, qui

facere reveritus non fuerit, is haud obscura infamiæ macula se aspergat. Unde proverbium *Holsten-Glaube* apud hujus terræ incolas inolevit.

Mulierculæ divinatrices. Ad bella singuli viritim proficiscebantur, ductis secum uxoribus: quæ, incantationum magicarumque artium gnaræ, auguriis & vaticiniis operam dabant, deque præliorum eventibus scienter præsagiebant.

In acie, Valerio Maximo referente, gaudio exsultabant, tanquam glorioſe & feliciter e vivis excessuri; at in morbo, quasi perituri, turpiter lamentari consueverunt.

Fugere in bello, res insolens ipsis erat, quique id fecisset, ei nullus ad suos patebat reditus.

Victui & opibus quærendis ex re pecuaria magis, quam agricultura studebant.

Possessiones liberæ & Dominia. Bonis & possessionibus suis, quæ pascuis potissimum, stagnis & nemoribus constabant, pro arbitrio utebantur, fruebanturque: neque ea colonario beneficiariove, sed proprio atque hæreditario, omnes jure tenebant. Nec operis quidem & angariis, nobilitati præstandis, coloni, ita, ut nunc plerisque in locis, olim gravabantur: quæ postea ab his, qui, veris expulsis incolis, has oras occuparunt, paullatim introducta, subditisque imposita sunt.

Id vel inde conjicere licet, quod agrestes, Holsatiam Dithmarsiamque incolentes, sua sibi habent dominia & prædia, quæ hæreditate obveniunt, transeuntque: ac rariora levioraque eorum sunt onera: nec iisdem in locis, ut in aliis, tot Nobiles sua habent domicilia.

At mutatis subinde dominis, cum quisque ut erat victor, abrogatis veteribus, novas præscriberet diceretque leges, ex bonis hæreditariis, passim precaria, atque conductitia effecta sunt. Nobilium autem possessiones & dominia ut nunc quoque magna ex parte existunt proprii Juris, liberæque potestatis eorum, nec feuda sed allodialia erant bona: exstinctaque omni familiæ cujuspiam prole mascula, non ad Principes, sed ad agnatione proximas sexus muliebris ea recidebant bona.

Bona olim allodialia.

Hæc omnimoda cum Jurisdictione merique & mixti Imperii potestate, ac cunctis pleni Juris commodis possidebant, idque sive Jus, sive consuetudinem a Majoribus ad posteros transmissam, etiamnum hæc ætas retinet.

Nunc clientelaria. Familiarum tamen inter se dissidentium controversiis, litibusque effectum est, ut nonnulla ex his bonis, pristino jure obscurato & abolito, pro feudis habeantur.

Fortia agere ac pati, summopere avebant Cimbri. Iidem Marte magis quam arte, sagoque magis quam toga, delectabantur.

Studia litterarum, earundemque cultores, in nulla apud illos erant autoritate: quo factum, ut nulla certa, de suo in Cimbriam adventu, aliisque rebus præclare feliciterque ab se gestis, monumenta ad posteritatem transmiserint.

Nam hac de re quæ veteres Saxonicarum rerum scriptores litteris prodiderunt: iis (quod scilicet ab hominibus imperitis rudibusque congesta sunt) fides habenda non est, cum eos multi scriptores passim, ut futiles & frivolos refellant.

Studia & cultus literarum. Etsi autem veteres Cimbri politioris litteraturæ expertes fuere: rerum tamen naturalium inquisitionem haud penitus abjecerunt. Potest hoc colligi ex eo, quod ipsi, ut Oceani Germanici accolæ, ejus æstum sedulo observabant, annique sui (quem a xxv. die Decembr. exordiebantur) rationem ad Lunæ & ex hoc Astro pendentis æstus marini motum componebant. Nonnulli Danis hoc ascribunt, Daniam pro Jutia, quæ pars est Chersonesi Cimbricæ, & quo in loco, non in Daniæ mari Orientali, æstus sentitur, nominantes.

Ast, qui post veteres Cimbros easdem terras incoluerunt, non minus corporis robore atque viribus, quam animi generositate, viri eximii & cum Romanis merito comparandi sunt. Quorum egregia facta, sequenti libro Ranzoviano, Camœnæ descripserunt.

Elogium Dithmarsorum. Quin & hodie Holsatiam incolit ipsissima proles veterum Cimbrorum, eorundemque virtutis reliquiæ, tam in campestribus quam palustribus longe lateque emicant. Testes sunt ex multis Dithmarsi, qui, licet, libertate amissa, legitimæ dominationis jugum acceperint; ita tamen se gesserunt, ut avitæ virtutis memores fuisse, nec libertatem a Majoribus acceptam projecisse, sed acerrimo studio propugnasse videantur. De quibus alias.

DE FORTITUDINE, BELLIS, ET REBUS PRÆCLARE GESTIS VETERUM CIMBRORUM.

Cimbrorum Expeditio in Italiam. DUæ fuerunt causæ, cur Cimbri patriam Chersonesum reliquerint, & nobilem illam in Italiam expeditionem susceperint.

Prima causa. Prima fuit frequens inundatio, de qua antiquissimi scriptores, Ephorus, Clitarchus, aliique complures, multa scribunt: Etiamsi Possidonius, & eum secutus Strabo, id rideant, ob id, quod in Septentrionali Germania, inundationes fieri non crediderint nec quicquam de æstu, hoc est, accessu & recessu maris, sciverint.

Altera. Altera causa fuit, tum continuum bellum, quo attriti, dum Saxones ac Dani de Jutlandia, & tandem de universa Chersoneso contenderunt: tum direptiones creberrimæ, quibus a Slavis, Vandalis, Obotritis, & Danis, inter quas bellicosissimas gentes medii habitarent, quotidie infestabantur.

Conjectura & ratione aliæ. Sed nec a vero admodum aberret, qui statuat, Cimbros fertilissimis istis ac ditissimis Italiæ Regionibus consideratis, opum ac divitiarum illarum desiderio allectos, eo transmigrasse;

graſſe: cum alioquin prædationibus & direptionibus adſueti eſſent, ſeque iſtis ſuſtentarent.

Romanis initio, parum de Cimbris conſtitit. Scribit enim Strabo in libro, de orbis terrarum ſitu, quod commune ſit omnibus, qui Cimbricum tractum incolunt: ut alio facile commigrent, propter victus tenuitatem: & quod illa plaga, quæ trans Albim Oceanum ſpectat, Romanis plane ſit incognita: Inſuper quod neque Romani, Albim ipſum trajecerint, nec ulli, illuc, iter pedeſtre ſuſceperint.

Idem Plutarchus affirmat, in vita C. Marii his verbis: Cimbri quidem ex eo, quod agrum ſuum nunquam exierant, & ex remotiſſima regione venerant, unde, quique eſſent, non conſtabat, qui tanquam nubes in Galliam, Italiamque ruperant. Sed Romani ex eo arbitrabantur populos Germanicos eſſe, ejus generis, quod ad Borealem Oceanum ſedem habet: quod homines magno corpore, horrendisque oculis eſſent, & quod apud Gallos Cimbri prædones appellarentur.

His accedit Tacitus (qui, anno ſexto Imperii Cæſaris Veſpaſiani, poſt natum vero Chriſtum anno 75. adhuc vixit) hoc modo ſcribens: Germaniæ ſinum, Oceano proximum Cimbri tenent, parva nunc civitas, ſed gloria ingens, veterisque famæ late veſtigia manent, utraque ripa, caſtra ac ſpatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis, & tam magni exitus fidem.

Sexcenteſimum & quadrageſimum urbs noſtra agebat, cum primum Cimbrorum audita ſunt arma. Hæc ille.

Nunc, bella Cimbrorum perſtringemus.

Bella Cimbrica ab U. C. anno 649.

PRimum omnium ab urbe condita A. 640. ante natum vero Chriſtum 108. ſecundum alios 111. Cimbri Cherſoneſo ſua egreſſi, nobilem illam in Italiam expeditionem, per Galliam, tranſeuntes ſuſceperunt, & in Illyrico Papyrium Carbonem Conſulem, ipſis acceſſum ut intercluderet, miſſum, cum integro exercitu fortiter proſtraverunt.

Poſt eum, Marcum Junium Syllanum Conſulem & ipſum, commiſſa feliciter pugna, ſuperarunt. A qua victoria miſſis legatis ſedes & agros a Senatu Romano poſtulârunt, qui hoc ipſis recuſavit.

Quocirca armis atque viribus, quod prius denegabatur, obtinere conati ſunt, & cum Romanis manus conſerentes, eosdem fuderunt, victoriamque, Aurelio Scauro Conſulis legato capto, reportarunt. Quem poſtea, cum in conſilium a victoribus adhibitus, ne ſuperatis Alpium jugis in Italiam ſeſe demitterent, eos deterreret, & vinci Romanos haud poſſe diceret, Bolus Rex ferocisque ingenii juvenis, manu ſua interemit.

de Weſtphalen Monum. ined. Rer. Germ.

Ad eam, advenientis tanta multitudine gentis, tribusque jam præliis victricis, famam perterriti Romani, nec ſibi, donec in Italiam hoſtes ingrederentur, expectandum rati, in aditu Alpium, denuo exercitum validum opponunt.

Inita igitur ad Rhodanum pugna, iterum Cimbri memorabilem & funeſtam a Romanis victoriam conſequuntur, octoginta millibus militum trucidatis, calonum, lixarumque millibus quadraginta, caſtrisque binis Conſularibus potiuntur, vix denis, e tanto exercitu, elabentibus.

Alter Pro-Conſulum ſeu Ducum C. Manlius, in pugna interfectus, occubuit. Alter Quintus Servilius, Cæpio, cum ex fuga certiſſimus Romam tantæ cladis nuncius perveniſſet, abrogato Imperio, bonisque publicatis, cum quod ejus temeritate, tanta clades accepta crederetur, tum ob ſpoliatum auro Delphico templum Tholoſanum, in carcerem ductus, ibique a carnifice necatus eſt, cadavere ejus ad ſcalas Gemonias, id eſt ad locum damnatorum ſupplicio deſtinatum, abjecto.

Scribunt nullo unquam tempore, tantam Romanorum ſtragem factam eſſe.

Quamobrem ſuſpenſis metu animis, Romani C. Marium, bellicoſum juxta & fortunatum Ducem, ex Lybia, ubi regem Jugurtham ſuperaverat, in urbem revocant, eumque, continuato per annos plures magiſtratu, ejus belli imperatorem creant. Hic Marius, uſus conſilio mulieris fatidicæ, per biennium, cum Cimbris dimicare noluit.

Eo autem elapſo, cum Cimbris & Teutonibus Ambronibusque bellicoſis, qui ſeſe adjunxerant (quorum omnium numerum tantum fuiſſe, narrat Franciſcus Patricius Senenſis, ut ſex juges ac continuos dies, longo, ordine nunquam interrupto, Marii caſtra tranſiverint, ac illudentes Romanos rogaverint, Ecquid mandatorum ad Uxores ſuas perferri vellent, ſperare enim ſe, quam primum eas viſuros,) ad aquas Sextias prælium feliciter commiſit, eorumque ducenta millia trucidavit, & nonaginta millia cepit. Ac ferunt cæſorum tantam fuiſſe copiam, ut Maſſilienſes, congeſtis cadaverum oſſibus, ſuas vineas obſepſerint, agrosque, madefacta ſanguine Cimbrico, & carnium putredine gleba, tam feraces reddiderint, ut aliquot annorum inſignis fertilitas fuerit ſubſecuta.

Reliqui Cimbri, qui per Noricum Italiam ingreſſi fuerant, hac inſperata ſociorum ſuorum clade cognita, animum tamen, ob vires debilitatas, & ſocios amiſſos, non abjecerunt, ſed denuo per legatos, aliquam terræ partem, inhabitandam petierunt. Qua rurſus negata, Quinti Catulli exercitum ab Alpium faucibus, quas obſederat, depulerunt, Italiamque aggreſſi ad Atheſin flumen, caſtra me-

tantes, caſtellum occupatum relinquere coëgerunt.

Quod cum Marius cognoviſſet, propere veniens, exercitum Catuli cum ſuo conjunxit, & 29. die Julii, cum Cimbris decertans, eorundem centum & quadraginta millia occidit, & ſupra ſexaginta millia cepit. Hi autem (ut Florus de illis ſcribit) per hyemem, quæ altius Alpes levat, Tridentinis jugis, in Italiam provoluti, ruina deſcenderant; Atheſin tranſiluerant, &, ſi ſtatim infeſto agmine urbem petiiſſent, grande diſcrimen fuiſſet. Sed in Venetia, quo fere tractu molliſſima eſt, ipſa ſoli cœlique clementia robur elanguit.

Ad hæc panis uſu, carnis coctæ, & vini dulcedine mitigatos, Marius in tempore aggreſſus eſt. Nec minor cum uxoribus eorum, quam cum viris pugna: & perinde ſpecioſa mors earum quam pugna fuit. De his, Marius poſtmodum triumphum egit, eoque peracto, Romæ in via Præneſtina, ad Exquilinam portam ducente, in loco illo, ubi jam D. Euſebii, & Juliani templa exſtant, trophæum erexit, ſuſpenſis ad id ſpoliis Cimbricis, eorum denique inſtrumentis bellicis & clypeis. Hoc ipſum monumentum a Sylla disjectum, ac a Cajo Cæſare Dictatore inſtauratum memorat Suetonius. In hodiernum diem adhuc durat, & Cimbrum corrupte vocatur, quaſi Cimbricum trophæum.

Præterea de manubiis Cimbricis & Teutonicis, Marius victor, ædem Honori & Virtuti, veſte triumphali, calceis puniceis, ſtruxit, & dicavit, ut ex marmorea tabula Romæ in Exquilino inventa conſtat.

Marii autem collega Quintus Catulus, porticum de eorundem devictorum manubiis erexit, quam Clodius diruit: ut ex epiſtolis & orationibus Ciceronis colligitur.

Duravit bellum Cimbricum duodecim integros annos a C. Papyrii Carbonis Conſulis morte, ad Marii usque quintum Conſulatum, qui Cimbros prope Atheſin fluvium diſſipavit & penitus debellavit.

Etſi autem vires eorum, tanta in ipſos ſtrage edita, adeo fractæ, attritæque ſunt, ut robur vetus, & potentiam priſtinam deinde recuperare diu non potuerint; Conſtat tamen poſtea quoque multa præclara & eximia facinora ab iis eſſe patrata.

Qui enim Delphos Græciæ, Duce Brenno, diripuerunt, Cimbros fuiſſe teſtatur in Illyricis Appianus.

Nec obſtat, quod Gallos una voce & mente Scriptores eos nominent.

Gallos enim Gumeros, ſeu Cimbros olim dictos, Joſephus & Zonaras comprobant. Et Cimbros, quos Marius oppreſſit, Cicero plane Gallos vocat; cum tamen Hiſtorici omnes, Cimbros fuiſſe, conſtanter aſſeverent, loricaque Bolei Regis illorum, ad aquas Sextias, ubi Marius illos fudit, effoſſa, id doceat, peregrinis enim litteris inſcripta erat, Boleos Cimbros.

Hactenus in generalem quandam Synopſin, veterum Cimbrorum bella retulimus.

Nunc porro peculiari quadam narratione, præcipua fortitudinis Cimbricæ exempla, breviter attexemus.

Exempla Fortitudinis Cimbricæ

CIMBER itaque erat, & hujus populi Rex, Bœorix, qui, in expeditione Italica, cum paucis, exercitum Romanum adequitans, Marium Ducem provocabat, & tempus atque locum, quo de regione cum hoſtibus in dimicationem veniret, conſtituere jubebat. Marius cum diceret, nunquam Romanis in more fuiſſe, de prælio adeundo conſiliariis, hoſtibus uti: gratum tamen hoc Cimbris fecit, ut tertio die in planitiem apud Vercellas ad dimicandum deſcenderetur. Nam hic locus Romanis ad equitandum, Cimbrorum vero multitudini ad jactantiam ſuam idoneus erat. Servantes igitur indictum pugnæ diem, Romani in aciem copias ſtruxere.

Regis Bœricis.

Plutarchus in Vita Marii.

Cimbri Populi Silo

Cimber erat, Cimbrorumque in eadem expeditione Italica Dux Popilius Silo, cujus nomen magni roboris, magnæque fortitudinis apud hoſtes habebatur. Hic, caſtra, quæ Marius in edito colle muniverat, accedens, exclamavit: Si magnus Imperator es, Mari, deſcende, manuque conſere! Aſt Marius: Si tantus es Popili, quantum te facis, compelle me, invitus ut deſcendam. Attamen paucis poſt diebus, deſcendens, manus conſeruit, ac victor evaſit.

Francisc Patritiu Senenſi IX de R gno & R gis inſtit

Cimber erat, ſervus ille publicus, qui Minturnis C. Marium, ad quem necandum miſſus erat, inermem interficere noluit, quod, etſi Valerius Maximus interpretetur, metu, ab ipſo factum, quod vultu Marii, quem ſuſtinere non potuerit, territus ſit: Ego tamen ſentio, potius dedecori ſibi duxiſſe, armis deſtitutum, armis aggredi, cum id nefas eſſe Cimbri exiſtimarint.

Servi publici contra Marium conducti

Cimbri fuerunt & ex Angliæ parvæ peninſula oriundi, qui Britanniam invaſerunt, eique novum nomen impoſuerunt, ut autores ſunt, venerabilis Beda, Guilielmus Camdenus Anglus, Petrus Suffridus de origine Friſiorum lib. 2. cap. XI. & Annonius Monachus Benedictinus cap. 78.

Anglo-Saxonum, quibus addatur

Cimbri fuerunt, qui Auguſto Imperatori æneum lebetem plurima ſanctitate conſecratum obtulerunt, cumque eo fœdus percuſſerunt.

Cimbri jurati,

Cimbri, & quidem Germanorum vetuſtiſſimi fuerunt, qui Bojos, Illyricum atque Hiſpanos vicere, ut autor eſt Jacobus Wimphelingus in rerum Germanicar. epitome cap. 2.

Victores Bojorum,

Cimbri porro fuerunt & Nordalbingi, qui Wedekindo contra Carolum Magnum opem tulerunt, & junctis Saxonum copiis, ejus Legatos, Comitem Adelgiſium Camerarium & Geilonem Mariſcalcum, cum quatuor aliis Comitibus, viginti nobilibus, & aliquot hominum millibus proſtraverunt, interfecerunt.

Francorum

Cimbri fuerunt, & quidem Trans-Albini, ſeu Nordalbingi, qui Winzinum Regem Obotri-

Regis Obotritarum.

tritorum cum ad ſalutandum Carolum, Bardewici commorantem, proficiſceretur, & navi Albim trajiceret, in ipſo flumine occiderunt.

Nordalbingi. Cimbri fuerunt Nordalbingi, qui Caroli Legatos in Daniam ad Sigfridum Regem miſſos, partim morti tradiderunt, partim ceperunt: ac inter alios Godoſcalcum ejus legationis Principem, ut captivis redditis aut redemtis pacem obtinere, aut pecuniæ vim extorquere poſſent. Qua injuria Carolus irritatus, Traſiconem Ducem Obotritorum, cum exercitu, ad Nordalbingos domandos, in Saxoniam miſit, qui eorundem quatuor millia, primo congreſſu ad fluvium Swentinam, præter captos & abductos, proſtravit.

Cimber Albion. Cimber erat Albion Nordalbingorum Dux, qui cum Carolo Magno aliquot prælia commiſit; illique tandem reconciliatus eſt, & cum Witekindo Patruele baptizatus, retinens ſuas ditiones, excepto Hamburgo, quod, ad certum tempus ex pacto, majoris ſecuritatis gratia, Imperator ſibi ac ſuis vendicavit.

Expugnator arcis Slavorum. Cimbri fuerunt, qui propriis viribus, & ſine Comite, ut Helmoldus Presbyter ſcribit, Imperium alienum excuſſerunt, arcem Slavorum præcipuam expugnarunt, & terram eorundem in ſolitudinem converterunt.

Hoſtis Udonis. a. 1030. Cimber fuit nobilis ille, qui Udonem Wagriæ Dominum circa A. C. 1030. blaſphemum ac crudelem Chriſtiani nominis hoſtem, injuriam ac tyrannidem Chriſtianis latam vindicaturus & patriæ libertatem redditurus, gladio confodit.

Daſo. Cimber fuit nobilis ille Daſo, qui Zventopulcum Wagriæ Ducem, a quo fratrer Canutus per inſidias ſublatus putatur, in veteri urbe Lubeca interfecit.

Cimbri Wagriam expugnantes a. 1164. Cimbri & horum poſteri fuerunt, qui Wagriam bellicoſis Vandalis, Obotritisque ademerunt, & Adolpho II. Holſatiæ Comite bellorum Duce, Cimbriæ adjunxerunt. Qui Adolphus pugnans pro religione Chriſtiana ad oppidum Demminum in Pomerania cum multis nobilibus cæſus fuit, A. C. 1164.

Militantes contra infideles. a. 1192. Cimbri fuerunt, qui, cum ſuo Comite Adolpho III. Imperatorem Fridericum, bis in Aſiam armis contra infideles ſumtis ſecuti ſunt. Poſteriori vice Henricus Leo Brunſwicenſis, totum fere Comitatum antecedentem, abſenti adhuc Adolpho eripuit: quem rediens, & una civitatem Lubecam ſibi ſubjectam cum ſuis recuperavit, A. C. 1192.

Contra Henricum Leonem, Megapolit. a. 1195. Cimbri fuere, qui non procul a Lubeca prope Travenam Gualtherum Blanderſil, Ducem Henrici Leonis, proſtravere, & Jordanum Truckſeſſium, Comitemque Swerinenſem Helmoldum, cum aliis multis, captos, in arcem Segebergenſem deduxere: qui tandem lytro dato iterum ſunt incolumes dimiſſi.

Cimbri obſides. Cimbri & horum poſteri fuerunt, qui mira erga Dominum ſuum obſervantia & fidelitate pro Adolphi III. Comitis Holſatiæ, a Waldemaro Daniæ Rege capti, redemtione octo filios nobiles dederunt obſides, per integrum decennium, cupientes potius liberis ſuis tam diu carere, quam Dominum in cuſtodia diutius detineri.

Libertatis tenaces. Cimbri fuerunt nobiles illi, qui patriæ libertatis ac Juris aviti amantiſſimi, Daniæ Regis Waldemari II. præfectum, quem, devicto ac capto Adolpho III. Holſatiæ Comite, arci Segebergenſi Rex impoſuerat, totamque Holſatiam adminiſtrandam commiſerat, mira audacia adorti, quod is, abolito veteri Holſatico Jure, contra pacta & pollicita Holſatis facta, Danicas leges introducere & ſecundum illarum præſcripta controverſias dijudicare volebat, trucidarunt: & ſic incredibili fortitudine patrias leges aſſeruerunt, ac defenderunt. Hujus facti exemplo, etiamnum hodie Holſati, armis ſuis inſtructi, in judiciis comparere ſolent. Ex eo etiam tractum eſt proverbium, quo vulgato more dicitur: Holſatos, gladio ſuo, Jura tueri.

Cimber Split. Cimber fuit nobilis ille cognomento Split, qui Adolphi VI. Comitis Holſatiæ Segebergam tenentis, & nimiis exactionibus ſubditos exhaurientis, miniſtros, miſſos, ut per vim Spliti horreum invaderent, frumentum triturarent, ac in arcem portarent, pedibus truncavit, ſicque mutilatos & carro impoſitos ad Comitem remiſit.

Henricus Ferreus. Cimber fuit Henricus cognomento Ferreus, Comes Holſatiæ, qui indomito, ac in ſe irruenti Leoni, in Anglia coronam impoſuit, & minis territum ad ſua clauſtra deduxit.

Victores Bornhövedenſes. a. 1226. Cimbri fuerunt, qui A. C. 1226. die Mariæ Magdalenæ cum Adolpho IV. Holſatiæ Comite, Lubecenſium & vicinorum Principum auxiliis, adjuti, Waldemarum II. Regem Daniæ & Chriſtophorum filium ejus in planicie Bornhövede devicerunt, & Ottonem Ducem Brunſwicenſem Regis generum ceperunt.

Alfus & Aluides. Cimbrici ſanguinis fuit illud amantium par, Alfus & Aluides, & aliud amantium par, Hagbertus & Cygne, quorum prius amoris fructum feliciter cepit: poſterius vero morte amara conſignavit.

Saxo Gram. L. 7. Hiſt. Dan. Cranzius Chr Suec. L. 1. c. 46.

Chriſtoph. Itzehudæus a. 1331. Cimber fuit Chriſtophorus Itzehudæus, qui A. C. 1331. nocte ſequente feſtum D. Andreæ Apoſtoli, Chriſtophorum I. Daniæ Regem cepit, & Domino ſuo Gerhardo Holſatiæ Comiti Gottorpium deduxit.

Hartwicus Reventlowius. 1315. Cimber fuit Hartwicus Rewentlowius, qui Adolphum IV. Holſatiæ Comitem in propria arce Segeberga in lecto cubantem, cum puero confodit, quod filiæ ſuæ vitium obtuliſſet, & fratrem innocentem capite mulctaſſet, injuriarum inſolens.

Culinarius Ranzoviorum. Cimber fuit culinarius ille, puer fideliſſimus, qui, cum in arce Ranzoviorum Nienslag impenſis precibus ab hoſte obtinuerat, ut, quæ portare poſſet, ſecum auferret, colluſorem ſuum herilem filium Ranzovium humeris ſuſtulit, & ea ratione conſervavit.

Bokwoldius. Cimber fuit Bockwoldius, qui cum ex inſperato in prædio ſuo Borſtel inermis ab hoſte armato Bulovio, catenis aureis, aliisque ſuis

rebus ſpoliatus eſſet, fugientem in intima Saxonia cepit, captumque ſecum abduxit.

Walſtorpius. Cimber fuit Walſtorpius, qui, cum animadvertiſſet, ſe fruſtra cum Bockwaldio, de jure venandi coram Comite contendere, hoſtem ſuum ante aram, ſub ſacræ Synaxeos ſumtionem, confodiendo Diis conſecravit.

Nobiles mulieres. Cimbricum fuit illud pietatis opus, nobilium mulierum, quæ, cum cæſos a Dithmarſis maritos ſepelire prohiberentur, ſub Monialium habitu eosdem humarunt.

Pogwiſchia Matrona. Cimbrica fuit Pogwiſchia Matrona magnanima, quæ, cum Principem Holſatiæ ſuosque filios omnes octo, bello, cujus modo facta eſt mentio, ſuccubuiſſe marito ſuperſtite inaudiiſſet: Quid? inquit, num Principe noſtro, filiis & cognatis pro Patria interfectis, ſolus maritus eſt ſuperſtes? num patria ipſi non æque curæ fuit ac cæteris? abſit, hoc abſit! Non ego virum, non ego maritum agnoſco talem, nec unquam lateri ejus accumbam. Herili puero ſubjiciente, Vivit quidem Dominus, ſed graviter vulneratus, ibi ad ſe rediit fœmina, complicatisque manibus gratias Deo egit, quod ejusmodi peperiſſet liberos, talemque nacta eſſet maritum, qui pro patriæ ſalute, vitam profudiſſent ſuam.

Fuit hæc ſimilis Lacænæ illi, quam ſcribit Cicero lib. I. Tuſc. quæſt. Cum filium in prælium miſiſſet & interfectum audiſſet: Idcirco, dixiſſe, genueram, ut eſſet, qui pro patria mortem non dubitaret oppetere.

Hanc Pogwiſchiam vere ex Veteribus Cimbris prognatam eſſe, nemo dubitare poteſt: ſiquidem conſtat Cimbrorum mulieres, amicos ſuos & affinitate ſibi conjunctos, ſolitas fuiſſe interficere, quos videbant in bello turpi fuga ſalutem ſibi quærere. Id quod Plutarchus affirmat, ita ſcribens in vita Marii Conſulis: Nam mulieres, quæ ad currus nigro amictu ſtabant, fugientes neci tradebant. Quædam enim viros, quædam fratres, quædam Parentes & filios infantes manibus ſuffocantes ſub currus ac jumentorum pedes dejiciebant, ſe ipſas autem gladiis jugulabant. Unam ferunt e ſummo temone ſuſpenſam pueros, laqueo talis ſuis alligatos, appendiſſe:

Viros autem arborum penuria, alios cornibus, alios cruribus boum injecto fune, collo ab Uxoribus alligatos, eosque ſic ſtimulo, quem manu ferebant, actis bobus tractos expiraſſe.

Anna Breidana. Cimbrica fuit Anna Breidana, D. Ottonis Ranzovii Equitis aurati conjux, quæ tantæ fuit pietatis in filios, ut etiam ardenti rogo impoſita, hoſtibus, arcem Bülcke ſuperantibus, locum monſtrare noluerit, quo liberos, metu impendentis violentiæ, abſcondiſſet.

Nicolaus Pruske. a. 1367. Cimber erat Nicolaus Pruske, qui A. C. 1367. Lubecæ in æde D. Mariæ, Conſulem Bernardum Oldenburg propter quasdam litteras adverſus ſe ſcriptas confodit: ſed calcaribus per turbam accurrentem impeditus, ne equum conſcendere poſſet, captus, & decollatus eſt.

Jam eſt Danica familia, quondam Holſatica: Fuit enim ab Adolpho Comite ejecta.

Gadendorpii. a. 138. Cimbri fuerunt Dethlevus & Godeſcalcus Gadendorpii, qui controverſias cum Lubecenſibus habentes, amicitia illis renunciata, Capitaneum eorum Heinonem Scherflenberg, in aperto campo, interfecere: & deinde etiam Præfectum oppidi Molenſis, aliosque quamplurimos, qui inimici eorum fuerant, fortiter proſtravere: deque illa Lubecenſium hoſtium ſuorum urbe invadenda ac diripienda conſilia cum nonnullis confœderatis, inter quos aliqui Cives Lubecenſes erant, qui clam ipſi & Comitibus ſuis, portam aperire volebant, iniere.

Cimbri ſignantes contra Lubecenſes. Cimbri fuerunt, qui mortuo Rege Daniæ Friderico I. Chriſtiano III. ejus filio, nondum neque in Ducem Holſatiæ, neque in Regem Daniæ electo, Lubecenſes, ab obſidione Segebergenſi depulerunt, inter Oitinum eorum exercitus fuderunt, Travemundam & naves aliquas incenderunt, caſtellum ibidem erexerunt, Lubecam ipſam obſidione cinxerunt, tantumque effecerunt, ut duo ejus urbis Conſules ſeditioſi, & hujus belli faces, ſint rotæ ſupplicio adfecti; Marcus Mejerus in Dania & Wollenweberus in arce Wolffenbüttelio. Ad hanc expeditionem omnes Cimbriæ Ducatuum ſtatus, viceſimam partem bonorum ſuorum, tam mobilium, quam immobilium, neceſſitate ſic urgente, ſua ſponte contulerunt.

Et Dithmarſos. Cimbri fuerunt, qui aliquoties in Dithmarſia, cum Comitibus, Ducibus, ac Regibus ſuis, fortiter pugnantes periere. Quorum Catalogum Annales continent.

Joh. Pogwiſch. Cimber fuit Joannes Pogwiſchius, qui cum in hoſtem Jacobum Ranzovium vindictam coqueret, eundem in urbe Lubeca cepit, & ſalvus cum equis tribus ad id comparatis diſceſſit.

Jacobus Ranzovius a. 1559. Cimber fuit Jacobus Ranzovius, qui hoſtem inermem proximo Dithmarſico bello A. C. „1559. captum occidere noluit, dicens: Cim„bricum eſt, hoſtes amatos, non inermes ag„gredi.

Mulieres Cimbricæ. Cimbricæ virtutis priſcæ veſtigia eodem in bello vidimus, cum mulieres nonnullæ, armis indutæ, virisque immiſtæ, ſupra quam animus fœmineus ferret, pro ſtationibus præliarentur, unaque fœminarum milites duos, unum poſt alterum cultro confoderet.

Johannes Ranzovius. Cimber fuit Joannes Ranzovius, Dux belli Dithmarſici ſupremus, qui, cum Dithmarſo„rum quingentos interemti olim fratris mani„bus litare poſſet, humaniore animi decreto, „incolumes, vivosque conſervare maluit, hu„manum ſe belli Ducem glorians, non car„nificem.

Hæc & ſimilia avitæ priſcæque Cimbrorum virtutis exempla, in plurimis Holſatiæ nobilibus, hodie quoque conſpiciuntur, quibus commemorandis, ob prolixitatem voluminis nimiam, hoc loco ſuperſedeo, & aliis inveſtiganda ac decantanda illa relinquo.

Finis libri tertii.

LIBER

LIBER QUARTUS
DE
FAMOSIS QUIBUSDAM CIMBRIÆ HEROIBUS, UTPOTE EPISCOPIS RELIGIOSIS, ET MILITIÆ DUCIBUS: EORUNDEMQUE EXIMIIS FACTIS, PRIMUM PROSA, DEINDE VERSIBUS EX PARTE COMPREHENSIS.

Lib. IV.

Recenſus Heroum Cimbrorum & illuſtrium Virorum.

IN primo & ſecundo libris Cimbriæ, ejusdemque Inſularum, urbium & fluminum deſcriptionem continuavimus: in tertio Veterum Cimbrorum Originem, & res præclare geſtas comprehendimus. In hoc vero, a reliquis ſegregato libello, primum nonnullorum heroum ac illuſtrium virorum ex eadem gente Cimbrica ejusque poſteritate oriundorum (quorum alii in rebus *ſacris*, alii in *Politicis* ac *militaribus* excelluerunt, æternumque ſibi decus comparârunt) Nomina, ac res præclare geſtas, (quantum ejus ex Hiſtoriis cognoſcere licet) paucis perſtringemus. Deinde nonnullorum egregia facta, partim a nobis, partim ab aliis, ligato ſermone contexta, proponemus: cum ut æquo lectori nauſeæ moleſtiam ſuperioribus legendis obortam inhibeamus: tum ut gratum erga patriam animum magis declaremus. Quod ſi aſſequar, erit, quod gaudeam, quodque ad plura tentanda me exacuat.

HEROES RELIGIOSI.
ERIDAGUS a MEIENDORF.

Heroes Religioſ. Meiendorffius Epiſcopus.

ERIDAGUS a Meiendorff, Advocatus, vel Vicarius Imp. Caroli Magni (quem nonnulli primum Hamburgenſem Epiſcopum fuiſſe exiſtimant) in Trans-Albinis regionibus, penes quem cognoſcendi controverſias Forenſes, & judicia exercendi poteſtas fuit: Interfectus ab Henetis Eccleſiam Hamburgenſem vaſtantibus; vel, ſecundum alios, ob recens plantatam jamque exuſtam Eccleſiam mœrore animi confectus, obiit. A. C. 813.

ADELGERIUS a MEIENDORF.

Adelgerius Archiepiſcopus.

ADelgerius, alias Adeldagus a Meiendorf, nobilis Cimber, ex Canonico Hildesheimenſi, factus eſt Conſiliarius, ac poſtea Cancellarius Ottonis I. Imperatoris, totiusque Imperii, propter ſingularem eruditionem & prudentiam. Defuncto vero Unnone, ab eodem Imp. in Archi-Epiſcopum Hamburgenſem inveſtitus eſt A. C. 936. In Daniam religionis Chriſtianæ propagandæ cauſſa cum Imp. profectus, Gunhildam Reginam, & filium parvulum Zvenonem juſſu Regis Haraldi baptizavit, eſtque filius a Compatre Zvenotto nominatus A. C. 949. In Gente Heneta devicta ab Imperatore Ottone Evangelion JESU CHRISTI docuit, & Apoſtolus eorundem nominatus eſt. Synodo, in qua Joannes XII. ob ſceleratam vitam Pontificatu motus eſt, interfuit. Domum reverſus A. C. 966. Benedictum V. P. P. ex mandato Imperatoris Ottonis ſecum duxit, qui, Hamburgi, ab eo ſuſtentatus eſt ſumma liberalitate, quoad vixit, ibique mortuus & ſepultus.

Heslingenſe monaſterium in honorem S. Viti fundavit. Xenodochium Bremenſe annuis reditibus & pauperum, hoſpitumque numero auxit. Eſtringæ, in Friſia, Conventus Canonicorum in honorem S. Mauritii auctor fuit. Obiit Antiſtes Ottoni I. Ottoni II. & Ottoni III. Imperatoribus cariſſimus, cum 52. annos Archi-Epiſcopatui Hamburgenſi præfuiſſet, A. C. 988. ſepultus Bremæ.

SVIDIGERUS a MEIENDORF.

Svidgerus a Meiendorf. Cancellarius, Epiſcopus & tandem Pontifex, ſub nomine Clementis II.

SVidigerus a Meiendorff, nobilis Cimber, vir eximia doctrina, ſapientia & virtute præditus, Henrici II. Imperatoris Cancellarius, A. C. 1042. conſtitutus Epiſcopus Bambergenſis ab Henrico III. Imperatore, qui poſtea ipſum remotis tribus, Benedicto IX. Gregorio VI. & Sylveſtro III. ſummo Pontificatui & Eccleſiæ Romanæ præfecit A. C. 1047. & eum Sutrii in Synodo eligi curavit. Appellatus eſt Clemens II. Obiit A. C. 1048. cum ſediſſet Romæ menſes novem ſaltem non ſine ſuſpicione porrecti veneni. Revectus honorifica pompa funebri in Germaniam, Bambergæ in ſummæ Baſilicæ principali choro ſepultus fuit.

ADALWARDUS a MEIENDORF.

Aldewardus Meiendorf.

ADalwardus a Meiendorff, Epiſcopus fuit Verdenſis XIV. electus ab Henrico Aucupe Imperatore.

Hæc familia Meiendorffia, antiquitus partim in Holſatia, partim in altero littore Albis fluvii, e regione Ducatus Holſatiæ habitavit: Eridagus enim, Ludolphus & Edo, vel, ut alii ipſum vocant, Udo Meiendorffii Judices & Aſſeſſores Judicii Imperialis in Inclyta Hamburga fuerunt. Cum vero Nordmanni vel Dani incurſiones in Saxoniam crebras facerent, & Hungari quoque, gens fera indomitaque, Bremam

mam usque procederent, omnia vastarent, nec parcerent templis sacerdotibusque. Sed his interemtis, illis vero spoliatis, solo ædificia æquarunt: multi illic habitantes nobiles tutiora loca quæsiverunt, & solum mutantes, in Orientalem Saxoniam concesserunt A. C. 913. Ut verosimile sit, his etiam Meiendorffios ut & Ranzovios interfuisse.

Alii Meiendorfii. Præter hactenus enumeratos Pontificem & Episcopos, habuit hæc familia multos Canonicos in diversis Episcopatibus, ac præterea seculares viros nonnullos strenuissimos, & fortissimos, inter quos maxime excelluerunt Edo & Fridericus Meiendorffii.

Edo occubuit cum Brunone & Tanquardo Ducibus Saxoniæ in prælio contra Danos gesto A. C. 876. vel secundum alios 880. sepultus, cum reliquis Ducibus, Episcopis, Comitibus & nobilibus, Ebbestorpii in Lüneburgensi Ducatu.

Fridericus a Meiendorff captus, a Danis incursionem in Hadelariam facientibus & Stadam vastantibus A. C. 988. sed liberatus cum sociis suis nobilibus, Eridago ab Arnim, Viricone ab Assenburgo, Edone a Schulenburgo, a Bennone, Duce Saxoniæ & Luneburgi, qui Danos fudit.

NICOLAUS WOLFFIUS.

Wolffii. NIcolaus Wolffius, nobilis Cimber, electus in XXVII^mum^ Episcopum Sleswicensem A. C. 1429. præfuit Episcopatui annos 52.

ARNOLDUS WOLFFIUS.

ARnoldus Wolffius, Abbas Corbeijensis Cæsareus electus est, A. C. 1374. qui, cum Abbatiæ annos 26. præfuisset, obiit A. C. 1400.

VOLRADUS a DORN.

Volrad a Dorn. VOlradus a Dorn, cujus familia jam ante multos annos emortua est, nobilis Cimber, fuit XV. Episcopus Ratzeburgensis.

HENRICUS WITTORPIUS.

Wittorpius. HEnricus Wittorpius, nobilis Cimber, Episcopus fuit XVIII. Ratzeburgensis.

HELDERICUS de WISCH.

de Wisch. HEldericus de Wisch Nobil. Cimber, Episcopus fuit 30. Slewicensis, electus A. C. 1477. præfuit Episcopatui ann. XVI.

DETLEVUS de WISCH.

DEtlevus de Wisch electus A. C. 1499. in Episcopum Sleswicensem 40. præfuit Episcopatui annos 18.

GODSCALCVS ab ALEFELD.

Ablefeld. GOdscalcus ab Alefeld, nobilis Cimber, Episcopus Sleswicensis fuit XLI. & Regum Daniæ Consiliarius mortuus A. C. 1541. die 25. Januarii cum præfuisset Episcopatui annos 24.

ALBERTUS KRUMMENDICK.

ALbertus Krummendick, nobilis Cimber, & Eques auratus, Episcopus Lubecensis 23. electus fuit A. C. 1466. & annos 25. Episcopatui præfuit: Fuit insigniter doctus, facundus, & superbus: ac Consiliarius Christierni I. trium regnorum Borealium Regis, cujus nomine, diversas etiam legationes obiit, cum eodem etiam Romam profectus. Adfuit plerumque conventibus Imperii; Eumque Cardinalitiam dignitatem tam vehementer expetivisse perhibent, ut propterea non solum bona Episcopalia; sed etiam patrimonium suum ac suorum, quod erat satis amplum, consumserit. Paravit vivus sibi sepulchrum in medio templi Cathedralis, ara superinstructa, quæ postea per Eberhardum ab Holle, Episcopum, in chorum translata est. Ingentem crucem cum Salvatoris, Mariæ, & Johannis imaginibus, supra sepulchrum in splendido arcu triumphali constitui fecit, ante quam ipse, juxta modum staturæ suæ, e ligno sculptus, totus conspicitur, Episcopali habitu ornatus, & insignia suæ gentis præ se ferens. Hæc sepultura deaurata dicitur constitisse ter mille florenis Rhenensibus. *Alb. Krummendick.*

Mortuus, magna pompa funebri, toto ordine Ecclesiastico urbis Lubecensis præsente, nec non tota Holsatica nobilitate conditus est, A. C. 1489.

DETHLEVUS REVENTLOVIUS.

DEtlevus Reventlovius, nobilis Cimber, Theologiæ Doctor, Episcopus fuit Lubecensis 29. electus A. C. 1535. Præpositus insuper Reinbeccensis, Canonicus Hamburgensis, & Sleswicensis, & Friderici I. Regis Daniæ Cancellarius: Cum bellum Lubecensibus motum esset contra Christianum III. Friderici filium: & monasterium, cujus præpositus erat, ab hostibus incenderetur, animi mœrore extinctus fuit A. C. 1536. *Detlev ventlov*

BALTHASARUS RANZOVIUS.


BAlthasarus Ranzovius, nobilis Cimber, 30. fuit Episcopus Lubecensis, electus A. C. 1536. idemque Præpositus Sleswicensis, nec non Christiani III. Regis Daniæ Consiliarius. In prædio quodam suo, cum solus esset cum puero, captus, a nobili Martino a Waldensels, hoste Regis, & abductus in Marchiam, in exilio ibi vitam finiit. Etsi autem & ipse fuerit istius opulentiæ, ut lytron, quod hostis petebat, *Balth. Ranzovius.*



Svidigeri,

Ex nobili Cimbrica Familia à Mejendorff oriundi, Henrici II. Imp. Cancellarii, deinde Episcopi Bambergensis et Pontificis Romani adscito nomine Clementis II. viva Effigies ex æneis tabulis Imaginum Pontificum Johan. Baptistæ de Cavalleriis.

Brühl sc. Lipsi.



tebat, persolvere potuisset, & cognati quoque ipsius, haud gravate, partim vi, partim nummis ipsum redimere conati sint: Lytron tamen pro se pendi noluit; veritus, ne hoc novo exemplo, privilegiis nobilium obesset, aliique præter morem, idem erga hostes suos tentando, argentum ab iis injuste exigerent. Sepultus est in templo Blutensi, vir insigniter doctus, cum per undecim annos Episcopatui summa cum laude præfuisset, A. C. 1547. ætatis 49.

Sequuntur Episcopi, qui ex Comitum ac Principum Holsaticorum familia fuerunt electi.

BRUNO COMES HOLSATIÆ.

Episcopi ex Comitum & Princ. pum Holsat. Familiæ plures.

BRuno, Adolphi IV. Holsatiæ Comitis frater ex Præposito Magdeburgensi electus fuit in Episcopum Olomucensem.

ERICUS COMES HOLSATIÆ.

ERicus, Adolphi VII filius, Comes Holsatiæ & Schowenburgensis, a Pontifice Romano Joanne XXII. contra Henricum Ducem Brunsvicensem & Luneburgensem electum a Clero summo A. C. 1334. Ecclesiæ Hildesheimensi oblatus, excommunicato Henrico, a civibus & nobilitate in urbem receptus, & plena gubernatione potitus fuit, quotidie etiam fere cum Henrici, castra quædam tenentis, militibus pugnavit, cæsis utrinque plurimis, per annos 14. obiit A. C. 1348.

GERHARDUS, ADOLPHI VII. FILIUS, COMES HOLSATIÆ.

GERHARDUS, Erici frater, Adolphi VII. filius, Comes Holsatiæ & Schowenburgensis, Episcopus fuit Mindensis. Ei fundationem arcis Petershagen nonnulli tribuunt. Rhodam arcem Ecclesiæ suæ adjecit. Decessit Mindæ, A. C. 1353.

GERHARDUS, ADOLPHI VIII. FILIUS COMES HOLSATIÆ.

GERHARDUS, ADOLPHI VIII. Filius, Comes Holsatiæ & Schowenburgensis, Episcopus fuit Mindensis ex Thesaurario electus. Hierosolymitanum iter suscepit, in quo mortuus est A. C. 1361.

HENRICUS, COMES HOLSATIÆ.

HEnricus, Comes Holsatiæ & Dynasta Stor-

de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.

mariæ, electus in Episcopum Osnabruggensem, fratre Gerhardo Duce Slesvicensi, ac Comite Holsatiæ mortuo, Episcopatum resignavit, ac Equitibus auratis nonnullis utpote Laurentio Hestenio, Erico Krummendick & Siwardo Sehstedten, in prælio apud vicum Brambstædium trucidatis, tutelam fratruelium, quam illi habuerunt, ipsemet suscepit: Tandem monasterium Bordesholm ingressus, vitam finiit, A. C. 1421. sepultus Itzehoæ.

FRIDERICUS, DUX HOLSATIÆ.

FRidericus, Dux Holsatiæ, Friderici I. Regis Daniæ filius, Episcopus fuit Hildesheimensis, Slesvicensis, Administrator & Coadjutor Bremensis, obiit Kilonii A. C. 1556. die 27. Octobr. Anno ætatis 25. Sepultus Slesvigæ in monumento Regio avito.

MAGNUS, DUX HOLSATIÆ.

MAgnus, Dux Holsatiæ, Christiani III. Regis Daniæ filius, Episcopus fuit Orpatensis in Livonia & electus in Præsulem Oeseliæ & Wick. Obiit A. C. 1580.

JOHANNES ADOLPHUS, DUX HOLSATIÆ.

JOhannes Adolphus, Dux Holsatiæ, Adolphi filius, electus Archi-Episcopus Bremensis A. C. 1585. & postulatus Episcopus Lubecensis 36. A. C. 1586.

ELISABETHA, COMITISSA HOLSATIÆ.

ELisabetha, filia Gerhardi III. Magni, Comitis Holsatiæ, desponsata primo Haguino Regi Norwegiæ, filio Magni Regis Sveciæ, his conditionibus, ut nisi sponsus Haquinus hanc legitime sibi consueto more in facie Ecclesiæ jungeret, tota nobilitas Svecica juramento Regi exemta esset, & Henricum fratrem sponsæ Comitem Holsatiæ eligeret; si autem Comites Holsatiæ Henricus & Nicolaus sororem Haquino non adducerent, Henricus Calmeria, quæ tum sub ditione ejus erat, cederet & 60. lib. auri Sveco daret. Sequenti itaque æstate Legato Regis Haquini, Hermanno a Witze, Equiti aurato, ut pronubo, nomine Regis juncta, in arce Plœna & Regio habitu induta, Reginaque nominata fuit. Cum vero circa festum Nativitatis Christi, sponsam hanc Haquino adducere vellent, appulsi sunt ventis in Daniam, ubi a Waldemaro III. Rege honorifice quidem excepti, verum detenti, donec filiam suam Margaretham Haquino matrimonio junxisset. Itaque Elisabetha a sponso præter voluntatem deserta, in Suecia, Monasterium

S. Brigittæ ingressa, A. C. 1362. Abbatissa ibidem facta est.

CATHARINA, COMITISSA HOLSATIÆ.

CAtharina, Comitissa Holsatiæ, Gerhardi VI. posthumi Ducis Slesvicensis & Comitis Holsatiæ filia, jussu & monitis patrui Adolphi VIII. in monasterium Pretzense sese contulit, & ibi sacris operata diem suum clausit: cujus tota effigies ligno incisa & auro ac coloribus obducta, ibidem exstat: quam etiamnum Moniales spectatoribus monstrare solent.

Canonici & Abbates ex Nobilium familiis.

Ex nobilium præterea familiis, plurimi Canonici fuere, atque etiamnum sunt in diversis Episcopatibus & collegiis. Nonnulli etiam vitam Monasticam amplexi olim, & insignes ibidem honores adepti sunt. Nam Eggardus de Wensin in celebri monasterio Reinfeldensi, cujus Abbates, Principibus dignitate & privilegiis, olim pares fuere habiti. Abbas fuit 17. & vixit circa A. C. 1356.

Sic ejusdem Cœnobii Abbatem egit 19. Hartwicus Reventlovius, qui vixit circa A. C. 1380. pietatis nomine admodum ab omnibus tam superioris quam inferioris status hominibus commendatus & amatus: Cujus singularis sanctimoniæ, quam apud omnes de se excitaverat, opinione adducti Comites Holsatiæ, quadragesimale plerumque tempus apud illum agere & sacris operam dare consueverunt. Donavit prædia sua monasterio, quæ tamen hæredes ipso defuncto pretio & precibus redemerunt.

Et Abbatissæ.

Plurimæ quoque nobiles virgines, ut olim, ita hodie etiam, castitate DEO consecrata, precibus studentes, in Monasterio Itzehoensi, Pretzensi, Slesvicensi & Utersensi vivunt, quarum nomina hic recensere nimis prolixum foret, ac tædiosum. Illud saltem hic præterire non possum, CATHARINAM RANZOVIAM, Joannis Ranzovii Equitis aurati sororem, per 20. annos Abbatissæ munus, in Cœnobio Itzehoensi sustinuisse, quæ, cum vixisset annos 81. mortua fuit A. C. 1564. d. 23. Januar. ibidem cum epitaphio splendido, ab Henrico Ranzovio, Johannis Equitis aurati filio, erecto sepulta.

Ejusdem Cœnobii hodie Abbatissa est, Catharina Ahlefeldia, illius Ahlefeldii, qui prædium Freienwillen possedit, filia: virgo pietate & prudentia singulari a DEO ornata.

Heroes Cimbrorum horumque posterorum seculares & bellicosi.

Heroes Cimbrorum Bellicosi.

BOLUS CIMBRORUM REX.

Rex Bolus.

BOLUS, Cimbrorum in expeditione Italica Rex: præfuit celebri illi expeditioni Cimbrorum, & Aurelium Scaurum Consulis Rom. Legatum dissvadentem, ne in Italiam pergeret, manu propria interemit. Interfectus est, ut ego sentio, ad Aquas Sextias, ubi lorica ejus inventa & effossa est, cum hac inscriptione BOLEOS CIMBROS, quod magnum est argumentum ibidem eum periisse.

BOEORIX, CIMBRORUM REX.

Bœorix.

BŒorix Cimbrorum Rex fuit, de quo nihil aliud historiis redditum est, quam quod in expeditione Italica, paucis comitatus, exercitum Romanorum adequitaverit, Marium Consulem ad certamen provocaverit, & tempus ac locum, quo de rerum summa dimicaretur, indicere jussit.

SWARTINGUS, SAXONUM DUX.

Schwartgus Sax.

SWartingus Saxonum Princeps, & cujusdam partis Chersonesi Cimbricæ Dominus, ad convivium Regem Daniæ Frothonem III. vocans triclinium incendit, & una cum ipso flammis consumtus est, vixit circa A.C. 76.

VORTIGERIUS.

Vortigeri Anglus.

VOrtigerius Anglo-Saxonum in expeditione Italica Dux fuit A. C. 447.

WIDEKINDUS.

Witekindus.

WIDEKINDUS Magnus, Rex Saxonum, cum Carolo Magno Imperatore annos 29 pugnavit, tandemque ad amplectendam Christianam religionem adducitur, non tam armis & adversa belli fortuna compulsus, quam lenitate & mansuetudine delinitus. Huic aliquoties Nord-Albingi seu Trans-Albini, opem contra Carolum M. tulerunt, & Winzinum Regem Obotritorum ad Carolum M. proficiscentem, & Legatos Caroli ad Sigfridum Regem Daniæ missos interfecerunt. Tandem Bardowici transactione facta, & obsidibus datis, & concessis Carolo nonnullis castellis ac urbibus, quas Episcopis attribuit, Attiniaco sacrum baptisma a S. Hildegrino, Episcopo Halberstadensi primo, accepit. Occisus in prælio a Geroldo Svevorum Duce A. C. 807. sepultus Engræ, indeque ab Henrico Aucupe Imperatore Paderbornam translatus est.

ALBION.

Albion.

ALbion, Dynasta Engeranus, Widekindi Patruelis, feliciter contra Carolum M. pugnavit, A. C. 772. & continuis octo sequentibus item A. C. 782. & duobus sequentibus, tandem per suos cum Carolo transegit Bardewici ac una cum Widekindo baptisatus fuit, & a Carolo M. Dux ad Albim & Dynasta Nordalbin-

albingorum confirmatus. Coactus autem fuit Carolo tradere Hamburgum, qui præfectum Utonem aut Ottonem cum præsidio ibi collocavit; Retinuerunt posteri Caroli hanc munitionem, donec finitus erat contractus cum Albione & invicem in Galliis dissidere cœperunt: Tum enim ad Duces Saxoniæ, Widekindi posteros, recidit.

HENRICUS AUCEPS IMPERATOR.

Henricus auceps. HEnricus Auceps, Imperator, & humilis, & magnus, Dux Saxoniæ IV. &c. Dominus Holsatiæ, Danos Holsatia pepulit, occupato Sleswico & Marchiam ibidem constituit, quæ post ipsius obitum a Danis in nihilum redacta est. Obiit A. C. 936.

OTTO I. IMPERATOR.

Otto I. Imp. OTto I. Imperator, Dominus Holsatiæ, cum Dani in Jutia Marchionem Sleswicensem, cum omnibus suis interfeciſſent A. C. 938. & Sleswicum occupassent, exercitu conscripto per Holsatiam in Jutiam transiit, omniaque vastavit. Hic retenta sibi posterisque suis superiore Saxonia inferiorem titulo Ducis: Holsatiam vero vel Nordalbingiam, titulo Comitis tradidit Hermanno Bilingio A.C. 961.

MAGNUS, DUX SAXONIÆ ELECTOR, COMES HOLSATIÆ, STORMARIÆ ET DITHMARSIÆ &c.

Magnus Dux Sax. MAgnus, Dux Saxoniæ Elector IV. Ortolphi filius, Comes Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsiæ, animo & virtute vere magnus Buthwen Obotritorum Regulum contra Cruconem Slavum, auxiliaribus copiis juvit. Henricum ejus fratrem restituit, ipseque in Slavos profectus, victoriam de illis reportavit clarissimam.

Lusatiam imperii nomine recuperavit; Cum in civili bello, quod Rodolphus Svevus in Henricum IV. Imp. movit, contra Imperatorem militaret, captum Imperator in Insubriam relegavit, deinde reductum perpetua captivitate retinuit, in qua mortuus est A. C. 1106.

LOTHARIUS SAXO IMPERATOR.

Lotharius Imp. LOtharius Saxo, Dominus Nord-Albingiæ. Ex Electore Saxoniæ Dominoque Lüneburgi & Comite Querfordensi, Supplinburgensi, & Arnsbergensi Imperator electus. Electoratum adeptus ac Dominus Lüneburgi factus est ab Henrico IV. Imperatore, cum Magnus, ultimus ex posteris Bilingii, exauctoratus & squaloribus carceris consumtus esset. Hac dignitate cum ipsum Henricus V. Imp. exuere, & in Hoierum Comitem Mansfeldensem eam transferre vellet, ad sylvam Guelphonis cum ipso congressus est, & prælio victor evadens, gradum sibi ad culmen Imperii fecit; quod accepit A. C. 1126. Leopoldo Austriæ Duci, & Carolo Flandriæ spem Regni accepit: Fridericum Svevum Coclitem & Conradum ejus fratrem affectantes imperium represit. Gerardi Geldrensis excusationem accepit: Magdeburgum metu seditionis liberavit, Monasterium seditiosam urbem cremavit; Noribergam, Spiram, Augustam, Ulmam, rebelles, ad imperata facienda coëgit: arcem Wurzeburgum diruit, in Halam Saxonicam exempla statuit. Cum Ulrico Bohemiæ Duce infeliciter pugnavit. In Rugianos movit: Polonos tributarios, Nordalbingos dicto obedientes fecit; Vandalos sede ad Albim pepulit: idolum ipsorum evertit, Pomeranos ad Christianam religionem adduxit, Fridericum Alsatiæ Ducem oppugnavit: Longobardos compescuit, Ligures, Hetruscos, Picenos, Umbros, in deditionem accepit, Innocentium II. P. P. armis restituit, Rudgerum Nordmannum cum pretio seditioso, P. P. Apulia & Calabria exterminavit; Saracenorum reliquias in Brutiis fugavit. In tanta admiratione virtutis & felicitatis apud exteros fuit, ut Calo Joannes Imperator Constantinopolitanus, & Bela II. Rex Hungariæ, munera ipsi miserint. Canuto Regi Daniæ donavit Obotritorum regionem. Magnum ab Imperatore insignia accipere coëgit; Reginaldum Normannum Bari & Apuliæ Principem creavit. Medicorum Arabum & Maurorum monumenta in linguam Latinam transferri curavit. Arcem Segebergam in Holsatia, & Vordam ad flumen Ostam, jam Archi-Episcopi Bremensis sedem, A. C. 1122. Urbes Chemnicium & Lothariam Cæsaris, ad Rhenum condidit; In reditu ex Italia peste correptus, inter Veronam ac Tridentum, in villa humili vitam reliquit mortalem A. C. 1127. sepultus in Cœnobio Lothariano.

GODFRIDUS HOLSATIÆ COMES.

Godfridus Comes Holst. GOdfridus ultimus ex prosapia Bilingorum, Comes Holsatiæ Stormariæ & Dithmarsiæ a Magno Duce Saxoniæ electus, Hamburgi sedem habuit: estque ab Henetis non procul inde trucidatus, cum agrestes suos, ab hostilibus impressionibus liberare vellet.

ADOLPHUS IV. COMES SCHOWENBURGICUS ET HOLSATIÆ SECUNDUS.

Adolphus IV. Comes Schauenb. ADolphus IV. Comes Schowenburgensis, & Holsatiæ II. Wagriam Obotritis adem-

de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.

tam Holsatiæ adjecit. Arcem Segebergam A. C. 1143. instauravit: Lubecam novam, veteri desolata & eversa a Razo Rugiano, condidit intra Travenam & Wakenissam. Oitinum arcem exstruxit. Militans Henrico Leoni contra infideles Obotritos, ad Deminum cum multis suis nobilibus occisus est, A. C. 1164. & sepultus Mindæ, cum in Holsatia nulla Ecclesia exstaret, digna ejus sepulchro.

ADOLPHUS V. COMES SCHOWENBURGICUS ET HOLSATIÆ TERTIUS.

Adolphus V.

ADOLPHVS V. Comes Schowenburgicus, & Holsatiæ, Stormariæ ac Wagriæ Comes tertius, Reinfeldense Cœnobium condidit, cum exercitum Philippi Archi-Episcopi Colonienses, deprædantem Saxoniam, auxiliis Henrici Leonis Electoris Saxonici & Ducis Bavariæ, cui militavit ad Haresfeldiam in Westphalia profligasset A. C. 1177. & multos captivos abduxisset, traductus est a Gunzelino Comite Sverinensi, apud Henricum Leonem, ac si captivos Duci tradere nollet: itaque Holsatia pulsus est ab eodem, & arx Segeberga occupata. Proscripto vero Duce Henrico, Holsatiam recepit, ejectis præsidiis hostis sui. Comitatum etiam Stadensem & Dithmarsiam occupavit. Deinde factus comes Friderici Barbarossæ, in terram sanctam A. C. 1189. Holsatiam rursus occupatam ab Henrico Leone, amittit, Lubecensibus se dedentibus. Verum reversus in Germaniam, auxilio Bernhardi Ducis Saxoniæ Electoris, & Ottonis Marchionis Brandenburgici Electoris, illius fratris, Lowenburgum captum a Leone, & præsidio munitum expugnavit, itaque in patriam terram reductus est. Palæstinam secundum cum Henrico VI. Imperatore A. C. 1197. ingressus, contra Saracenos feliciter pugnavit, multis eorum trucidatis. Canuto Daniæ Regi se oppossuit A. C. 1199. sed victus & in Daniam abductus, carceri fuit inclusus. Tandem resignato Jure suo in Holsatia Regi Daniæ Waldemaro II. & datis obsidibus nobilium quorundam filiis, per annos decem dimissus est, ac Schowenburgensem Comitatum tantum possedit. Obiit senex A. C. 1232.

ADOLPHUS VI. COMES SCHOWENBVRGENSIS ET QUARTUS HOLSATIÆ &c.

Adolphus VI.

ADolphus VI. Comes Schowenburgensis & quartus Holsatiæ, Stormariæ, Dithmarsiæ, & Wagriæ, Adolphi V. filius, Woldemarum II. Daniæ Regem, ex carcere Henrici Comitis Sverinensis liberatum, sub cujus Imperio Holsati premebantur, ad Bornhövede devicit, & pulsis Danis Holsatiam recepit A. C. 1226. sequenti vero, obsidentem Rendesburdum profligavit. Pace tandem cum Rege facta, Lubecam, verum irrito conatu, obsedit. In Livoniam profectus, gubernationem genero commendavit, & cum biennium feliciter contra Lithuanos pugnasset, domum reversus est A. C. 1238. Tandem ordinem Minorum Hamburgi assumsit, cum duobus nobilibus de Gikow, & in Presbyterum se consecrari passus, a Joanne II. Episcopo Lubecensi A. C. 1255. (al. 1244.) inde Religiosus est cognominatus. Obiit Kilonii A. C. 1261. ibi sepultus inter fratres minores, in Choro Monasterii, cujus ipse fundamenta jecit.

ERICUS DUX SLESWICENSIS.

Ericus Dux Slesv.

ERICVS Dux Slesvicensis, quem Christophorus Rex Daniæ Ducatu pellere conatus est, sed avunculorum Comitum Holsatiæ auxilio defensus, & Rex captus, ac Hamburgum cum uxore missus est, a Joanne avunculo Ducis Erici A. C. 1261. Obiit A. C. 1329.

JOANNES PRIMVS COMES SCHOWENBURGICUS ET HOLSATIÆ QUINTUS.

Johannes I. Comes Schauenb.

JOhannes I. Comes Schowenburgicus & Holsatiæ Quintus, cum Lubecæ Borchardum Bœth nobilem, quem propter scelera Holsatia pepulerat, insolentius sibi obviantem, in platea lata ad puteum interfeciisset, captus est instinctu civium a Senatu: Verum eodem connivente, per ministros suos elapsus, ex honesta custodia rediit in patriam terram. Hanc injuriam ulturus, exercitu conscripto territorium Lubecensium ferro flammaque vastavit, obiit A. C. 1266. sepultus Hamburgi in templo Cathedrali.

GERHARDVS III. COMES HOLSATIÆ.

GErhardus III. Magnus cognomento, ob res feliciter gestas, Holsatiæ Comes, juvenis operam litteris dedit. Ab Hartwico Reventlovio nobili, vidente ipsius ingenii acumen ac industriam, evectus ad gubernationem Holsatiæ, omnia strenue egit. Segebergam interfecto Adolpho occupavit A. C. 1315. Ericum I. Saxoniæ inferioris Ducem eo adegit, ut fororio Alberto aliquot prædia, propter iniquam divisionem cum ipso factam, traderet. Adolphum VIII. Comitem Schowenburgicum prælio victum cepit A. C. 1317. Dithmarsos auxilium ferentes Johanni Largo, Comiti Holsatiæ, auctori hujus belli, ex improviso, & latitantes in nemore, circa Bornhöwedam oppressit A. C. 1320. Christophorum Daniæ

Regem

Regem per Borcardum Itzehudæum nobilem cepit A. C. 1331. In Dithmarsos infeliciter movit A. C. 1322. Dum in strato suo cubaret, Randrusii in Jutia interfectus est a Nicolao Jepsen nobili, A. C. 1339. sepultus in Monasterio Itzehoensi.

HENRICUS FERREUS COMES HOLSATIÆ.

Henricus. III. Com. Holf.

HEnricus ferreus, Gerhardi III. filius, Comes Holsatiæ, Scaldinburgum expugnavit, 2000. Danorum cecidit, patris sui Gerhardi interfectorem Nicolaum Jepsenium crudeli mortis genere interfecit A. C. 1340. Accusatus a Lubecensibus & Hamburgensibus, quod grassatoribus conniveret, iisdem auxilio Magni Regis Sveciæ bellum intulit, eidem Regi contra Phynnos militavit, in quo itinere S. Brigittam consuluit. Eduardo Angliæ Regi contra Francos auxiliatus est A. C. 1346. ubi Johannem Regem Bohemiæ cepit, & annuum stipendium 400. Nablorum, vel Rosatorum apud Regem Anglum meruit. Ad hujus Principis conspectum, leo, cum ab invidis delatoribusque in Anglia laxaretur, ut ipsum dilaniaret, in summo diluculo territus est, ipsique pepercit, cum, ut quiesceret, canis, leonem alloqueretur. Postea ingressus cancellos, sertum de capite suo leoni imposuit, & ad Anglos ait: Si quis inter Vos nobilior me est, sertum hoc de capite ejus referat; rediens in Holsatiam ab Urbano V. P.P. vocatus est, & in Apuliam, ut exercitui præesset, missus. Sed in itinere ab Italis interfectus fuisset, nisi habitum mutasset, idque insidiis Tribuni, quem Pontifex habuit in Apulia, cui succedere debebat. Domum reversus Hummelsbutelos nobiles, quod grassatores alerent in arce, quam possidebant, auxilio fratris Nicolai & Joannis Largi in Wagria ac civitatum Holsatia ejecit. Nobiles seditiosos ad obedientiam revocavit A. C. 1349. Arcem Marquardi Westensehe occupavit, Lækensee & Woltorp demolitus est: Linow in Saxonia evertit. Cum Suecicos nobiles, post desertam ab Haquino sponsam, scripto moneret, ut præstiti Juramenti, ac pactorum memores essent, illi duos Episcopos, D. Carolum a Tusten, Archimarscalcum, D. Nicolaum Sturseu Dapiferum, & D. Ericum Carlsen Camerarium, Equites auratos, legatos ad ipsum miserunt, qui Regnum Sueciæ ei obtulerunt; verum senio confectus, gratias Proceribus Regni egit maximas: & ut hanc dignitatem in unum ex Alberti Ducis Megapolensis, affinis sui, liberis transferrent rogavit, quod factum est A. C. 1362. Obiit A. C. 1381. sepultus Itzehoeæ.

NICOLAUS COMES HOLSATIÆ.

Nicolaus Comes Holsat.

NIcolaus, Gerhardi III. filius, Comes Holsatiæ, gravia bella cum Danis gessit, fratris Henrici Ferrei auxilio, quo absente gubernationem suscepit, & arces ipsis in Fionia ereptas, tutatus est. Rusticos ad bellum instruxit & armavit. Brambergam, arcem in Fionia rebellem, obsidione cinxit. Flensburgensibus concessit, ut oppidum mœnibus cingerent. Waldemarum Daniæ Regem obsidentem Dorningam arcem fugavit, Dithmarsos in Holsatia grassantes, triginta Equitibus armatis, paucisque rusticis, ad Thypersloam superavit, & ablata spolia recepit, in qua velitatione cujusdam Dithmarsi robusti & longi, ipsum provocantis, caput medium dissecuit, effecitque, ne amplius Holsatiam infestarent. Alberto Duci Saxoniæ & Lüneburgi privigno suo, ex Wilstermarsia 1000. milites misit, quibus usus est in arce Harburga occupanda. In senectute sua gravi, totum se DEO, religioni pietatique dedidit. Arnsbœkium monasterium (ut voverat) condidit A. C. 1398. translatis monialibus ex Cœnobiis Pretzensi & Itzehoensi, obiit. A. C. 1400.

GERHARDUS DUX SLESWICENSIS, PRIMUS.

Gerhardus V. Dux Slesvicenſis.

GErhardus V. Henrici Ferrei filius, Dux Sleswicensis primus, investitus, a Margaretha Regina Daniæ, ejusque filio, A. C. 1386. Comes Holsatiæ, Stormariæ, Wagriæ & Dithmarsiæ, mortuo patruo Nicolao, tertiam partem Holsatiæ ad novennium possidendam accepit. Alberto Rodenborch Canonico Lubecensi concessit, ut cœnobium Vestalium Arnsbœcense converteret in Carthusianum A. C. 1402. A Dithmarsis injuria lacessitus, cum Ericus III. eos ex insperato obruisset armis A. C. 1403. ipsis auxilio fratris Alberti bellum intulit, Meldorpium occupavit, districtum istum vastavit, spoliavitque, in Midelburgo munitionem ædificavit, & Hanrovium munivit, unde ut etiam e Tillenburgo & Svavestedio, hostibus maximum intulit damnum, ac velitationes plurimas commisit, iis utrinque, qui capiebantur, misere trucidatis. A fratris obitu, A. C. eodem, cum Dithmarsi per Lubecenses & Hamburgenses pacem ab ipso peterent, promissa ingenti pecuniæ summa, eam quidem pollicitus fuit; sed hac conditione, si tributarii ejus perpetuo esse velint, & in bellis contra quosvis hostes pugnare, quam cum suscipere nollent, magno exercitu conscripto terram eorum ingressus est, sed ab hostibus circumventus, cum duodecim equitibus auratis & 300. nobilibus cæsus fuit, die Oswaldi seu 5. Augusti A. C. 1404. sepultus in monasterio Itzehoensi.

ALBERTUS COMES HOLSATIÆ.

Albertus Com. Holſ.

ALBERTUS, Henrici Ferrei filius, Comes Holsatiæ, Stormariæ & Wagriæ, Frisios in Eiderstadia domuit, qui 16000. marcis ab ipso pacem redemerunt A. C. 1399. Nicolao Patruo defun-

defuncto cum fratre Gerhardo petente tertiam partem Comitatus Holsatiæ contendit, quæ lis per nobiles composita fuit. Cum socer ipsius Ericus III. Dux Saxoniæ inferioris in Lowenburgo, absente genero, per Holsatiam transiens, Dithmarsos invasisset, prædaque onustus domum rediisset, A. C. 1403. bellum exortum est, in quo Comes Albertus, cum per Nordhammiam transiens, spolia opima hostibus ademisset, in reditu, incitans calcaribus equum, ab eo cadente ita læsus fuit, ut paullo post exspirarit: sepultus Itzehoæ in monumento Majorum A. C. 1403.

HENRICUS DUX SLESWICENSIS COMES HOLSATIÆ.

Henricus Dux Slesv.

HEnricus, Gerhardi V. filius, natus A. C. 1397. Dux Slesvicensis, Comes Holsatiæ, Stormariæ, Wagriæ & Dithmarsiæ, cum ab Erico Rege Daniæ & Duce Pomeranorum peteret sibi reddi Ducatum Slesvicensem, iniquissimas conditiones a Rege propositas suscipere recusavit. Quare, auxilio Alberti Regis Sveciæ, Principis Megapolensis exulis, & aliorum Principum, Danorum Regi bellum intulit, & Femeram occupavit, relicto præsidio, quod tamen inde rursus ejectum fuit A. C. 1419. Deinde mortuo Patruo contra eundem Ericum Daniæ Regem exercitum 30000. peditum & 800. equitum duxit: Königsburgum obsedit: Haderslebiam 3000. marcis mulctavit, arcem Stubbe solo æquavit, Frensenborch dirruit, prædaque magna onustus domum rediit. Flensburgum obsedit, Ducatum Slesvicensem ereptum vi recuperaturus, cumque scalas arcem Flensburgensem oppugnaturus sepi admovisset, lancea a milite per sepem vulneratus occubuit A. C. 1427. sepultus Itzehoæ.

GERHARDUS VI. DUX SLESWICENSIS, ET COMES HOLSATIÆ.

Gerhardus VI. Dux Slesv.

GErhardus VI. Gerhardi Quinti filius, posthumus, Dux Slesvicensis & Comes Holsatiæ, cum Vitalianis (viris strenuis, qui propriis sumtibus Holsatiæ Principibus militarunt) stipendia meruit apud civitates, inferentes Erico Regi Daniæ bellum navale, & Hafniam obsidentes A. C. 1428. Mortuus in itinere, cum uxorem deducere vellet in patrium solum, Embricæ Clivorum A. C. 1433.

ADOLPHUS VIII. COMES HOLSATIÆ DUX SLESWICENSIS &c.

Adolphus VIII.

ADolphus VIII. Comes Holsatiæ, Dux Slesvicensis, Gerhardi V. filius: In aula Burggravii Norimbergensis vixit; inde revocatus in Holsatiam strenuam opem tulit fratri, in bellis contra Ericum Regem Daniæ gestis, illo defuncto ad Flensburgum hortatur auxiliares copias ad constantiam in persequendo hoste. Cum per triginta annos vario Marte, contra Ericum pugnatum esset, pro Ducatu Slesvicensi, tandem res transacta est A. C. 1435. Ducatum itaque Slesvicensem cum abalienatis bonis omnibus, ut feudum accepit, a Christophoro Rege Daniæ Duceque Bavariæ A. C. 1440. Postulatus a Proceribus Regni in Regem Daniæ, post obitum Christophori Regis dignitatem hanc ut transferrent in Christianum Comitem Oldenburgensem & Delmenhorstensem, nepotem suum e sorore, ab iisdem petiit, quod & obtinuit A. C. 1448. Obiit A. C. 1459. sepultus in monumento majorum Itzehoæ. Hoc defuncto Ducatus Slesvicensis, ut vacuum feudum, ad regnum Danicum recidit, præfuitque familia Schowenburgica Comitatui Holsatiæ annis 345.

DE FAMILIA STURIORUM.

Familia Sturiorum.

ISta familia Slesvicensis & Cimbrica fuit, dives admodum ac potens. Ante 500. annos, rebus fortiter gestis claruit, ac tres Sueciæ Gubernatores olim produxit, nimirum Stenonem I. Sueciæ Principem 140. Suantonem Sueciæ Principem 141. & Stenonem II. Sueciæ Principem 142.

Nobiles autem Sturenses, quos Cimbria habuit, ex eadem familia fuisse ortos, eo evidentissimum esse potest, quod cum ultima hujus stirpis mascula proles apud nos esset extincta, hæreditatem Sturenses Suecici, quorum adhuc nonnulli in vivis sunt, & Comites facti, expetiverunt.

A. C. 1188. ab Henrico Leone Duce Brunsvicense, post subactum Bardewicum & Lubecam occupatam, arx Segeberga obsessa, auxilio Eggonis Sturii ejusque Consanguineorum aliquot & consortium liberata est.

CHRISTIANUS I. REX DANIÆ.

Christianus I. Rex Daniæ.

CHristianus I. Theodorici, fortis Comitis Oldenburgici & Delmenhorstensis filius, ex Comite Oldenburgensi Adolphi ultimi Ducis Slesvicensis, & Comitis Holsatiæ avunculi sui opera, in Regem Daniæ, Norwegiæ & Sueciæ est electus, quo etiam mortuo Ducatum Slesvicensem & Holsatiensem adeptus, electione nobilium & hæredum pecunia placatorum consensu. Romam profectus est religionis ergo, & in itinere ab Imperatore Friderico III. impetravit, A. C. 1474. ut abolito titulo Comitatus, Holsatia, Stormaria & Wagria in Ducatum transformaretur. In Dithmarsos etiam ab Imperatore plenum Imperium accepit, quos tamen ad homagium præstandum cogere non potuit obiit A. D. 1482. d. 22. Maji ætatis 56. sepultus Rothschildiæ in Seelandia.

JOAN.

JOANNES, REX DANIÆ, NORWEGIÆ ET SVECIÆ.

Johannes. JOannes, Rex Daniæ, Norwegiæ & Sueciæ, Chriſtiani I. filius, natus eſt A. C. 1455. vivo adhuc Patre, qui regna ipſi teſtamento legarat, coronatus, A. C. 1478. Dithmarſis juramentum fidelitatis recuſantibus bellum intulit, A. C. 1500. & d. 13. Februar. Meldorpium expugnavit, interfectis omnibus civibus, poſt autem 17. die ejusdem menſis, ingenti clade a Dithmarſis victus, fuga cum fratre Friderico vix evaſit. Svecicos motus ſedavit A. C. 1501. Lubecenſibus, quod Suecis ſtuderent, bellum intulit, cujus turbæ ab A. C. 1503. usque ad A. C. 1512. durarunt. Mortuus Aalburgi in Jutia A. C. 1513. ætat. 58. ſepultus Ottoniæ.

FRIDERICUS I. REX DANIÆ.

Friderici I. FRIDERICUS I. pacificus & humanus, Chriſtiani I. filius, Rex Daniæ & Norwegiæ, Dux Sleſwicenſis, Holſatiæ, Stormariæ & Wagriæ, Chriſtianum II. (qui habuit conjugem ſororem Caroli V. Imperatoris Iſabellam) facto cum Danicis Proceribus & civitate Lubecenſi fœdere, e tribus regnis Septentrionalibus propter tyrannidem ejecit; & curam regnorum Daniæ & Norwegiæ ſuſcepit, urbes & arces occupavit, & Chriſtianum II. qui præter ipſius voluntatem & juſſum captus fuit, in cuſtodia aſſervavit. Tandem Gottorpii obiit, d. 3. April. A. C. 1533. cum vixiſſet annos 56. Sleſwici in templo Cathedrali ſepultus.

CHRISTIANUS III. REX DANIÆ.

Chriſtianus III. CHriſtiano III. Regi Daniæ & Norwegiæ, Duci Sleſwigæ, Holſatiæ &c. Mortuo Patre ſtatim a Lubecenſibus illi bellum illatum eſt, procurantibus id ſeditioſis nonnullis; ipſe viciſſim Lubecam obſedit. Ruſticos ſeditioſos in Jutia, per Joannem Ranzovium Equitem auratum, & Ericum Bannerum domuit: In Fionia Comites Tecklenburgenſes & Hoienſes per Joannem Ranzovium fudit: Hafniam obſedit & ad famem Saguntinam ac deditionem adegit & ſic tandem in Regem Daniæ coronatus eſt. Obiit A. C. 1559. Kalend. Januar. ſepultus Rothſchildiæ.

FRIDERICUS II. REX DANIÆ NORWEGIÆ.

Friderici II. FRIDERICUS II. Rex Daniæ, Norwegiæ & Dux Sleswigæ, Holſatiæ &c. cum patruis Joanne & Adolpho ducibus Holſatiæ &c. Dithmarſos vicit & ſubjugavit A. C. 1559. Quam expeditionem coronatio Regis ſtatim fuit ſubſecuta. Cum Svecis bellum ſeptennale, terra marique geſſit, quod interventu Cæſaris, Galliæ ac Poloniæ Regum & Principum quorundam Germaniæ Stetini compoſitum eſt A. C. 1570. In hoc bello præter cæteras multas urbes ac arces hoſtiles captas, Elsburgum quoque expugnavit, Helmſtadium obſidione liberavit, Warpurgum arcem recuperavit, Ducatum porro Sleſwicenſem & Inſulam Fimbriam, Patruis ſuis Joanni & Adolpho & fratri Joanni, Ducibus Holſatiæ, in feuda contulit. Oeſeliam inſulæ Livonienſis recepit. Auxilia urbi Dantiſcanæ, a Stephano Polonorum Rege obſeſſæ e ſuis regnis conceſſit. Arces plurimas & inter eas Coronæburgum, munitiſſimum ac elegantiſſimum ædificavit. Vias publicas aperuit & refecit. Cum Hamburgenſibus de juramento fidelitatis præſtando tractavit. Obiit A. C. 1588. d. 4. Aprilis Anderſchoviæ in Seelandia, ſepultus Rothſchildiæ in ſacello regio.

ADOLPHUS, DUX SLESWIGÆ ET HOLSATIÆ &c.

Adolphus Dux Sleſv. ADolphus, Sleswigæ & Holſatiæ Dux, Friderici I. Regis Daniæ filius, ſtipendia meruit in obſidione Metenſi, apud Carolum V. in cujus aula prius per ſeptennium vixerat. Dithmarſos cum fratre Joanne & patruele Rege ſubjugavit. Gothanæ obſidioni cum Electore Auguſto, nomine ordinum inferioris Saxoniæ, quorum ſupremus belli Dux erat, interfuit. Philippo Hiſpaniarum Regi, in Belgio militavit, adductis eo 2000. equitum. Mortuus eſt Gottorpii A. C. 1586. die 1. Octobr. ſepultus Sleſwici.

JOANNES RANZOVIUS Eques auratus, Henrici Producis Cimbrici Pater.

Joh. Ranzovius. JOANNES RANZOVIUS, nobilis, Cimber, Hieroſolymis decore balthei militaris inſignitus, A. C. 1517. tribus Daniæ Regibus ſummus bellorum Dux, ac intimis a conſiliis fuit: Regis inſuper Chriſtiani III. in Holſatia vices gerens: Lubecam A. C. 1534. obſidione cinxit, & aliquot copias Lubecenſium, prope Oitinum, profligavit, navibus eorum bellicis in flumine Travena captis. In Jutia ruſticos ſeditioſos domuit, navarchum Clementem, qui ſe pro Rege Daniæ ſeditioſe jactabat, corona plumbea dehoneſtatum, cepit, capitisque ſupplicio affecit; duabus obſidionibus Hafniæ interfuit & A. C. 1523. & A. C. 1536. præfuit, Severinum Norbium in Scania ſuperavit, & cepit, Comites aliquot in Fionia fudit: atque in his Joannem Comitem Hoienſem, & Nicolaum Tecklenburgenſem A. C. 1535. Inter Imperatorem Carolum V. ac Daniæ Regem Chriſtianum III. Spiræ, una cum ſociis legationis, pacem compoſuit, ac ſtabilivit. Tandem cum Daniæ Rege, Friderico II. nec non Holſatiæ Ducibus Joanne & Adolpho, in Dithmarſiam expeditionem ſuſcepit, ejusque belli Dux fuit. Senio confectus, obiit placide A. C. 1565. cum vixiſſet annos 73. Itzehoæ Sepultus.

DANIEL

DANIEL RANZOVIUS.

Dan. Ranzovius.

DAniel Ranzovius, nobilis Cimber, linguæ Latinæ, Gallicæ, Italicæ & Danicæ peritus. Juvenis sub Carolo V. Imp. militiam in Italia secutus. In expeditione Dithmarsica duarum cohortium ductor: Regis Friderici II. contra Suecos summus Dux, & primarius belli septennalis administrator designatus, multarum pugnarum acerrimarum, manu impari commissarum, felicissimus victor: cujus rei admirandum specimen, in campo Astorpheide exhibuit, viginti sex millibus hostium, per quatuor millia suorum prostratis ac fusis: Viarum in Svecia abstrusarum & antehac incognitarum investigator ac inventor. Multarum urbium, pagorum agrorumque hostilium depopulator & eversor. De Rege ac toto regno Daniæ optime meritus, tandem in obsidione arcis Warburgi, globo, ex tormento æneo explosо, & per caput ipsius adacto, ictus, cum magno Regis & exercitus sui luctu ac desiderio expiravit, mortem suam arcis deditione continuo subsequente A. C. 1569. ætatis 40. Sepultus in pago Westensehe & monumento plane regio a fratre Petro Ranzovio decoratus.

Præter enumeratos porro tam ex Comitum ac Principum quam nobilium familiis oriundos, rebus partim in Ecclesia, partim in Politiis præclare gestis celebres ac illustres Heroas; plebejus quidam Cimber Meinardus, frater Ordinis D. Augustini, in Monasterio Segebergensi cum mercatoribus nonnullis primum, & alia vice cum nobilibus quibusdam Cimbris, e Cimbrica Chersoneso in Livoniam immigravit (cujus incolas, quod supra quoque meminimus) docendo & concionando, armis quoque compellendo, ad Christianam fidem convertit, inde primus Livoniæ Episcopus factus. Ab hoc tertius Episcopus Albertus A. C. 1198. Rigam condidit, & nonnullos nobiles aliosque Cimbros ex hac Chersoneso secum in Livoniam transtulit.

Meinardus Cimber plebejus, Livoniæ Episcopus.

Migrationes Cimbrorum in Livoniam præcipue Meindorfiorum.

In quorum numero fuere duo Meindorffii DANIEL ac CUNRADUS, quibus, ab eodem Episcopo, duarum arcium feuda ibidem fuere collata, & cum infidelibus aliquot prælia exemplo antecessorum suorum, commissa.

Albertus Monachus Segebergensis.

Meminerunt Historiæ cujusdam Alberti Monachi Segebergensis, qui tantæ eruditionis fuerit, ut commentaria in vetus ac novum Testamentum scripserit. Hunc eundem fuisse Episcopum, cujus modo facta mentio est, ego certo affirmare non ausim.

Adolphus Comes Dassil.

Adolphus quoque, Comes Dassilensis, in Livonia cum cæteris militavit. Apud Episcopum autem cum nonnullis aliis Ecclesiasticis ac Militaribus viris, Bodo de Hamborch nobilis Cimber remansit.

Albertus Comes Holsat.

Sic etiam ALBERTUS, Comes Holsatiæ, Regi Daniæ Woldemaro aliquot nobiles militesque Holsatos submisit, ipsique militavit, cum is Livoniam universam Christianæ religionis sacra amplecti coëgit. Sub calcem hujus enumerationis illustrium virorum duos adhuc viros addam, qui Cimbriæ nostræ alumni, scriptis eruditis præclarum sibi nomen pepererunt, ALBERTUM CRANZIUM & JOHANNEM SAXONEM.

Duumviri Cimbriæ præclari.

ALBERTUS CRANZIUS,
DECANUS HAMBURGENSIS ET HISTORICUS CLARISSIMUS.

Alb. Cranzius.

ALbertus Cranzius, Hamburgensis, non quidem e nobilitate oriundus, scriptis tamen editis clarissimus; & magnæ autoritatis apud omnes summos pariter ac imos. Theologiæ ac Canonici Juris Doctor factus A. C. 1490. Capituli Hamburgensis primum Lector, post Decanus, & Ducatuum Holsatiæ Senator fuit, vir ut in sacris ac profanis litteris doctissimus, ita Historiarum peritissimus, cui Saxonia & vicinæ ad Septentrionem regiones debent, quicquid rerum a veteribus in illis oris gestarum scriptis proditum fuit. Obiit Anno Christi 1517. sepultus Hamburgi in æde Cathedrali, ad latus Chori Australe Epitaphio marmoreo a Successore collega ornatus, cum hac inscriptione:

A. D. 1517. in vigilia conceptionis beatæ virginis Matris, celebris & reverendus vir, dominus Albertus Crantz, Sacræ Theologiæ & Decretorum Doctor, Ecclesiæ Hamburgensis Canonicus, & lector facundissimus & olim Decanus, religiosæ pietatis morum & virtutum exemplar vivum, patriæque ob prudentem pro republ. in consiliis dexteritatem decus illustre, in Domino moritur, cœlestibus destinatus gaudiis: cui a posteritate, quod Vandaliæ & Saxoniæ, & regnorum Daniæ & Norwegiæ, Sveciæ origines & res gestas antiquitatum tenebris omnino obrutas una cum Metropoli Ecclesiastica, luci & posteritati restituit, merito nominis immortalitas debetur. Præsens itaque monumentum officii ergo, Prædecessori clarissimo Decanus F.F. Anno Domini 1569.

JOANNES SAXO HATTSTEDIUS.

Joh.

JOannes Saxo, Hattstedius Cimber, Ecclesiæ Cathedralis Hamburgensis Decanus, vir admodum doctus, qui aliquot opuscula edidit, ut in Orationes Ciceronis & de vita ejusdem commentaria aliaque nonnulla. Conscripsit etiam *Holsaticarum rerum Historiam*, quam tamen mutilam & imperfectam, nec adhuc editam reliquit: fuit Adolphi Ducis Holsatiæ, Friderici I. Regis Daniæ, filii, Consiliarius, Magister artium promotus, & in juventute Henrici Ranzovii, Producis Cimbrici Præceptor. Ceterum hic lectorem benevolum amice volo admonitum, Illustrium illorum heroum, quorum nomina & res gestas succincte hactenus recensui, catalogo non comprehensos esse illos tam Ecclesiastici, quam Politici ordinis

dinis Viros illustres, nobiles ac præclaros, qui tum per totam Jutiam, tum in quatuor illis Episcopatibus supra enumeratis, cum honore ac laude vixerunt: quorum ego ingentem numerum esse non dubito, ac fuisse partim legi, partim ex aliis accepi: Quos equidem hic, non volens lubensque aut ipsorum claritati invidens, omisi: sed quod eorum nomina, ac res gestas his in oris neque ex scriptis, neque aliunde, vere & exacte investigare potui. Magnopere autem rogo omnes, qui in istis locis Jutiæ, aut alibi degunt, ut (quod æquum & justum est) majorum suorum gloriæ ac nominis studiosi, si quæ illorum egregia facta litteris digna legerint ac sciverint, aut ex monumentis tabulisque vetustis eruere potuerint, quisque suo loco his, sua sponte addere velint. Nam (secundum Demosthenem) τὰ καὶ ζῆλόν τινα καὶ τιμὴν φέρει τῇ πόλει ῥηθέντα h. e. horum commemoratio patriæ imitationem & laudem affert.

EPIGRAMMATA de CIMBRIS.

Elogia de Cimbris.

Cimbria gens, animosa, potens, Mavortia, fida est
Audax, terribilis, libera, dura, vetus.
Cimbria gens ultrix, fortis, patiensque laborum est
Et vitæ & fortis prodiga laudis amans.
Observans fidei, constans, virtutis amatrix,
Regnandi cupida, & belligerandi avida.
Et facere atque pati fortissima quæque parata
Pro Patriaque citam promta subire necem.
Desine, Roma, tuos nimium jactare Camillos:
Protulit assimiles Cimbrica terra viros.

Valerii Maximi.

De Cimbris ex Valerio Maximo lib. 2. cap. 1.

Cimbrorum gloria Bellum.

CIMBRIS, decus bello mori, nefas thoro.
Gloria pugnanti est, fortiter occidere.

Cur dant militiæ pugnantes jubila Cimbri?
Gloria militiæ fortiter arte mori.
Afflicti morbis contra cur triste queruntur?
Laude nefas nulla mortis obire diem.
Bellica plus cordi Cimbris quam gloria pacis
Suave mori bellis, in thalamoque grave.

Johann. Lauterbachius.

LUCANUS.

Lucani.

Omnis in Arctois populus quicunque pruinis
Nascitur indomitus bellis & mortis amator
Felices errore suo, quos ille timorum
Maximus haud urget lethi metus &c.

Valerius Maximus lib. 2. cap. 3.

Valerii.

Cajus etiam Marius in profundum ultimarum miseriarum abjectus, ex ipso vitæ dis- *de Westphalen Monum. ined. Rer. Ger.*

crimine beneficio Majestatis emersit. Missus enim ad eum occidendum, in privata domo Minturnis clausum, servus publicus natione Cimber, & senem & inermem, & squalore obsitum, strictum gladium tenens, aggredi non sustinuit, sed claritate viri occæcatus, abjecto ferro attonitus inde, ac tremens fugit. Cimbrica nimirum calamitas oculos hominis perstrinxit, devictæque suæ gentis interitus animum comminuit, etiam Diis immortalibus indignum ratis, ab uno nationis ejus interfici Marium, quam totam ante deleverat.

EPIGRAMMA,

Præmissum Valerii Maximi locum, ex D. Henrici Ranzovii Producis Cimbrici sententia refutans, quo ille affirmat, stricto hunc gladio, Cajum Marium, ob conceptum ex Majestate ejus timorem, inermem interficere non sustinuisse.

CIMBRIS scelus, pugna inermes aggredi.

Epigramma in locum Valerii Jonæ ab Everfeld.

Edita Romanus de Cimbro scripta reliqui,
Cujus erant Italo, colla subacta jugo.
Hunc stricto Marium cum solus adiret inermem
Ferro mox timidas abstinuisse manus.
Ausonii seu quod Majestas terruit oris,
Seu tantum superi quod vetuere nefas.
Unius occumbat Marius si robore, pene
Obruta Cimbrorum quo fuit ante cohors.
Hæc ita Valerius: nostri celeberrimus ævi
Ranzovius, falsa voce relata putat.
Ac agit ambiguo natam sub judice litem,
Quod pudor huic, illi dicitur esse metus.
Cædere nam scelus est, hostem non arma tenentem;
Armatas poscit Cimbrica pugna manus.
Hoc fuit, hoc, Marii vindex licet arsit in hostem,
Ultus quod minus est ille cruore suos.
Scaurus qua cecidit clarusque Papirius ausis,
Indigna Æneadum gens ea cæde foret.
Quæque truces fudit Latios, Aquilasque minaces,
Fallor? an hæc Marii pectus inerme tremat.
Testis adest Equitis Virtus Ranzoa Johannis,
Hic in Dithmarsos cum tulit arma feros.
Et loca devictæ petiere palustria gentes
Vixque super properæ spes erat ulla fugæ.
Est satis adverso miles percussus ab hoste,
Cujus egens armis dextera torpet, ait.
Jussit & immanem socios cohibere furorem
Victaque clementi corpora texit ope.
I, nunc belligeros, Romane, redargue Cimbros
Atque metus falso crimine finge reos.

Jonas ab Elwerfeld.

Aliud de eodem.

Wippermanni.

Cajus in extremo positus discrimine mortis
Armatis Marius hostibus horror erat.
Nam cum Minturnis privata teneret inermem
Hostis ab incursu nec bene tuta domus.

Missus ad hanc Cimber cursu properavit anhelo
Ut Cajum stricto traderet ense neci.
Hunc vero Cajus, positis ita terruit armis,
Aspectu Marius squalidus atque senex.
Abjecto ut fugeret gladio pavidusque tremensque
Cæde nec auderet conscelerare manus.
Tam gravitas, virtus, Majestas atque verenda
In Cajo fuit, ut Maximus author ait.
Quin etiam monitus miseranda clade suorum,
Cimber non tantum est ausus adire virum.
Forsitan & superis res indignissima visa est,
Dextera si clarum perderet una virum.
Millia Cimbrorum qui tot male perdidit armis
Communis genti perniciesque fuit.
Has tu, Valeri, rationes invide ponis:
Nil reliquum Cimbris laudis ut esse queat.
Ast Marius Cimbri quod non tepefecerit ensem
Sanguine, me porro judice caussa fuit.
Quod cum quis validis armis invadit inermem,
Id Cimbri magnum dedecus esse putent.
Sponte manus igitur mandata a cæde retraxit
Cimber, non ullo corde pavente metu.
Semper enim Cimbris in pectore mascula virtus
Vindictæ studium, cædis amorque fuit.
Tristia sæpe quibus sunt ulti damna suorum
Nec solus, credo, degener iste fuit.

Georg. Wippermann.

Cimbria semper bellis dedita de se loquitur.

Laude peregrinis ut cognita gentibus essem
Marte nec indomito me prior ora foret.
Gens mea pugnaces bello confecit Iberos
Oenotriasque suo robore fregit opes.
Est Athesis testis, testis quoque Sequana, quorum
Sanguis adhuc gemino turbidus amne fluit.
Gallia cædis habet vestigia: grandibus albet
Ossibus Hetruriæ Macedonumque solum.
Julius atque suum Cæsar digressus in hostem
Tensa sub Albanis castra locasset agris.
Guiderio noster Regi se junxit alumnus
Et fuit auxilio Scotia juncta meo.
Regna Caledoniæ devictaque jugera terræ
Adde, quibus nomen Anglia nostra dedit.
Quid loquar? in patria ductos tellure triumphos
Factaque cum Danis prælia cumque Slavis.
Orbis at extremi scopulos quæ caussa domandi
Cimbris? regnandi gloria, Martis amor.

J. ab Elverfeld.

BOLUS,
CIMBRORUM IN EXPEDITIONE ITALICA REX, DE SE LOQUITUR.

De Rege Bolo.

Arva Palestinæ tendens ad inhospita terræ
Est robur populi Josua grande sui.
Cimbrica me validis belli gens præficit armis
Dum petit Euganii rura beata soli.
Jucundis residere locis amor unus utrique
Et patriam rigido quærere Marte novam.
Perque tot ingentes bellique viæque labores
Non semel est fuso parta cruore salus.
Ter denos ævo reges hic sternit ad Unum,
Ense manu Latios tres ego sterno patres.
Et late Hesperias armis occido cohortes,
Madrona qua tumidis & fluit Ister aquis.
Vicinasque Athesis ripas Arar ambit apricas,
Josua quid Cimbris si vocer ipse meis?
Mens eadem, non una tamen sors: robore tandem
Occido, promissos, occupat ille lares.

Jon. ab Elverf.

Contemptum non ferunt Cimbri.

Joh. Schlius de Cimbris contemptum non ferentibus.

Quod gens Cimbrorum contemptum ferre recusset
Ac illum ferro vindicet atque nece,
Quem fuit Ausonius Consul dignatus honore
Legati, Scauri proditur interitu.
Scilicet hic captus, Romano milite fuso,
Fortiter a Cimbris hos dedit ore sonos:
Italiam versus Cimbri transire per Alpes
Irrita res fuerit, proderit atque nihil.
Ausonios etenim tanta virtute sciatis,
Ut vinci nequeat quisquis & hostis erit.
His super accensus Bolus juvenisque feroxque
Rex illum ad Stygias vulnere misit aquas.

Joh. Schelius.

BEORIX, REX CIMBRORUM, C. MARIUM AD SINGULARE CERTAMEN PROVOCAT, CERTVMQUE DUELLI DIEM CONSTITUI POSTULAT.

Wippermanni de Beorice Marium provocante.

Cum sua Romulidæ miscerent arma virosque
Ac Cimbri populus, natus ad arma potens,
Cimbrorum Rex, ipse potens, animosus & acer
Cum sociis adiit castra inimica suis.
Vectus equo phaleris insigni nomine dictus
Beorix, pugna tractus amore citæ,
Romulidumque Ducem summum cum rite vocasset,
(Marius hic celebri nomine dictus erat)
Constitui pugnæ jussit tempusque locumque,
Quo possint apte conseruisse manus.
Marius insolitum populo respondit id esse
Romano, & plenum suspicione mala,
Consilium temere capiant ut ab hoste feroci,
Prælia quando sint, quoque ineunda loco?
Marius ipse tamen Regi nihilominus hosti
Præstitit obsequium, constituitque diem.
Tempus erit pugnæ solis lux tertia, dixit,
Proxima Vercellis planiciesque locus.
Namque exercitui locus hic erat aptus equestri
Romulidum, Cimbris nec minus aptus erat.
Quorum tunc major sævi Mavortis in armis
Copia, vincendi spes quoque major erat.
Ergo purpurei cum tertia solis adesset
Lux, acies struxit Marius ipse suas,

Inque

Inque locum dictum turmas produxit equestres
Cum Cimbris cupiens conseruisse manus.
Georg. Wippermann.

POPILIUS SILO DUX CIMBRORUM EUNDEM C. MARIUM AD MONOMACHIAM PROVOCANS.

Frobenii de Popilio Rege.

Ex lib. 9. Francisci Patricii Senensis de Regno & Regis institutione.

ITaliam postquam vastarent milite Cimbri
Romulidis præda, cædibus, igne graves:
Cimbrigenum Dux Popilius cognomine Silo
Se dignum patria præbuit ipse sua.
Quem reliqui colerent Cimbri dignissimus unus
Unde etiam adversis hostibus horror erat.
Hic Marium accedens qui castra in colle locarat,
Alta ad certamen voce poposcit eum.
Nam, descende Mari, & mecum fera prælia misce
Teque ait hoc magnum Marte doce esse virum.
Cui Marius: quin me cogas certare duello
Si modo digna tua pectora voce geris.
Popilius tamen haud longo post tempore victus
Victrices Marium sensit habere manus.
M. Georg Ludovicus Frobenius.

ALIUD. DE EODEM.

CUm fera tractaret Silo Popilius arma,
Adversus cives, Martia Roma, tuos.
Non modo robusti qui multum corpore possit
Sed quoque magnanimi nomen ab hoste tulit.
Roboris inde virum tenuit fiducia magna
Quam verbis ultro prodidit ipse suis.
Exclamavit enim: Si magnus es Induperator,
Mari, descendens confere rite manus.
Marius huic contra si tanto robore polles
Popili, quantum publica fama facit,
Ipsemet & quantum tribuis tibi semper in armis
Adductus cœco laudis amore tuæ.
Montibus invitum celsis descendere coge
Ut te robustum magnanimumque decet.
Post paucos, sed sponte dies descendit ad hostem
Felici eventu, conseruitque manus.
Georg. Wippermann.

SCHWARTINGUS SAXONUM REGULUS, ET CUJUSDAM CIMBRICÆ CHERSONESI PARTIS DOMINUS, DE SE LOQUITUR.

De Schwartingo Saxonum Regulo.

PLurima confeci victricibus agmina signis,
Oppida sunt nostra plurima capta manu.
de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.

Hinc ubi cum Dano me bella gerente Frotone
Saxonis exciderat robore terra suo.
Subdola nobiscum capientem fercula Regem
Tecta sub Augustæ duximus alta domus.
Mox rutilum thalamo supponere jussimus ignem,
Flamma duos tragicæ nos dedit una neci.
Ac ita quæ fuerat nullis reparabilis armis
Funere libertas est reparata meo.
Sic patriæ Decius profudit amore salutem,
Sic & Idumei gloria Simson agri.
Jon. ab Elverfeld.

Frothos Saxo Grammat. lib. 6.

WENSINUS REX OBOTRITORUM A NORD-ALBINGIS INTERFECTUS, DUM AD SALUTANDUM CAROLUM MAGNUM ALBIM TRAJICIT.

De Wensino Rege Obotritarum.

VIta quid est hominum variis subjecta periclis
Wensini Regis tristia fata docent.
Rexit Obotritos hic olim laude decenti
Atque fuit populi Rexque paterque sui.
Hunc populo Regem tristis sed casus ademit,
Exitio magnis qui solet esse viris.
Albim trajiciens Wensinus navibus aptis
Cerneret ut faciem, Carole Magne, tuam
Teque salutando sibi conciliaret amicum,
Trans-Albinorum venit in insidias.
Et captus liquit miserando in vulnere vitam,
Qui plures annos vivere dignus erat.
Hic, quibus insidiis quibus & subjecta procellis
Vita sit, in clara luce videre licet.
Georg. Wippermann.

GODESCALCUS CAROLI MAGNI AD SIGFRIDUM DANIÆ REGEM LEGATUS, A NORDALBINGIS OCCISUS.

De Godeschalco.

QUi proficiscuntur passim per regna, per urbes,
Legatis debet tuta patere via.
His tamen insidiæ persæpe struuntur iniquæ,
Ne liceat cœptam continuare viam.
Tristis & infelix nimium legatio nobis
Godscalci probat id, Carole magne, tui.
Hic cum Legatus Sigfridum vellet adire
Danorum qui tunc inclyta sceptra tulit
Captus ab Holsatis tepefecit sanguine ferrum
Heu! male cum sociis interiitque suis.
Caussa patet facti, nummos emungere Cæsar,
Carole, thesauris sic voluere tuis.
Aut arcere suis victricia Cæsaris arma
Finibus, & pacis sic retinere viam.
Jon. ab Elverfeld.

WEDEKINDUS, SAXONUM REX, SUB CUJUS PATROCI-

NIO CIMBRI NON NULLI ETIAM FUERUNT, DE SE LOQUITUR.

In Witekindum epigramma Ranzovii.

IMmani quoties flagrabant bella tumultu
Mos fuit acceptus gentibus ille meis,
Ut sibi Ductores procerum de stirpe crearent
Sic habuit Regem me quoque Saxo sibi.
Ethnica cum Magnus sacraria subdidit armis
Carolus, ut fœdam tolleret orbe luem:
Inde ter Arctoris denos cum gentibus annos
In caput invicti Cæsaris arma tuli.
Mactavi Christi gregem crudelibus ausis,
Acer & æterni nominis hostis eram.
Divini tandem conversum dogmate verbi
Baptismi voluit Carolus amne lavi.
A. C. 786. Atque novæ Christo factus conspersio massæ
Saxonici gessi nomina prima Ducis.
Lætaque justitiam regnare per oppida jussi
Et statui vero templa scholasque DEO.
A. C. 807. Vindelicis donec jungens fera prælia Rhætis
In patria cecidi Marte peremtus humo.
Condita sunt templis operoso membra sepulchro
Augustis, cineres jam Padeborna tenet.

H. R.

MAGNUS,

ORTOLPHI FILIUS, HERMANNI BILINGI ABNEPOS SAX. PRINCEPS, ET HOLSATIÆ NORDALBINGORUMQUE COMES.

Mortuus A. C. 1106.

In Magnum Holsatiæ Comitem.

NOmine dictus eram MAGNUS, quem rebus eundem
Dum voluit populis sors dedit esse meis.
Illicito tandem vitam mihi more trahenti
Henrici vinclis Cæsaris ira nocet.
Nulla virilis erat proles mihi post mea fata
Lothario rursus tradita sceptra mea.
Tam variis fortuna rotis mortalia versat
Turbet ut alta polo, tollat ut ima solo.

LOTHARIUS,

SAXONIÆ INFERIORIS PRINCEPS, QVI POSTEA IN IMPERATOREM ILLIUS NOMINIS II. CREATVS, ARCEM SEGEBERGAM, VNACVM MONASTERIO, PRIMITVS A FVNDO EXCITAVIT, DE SE LOQVITVR.

In Lotharium Imp.

QUalis eram divi cum fortia sceptra gerebam
Cæsaris, est hujus non labor iste loci.
Hoc loquor Henricus quod me de stirpe Baronum
Illustrem voluit Saxonis esse Ducem.
Cum Magnus, male commisso pro crimine Princeps
Vitæ finisset carcere fila suæ.
Legitimaque mihi quod cessit dote, Ducatus
Quem mea Brunonis nomine lingua vocat.
Adde quod Holsatæ coluisti jugera terræ
Me Duce, Schouvenburge Rector Adolphe domus.
Ultima Gottfridi Comitis post tempora. De me
Edita doctorum cætera scripta docent.

DELOTHARIO ARCIS SEGEBERGENSIS CONDITORE.

HAc olim victor Lotharius arce trophæum
Magnanimus posuit, prisca trophæa manent.
Indidit & nomen monti Segeberga voceris
Dixit dum gelidas advehit Albis aquas.

GODEFRIDUS,

VLTIMVS EX PROSAPIA BILINGORVM HOLSATIÆ COMES, NON PROCVL HAMBVRGO INTERFECTVS, DE SE LOQVITVR.

In Gotefridum ultimum Bilingorum Comitum.

IN Slavos validis Godfridus viribus ibam,
Ultima Bilingæ gloria, gentis honos.
Ipsa mihi vitæ testis mors: nam fera Slavi
Olim cum nostros vis popularet agros,
Obvius & lacrymans factus mihi rusticus esset
Atque petita foret caussa doloris, ait:
Omnia sunt direpta sunt mihi bona promtius ires,
Esset si nostro sors tua fixa loco.
Hic improvisos dum me calor egit in hostes
Hostilis nostro est tincta cruore manus.
Discite cura quibus regnorum credita: vobis
Sit propria populi vita salute prior.

ADOLPHUS III.

COMES SCHOVENBVRGICVS ET HOLSATIÆ PRIMVS.

In Adolphum III. Schauenb. A. C. 1114.

PAtria me clarum Schownburgica fovit alumnum,
Lotharius Cimbros munere Saxo dedit.
Quos Comes Augusto rexi moderamine pacis
Nec minus armorum quam studiosus eram,
Firmaque cum trucibus pangebam fœdera Slavis
Pace salus hominum, jurgia Marte vigent.
Bellica Lothario quondam sub Cæsare Magni
In caput Arctoi Regis ut arma tuli
Marchio me patriis Albertus depulit oris
Eœdere Lotharius quod mihi junctus erat.
Henricusque meas Badevidus cepit habenas *A. C. 1137.*
Restituit populis postea Saxo meis.

ADOL-

Adolph. IV.

ADOLPHUS IV. COMES SCHOWENBURGICVS ET HOLSATIÆ SECVNDVS.

FLebile defuncti Patris poſt funus Adolphi
Succeſſor Cimbris civica jura dedi.
Ad vaga Wagneſæ præruptaque littora Travæ
A. C. 1143. Holſato eſt a me ſtructa Lubeca ſolo.
Cum Duce Slavorum me prælia nulla gerente
Wagria finitimis eſt habitata locis.
Quæque ſacros dederat Vicelino Cæſar ad uſus
Noſtra ſunt large ſuppeditata manu.
A. C. 1164. Fudit Obotritus Deminam miles ad urbem
Me, Leo, militiæ dum ſequor arma tuæ.

Adolph. V.

ADOLPHUS V. COMES SCHOWENBURGENSIS, ET TERTIUS HOLSATIÆ.

PAce terant alii vitam, me Marte tonantem
Horruit Henricus, natus ad arma Leo.
Cujus in hoſtiles olim directa phalanges
Militiæ ductor, ſigna ſecutus eram.
Cum mea Techburgæ captivum dextra Simonem
Gunzelinus Comes Sverinenſis Duxit, & illuſtri laude tropæa tulit.
Hoc mihi quod ſoli cumulabam nomine λύτρον
Invida Gunzelii detulit ira Duci.
A. C. 1188. ſub Friderico primo. Utque ſacras gemino petii cum Cæſare terras
Et trucibus geſſi, bella ſecunda Scythis.
A. C. 1197. cum Henrico VI. GuelphicusHolſatas eſt bis Leo nactus habenas
Bisque dedit turpi, me duce, terga fugæ.
Volcmaro placidam colui cum Principe pacem
Canuti tentans milite ſceptra meo.
A. C. 1199. captus a Canuto Rege Daniæ. Poſtea fraterno ſopitis fœdere rixis
Militiæ pretium vincula dura tuli.
Obiit A. C. 1232. Sedibus atque fui a Dano dejectus avitis
Fallax in bellis exitus eſſe ſolet.

ADOLPHUS VI. SCHOWENBURGENSIS ET QUARTUS HOLSATIÆ COMES.

Adolph. VI. DUm meus Imperii Pater eſt orbatus honore,
Preſſaque ſunt Dano Cimbrica colla jugo.
Me latebris puerum fovit, monitrice Bieſta
Terra paludoſo Wilſtria merſâ ſitu.
Nobiliumque meis adjecto robore turmis
Libertas Cimbris Marte renata fuit.
Volcmari Comitis Sverini fortia nuper
Vincula captiva Rege gerente manu.
A. C. 1226. Quem Bornhöfdenſi demiſſum clade coëgi
Victa repentinæ tradere terga fugæ.
A. C. 1238. Acri Littoviæ rigidas certamine gentes
Edocui verbi, dogmata, CHRISTE, tui.
A. C. 1244. alii 1255. Inde Sacerdotis Latiam progreſſus in aulam
Maxima Pontificis munera voce tuli.
Obiit A. C. 1261. Templaque Chiloniæ Monialia ſtruximus urbi
Noſtraque ſunt iſto condita membra loco.

ADOLPHUS VI. HOLSATIÆ COMES JOANNIS II. FILIUS SEGEBERGÆ PROPTER COMMISSUM STUPRUM INTERFECTUS, AB HARTWICO REWENTLOWIO, NOBILI HOLSATO.

IPſe nihil Patriis dignum virtutibus egi,
Atrox Holſati peſtis Adolphus agri.
Ut reliquas taceam mendas, mihi juncta ſoluto
Deliciis ſemper vita pudore fuit.
Cognita Refntloviæ ſcelerum veſtigia Nymphæ
Cognita, ſpectanti facta nefanda DEO. A. C. 1315.
Enſe Patris cecidi: noſtro de funere quæris
Cauſſa patet diræ cædis, adulter eram.
Sic DEUS æquali vaga crimina lance rependit
Sic properat lento pœna ſevera gradu.
Sæpe graves pœnæ delicta horrenda ſequuntur
Sæpeque par factis exitus eſſe ſolet.
Exuvias gelido condit Segeberga ſepulchro
Sanguinis arx noſtri ſigna relicta tenet.

GERHARDUS III. COGNOMENTO MAGNUS HENRICI I. FILIUS HOLSATIÆ COMES, DE SE LOQUITUR. Gerhard III.

MAgnus eram bello, major virtutibus, arte
Maximus, hinc ratio nominis orta mei.
Muneris ut felix eſſem ſucceſſor aviti,
Conſumſi ſtudiis tempora longa bonis.
Sed miſer (heu) nimium vitæ ſpe luſus inani
Pauperis incolui civica tecta caſæ.
Mœnia qua priſci ſunt nomine dicta Renoldi
Noſtraque venandi jure culina ſtetit.
Hartvicus ſortem doluit Refntlovus iniquam
Munera ſuppeditans ordine digna meo.
Hinc mea pernicibus laudum ſe ſuſtulit alis
Gloria, me belli nec prior arte fuit.
Funere ſublati quod eram ſuſpectus Adolphi
Bellica Joannes intulit arma mihi. A. C. 1317.
Quem procul ingenti proſtratum clade fugavi
Et merui factis prima trophæa meis.
Bramſtediique feris devictus Adolphus in armis
Noſtra ſub occulto vincula ponte tulit.
Holſatiæ ſpolio Dithmarſos gentis onuſtos
In Bornhöfdenſi vis mea fudit agro. A. C. 1320.
Cum quibus ingenti paullo poſt robore geſſi
Magna, ſed haud fauſta, bella peracta manu. A. C. 1322.
Bis hoſtis data terga fugæ bis Marte triumphus
Præſenti nobis ductus ab hoſte fuit.
Utque ſacram Vordæ gens ruſtica fugit in ædem
Juſſimus abſumi templa virosque rogis.
Inde per hoſtiles gladios, per tela, per ignes
In mea bellatrix agmina turba ruit.
Nobiliumque meæ flos occidit optimus oræ
Suntque Ducum bis ſex corpora cæſa ſimul.
Tam me funeſtis cumulavit ſtragibus hoſtis,
Gentibus invictis tam fuit ira ferox.
Danica Volcmarus per me diademata ſumſit
Chriſtophoro tetrica ſceptra movente fuga.

Quem tenebris cepit meus Itzhudæus obortis
Quo vada sunt Regis nomine dicta loco.
A. C. 1331. die Sancti Andreæ. Captivumque mihi Gottorpam duxit ad arcem
Ac ita lis capto Rege sepulta fuit.
Hinc Oto Christophori post ultima fata Parentis
Fregit iners pacis vindice pacta manu.
Hunc Segeberga tetro tenuit mea carceris antro,
Sed tulit ut dempto libera colla jugo.
Me rigido justam bello revocavit ad iram,
Robore nec semel est Dania fracta meo.
A. C. 1340. Nicolei donec me Randershusa Jacobi
Obtulit illicitis in mea fata dolis.
Corporis Itzehoe sunt condita membra sepulchro,
Cognita facta solo: cætera juncta polo.

HENRICUS II. COGNOMENTO FERREUS, GERHARDI III. FILIUS, HOLSATIÆ COMES, QUI PATRIS INTERFECTOREM ROTÆ IMPOSUIT, DE SE LOQUITUR.

Elogium Henrici II. ferrei. QUalis Dardanios Peleius ibat in hostes,
Cujus atrox armis obrutus Hector erat.
Talis in hostiles mea fulminat ira phalanges:
Ferrea vis animi est, Ferreus inde vocor.
Horret adhuc factæ Jutlandia stragis acervos
Funus ob extincti sparsa cruore Patris.
A. C. 1340. Autoremque necis mihi Scanderburgia mittit,
Bis geminis cujus corpora plecto rotis.
Exuo Wolcmarum regni diademate Regem
Deque statu nostræ Marchio pacis agit.
Ac ita belligeros jungo mihi fœdere Danos,
Me Rex Sueoniæ magnus in arma vocat.
Fortibus inde Gothos armis Finnosque rebelles
Cogo sub indomitum Sueonis ire jugum.
A. C. 1346. Hinc ubi litigeris inducit Martia Gallis
Bella Caledonii Rex Eduardus agri.
Per me bellipotens est tutus ab hoste Britannus,
Victricique Calis mœnia sterno manu.
Et regem tetrico Joannem carcere mulcto,
Munere qui patrio sceptra Bohema gerit.
Hæc mea nobilibus dum gloria nota Britannis,
Virtus invidia non caret illa sua.
Nostraque prædantem redimunt in fata Leonem,
Nobilitas constat sanguinis unde mei.
Quem domitum rursus solitis includo cavernis
Textaque villosis infero serta jubis:
In laudem socios hortans auferre Britannos,
Ista sed est manibus palma relicta meis.
Hinc jubeo duros post bella valere Britannos
400. Rosati Anglici Henrico quotannis legati. Et legata meis munera Rege fero.
Hæc mea longinquas dum virtus perstrepit oras
Æthereosque meis laudibus æquo polos,
Apuleas præsul confringens robore gentes
Urbanus belli me jubet esse caput.
Duraque me victrix ductore Calabria sentit
Bella: sed eventus non habuere suos.
Nam qui Pontificis Dux concitat agmen in hostes
Fraudibus intentant insidiisque necem.
Excipit & læto redeuntem Cimbria plausu
Adventusque mei jubila læta canit.
Protinus Henrici consors mihi filia Slavi
Fœdere legitime ducitur Anna thori.
Quodque latrociniis tutæ sunt tristibus urbes
Gratia debetur viribus illa meis.
Atque soror Regi, quod non mea nupsit Haquino *A. C. 136*
Sueoniæ, Slavus me duce sceptra gerit.
Plura sed eximiis præsto feliciter ausis,
Quæ tenet haud uno pagina docta loco.
Hoc super Itzhoe placido me fine senectæ
Corporis exuvias deposuisse mei. *A. C. 13*

JOHANNES VI. GERHARDI III. FILIUS, HOLSATIÆ COMES, DE SE LOQUITUR.

FOrtibus in thalamo cum Cimbris dedecus esset *Johan VI.*
Primaque fulmineo gloria Marte mori.
Nobilium domitrix invisaque Regibus altis
Marsica me rigidæ tradidit ora neci.
Cum meus invictæ pater intulit horrida genti *A. C.*
Bella, feroque miser victus ab hoste fuit
Heroum Patrio numerum mens auget Olympo
Militia quorum fusus ab hoste cruor.

STENO STURÆUS SVECORUM GOTHORUMQUE REX CXL. ELECTUS, EQUES ORIGINE HOLSATUS, DE SE LOQUITUR.

PAtria Sturæo mihi stirps e sanguine manat, *Steno Stura Sueco Regis. A. C.*
Sed tituli nomen muto decore meum.
Nec non Majorum transcendens facta Parentum
Sueonis invicta sceptra capesso manu.
Quam sim Marte potens, quam fortibus inclytus armis
Quamque bona mitis pace, togaque sagax:
Edita victuris de me monumenta libellis
Prisca docent, uno nomine cuncta loquor.
Sub me Rege capit bellatrix Svecia laudis
Immensus quicquid Teutonis Orbis habet.
Ergo mihi acceptum debet pia Cimbria ferre,
Eximiis quod sit regibus illa parens.
Et quod in Holsata viget ardua gloria gente
Gloria quam nostræ promeruere manus. *Obiit 1501.*

SUANTO STURÆUS SUECORUM GOTHORUMQUE REX CXLI. EX HOLSATIA ORIUNDUS.

MAgnum equidem decus est mortalem sanguine claro *Suant Stura*
Mortalis vitæ ducere principium.
Majus, nullum unquam a patriis virtutibus ire
Sed magis illius munia justa sequi.

Maxi-

Maximum ita ingenium geniumque anteire patrilem
Ut tua ſtet ſummo lucida fama ſolo.
A. C. 1504. Lux generis, ſeclique ſui decus atque ſequentis,
Sturæus cepit nomina Regis Eques.
Et Suecos rexit longos fideliter annos
Tam belle, ut palmæ ferret ubique decus.

STENO STURÆUS II.
SIVE JUNIOR SVECORUM GOTHORUMQUE REX ELECTUS CXLII. EX HOLSATIA ORIUNDUS.

A. C. 1512. TErtius Arctoas flecto Sturæus habenas
Hic ubi Sueoniæ ſunt ſua regna plagæ.
Atque meum ſumma tueor virtute decorem,
Ne priſcis eſſem Marte ſecundus avis.
Sed miſer æratæ bombardæ concido glande
Obiit A. C. 1530. Altaque Parrhaſiis ſceptra relinquo viris.

Sunt in vivis Svecici adhuc Comites nonnulli Sturenſes, ex hac familia Cimbrica & prædictis Regibus oriundi: Inter alios etiam hodiernus Rex Sigismundus III. cujus Avus Guſtavus Stenonis II. Sturæi ex ſorore nepos fuit. Quod autem familia eadem ex Ducatu Sleſwicenſi ortum trahat, inde liquet, quod quemadmodum ſupra quoque commemoravimus, mortuo hujus nominis absque maſcula prole ultimo, Sveci relicta ejus bona ambierint, eaque, niſi fuiſſent allodialia, etiam obtinuiſſent.

EGGO STURÆUS
SEGGEBERGAM AB OBSIDIONE LIBERANS.

Eggonis Sturæi. MArtia nunquid adhuc miraris Roma Quirites
Teque ſacrum jactas orbis, ut ante, caput.
Eximiis Scipio taceant & Scævola factis
Hoſtes ille licet, vicit & ille tuos.
Sunt etiam Fabii Cimbris & Mutius hic eſt
Alter Sturæi ſanguinis Eggo decus.
Eggo vetus Regum ſoboles, cui nomen in undis
Marmoreis vivens nobile Porca dedit.
Robore namque ſuo BARDVIGAM vicit ut urbem
Guelphicus, aſſurgens Martis in arma Leo.
Et Lubeca ſuis invaſit mœnia ſignis
(Non Aquilæ victrix quod tulit ira diu)
Ultricesque gulæ diſpandere cœpit hiatus
Segbergæ rapidam poneret arce ſitim.
Dedecus, o Cimbri, non hoc admittite, dixit
Eggo, decet nullum Cimbrica colla jugum.
Principiis obſtare juvat: Majora Parentes
Sunt auſi, roſea quos ſtupet Albis aqua.
Horreſcuntque vago devicti Marte Britanni
Cumque Pyrenæis Itala terra jugis.
Magna Patrum ſequitur virtus ex ſemine prolem;
Non procul a trunco pendula mala cadunt.
Plura nec effatus, parvo ſe miſcuit hoſti
Milite: ſeu certus vincere ſive mori.
Qualis & ora lupi ſpinis evadit acutis,
Quæ natat æquoreo ſquamea perca freto:
Faucibus horrendi ſic excidit ille Leonis
Pugnandique ſatur nec prius arte fuit. A. C. 1181.
Quam ferus obſeſſa depelleret arce Leonem
Et patriam juſta cæde piaret humum.
Non ſemper dubii ſimilis cadit alea Martis
Sors vitreo fallax promovet axe rotas.
Parvus ineſt horror percæ, vis magna Leoni
Ipſe tamen perca vincitur hoſte Leo.

HENRICUS III.
GERARDI V. FILIUS HOLSATIÆ COMES, DE SE LOQUITUR.

DIthmarſis poſtquam genitor ſuccumberet armis, Henrici III. Holſat. Com.
Parvus & incolerem Danica regna puer.
Cimbrica legitimo ſine Principe terra vacavit
Et duo ſunt annis luſtra peracta tribus.
Interea Danos patruelis contudit armis
Tutoris Patrio functus in orbe vice.
Ipſe puer donec plenis maturior annis
Vindice geſtavi tradita ſceptra manu.
Quosque Pater feudo ſuſceperat ante Ducatus,
Subjectos voluit finibus eſſe meis.
Magna Ducum noſtræ ſe junxit copia parti
Auxilioque fuit Civica turba mihi.
Concidit hic duræ certamine Tundera pugnæ
Succubuitque mea Fimbera victa manu. A. C. 1419.
Atque per inſidias a Danis capta recepi
Oppida, Sleſwigæ quæ ditionis erant.
Rexque parum fauſtis ſubito conterritus armis,
Ceſſit in Arctoam pulſus Ericus humum.
Inde Sigismundi decretum Cæſaris ipſum
Claro Sleſwigæ privat honore Ducis.
Reddidit hunc Latiæ ſententia præſulis aulæ
Actaque res ſævo cominus enſe fuit.
Et Flensburga meis parere negabat habenis,
Divitiis felix, Marte ſuperba ſuo.
Hanc ubi vindicibus cinctam legionibus urbem A. C. 1427.
Ipſe ſubacturus fulmine Martis eram.
Atque ſoporifera ſurgebat nocte tumultus
Unde mea ad ſubitos excita caſtra ſonos,
Contiguasque meis manibus caſtra applico ſcalas,
Per ſepem moeſtæ me dedit haſta neci.
Poſtea, fraternis urbs eſt ea dedita ſignis
Militibusque fuit λύτρον equeſtre meis.

HENRICUS IV.
HENRICI FERREI FILIUS, EPISCOPUS OSNABRUGGENSIS, QUI FILIORUM GERHARDI V. FRATRIS TUTELAM, EQUITIBUS AURATIS NONNULLIS TUTORIBUS, APUD VICUM BRAMSTEDE INTERFECTIS, PER VIM OBTINUIT, DE SE LOQUITUR.

OSnabrugenſi præſul dominabar in aula, Henrici IV.
Frater ut extinctus Marte Eberhardus erat.
Læſa ſed ingenti fremuit dum Cimbria motu
Tentatusque Dano Rege Ducatus erat.

Nata-

Natalem petii Procerum conſenſibus orbem
Patria tutoris nomine ſceptra tenens.
Illuſtris de me famæ veſtigia quæris,
Ne foret Holſatæ gloria vana domus.
Cimbria Sleſwigæ nec perderet orba Ducatum
Acceptum refero viribus omne meis.
Quæque libris iſto produntur fortiter acta
Tempore, ſunt noſtri ſingula Martis opus.
Borsholmi tandem ſub tecta monaſtica ceſſi
Noſtraque Supremo eſt, Vita dicata DEO!
Utque fui fragilis vitæ ſatiatus amore
Obiit A. C. 1421. Sic mea jam æternæ corda cupido trahit!

ALBERTUS HENRICI FERREI FILIUS, HOLSATIÆ COMES, DE SE LOQUITUR.

Alberti Com. Holſ. NObilis Albertus, patriæ virtutis amator,
Cimbrica defuncto Jura Parente dedi.
Uxor Saxonici Ducis inclyta filia Erici
Eſt mihi legitimi fœdere juncta thori.
Sævaque Dithmarſis poſtquam ſocer intulit arma
Perque meos prædam victor agebat agros.
Effera quid poſſet bello Dithmarſia ſenſi,
Suppetias juncta fratre ferente manu.
Sed miſer hoſtilis ſpolio regionis onuſtus
Dum ſubito petii rura paterna gradu,
A. C. 1403. Labentem ſonipes excuſſit cernuus armo,
Viſa fuit ratio funeris illa mei.

ADOLPHUS VII. JOHANNIS III. FILIUS, WAGRIÆ COMES, DE SE LOQUITUR

Adolphi VII. Wagriæ Comitis. FOrtia Chilonicis Lembocius intulit arma,
Ultus quem famulis enſe Senatus erat.
Illi Sleſwigæ poſt ultima fata mariti
Attulit Henrici Principis uxor opem.
Quam ſubito belli vindex certamine vici
Atque fuit noſtra Tundera capta manu.
A. C. 1375. Quartus ut intravit Lubecam Carolus urbem,
Eſt Hamburga meum juſſa ſubire jugum.
Vaſtaque fictitii ſunt diruta membra Coloſſi,
Cæſar in hoc dixit juris habere nihil.
Huic ſine prole dato maturæ fine ſenectæ
Molliter in patria ſum tumulatus humo.
A. C. 1390. Cumque meis hæres terris Scbaumburgicus eſſet,
Bramſtedii cepit moenia celſa domus.
Adjecitque ſuis Pinebergas finibus arces,
Wagria Cimbrorum tota relicta ſolo eſt.

GERHARDUS V. HENRICI II. FILIUS, DUX SLESWICENSIS, DE SE LOQUITUR.

Gerhardi V. Ducis Sleſv. ME Pater indomitis ſtimulabat Ferreus auſis,
Martius imbellem nec Leo gignit ovem.
Danidos hinc feudo Sliæ Regina Ducatum
Margaris, Olao ſceptra gerente dedit.
Et mihi ſic titulos virtus mutavit avitos
Deque meo Princeps ſanguine primus eram.
Dithmarſos poſtquam Saxo ſpoliarat Ericus
Perque meos fuerat ducta rapina lares. *A. C. 14*
Incola me prædæ ſuſpectum durus habebat,
Et fregiſſe ratæ fœdera pacis ait:
Quem mea fulmineis vis fortiter obruit armis,
Eſt data quo victrix tempore palma mihi.
Dura ſed ut ſociis repetivi prælia ſignis
Fataque prolapſo frater obiiſſet equo: *A. C.*
Quæ primo fuerat mihi gloria parta triumpho,
Vertit jam vitreis lubrica diva rotis.
Meque revertentem furibundo Marte peremit
Gens trucibus ſævo doctior enſe Getis.
Contudit & noſtras immani clade cohortes
Centum nobilium ter data colla neci.
Utque ſtatus trucibus belli noteſceret auſis,
Corpora ſunt diris dilaniata feris.
Nec niſi per ſacras (gens durior aſpide) Nymphas,
Contigit extinctis exequialis honor.
Ac ita Veſtali ſunt condita funera ritu
Nec pietas juncta cognita fraude fuit.
Membra ſui conjux redimens inhumata mariti
Itzhoæ poſuit corporis oſſa mei.

ADOLPHUS IIX. GERHARDI V. FILIUS, DUX SLESWICENSIS, DE SE LOQUITUR.

POſt Patris interitum teneris in floribus ævi *Adol VIII*
Me fovit molli Noricaberga * ſinu. *cis S*
Donec Parrhaſium mea vis ſurrexit in hoſtem *A. C*
Militia ſpolians Jutica regna nova
Et Flensburga mea fratris pro munere victa *A. C*
Concidit annona deficiente manu.
Poſtea ſervitiis onerata potentis Erici
Impoſitum renuit Sueonis ora jugum.
Eſtque mihi firmo Rex fœdere junctus amoris *A. C*
Nataque pax iſta conditione fuit.
Curreret illæſus Danaum ut mercator in orbem
Et ſtabilita nova regna quiete forent.
Ergo qualis eram factis & grandibus auſis,
Dania non ficta eſt teſtificata fide.
Cum mihi Chriſtophoro Sliæ ſub Rege Ducatum
Coldingæ tribuit pontis ad usque fretum. *A.*
Et dedit Arctoi diademata fortia regni
Quæ tulit agnatus Regis honore meus.
Hæredem mea quem poſt ultima fata reliqui
Expers conjugium nam mihi prolis erat.

CHRISTIANUS I. DANIÆ, SVECIÆ AC NORWÆGIÆ REX &c. QUI EX COMITUM OLDENBURGENSIUM FAMILIA ORTUS OBIIT A. C. MCCCCLXXXI. ÆTATIS LVI. d. XXII. MAII.

CHRISTIADES Regni DANORUM flexit habenas,
Oldenburgiacæ quem dedit aula domus.
Hic

Hic Antenoreæ per teſqua viventia terræ
A.C. 1474. Auſtriacæ petiit celſa theatra domus.
Atque Ducum Cimbris peperit nomenque decusque,
Gratus ut invicti Cæſaris hoſpes erat.
Dithmarſumque ſuis adjecit finibus orbem,
Facta nec eſt ulla cæde cruenta manus.
Slejados vos hæc memores ſervate Camœnæ,
Veſtra per hunc majus gloria nomen habet.

JOANNES, DANIÆ, SVECIÆ ET NORWEGIÆ REX, CHRISTIANI I. FILIUS NATUS A.C. 1455. HIC A.C. 1513. MORTUUS EST, ÆTATIS 58.

In Obitum Johannis Daniæ, Svec. & Norwegiæ R.

ULtima Johannes poſt magni fata Parentis
Regia ſublimi jura decore dedit.
Dithmarſum populos, gladio flammisque petivit,
Præſtandæ ut fidei cogeret eſſe reos.
A.C. 1500. Qui ſe tutati ſignis victricibus, ipſum
Profligant, oris ejiciuntque ſuis.
A.C. 1521. Hinc dum finitimas bellum convertit in oras
Suecos innumero milite cinxit agros.
Sedibus & Regem ipſorum dejecit avitis
Hicque annis aliquot regia ſceptra tulit.
Perdidit acceptum ſed fuſo milite regnum
Fortia Dithmarſis movit ut arma viris.
Et ſic exutas collegit Svecia vires
Et tulit excuſſo libera colla jugo.

Natus A.C. 1481. 2. Jul. h. 2. ſcr. 16. p. m.

CHRISTIANUS II. DANIÆ, SVECIÆ, NORWEGIÆ, VANDALORUM GOTHORUMQUE REX, QUI, A FRIDERICO I. REGNO EJECTUS, IN CUSTODIA VITAM FINIVIT A.C. 1559. d. 25. JANUAR.

In fata & obitum Chriſtiani II. Dan. Reg.

NObile Chriſtianus cepit diadema ſecundus
Ultus & eſt rigido Martis amore patrem.
Suecia nam rurſus victrix certamine pugnæ,
Indomitos hujus concidit ante pedes.
Ille ſed & patrii turbavit viſcera regni
Cauſſaque funeſtæ ſeditionis erat.
Poſt multos tandem caſus bellique labores
Militiæ ſenſit præmia vincla ſuæ.
Injuſtis talis ſolet exitus eſſe tyrannis,
Diſſidiis quorum diruta regna cadunt.

FRIDERICUS I. DANIÆ, NORWEGIÆ, VANDALORUM GOTHORUMQVE REX, QUI OBIIT A.C. 1533. d. 3. Apr. SLESWICII IN TEMPLO CATHEDRALI SEPULTUS.

PAcis amans princeps Fridericus nomine primus,
Qui Danos rexit, nunc mihi carmen erit.

de Weſtphalen Monum. ined. Rer. Germ.

Tu mihi Calliope rem primam ab origine pande,
Ad regnum evectus qua ratione ſiet.
Cum tria Chriſtjernus borealia regna teneret
Humanus patriæ nollet & eſſe pater.
Multa ſed in regno paſſim tentaret iniqua,
Exoſum ſemet reddidit ipſe ſuis.
Tum vero Princeps FRIDERICUS fœdus inivit
Cum claris celebri nobilitate viris.
Dania quos habuit Proceres Holſatia quosque
Fœderis obſtringens conditione ſibi.
Atque ita Chriſtjernum non tantum terruit armis,
Pro nihilo ducens, quod Patruelis erat.
Aſt victum penitus regnis tribus expulit illum:
Hic ſolet eventus turpia facta ſequi.
His ita tranſactis Fridericus nactus utrumque eſt,
Danorum regnum Norwegiæque ſimul.
Legitime tamen eſt ad tantum lectus honorem
Nec temere ſumſit regna regenda ſibi.
Hafniacos cives longa obſidione coëgit
Immanſueta ſuo ſubdere colla jugo.
Chriſtjerni ſiquidem ſtudium nil profuit illis
Nec quas obſeſſis ſuppetias tulerat.
Tandem Chriſtjernus regnis ejectus & exul
Hanc ſibi delegit propoſuitque viam.
Holſaticas equitum turmis invadere terras
Tentavit, quorum copia magna fuit.
Myriadem ſecum nam totam duxit equorum,
Ad bella inſtructum ſe ſatis eſſe putans.
Sed major novies exercitus ille pedeſtris,
Quem novus oppoſuit Rex Fridericus, erat.
Hunc ex oppidulis paſſim pagisque coëgit
Sumere raſtrorum juſſit & arma loco.
Chriſtjerni miſere ſic eſt exercitus omnis
Fuſus, & elapſus laude carente fuga.
Obtinuit vero regnum Fridericus, & illud *A. C. 1523.*
Rite gubernavit, qua pietate decet.
Solenni ritu caput eſt diademate cinctum
Ipſius, & geſſit tradita ſceptra manus.
Quot præcepta DEUS populo præſcripſit Ebræo,
Annos tot regno præfuit ipſe ſuo. *Regnavit annos 10.*

CHRISTIANUS III. DANIÆ, NORWEGIÆ, VANDALORUM GOTHORUMQUE REX, FRIDERICI I. FILIUS, &c. QUI A.C. 1559. CAL. JANUARII EX HAC VITA DISCESSIT. &c.

Noſcitur A.C. 1503. 13. Aug. hora 13. ſcr. 56. p. m.

Epigramma in Chriſtianum III. Reg. Dan.

TErtius illuſtris Cimbrorum gloria gentis
Chriſtianus viguit Marte togaque ſimul.
Hic cingens urbem dura obſidione Lubecam, * *A. C. 1534.*
Quod cupidam belli cerneret eſſe nimis.
Compulit oblatas amplecti conditiones
Pacis, & arma ſua ponere ſumta manu.
Oldenburgiaci Comitis poſt contudit agmen, *A.C. 1535.*
Juſta acie gaudens conſeruiſſe manus.
Perque Duces fortes Nauclerum vicit & illos,
Qui ſocii motæ ſeditionis erant.
Hafniacos cives obſedit fortiter idem
Per portas ipſi dum patuere viæ. *A.C. 1530.*

Sed magis ingenuas ad pacis idoneus artes
Aſpera quam duri Martis ad arma fuit.
Aſſeruitque ſacri Divina volumina verbi
Et voluit Dana Biblia voce legi.
Quæque prius fœda Muſæ ſub nocte jacebant,
Cœperunt lucem rurſus habere ſuam.
Nunc igitur regem vatum labor eximit ævo
Inter honoratos famaque tollit avos.

In Adolphum Ducem Sleswic.

ADOLPHUS, HÆRES NORWEGIÆ, DUX SLESWIGÆ, HOLSATIÆ, STORMARIÆ ET DITHMARSIÆ, FRIDERICI I. DANIÆ REGIS FILIUS, QUI GOTTORPIÆ

Naſcitur A. C. 1526. Januar. d. 26. h. 11. ſcr. 30. p. m.

A.C.1586. OCTOB. 1. CUM ANNOS 60. & MENSES FERE OCTO VIXISSET, PLACIDE EXSPIRAVIT, SEPULTUS SLESWICI.

DUm patriæ acceptas flectebat Adolphus habenas,
Judice me, Cimbrum terra beata fuit.
Ejus in hoſtiles virtus animoſa cohortes
Cognita non ſemel eſt, Carole quinte, tibi.
Nam tulit ingentem ſub te ductoris honorem,
Militiæ diſcens jura ſevera tuæ.
A. C. 1552. Cæſareasque Metis turmas ad moenia duxit,
Regis ubi Galli milite cinxit agros.
Ilicis hinc primam cepit de fronde coronam
Et meruit ſummo præmia digna Duce.
Qui populos magni de ſtirpe Tuiſconis orotos
Auſpicio tutos Marte furente daret.
Hinc fera magnanimo pro Cæſare bella gerentis
A. C. 1567. Invictas ſenſit diruta Gotha manus.
Cantaber hunc validis etiam miratus in armis
A. C. 1568. Aſpera militiæ tradidit arma ſuæ.
Ut quoties rigidi ferrent ita fulmina Martis,
Protegat Heſpericas, nomine Regis, opes.
Quas ibi non laudes, quos non eſt nactus honores?
Ne loquar heroa parta tributa manu.
Sic ubi per belli varias exercitus artes
Ad patrios ſeſe contulit inde lares.
A. C. 1569. Dithmarſam valido devicit robore gentem
Eſtque ſuos auſis fortibus ulcus avos.
Non tamen hæc facile ceſſit victoria laude
Gens neque plebejo victa cruore fuit.
Ipſe ſed extremo Dux in certamine pugnæ
Infeſtum rigido vulnus ab hoſte tulit.
Donec in adverſo clarus ſtetit agmine victor
Preſſit & Holſato Marſica colla jugo.
Teſtis adhuc ingens niveis micat oſſibus ora
Arvaque profuſo ſanguine ſparſa madent.
Ultima jam vitæ poſt fata gravesque labores
Incolit æthereas mens generoſa plagas.
Heroum virides Muſæ date præmia lauros
Dicite: Dux Cineri ſint ea dona tuo.

In Fridericum II. Regem.

Naſcitur A. C. 1534. Jun. d. 30.

FRIDERICUS II. DANIÆ, NORWEGIÆ, GOTHORUM VANDALORUMQUE REX, DUX SLESVICI, HOLSATIÆ &c. QUI OBIIT

A.C.1588. PRID. NON. APRIL. ANDERSCHOVII SEPULTUS ROTHSCHILDIÆ IN SEELANDIA &c. *Hor. 21. ſcrup. 30. p. m.*

† † †

QUi maris & terræ dominus quondam acer ad Arcton
Et rex externis Regibus horror erat.
Qui decus Europæ, Charitum cura, orbis ocellus,
Nomen habens placidæ pacis, honoris, opum,
Cujus & invictas experta eſt Suecia vires *A. C.*
Et Dithmarſa gerit terra ſubacta jugum.
Occidit ante diem inſperato funere merſus
Spes ſummas obitu deliciasque ſuo.
Illius at magnum volat inculpata per orbem
Fama per Eoas, Occiduasque plagas.

P. Lindebergius.

ETEOSTICHON CONTINENS ANNUM, MENSEM ET DIEM OBITUS EJUSDEM, NIMIR. 1588.

APrILIs qVarto ſoL trIſtIs In æthere LVget
CVr? CaDIt ArCtoo reX FrIDerICVs agro.

P. L.

STATUA ILLUSTRISSIMO ET AUGUSTISSIMO DOMINO FRIDERICO II. DANIÆ ET NORVEGIÆ REGI, AMPLISSIMORUM DUCATUUM ET DITIONUM PRINCIPI POTENTISSIMO, FORTUNATISSIMIS SCEPTRIS IMPERANTI, VIVO, UT NUNQUAM INTERMORIATUR, CUM VOTO ET DEBITA SUBJECIONE CONSECRATA.

QUis ſolio reſidens immenſo clarus honore
Numinibus Divum cinctus uterque nitet?
Progenies Divum eſt ſceptris ornata paternis,
Inclyta quæ natu Numina juncta regunt.
Illud jura fori legum refrenat habenis
Et dextra inſontum vindice bella gerit.
Hoc pacis ſtudium fulcit turbisque remotis
Præditi cornu Danica regna beat.
Quæ DEA, quæ vili conſiſtit marcida vultu?
RELLIGIO eſt duræ pondere preſſa crucis.
Hæc mundi fugiens rabiem luxumque furentis
Exul, inops, variis exagitata modis.
Balthiaca tutum tenet in ſtatione receptum
Hancque alis tectam, Rex FRIDERICE, foves.
Dum tenebras alii deſpecta luce ſequuntur
Turbaque tranſverſum devia carpit iter:
Objiciunt alii ſalebras, umbrasque relicto
Corpore ſectantes, jurgia dira ſerunt.
Pax animis viget hic concordibus, interit omne
Diſcordi lacerans dogmata ſana malo.

Hoſpes

Hoſpes dulcis ave, tenebris quæ clara fugatis
E mundo in cœlum nos remeare doces.
Perpetuo noſtri ſis civis & accola Ponti
Lumen & in Gothico ſparge ſerena ſolo.
At tu qui ſeptem moderaris regna Trionum,
O Patriæ, o mundi Rex memorande, decus:
Vive precor, faſcesque tuos, populumque guberna,
Creſcat ut æterni gloria magna DEI.
Vive precor, natique tui natumque nepotum
Imperium teneant, ingeniumque tuum.

Chriſtianus Macabæus Alpinas.

CHRISTIANUS IV. FRIDERICI II. FILIUS, DANIÆ, NORWEGIÆ, VANDALORUM GOTHORUMQUE REX, QUI IN HODIERNUM DIEM REGNO DANICO ET DUCATIBUS HOLSATIÆ PRÆEST, NATUS A. C. 1577. APRIL. d. 12. HORA 4. POMERID.

De Chriſtiano IV. Rege D.

CHRISTIANO regni nunc eſt conceſſa poteſtas,
Dania quem quartum nominis hujus habet.
Traditus hic doctas puer erudiendus in artes
Aonidum miro captus amore fuit.
Inde tot illuſtres regnant in pectore dotes
Viſaque jam geminos tangere facta polos.
Felix Menaleæ celſo ſub ſidere terræ
Dania, ſubſidiis inclyta facta novis.
Ille dabit pulchras regnare per oppida leges,
Juſtitiæ monſtrans, ceu Pater ipſe, decus.
Oſtendetque viam, recto quæ tramite planum
Ad ſacra virtutum limina ducit iter.
Salve, Rex ingens, patrii ſucceſſor honoris,
Et data felici dirige ſceptra manu.
Cumque bonis artes ſtudiis cole ſemper honeſtas,
Non pietas animo decidat alma tuo.
Nec tua Divini clementia pectoris auſis
Fortibus urbanæ præferat arma togæ.
Legibus audaces cogas ultricibus, æquo
Inſontes mitis protege jure viros.
His tua ſi laudes virtus æquabit avitas
(Ingenii ſpondent, quod monumenta tui)
Donec honoratos extollet Dania Reges,
Sidera contingens vertice celſa tuo.

Jon. ab Elverfeld.

IN FORTITUDINEM CIMBRICARUM MULIERUM.

De fortitudine Cimbricarum Mulierum.

TEmpore, quo Marius Romana Conſul in urbe
Victrici fudit Cimbrica ſigna manu.
Cimbrorum in caſtris res non indigna relatu
Accidit: hanc verſu commemorare libet.
Namque ubi Romanis Aquilis victoria ceſſit
Et Cimbri rapidæ terga dedere fugæ.
Uxores horum ad currus & caſtra relictæ
Dedecus hoc tentant cæde piare grave.
Ergo revertentes nulla cum laude per iram
Ultrici perimunt non ſine cæde viros.
Hic rogo, non ſatius fuerat tibi, Cimber, ab hoſte
Conjugis a dextra ne moriare, mori?
Harum ex relliquiis nurum Pogwiſchia & inde
Se genitam verbis prodidit ipſa ſuis.
Quippe ait: haud thalami dignabor honore maritum,
Chara magis clara cui nece vita fuit.
At falſo dictum fugiſſe: haud fugerat ipſe;
Cominus at multo verbere cæſus erat.
Cimbrigenum ſalve tellus Mavortia, fortes
Cum nuribus partu divite funde viros.

FORTITUDO MULIERIS CIMBRICÆ, ET MANSVETUDO HENRICI RANZOVII PRODUCIS CIMBRICI, IN BELLO DITHMARSICO NOVISSIME GESTO, DECLARATA. *A. C. 1589.*

Præſertim in Bello Dithmarſico.

RES mira in bello, fera quo Dithmarſia victa eſt,
Evenit, verſus materiem illa dabit:
Fœmina conferto per tela inimica puello
Effoſſa exequias ferre parrabat humo.
Huic gemini adſtabant nati, in quos vulnere turpi
Graſſatus, certe degener, hoſtis erat.
Huc delatus equo HENRICUS RANZOVIUS ipſam
Conſpectam accedit quid faciatque rogat.
Adjiciensque minas, ſed non in pectore natas
Non in fœmineum tam furit ille genus.
Sed mentem ut diſcat fœmellæ: hinc victima triſtis
Natus, ait, gladio fiet uterque meo.
Hæc nil mota minis, animum nil territa: per me
Conceſſum eſt, inquit, quod lubet ut facias.
Nec natis, moritura mihi nec deprecor ipſi
Vitam: nec cæſa prole ſuperſtes ero.
At victor clemens: animo confide reſumto
Fœmina, ait, cædem non mea dextra parat.
Si qui feciſſet, natis, en vulnera ſcirem,
Juro tibi huic merces ſanguinolenta foret.
Non is Cimber erit neque gens tam degener hæc eſt,
Cimber in armatos fulminat enſe viros.
Hinc miſeram, miſeratus & ipſam, & vulnere læſos,
Servavit natos longum, aluitque domi.
Imbellem ſerves, armatum confice, honeſti
Qui bellatoris, munus obire voles.

M. G. L. Frob.

De Henr. Ranzovii pietate bellica.

DE ALFO ET ALVILDE.

Vita piis monſtranda fatis orbita.

De Alfo & Alvilde.

REgia Sivardus poſt ultima fata Parentis
Alto Gothorum ſceptra decore tulit.
Alvildenque ſuam genuit cum conjuge natam,
Cujus amans cædis percitus Alfus erat.
Alfus, Cimbriacæ decus & flos nobilis oræ,
Gothidos Alvildæ prima corona domus.

Paſcere, ne juvenis caperetur amoribus, hydram
Ac anguem, Virgo juſſa parente fuit.
Alfus ad hunc: anima quam plus, miſer, ignibus arſi:
Ecquid erit nutrix turpibus illa feris.
Redde parens natam vel ſit Comes anguibus Alfus,
Non fuit obſcuris virgo negata procis.
Rex ait: Aſt antris hydram ſquallentibus arce,
Dicetur thalami, Coſta puella tui.
Annuit ac cœſo ut lætum tulit hoſte triumphum,
Alfus Io! dixit: Coſta puella mea eſt.
Invida ſed fructum genetrix invidit amori,
Hinc alios Juvenis cœpit adire lares
Grataque virgineis junxit prius oſcula labris
Ac ea vix tremulo gutture verba dedit.
Juro tibi conſors (ſi fert Jovis ita voluntas)
Eſſe mei debes Sarcina virgo thori
Nympha legens multis extremas fletibus auras
Sponſi abitu, miſeræ quid mihi fiet? ait.
Hoc decus, hos mores, mea lux tulit unica vitam,
Lædere quæ poterat nulla querela fuit.
Fallor? Apollineis Medici num rebus egentes
Mutato ſperant poſſe valere loco.
Sic quoque dum mœſti lacrymis ſolamur amantes,
Gaudia forte vagis noſtra morantur aquis.
Dii maris, & vitreo ſub marmore Najades udæ
Vos date compoſito vela ſecunda freto.
Nec mora: fluctiſonis ſe credidit æquore lymphis
Texit & exuta caſſide veſte comas,
Prædatrixque ſuis dum claſſibus ibat in hoſtem
Nominis & Sexus neſcia virgo fui.
Mira fides ſpoliis Alfus quoque deditus, ipſi
Obvius in ſolis adfuit hoſtis aquis.
Orta ſeges telis, & tinctæ cædibus undæ
Factaque per lymphas vulnera perque rates,
Donec in adverſis pugnæ conflictibus Alfo
Detecta galea cognita virgo fuit.
Ac avidus Nymphæ complexus colla lacertis
Hæc ait arridens fœdera pacis habe.
Exitus in Diis eſt: terris quod fata negabant,
Sæpe dat in mediis arbiter orbis aquis
Et ſterilem prima meſſem, quæ floret in herba,
Mutato ſequitur tempore juſta ſeges.

J. Elverf.

Saxo Grammaticus lib. 7. fol. 70. 71. Cranzius in Suecia lib. 7. cap. 48. De Hageberto & Cygne.

DE HAGBERTO & CYGNE.

Mende, nefariæ, pœnas luunt graves.

PRælia cum facerent quondam piratica Reges
Militiæque frequens hoc genus eſſet aquis.
Alfus & Hagbertus Danai flos, ſanguinis alter
Sueoniæ ſummis editus alter avis.
Balthiaco validis certabant æquore pugnis
Bellaque dum fuerant clade peracta pati.
Mutua collatis pepigerunt fœdera pactis
Altaque ſunt Danaæ tecta petita domus.
Tum Regi ſoboles fuit inclyta nata Sigaro
Vocalis CYGNEN nomine dixit Olor.
Illam ſollicitis HAGBERTUS amoribus uſſit,
Nobilis, Hamundo Rege parente ſatus.
Sed facibus flagrans Hildigeslaus eisdem
Diſſidii ſparſit ſemina dira novi.
Fortibus hinc armis HAMUNDUS concidit, ultus
Quem fuit HAGBERTUS, prole, Sigare, tua.
Protinus exhauſto rigidi certamine Martis
(Quo non mortales improbe cogis amor?)
Veſtibus hoſtiles petiit muliebribus arces
Haconis falſo nomina juſſa ferens.
Donec jam repetens aſſveta palatia Nymphæ
Oſcula virgineo fixit amata thoro.
Multaque cœruleas quæ vincunt munere gemmas
Nocturnis cœpit, ſed reticenda, dolis.
Luſibus utque ſuis tandem nox læta fuiſſet
Feciſſentque ratam mutua vota fidem.
Hæc juvenis dixit: patrio mihi nata cruore
Hæc mihi pugnaci baſia parta manu.
Quæ geminos ſubitis fratres ego cladibus hauſi,
Si volet (ah!) letho plectere facta parens.
Tune pari mecum mea cara Roſuncula, ſorte
Ibis ad Elyſii diva vireta ſoli?
Juro tibi mea lux (reſpondit virgo) cruentos
Ad manes tecum ſors erit una mihi.
Flos tener eſt noſtri cui creditus ille pudoris,
Quas ſine me pœnas neſcio morte daret?
Ac ita, dum medio tempus ſermone trahebant,
Prodita ſunt tacito facta nefanda dolo.
Et data jam Juvenis, manibus poſt terga revinctis,
Supplicio duræ colla fuere crucis.
Quem Nymphæ genitrix his eſt affata: puellam
I nunc illecebris, falſe, doloſe, tuis
Plena ſoporifero famulæ date pocula vino
Cornea (depellunt pectore vina metum)
Ultimus Hagbertum moribundi gutturis hauſtum
Tartareis læſo numine ſiſtet aquis.
Reddidit ille: tuæ licuit quæ jungere natæ
Nunc dabo poſtremis oſcula blanda ſcyphis.
Quæque tuam gemino ſubmerſi funere prolem,
En mea quæ calicem ſuſtulit, illa manus
Tantis ille minas objectas reſpuit auſis
Matris & effuſo proluit ora mero.
Interea ſocio miſerabilis agmine Cygne
Vitæ deflebat tempora dura ſuæ.
Dumque procul tectis caſum cernebat ab altis
Me miſeram! letho, quæ comes ibit? ait,
Nam mihi plus charæ quem munere lucis amavi,
Ad Phlegetontæos it mea vita lacus.
Ore, fidem, dixi, præſtabo mente petitus
Mors tenebris ſalve, lumine vita vale.
Dixerat: & famulæ Dominam ſunt morte ſecutæ,
Stragula queis pepli ſciſſaque veſtis erat.
Cum ſua colliſis arctarent guttura nodis,
Injectoque darent terga cremanda rogo!
Hinc miſer accenſas flammis crepantibus arces
Vidit ut Hagbertus, quæ mora mortis? ait,
Ocyus aeres moriar ſuſpenſus in auris,
Nulla mihi vitæ gaudia, mille necis.
Promiſſam quia noſco fidem rutilasque favillas
Jam Dominæ properant ultima fata meæ.

Sic

Sic Juvenis: quos & vivos amor unus habebat,
Una pari letho sustulit hora duos.
Si qua tamen simplex Juvenum face Nympha calescis,
Me fugias, Paphiæ furta, monente, Deæ.
Infelix ego sum Regalis filia Cygne,
Exemplo studeas cautior esse meo.
Improba vesanis dum consecro pectora flammis
In cœco triplici vexor amore modo.
Morte mea pereo: niveum stuprata pudorem
Exuo: proh! regnis exitiumque paro.
Quæ fruor illecebris primum, necor inde dolore:
Sic est illicitus dulcis amaror amor.
Sic horrenda graves pœnæ delicta sequuntur:
Par tragicus cœptis exitus esse solet.
Condita ne densis essent mea facta tenebris,
(Sunderburgck) Arx dedit Australi nomine dicta fidem.
Hic caput ante rogos, a sordibus exuo pectens:
Hac scelus eluitur non tamen arte meum,
Spectra sed a tergo cur sint mea cognita quæris?
Exutus nosci non sinit ore pudor
Extat adhuc pagus, miseranda morte perempti
Hagberti qui de nomine nomen habet.

J. E.

SIMILEM FERE HISTORIAM, MUSÆUS, ANTIQUISSIMUS POETA GRÆCUS, DE OCCULTO ERICI ET LEANDRI AMORE, ERUDITO ET VENUSTO POEMATE DESCRIBIT, QUAM PROPTER VENUSTATEM SUBJICERE VOLUI:

Similis historia ex Musæo Poeta græco.

Cum Ero Sestias, & Leander Abydenus occultum amorem in sacris Veneris pacti essent, nec tamen illo potiri possent, quod virgo æternæ castitatis voto, a Parentibus destinata, & turri sublimi ad Sestum & littus Hellesponti, e regione Abydi, inclusa accurate observaretur, tum quoque ipse locorum situs; Abydo urbe a Sesto per fretum Hellespontium interfluens divisa, conjunctionem amantium prohibere videretur: Leander amoris immoderata vehementia coactus, singulis noctibus Hellespontum transnatavit, ad turrim, ipsa Ero facem, ad quam iter, per nocturnas tenebras, dirigeret juvenis, e turris fastigio exerente, sicque optato amore fuit potitus. Hoc iterum atque iterum factitando, cum desideriis suis clam satisfacerent, amantes: Tandem fortuna vel ipse DEUS potius occultis amorum furtis iratus, momentanea illa gaudia, infelici ac tragico exitu clausit: dum Leander ex more ad sponsam tranaturus, fluctibus marinis, per tempestatem, obrutus fuit. Ipsa vero Ero, indignam sponsi, quem in littore jacentem exanimum conspexerat, mortem, cujus ipsa erat caussa, quam indignissime ferens, e turris præcipitio, sua sponte delapsa, cervicem fregit, unde hi versus Musæi:

\- - Sed mortuum ubi illa Maritum
Fluctibus obtritum, vidit ad fundamina turris
Tunc vestes lacerans pictas & pectora, turri
In mare subjectum se præcipitavit, ab alta:
Atque ita commoritur sponso, quem perdidit Ero
Mutua amicitiaque suprema in morte fruuntur.

Vide quoque hac de re Plinium, lib. IV. c. 15. nat. Hist. & Ovid. in Epist. Heroid. & Virgilium III. Georgicor. qui sic scribit:

Quid juvenis magnum cui versat in ossibus ignem
Durus amor? nempe abruptis turbata procellis
Cœca nocte natat serus freta quem super ingens
Porta tonat cœli, & scopulis illisa reclamant
Æquora, nec miseri possunt revocare Parentes
Nec moritura super crudeli funere virgo.

IN CÆDEM ADOLPHI VI. HOLSATIÆ AC WAGRIÆ COMITIS PERPETRATAM AB HARTWICO REVENTLOVIO, NOBILI CIMBRO A. C. MCCCXV. IN ARCE SEGEBERGA.

In Cædem Adolphi VI. Comitis.

STupra DEUM cædemque odisse fatetur, in auras
Erigit excelsum quæ SEGEBERGA caput.
Hic Comes Holsatiæ quondam regnavit Adolphus,
Cujus & agnovit Wagria terra jugum.
Iste Reventlovia prognatam stirpe puellam
Compressit, vetito detinuitque thoro.
Hæc pater HARTVICUS, cum natæ illata doleret
Stupra (probrum sobolis corda Paterna ferit)
Germanoque scelus Comitis tam grande referret,
Ore sonat frater liberiore minas.
Has postquam Comitis quidam traduxit ad aures
Commotum pectus, bile, tumente, furit.
Advocat Hartwici fratrem: Venit ocyus ille
Nec timet a Domino quid sibi triste suo.
Illius extemplo caput a cervice revulsum
Germano mittit (tristia dona) Comes
Hartwicus spectans fratris miserabile fatum
Accepit tepidum cæde recente caput
Sanguinis & guttas his vocibus impiger hausit,
En Comes, en! nostri signa doloris habe!
Quam mihi quam vere fraterni pocla bibuntur
Sanguinis, effudit quem tua sæva manus:
Tam tibi tam vere cædem hæc mea dextra parabit
Nec claudes sicca morte, tyranne, diem.
Crimine qui duplici turbasti meque meosque,
Nec mihi supplicium simplice morte lues.
Dixit: & eventu paullo post dicta probavit,
Effectumque suas jussit habere minas.
Tempus erat, spicæ quo crescunt messibus atque
Humida decursu nox breviore ruit:
Crevit in Hartwico simul immedicabile vulnus,
Concepta & fruges protulit ira suas.

Jamque dies aderat Comitis poſtremus, inultum
Quo tantum Hartwicus noluit eſſe nefas.
Venator Comitis nemori ſuccedit, Eoo,
Cum lux gramineam rore rigabat humum.
Hunc capit Hartwicus ſylvis, veſtesque revincti
Exuit, ac membris induit ipſe ſuis.
Venantisque habitu, catulo comitatus, ad arcem
Luce nova, greſſu non remorante venit.
Venantis ſpecie deceptus Janitor ædes
Et certum ad Domini funera pandit iter.
Fraude ſua lætans, propere petit ille cubile,
Qua Comitis natus, qua Comes ipſe cubat.
Vix admiſſus erat. Comitem cum percitus ira
Excitat, ac tales edit ab ore ſonos:
Mene, Comes, noſti: cædem nil tale merentis
Germani? gnatæ ſtupra memento meæ.
Crede animam cœlo, fulſit lux ultima, merces
Quæ ſcelerum vitæ, quæ tibi finis erit.
Dixit, & hoſtili jugulum mucrone reſolvit,
Cum fuſo Comitis vita cruore fugit.
Contraxit paries tantæ veſtigia cædis
Jamque etiam aſperſi ſigna cruoris habet.
Nec mora: mox idem gladio fodit ilia nati,
Nati, quem Paphiæ furta dedere Deæ.
Cædis & ex oculis ſe protinus abſtulit autor
Pro patria mutans hoſpita tecta domo.
Et Romam migrans pacem veniamque reatus
Obtinuit, templis multaque dona dedit.
Diſcite, qui inſontum cædem, vetitosque hymenæos
Diligitis, quos vis armat & imperium
Quid prohibere poteſt? madida quin morte ſub orcum
Præcipites ſcelerum vos DEUS ultor agat.
Ah, miſer, exarmat quem vis ad crimina præſto eſt
Nec quicquam armatam pœna morata manum

M. G. L. Froben.

DE NOBILI QUODAM CIMBRO, COGNOMINE SPLITO, QUI MINISTROS COMITIS ADOLPHI, ABSCISSIS PEDIBUS MULCTAVIT.

SPLITUS LOQUITUR:

De Splito Cimbro.

CIMBRIA natalem, patrias mihi Wagria ſedes,
Nobile Splitorum præbet origo genus.
Cum ſpoliis ætas quondam ſibi priſca pararit
Laudem, nec prædæ dedecus eſſet amor.
Tempore Segbergas illo qui poſſidet arces
Incitat in noſtros agmen Adolphus agros.
Turgida congeſtis ut frugibus horrea nudet
Diripiatque meas, quo vocet, ardor opes.
Sed datus arrectus dum rumor perſtrepit aures
Et ſunt indicio prodita facta meo.
Continuo validis raptores arceo vinclis
Mox geminos dura cuſpide trunco pedes
Hinc mihi quas vita mallent, dant corpore pœnas
Et Comiti dono membra putata fero.
Si cupis illæſam ſine crimine ducere vitam,
Utere quæſitis, ac aliena fuge.
Ordine namque DEUS, juſto qui cuncta creavit,
Ipſe ſacra gaudet lege, vetatque dolos.

DE MUNIFICENTIA CIMBRICA HARTWICI REWENTLOVII ERGA MAGISTRATUM.

Munificentia Hartwici Reventlovii.

IN vita Comitis Magni geſtisque Gerhardi
Hiſtoricus docto Cranzius ore dedit.
Ille ſuas ſtudiis quod opes inſumpſit honeſtis
Fecit ut Aoniis ocia grata choris.
Ac ita privatus dum vixit in urbe Renholdi,
Quod ſtudio fuerit deditus usque canum,
Contiguas quorum ſylvas indagine cinxit
Venandique Comes præfuit arte ſuis.
HARTVICUS tali mirans in pectore dotes,
Refloviæ ſidus gentis, Equesque potens.
Acer, ut appenſum per ſe curſurus ad orbem,
Si tamen admoneas fortior inſtat equus:
Sic properaturum Patris ad veſtigia duxit
Præſidio Comitem ſi levet ille ſuo.
Idque magis doctas juvenis quod noverat artes,
Gloria quæ Regum eſt, nobiliumque decus.
Concitus his heros, generis quæ poſtulat ordo
Munifica Comiti ſuppeditavit ope
Promiſitque ſacræ non ultima præmia laudis
Addidit in priſcis utile calcar avis.
Utque ſuis eſſet non impar fratribus, uſus
Iſta fortunæ proſperitate Comes.
Arduus eſt patrii factus ſucceſſor honoris
Imperiique ſuo tempore gemma fuit.
Teutonica Semeles ceu filius alter in ora
Horribili Martis fulmine bella tonans.
Fudit & ingentes magno dum robore turres
Proſpera ſors magni nomen habere dedit.
Itzhoæ tandem ſacra tumulatus in æde
Pro charis rigido concidit enſe focis.
Felices, Equitum qui fulgent ordine Reges;
Nobilitas Regni eſt, cura Ducumque ſalus.

BORCHARDI ITZEHUDÆI NOBILIS CIMBRI, FIDELITAS ERGA DOMINUM.

DUCI, FIDELES, FIDELI, SUNT SUBDITI.

A. C. 1

Fidelit Borcha Itzehu in Dom num.

Königs furde.

MAGNUS Holſatiæ Comes Gerhardus
Parva Chriſtophori cohorte Regis
Fortuna Duce, copias Leonis
Campo fuderat: Itzhudus hoſtem
Regem nobilis, Holſatus, morantem
Noctu intercipit in vado, trahitque
Gottorpum: Comitem vocat tumultu
Et plagas ſimulans graves, requirit
Sperandum ſibi quid ſit, obligato
Danis ob lytron. Huic Comes benignus
Offert ſe ſuaque omnia, atque vinctos.
Hinc Borchardus ait: Mihi benigne
Reſpondes: Animo bono eſto, grata
Captivum tibi mente ſiſto Regem,
Fideli Domino fidelis omni
Prodeſt officiis loco Miniſter.

Joh. Lauterb. P.C.

DE

DE FIDE PUERI CULINARII, ERGA DOMINUM COMPROBATA, IN ARCE RANZOVIORUM NIENSLAG, IN WAGRIA SITA.

De fide pueri Culinarii in arce Ranzoviorum.

Est regio, Holsatis Ducibus quæ subdita paret,
Wagria consueto nomine dicta suo.
Arx fuit hic olim Neoslagia nomine dicta,
Sed præsens ætas non meminisse potest.
Hæc triplici vallo, triplici circumdata fossa,
Stagnum pisce scatens nec procul inde fuit.
Ranzovius possessor erat, sed tristia tandem
Nobilis hic dicta passus in arce fuit.
Duriter a Slavis obsessus, quicquid habebat,
Deseruit, vitæ consuluitque suæ.
Nam desperata re, per stagnumque vadumque
Ipse natans arcem liquit, opesque simul.
Cætera turba suo misere se dedidit hosti,
Cuncta avidæ cujus diripuere manus.
Cumque juberentur veteres migrare Coloni,
Inveniebatur spretus in arce puer,
Qui servire coquo consueverat, is prece multa
Obtinuit, quoniam corpore parvus erat,
Ut secum ferret quantum portare valebat:
Mox humeris puerum sustulit ipse suis:
Nempe sui Domini natum, quem pectore fido
Dilectus pueri, captus amore puer.
Communis fuit his lusus, commune periclum
Communis tandem venit utrique salus.
Ranzoviis etiam post annos reddita multos
Sunt bona, quæ horribiles diripuere Slavi.
Impensisque novis arx est constructa nepotum,
Verum non illo, quo fuit ante, loco.
Henricus Ranzov Produx modo possidet illam,
Et de Ranzovio nomine nomen habet.

G. Wippermann.

DE BOCKWOLDIO, NOBILI CIMBRO, ET BULOVIO, NOBILI MEGAPOLITANO, QUI DUM BOCKWALDIO INSIDIATUR, IPSE CAPTIVUS DUCITUR.

De Bockwoldio Cimbro & Bulovio, Mecklenburgico Nobili.

Imperii postquam flexit Christiernus habenas,
Hujus qui primus nominis autor erat.
Borstelius quidam tenuit Bockwaldius arces
Jamque colit patrio prædia jure nepos.
Illi Martis atrox indixit amore duellum
Bulovius priscæ nobilitatis eques.
Hic ubi nocturnis areis incurreret horis
Exutisque daret vestibus ille fugam,
Aureolas, colli redimicula fulva, catenas
Secum, ceu spolii parta trophæa, tulit
Cumque secutus equo profugum Bockwoldius hostem
In terris cepit, Saxonis ora, tuis.
Tende manum subito (dixit) devicte catenas,
Quas tua nocte tulit dextera, redde die.
Clara dies, oculi clari, res ipsa, quid ausis
Fortibus inter nos possit uterque, dabit.
Sum tuus, hostis ait, sponda quam protinus ipsa
Abscondi metuens, illa catena tua est.
Victor ad hæc: retinens non ergo quod abstulit, atqui
Restituens furti dicitur esse reus.
Unde simul capti mihi tu, furisque nefandi
Villosique potes jam canis esse loco.
Sic diversa favent diverso tempore fata:
Estque noverca dies, quæ fuit ante parens.

DE BOCKWOLDIO QUODAM, QUI, AB INIMICO SUO WALSTORPIO, QUOCUM DE VENANDI JURE CONTENDEBAT, ANTE ARAM SUB IPSAM SACRAM SYNAXIN EST CONFOSSUS.

Ingens furit tenui e favilla incendium.

De Bockwoldio ante aram Sacram interfecto.

Longa dies monuit seros ætate nepotes
(Fama dedit factis quam meruere fidem)
Walstorpi lepores quod sit venatus in agris
Olim Bockwoldo nobilis ortus avo.
Utque peregrinis posuit venabula sylvis
Ac agiles spolii solvit amore canes.
Insuper est solito prædam clamore secutus
Pulsaque sunt duro cornua rauca sono.
Hæc ubi Walstorpi resonas perduxit ad aures
Forsitan incertis aura secunda notis.
Quæ nova? quos agris iterant arbusta tumultus?
Dixit, & instructo se tulit acer equo.
Strenuus & viso dextram poscebat ab hoste,
Ille dedit celeri terra videnda fugæ.
Principibusque reum capturæ detulit: illis
Cautum, Cimber eques ne caperetur, erat.
Est dolus in verbis, dedit alter, falleris: haud te
Dede, satis, dixi, vir bone, Ceste, meis.
Vox erat in cursu, titubat mens conscia, verbi
Quilibet interpres dicitur esse sui.
Protinus Holsato sunt prælia more dicata
Dissidiique novas sparsit Alecto faces.
Cumque suo fugiens impar Walstorpius hosti,
Natali tutus nec satis esset humo
Testor, ait, Superos, non hos tegar ante capillos,
Tincta sit hostili quam mea cæde manus.
Interea patriis profugus dum vixit in oris,
Irarum plenis ignibus ursit amor.
Sicut & hostiles, quas primo fugit, aperto
Fulmine, jam rediens Ursa lacessit opes.
Talis in absentem Walstorpius irruit hostem,
Par licet huic animo, sorte sed impar erat.
Quo non ira, furor, penetrant? quem viribus æquis
Sternere non poterat, conficit æde sacra.
Nam tutus Christi dum carne cibatur ad aram,
Sanguineo labens induit ense latus.
Addidit: Elisyos nunc tandem indagine campos
Claude, piisque hospes manibus esto novus.
Hac ego te longe melius ratione beavi,
Quam me, clementem sed reor esse Deum.
Quisquis es ah! tenuem ne despice grandior hostem,
Excitat ingentes sæpe favilla rogos.

Ick hebbe nicht gesecht giff dy; sondern uth minen Korn hef dy?

DE

DE JOANNE POGWISCHIO, QUI JACOBUM RANZOVIUM HOSTEM, IN URBE LUBECA CEPIT, ET CUM TRIBUS INDE EQUIS ILLÆSUS RECESSIT.

Ipſe loquitur.

Virtus facit, non cenſus, eſſe nobiles.

De Joh. Pogwiſchio

Ipſe ego JOANNES POGWISCHO ſanguine cretus,
FRESBURGI colui prædia larga ſoli.
Olim JACOBUS tenuit RANZOVIUS, ut me
Ære, nec eſt dicto reddita ſumma die.
Tu mihi quæ debes niſi ſolvas, Creditor, inquit:
Mox tua præfigam ſigna manumque cruci.
Nos ſoror expoſuit gemino, loquor, utraque partu,
Non gradus admittit ſanguinis ille notam.
Cuncta tibi, concede moram, ſolventur ad aſſem
Præcipitant noxas ira furorque graves.
Concitus hic furiis, & turpi Mammonis Oeſtro
Dicta facit meritam rebus habere fidem.
Quærentem valido latebras expoſco duello,
Pugnandique vices hora locusque negant.
Donec Lubecæ locus intra mœnia cellæ
Eſt datus ille mihi diſpiciendus erat.
Dedita ubi ſomno relevantem membra diurno,
Oblata cogo vincula ferre manu.
Sic dextraque fideque mihi conſtringitur ipſa,
Æs qui præterquam debeo vile nihil.
Colla ſed inde jugo ſunt & mea ſubdita. Tandem.
Lis ea Chriſtjerno Rege dirempta fuit.

PIETAS MULIERUM AC VIRGINUM NOBILIUM CIMBRICARUM IN MARITOS, FRATRES AC COGNATOS SUOS, CÆSOS A DITHMARSIS, AC SEPULTURA PROHIBITOS, QUOS SUB MONIALIUM HABITU HUMARUNT.

In conjuges pias decet eſſe conjuges.

Pietas Mulierum ac virginum nobilium Cimbricarum in maritos & cognatos. A. C. 1404.

A Chriſto nobis pura de virgine nato,
Reddita quo miſeris vita ſalusque fuit.
Mille quadringentos & tres compleverat annos
Phœbus, & in curſu præpete quartus erat.
Tunc in Dithmarſos effrenes prælia movit
Cimbrigenum Princeps ſed miſeranda nimis.
Nam bis ſex equites auratos pugna trecentos
Inſuper inſignes nobilitate viros
Atque Ducem letho dedit improviſa Gerhardum:
Non mala cauſſa licet belligerantis erat.
At nunc a viduis quid facta clade ſit actum
Nobilibus, paucis, commemorare libet.
Veſtibus indutæ quas virgo Monaſtica portat,
Conjugibus præſtant hoc pietatis opus.
Corpora ſollicite quærunt occiſa ſuorum
Exequias illis inſtituuntque pias:
Et moeſtis animis funebria munera ſolvunt.
O pietas omni commemoranda die!
Dithmarſi ſiquidem tumulum, mihi credè, negaſſent
Inſigni claris nobilitate viris.
Hac ita decepti ſancta niſi fraude fuiſſent,
Matronæ æternum qua meruere decus.

G. Wippermann.

ALIUD DE EADEM PIETATE.

DIthmarſo in bello cecidit cum Marte Gerhardus,
Holſatiæ illuſtris magnanimusque Comes.
Nobilium numerus cecidit quoque cæſus ab hoſte
Ingens, ſub dio qui jacuere diu.
Aſt horum uxores inhumata relinquere nolunt
Corpora, quæ buſtis digna fuere ſuis.
Decipiunt igitur Moniali veſte colonos
Iſtaque prætextu relligionis humant.

Dethlevus Sylvius.

DE POGWISCHIA, MATRONA CIMBRICA, QUÆ AMISSIS IN BELLO DITHMARSICO FILIIS OCTO, *MARITUM INVULNERATUM* RECIPERE DETRECTABAT.

Pro Patriæ mori ſalute gloria.

De Pogwſchia Matrona maritum invulneratum repudiante.

DIthmarſi multos e nobilitate dediſſent
Cum letho, ſociæ quos genuere domus
Accipiens ſobolis miſeram Pogwiſchia mortem
Et ſupereſſe virum: ſic ſtomachoſa refert.
Ille vir haud lateri noſtro jungetur in ævum,
Servavit vitam qui ſine laude fuga.
Militiæ vitam qui pro Duce vovit & illo
Amiſſo rediit, turpiter is rediit.
Nuncius admirans iratæ verba ſubinfert:
Non fugit. Crimen ſit procul illud, hera!
Cominus accepto vix ducit vulnere vitam,
Hinc ad ſe rediens pectore læta refert:
O me felicem! Sum prolem nacta virumque,
Pro patriis vitam qui poſuere focis.
Vulneribus patriæ virtus quæ commoda quærit,
Digna favore hominum, digna favore DEI eſt.

Joh. Lauterbach. P. C.

DE CIMBRIS IN DITHMARSIA CÆSIS.

De Cimbris in Dithmarſia cæſis.

NObilium hocce loco quamplurima, care Viator,
Corpora Cimbrorum ſemiſepulta jacent.
Deſine mirari inſueta quod claudimur urna
Noſtraque pagano membra relicta ſolo.
Illud magnanimis Cimbris eſt moris, honeſtam
Pro patria mortem quærere, non tumulum.

ALITER.

ENubi pro patriæ nos libertate cruorem
Fudimus, hic etiam corpora noſtra cubant.

Ne

Ne mirare, solent Cimbri mage solvere vitam,
Quam sua furtivæ tradere terga fugæ.
Pro patria nemo dubitet perferre labores,
Pro patriæ metuat nemo salute mori.

PRO PATRIA JUSTUM BELLUM

ARIS proque FOCIS belli discrimen adire
Nobilis est, priscæ nobilitatis honos.

ALLUSIO AD ILLUD QUINTI MUTII SCÆVOLÆ.

Et agere & pati fortia, Romanum est.
Et agere & pati fortia, Cimbrorum est.
NOn agere atque pati solum Romanus amavit:
Quin agere atque pati fortia Cimber amat.

ALITER.

NOn agere atque pati solum Romanus amavit
Fortia, quin etiam fortia Cimber amat.

ALITER.

ROma suos agere atque pati fortissima cives
Edocuit, cives Cimbrica terra suos.
M. G. L. Frobenius.

ALITER.

ROmanum est agere atque pati fortissima quæque
Et facere atque pati fortia Cimbrigenum est.
Petrus Lindenbergius.

DE ANNA BREIDANA, D. OTTONIS RANZOVII CONJUGE, HEROINA, QUÆ TANTÆ PIETATIS IN FILIOS FUIT, UT HOSTIBUS ARDENTI FOCO IMPOSITA, QUO EOS ABSCONDIDISSET, INDICARE NOLUERIT.

Maternus est ingens in filios amor.

Annæ Breidanæ ingens amor in filios.

MUtius exemplum memoratur, Scævola fortis,
Errantem quod ovans torruit igne manum.
Ranzovii Conjux exemplum majus Otonis,
BREIDANA ducens nobilitate genus.
Arce expugnata clam quos absconderat, hosti
Ne tacito genitos proderet ore suo.
Non tantum dextra sed toto corpore passa
Fœmina flagrantem fert animosa rogum.
O! fidam Matrem! vivant ut pignora vitam,
Non vitæ parcens fortis in igne manet.
Extorquere locum frustra tentabat ut hostis,
Ne redeunte viro corripiatur, abit.
Hoste soluta suos per tempora longa dolores
Sustinuit, sobolis læta salute suæ.
de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.

Desine, Roma, viros fortes extollere cœlo,
Dat quoque magnanimas Cimbrica terra nurus.
Joh. Lauterbachius P.C.

CIMBRORUM IN BELLIS GERENDIS PROPRIETAS JACOBI RANZOVII EXEMPLO, IN ULTIMA DITHMARSIÆ EXPUGNATIONE PROBATA

Affectuum victore, nemo fortior.

Elogium Jacobi Ranzovii.

ULtima Dithmarsis facerent cum prælia Cimbri
Adjicerentque suo jugera victa solo.
Sub Duce JACOBUS quidam Ranzous Adolpho
Priscis pro Patriæ legibus arma tulit.
Utque cava vidit fossæ sub valle sedentem
Armis exutum decrepitumque senem.
Cimbricus instructum, dixit, furor obruit hostem,
In victos rabies mitior esse solet.
Perque graves Martis pugnas mediosque per enses
Captivum patriis inde reduxit agris.
Fortis, is hostiles qui interficit ense phalanges;
Fortior, affectus qui ratione domat.
J. ab Elverfeld.

DE JOANNE RANZOVIO EQUITE AURATO, HENRICI RANZOVII PRODUCIS CIMBRICI PARENTE.

Ipse loquitur.

Johannis Ranzovii.

CIMBRIA bellatrix genuit me filia Martis
Duraque militiæ contulit arma mihi.
Verum ne teneri primis in floribus ævi
Esset natali sors mea fixa solo.
Ipse peregrinas urbes & regna petivi,
Quæ procul Arctoa dissita sede jacent.
Turcicus hinc Solymam cum Cæsar ceperat urbem,
Emerui factis nomen equestre meis. *A. C. 1517.*
Ac ita per belli varias exercitus artes
Vivens, servator fortis eram patriæ.
Sanguineum Danis ejeci finibus hostem,
Bis regio cujus sparsa cruore fuit.
Dithmarsosque truces fudi victricibus armis, *A. C. 1559.*
Est Oitina mea libera facta manu.
Me Travemunda Duce est capta, & obsessa *A. C. 1534.*
Lubeca,
Bis sensit vires Hafnia victa meas. *A. C. 1523.*
Adde quod illustres felici Marte triumphos *A. C. 1536.*
Victor ovans, fuso bis quater hoste, tuli.
Ætherei tandem fisus bonitate Parentis,
Exactæ vitæ tempora claudo senex!

ALIUD.

SI Superi emeritis pensarent laudibus ævum,
Hic heros nunquam vermibus esca foret.
Hujus enim auspicio Dithmarsia Martia victa
Et Regi Dana um tradita palma fuit.

Regibus imponi tribus hic diademata vidit,
Et tribus assedit, consiliumque dedit.
Hic columen regni fuit, & manus altera regum,
Holsaticæque fuit gloria summa domus.
Quodque datum paucis Solymarum auratus in urbe est
Virtutum præstans robore factus Eques.
Sed nihil ad mortem hæc, quæ nobis omnibus æque,
Serius aut citius, mors tamen Una venit.

Peter Lindenberg.

DE EODEM JOANNE RANZOVIO.

A. C. 1542. CUm Cæsar Quintus tractaret Carolus arma
Adversus Regem Martia Liligerum.
Carolus invictus Rex Franciscusque Monarchæ
Tanti commoti perpete laude viri.
RANZOVIUM scriptis invisit uterque Joannem,
Sic & ei propria scripsit uterque manu.
Dux esto nostri, vir præstantissime, belli
Et virtute tua, quam potes affer opem
Ampla feres operæ stipendia præter honorem;
Noluit ast horum castra cruenta sequi.
Sed voluit Patriæ servire fideliter uni,
Quæ hoc solo jactat se modo clara Viro.

Dethlevus Sylvius.

DE DANIELE RANZOVIO BELLI CONTRA SVECUM GESTI DUCTORE REGIO.

Danielis Ranzovii. ROma fatum quondam metuebat Amilcare, cujus
Ausonis invictas horruit ora manus,
Magnanimi donec Scipionis robore victo
Inferrent properam sumta venena necem.
RANZOVII nostro DANIELIS tempore Svecis
Majorem peperit vis animosa metum
A. C. 1563 quo bellum Svecicum cœpit, usque ad A. C. 1569. quo D. Ranzovius obiit. XI. die Nov. Sex quia continuis summus dum præfuit annis
Militiæ Ductor, Rex Friderice, tuæ,
Adversas vicit ter aperto Marte phalanges
Atque trophæa suo munere digna tulit.
Ausus & exiguis invadere viribus hostem,
Ipse dedit victor millia multa neci.
Tresque, feris belli Ductores obruit armis,
Pressit & hostili colla subacta jugo.
Denique, Warburgæ cum mœnia cingeret arcis
Regis ut imperio subderet illa sui.
Usuram lucis tormenti glande reliquit
Mens subiit cœlos: fama solo remanet
Pœnorum celebres extollant facta nepotes:
Novit & Hannibalem Cimbrica terra suum.

J. ab Elverfeld.

ALIUD.

EGregiis nulli factis, nulli arte secundus,
Nulli animo, nulli Marte togaque fui.
Namque Svecos domui Danorum milite Regis,
Fortes tres cepi sorte juvante Duces.
Millia devici non multo milite multa
Et sæpe exuvias victor ab hoste tuli.
Mars eadem timuit, quare me vulnere sphæræ
Lethiferæ læsum sustulit ante diem.
Quisquis es, humanos hominum perpendito casus
Exitus in dubio est horaque: fata rata.

Peter Lindenberg.

IN HENRICUM RANZOVIUM PRODUCEM CIMBRICUM.

DIvitiis tantum Pluto, Mars belliger armis, *Henric. Ranzov.*
Artibus ingenuis pulcher Apollo nitet.
At decus Holsatiæ HENRICUS RANZOVIUS ipsis
Divitiis ipsis laudeque Martis ovat.
Clarior anne Diis? hæc qui conjuncta tuetur,
Quæ simul hi terni non potuere Dii?

IN EUNDEM.

ALcides partem patriæ latrone redemit,
Perculit infestos acer & inde lupos.
Totam RANZOVIUS patriam latrone redemit,
Expulit astutos fortis & inde lupos.
Dic mihi, Lector, uter majori laude canendus?
Si non RANZOVIUS par utriusque decus.

ILLUSTRISSIMI ATQUE POTENTISSIMI DOMINI, DOMINI STEPHANI BATHORY, POLONIÆ REGIS PRINCIPIS TRANSYLVANIÆ,

DE HENRICO RANZOVIO PRODUCE CIMBRICO JUDICIUM.

MAxima nobilibus laus esse parentibus ortum
Æmathiumque sua vincere sorte, Midam.
Majorem pariunt meritæ virtutis honorem
Junctæ Castaliæ cum pietate Deæ.
His quia tumultos superas, HENRICE: Polonus
Talia Rex de te Stephanus ipse tulit:
Si quis erit studiis, opibus virtute beatus,
Is, me, RANZOVIUS, Judice, Cimber erit.
Ergo tuis heros perge inclarescere factis,
Sic tibi virtutis fama perennis erit.

Jonas Elverfeld.

IN SENTENTIAM MEMORABILEM HENRICI RANZOVII PRODUCIS CIMBRICI.

AUres arrigite, o! quotquot pia stirpis origo
Et doctrinarum nobilitavit amor:
Quos tamen ob Musas Centaurorum effera proles
Prosequitur odiis prosequiturque dolis.

Nobi-

Nobilitatis honos & gemma Henricus avitæ
RANZOVIUS, per quem fama perennis ovat.
Audierat quosdam ex Equitum grege prorsus iniquo,
Ferre animo, Aonias quod cumularet opes
Nempe quod in scriptis condendis poneret ævum
Ederet & variis tot monumenta libris.
Subrisit cano sapiens RANZOVIUS ore,
Et memorabilibus vocibus usus, ait:
O! miros homines, mihi qui non illa relinquunt,
Quæ non sunt ipsis noxia, grata mihi!
O! Heroica vox & Divo Nestore digna
Audite hunc thalamo nobiliore sati.
Doctrina in quovis pulchra est; sed pulchior ipsa
In vobis: ornat Martis, ut artis honos.

Salomon Frencelius
P. C.

DE INSIDIIS HENRICO RANZOVIO STRUCTIS, ET DEI BENEFICIO TEMPESTIVE DETECTIS.

QUisquis habet comitem Divini Numinis auram
Non ullum potis est, huic nocuisse malum.
A. C. 1592. RANZOVIUS testis, quem septem nuper avebant
ætatis 67. Latrones tacita tollere fraude senem;
Ni PATER æthereus, qui cuncta auditque videtque,
Cœlesti innocuo præsto fuisset ope:
Illaque pestifera, illa fera, & atrocia monstra
Mulctasset digna carnificina nece.
Ne pecces cave, quantumvis evadere possis:
Longa revelabit singula facta dies.
Mortalem facile est celare piacula; verum
Maxima futilitas fallere velle DEUM.

Peter Lindenberg.

SYMBOLON HENRICI RANZOVII.

MOrs, quæ corporeæ est hujus destructio massæ,
Janua ea est vitæ principiumque novæ.

DISTICHON GEORGII FABRICII AD IDEM ALLUDENS.

COrpora, quæ tumulis requiescunt, ponite questus,
Illa olim referet magnus ad Astra dies!

ALIUD SYMBOLON HENRICI RANZOVII.

SIc mortalis homo fugitivum transigat ævum
Nesciat ut vinci, nesciat utque mori!

de Westphalen Monum. ined. Rer. Ger.

TUMULUS,
MAGNO ILLI HENRICO RANZOVIO PRODUCI CIMBRICO, CONDITIONIS HUMANÆ IN SUMMA SENECTUTE, PARIQUE DIGNITATE BENE MEMORI, IDEOQUE AD COELESTIA ASPIRANTI, DUM ADHUC IN VIVIS ESSET, CONDITUS.

CIMBRIA quem novit, quem novit Dania tellus,
Hoc sua RANZOVIUS condidit ossa solo.
Qui, dum vita fuit, meritis amplissimus orbi
Arctoo, & Patriæ commoda multa dedit.
Virtus, Musa, Charis defuncti funere lugent,
Quicquid & eximium Cimbria clara fovet.
RANZOVIO amisso sese amisisse fatentur
Hospitium Virtus, Musa, Charisque suum.
Cur tantus moritur tam charus Regibus ipsis?
Quod Regum Regi carior ille DEO est.
Una hæc RANZOVII fato nisi caussa subesset,
Maxima mirarer Numina posse mori?

Salomon Frencelius à Fridenthal
P. C. & Illustris Acad. Juliæ
Professor Publicus.

Heroi optime merito condebat.

NUNC ECCLESIASTICI SEQUUNTUR VIRI, EX CIMBRIA ORIUNDI, QUI IN RELIGIONE CHRISTIANA EXCELLUERUNT, EAMQUE PROMOVERUNT.

Promotores Christianæ Religionis.

CLEMENS II. PONTIFEX ROMANUS, ALIAS SUIDIGERUS MEIENDORFIUS, EQUES CIMBER.

Ipse loquitur:

Meiendorfii, Pontificis & Episcopi.

SUidigerus Cimbris dicor, Meindorfius, ipso
Itala Clementis nomine terra vocat.
Ardua Pontificis cum tradit munera Cæsar
Henricus, quem me tertius esse jubet.
Cæsarius postquam rego Cancellarius aulam,
Regnaque consiliis Teutona penso meis.
Postea Bambergæ designor Episcopus urbi,
Annis, qua, tueor pastor, ovile tribus.
Me Sutrii donec plenus consensibus, ingens
Officii tollit Pontificalis honor.
Et sic quæ valido Proavis sunt Marte negata
Arte mea fiunt subdita regna mihi.
Ordine sed primo vocor a Clemente secundus,
Nam factis merito præstat uterque suo.
Quem caput agnoscit, nocuo tamen inde veneno
Extinguit donis invida Roma meis.
Justa mihi celebris solvit Bamberga sepulchri,
Æthere Christicolas nunc ago Pastor oves.

Obiit Romæ A. C. 1047.

ADALGERIUS MEIENDORFIUS, EPISCOPUS HAMBURGENSIS, EQUES CIMBER.

Ipſe loquitut.

MAgna gerendarum mihi quod prudentia rerum
Et ſacra Romanæ cognita ſedis erant.
Primus Cæſareæ leges Oto contulit aulæ
Conſiliisque ſtetit Teutonis ora meis.
Cujus & Hamburga ſucceſſor Udonis in urbe
A. C. 936. Auſpicio Divi Præſulis arma tuli.
Quodque gravi non tunc periit Germania motu
Gloria debetur laudibus illa meis.
Cum fuit Arctois regio contermina Cimbris
Dania Catholicæ relligionis inops.
Illam perluſtrans docui pia dogmata verbi,
Qua ſita Parrhaſiis eſt Cynoſura locis.
Baptiſmo tinxi parvo cum Rege Gunhildam
A. C. 949. Cæſaris hic dictus voce Suenotho fuit.
Hinc cum diſſidii vario privata tumultu
Terrarum fidei regna nitore forent.
Excellens Henetæ dicebar Apoſtolus oræ:
Nam fuit hæc donis irradiata meis.
Ergo perpetua me tollent laude nepotes,
Obiit A. C. 988. Donec erit Chriſti terra profeſſa fidem.

ADELWARDUS MEIENDORFIUS, EPISCOPUS VERDENSIS, EQUES CIMBER.

Ipſe loquitur.

COntulit Henricus Vordæ diademata Cæſar,
Qui vetus aucupii nomen ab arte tulit,
Commiſſasque mihi vero pietatis amore
Impoſito pavi munere præſul oves.
Sicut & auxilio puppis Rectoris onuſta
Tuto marmoreas æquore ſulcat aquas:
Sic illæſa ſtetit variis Eccleſia ſectis,
Dum fuit imperii tradita cura mihi.

NICOLAUS WOLFIUS, EQUES CIMBER ET EPISCOPUS SLESVICENSIS 37.

Ipſe loquitur.

Epiſcopi Sleſvicenſes. QUi grege de rapido cognomina duco luporum,
Non ſic quod parili ſim feritate, vocor.
Sed velut a domito repetita vocabulo mundo
Electus A. C. 1429. Traxerunt ſummi, quæ meruere, Duces.
Sic virtute lupos ego debellando furentes
Nomen ab infeſtis dicor habere lupis.
Si dubitas vel ſacros contemplator honores,
Queis, Præſul lectus, non ſine laude fruor.
Aſpice commiſſum a Chriſto, quod tutor, ovile:
Hoc nullos metuit me moderante lupos.

Matthias Pauſenus.

HELDERICUS DE WISCH, EQUES CIMBER ET EPISCOPUS SLESWICENSIS 38.

Electus A. C. 1477.

Ipſe loquitur.

NOn te defendit tumulo ſacra Infula Præſul,
Non virtutis honor, ſed veritatis amor.
Omnia ſunt etenim certæ ſubjecta ruinæ,
Cunctis ad manes una eademque via eſt.
Non igitur mirum haud tibi, quod Parca invida parcat,
Antiquam in Matrem Cræſus & Irus eunt.

Peter Lindenberg.

HENRICUS WITTORP, EQUES CIMBER, EPISCOPUS RACEBURGENSIS 18. QUÆ FAMILIA ADHUC EXTAT.

VIrtutum baſis & Proavorum ſtemmate clarus
Ac illa Holſaticæ firma columna domus,
HINRICUS WITTORP, Raceburgi Præſul amatus
Hoc ſua depoſuit membra caduca ſolo.
Ipſam animam Chriſto mandavit: quo Duce vitam
Qui claudit placide, poſtmodo vivus erit.

Johannes Schelius.

DETHLEVUS DE WISCH EQUES CIMBER, ET EPISCOPUS SLESVICENSIS 40.

A. C. 1

Ipſe loquitur.

BElla manu valida nunquam crudelia geſſi,
Sed rexi & texi præſul ovile DEI.
Conſiliisque meis ſuffulſi Patria tecta
Et feci officium ſedulitate meum.
Non decet armatus gerat effera prælia præſul,
Aſt ut Divino dogmate paſcat oves.

P. Lindenberg.

VOLRADUS DE DORN, EQUES CIMBER, EPISCOPUS RACEBURGENSIS 15. QUÆ FAMILIA NUNC DESIIT.

Raceburgenſis.

CLarus in hac Præſul requieſcit DORNIUS urna
Volradus patrii lausque decusque ſoli.
Qui dum conatur patriæ ſervire ſaluti,
Eripitur telis, mors truculenta, tuis.
Amplius ergo nihil ſupereſt, quam dicere, nobis:
Præſul nunc Divis addite clare, Vale!

Johann Poſſelius.

ALBERTUS KRUMMENDICK, EQUES CIMBER, ET EPISCOPUS LUBECENSIS 23.

Electus C. 1466.

Ipſe loquitur:

PRæſulis ALBERTUS decoror KRUMDIKUS honore
Aulæ Lubecæ ſceptra ferente meæ.

Et Lubecenſes.

De

De ſtudio vitæ quæris? quem nomine dicunt,
Illum me rerum dexteritate putes
Hinc mea Pierides lugent poſt funera Muſæ,
Et pietas cineres exulat ante meos.
Nobile Lubecæ buſtum teſtatur amorem,
Obiit A. C. 1489. Urbs ea, quo ſolvit juſta ſuprema mihi.

L. F.

DETHLEVUS REVENTLOVIUS, EPISCOPUS LUBECENSIS 29. EQUES CIMBER.

Elect. A. C. 1535. NEmo fuit te pace prior, digniſſime Præſul,
Nemo altis potior dotibus ingenii.
Nemo in conſiliis dandis templisque regendis
Promtior, eloquio mitior, ac gravior.
Obiit A. C. 1541. d. 15. Januar. Quare, vera licet ſi de te dicere, dicam;
Dignus hic æternum vivere Præſul erat.

Peter Lindenberg.

BALTHASAR RANZOVIUS, EPISCOPUS LUBECENSIS 30. ET PRÆPOSITUS SLESWICENSIS, EQUES CIMBER.

QUi ſimilem vitro fortunam prodidit eſſe,
Nil, niſi quod res eſt, hunc retuliſſe puto.
Sæpe levi caſu cum ſplendet, frangitur illud:
Hæc quoque cum ſplendet, frangitur atque perit.
Res patet exemplis: e multis ſufficit unum,
Verſibus id paucis commemorare libet.
Aſpice BALTHASARUM, qui Præſul in urbe Lubeca
Nobilis & tanto dignus honore fuit.
RANZOVIDUM certe generoſo ſanguine cretus,
Elect. A. C. 1556. Hic erat eximiæ nobilitatis eques:
Acceſſit generi pietas, acceſſit eidem
Sinceræ verus relligionis amor.
Acceſſit virtus fulvo pretioſior auro,
Quæque ſolet vere nobilitare viros.
Inſuper ingenium claris natalibus hauſtum
Balthaſar ingenuis artibus excoluit.
Legitimis mediis dignum ſic nactus honorem
Et præſul celebri factus in urbe fuit.
Heu mihi, quam ſubito fortuna benigna receſſit!
Quæ manet in nullo certa tenaxque loco.
Quam triſti caſu privatus honore bonisque
Ex inſperato Balthaſar ille fuit.
Eſt etenim captus Danorum Regis ab hoſte
Captus & immerito damna nefanda tulit.
Namque peregrinas mox eſt adductus ad oras
Et dare ſat magnum juſſus ab hoſte lytron.
Hunc animo forti caſum ſuperavit & hoſtem,
Noluit ipſe ſuis exhilarare bonis.
Obiit A. C. 1567. Maluit hanc fragilem captivus ducere vitam,
Exemplo Cimbris quam nocuiſſe malo.

Georg. Wippermannus.

ANDREAS WOLFIUS ABBAS CORBEJENSIS.

CUi ſors cauta dedit prænomen & omen honeſtum, *Abbates Corbejenſis.*
Agnomen rapidi cur habet ille lupi?
Ipſo hoc cum nec amabilior nec amicior alter
Nec fuerit cunctis mitior agnus agris.
Templa, Scholæ, & Monachi teſtes, chariſſimus Abbas
Per tria quos rexit binaque luſtra bene Elect. A. C. 1374.
Forte καὶ ἀνλιφεασιν tibi ſunt data nomina Wolfi,
Plus ove quod molli mollia corda geras.
Sic bellum haud bellum, ſic lethum haud nomine lethum
Sic Parcæ nomen, non tamen omen habent. Obiit A. C. 1400.

HARTWICUS REVENTLOVIUS, ABBAS REINFELDENSIS 19.

vixit circa A. C. 1380.

SI doctrina fides, pietas, fera fata morari
Poſſent, hic Abbas non moriturus erat. *Reinfeldenſis.*
Cui nam fraus odio ſemper, cordi ardor honeſti,
Pax animo, curæ patria, templa, ſcholæ.
Ob quæ mortem ejus properam nunc Cimbria deflet
Famaque fluctiſonas Albis adauget aquas.

M. Johann Poſſelius.

BARTOLDUS RANZOVIUS, CANONICUS BREMENSIS ET HAMBURGENSIS, PRÆPOSITUS HADELERIENSIS, MORITUR BUXTEHUDÆ A. C. 1489. d. 8. JANUARII. *Canonici Bremenſes.*

RElligio vetus hunc Martis deduxit ab armis,
Ranzovio quamvis ſtemmate natus erat.
Bremenſi numerum fuit æde adſcriptus in illum
Bartholdus Canonum qui ſacra Jura colit.
Quin & idem, fama refluum venerandus ad Albim
Hamburgi ſumma, geſſit in æde decus.
Propoſitum ſacris Hadeleria meſſis abundans
Extulit, ob dotes, eloquiumque viri.
At novus ut quondam Bremenſis Epiſcopus oræ
Concordi Procerum debuit ore legi.
Ante diem fato Buxthuda ceſſit in urbe,
Mœnia qua vitreis Vivera lambit aquis.
Flebilibus Bremam tranſfertur honoribus urbem
Et datur impoſito marmore corpus humo.

DETHLEVUS RANZOVIUS, CANONICUS BREMENSIS ET HAMBURGENSIS, D. JOANNIS FRATER, MORTUUS ROMÆ. A. C. 1504.

CIMBRIA me genuit, docuitque Bononia clara,
Doctrinæ vero præmia Brema dedit.
Fecit & hoc Hamburga quidem, porro Itala tellus
Me rapuit gremio ſervat & ipſa ſuo.

Cimbria ſic cunas dedit, invida Roma ſepulchrum,
Me patria reducem nec tulit eſſe meæ.
Sors eadem Cimbris fuit eheu! pluribus olim,
Res quibus in bello eſt optima viſa mori.
Terra inimica vale: ſolerti proſpice cura,
Ne repetat cineres Cimbrica terra ſuos.
Interea fateor, quod ego terraque locoque
Non potui naſci, nec meliore mori!
Henningus Conradinus.

Hic Dethlevus promotus fuit in Magiſtrum artium A. C. 1465. a Decano Magiſtro Joanne Han, ac inter decem Competitores ſuos, primum locum obtinuit, teſte Matricula Univerſitatis Roſtochienſis.

ALBERTUS CRANZIUS HAMBURGENSIS, S. THEOLOGIÆ DOCTOR ET ECCLESIÆ CATHEDRALIS IBIDEM DECANUS, HISTORICUS CLARISSIMUS.

Hamburgenſis.

CRANZIUS, Hamburgi decus admirabile, ſcriptis
Nobilis Hiſtoriæ lumen & artis honos.
Doctoris titulum ingenio & pietate merebat,
Dum pure populum cœlica verba docet.
Hinc ipſum officio templum Cathedrale Decani
Præficit, & ſummo proſequitur ſtudio.
Quin etiam in partem aſſciſcit curamque Senatus
Cimbria mota fide, judicioque viri.
Ipſius ingenium pietatem artemque fideli,
Quam cura expoliit, charta fatetur anus.
M. G. L. Frobenius.

IN EFFIGIEM HENRICI RANZOVII, PRODUCIS CIMBRICI.

Epigramma in Henricum Ranzovium.

QUem ſacer Elyſiis Cicero miretur in umbris,
Invideat Clarii cui Maro fontis aquas:
In Medicis tribuat cui natus Apolline palmam:
Vincere quem lingua Neſtora poſſe putes:
Hanc gerit effigiem tali ſub imagine Ranzow,
Cimbrica quo majus non habet ora decus
Sed quid opus variis in cœlum extollere verbis,
Quem ſuperi meritis Antipodesque ferunt.
Illius uberius nomen ventura loquentur
Secula & ingenii neſcia fama mori.

IN ARCEM BREIDENBERGENSEM EPIGRAMMA.

Ejus arcis Breidenberg.

QUi mihi Pyramides, qui celſa palatia Cyri
Inque Epheſo jactat templa ſuperba Deæ.
Ille vetuſtatis mihi prodiga ſecula narrat
Et rudis effrenes ſimplicitatis opes.
Te BREIDBERGA tamen qui conſpicit aggere cinctam
Aerio, dicet Principis iſtud opus.
Condidit ad luxum mollis monumenta vetuſtas,
Quæ dedit exitio ſingula tempus edax.
Inclyte RANZOVII, tu propugnacula condis
Vultu etiam fatis pene timenda ſuis.
Illa fuere igitur, fecit quæcunque vetuſtas:
Hoc erit æternæ poſteritatis opus.

ALIUD IN BIBLIOTHECAM IN EADEM ARCE AB HENRICO RANZOVIO JOHANNIS EQUITIS AURATI FILIO CONSTRUCTAM.

Et Bibliothecam.

SI mea tam maneant longævo carmina ſeclo,
Ludimus imparibus quæ variata modis.
Quam duraturos certum eſt, quos, maxime RANZOW,
Colligis hic doctos, doctior ipſe, libros.
Pluribus & verbis & verſibus inclyta cantans
Æternum meriti tot monumenta tui:
Sed mihi cum deſint verſus cum verbaque deſint,
Queis digne poſſint munera tanta cani.
Poſt, genitis res ipſa, tuum, proclamet honorem
Cultaque det tales Bibliotheca ſonos.
Nomine perpetuo Muſas Ranzovius ornat,
Ipſum perpetuo nomine Muſa canat.

PERORATIO OPERIS.

ET jam collaborantis DEI beneficio, qua tripartitam noſtræ Cherſoneſi Cimbricæ deſcriptionem ad finem perduximus:
I. in cujus I. libro Chorographiam provinciarum ac partium ejus interiorum delineavimus, Se-
II. cundo Inſularum exterius Patriam noſtram circumjacentium, fluminum ac piſcium præcipuorum enumerationem potius, quam deſcri-
III. ptionem inſtituimus: TERTIO, de origine, nomine, ſede, migrationibus, bellis moribus, ac inſtitutis Cimbrorum tam veterum, quam recentiorum tumultuaria oratione diximus.
IV. QUARTO denique & ultimo, inſigniorum Heroum, qui e Cimbria noſtra oriundi, partim in Eccleſia, ſacris adminiſtrandis, partim in republ. armatis togatisque artibus tractandis laudem ſibi nomenque perpetuum compararunt, elogia non tam deſcripſimus, quam aliis plenius & exactius deſcribenda adumbravimus: Et horum quidem res geſtas ſoluto primum deinde ligato ſermone ſuccincte enarravimus, quibus paſſim Hiſtoriolæ elegantiores, quæ hiſce in locis antiquitus evenerunt, ſunt inſertæ. Etſi autem fateor jejunum me fuiſſe aridoque ſtilo, præclaras tam illuſtrium virorum laudes deſcripſiſſe: Tamen de candore tuo, lector humaniſſime, id mihi polliceor, facile me veniam apud te impetraturum, qui intelligas, aliud eſſe, Hiſtoricum agere, aliud Oratorem: Cum & operis, quod in immenſum excre-

In Insignia Ranzoviana

Parte rubet dextra Clypeus, pars alba sinistra est,
Et super in galea cornua bina micant.
Cornua sunt robur, Martis color, alter, et alter
Pacis: utrumque satos nobilitate decet.



Ranzovicæ clypevs referens
insignia gentis

Quid hæc simplex? simplex fuit ipsa vetustas
Simplicitas formæ stemmata prisca notat.



creviſſet, ſi inſigniora facta plenis buccis, ac exquiſitis verborum ornamentis fuiſſent decantanda, ratio me excuſet. Sed & illud non inficior, fieri omnino poſſe, ut ex illuſtribus viris nonnullos omiſerim, præſertim qui in illa Cherſoneſi noſtræ parte, quam Jutiam Borealem appellant, longo hinc tractu porrectam, vixerunt. Verum, benignus lector, & hac in parte æquiorem erga nos ſe exhibebit, perpendetque, & procul illos a nobis eſſe ſitos, & laborem iſtum omnes inveſtigandi, non unius eſſe, neque etiam præter privata, alienis negotiis, & quidem aſſiduis ac graviſſimis, quæ nobis impendent, occupati. Omnes imo, qui hoc cognoſcent, ſtudioſe rogo, ut ſi quæ alia ab hoc inſtituto noſtro non aliena collegerint, aut ipſi adjiciant ſuis in exemplaribus, aut me libere illa candideque admoneant. Agite, nemo ſit tam promtus ad monendum, quam ego ad editionem iterum atque iterum adornandam. Hiſce ave, atque vale, candide lector, & noſtris laboribus feliciter fruere!

FINIS.

II.

NICOLAI MARESCHALCI, THURII, ANNALIUM HERULORUM AC VANDALORUM LIBRI SEPTEM.

AD HENRICUM, ILLUSTREM MEGAPOLENSEM DUCEM, VANDALORUM PRINCIPEM, COMITEM SUERINÆUM, RHOSTOCHIORUM AC STARGATIORUM DOMINUM, NICOLAI, MARESCALCI, THURII, IN ANNALES HERULORUM AC VANDALORUM PRÆFATIO.

Scripturus ego majorum tuorum vitam, princeps illuſtris, operæ pretium duxi initium a prima eorum origine facere. Ita enim familiam tuam regiam, ac illuſtriſſimam, nullique germanorum nobilitati ſecundam, multa ante ſæcula propagatam, quæ a ſcriptoribus claſſicis partim vetuſtate, partim temporum varietate, ac bellorum tumultu, & maxime nominis mutatione neglecta, in lucem optime, te hortante, depromemus, Heruloſque ac Vandalos tuos, reges quondam longe famatiſſimos, e quorum ſanctariis hæc excerpſimus, ſub imperio poſt romano, & academia chriſtiana attritos, ab inferis veluti exuſcitatos, & a tenebris denſiſſimis, quibus delituere, aſſertos, advitam revocemus. Reviviſcunt enim vita defuncti, quum facinora eorum præclara, & facta memoria digna legenda poſteris, aut ſpectanda præbentur. Atque utinam ego in demerendis beneficiis erga me tuis maximis officium ita poſſem hoc ſuſceptum navare, & peragere, præſtareque, quod maxime cupio, ut tibi cum primis, pro dignitate, voluptati foret. Etenim tu antiquitatis totius es, & virtutum omnium amator ſummus, ac maximus. Tu decus certe unicum & gloria ingens majorum, qui corporis dexteritate, animi prudentia, magnanimitate, fortitudine & conſilio præſentiſſimo inſigniter refulges, interque hæc αὐτοῦργος, καὶ τεθραλιατὴς, omnia per ſeſe agens, vita tota laborioſe invigilans. Quid benevolentiam in finitimos? quid charitatem in ſubditos referam? qui non modo in viventes tantum benemerentiſſimus, ſed & in demortuos etiam pientiſſimus eſſe ſoles, nimirum qui obire majorum tuorum parentationes τὰ κτερίσματα, προκίσεις, ἔνατα, καὶ κριακοντάλας ipſe præſens, *inter aulicos frequentes*, pullatus, atratuſque, devotiſſime religioſiſſimeque conſueſti. Ingeniorum inter hæc doctorum amator, paredros amore eximio proſequeris, jure reddundo officioſiſſimus, minime imperioſus, æquitatem maxime amplectendo, phelomata, impoſturas, adulationes explodens, vereque ſententiam eam conſequens, quam probavit rex clariſſimus Antigonus. Nam quum pſeuſtes quidam diceret regibus eſſe honeſta omnia & juſta, ita inquit per Jovem, ſed barbaris. Nobis vero quæ honeſta tantum, honeſta, & quæ juſta, juſta ſunt. Neque vero ego in produndis his centrones, & dentes theoninos, Callipedeſque unquam verebor, quum &

Por-

Porphyrius conditum ab Aristotele, Stagyrite, philosophorum omnium facile principe, commentarium scribat, quod πεπλὸς, quo author tantus ducum genealogias, & numerum navium ad Ilium profectarum complexus, epigrammata in duces singulos & disticha præterquam in Ajacem ediderit. Nam & Homeri olim delitiæ illæ erant, disciplinarum omnium bonarum principis, a quo catena ejus aurea, ut philosophi illius divini anuli Platonici. Quod si iccirco Palepaphatus maxime placuit, quod ea tantum scripserat quæ viderat ipse, aut a testibus adjuratissimis acceperat, non desperabo ego in genere hoc fortasse ex numero universo inventurum me unum, cui omnino non displiceam, *qui nihil in iis rettuli nisi testis* oculatus, præter ea, quæ ex monumentis transcripsi fidelissimis majorum tuorum, de quibus, si gloriari in rebus mortalibus & fluxis licet, jure tibi gloriandum. Vale bellissime, Rhostochii ex museo nostro, ad Idus Junias. M. D. XXI.

LIBER PRIMUS

DE HERULIS ET VANDALIS,

ILLORUMQUE ORIGINE AC RITIBUS.

Qui sint Heruli, & de inundatione Cimbrorum. C. I.

De Herulis & Cimbris.

HErulos omnis fere testatur antiquitas cum Cimbris simul, oceani inundatione a septentrionibus pressis, e Scandinavia olim prodiisse, quemadmodum gentes pleraque alias, *Gepidas*, (*a*) Rugios, Venetos, Antes, (*b*) Vividarios, (*c*) Sclavos, quarum quum alii, tum Jornandes meminit ad Castalium. At de gentibus aliis alias, cum Herulis interim nobis negotium. Se-

Sedes Herulorum.

des temporibus antiquissimis illis inter Albim fluvium & Oceanum, plurimumque in maris littore. Verum enimvero Cimbrica inundatio ante belli Trojani tempora accidit, qua e patria, ut scribit Strabo libro Geographiæ septimo, calamitosi ac miseri eluviem refugientes ad Scythas atque adeo paludem Mæoticam abiere, a quorum trajectu Bosphorus Cimmerius, multis etiamnum ac variis antiquitatis monumentis extantibus, inter quæ muri Cimmerii, prætoria Cimmeria, quorum meminit Herodotus libro quarto. Strabo libro Geographiæ septimo Bosphorum Cimmerium os Mæotidis appellat, Cimmeriorum montem esse, in quo magnus Cimmeriorum & Bosphororum potentatus. Cimmeriorum itaque crebra apud Homerum mentio, quippe qui & bello militarunt Tro-

(*a*) Gens Gothica. Jornandes nomen repetit a *gepanta*, Loccenius a gothico *Gepa*, *gapar*. h. e. piger, oscitans.

(*b*) Antes, Venedi & Slavi unius stirpis. Procopius de B. G. L. IV, c. 4. L. III, c. 14. Et unius derivationis ab *Antzen*, *Venas* & *Slawa*, h. e. in lingua Slavica, gens dominans, glorioſa.

(*c*) Autor intelligit Dantiscanos, Gythones Borusscorum, Aliis dicuntur *Viridiarii*, *Widiarii*, h. e. Insulares, *die Werderschen*. Legi meretur *Leibnitius* de Origin. gent. in Miscellan. Berolinens. & de Antibus Slavis D. *Mascovius* L. VI. Hist. German. §. 47. p. 241. a *Ludewig* in Vita Justiniani p. 510.

ELIÆ SCHEDII

Teutsche Uberſetzung der Hiſtoriæ Herulorum per Nicol. Mareschalcum Sermone latino sed difficili conscriptæ.

Das Erſte Buch Von denen Herulen und Wenden,

Deren Alten Ankunfft und Gebräuchen.


Das erſte Capitel. Wer die Heruler ſeyn, und von des Cimberſchen Meeres Ergieſſung.

DAs bezeuget schier einhellig die verhandene alte Nachricht, daſs die Herulen, oder Werlen mit denen durch des mitternächtigen Meeres Ergiessung bedrängten Cimbern zugleich vor Alters aus Schonen hergekommen, gleichwie unterschiedliche viel Völcker mehr, die Gepiden, Rugier, Veneter, Antes, Vividarier, Schlaven, deren dann sowohl von andern, als auch Jornandes an den Castilium Meldung beschiehet. Wir gehen die andern Völcker dismahl stillschweigend vorbey, und bleiben allein bey denen Herulern, welche ihren Sitz und Wohnungen vor uralten Zeiten, zwischen dem Fluſs der Elbe, und der offenbahren See und meistentheils an dessen Ufer gehabt haben. Es hat sich aber die Cimbersche Meer-Ergiessung für der Zeit des Trojanischen Krieges zugetragen, durch welche denn die elende beängstigte, und des Meers Ungestümmigkeit fliehende Leute, wie Strabo in seinem siebenden Buch der Welt-Beschreibung erwehnet, genöthiget sind, aus ihrem Vaterlande sich zu begeben, nach denen Seiten, und so gar biſs an das Mæotische Meer, dessen Enge dann, von ihrer Ueberfahrt den Nahmen Bosphorus Cimmerius erhalten, und finden sich noch allerhand alte Gedenck-Zeichen von ihnen, als die Cimmerischen Mauren, die Cimmerischen Föhren, deren Herodotus im 4ten Buch gedencket, Strabo im VII. Buch seiner Welt-Beschreibung nennet den Bosphorum Cimmerium einen Mund des Cimmerischen Meers; des Cimmerischen Berges geschiehet Erwehnung, worauf eine gewaltige Herrschafft der Cimmerier und Bosphorer gewesen. Bey dem Homero fället auch für offt wiederholete Meldung der Cimmerier, als welche in dem Tro-



Brühl fc. Lips.

Nicolaus Mareschalcus
Thurius Legum ac Canonum
D. Consiliar. et Cancellarig
Mecklenb. obiit 1525.



Trojano, quos noviſſe Homerum Strabo indicat libro Geographiæ primo. Sed & Cimmeriorum poſt Homerum ex antiquis meminere Ephorus, Clitarchus, Poſſidonius, qui Cnei Pompeji tempeſtate vixit, Xenophon Lampſacenus, Pytheas Maſſilienſis, CL. Ptolomæus. E Romanis vero Cimbrorum T. Livius, C. Plinius, Julius Solinus, Cornelius Tacitus, Plutarchus, poëtæ complures, Vergilius, Lucanus, Juvenalis, Propertius. Cimmeriorum item regionem Ulyſſes apud Homerum libro Odyſſeas undecimo denarrat, ubi hoc inquit pacto plenis tota die velis jam nocte obſcura profundi oceani fines attingimus, ibi Cimmeriorum populus & civitas caligine & nube obducitur. Nunquam enim ſolem adſpiciunt, neque quum ſtelliferum cœlum permeat, nec quum ſub terra eminus agit, ſed miſeri mortales exitioſa nocte damnantur. Hic authore Homero Perimedes & Eurylochus ſacra fecerunt. Ipſe vero Ulyſſes ſtricto a latere enſe foveam cubiti quoquoverſus magnitudine fecit, & defunctorum ibi manes evocavit, Helpenoris cum primis, quem optabat antequam Tyreſiam conſuleret. *Strabo.* Strabo quoque libro Geographiæ primo Homeri carmina citat, quibus Cimmerios illuſtravit, quæ ſubjiciamus civitate jam ab interprete donata romana:

Illis ſol nunquam Phaëton ſua lumina ſpargit,
Pernicioſa ſuper nox ſemper tenditur iſtis.

Flaccus Cognata cecinit Valerius Flaccus, Setinus, libro Argonauticon tertio:

Cimmerium domus eſt ſuperis incognita tellus,
Cæruleo tenebroſa ſinu, quo flammea nunquam
Sol juga, ſydereas nec mittit Jupiter auras.
Stant citæ frondes, immotaque ſylua, tonanti
Horret verna jugo, ſpecus umbrarumque meatus
Subter, & oceani per longa ſilentia noctes.

Trojaniſchen Krieg mit zugegen, und dahero dem Homerus, wie Strabo im erſten Buch der Welt-Beſchreibung bezeuget, bekannt geweſen; ſo gedencken nicht minder der Cimmerier nach dem Homero aus denen Alten der Ephorus, Clitarchus, Poſſidonius der zur Zeit des Cn. Pompeji gelebet, Xenophon Lampſacenus, Pythias Maſſilienſis, Cl. Ptolomæus; der Cimbern aber aus denen Römern T. Livius, C. Plinius, Julius Solinus, C. Tacitus, Plutarchus und unterſchiedliche viele Poëten, Virgilius, Lucanus, Juvenalis, Propertius. Der Ulyſſes beſchreibet gleichmäſſig beym Homero im 2ten Buch ſeiner Odyſſea, die Landſchafft der Cimmerier, wann er folgender Geſtalt ſaget: Nachdem wir den gantzen Tag mit guten Winden geſchiffet hatten, ſind wir in der finſtern ſinckenden Nacht an des tiefſeſten Welt-Meers äuſſerſte Gegend gelanget, woſelbſt die Stadt und das Volck der Cimmerier mit Dunckelheit bedecket wird, welche elende Leute weder bey Tag noch bey Nacht etwas von der Sonnen zu ſehen bekommen, beſondern ſich mit der verdrieſslichen Nacht ſtets müſſen quälen. Hieſelbſt habe vermöge des Homerus der Perimedes und Eurylochus den Gottesdienſt verrichtet; Ulyſſes aber ſelbſt hat mit ſeinem bloſſen Seiten-Gewehr eine um eines Ellenbogens weite Grube gemacht, und dahin beruffen die Seelen der Verſtorbenen, inſonderheit des Helpenoris, welche er zu ſprechen wünſchete, ehe er noch den Tireſias um Rath fragete. Strabo ziehet auch im erſten Buch ſeiner Welt-Beſchreibung des Homeri Reim-Gedichte an, mit denen er die Cimmerier beſchreibet, welche wir nunmehro in die Teutſche Sprache überſetzet, hierunter fügen. Bey ihnen iſt ſtets Nacht, der Sonnen güldenes Licht, ſo andern Freude giebt, ſcheint dieſen Leuten nicht. Ein gleichmäſſiges ſinget von ihnen Val. Flaccus Setinus im 3ten Buch Argonaut.

Die Götter wiſſen nichts von den Cimmeriern,
Der Sonnen-Glantz iſt auch von ihren Grentzen fern,
Was ihrer Orth ſich findt, die Büſche, Bäume, Wälder,
Der Himmel, und das Meer, die Berge, Thal und Felder
Sind durch die Dunckelheit, der all zu finſtern Nacht
Beraubet ihrer Zier und aller Schönheit Pracht,
Sind über alle Maas erſchrecklich anzuſchauen,
Wer iſt nicht allzu keck, dem muſs gewiſs da grauen.

Quomodo cum Cimbris abiere Heruli. C. II.

De Herulorum cum Cimbris conjunctione.

HEruli ergo in oceani littore Cimbrici conſidentes injuriis aquarum illis ſimul multati, oceano clauſtris tum nullis, cæterum ſola naturæ lege remorato, quem intumuiſſe in cubitorum octingentorum elevationem *Pytheas* Pytheas Maſſilienſis autor eſt, rerum omnium penuria laborantes multitudine ingenti ſolo cum Cimbris exceſſere, & relictis domi cæteris ad Mæotidem conſedere, qui quum e regione Scandinaviæ ante incoluiſſent,

de Weſtphalen Monum. ined. Rer. Germ.

Das andere Capitel.

Wie die Herulen mit den Cimbern weggezogen ſeyn.

NAchdem nun die Herulen an den Ufern des Cimberiſchen Meeres ihren Sitz hatten, ſind ſie gleichmäſsig, nebſt ihnen, durch die Ungeſtümigkeit des Meers, das zu der Zeit von keinen andern Schrancken, als nur von denen, die ihm die Natur geſetzet hatte, wuſte, und welches, nach des Pythiæ Maſſilienſis Bekräfftigung, acht hundert Faden hoch geſtiegen war, dergeſtalt bedränget worden, daſs ſie, als aller Dingen Mangel empfindende, in groſſer Menge mit denen Cimbern die Gegend zu räumen, und auſſer den übrigen die ſie zu Hauſe gelaſſen, an dem Mæotiſchen

egreſſi ab inſula ipſa crediti ſunt antiquis. Erat enim e locis arctois nihil Scandinavia tum nobilius, quam C. Plinius libro de mundo quarto fuiſſe olim magnitudinis incompertæ prodidit, ac multi alterum veluti orbem e qua populi tot quot Aſia, Africa, Europa vix caperet. Scandinavia erat, Cimber erat, quicquid vel inſula ipſa teneret, vel locus ubique finitimus. Quare haud ita inſcite Mantuanus Vergilius ille noſter cecinit:

Plinius

Martianus.

Tenditur ad lævam magnis Germania campis,
Oceanum, boreamque petens, ubi littora Cimber

Incolit, arctoum longe porrecta ſub axem. Sed & Jornandes ad Caſtalium nidum veluti quendam & gentium multarum patriam vocat Scandinaviam. Inde haud dubie factum, ut Heruli, Rugii, *Veneti*, *Antes*, qui littora etiamnum oceani incolunt in Scandinaviæ conſpectu celeberrimi, inſulæ adſcriberentur olim, antequam magis illa evaderet illuſtris. Atque deo divus Methodius veniſſe e Scandinavia Vandalos, Gepidas, Getas, Gothos, Lingobardos, Hunnos, Herulos & Rugios in litteras retulit, a quo non diſſentiunt, Paulus Forojulienſis in Eutropium, Hieronymus in Euſebium, qui Gepidas, Getas, Gothos, Dacos ait e Scandinavia proceſſiſſe, Herulos de prope Tylen (*a*) emerſiſſe, quos & nonnulli in ſinu arbitrantur commoratos Codano, a Dano rege antiquiſſimo victos & Danos primum nominitatos. At Jornandes ad Caſtalium Herulorum ſcribit gentem a Cimbris Scandinaviam accolentibus ſedibus olim ſuis pulſam. Cogenos fuiſſe dictos Danorum progeniem, qui ſedibus Herulos pepulerint. Nec mirum hoc quum argumento ſimili barbaros in univerſum omnes antiquitas Mæotidi vel Boryſtheni tribuerit, Cimmerios inſuper, quos e Scandinavia erupiſſe primitus inter omnes jam convenit, de Mæotidis emerſiſſe undis aſſeverarit. Sic enim Herodotus de Mæoticis loquutus libro quarto ſcribit τὴν γαρὴν νέμονται σκυθαί, αὐτὴ γέλεται, ἐ πάλαιον εἰνκιμμερίων, Initio regionem quam nunc Scythæ incolunt Cimmeriorum fuiſſe conſtat. Sed & Procopius libro τῶν γετικῶν quinto, Cimmerios primum ad Tanaim habitaſſe ſcribit. In hunc modum & Byzantius Stephanus Gothos, qui Cimerii, ad Mæotidem primum conſediſſe aliorum monumentis arbitratus eſt, & gentes alii alias juxta Boryſthenem, quo in numero Daci, id quod ſequutus Dionyſius Libycus ita cecinit in Periegeſi.

Jornandes.

Methodius.

Diaconus. Hieronymus.

Jornandes.

Herodotus

Procopius.

Stephanus.

Dionyſius.

πολλὰ μαλ' ὁ ξείης μαιώτιδος ἐς ϛαμαλίμνης
γερμανοὶ, σαρματαί τε, γεταὶ δ' ἅμα βάϛαρνιται
Δακῶν δὲ ἀρπετοσαῖα, καὶ ἀλκηέντες ἀλαοὶ.

Meer ſich zu ſetzen genöthiget worden, von welchen, weil ſie in der Gegend nach Schonen gewohnet, ſich die Alten eingebildet haben, daſs ſie aus der Inſul ſelbſt hergekommen, zumahlen unter denen mitternächtigen Oertern nichts berühmters als Schonen war, wovon Plinius im VI. Buch von der Welt beſtätiget, daſs ſie vor Alters von unbekannter Gröſse geweſen, ihrer viele ſie gleichſam für die andere Welt gehalten, woraus ſo viel Völcker entſproſſen, daſs Aſia, Africa und Europa ſie kaum können faſſen. Es hieſs Schonen, es hieſs Cimber, alles, ſo wohl was die Inſul ſelbſt, als was die rund umher gräntzende Gegend in ſich begreifft, daher nicht uneben geſungen hat Marcianus Menucæus Copella in Nuptiis Philolochiæ: Nach Norden lincks am Meer erſtrecket das Teutſchland ſich treflich weit, woſelbſt der Cimber wohnt am Strandt: Und Jornandes an den Caſtalium nennt Schonen gleichſam ein Neſt und Vaterland vieler Völcker, daher denn Zweifels ohne entſtanden, daſs die weit berühmten Völcker, die Herulen, Rugier, Veneten, Antes, ſo annoch an dem Ufer des Meers gegen Schonen wohnen, gerechnet ſind, ehe die Inſul noch mehr bekannt worden, daſs ſie dazu gehörten, und der Heil. Methodius bezeugt, daſs die Vandalen, Gepiden, Gethen, Gothen, Longobarden, Hunnen, Herulen und Rugier aus Schonen gekommen, mit welchem übereinſtimmen Paulus Forojulienſis über den Eutropium, Hieronymus über den Euſebium, als der da vermeldet, daſs die Gepiden, Geten, Gothen, Dacier aus Schonen ihren Urſprung haben, und die Herulen hart bey Tule entſproſſen wären, welche auch, wie etliche meynen, an der Oſt-See gewohnet, von dem uralten König Dano überwunden, und zum erſten Dänen ſollen genennet ſeyn. Der Jornandes aber ſchreibt an den Caſtalium, daſs das Volck der Herulen durch die an Schonen grentzende Cimbern von ihrem Orte verjaget wären, und daſs der Dänen Volck, ſo Cogegen geheiſſen, die Herulen von ihrer Stelle getrieben hätten. Zu verwundern iſt es gar nicht, da die Alten ohne Unterſcheid alle rauhe Völcker dem Mæotiſchen Meer und Fluſs Boryſthenes beygeſchieben, daſs ſie gleichfals gemeinet, es wären die aus Schonen unſtreitig entſproſſene Cimmerier, aus der Gegend des Mæotiſchen Meeres herfürgekommen, denn alſo ſchreibet Herodotus, da er von denen am Mæotiſchen Meere gelegenen Oertern geredet, im IV. Buch: Es iſt bekannt, daſs dasjenige Land, welches nun die Scythen innen haben, der Cimmerier vormals geweſen ſey; Ja Procopius meldet auch im Vten Buch von den Geten, daſs die Cimmerier anfangs bey dem Fluſs Tanais gewohnet, dieſer Meynung iſt Byzantius Stephanus aus Benachrichtung anderer ebenmäſsig auch, daſs nemlich die Gothen, ſo Cimmerier, anfänglich bey dem Mæotiſchen Meere ſeſshafft ſolten geweſen ſeyn, und einige vermelden, daſs vielerley Völcker an dem Fluſs Boryſthenes gewohnet, unter welcher Zahl die Dacier; dem zu folge hat Dionyſius Lybicus ſich dergeſtalt in Deni

(*a*) Islandiam. Procopius L. 2. 8. 9. Cap. 14. & ex inſtituto *Rudbeckius* T. I. c. 19. ubi de ultima Thule. Sed ad littora Maris Balth. *Thulen* rejecit *Pratorius* L. III. Orb. goth. cap. 4. forte ut originem Herulorum Poloniæ vindiceret.

Deinde equidem multi Mæotidis hoſtia ſervant,

Germanique, Getæque, Baſtarnæ, Sarmatæ, & ingens

Dacorumque ſinus, quoque fortia pectora Alani.

Agathias Sidonius.

Sic veniſſe initio Secandinavia Herulos ſcribunt, ac minus licenter etiam e Cimmeriis exortos Hunnos, Avares, Aſtringos, Teiphalos, Scyros, Caibos, Alanos, Arborichos, a quibus nihil in diverſum abit Agathius, & quos recenſet libro vigeſimo Apollinaris Sidonius

Bello notus, Neurus, Hunnus, Geta, Dacus, Alanus,

Biſſulta, Oſtrogothus, Procuſtes, Veſus, Alites.

Florus. Strabo. Ephorus. Claudianus.

Oceanum vero ad ſeptentriones ſæpius inundaſſe, quum annales tum harenæ, finitimas in gentes ſparſæ, indicant etiamnum ſubſidentes. Quare recte Florus, Strabo, Ephorus, Cimbris cum aqua quondam magis quam cum hoſtibus prælium fuiſſe ſcribunt, quos aquis crebro vexatos & CL. Claudianus cecinit:

Latisque Paludibus exit

Cimber.

Periegeſi vernehmen laſſen. Es wohnen um den Mund von dem Meotiſchen Meere viel Völcker, als da ſind die Teutſchen, Sarmater, die Gothen, Baſtarner, die Dacer und ingleichen die Halanen, die am Muth gar keinem Volcke weichen; Ebener maſſen erwehnen ſie auch, daſs von Anfang die Herulen aus Schonen gekommen ſeyn, und ſetzen nicht eben ſo ungereimt, daſs aus den Cimmeriern ihren Urſprung gehabt, die Hunnen, Avaren, Aſtringer, Teiphalen, Scyther, Caiber, Alanen, Ariborichen, womit gar wohl überein kömmt Agathias, und der Apollinaris Sidonius macht ſie nahmhafft im XXten Buch: der von geführten Krieg gar wohl bekannte Neurus, der Oſtrogoth, der Datz, der Geth, der ungeheure Alaan, der Vees, Biſat, Alith und der Procuſt, der Hunn, ſo in der Welt geſtifftet viel Unluſt. Daſs aber das Mitternächtige Meer öffters ſich ergoſſen habe, bekräfftigen nicht allein die alte Schrifft-Urkunden, beſondern auch, daſs bey den benachbahrten Völckern vielerwegen hin und wieder niedergelaſſene und annoch ſich geſetzte Sand-Berge ſind. Schreiben demnach recht Florus, Strabo, Ephorus, daſs die Cimbern, ſo öffters von der Fluth beängſtiget worden, mehr von dem Gewäſſer als von Feinden bekrieget worden, und Cl. Claudianus ſchreibet:

Weil ſich das Meer ergeuſt und ſehr nimmt überhand;

So muſs der Cimber gehn hinweg aus ſeinem Land.

De antiquitate Herulorum

C. III.

Herulorum antiquitas.

SEd enim Germania ut non heri aut nudius tertius enata, ſic nec Herulorum nomen recens, utpote quorum ætate eadem qua Cimbrorum fama emerſit, ſub Tuyſconis facile vel heroum ſequentium imperio. Noas enim ſervator & reparator generis mortalis anno mox centeſimo trigeſimo primo poſt aquarum inundationem illam maximam Tuyſconem ex Araxa conjuge

Beroſus.

edidit, quem Babylonicus Beroſus Germanorum & Sarmatarum patrem libro quarto nominat. Hunc ergo in Europam Noas adultum miſit, tunc quum Babylona Saturnus,

Beroſus.

qui Nymbrothus, conderet, quod & idem Beroſus libro eo teſtatus eſt. Anno vero Saturni vigeſimo quinto Sarmatas Tuyſconem fundaſſe idem autor prodidit, id quod Nini temporibus factum, poſt quæ tempora anno regni Saturni quarto legibus Sarmatas apud Rhenum fundavit. Itaque ab auſpicatoribus Europæ quatuor Rhenum Tuyſcon, Sarmatiam ac Pontum tenuit, quem ſequuti Mannus filius, ac deinceps Ingævon,

Tacitus.

Iſtævon, Hermion, Marſus, Gambrivius, Suevus, Vandalus, Germanias, ac Sarmatiam longe lateque propagarunt. Tacitus Cornelius Tuyſconem deum terra editum ſcribit, in

Beroſus.

libello de Germania. Beroſus inter Gigantes recenſet. Chami vero filii Noæ Thus filius erat, a quo prognatus Nymbrothus,

de Weſtphalen Monum. ined. Rer. Ger.

Das Dritte Capitel.

Von der Herulen uralten Ankunfft.

GLeichwie aber Teutſchland nicht geſtern oder vorgeſtern erſt entſtanden, ſo iſt auch ebenmäſſig der Nahme Herulen nicht etwan neu, zumahlen ihr und der Cimbern Nahme zu einer Zeit in Beruff gekommen, ungefehr unter des Tuiſconis, oder derer nachfolgenden Helden Regierung. Denn nachdem Noa, der Erhalter und Wieder-Erſetzer des menſchlichen Geſchlechts, mit der Araxa, ſeinem Weibe, ſtracks im 131. Jahr nach der allgemeinen Sündfluth, den Tuiſcon, welchen der Babyloniſche Beroſus im IV. Buch einen Vater der Teutſchen und Sarmater nennet, gezeuget hatte, hat er denſelben, wie er nunmehro erwachſen war, in Europa geſchicket, eben damahls wie Saturnus, welcher Nimrodt iſt, die Stadt Babylon erbauete, maſſen Beroſus in ſelbigem Buch ſolches bezeuget; dieſer Geſchicht-Schreiber meldet auch, daſs der Tuiſcon im 25. Jahre des Saturni die Sarmater geſtifftet, und darnach im 4ten Jahr des Nini denen am Rheine wohnenden Sarmatern Geſetze verordnet habe: demnach hat Tuiſcon, einer der vier erſten Beſetzer Europens, das kleine Sarmatien und Pontus innen gehabt, deſſen Nachfolger Mannus, nachgehends Ingævon, Iſtævon, Hermion, Marſus, Gambrivius, Svevus, Vandalus haben Teutſchland weit und breit fortgepflantzet und erſtrecket. C. Tacitus ſchreibet im Buch von Teutſchland, Tuiſco ſey ein Gott, gebohren aus der Erde, Beroſus ſetzet ihn in die Zahl der Rieſen, von dem Thus aber, deſſen Vater Cham und Noah war, iſt Nimrod

qui Saturnus, cujus filius Ninus, qui Jupiter.

Situs Herulorum C. IIII.

De Rhadagaso, Herulorum ac Vandalorum rege decimo quarto. C. XIIII.

Rhadagasus. RHadagasus (*b*) Misislao patre prognatus, re militari omnium celeberrimus evasit. Nam quum Arcadius res imperii Romani tueretur, & Alaricus Gothorum rex, Athanarici filius, ex Balthorum familia nobilissima, a Visi-Gothis, qui stipendiis tunc privati in Pannoniam secessere, rex constitueretur, Rhadagasum Herulorum ac Vandalorum regem clarissimum evocavit, qui millibus mortalium trecentis, ut Fl. Blondus scribit, subito adfuit, quorum duorum auspicio Gothi in Thraciam, Pannoniam, Noricam, & Illyricum intra-

Das vierzehende Capitel.

Von Radagaso, der Herulen und Wenden 14ten König.

RAdagasus, des Misislai Sohn, war ein sehr berühmter Held im Kriege, dann wie der Arcadius das Römische Reich besass, und der aus dem fürtrefflichen Geschlechte der Balthorum entsprossene Gothen-König, der Alaricus, ein Sohn des Athanarici, zum König erwehlet ward von den Visi-Gothen, die in Pannonien fielen, da ihnen ihre Besoldung vorenthalten ward, hat er den Radagasum, der Herulen und Wenden nahmhafften König, aufgefodert, der sich auch geschwinde mit 300000. Mann, wie Fl. Bondus schreibet, eingefunden hat, unter welcher beyder Anführung denn die Gothen in Thracien, Pannonien, No-

lica lingua etymon petit *Mejerus* diss. de Mejeris c. 3. Sed rectius a Francico *Wiso*, dux & *Mar, Maer*, inclytus, famosus. Et varia derivatio, vel a teutonico *gast* & *rathen*, i. e. homine promtissimo. Ita Matius, Tentzelius, Bangertus; vel a Slavico *Rsad*, gubernatio & *Ksiaz*, princeps. Dux regiminis. Quæ significatio convenit idolo Radegast, Marti Sclavorum, Deo Belli. Pluta Frenzelius de Diis Sclavorum.

(*a*) Misislaus, Miezlaus, gladio clarus. Alexander Guagninus Sarm. Eur. f. II.

(*b*) Radagasus, cujus nominis est multiplex lectio apud sidorum, Helmoldum, Zosimum, Crantzium. Petrejum.

intravere, fœda cuncta populatione graſſantes ac vaſtantes. In Italiam etiam irrumpentes Romam rerum quondam dominam cepere anno natalis ſui milleſimo ſexageſimo quarto, a natali chriſtiano quadringenteſimo duodecimo. Et Rhadagaſus quidem ultra progrediens in Veſulanis montibus circumventus, haud ita procul Fluentinis a Stilicone obſeſſus, rerum omnium inopiam pertulit, qui quum fugæ ſe paraviſſet a Romanis captus ſtrangulatus eſt. Illo vero mortuo major nunquam Gothorum cædes. Etenim tanta tunc multitudo captivorum fuit, ut ſinguli pro aureis ſingulis pecudum more venderentur, poſt quam victoriam Stilico Vandalorum ſe regem prætitulavit, cum Euchario filio ab Honorio Cæſare haud ita multo interjecto tempore ſuperatus. Et talis erat poſt egregia multa belli facinora Rhadagaſi exitus, quem adeo charum ſui habuere viventem ut extinctum indigetarent & *numinis loco colerent, a quo & amnes & vici inter Herulos nomen etiamnum obtinent.* Meminit vero illius Aurelius Sextus, P. Oroſius, CL. Claudianus, Eutropius, Ablavius. Exceſſit autem vita anno regni ſeptimo ac trigeſimo, ab orbe condito ſexingenteſimo ſupra quinquies milleſimum, ab urbe Roma milleſimo centeſimo fere, a natali Chriſti anno quadringenteſimo paulo amplius. Nam Viſimarus rebus floruit trecenteſimo quadrageſimo. Reliquit vero Corſiconem filium heredem.

Sextus Oroſius Claudianus Eutropius Ablavius

De Corſicone Herulorum ac Vandalorum rege decimo quinto. C. XV.

Corſico ſ. Georgio.

COrſico (*a*) Rhadagaſi filius patri ſucceſſit, qui mortem ejus ulturus Hunnos in ſocietatem accivit, & cum Gothis ac Vandalis per Gallias debacchatus quicquid inter alpes ac jugum Pyrenæum, quicquid item oceano ac Rheno includitur, occupavit. Antiſtites urbium cepit, flamines occidi juſſit, templa vaſtavit & profanavit. Parochias diſſipavit, martyrum reliquias effodit, agere ſeſe rem perinde claram pro more religionis Vandalicæ exiſtimans. Urbes inſuper multas evertit, nec inter mala tanta ulli aut ætati aut ſexui pepercit, incendiis, ruinis ac rapinis cuncta permiſcens. Uxorem habuit ex Atrebatibus, qui inter Belgas etiamnum celebres, e qua Fredebaldum ſuſtulit, mortuus anno regni quinto ac quadrageſimo.

rica und Illyrien gegangen und alles grauſam verheeret und verwüſtet. Sie ſind auch in Welſchland eingebrochen, woſelbſten ſie Rom, das vormahlige Haupt der Welt, im 1064ſten Jahr nach ihrer Erbauung, und im 412ten Jahr nach der Geburth Chriſti, erobert haben; wie aber der Radagaſus noch weiter fortgieng, iſt er in dem Veſulaniſchen Gebirge umringet, und nahe bey Florentz von Stilicone belagert, woſelbſten er den höchſten Mangel aller Lebens-Mittel erlitten, und wie er ſich auf die Flucht begeben wollen, da iſt er von den Römern gefangen und mit einem Strick erwürget worden, worauf denn eine groſſe unerhörte Niederlage der Gothen erfolget, dergeſtalt, daſs wegen der Gefangenen ungläublicher Anzahl, dieſelbigen wie das Viehe Stückweiſe vor einen Gülden ſind verkaufft worden. Der Stilico, welcher nach ſolchem erlangten Sieg ſich einen König der Wenden genennet, iſt kurtz darauf, nebſt ſeinem Sohn Euchario, von dem Kayſer Honorio überwunden. Solchen Ausgang nun hat nach ſo vielen ritterlichen verübten Krieges-Thaten gehabt der Radagaſus, welchen die Seinigen dermaſſen geliebet im Leben, daſs ſie ihn nach ſeinem Tode für einen Gott angenommen und angebetet, daſs auch Flüſſe und Flecken annoch den Nahmen von ihm führen. Es gedencken aber ſeiner Aurelius Sextus, P. Oroſius, Cl. Claudianus, Eutropius, Ablavius, und iſt umkommen ſeines Königreichs im 37ſten, und nach Erſchaffung der Welt etwa im 5060ſten, nach Erbauung der Stadt Rom im 1100ten, und nach der Geburth Chriſti ohngefehr im 400ten Jahre, zumahlen der Viſimarus im 340ſten Jahr im blühenden Aufnehmen ſich befand. Der Radagaſus hinterlieſs ſeinen Sohn Corſico zum Erben.

Das funffzehende Capitel.

Von Corſico, der Herulen und Wenden 15den König.

COrſico, des Radagaſi Sohn, war des Herrn Vaters Nachfolger in der Regierung, deſſen Todt er zu rächen, die Hunnen bewogen ſich mit ihm in ein Bündniſs einzulaſſen, durchſtreiffte demnach mit den Gothen und Wenden, Franckreich und alles, was zwiſchen den Alpen und Pyrenæiſchen Gebirgen, ingleichen was zwiſchen dem Rhein und der Oſt-See eingeſchloſſen lieget, nahm er ein. Die Oberſten in den Städten zog er in Hafft, die Prieſter befahl er hinzurichten, die Kirchen verwüſtete und entweihete er, die Pfarren vernichtete er, der Martyrer Gebeine lieſs er ausgraben, vermeynende, aus Veranlaſſung ſeines Wendiſchen Aberglaubens, daſs er hieran ein herrlich Werck verrichtete: Ueberdem kehrete er viele Städte um, und in ſolchem ſeinem Wüten ſchonete er weder Alters noch Geſchlechtes, ſondern verödete alles mit Brennen, Morden und Rauben. Seine Gemahlin hatte er von denen unter den Niederländern annoch berühmten Atrebaten, mit welcher er den Fredebaldum erzeugete, im 45. Jahr ſeines Reichs verlieſs er die Welt.

De

(*a*) Vid. infr. l. 3. c. 17.

De Fredebaldo, Herulorum ac Vandalorum rege decimo sexto. C. XVI.

Fredebaldus, Pacis procurator.

FRedebaldus, Corsiconis filius, Herulorum ac Vandalorum rex, exercitus insuper Gothici imperator, Themiormam duxit uxorem, gente Scythicam, extinctus anno regni nono ac trigesimo, relicto Gunderico filio, herede, ex Themiorma prognato. (*a*)

De Gunderico, Herulorum ac Vandalorum rege decimo septimo. C. XVII.

Gundericus, Günter.

GUndericus (*b*) Fredebaldi filius patri successit, qui uxorem duxit filiam regis Beticæ e qua Gensericum & Guntamundum sustulit. Rebus bellicis apprime illustris erat. Nam Hispanias domuit, templa pro more Vandalorum multa incensa spoliavit, annosque prope quatuordecim bellorum tumultu loca pleraque vexavit, ac dein interiit anno regni tertio ac quinquagesimo.

De Genserico, Herulorum ac Vandalorum rege decimo octavo. C. XVIII.

Genserico.

G*Enserico, homo* magnanimus, (*c*) & inter hæc sævus successit. Eudoxiam cum filiabus binis Roma abduxit, quarum alteram *Trasimundo* filio suo conjugem dedit. Treviros quoque eum cepisse quidam scribunt, martyrio ibi multos consecrasse, ac *dein in Africam reversum vita* ibi functum anno, ut putant, *regni septimo ac trigesimo, relicto domi Visilao inter cæteros filios.*

De *Visilao*, Herulorum ac Vandalorum rege decimo nono. C. XIX.

Visilaus

VIsilaus, *Genserici junior filius*, Herulorum ac Vandalorum rex, dux aliquamdiu exercitus Gothici. Uxorem habuit Adollam, filiam regis Saxonum, e qua Alaricum sustulit, mortuus anno regni decimo sexto.

De Alarico, Herulorum ac Vandalorum rege vigesimo. C. XX.

Alaricus.

ALaricus, nominis illius tertius, Visilai filius, Herulorum ac Vandalorum rex, uxorem duxit e familia Burgundionum, quæ peperit *illi Albericum, fato* functus, quum regnasset annum unum supra vigesimum.

Das sechzehende Capitel.

Von Fredebaldo, der Herulen und Wenden 16ten König.

FRedebaldus, des Corsico Sohn, der Herulen und Wenden König, wie auch des Gothischen Krieges-Volcks Feld-Herr, nahm zur Ehe Themiormam, von Geburth eine Scythin, und starb im 39sten Jahr seiner Regierung, mit Hinterlassung Gunderichs, seines Sohnes, den ihme die Themiorma zum Erben gebohren.

Das siebenzehende Capitel.

Von Gunderich, der Herulen und Wenden 17den König.

GUnderich, des Fredebaldi Sohn, überkam nach seines Herrn Vaters Tode das Reich, und heyrathete eines Spanischen Königs Tochter, mit welcher er den Gensericum und Guntamundum gezeuget. Er war ein gewaltiger Krieges-Held, zumahlen er Spanien bezwungen, viele Kirchen, nach Art der Wenden, verbrannt und beraubet, und in die 14. Jahr unsäglich viel Güther mit Krieges-Unruhe erpresset, und viele Länder geplaget, letztlich ist er im 53. Jahr seiner Regierung Todes verblichen.

Das achtzehende Capitel.

Von Genserich, der Herulen und Wenden 18den König.

GEnserich, ein grosmüthiger, dabey auch grimmiger Herr, hat hiernechst das Reich angetreten. Er führete die Eudoxiam mit zweyen Töchtern von Rom hinweg, wovon er die eine seinem Sohne, dem Trasimundo, zur Gemahlin gegeben. Einige schreiben, dass er Trier auch erobert, und daselbst viel zu heil. Märtyrern gemacht habe, und zuletzt, wie er wieder nach Africa gekehret, daselbst im 37. Jahr seines Reichs gestorben sey, und unter seinen andern Söhnen zu Hause hinter sich verlassen habe den Visilaum.

Das neunzehende Capitel.

Von Visilao, der Herulen und Wenden 19den König.

VIsilaus, Genserichs Sohn, der Herulen und Wenden König, auch eine Zeitlang des Gothischen Krieges Heerführer, hatte zur Gemahlin die Adollam, des Sächsischen Königs Tochter, mit welcher er den Alaricum gezeuget, und starb im 16den Jahr des Reichs.

Das zwantzigste Capitel.

Von Alarico II. der Herulen und Wenden 20sten Könige.

ALaricus, der II. des Nahmens, des Visilai Sohn, der Herulen und Wenden König, heyrathete eine aus dem Stamm der Burgundier, welche ihm den Albericum gebahr, starb, nachdem er 31. Jahr regieret hatte.

De

(*a*) jung. infr. lib. 3 cap. 18.
(*b*) jung. infr. lib. 3. c. 19.
(*c*) a Gantz, totus, dicitur, v. infr. l. 3. c. 20.

De Alberico, Herulorum ac Vandalorum rege vigesimo primo. C. XXI.

Albericus. ALbericus, Alarici filius, Herulorum ac Vandalorum rex, uxorem accepit filiam regis *Sarmatarum*, e qua sustulit Joannem, regnumque sic *Sarmatarum suis* adjecit, qui pace insigni regno præfuit annos undetriginta.

De Joanne, Herulorum ac Vandalorum rege vigesimo secundo. C. XXII.

Joannes. JOannes, Herulorum ac Vandalorum rex, uxorem duxit filiam regis Noricorum oceani, e qua Rhadagasum progenuit, cognomento tertium, *cui & Sarmatarum regnum* ex hereditate reliquit, regnavitque annos quadraginta.

De Rhadagaso, Herulorum ac Vandalorum rege vigesimo tercio. C. XXIII.

Rhadagasus. RHadagasus, Herulorum ac Vandalorum, *Sarmatarumque* rex, uxorem duxit Gubertinam, filiam regis Beticæ, e qua *Visilaum & Aritbertum edidit.* Adversus Marcomannos ac Sorabos præclara multa gessit, qui in vicinia habitant.

De Visilao, Herulorum ac Vandalorum rege vigesimo quarto. C. XXIIII.

Visilaus. VIsilaus, cognomento secundus, Rhadagasi filius, Herulos, Vandalos, simul & Sarmatas sub ditione sua tenuit, qui uxorem duxit Hazigam, e stirpe Cimbrorum regia, quæ *peperit illi Billungum.* Regnavit vero annos undetriginta, regnique fines paterni plurimum auxit, *auctumque regnum Aritberto ex Rhadagaso patrueli reliquit.*

De Aritberto, Herulorum ac Vandalorum rege vigesimo quinto. C. XXV.

Aritbertus. ARitbertus, (a) Rhadagasi filius, Visilai germanus, Herulorum, Vandalorum, ac Sarmatarum rex, sub *Carolo illo magno militavit, a quo meruit uxoris ejus sororem* reginam, qui obiit anno regni sexto ac trigesimo, *Visilai* filio Billungo regni fasces suscipiente.

Das ein und zwantzigste Capitel.

Von Alberico, der Herulen und Wenden 21sten König.

ALbericus, des Alarici Sohn, der Herulen und Wenden König, nahm zur Ehe des Sarmatischen Königes Tochter, mit welcher er den Johannem gezeuget. Dieser Gestalt vereinbahrte er der Sarmater Reich mit dem seinigen, und regierte 29. Jahr in ruhsamen Frieden.

Das zwey und zwantzigste Capitel.

Von Johannes, der Herulen und Wenden 22sten Könige.

JOhannes, der Herulen und Wenden König, verehelichte sich mit des Königes aus Norwegen Tochter, welche ihm den Radagasum, den IIIten dieses Nahmens, gebahr, dem er auch das Sarmatische Königreich erblich verlassen. Die Zeit seiner Regierung erstrecket sich auf 40. Jahr.

Das drey und zwantzigste Capitel.

Von Radagaso, der Herulen und Wenden 23sten Könige.

RAdagasus, der Herulen und Wenden und Sarmater König, nahm zur Gemahlin die Gubertina, eines Spanischen Königs Tochter, mit welcher er den Visilaum und Aritbertum gezeuget. Gegen die Marcomannen und Soraben hat er viel herrliche Thaten verübet.

Das vier und zwantzigste Capitel.

Von Visilao, der Herulen und Wenden 24sten König.

VIsilaus, des Nahmens der andere, des Radagasi Sohn, hatte unter seiner Bothmäßigkeit die Herulen, Wenden und Sarmater, und befreyete sich mit der Haziga, die aus Königlichen Dännemärckischen Stamme entsprungen war, welche ihm den Billungum gebohren. Er herrschete 29. Jahr und erweiterte die von seinem Hrn. Vater eroberte Königliche Gräntzen vielfältig, welches von ihm dergestalt vergrösserte Reich, er seinem leiblichen Bruder, dem Aritberto, hinterliess.

Das fünff und zwantzigste Capitel.

Von Aritberto, der Herulen und Wenden 25sten König.

ARitbertus, des Radagasi Sohn, und des Visilai Bruder, der Herulen und Wenden und Pohlen König, liess sich gebrauchen von Carl dem Grossen in Krieges-Diensten, und machte sich vermittelst dessen bey ihm dergestalt verdienet, dass er dessen Schwester zur Königlichen Gemahlin erhielte. Er starb im 36sten Jahr seiner Reiche, und hinterliess seines Brudern Sohn, dem Billungo, die Crone.

(a) Aritbertus, quem Autor alibi *filium aquilæ* vocat, ab *Asr*, aquila, & *Bar filius.* de *Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.*

De Billungo, Herulorum ac Vandalorum rege vigesimo sexto. C. XXVI.

Billungus. BIllungus, (*a*) Visilai filius, Herulorum ac Vandalorum rex, a Vistula amne, ac mediis Bructeris per *Vindelos*, Venetos, Bardos, Sargatios, Circipœnos, Lingonas, Cissinos, Polabos, Luconios, Cheronesum Cimbricam, Trœvas, ultraque Albim ad Visurgim Chaucorum usque ditionem tenuit. *Regia ejus Megapolis, tunc florentissima*, in qua *ædem virginum Vestalium primus* ipse excitavit, anno fere a natali *A. C. 986.* Christiano nongentesimo octogesimo sexto. E conjuge priore *Mizilaum, Sedericum, Naconem* sustulit. Vita functa illa a principibus finitimis, sui studiosis, semel iterumque de amplectenda fide commonefactus, academiæ tandem sese Christianæ devovit, latice sacro renatus. At in persuasione ea ut perpetuo perseveraret sororem illi Vagonis antistitis Coloniæ antiquæ Cheronesi, virginem venustissimam desponderunt, & mox collocarunt, e qua filiam sustulit Hodicam, quæ facta est Megapoli virginum sanctimonialium antistes sacrificula. Nec tam multo interjecto tempore Billungus Mizilai filii suasu fidem rejecit, conjugem repudiavit. Et mox conversis in christicolas armis loca circumcirca universa sacra profanavit, legibus christianismi rejectis, mori in majorum ceremoniis prætulit.

Das sechs und zwantzigste Capitel.

Von Billungo, der Herulen und Wenden 26sten König.

BIllungus, des Visilai Sohn, der Herulen und Wenden König, war ein Herr von dem Fluss der Weichsel an, über die Preussen, Vindelier, Veneter, Barder, Sargater, Circipœner, Lingoner, Kissiner, Palaber, Luconier, den Cimmerschen Chersonesum, Treva, (Hamburg) und über die Elbe werts biss an die Weser und der Chaucer Gebieth. Seine Königliche Haupt-Stadt Megapolis befand sich in trefflichem Stande, worinnen er zum ersten ein Nonnen-Closter gestifftet, ohngefehr im 986sten Jahr nach der Geburth Christi. Mit seiner ersten Gemahlin zeugete er den Mizilaum, Sederich und Nacon, und nachdem selbige verstorben, ward er von denen benachbarten Herren, seinen guten Freunden, zu unterschiedlichen mahlen ersuchet, sich zum Christlichen Glauben zu bekehren, dahero er denn letztlich denselben angenommen, und in den Bund der heiligen Tauffe getreten. Damit er nun beständig bey solcher seiner Andacht verharren müste, haben sie ihm des Ertz-Bischoffs von Cöln Schwester, ein überaus schönes Fräulein, zugefreyet, und bald darauf ihm beygeleget, mit welcher er eine Tochter, Nahmens Hodica, gehabt, so im Jungfräulichen Closter Megapolis Aebtissin geworden. Nicht lange Zeit aber darnach, hat er, der Billungus, auf seines Sohns des Mizilai Bereden, sich vom Glauben gewendet, und seine Gemahlin verstossen, stracks darauf die Waffen gegen die Christen gewendet, und rund umher alle geheiligte Oerter entheiliget, auch mit Hintenansetzung des Christenthums, in seiner Vorfahren alten Gebräuchen zu sterben erwehlet.

De Mizilao, Herulorum ac Vandalorum rege vigesimo septimo. C. XXVII.

Mizilaus. MIzilaus, Billungi filius, in regno successit, idolalatriæ ab incunabulis mancipatus, & fidei inter hæc assectis omnibus sævus perinde ac truculentus. Privignam a ritu sacro avocavit invitam, eamque Boosclavo, Sarmatarum regi, conjugem dedit, cœtu virginum illustrium reliquo aurariis, ac equitibus suis auratis & aulicis communicato, quibusdam & in Rugios missis. Moriens vero *Mistævonem & Mizidrachum reliquit liberos* superstites, e Sophia regis Pannonum filia. At Boosclavus socer cum Ottone tertio, Cæsare Romano, fœdere icto Sarmatas universim a Vistula ad Vindum usque ad fidem compulit, multum opitulante Adelberto antistite, genti etiamnum inter divos claro. Bojemos vero Spitenæus dux, Pontifice maximo Stephano, septimo, convertit.

Das sieben und zwantzigste Capitel.

Von Mizilao, der Herulen und Wenden 27sten König.

MIzilaus, des Billungi Sohn, welcher das Reich eroberte, war der Abgötterey von Jugend auf zugethan, und bezeugete sich gegen alle rechtgläubige wütend und grausam, seine Halb-Schwester (Hodicam) hat er wider ihren Willen aus dem Closter genommen und sie an den König in Pohlen, Booslaum, vermählet, (welcher vom Kayser Ottone III. zum dritten Könige in Pohlen gemacht) das übrige Gott gewidmete Frauen-Zimmer, hat er theils seinen Rittern, Edelleuten und Hoff-Leuten gegeben, theils hat er sie nach Rügen weggeschicket. Seine hinterbliebene mit Sophien, des Hungarischen Königs Tochter, gezeugete Söhne, da er starb, waren Mistævon und Mizidrach. Der Booslaus, aber sein Schwager, machte einen Bund mit dem Römischen Kayser Ottone III. und zwang die Pohlen, von der Weichsel biss an die Oder insgesamt sich zu bekehren, wozu dann insonderheit sehr behülfflich war, der unter der Anzahl der Heiligen annoch sehr Berühmte Bischoff Adelbertus. Die Böhmen aber hat der Hertzog Spitenæus, unter Pabst Stephano VII. bekehret.

De

(*a*) Bilugus apud Helmoldum, Billing apud Fabricium in Orig. Saxon. Idem ac Candidus. Unde *Bielcke* ap. Simon Pauli & Latomum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

De Mistævone, Herulorum ac Vandalorum rege vigesimo octavo. C. XXVIII.

Mistævo. *Mistævo, (a)* genitori Mizilao elato successit, *una cum Germano Mizidracho.* Multa ut temporibus illis bella ipsis, plurima cum Saxonibus. Ab iis enim bello fracti, quum avaritia immodica depecularentur, & pendendo ære annuo prægravarentur, a fide quam nuperi susceperant facile defecere, libertatem a majoribus relictam ferro tutati. Sollicitatus per tempus id Mistævo a Saxonum duce *Bernone in bellum* quod navarat, pollicita expeditionis præmio filia, cum equitibus eum mille amplius prosequutus est, quorum pars plurima desiderata. Reversus itaque dari sibi filiam postulat, nuptiis celebrandis præstitui diem. *Spe vero illusus, Theodorico insuper Marcomanno* connubia in comitiis illustrium multorum improbante & dissuadente, religionis hostem, imo desertorem, & canem appellitante, ut rescivit Mistævo, rem haud æquabili animo tulit. Quare primo quoque tempore primarios suos in universum omnes in urbem Rhætam tunc ampliſſimam convocat, humaniter singulos compellat, injurias publicitus dequestus ad ultionem hortatur. Operam ergo illi pollicentur suam, si modo strenue injurias eas sit ulturus. Macti, inquit ille, este, canis canem agam, rictum exertabo, æmulos mordicus mulctabo, retaliationem minime vulgarem desumam. Atque ita exercitu subitario Cheronesum populabundus ingressus vastavit. Coloniam antiquam, regionis tunc principem, & antistitum metropolim igni ferroque quassavit, flamines occidit, ordinis canonici viros pæne ommes pecudum more mactavit. Qui superfuere eos cepit, & dissecto crucis instar cranio per urbes Vandalorum plurimas spectaculum dirum præbuit, manibus inter hæc post terga revinctis, hæc illi sacra catharmata. Nec cessavit, donec per ignominiam summam animum exhalarent, inter quos Odoacer presbyter, dignitate cæteris præpositus, martyrii quoque fastigium meruit, quorum natales ad nonas Julias melior posteritas triumphat. Sed & Ammopolim urbem percelebrem, quæ ab Ammone, hoc est Jove, nomen tenet, qui ἄμμων Græcis, quæ Cl. Ptolomæo τρήνα, Træva, *Ptolomæus* præter opinionem omnium cepit, & or-

Das acht und zwantzigſte Capitel.

Von Mistævon, der Herulen und Wenden 28ſten König.

Dieſer Mistævon iſt ein berühmter Krieges-Held unter Henrico Bavaro dem 2ten geweſen. Mistævon kam, nebſt ſeinem Bruder, dem Mizidrach, nach des Herrn Vaters Tode zum Regiment. Sie hatten viel Kriege, inſonderheit mit den Sachſen; Als ihnen dieſelbige nun zu ſtarck fielen, ſie auch durch unerſättigen Geitz zu ſehr beſchwerten und mit jährlicher Schatzung ſo übermäſſig drücketen, fielen ſie gar leicht von dem Glauben, welchen ſie neulich angenommen, wieder ab, und haben die von ihren Vorfahren überlieferte Freyheit mit dem Schwerdte vertheidiget. Und als um dieſe Zeit der Mistævon von Bernon, (Bernhard) Hertzogen zu Sachſen, erſuchet ward, daſs er ihm im Kriege zu Hülffe kommen möchte, mit Verſprechen, daſs er ihm an ſtatt der Belohnung ſolches Hülff-Zuges ſeine Tochter geben wolte, iſt er ſelbigem mit mehr als 1000. Pferden, davon er auch den meiſten Theil eingebüſſet, zugezogen. Nachgehends wie er wieder zurück gelanget, hat er begehret, daſs ihm die Tochter möchte gegeben und ein Tag zum Beylager angeſetzet werden. Da aber Mistævon vernahm, daſs ihm betrügliche Hoffnung gemacht wäre, daſs der Marggraf Diedrich von Brandenburg auch überdem in einer vornehmen Verſammlung vieler Fürſten und Herren ſolche Verheyrathung nicht gut geheiſſen, ſondern davon abgerathen, und ihn für einen Feind des Chriſtlichen Glaubens, ja gar einen Abtrünnigen, und vor einen Hund geſcholten hätte, ergrimmete er, und foderte ohnverlängt ſeine Reichs-Stände zuſammen, in die damahlige herrliche Stadt Rhæta, redete einen jeden gar gnädig an, und beklagte ſich öffentlich des zugefugten Schimpffs, mit Vermahnung, ihm zu Erlangung der Rache behülfflich zu erſcheinen; Und da ſie ſich heraus lieſſen ihm unterthänigſt beyzutreten, daferne er nur entſchloſſen wäre, die Schmach aufs ſchärffeſte zu eyfern; ſprach er: Bezeuget euch nur keck, ſie haben mich einen Hund genennet, ich will mich als einen Hund erweiſen, ich will den Rachen aufſperren, ich will meine Wiederwärtigen mit Beiſſen anfallen und von ihnen keine ſchlechte Rache nehmen. Hierauf ſtreiffte er mit einem in ſchleuniger Eile verſammleten Krieges-Heer in Holſtein hinein und verheerete ſelbiges, und Oldenburg verwüſtete er mit Feuer und Schwerdt, ertödtete die Prieſter und ſchlachtete ſchier alle Thum-Herren, gleichwie das unvernünfftige Vieh, die noch übrig blieben waren, fing er, zerſchnitt ihnen Creutz-weiſe die Hirn-Schale, lieſs ſie als ein grauſames Schau-Spiel durch die meiſten Wendiſchen Städte, mit auf den Rücken zuſammen gebundenen Händen herum führen, und machte alſo aus ihnen heil. Feg-Opfer; welches er denn ſo lange trieb, biſs ſie in höchſter Schande ihr Leben endigten, worunter der Prieſter Odoacer, welcher vermöge aufgetragener Würde, denen andern fürgeſetzet war, die Märtyrer-Crone gleichmäſſig erlanget hat, ihren Gedächtniſs-Tag aber begehen die GOtt ergebene Nachkommen den 7. des Heu-Monaths. Er hat auch die (von Cl. Ptolomæo Træva genennete) weit berühmte Stadt Ammopolis oder Hamburg, ſo den Nahmen führet von Ammon, das iſt, dem Jupiter, als welchen die Griechen Ammon heiſſen, über alles Vermuthen erobert und ſowohl Manns-

(a) Mistivæus, apud Dubravium Mistibogius, a *miaſto*, locus & *Bog Deus*, Deus vicarius. *de Weſtphalen Monum. ined. Rer. Germ.*

dinis ſacri viros juxta & fœminas, qui terrore immanitatis tam efferatæ perculſi in ædibus ibi ſacris profugium quæritantes delituerant, & propinquante hoſte cryptoporticis undecunque & hypogæis ſeſe illatebrarunt, non uno lethi genere ad carnificinam pertractos ad unum perdidit, ſuis etiam ac inſontibus ſævus & truculentus. Moribus illis perditiſſimis Vandalorum religio ſacroſancta, quæ gliſcere jam paululum cœpit, peſſum ivit. Nec multo poſt Marcomannus autor contemnendi Miſtævonis, tyrannidem immodicam exercens, a ſuis explosus, dignitate exutus, *Ptolomæus.* Parthenopoli quæ CL. Ptolomæo μοιούιον, Mævium, extorris conſenuit, mendicabulum habitus, qua calamitate miſellus elatus eſt. Miſtævo vero in ultima pæne ætate moribus mutatis geſtorum penitus, in album ſe Chriſtianorum adſcribendum depopoſcit, & quum a ſuis ob id deteſtaretur, exilium ſibi voluntarium indixit, ac in urbe, quæ Vicusbardorum, tunc frequentiſſima, antiſtite inſuper peculiari honeſtata, vitæ reliquum pientiſſime exegit, *Anadracho, Udone, ac Gneo filiis* ſuperſtitibus, ex Margareta Henrici cæſaris filia, aut potius nepte.

als Frauens-Perſonen geiſtl. Standes, welche aus Furcht und Schrecken ſolcher unmenſchl. Grauſamkeit, ihre Zuflucht zu den Kirchen nahmen, um ſich daſelbſt zu verbergen, ſich auch, da der Feind hinein drang, in Grüfften und Kellern verſtecketen, ohne eintzige Begnadigung heraus ſchleppen, und durch mancherley Art des Todes, auf die Fleiſch-Banck liefern laſſen. Gegen die Seinen und gegen die Unſchuldigen bezeigete er ſich ebenmäſsig grauſam und Blut-dürſtig. Durch welche verderbliche Unruhe der Wenden dann geſchehen, daſs der heil. wahrhafftige Gottesdienſt, welcher ein wenig anzuglimmen begunte, gar wieder gedämpfet und bey ihnen verloſchen iſt. Kurtz darauf haben auch den Marggrafen, der ein Anſtiffter war der dem Miſtævon erwieſenen Schmach, als er zu ſehr wütete, die Seinigen vertrieben und ſeine Feinde ihn entſetzet, dergeſtalt, daſs er zu Magdeburg, (welches von dem Ptolomæo Mævium genennet wird,) ſein Leben im Elende Bettelweiſe zubringen, und in ſolchem Jammer ſterben und ſich beerdigen laſſen müſſen. Der Miſtævon aber kam ſchier im höchſten Alter zu andern Gedancken und bereuete die vorigen verübten Thaten, lieſs ſich auch vermittelſt der heil. Taufe in die Zahl der Chriſten einſchreiben, und da die Seinigen ihm deſswegen auffätzig wurden, iſt er in ein freywillig Elend gezogen, und hat in Bardowick, einer damahls Volck-reichen Stadt, und worinnen überdem ein Biſchöflicher Sitz war, die übrige Zeit ſeines Lebens in groſſer Gottſeligkeit geendiget, und ſeine Söhne, den Anadrach, Udo und Gneus, die er mit Margarethen, des Kayſers Henrici Tochter, oder vielmehr deſſen Enckel erzeuget hat, zu Erben hinterlaſſen.

De Anadracho, Herulorum ac Vandalorum rege vigeſimo nono. C. XXIX.

Anadrachus. ANadrachus, (a) Miſtævonis filius, in regno ſucceſſit, qui moriens anno fere a natali chriſtiano milleſimo decimo quinto. *Nicolotum filium parvulum* reliquit. At quid egerit, temporum iniquitate periit.

De Udone, Herulorum ac Vandalorum rege trigeſimo. C. XXX.

Udo. UDo, Miſtævonis filius, Anadrachi germanus, *Nicoloto patrueli, ob annos infantiles excluſo*, regnum moderandum ſuſcepit, oſor & extirpator *perſuaſionis noſtræ* inſignis. Poſt multa itaque quæ crudeliter perpetravit, ne ſuis quidem parcens, ab equeſtris ordinis viro transfuga quodam, qui a Saxonum gente deſciverat, ferro occubuit, anno milleſimo quinto ſupra nonageſimum, relicto ex Maria regis Cimbrorum filia *Godeſcalco, filio, regni ſucceſſore*, & filia quæ nupſit Bluſſoni, natalibus clariſſimis orto.

A. C. 1095.

Das neun und zwantzigſte Capitel.

Von Anadrach, der Herulen und Wenden neun und zwantzigſten König.

ANadrach, des Miſtævonis Sohn, hat wieder die Regierung angetreten, und wie er etwa ums Jahr nach der Geburth Chriſti 1015. geſtorben, hinterlieſs er den Nicolatum, ſo annoch ein Kind war. Was aber von ihm verrichtet, iſt wegen Miſsgunſt der Zeit nicht an uns gelanget.

Das dreyſsigſte Capitel.

Von Udo, der Herulen und Wenden dreyſsigſten König.

UDo, des Miſtævons Sohn, des Anadrachs Bruder, nahm, mit Hintanſetzung ſeines wegen der Kindheit annoch untüchtigen Vettern das Reich in Verwaltung. Er war ein hefftiger Feind und Verfolger unſers Gottesdienſtes, der auch nach vielen grauſamen verübten Thaten der Seinen keinesweges ſchonete, daher er denn von einem Ritter, ſo abtrünnig worden, und von den Sachſen zu ihm übergangen war, mit dem Schwerdt erwürget worden im 1095ſten Jahr. Er hinterlieſs von Maria, des Däniſchen Königs Tochter, einen Sohn, Nahmens Gottſchalck, zum Reichs-Erben, und eine Tochter, die vermählet ward an den Bluſſo, einen aus vornehmen Stamme gebohrnen Herrn.

De

(a) Anadrachus, Anatrogus, ab haſta dictus.

De Godeſcalco, Herulorum ac Vandalorum rege trigeſimo primo C. XXXI.

Godeſchalcus.

GOdeſcalcus, (a) Udonis regis filius, ſucceſſit rex inclytus, & ad fidem ante converſus, quam regni faſces aſſumeret. Annales Cimbrorum, autore Saxone grammatico, Apribignæo genitore prognatum tradunt, fidei chriſtianæ obſervantiſſimo. (b) Ætate adhuc tenera litterarum latinarum rudimenta accepit. Nihil illi antiquius quam necem ulciſci paternam. Quare diademate regio in urbe Veneta de more inauguratus, indidem orationem ad ſuos habuit. Cheroneſum armis dein adortus, & univerſa vaſtans clade ſanguinaria brevi ſibi loca ea ſubjecit, de hoſtibus ultionem ſumpſit. Et jam Canutus Cimbrorum rex cognomento Gamelus bellis ſuorum urgebatur, Noricis ac Suevis rebellibus, adverſum quos imperator exercitus Godeſcalcus deſignatus victoriam inſignem adeptus eſt. Sed & Britannorum regem Cimbris per tempora ea inſultantem brevi compeſcuit. Quibus bellis feliciter geſtis Syritham meruit, Suenonis regis Cimbrorum filiam, virginem ſpecioſiſſimam, cum dote ſumma, quacum pompa illuſtri rediit, a ſuis honorificentiſſime excepto. Deformitatem vero ſoli intuitus, & agrorum faciem incultam miſeratus, quæ bello vaſtata inſtaurare rurſum cœpit. Infideles cohibuit, templa inſtituit, religioſis etiam ac veſtalibus virginibus cœnobia donavit, declamare & prædicare ipſe *ſolitus perſuaſionem chriſtianam lingua Vandalorum, quam ignorarunt temporis illius ſacerdotes, gentili, ab auditoribus ſuis Leontii in Albis* ripa, in media concione cruciabiliter cum Popone presbytero, aliisque multis *ſacri ordinis* viris *occiſus*, ſeptimo Idus Junias anno fere a natali chriſtiano milleſimo quadrageſimo, ex uxore priore Symbulla regis Sarmatarum *filia*, *Bute*, *ex Syritha vero Cimbrorum Henrico*, *liberis* ſuperſtitibus, inter divos relatus, qui ſi vivere ſibi diutius licuiſſet, in animo habuit barbaras pro fide Roxalanorum, immanesque gentes adire, & belli viribus convertere. Conjunx optima contemptim deinceps habita, bonis inſuper omnibus exſpoliata, ipſo etiam mundo muliebri exuta, Megapoli conſenuit, qua in urbe maritus ædes ſacras tres excitavit, fidei perfugium. Nec malo tanto expleti Vandali, divum mox Anſcarium, archipræſulem Bremanum, Ammopolitanum

Das ein und dreyſſigſte Capitel.

Von Gottſchalck, der Herulen und Wenden 31ſten König.

GOttſchalck, des Königs Udo Sohn, ein rühmlichſter Herr, welcher vor angetretener Regierung zum Chriſtl. Glauben ſich ſchon bekannt hatte, von dem Saxo Grammat. in der Däniſchen Chronic ſchreibet, daſs er von einem dem Chriſtl. Glauben eiferig zugethanen Vater, dem Apribignæo, gezeuget, iſt in der Regierung gefolget. Er hat in ſeinem zarten Alter den Grund zur Lateiniſchen Sprache geleget, und nach der Zeit um nichts fleiſsiger ſich bemühet, als ſeines Hrn. Vaters Todt zu rächen. Da ihm, dem alten Herkommen zu Folge, in der Stadt Veneta die Königl. Crone aufgeſetzet ward, hat er daſelbſt an die Seinigen eine öffentliche Rede gehalten, nachgehends griff er Holſtein an mit Waffen, verheerete alles, bemächtigte ſich auch der gantzen Gegend vermittelſt eines blutigen Treffens in geſchwinder Eile, und rächete ſich dergeſtalt an ſeinen Feinden; Und als der Däniſche König Canutus, mit dem Zunahmen Gamelus, von den Seinigen mit Krieg bedränget ward, indem die Schweden und Norwegen ſich ihme wiederſetzten, erhielt der Gottſchalck, der gegen ſie zum Feldherrn über das Krieges-Volck geſetzet ward, einen herrl. Sieg von ihnen. Ja er trieb auch den Britanniſchen König, der die Dänen zu der Zeit überzog, zu paaren. Nach welchen glücklich geendigten Kriegen, dann er erhalten die Syritham, des Däniſchen Königs Sveno Tochter, ein über alle maſſen ſchönes Fräulein, zuſamt einem ſtattlichen Brautſchatz, mit welcher er, vermittelſt eines groſſen Gepränges, wieder anheim gelanget, und von den Seinigen aufs unterthänigſte empfangen worden. Wie er aber das Feld ſo gar öde und wüſte liegend befand, bedaurete er, daſs es ſo unbebauet ausſahe, und fieng an wieder in Stand zu bringen, was durch den Krieg verwüſtet war. Er hielt die Ungläubigen im Zaum, er ſtifftete Kirchen, er richtete für die Mönche und Nonnen Clöſter auf, und da er ſich nicht ſcheuete ſelbſt den Chriſtl. Glauben zu lehren und zu predigen, in Wendiſcher, als ſeiner Mutter-Sprache, welche den damahligen Predigern unbekannt war, ward er zu Lentzen an der Elbe, mitten in der Nacht, nebſt dem Prieſter Popo und anderen vielen Chriſtlichen Ordens-Leuten, im Jahr nach Chriſti Geburth 1040. den 7. Brach-Monaths, elendiglich erſchlagen. Von ſeiner erſten Gemahlin, der Symbulla, des Polniſchen Königs Tochter, lieſs er den Bute, von der Syritha aber, des Däniſchen Königs Tochter, den Henrich nach, und ward in die Zahl der Heiligen geſetzet. Dafern ihm der Höchſte das Leben länger gefriſtet, hatte er bey ſich den Schluſs gefaſſet, des Chriſtlichen Glaubens wegen ſich an die rauhen Roxalaner und andere ungeheure Völcker zu machen, und vermittelſt Krieges-Zwang zu bekehren. Seine höchſtlöbliche Gemahlin ward nachgehends gantz verächtlich gehalten, ward aller Güther überdem verluſtig, ja ihres Königl. weiblichen Schmucks gantz beraubet, und muſte ihr Leben zu Mecklenburg in hohen Alter ſchlieſſen, woſelbſt ihr hochſel. Herr drey Kirchen zu Erhaltung des wahren Glaubens gebauet hatte. An dieſer Grauſamkeit ſind die Wenden noch nicht geſättiget geweſen, ſondern haben kurtz darauf, den Ertz-Biſchoff zu Bremen, An-

(a) Godeſchalcus, *Gottſchalck*. Opitius in Rythmum de ſ. Adone p. 9.

(b) Et formato in gymnaſio monaſterii Luneb. *Sagittarius* Memorab. Luneb. p. 17. D. 10.

antiſtitem, in Polaborum finibus offenſum, captum, lapidibus ruere inſtituerunt, cum multis ſuorum quos vir ſanctus, impetrato a percuſſoribus ante ut è vita migrare illos cerneret, ad fidei conſtantiam acerrime hortabatur, poſtremus ipſe ſuorum occiſus, genubus humi innixus, ſaxis & ipſe adobrutus. Et talis erat viri divini exitus, quum Joannem epiſcopum tum Megapolæum, quem ex Albanacti regno Godeſcalcus ante acciverat, virum inſignem, captum ſpectaculo ſervarent. Nam mox fuſtibus cæſum, & per urbes inſignes omnes ridicularium vexatum in Rhæta tandem, truncatis ante manibus ac pedibus, peremerunt, artubusque corporis reliquis lancinatis ac minutatim diſſectis ovantes in itinere diſperſerunt, capite tantum integro adſervato, & Rhadagaſo numini ſummo, conto adfixo in Rhætæ delubro immolato. Bluſſonem præterea virum integerrimum, qui ſororem habuit Godeſcalci regis, avibus malis ut vulgi ſævitiam compeſceret adventantem, licentiam puniturum, manibus ac pedibus populatum trucidarunt. Permotus *inſolentia tanta Ordelaphus, Saxonum dux illuſtris, annos bis ſenos non ceſſavit bello in Vandalos debacchari.* At ſæpe ſæpius diſpalatus ac profligatus nihil in gente immaniſſima profecit Neque vero ceſſavit malum infeliciſſimum illud, donec ſuborto bello inteſtino, quo Rhætarii & Vindeli de Rhadagaſi gazophylacio cum Ciſſinis ac Circipœnis armis diſcernerent. Victi ergo præliis tribus Rhætarii ac Vindeli, multis utrinque deſideratis dum ſtipendiariorum auxilio pugnam inſtaurant infeliciter iterum congredientes bonam magnamque exercitus partem amiſere, ſic pacem coacti redimere æris vi maxima, quo onuſti principes abiere. Et epiſcopium Coloniæ antiquæ Cheroneſi graſſantibus bellis illis *per annos ferme quatuor ac octoginta ſine antiſtite jacuit,* mox ceſſantibus inſtauratum, Abelino inter primos tunc præſidente, in Polaborum vero metropoli Ariſtone, qui ex Solymis evocatus erat. Cœpit vero *præſulatus* Coloniæ Cheroneſi antiquæ ab Ottone primo, Cæſare Romano, anno a natali chriſtiano noningenteſimo quadrageſimo quarto, Marco ibi antiſtite primo. Sed *& Megapolenſis ab Obetritarum ſive Herulorum regibus* ſub eodem quoque *Ottone quadrageſimo fere tertio.* At Polaborum ab Henrico Saxonum duce maximo cognomento Leone, ſive ut nonnulli, ſuperbo, qui in Ammopolitanum tum omnes referebantur,

ſcharium, der auch Biſchoff zu Hamburg war, im Lande Sachſen aufgefangen, ihn angefaſſet, und zu ſteinigen, nebſt vielen der Seinigen vorgehabt, welche der heil. Mann (nachdem er von ſeinen Mördern erlanget, daſs er zuletzt ſterben möchte) gantz eiferig zu des Glaubens Beſtändigkeit vermahnet; zuletzt, da alle diejenigen, ſo er bey ſich hatte, ums Leben gebracht waren, fiel er auf die Knie zur Erden, und ward gleichmäſsig mit Steinen bedecket. Solch ein Ende nahm der Gott-ergebene Mann, eben zu der Zeit, wie ſie den Johannes, damahligen Biſchoff zu Mecklenburg, einen trefflichen hiebevor von König Gottſchalck aus dem Königreiche Schottlande, dahin gefoderten Mann, gefangen hielten, den ſie dann kurtz darauff mit Prügeln abgeſchlagen durch alle vornehmſte Städte zum Gelächter herum geführet, endlich zu Rheta, nachdem ſie ihn an Händen und Füſſen verſtümmelt, ums Leben gebracht, zergliedert und zu kleinen Stücken zerhauen haben, die ſie mit Frohlocken auf dem Wege lang hin und wieder geſtreuet, das Haupt, welches ſie nur allein gantz lieſſen, ſteckten ſie auf einen Spieſs, und opferten es ihrem vornehmſten Abgott Radegaſt im Tempel zu Retha. Sie hieben überdem die Hände und Füſſe ab, und nahmen das Leben dem Bluſſo, einem aufrichtigen rechtſchaffenen und redlichen Herrn, welcher des Königs Gottſchalcken Schweſter Mann, und zu ſeinem groſſen Unglück, des Volcks Muthwillen zu ſteuren und deſſen Grauſamkeit zu beſtraffen, angelanget war, durch welchen groſſen Frevel denn der Durchl. Hertzog zu Sachſen, der Ordelaphus, bewogen ward, 12. Jahr unnachläſsig die Wenden mit Krieg zu beunruhigen. Er hat aber, nachdem er gar offt und vielmahls geſchlagen und in die Flucht getrieben, gegen das wütende Volck nichts ſchaffen mögen, und dieſes trauerwürdige Uebel, hat nicht ehe aufgehöret, biſs ein innerlicher Krieg ſich erregte, worinnen die Rhetarier und Vindelier mit den Kiſſinern und Circipœnern, um des Kirchen-Schutzes des Radagaſti willen ſich im Waffen-Streit einlieſſen, da denn die Rhetarier und Vindelier in 3en Schlachten den Kürtzern gezogen, und als ſie von beyden Theilen eine ziemliche Anzahl ihres Volcks verlohren, und vermittelſt fremder um Beſoldung erlangter Hülffe, nochmahlen eine Schlacht wageten, ſind dieſe wiederum gantz unglücklich im Treffen geweſen, und haben ein gut und groſs Theil des Krieges-Volcks eingebüſſet, dahero ſie gezwungen worden, den Frieden zu erkauffen durch ein anſehnlich Stück Geldes, welches die Fürſten fein zu ſich genommen, und davon gezogen. Unter währender ſolcher Krieges-Unruhe lag das Biſchofſthum in Holſtein faſt 84. Jahr ohne Biſchoff wüſte, nach deren Verflieſſung ward es wieder aufgerichtet, da denn unter den Vornehmſten daſelbſt, der Abelinus, und zu Ratzeburg der von Jeruſalem dahin beruffene Ariſto die höchſten Würden der Oerter vertraten. Es iſt aber das Biſchofſthum Oldenburg in Holſtein anfänglich geſtifftet worden unter dem Römiſchen Kayſer Otto I. im Jahr nach der Geburth Chriſti 944. Der erſte Biſchoff iſt Marcus geweſen. Das Biſchofſthum Mecklenburg hat ſeinen Anfang gleichfalls unter ſelbigem Ottone I. ohngefehr im Jahr Chriſti 943. genommen, und iſt dem Könige der Obotriten und Herulen zu dancken; das Ratzeburgiſche iſt von dem berühmten Hertzoge zu Sachſen, dem Heinrich, mit dem Zunahmen der Löwe, oder wie er von einigen andern genennet wird, dem Hochmüthigen angeleget worden; welche Biſchofſthümer, damahls alle nach Hamburg hingehöreten, vermöge der von dem

tur,

tur, a Caroli illius magni filio Ludovico institutum, nunc cum plerisque aliis in archiepiscopatum Bremanum, qui ante cœpit autore Carolo, anno fere septingentesimo octogesimo quarto. Verum Cimbri fidem non multo inde agnovere christianam, sub rege Humoldo, qui Haraldus, anno a natali christiano octingentesimo trigesimo secundo, qui quum dein a religione deficerent, ab Henrico sunt cæsare Romano restituti, sub Mulbano rege. Saxo grammaticus Cimbricis annalibus fidem amplexos scribit Frotone rege, Canuti filio, Agapeto pontifice maximo.

De Bute, Herulorum ac Vandalorum rege trigesimo secundo. C. XXXII.

Bute. BUte, (a) Godescalci regis filius, successit, a suis brevi ne necem ulcisceretur paternam cum Henrico privigno explosus, *Critone Rugio*, tyranno, hoste fidei acerrimo adscito, Gryni filio. Bute ergo in Vicum Bardorum confugit, ut auxilia a Saxonum ducibus expostularet, qui mox illum pro vetere Obetritarum amicitia restituerunt, cæterum suis semper infensum, quum quod religionem amplecteretur christianam, tum quod fœdera iniisset externa, *a Critone* per insidias sublatus, in arce Cheronesi Plona, anno fere millesimo, sexagesimo sexto, *regnum percussore occupante*, quamvis *Pribislao & Nicoloto* (b) *ex Ida* Rugia *liberis superstitibus*, instaurata ante urbe a genitore excitata, quam Buten nuncupavit.

De Critone, Herulorum ac Vandalorum rege trigesimo tertio. C. XXXIII.

Crito. CRito (c) percussor, rex, sive potius tyrannus, regnum haud ita diu obtinuit. Nam Henricus comperta germani nece exercitu Cimbrorum maximo proxima quæque populatus spoliis opimis suos ditavit. Moxque iterum ac tertio rediens Vandalos usque adeo & tyrannum, lassavit ut petere pacem cogerentur, & regni simul potiundi cum Critone facere facultatem. Sed id tyrannus tanto facilius annuebat, quanto sperabat opportunius competitorem lo tollere, quem vincere armis non posset. Nec dubium, quin negotio parvo Henricus elatus fuisset, si non a Critonis conjuge Sclavina, ut tyrannum declinaret, prænonitus fuisset. Ea enim in necem mariti adulescentem ultro sollicitavit, con-

Kayser Ludewig, des Grossen Carls Sohn, geschehenen Stifftung. Nun werden sie nebst vielen andern gerechnet unter das vorhin schon von dem Carolo ohngefehr im 784sten Jahr gegründete Ertz-Stifft Brehmen. Die Dänen haben auch um diese Zeit schier zum Christlichen Glauben sich bekennet unter dem Könige Humoldo, sonst Haraldus geheissen, im Jahr nach Christi Geburth 832. welche, da sie nachgehends von dem bekannten Gottesdienst abfielen, von dem Römischen Kayser Heinrich darzu wieder gebracht seyn, unter dem Könige Mulbano. Saxo Grammaticus schreibet in der Dänischen Chronic, dass sie den Glauben unter dem Könige Froto, des Canuti Sohn, zu Zeiten des Priesters Agapeti angenommen.

Das zwey und dreyssigste Capitel.

Von Bute, der Herulen und Wenden 32sten König.

BUte, des Königs Gottschalcks Sohn, folgete zwar in der Regierung, ward aber in kurtzen, damit er seines Herrn Vaters Tod nicht möchte rächen, mit seinem Halb-Bruder, Henrich, verstossen. Hergegen Crito, des Gryni Sohn, aus Rügen, ein Wüterich und abgesagter Feind des Christl. Glaubens, an seine statt wieder gefodert, weswegen denn der Bute nach Bardowick geflohen, um Hülffe bey den Hertzogen zu Sachsen zu suchen, welche ihn dann ohnverlängt, vermöge der alten Freundschafft mit den Obotriten, wieder eingesetzet haben, weil er aber beydes der Christen ihrem Gottesdienst zugethan, u. auch mit Bündnissen den Fremden verpflichtet war, haben ihn die Seinigen stets gehasset, u. ist von dem Critone durch Hinterlist aus dem Wege geräumet, zu Plön, auf einem Holsteinischen Schlosse etwa im 1066. Jahr. Das Reich nahm sein Mörder, ungeachtet dass er Kinder, nemlich den Pribislaum und Nicolotum, von, Ida einer Rügianerin, hinterliess. Die von seinem Hrn. Vater vormahls erbauete Stadt, hat er in guten Stand zu setzen sich angelegen seyn lassen, und sie Bute genennet.

Das drey und dreyssigste Capitel.

Von Critone, der Herulen und Wenden 33sten König.

CRito, der Mörder, mehr ein Wüterich als König, besass nicht so gar lange das Reich. Dann Heinrich, nachdem er seines Brudern Todt erfahren, durchstreiffte er mit einem grossen Krieges-Heer der Dänen, die nechst gelegenen Oerter, und bereicherte die Seinen mit trefflicher Beute. Dannenhero wie er dergestalt zum andern und dritten mahl stracks wieder kam, mattete er die Wenden samt dem Wüterich so sehr ab, dass sie genöthiget wurden, den Frieden zu begehren, und ihm zu vergönnen, dass er nebst dem Crito die Regierung führen solte, worein denn der Wüterich desto eher willigte, so viel leichter er hoffete seinen Gegen-Mann, den er mit Waffen zu überwinden nicht vermochte, mit List hinzurichten. Massen dann gar nicht zu zweiffeln, es würde der Heinrich mit leichter Mühe umgebracht seyn, da er nicht, dass er sich des Wüterichs enthalten solte, gewarnet wäre von des Critonis Gemahlin, der Schlavina, welche dann den jungen filium

(a) Bute, Budiwojus. Bellator apud Dubravium c. 1.
(b) Jung. c. 37. & seqq. h. lib. 2.
(c) Crito, Cruco, Crocus seu Augur. unde *crocitare*, *kracken*, garrire ut aves, corvi.

filium auxiliumque pollicita per internuncios, modo post mariti fata, tyrannoctonia, uxor fieret. Sic Crito pompa nuptiali quadam convivio ganeato ac gliscero ex dispositio de ebrio lætior, dum januam diætæ sive hibernaculi humiliorem exiturus caput bello submittit, a doryphoro cernuus securi obtruncatus est, merito perfidiæ supplicio.

Herrn von freyen Stücken zu ihres Gemahls Entleibung anreitzete, wozu sie ihm Rath und That durch einige, die ihm solches vermelden müssen, versprach, doch mit dem Bedinge, daſs sie nach zu Werck gerichteten Mord ihres Herrn, des Wüterichs, sein Gemahl wieder würde. Ist demnach der Crito auf einer prächtigen Hochzeit-Gasterey, da er von Wein und süssen Getränck, der Gemahlin Anstalt nach, wohl berauscht, durch eine niedrige Thür aus der Stuben gehen will, und deſswegen das Haupt sincken lässet, dergestalt gebückt, um seiner Treulosigkeit wegen solcher Strafe wohl würdig, von einem Diener mit dem Beile ermordet worden.

De Henrico, Herulorum ac Vandalorum rege trigesimo quarto C. XXXIV.

Hinricus.

HEnricus, Godescalci regis ex Syritha, regio Cimbrorum genere, filius, sublato tyranno Critone, mutata jam fortuna amicos plurimos nactus est Uxorem tyranni superstitem conjugem duxit, quæ etat matris Magni ducis Saxonum soror. Arcem fere habitavit urbis Butes, quam Coloniam Luconiorum magnam dici maluit. Primo quoque tempore agris, quasi clausis Jani foribus, jura sua reddidit, latrunculis regionem perpurgavit, sedes novas inauguravit. Tanta ergo ejus felicitate perculsi Vandali, a quo legibus jussi vivere fidei, tributaque præter solitum pendere, pro libertate pristina, quam insolentia sua asseruerunt bellum desumunt. Conserta manu rex in mediis Polaborum finibus prælium committit, campo cui Smilo nomen, quo ope cœlesti adjutus, agmine hostili a sole superne occiduo cæcutiente, victoria potitus est, profligatos cum conspiratoribus ad deditionem compulit, & in officio deinceps semper continuit. Inter hæc Rugii Critonis mortem ulturi exercitu lectissimo Henricum in Colonia sua Luconiorum magna adoriuntur, in qua regiam tunc habebat, inermem ac impromtum. Nihil tamen territus arcis custodiam suis concredens, sirris, sive cuniculis notis ac latebris uno tantum comite noctu effusus, exercitu subitario agminatim stipatus rediit, iter qua stativa hostes tenebant struxit, & excubias equorum hinnitu cohibito fallens, hostes de inopinato circumveniens, incubantes haud ita multo negotio peremit, excitatumque ignobile vulgus dispalavit, & ad internecionem fere delevit, non paucis qui fuga sibi statuerunt consulere summersis, cæteris ægre evadentibus, quæ victoria ad Calendas augustas parta est. Manet adhuc loco, ante urbis portam, a cadaverum indidem in colle tumulatorum acervo nomen, qui

Das vier und dreyſsigſte Capitel.

Von Heinrich, der Herulen und Wenden 34ſten König.

überfiel Schonen gantz feindlich, belagerte Helſingburg, eroberte es auch mit Gewalt nach wenig Tagen, und gab es den Lübiſchen, Wismariſchen und Stralſundiſchen zu beſitzen ein, die es aber der damahligen Däniſchen Königin Margarethen, des Königs Haquin hinterlaſſenen Wittben, wieder zuſtelleten, welchen verübten Frevel der löbliche Fürſt keinesweges ungerochen hingehen lieſs; Mit der Ingeburg aber zeugte er den Albrechten, ſo des Holſteiniſchen Fürſten Nicolaſen Tochter heyrathete, welcher, nachdem er in Schonen wegen Erbtheilung in eine Rechtfertigung gerathen war, und bald darauf ſein Recht mit Waffen geſuchet hatte, an der Peſt ſtarb, und nach Dobberan gebracht, woſelbſt er im 1370. Jahr begraben iſt; deſſen Schweſter, ſo an Wratislaum Hertzogen zu Stettin, vermählet ward, gebahr zur Welt den Erich, der nachgehends zum König in Schweden und Norwegen erwehlet ward. Heinrich aber ſtürtzete auf einem zu Wismar gehaltenen Tournier, und kam um im Jahr 1400. den 1. Maji.

De Alberto duce Megapolæo. C. III.

Albertus. ALbertus, Alberti ſenioris filius, Henrici germanus, Richardim, ut diximus, Otonis comitis Suerinæi filiam duxit, una accepto comitatu eo, e qua ſuſtulit Ericum ac filiam, quæ Joanni nupſit, duci Ligiorum ac Cheruſcorum, Caroli Cæſaris Romani filio. At mox Ingeburgis in Scandinavia obiit in urbe Stocholmo tumulata, in æde divi Dominici. Duxit dein Agnetem ducis Brunopolitani ac Lunæburgiani filiam, e qua Albertus & Ericum excitavit, e quibus Albertum Margaretam duxit Marchionis Bryſani filiam, qui ſtrategematis militaribus clarus, eques auratus Solymis factus, ſine heredibus elatus eſt. Genitor *ergo Albertus a magnatibus proceribusque regni Suevorum oceani*, in regem lectus eſt, defuncto vita Magno, illorum rege, e cujus ipſe ſorore prognatus erat. Nam Magnus ille Haquino filio, Margaretam Baldomari regis Cimbrorum filiam collocavit, violato jurejurando, quo regni proceribus juraverat filio e Cimbrorum familia regia conjugem ſe non daturum, quod ſi faceret, primores regni fidelitatis orco liberati facultatem haberent regem quemcunque vellent eligendi. Sic ab illis irarum adhuc plenis adſcitus eſt Albertus. At Margareta Baldomaro genitore defuncto, quum non extarent liberi alii ſtirpis virilis, ipſaque ex Haquino, pariter defuncto, Ololaum filium accepiſſet, Cimbrorum regnum adepta ſumma prudentia adminiſtravit. Et cum *hac Albertus rex, orta de regnis* diſſenſione, *armis contendere* decrevit. Conſertaque hoſtiliter manu, quum juventuti rex magis quam grandævis auſcultat, loci iniquitate

Das dritte Capitel.

Von Albrechten, Hertzogen zu Mecklenburg.

ALbrecht, Albrechts des ältern Sohn und Heinrichs Bruder, nahm zur Ehe, wie wir erwehnet, Graf Otten von Schwerin Tochter, mit welcher er zugleich die Graſſchafft überkommen, dieſe gebahr ihm den Erich, und eine Tochter, welche an Johannem, der Ligier und Cheruſcer Hertzogen, des Römiſchen Kayſers Carls Sohn, vermählet ward. Ingeburg ſtarb darauf in Schonen und ward zu Stockholm begraben, in des heiligen Dominici Kirche. Nachgehends verheyrathete er ſich mit Agneſen, des Hertzogs von Braunſchweig und Lüneburg Tochter, mit welcher er den Albrechten und Erichen zeugte, welcher Albrecht, der die Margarethen, des Marggrafens zu Brandenburg Tochter zur Gemahlin nahm, und wegen ſeiner Krieges-Ränke berühmt, auch zu Jeruſalem zum Ritter geſchlagen ward, ohne Leibes-Erben verſtarb. Der Herr Vater Albrecht aber ward von den Schwediſchen Reichs-Ständen zum Könige erwehlet, nachdem ihr König Magnus, von deſſen Schweſter er gebohren, geſtorben war. Dieſer Magnus hatte ſeinem Sohn, dem Haquin, zur Gemahlin gegeben des Däniſchen Königes Baldomar Tochter, Margarethen, mit Hindanſetzung ſeines Eides, krafft welches er gegen den Reichs-Ständen ſich verpflichtet hatte, daſs er ſeinem Sohn aus dem Königlichen Däniſchen Stamme keine Gemahlin nehmen wolte, mit ausdrücklichem Verſprechen, wann er ſolches nichts deſto weniger thun würde, ſolten ſie ihres Eides pflichtloſs und bemächtiget ſeyn, zum Könige zu erwehlen, wen ſie wolten. Solchergeſtalt iſt Albrecht von ihnen, die damals gar erbirtert waren, erfodert, hingegen die Margaretha überkam nach Abſterben ihres Herrn Vaters, Baldomars, weil keine Männliche Erben verhanden, und ſie von ihrem gleichfals Todes verblichenen Herrn mit einem Sohn, Ololao, beerbet war, das Königreich Dännemarck, welches ſie denn mit höchſter Klugheit verwaltete. Mit dieſer gerieth König Albrecht von wegen einer entſtandenen Miſshelligkeit der Königreiche halber im Streit, wie es derowegen zum Treffen kam, und der König mehr nach den Jungen als nach den Alten hörete, ward

inter

inter paludosa deceptus, a suis fidentius aciem deferentibus destitutus, a regina dispalato exercitu, cæsis proceribus multis, *captus est, cum filio Erico, anno fere millesimo trecentesimo octogesimo octavo, in Codonaviam* perductus, annos *septem retentus*, multo a regina *ludibrio* divexatus, pondo *argenti millibus sexaginta* liberatus est, multum *ad ea matribus familias Herulis mundo muliebri opitulantibus, unde* (a) *jus illis etiamnum succedendi, liberis generis virilis non extantibus, sed in vita tantum.* Duxit vero postremo ducis Sidinorum ac Juliæ augustæ filiam, e qua nullos accepit liberos. *Tumulatus in Gadebusio, anno* millesimo trecentesimo nonagesimo quarto. Erico rege, ex conjugio primo peste absumpto, in Albiburgio Gotorum tumulato, extincta sic stirpe ea.

er durch die ungelegene und sumpfigte Gelegenheit des Orts verführet, und da die Seinigen mit Zurücksetzung gebührender Treu ihn verliessen, ward der Herr von der Königin in die Flucht geschlagen, viele von den Vornehmsten niedergemacht, er, samt seinem Sohn Erich gefangen, und etwa im Jahr 1388. nach Coppenhagen gebracht, woselbst er 7. Jahr verwahret gehalten und viel Schmach von der Königin erdulden müssen, nachgehends hat er sich mit 60000. Pf. Silbers wieder gelöset, darzu das Mecklenburgische Frauenzimmer ein grosses, vermittelst Dargebung ihres Geschmucks beygetragen, daher sie denn mit dem Rechte begnadiget worden, wenn keine männliche Erben vorhanden, der Erbschafft, iedoch nur Zeit ihres Lebens, sich anzumassen. Zuletzt vermählte er sich mit des Hertzogen zu Stettin und Wolgast Tochter, (einer Fürstlichen Witwe aus Lüneburg, das Beylager ist zu Schwerin gehalten. Calov.) mit welcher er keine Kinder hatte. Er ward zu Gadebusch, im Jahr 1394. begraben, nachdem der aus der ersten Ehe gezeugte König, Erich, an der Pest gestorben, der zu Ahlburg begraben lieget. Solchergestalt hat dieser Stamm sich geendet.

De Magno, duce Megapolæo. Cap. IV.

Magnus. MAgnus, Alberti senioris filius, Alberti regis Suevorum germanus, e sorore principis Rugiorum Joannem sustulit, ac mox dum Aquas granias, quæ Cl. Ptolomæo Βέγεῤῥα, Vegerra, visitat, vita functus, anno millesimo trecentesimo octogesimo quinto, postridie Calendas Septembres.

Das vierte Capitel.

Von Magnussen, Hertzogen zu Mecklenburg.

MAgnus, des ältern Albrechts Sohn, des Schwedischen Königs Albrechts Bruder, zeugete mit der Schwester des Rügianischen Fürsten (Agnesen, Calov.) den Johannem, und starb bald darauf, da er nach Achen, welches der Cl. Ptolomæus Vegerra nennet, verreiset war, im Jahr 1385. den 2. Herbst-Monath.

De Joanne, duce Megapolæo. Cap. V.

Joannes. JOannes, Magni filius, Juditam duxit, filiam Ottonis, comitis de Hoja, e qua Magnum suscepit, qui brevi in fata concessit, Suerini tumulatus. Filias insuper aliquot. Rex erat Suevorum electus, vivo adhuc Alberto patruo, rege, quum in postliminio ille ageret, coronatus. Corpore procero, forma pereleganti, animo invicto. Marcomannum hostilia meditantem brevi ad pacem compulit, captis ex aulicis ejus non infimæ classis proceribus. In rem divinam propensissimus fuit, ædes modo sacras excitans, modo collapsas instaurans, unde nomen ad posteros celeberrimum tulit. Duxit tandem Catharinam ducis Saxonum ac Angrivariorum filiam, e qua edidit *Joannem ac Henricum*, brevi post elatus, anno millesimo quadringentesimo vigesimo secundo.

Das fünffte Capitel.

Von Johann, Hertzogen zu Mecklenburg.

JOhann, ein Sohn des Magnus, vermählte sich mit Judith, Graf Otten von Hoja Tochter, und zeugete mit ihr Magnussen, der bald diese Eitelkeit gesegnete und zu Schwerin begraben ward, auch etliche Töchter; Er ward bey Leb-Zeiten und in Abwesenheit seines Herrn Vaters Bruders zum Könige in Schweden erwehlet und gekrönet. Vom Leibe war er lang von Gestalt sehr schön, vom Gemüth tapfer. Den Marggrafen von Brandenburg, der ihn zu bekriegen bedacht war, brachte er gar bald zum Frieden, und bekam nicht die schlechtesten von seinen Hof-Leuten gefangen. Dem Gottesdienst war er sehr zugethan, zumahlen er sowohl Kirchen von Grunde auf erbauete, als alte zerfallene wieder aufrichtete, daher er denn ein unsterblich Lob sich bey denen Nachkommen zuwege gebracht. Letztlich befreyete er sich mit Catharinen, des Hertzogen zu Sachsen und Engern Tochter, die ihm Johansen und Henrichen zur Welt gebahr, und starb kurtz darauf im Jahr 1422.

De Joanne, duce Megapolæo. Cap. VI.

Johannes. JOannes, Joannis filius, conjugem duxit Annam, Casimiri ducis Sidinorum

Das sechste Capitel.

Von Johann, Hertzogen zu Mecklenburg.

JOhann, ein Sohn des Johannis, nahm zur Gemahlin Annen, des Hertzogs zu Stettin, Casi-

filiam,

(a) Add. Autor. in Deflor. antiqu. L. 5. Idem in vitis Obetrit. L. I. c. 90. Johann. Bocerus, poëta non inelegans, de origine & gest. Ducum Megapol. Thoming vol. 1. Resp. 4. Num. 30.

filiam, qui haud ita multo interjecto tempore vitam ſine liberis cum morte commutavit, peſte correptus.

De Henrico, duce Megapolæo. Cap. VII.

Henricus. HEnricus, Joannis hujus germanus, ſucceſſit. Dorotheam duxit ille Frederici, Marcomanni Bryzani (*a*) filiam, e qua ſuſtulit, *Albertum, Joannem, Magnum, Catharinam, Baldaſſarem*, e quibus natu maximus filiam duxit comitis Rupinorum, qui ſine liberis excesſit, anno a natali chriſtiano milleſimo quadringenteſimo octogeſimo tertio, quem mox ſequutus Joannes, peſte abſumtus. Henricus itaque princeps pientiſſimus, qui aduleſcens Solymis eques auratus factus, rediens tanta ſuos charitate excepit, fovit & tutatus eſt, ut ditionis ſuæ partem plurimam ære alieno fœneratoribus obligarit. Aſotiis inter hæc ſtudere, ſumptus facere nepotinos, gaſtriſmum amare, rempubl. oſcitanter tractare, pati ut proceres inter ſeſe per fas ac nefas latrociniis, deprædationibus, injuriis omnibus, ut quisque potentiſſimus erat, agere. Hoſtes tamen ſtrenue repreſſit, & quamvis corpore differto, adephagus, phalactus, phalantus, armis tamen nihil abſtinens hoſtibus fere formidabilis fuit, holoporphyra, ut ætate illa, neſciens, leucoparyphus fere inceſſit, trivonaria geſtitans, mortuus anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo primo, cujus ante conjunx, ſeptuageſimo fere ſeptimo, ad Calendas Apriles decimum quartum, *ſuperſtitibus Magno ac Baldaſſare liberis.*

mirs Tochter, und ſtarb wenige Zeit darnach an der Peſt, ohne Hinterlaſſung einiger Leibes-Erben.

Das ſiebende Capitel.

Von Heinrich, Hertzogen zu Mecklenburg.

HEinrich, itzt erwehnten Johannis leibl. Bruder, folgete hierauf, und nahm Friedrichs, des Marggrafen zu Brandenburg Tochter, (Dorotheam, Calov.) mit welcher er zeugete Albrecht, Johann, Magnus, Catharinen, Baltzern, davon der älteſte des Grafen von Ruppin Tochter heyrathete, und im Jahr nach der Geburth Chriſti 1483. ohne Leibes Erben verſtorben, dem folgete ſtracks Johannes nach, der an der Peſt ſein Leben endete; Henrich war ein gar frommer Fürſt; nachdem er in ſeiner Jugend zu Jeruſalem zum Ritter geſchlagen, und wieder anheim kommen war, erwieſs er ſich gegen die Seinigen ſo gnädig, milde und ſorgfältig, daſs er das gröſſeſte Theil ſeines Landes den Wucherern verpfändete und Geld darauf nahm, lieſs ein groſſes draufgehen, liebete ein ſtetiges Wohlleben, beobachtete wenig das gemeine Beſte, gab zu, daſs die Vornehmſten, nachdem einer dem andern an Macht überlegen war, mit Recht und Unrecht, mit Räubereyen, Beleidigung und allerhand Thätlichkeiten unter ſich verfuhren, wobey er ſich der Feinde doch tapfer erwehrte, und ohnangeſehen, daſs er vom Leibe ſtarck, fett und ſchwehrfällig war, enthielt er ſich gleichwohl der Waffen nicht, und war allerdings ſeinen Feinden erſchrecklich. Von ſeydenen und köſtlichen Gewand, wie der Zeit gebräuchlich war, hielte er nichts, ſondern ging mehrentheils in ſchlechten Kleidern, er ſtarb im 1491. Jahr den 19. Martii, nachdem die Gemahlin ſchon vor ihm die Welt verlaſſen hatte, in ſeinem 77. Jahre, und hinterlieſs an Fürſtlichen Kindern Magnus und Baltzarn (Albrecht, Johannem, Catharinen, Calov.)

De Magno, Megapolæo duce. Cap. VIII.

Magnus. MAgnus, Henrici filius, ſucceſſit, qui Sophiam duxit, Erici Sidinorum ducis filiam, virginem ſpecioſiſſimam, moribus optimis imbutam, & virtutibus ſummis præditam, e qua ſuſtulit *Henricum, Ericum, Albertum, Sophiam, Annam, Dorotheam, Catharinam.* Eques auratus eſt aduleſcens adhuc Solymis inſignitus, cum Udalrico Sargatiorum, ut diximus, duce. Magnus non tam nomine quam re, & certe verus pater patriæ, qui prudentia ſua ſingulari, ac incomparabili, rempubl. turbine vario fluctuantem, primus præſtitit ſalvam, & *prædia majorum in mille fœneratorum manus diſperdita, primus* recepit. Romam cum multis proceribus bis adiit, ſub Xyſto quarto, pontifice maximo ſemel, a quo & patrum collegio honorificentiſſime exceptus, hiericuntica publicitus donatus, medio theleſphorianæ apaſtiæ teſſeracoſto, omnium tunc excel-

Das achte Capitel.

Von Magnuſſen, Hertzogen zu Mecklenburg.

MAgnus, der Sohn Heinrichs, folgete hiernechſt und vermählete ſich mit Sophien, Erichs, des Hertzogen zu Stettin, Tochter, einem überaus ſchönen und wohlgezogenen und mit vortreflichen Tugenden begabten Fräulein, die ihm gebahr den Henrich, Erich, Albrecht, Sophien, Annen, Dorotheen, Catharinen. Er ward annoch in ſeiner Jugend zum Ritter zu Jeruſalem geſchlagen, wie wir erwehnet haben, mit Hertzog Ulrich zu Stargard, und war nicht ſo ſehr ſeines Nahmens wegen, als in der That ſelbſt groſs, und wahrlich ein rechter Vater des Vaterlandes, welcher durch ſeine ſonderbahre und unvergleichliche Klugheit, das in mancherley Unruhe ſich befindliche gemeine Weſen in guten Stand zum erſten wieder geſetzet, und der Vorfahren verſetzte Güther wieder an ſich gebracht. Zwey mahl reiſete er mit vielen Vornehmen nach Rom, und zwar einmahl zur Zeit des Pabſts Sixti des 4ten, von welchem, und dann von der Väter Verſammlung er mit ſonderbahrer Ehr-Erweiſung angenommen und allen andern dergeſtalt fürgezogen ward, daſs er öffentlich in der Faſten mit der güldenen Roſe beſchen-

lentis-

(*a*) Marchionis Brandenburgici.

lentissimus æstimatus. Sub Frederico etiam Cæsare Romano inter imperii primates, mox sub Maximiliano rege dum in Vangionum oris comitia celebraret, maxime conspicuus, & consilio venerandus. Affabilis perinde, jucundus & perhumanus, qui liberos suos ut corpore formosissimos ita voluit & moribus pulcherrimos evadedere, qua fama illustrati *Sophia Joanni, Saxonum duci, Frederici, electoris germani, principis maximi, ac imperii Romani præfecti prætorio, per nuptias collocata, Anna vero Guilielmo Hessorum Lantgravio* ut appellant, dote *utraque summa, nuptiis festivissimis, e quarum priore matrimonio Joannes Fredericus, ab altera prognatus Philippus ac Anna*, quæ nupsit Joanni, ducis Saxonum Georgii filio. At Dorothea virginum Ribenitii vestalium mater magna adscita. Bello fere abstinuit, arma cunctanter, nec unquam nisi injuria lacessitus movit, Rostochios rebelles bello justo *adgressus, prælio inter primipilos ac antesignanos* cum Baldassare germano fortissime dimicans, etsi saucius pugna excesserit, ductoris sui imperitia deceptus, ita tamen lassavit, ita vires eorum comminuit, ut post cladem ingentem illatam *pacem redimere coëgerit auri vi maxima, in quorum urbe etiam canonium, in templo divi Jacobi, primus instituit.* Latrunculis provinciam purgavit. Sabbatarios facinus in eucharistiam sacrosanctam ausos post cruciatus varios icrio, ignique ultore in orcum demisit, autore rei summo molesta, ungutis, runcinis, laminis, excarnificato, cujus rei seriem universam libro uno memoriæ mandavimus. Obiit vero diem post facinora egregia multa, anno a natali christiano millesimo quingentesimo tertio, X. Calendas Decembres, Doberani tumulatus, cujus sepulchrum Udalricus Ulsenius, Frisius, Iatrus, excellens, & poëta laureatus, qui mecum post sub filiis illius militabat, carmine illustravit:

Megapolensis eram, dux Magnus, nomine magnus,
Cæsaribus gratus, principibusque viris.
Pronus apostolica Papæ bis cernor in aula,
Austriacus fovit Cæsar uterque meos.
Perpetuam dedit ille rosam, sacra bractea regum
His mihi feudorum gratia bina fuit.
Aethereæ patriam Solymæ peregrinus adivi,
Militiam domini sancta per arva petens.
Gaudebunt atavi titulis, tellure nepotes,
Proxima cura subit, relligionis honos.

cket worden. Unter dem Römischen Kayser Friedrich und stracks darauf unter dem Könige Maximilian, da derselbe zu Worms den Reichs-Tag hielte, war er auch in sonderbahrem Ansehen, und galt sein Rath gar viel. Er war ein leutseliger, zugleich auch ein lustiger und sehr freundlicher Herr, welcher seine Kinder, die schön vom Leibe waren, nicht weniger zierlich von Sitten, begehrte zu haben, durch welchen Ruhm sie denn dermassen sind bekannt worden, dass Sophia an Johann, den Hertzog zu Sachsen, des fürtreflichen Churfürsten und Reichs-Marschallen Friedrichs Bruder, Anna aber an Wilhelm, (wie mans nennet) Land-Grafen von Hessen, vermählet worden, beyde mit einem grossen Brautschatz und treflich lustigen Hochzeiten, von welcher der erst genannten Ehe Johann Friedrich, von der andern Philipp und Anna, die an Hertzog Johann zu Sachsen, Georgs Sohn, verheyrathet, gebohren worden; Dorothea aber ward erwehlet zur Æbtissin zu Ribnitz; des Kriegs entschlug er sich fast gäntzlich, die Waffen ergriff er sehr langsam, und niemahls ohn einigen ihm zugefügten Unfug. Gegen die wiederspänstigen Rostocker fing er (wegen Sifftung Thums Calov.) von seiner Seiten einen rechtmässigen Krieg an, und wiewohl er, vermittelst des, dass er von seinem Fürnehmen verleitet, auch dass er nebst seinen Herrn Bruder Baltzer, im Treffen stets unter den Fordersten war, und tapfer in die Feinde setzte, in dem Streit verwundet ward, machte er sie dennoch so matt und schwächte sie dermassen an ihren Kräfften, dass sie nach der ihnen zugefügten schweren Niederlage, den Frieden durch eine grosse Summe Geldes zu erkauffen gezwungen worden. In selbiger Stadt an der heil. Jacobs-Kirchen stifftete er auch zu erst den Thum, das Land befreyete er von Räubern. Die Juden, welche gegen das hochwürdige Nachtmahl eine abscheuliche That verübet, bestraffte er, und tödtete sie nach vieler zugefügter Marter mit dem Strick und Feuer, liess auch den vornehmsten Stiffter dieser Bosheit grosse scharffe Marter anlegen und mit glüenden Zangen zwicken, welcher Geschichte ordentliche Beschreibung dann in einem absonderlichen Buch verfasset durch Niclas Marschall aus Düring. Nach diesen vollbrachten herrlichen Thaten starb er im Jahr nach der Geburth Christi 1503. den 22. Winter-Monaths, und ward zu Dobberan beygesetzet. Ulrich Ulsenicus, bürtig aus Friesland ein treflicher Artzt und gecrönter Poët, der nebst mir Niclas Marschall in seiner Herrn Söhne Dienst gewesen, hat dessen Grab mit folgenden Reimen beehret:

Ich Hertzog Magnus war vom Stamm und vom Geblüthe
Ein Mecklenburgscher Fürst, gross war ich vom Gemüthe,
Gross war ich vom Verstand, gross von Geschicklichkeit,
Gross wegen Geld und Guth, gross wegen Land und Leut,
Gross wegen Ehr und Ruhm, gross war ich auch nicht minder
Von wegen meiner wohl gerathnen lieben Kinder,
Gross war ich bey dem Pabst, als der für andern mich
Mit der geweyhten Ross beschenckte gnädiglich.
Gross war ich ebenfalls beym Haupt des Teutschen Landes,
Dem Kayser, ich war gross bey hoch und niedern Standes,

Auximus his fines, ſed ſtemmata junximus illis,
Noſtra reformatis ſtat pia turba choris.
Rhoſtochiumque ferox domui tibi, dive Jacobe,
Sanguine cum proprio Canonicos ſtatuens.
Quod populi Verpos Chriſti bona ſacramenta,
Stellarum montis ſecta tremenda ferit.
Hæc pietas, dum magna paro, majora relinquo,
Injecere manus maxima fata mihi.
Nam dum ſæva lues toto graſſatur in orbe,
Lichnica, cruſtoſis uleera ſtigmatibus.
Nulla meos potuit virtus ſuperare dolores,
Quin perii, mortem nulla medela levat.
Induperatorum, regumque, ducumque poteſtas,
Et cunctæ ſtellis ſuppeditantur opes.
Eheu magna cadunt, parvum eſt quodcunque videmus,
Jamque ducis Magni nomina ſola manent.
Pectoribus loquor hæc doctis, indocta rogabunt,
Sit mea cum patribus mens bene grata deo.

Uxor conjugii ſuaviſſimi memor, defuncti deſiderio, haud ita multo interjecto tempore expiravit, anno milleſimo quingenteſimo quarto Calendis Aprilis, Viſmariæ in æde divi Dominici tumulata, cujus ego heroum orichalceum decaſticho hoc quantulocunque ornavi:

Aſpice quæ placido recubant hoc oſſa ſepulchro,
Illuſtris Sophiæ quando fuere ducis.
Hæc erat illa viro Magno quæ vixit, amando
Principe, nec patriæ, credite, parva ſalus.
Haud illaudatos hæc egit molliter annos,
Solatrix, clemens, larga, benigna fuit.
Pannoſo, triſti, ſonti non deerat aſylum,
Relligione potens, munera multa dedit.
Vivat apud ſuperos, jucunda luce faventes,
Exemplum proles poſthuma dives habet.

Ich war auch groſs bey Gott, weil ich mich fromm bewieſs,
Darum ich denn mit Recht Groſs oder Magnus hieſs.
Derſelbe groſſe Nahm und Ruhm wird mir verbleiben,
So lang die Sonne wird die dunckle Nacht vertreiben,
Und ob ich gleich alhie jetzt lieg im finſtern Grab,
So wird die Nachwelt doch, was ich verrichtet hab,
Aus der Gelehrten Schrifft und Büchern können leſen,
Wie ich, nehmlich ich zu Rom zum andern mahl geweſen,
Wie geſehen hab auch das gelobte Land,
Wie ich mein Mecklenburg geſetzt in guten Stand,
Wie ich Gerechtigkeit und Recht darin geheget,
Wie ich zu Roſtock hab den Thum erſt angeleget.
Wie ich verjaget hab das Jüdiſche Geſchlecht,
Und ihnen angethan ihr wohlverdientes Recht,
Wie ich gepflantzet hab im Land den güldnen Frieden,
Und ſchlieſslich, wie ich ſanfft und ſeelig bin verſchieden.
Glückſelig iſt mit mir, der nicht auf Erden bloſs,
Beſondern auch bey Gott in jener Welt iſt groſs.

Seine Gemahlin', 'die ſich 'nachgehends ſtets nur erinnerte der geführten liebreichen Ehe, und nach ihrem verſtorbenen Herrn ein ſehnliches Verlangen trug, ſtarb kurtz darauf im 1504. Jahr den 29 Martii und ward zu Wismar in des heil. Dominici Kirche begraben, deren Hochfürſtl. von Meſsing nachgeſetztes Grabmahl mit dieſem geringen in 10. Reimen beſtehenden Gedichte, Niclas Marſchall hat zieren wollen:

O Leſer, merck, daſs dieſe Bein,
Der Hertzogin Sophien ſeyn,
Die bürtig aus Stettinſchen Stamm,
In Mecklenburg zur Eh' bekam
Den Hertzog Magnus, einen Herrn,
Der hoch berühmt war weit und fern,
Womit in Fried und Einigkeit
Sie zubracht ihre Lebens-Zeit,
Sie war ein Fürſtin, nicht nur fein
Von Leib und von Geſtalt allein,
Beſondern, welches iſt weit mehr,
Sie liebte gleichfals Zucht und Ehr,
Und war der Tugend wahres Bild,
Sie war auch gegen Arme mild,
Sie lieſs von ihrem Angeſicht
Betrübt weggehen niemand nicht,
Ihr beſte Zier und ſchönſtes Kleid
War Demuth und Gottſeligkeit.
Hierum nun prangt ſie mit der Cron,
Für Gottes Gnaden-Stuhl und Thron.

De Baldaſſare, duce Megapolæo. C. IX.

Balthaſar. BAldaſſar, Magni germanus, ſacris ætate tenera initiatus, Suerinæus antiſtes le-

Das neunte Capitel.

Von Baltzar, Hertzogen zu Mecklenburg.

BAltzar, des Magnus Bruder, der von Jugend auf zur Geiſtlichkeit erzogen ward, ward zum Bi-

ctus,

ctus, & Hildeshemius item designatus est, quamvis a competitore posteriore hoc exutus, non sine bello sanguinario triennali, quo injurias strenue ultus est, extantibus etiamnum ruinarum monumentis. Mutata itaque sententia, quum esset corpore præstantissimo, conjugem duxit Margaretam, Erici Sidinorum ducis filiam, Sophiæ conjugis fraternæ germanam, e qua nullos liberos ipse sustulit. Benignus certe, & pientissimus, qui ordinis ecclesiastici viros usque amore summo prosequutus est, nunquam auferens, semper fere afferens. Loca sacra mirum in modum amavit. Iccirco Solymas adiit, eques auratus rediens. Novium etiam Gallæciæ, ubi divi Jacobi fanum, & Romam religione insigni salutavit. Vota, quibus se obligavit, dissolvit. Venationis studiosissimus fere, cæterum qui divinorum nihil prætermitteret. Tabulis supremis munera multa dedicavit, anginarum vitio interemptus, anno millesimo quingentesimo septimo ad nonas Martias, Doberani tumulatus.

schof zu Schwerin erwehlet, wie nicht weniger auch zu Hildesheim dazu ernennet, wiewohl er nun des letzten von demjenigen, der sich solches zu werden nebst ihm bemühete, beraubet ward, so rächete er doch, vermittelst eines blutigen 3. jährigen Krieges, wie annoch die Denckzeichen der Steinhaufen erweisen, solche ihm bezeigete Schmach. Nachgehends änderte er seine Meynung, und weil er hübsch vom Leibe war, verheyrathete er sich mit Margarethen, des Hertzogen Erichs zu Stettin Fräul. Tochter und seines Hrn. Bruders Gemahlin Schwester, mit der er doch keine Kinder hatte. Er war ein sehr gütiger gottsfürchtiger Herr, dem geistlichen Stande mit höchster Wohlgewogenheit zugethan, als welchem er nimmer etwas nahm, sondern gemeiniglich was gab. Die geheiligte Oerter liebte er über die massen treflich, weswegen er zum Ritter daselbst sich schlagen liess, Compostell in Spanien, woselbst des heil. Jacobi Kirche, ingleichen auch die Stadt Rom besuchte er mit sonderbahrem Bedacht; der Gelübde entledigte er sich, womit er sich verknüpfft gemacht; dem Jagen war er fast sehr ergeben, doch aber versäumte er deswegen im geringsten den Gottesdienst nicht. In seinem letzten Willen beobachtete er gar freygebig die Ehre Gottes. Sein Leben endigte er an dem Halss-Wehe, (ohne Erben, zu Wismar, Calov.) im 1507. Jahr den 7. Martii, und ward zu Dobberan begraben.

De Henrico, Megapolæo duce. C. X. & ultimum.

Henricus.

HEnricus, Magni filius, mortuo genitore succesit, adulescens venustissimus, quem ephebum, litteris jam aliquantum, ut tempestate illa, imbutum ad Fredericum initio urbis Noricæ, Marchionem misit, sub quo rudimenta militiæ prima deposuit. A Maximiliano post rege Romano lectus, omnium qui fuere purpuratorum in regia chariissimus evasit, armis fere splendidissimus, facinora multa egregia præstitit, nemini cataphractatorum secundus, charus omnibus ac perinde jucundus. Luconios igni ferroque insultantes, & Parchentinorum prædium vastantes, quum missis clarigatum caduceatoribus nihil impetraret, armis rem popposcit, principum finitimorum auxilio stipatus, quorum parte coram urbem ipsam splendidus equite frequenti adequitavit, exercitu pedestri circumcirca armato, acie immota & præstolabunda, civibus ab urbe, muro ac mœnibus spectabilis. Munitiones eorum tutissimas, præter opinionem omnium sub ipsis pomœriis incendit, negotioque modico vastavit, & amnis Stegeni, quo onera subvectantur, vada rumpens iter urbi facile præclusit. Lirimirim ipsorum apheteriis, vel invitis tichophylacibus, obsedit, & hostilia passim interminatus, brevi hostes compulit, ut pacem appeterent, majora certe facturus nisi patriæ salutem antepositisset, pace magis

Das Xte Capitel.

Von Heinrich, Hertzogen zu Mecklenburg.

HEinrich, der Sohn Magni, kam nach Absterben des Hrn. Vaters zu der Regierung. Er war ein schöner junger Herr, welchen der Vater in der Jugend, nachdem er ein wenig, damahliger Zeit Gewohnheit nach, in den freyen Künsten unterwiesen ward, zu Friedrichen, der zuerst Marggraf zu Nürnberg war, schickete, unter welchem er den Anfang zu Erlernung des Kriegs-Wesens machte. Nachgehends ward er von dem Römischen Könige Maximilian aufgenommen, der für allen andern Hofleuten eine sonderbahre Beliebung zu ihm trug; In seiner Rüstung hielt er sich treflich stattlich, verübte viel ritterliche Thaten, gab keinem eintzigen Benahmten etwas zuvor, und war allen lieb und angenehm. Die Lübecker, welche mit Feuer und Schwerdt Uebermuth trieben, und derer von Parchim Güther verwüsteten, auch sich nirgends zu verstunden, da er Herolde an sie abschickte, griff er mit den Waffen an, worzu ihm die nechstgrentzende Fürsten behülflich erschienen, ging auf die Stadt zu, und liess sich mit einem Theil Krieges-Volck, und einer Menge Reuter, den Bürgern von den Mauren und Wällen gantz prächtig und freudig hin und wieder reitend sehen, das wohlbewehrte Fuss-Volck aber stand in der Gegend herum unbeweglich in der Schlacht-Ordnung, und des Treffens gewärtig. Ihre gar unter dem Thor-Zwinger gelegene trefliche feste Aussenwercke steckete er über alles Vermuthen mit Feuer an, und verdarb selbige ohne einige grosse Mühe in den Grund. Die Schiffahrt versperrte er, und wehrete dadurch ihnen alle nothwendige Ab- und Zufuhren der Waaren. Er belegte auch das ihnen zugehörige Möllen, ohnangesehen die Besatzung solches gar sehr zu verhindern suchte, und liess sich nichts, denn nur alles feindseligen gegen sie bedrohlich vernehmen, wodurch er die Feinde in kurtzer Frist so weit brachte, dass sie um Frieden baten, welchen er nicht dergestalt annoch würde zu Werck gerichtet haben, wann er die Wohlfahrt des Vaterlandes ihm nicht dermassen für Augen gesetzt,

quam armis ducens consultum. Duxit dein Ursulam, Joannis Marcomanni Bryzani, Quæstoris imperii Romani filiam, Alberti, Cardinalis, Moguntiaci ac Parthenopolitani archipræsulis, primatis, Joachimique electoris, germanam, virginem venustissimam, & moribus sanctissimis præditam, e quo conjugio suavissimo sustulit *Sophiam, Magnum, Ursulam.* Conjunx prudens, clemens, fautrix rei sacræ, in subditos omnes pientissima, quam planctu omnes defunctam anxii desideravimus, cui si vivere diutius licuisset, tota fuisset certe felicior regio. Obiit vero anno a natali Christiano millesimo quingentesimo undecimo, ad decimum quintum Calendas Octobres, cujus ego quoque sepulchro epitaphium addidi.

Si jactare genus licet, & meminisse caduca,
Imperii sacri stirps mea jura regit.
Imperii Quæstor genitor fuit, illius oram
Brysæam natus nunc Joachimus habet.
Conjugio crevi claro, duce nobilis usque
Henrico, qui cum pignora terna tuli.
Vixissem potui patriæ navare salutem,
Vix ea sed meditans, Atropos atra rapit.
Magniade, si multa juvant, quæ magna parantur,
Relligio, pietas, & benefacta juvant.
Cætera vana reor, fors est metuenda futura,
Hoc sat erit, pro me fœmina, virque rogent.

Mox & Ericus, Henrici germanus, fato misero, adulescens adhuc elatus, anno millesimo quingentesimo quinto, postridie idus Januarias, mentagra primum correptus, in phthisim dein lapsus, ingenio, prudentiaque clarus, & ingenti erga universos comitate, cujus quoque sepulchrum inscripsi epitaphio.

Me juvenem diræ crudeli funere Parcæ
Abstulerunt, tantum sunt morti talia curæ.
Nam neque quod dulces per Romula rura camœnas
Quæsii profuerat, nec quæ sine fine relegi
Pompilii veneranda Numæ monumenta, nec illa
Quæ sunt innumeris civilia jura rubricis
Prodita, nec mille qui me mansere triumphi.
Eheu qui demens cœlestia numina lusi,
Quem non relligio, genitor quam vovit uterque,
Sed neque sacrorum fasces potuere reposti
Ducere, proh turba male persuadente sinistra.
At quid fera queror? manes causantis egenos
Altitono præstat votis placare secundis.

Et post tempora ea Henricus Catharinam sororem Henrico, Saxonum duci, Alberti olim ducis filio, germano Georgii, nuptiis

und dafür gehalten hätte, dass demselben mehr mit Friede, als mit Krieg gedienet wäre. Nach diesem vermählte er sich mit Ursulen, des Marggrafen zu Brandenburg und Römischen Reichs Ertz-Cämmerers Tochter, und Albrechten, des Ertz-Bischoffs und Primaten zu Mayntz und Magdeburg, wie auch Joachimi, des Churfürsten, Schwester, einer schönen und höchsttugendhafften Fräulein, und zeugete mit derselben, in währender liebreichen Ehe, Sophien, Magnus, Ursula. Sie, die Gemahlin, war eine kluge, gütige, dem Gottesdienst zugethane, und gegen ihre Unterthanen sehr gnädig gesinnete Fürstin; ihren aus dieser Sterblichkeit genommenen Abschied haben sie allzumahl mit heissen Zähren schmertzlich beweinet, zumahlen es dann viel glücklicher im Lande würde zustehen, da sie länger hätte leben mögen. Sie starb aber (zu Güstrau, Calov.) im Jahr nach der Geburth Christi 1511. den 17. Herbst-Monaths, welcher der Nicolaus Marschal, aus schuldigster Pflicht, die Grabschrifft nachgesetzet:

Im Fall erlaubet ist, etwan sich zu erheben
Von Güthern, die das Glück den Sterblichen kan geben;
So darf ich solches thun mit frey und gutem Recht,
Zumahl in Deutschland ja mein Nahme und Geschlecht
Berühmt gewesen ist von vielen langen Jahren,
Mein Vater, wie auch noch zwey meiner Brüder, waren
Churfürsten von den Reich, ich aber ward vermählt
Mit Hertzog Heinrich, der zur Ehe mich erwehlt,
Der zur Gemahlin mich für andern ihm erkohren,
Dem ich zwey Fräulein und auch einen Herrn gebohren.
Und ob ich gleich dabey gottselig mich bewies,
Gutthätig, tugendhafft, auch fromm mich spühren liess,
Obgleich ich für das Land von Hertzen pflag zu sorgen,
Wie dir, o Mecklenburg, mit nichten war verborgen;
Sah solches doch der Todt nicht im geringsten an,
Merck, Leser! dass kein Mensch dem Todt entgehen kan.

Es nahm auch um diese Zeit Hertzog Heinrichs leiblicher Bruder, ein annoch junger Herr, gleichmässigen trauerwürdigen Abschied von der Welt, im Jahr 1505. den 16. Jenner, welcher anfangs Beschwerung empfand von bösen Flechten, nachgehends aber in die Schwindsucht fiel. Er war wegen seines grossen Verstandes, Klugheit und sonderbahren Gütigkeit, gegen jedermann ein holder berühmter Herr.

Hiernechst vermählete Hertzog Heinrich seine Frl. Schwester Catharina, an Hertzog Heinrich zu Sachsen, weyl. Hertzog Albrechts Sohn, und Hertzog Georgs leiblichen Bruder, und bald darauf befesti-

festiviſſimis collocavit. *Duxit dein ipſe Helenen, Philippi* Palatini filiam, virginem forma præſtantem, & nullo non virtutis genere illuſtrem, nuptias Viſimariæ in præſentia principum multorum ſplendidiſſimas celebrans, apparatu certe majore, quam ut breviter a me explicari hic poſſint, atque iccirco ſigillatim recenſendæ. Et ex conjuge quidem ea Philippum, Margaretam, ac Catharinam ſuſtulit. Pater patriæ primus majorum omnium, qui moribus egregiis regionem formavit, pſephiſmata tulit, arma tractare lautius docuit, panſagiam & panopoliam inſtituit. Militiam perdiſcere juſſit. Pacis tempore diſponere, quæ uſui bello ingruente neceſſaria, proceribus inde ad cuncta volonibus univerſis. Belli certe minime avidus. Litteras legit ut qui velociſſime, & quod laus in Cæſare Julio ingens, plura velociſſime dictitat, velociſſime ſcribit. A quo tantum abeſt ut rebus ſacris vim ullam inferat, ut ſacrorum etiam tutor ſit ſummus ac amator, non ſubditorum modo opinione ſed exterorum etiam conſenſu declaratus, & religionis aſylum unicum. Teſtantur ædes hoc ſacræ vel excitatæ, vel inſtauratæ. Latrunculorum inter hæc extirpator nobilis, qui graſſantibus receptatoribusque terrorem maximum incuſſit, leo merito appellitandus, non tam armis quam conſilio potens. Carolo Hiſpaniarum regi, Cæſari jam Romano non minus quam avo ante Maximiliano, finitimisque omnibus charus ac perinde jucundus. *At Albertus corporis dexteritate* & ipſe inſignis, conſilio gravis, armis ſplendidiſſimus, virtutibus cunctis ſummis præditus ſine conjuge adhuc agit, patriæ amator & tutor maximus, olim referendus.

Impreſſum Roſtochii, in ædibus Thuriis, a viro ſollerti, Guntero, cognomento Hyeme, (a) Erphordiano, Anno M. D. XXI. ad nonas Julias.

freyete er ſich ſelbſt mit Helenen, Pfaltz-Graf Philipps Tochter, einem ſehr hübſchen und mit allen Hochfürſtl. Tugenden vielfältig gezierten Fräulein, u. hielt zu Wismar ein fürtreflich ſtattlich Beylager, deſſen Pracht weit gröſſer, als daſs es in der Kürtze beſchrieben könte werden, und dahero einer abſonderlichen Erzehlung bedürffte. Mit dieſer ſeiner Gemahlin erzeugte er Philippum, Margarethen und Catharinen. Er war ein rechter Vater des Vaterlandes, als welcher am erſten unter allen ſeinen Vorfahren in dem Lande viel gute Sitten geſtifftet, Ordnungen und Satzungen geſtellet, die Waffen geſchickter zu gebrauchen gelehret, Handel und Wandel eingeführet. Er lieſs die Leute zum Kriege gewöhnen, und machte zur Zeit des Friedens dienliche Anſtalten, zu etwa ſich ereignenden Feindſeligkeiten, in welchem allen denn die Landſtände ſich in Unterthänigkeit gantz willig und gefliſſen erwieſen. Des Kriegens war er traun mit nichten begierig; Er laſs die Briefe ſehr geſchwinde, und welches dem Julio Cæſari ſonderlich nachgerühmet wird, ſo ſagte er andern zugleich gar ſchleunig mancherley in die Feder vor, und war danebſt treflich fertig im Schreiben. An die geiſtlichen Güther legte er ſo gar keine gewaltſame Hand, daſs er vielmehr ein eiffriger Beſchützer war alles deſſen, ſo geiſtlich genennet ward, und nicht allein von ſeinen Unterthanen, ſondern auch von den Auswärtigen einhellig für einen Liebhaber und eintzige Zuflucht des wahren Gottesdienſtes gehalten worden. Solches bekräfftigen die von ihm theils neu aufgerichtete, theils wieder in den Stand gebrachte Gott gewidmete Gebäude, wobey er denn ein hefftiger Vertilger der Räuber war, der ſowohl denjenigen ſelbſt, ſo die Straſſen unſicher machten, als denen, ſo dieſelben auf-und annahmen, mercklich Schrecken einjagete, dahero er denn ein gewaltiger Herr war, nicht ſo ſehr wegen ſeiner Waffen, als wegen ſeines Verſtandes, der mit gutem Fug den Nahmen des Löwen wohl führen mögen. Dem Spaniſchen Könige und Römiſchen Kayſer, Carl, iſt er nicht weniger als vorhin deſſen Groſs-Vater, dem Maximilian, wie auch allen ſeinen Nachbarn, ſehr lieb und angenehm geweſen. Hertzog Albrecht, der gleichfalls eines anſehnlichen und ſehr geſchickten Leibes, von groſſer Klugheit und in ſeiner Rüſtung ſehr freudig, und mit allen rühmlichſten Tugenden begabter Herr war, lebete nach der Zeit unverheyrathet, und erwieſs ſich als ein treflicher Liebhaber und Vertreter des Vaterlandes.

E N D E.

III.

Erklärung einiger unbekannten in denen Büchern Mareſchalci befindlichen Nahmen der frembden Völcker, autore Elia Schedio.

A.

ADralier, *Niederländer und Henniger.*
Alaner, *deren Urſprung aus Preuſſen und Pohlen.*
Alitten, *Düringer.*
Amplianer.
Ampſarier.
Antes, Antier, *Pommern.*
Angrivanier, *Weſtphälinger.*
Arboriken, *Heſſen.*
Artheren, *Thracier.*
Aſtringer.
Atribaten, *Frantzoſen.*
Atnalicer, *Brabander.*
Avaren, *weyland ein Ungariſch Volck.*

B.

Barther, *Pommern um Bahrt.*

(a) *Winter.*

Baſtarner *haben von der Weichſel biß an die Donau gewohnet.*
Bataver, *Niederländer.*
Bononat.
Boten, *Spanier*
Bothaſier, *Niederländer um Maſtrich.*
Biſalt, *Gegend Tartarien.*
Britanner, *Engelländer.*
Brizaner, *Brandenburger.*
Bructoren, *Preuſſen.*
Burier, *Schleſier.*
Burgunder *haben in Hinter-Pommern gewohnet, u. von da in Burgundien ihren Sitz genommen.*

C.

Carnuten, *Frantzoſen.*
Caiber, *Sarmatiſch Volck.*
Chaiber, *Weſtphälinger.*
Catuarier, *Wirlen.*
Catiſcher, *Lauſsnitzer.*
Chaucer, *Weſtphälinger.*
Chatten, *Lauſsnitzer.*
Celten, *Frantzoſen und Teutſche.*
Cheruſer, *Schleſier.*
Cherſoneſus Cimbrica, *Holſtein und Jütland.*
Cimbern, *Dänen.*
Cimmerien, *Maeotiſche hinter Moſcau.*
Circipœner *haben um den Fluß Poen in Mecklenburg und Pommern gewohnet.*
Coſtobacer, *Polniſch Volck.*
Cecken, *Moſcowitiſch Volck.*
Chunen, *Preuſſen.*

D.

Dacen, *Wallachen, Moldauer.*
Digulonen, *Holſteiner.*

G.

Gethen, *Sarmatiſch Volck, und Jütländer.*
Gelon, *zwiſchen Moſcau und Tartarien.*
Gepiden, *Siebenbürgen.*
Gothus, *Gottländer.*
Gythonen, *Preuſſen um Dantzig.*

H.

Harier, *Pommern.*
Herulen, *Mecklenburger.*
Hermunduren, *Böhmen und Meiſſen.*
Hilvionen, *in der Grafſchafft Schwerin.*
Hialier.
Hunnien, *an Muſcowitiſchen Grentzen entſproſſenes Volck.*

L.

Lingobarder, *Märcker, ſo in Lombardien in Italien ſich geſetzet.*
Lingonier, *Mecklenburger in Wahren.*
Lingen, *Märcker der Grafſchafft Lindau.*
Liger, *Schleſier.*
Lernovier, *Liefländer.*
Lutatier, *Stargarder.*

M.

Marcomannen, *Wahren.*
Matthiacer, *aus Niederland.*
Menepier, *Jülicher.*
Merinen, *Flandern.*

N.

Necicer, *Littauer.*
Noricer, *Norweger und Ober-Berger.*

O.

Obetriten, *Mecklenburger.*
Oſtrogothen, *die aus Ruſſen herkommende und nach den Morgen ſich verfügende Gothen, wie denn die Weſter-Gothen, ſo ſich gegen Abend verfüget.*

P.

Pannonier, *Ungern.*
Pauciner, *ſind mit den Baſtarnen eines Volcks und Urſprungs geweſen.*
Polaber, *Nieder-Sachſen.*
Procuſt.

Q.

Quaden, *haben anfangs zwiſchen Böhmen und der Donau ihren Sitz gehabt.*

R.

Rhetarier, *Mecklenburger um Malchin.*
Rheten, *Graubünder.*
Roxolaner, *Reuſſen.*
Rugier, *Rügianer.*

S.

Salaten, *Francken.*
Salier, *Francken.*
Saraben, *Meißner.*
Sarmaten, *Pohlen.*
Schlaven, *Pohlen, bißweilen auch die daran grentzende Völcker.*
Scyten, *Tartarn.*
Scyrer, *Gothen, ſo aus Reuſſen ihren Urſprung haben, itzo Steyermärcker.*
Sedinen, *Stettiner.*
Sicambern, *Geldern.*
Sicobaten.
Sigipeden, *Siebenbürgen.*
Subatiker.
Suſipeden, *Siebenbürgen.*

T.

Tenckteren, *die des Orts am Rhein nach Cölln gewohnet.*
Theipalen, *Thüringer.*
Toderanes, *Märcker bey Havelberg.*
Tubanten, *die oberwerts Lübs gewohnet.*
Tunger, *Brabander und Lütticher.*
Turcilinger, *Düringer, ſo mit den Gothen aus Reuſſen ihre Ankunfft haben.*
Tyle, *Iſland.*

V.

Vaginen, *Holſteiner.*
Vagionen, *um Worms bürtig.*
Vandalen, *Wenden, wovon das 12te Capitel des erſten Buchs zu beſehen.*
Vanisken, Varifier, *Voigtländer.*
Varinen, *Pommern, ſo der Orten nach Stettin gewohnet.*
Ubier, *um Cölln wohnende.*
Veen, *Weſter-Gothen*
Velataber, *Norweger, von welchen die Frantzoſen in Normandie entſproſſen.*
Veneten, *Pommern.*
Victriolen, *Thüringer.*
Vindeli, Vindelier, *bey der Oder wohnende Schwaben.*
Viſi-Gothen, *Weſter-Gothen, wovon oben bey Oſter Goth.*
Vitunger, *Reuſſen.*
Vividaner, *Preuſſen um Dantzig.*
Uſipeden, *haben die Oerter nach Franckfurth am Mayn bewohnet.*

Wagrier,

W.

Wagrier, *Holſteiner.*

Die Wagri *haben gewohnet oberhalb dem Waſſer Trave, da jetzo das Biſchofſthum Lübeck iſt.*

Die Circipœni *haben gewohnet in dem Strich da Greifswalde, Wolgaſt und Sunden liegt.*

Die Polabi *haben gewohnet in dem Biſchofſthum Ratzeburg.*

Die Obotriten *haben gewohnet, da etzo Mecklenburg iſt.*

Die Kiſſini *haben gewohnet oberhalb der Lebuſiorum, an der Pommerſchen und Mecklenburgſchen Grentze, diſſeit dem Poenis oder Peen genannt.*

Die Vandali *haben gewohnt zwiſchen Schwerin und Roſtock, von Pommern und der Marck Brandenburg.*

Die Sarmaten *ſind Pohlen geweſen.*

IV.

COMMENTARIOLUS ANNALIUM HERULORUM SIVE MEGAPOLENSIUM SEU DIFFICILIUM AC OBSOLETORUM LOCORUM VERBORUMQUE IN IIS OCCURRENTIUM INTERPRETAMENTUM, SCRIPTUM AB IPSO AUTORE ANNALIUM N. M. T.

VALENTINO STOIENTINIO,

EQUESTRIS ORDINIS VIRO ET JURISCONSULTO CLARISSIMO,

NICOLAUS MARESCALCUS, THURIUS,

S. D. P.

QUum ex *Vangionum* (*a*) urbe, in qua *Carolus* ille noſter, Cæſar Romanus, æſtate ſuperiori *Comitia* in Principum delectu ampliſſimo agebat, tu, *Valentine* doctiſſime, una cum Duce *Booslavo*, principe *Sidinorum* illuſtri, & inter Germanos pæne omnes altero veluti Hectore, *Suerinum* redires, forteque ibi fortaſſe *Herulorum Annales* offenderes, vehementer placere eos tibi, ni fallor, prædicaſti, ac magis etiam placituros, ſi quæ vel in eis recondita, vel ſubobſcura, *commentariolo* illuſtrarentur. Polliceri me memini epiſtolio tibi loca nonnulla annotaturum. At libellus ex eo ut video, excrevit. Non enim potui, non viro eleganti, nobili, & antiquitatis univerſæ obſervantiſſimo officio eo, quantulocunque, ſuccenturiari. Quare *ſcholium hoc*, id eſt *difficilium interpretamentum*, dicavi tibi, qui inter tuos primatum facile tenes, *Academiæ Gryphoſilvianæ* jurisconſultus conſultiſſimus, & Orator inter *Harios*, comprovinciales tuos clariſſimus. Sunt vero *Harii Pomerani* illi tui. Tu vero illud natale non furvum a *Stoientinis* majoribus tuis ſed illuſtre acceptum non offucaſti uſquam, verum illuſtrius etiam reddidiſti, ut ſi clari etiam non fuiſſent illi, ut omnino fuere, vel a te initium ſumerent nominis, & memoriam. At de hoc alibi pluribus. *Commentarios* eos, quantum potui breviſſimos abſolvi. *Lanicos* eſſe volui. Ita faciles concepi, ut infra forte dignitatem, ſi qua eſt, meam videantur, nimirum qui linguam, plerumque teutonam admixtam habeant. Pervicit amor tui. Acceſſi non oſtentator, verum ut ſimpliciſſimus apertiſſimusque enarrator. Quur ita? Nempe ut propter me tibi cæteri gratificentur. Autodidactos enim arbitror fore lectores omnes in univerſum & rei hujusce multo quam facillime eruditiores. Nihil quod *Annalibus* ipſis non reperitur adſcivi, nihil omnino obſcurum interpolavi. Effugi procul quod *Aurelius* abhorret *Macrobius libro de Somno Scipionis ſeptimo. Nam in re*, inquit, *naturaliter obſcura, qui in exponendo plura, quam neceſſe eſt, ſuperfundit, addit tenebras, non adimit denſitatem.* Verum enim vero antiquis inquies uteris? Veteres in lucem rettuli, veteribus uti neceſſum, ac antiquis, cæterum non antiquatis, fecique ut eo nomine in veteribus ſervaretur antiquitas. Vale belliſſime, cum *Dorothea*, conjuge tua venuſtiſſima, & hæc noſtra ſusque deque ferto, quæ quamvis parva ac minutula, ſi ad *annales* tamen reſpexeris, haud ita contemptim accipientur, quum & ad alia pleraque non prorſus inutilia. Datæ ex Muſeo noſtro Roſtochiano pridie Calendas Januarias Anno MDXXI.

Quæ a littera A. incipiunt.

Abrones, delicati.

Abrodieti, vitæ molliusculæ, molliculi, *Verzogen Leute.*

Accanum, urbs *Cilicum*, ſive terra fatalis, nunc *Cæſarea* Romanis.

Acratopoſia, potus meraces Regum, Principum, aut divitum ſolennitas, qua pocula varia adponuntur.

Adephagus, vorator, Teutonis, *ein Schwelger, ein Schnurer.*

Adiopi,

(*a*) *Wormacienſium.*

Adiopi, ſine Rege, Principe, aut Domino, quique pro arbitrio ſuo vivunt. Diopi vero Reges ſunt *Aeſchylo*.

Adjurati, devoti. Adjuratiſſimi, devotiſſimi. Devovere vero eſt ſeſe rei cuipiam dedere.

Aduatici, Gallorum populus, qui nunc vulgo Hannonii, Teutonis *Hongauer*.

Alani, olim erant, ubi nunc Poloni, pauloque etiam in Alanos montes remoti, Teutonis *Alaner*, qui vagi cum Gotis, Goti Alanis in Hiſpania nomen dedere, qui Romanis Tarraconenſis, Teutonis *Chatelonier*.

Albanactum, regnum unum Brittannorum, ſive Albiorum, vulgo *Scotia*. Teutonis *Schotland*.

Aliſtus, urbs Megapolenſium, autore Cl. *Ptolomæo*, quæ vulgo *Parchunum*, ab idolo, quod ibi quondam colebatur, Teutonis *Parcheym*.

Alites, interranea producta, populus Thuriorum, cujus meminit Apollinaris Sidonius, Teutonis *Harzlender*, *Hainliter*.

Ammapolis, urbs *Digulonum*, hoc eſt *Otfaciorum*, a Jove nomen ſortita, quem *Caroli* illius *magni* tempeſtate ibi colebant, a qua re vulgo *Hamburgium*, quam urbem Cl. Ptolomæus *Trævam* nuncupat, a qua *Trævatii*, *Ammopolitani*, *Hamburgenſes*.

Andria, ſunt *Syſſitia*, ac *phiditia*, hoc eſt *Commeſſationes*, aut eorum loca, ac conventus in quibus epulatores ac potores conveniunt, & ubi voluptas præcipue notorie celebratur. Sunt vero *Andria* peculiariter *viriles ſodalitates*, *quibus ſympoſiis græcari ac pergræcari viri ſolent*, a Cretenſibus inſtituta; *Minoe* Rege in *Creta* & ante in Italia ab *Enotriorum* Rege, quorum meminit *Ariſtoteles libro Politicorum ſeptimo*. Unde *Andronitis* apud Reges & Principes locus ille, in quo viri ac non fœminæ ſeſſitant. Teutonis *ein Ritterſtube*. *Phiditia* vero peculiaria ſunt Spartanorum, hoc eſt Lacedæmoniorum, Teutonis *Zunfftſchutzung*.

Angrivarii, inter Rhenum ac Viſurgim, ducatus olim celeberrimus Saxonum, Teutonis *Engern*. Nunc ſæpe pro Iſtevonibus omnibus, hoc eſt *Weſtphalis* accipiuntur.

Annales, libelli, quibus annorum ſingulorum acta geſtave comprehenduntur, quemadmodum *ephemerides dierum ſingulorum*, quo nomine Romanis quod barbaris *Almanachum*. At *calendarium* menſium ſingulorum acta tenet, ut eſt autor etiam *Scævola*, juris conſultus, *libro digeſtorum de Statii Liberis*. Sed & *Annæus Seneca*. *Calendarium*, inquit, *ſit ex Domino procurator*.

Anteri, pars Thracum.

Antes, & *Antlii*, populus Pomeranorum antiquus, teſte *Jornande ad Caſtalium*, quorum urbs *Antlium*, Teutoniæ, *Ancgelheym*.

Aordus, nomen apud Vandalos proprium, cujus loco noſterculi, *Ordo*.

Apaſtia, jejunium.

Apheteria, machinæ omnes generatim ad obſidendas urbes.

Aquægraniæ, a *Grano* ſunt *Neronis* germano nuncupatæ, qui loco eo forte fortuna balneas calidas repperit, a quibus thermis grammatiſcarii Aquisgranum nuncuparunt, quæ Cl. *Ptolomæo Vegerra*.

Arbonichii, Heſſorum populus, qui a quercubus Saronici, vulgo *Eichfeldenſes*, quorum *Tudroſtadium*.

Argyrocopium, locus, in quo *numi* conduntur, *gazophylacium*, *ærarium*, *corbona*.

Aſcanii, principes perinde veteres Germanorum, ab *Aſcanio Aneæ* filio nomen ſortiti, qui Teutonis *die Fürſten von Anhald*, quorum urbes *Aſcanium*, teutonice *Aſcherslieben*, ac Cerveſium *Cerbeſt*.

Aſciæ, ſunt runcinæ, aut ungulæ illæ, quibus malefactoribus carnes a corpore diripiuntur, id quod Florens *Tertullianus* annotavit.

Aſotiæ, ſunt voracitates.

Aſotus, ventricoſus, *ein Fettbauch*.

Aſylum, domus libertatis, profugium, ſecuritas.

Attalanica, veſtimenta pretioſa, ab *Attalo* Pergami rege.

Atuatici, ſunt *Brabantici*, quorum *Atuantum* apud Cl. *Ptolomæum*, quod *Antwerpia*.

Athloii, athletæ præmium, Teutonis *Verdienſt*, *roem*, *dangc*.

Atrebates, inter Gallos, vulgo *Picardi*.

Avares, populus olim Pannonum, hoc eſt Hungarorum, qui inter *Bojoarios* nunc, ac vulgo *Bavari*. Bavari vero *Bojoarii* ſunt dicendi, Teutonis *Beiern*, Norici *Oberbeiern* oder *Norcaver*.

Autorgus, qui per ſeſe cuncta agit, ac diſponit.

Axiologus, in quo autoritas complurima.

B.

Babylon, urbs una *Ægypti*, quæ & *Memphis*, nunc *Alcayrum*. Altera Aſſyriorum.

Batavus, vulgo *Hollandinus*, cujus populi meminere *Cornelius Tacitus*, *Lucanus*, *Martialis*, ac alii.

Bagniſius, fluvius, qui ambit a latero uno *Luconios*, hoc eſt *Lubecanos*, Teutonis *die Wagnitz*.

Belga, eſt Urbs, quæ *Treviris*, Treveri vero ſunt, qui circumcirca habitant.

Belus, Januæ limen, aut liminare, cui contrarium ſuperliminare.

Bardi, populus proxime Megapolenſes, *Bardirer*, quorum caput *Sunnonia*.

Baſtarnæ, ultra Pannones incolunt, Teutonis, *Duſſern*.

Betica, olim *Ilipula* nunc *Granata*, regnum Hiſpaniarum unum.

Bethaſii, ſunt *Trajectenſes* ſuperiores, Teutonis *Maſtrichter*. Nam inferiores *Utrechter* dicuntur.

Biſſaltæ, ſive biſſultæ, ut appellant nonnulli, inter Sarmatas, Teutonis *Feiltartern*, quorum meminit *Vergilius libro Georgico tertio*:

Biſſaltæ quo more leves, acerque Gelonus
Quum fugat in Rhodopen, aut in deſerta Gothorum.
Et Lac concretum cum ſanguine potat equino.

Blenni, ſtulti, mori, fatui.

Boarda,

Boarda, machina ad demoliendos muros, *eine Büchse.*

Brephotrophium, locus, in quo pueri expositi aluntur. Nam βρέφος puer est. Quare legendum *brephotropheum* non *brephotrophium.*

Bructeri sunt Borussi, *Cl. Ptolomæo*, qui nostrerculis *Pruteni*, vel *Prussi*, qui & *Chunigardi*, ac *Chuni*, a quibus *Chunibergium*; quod *mons regius* a Cosmographistis.

Brunopolis, a *Ptolomæo Tulisurgium*, Teutonis, *Brunswig.*

Brysani, sunt Brandenburgenses Marcomannorum, quorum urbs *Bryza*, annalibus Vandalicis *Bryzanova*, Megapolensium. *Neu-Brandenburg*

Bucephalus, caput tauri, *Ochsenkopff*, insigne ducum Megapolensium.

Butes, amasius Veneris, e quibus prognatus *Erix.*

C.

Caibi, pars Sarmatarum.

Calastri, pueri illi, qui voculis concinunt variis, nostrerculis *Figuristæ.*

Calliopedes, erudituli, scioli, qui ipsos se præ scientia admirantur.

Canonium, collegium canonicorum, quod a grammatistariis *Ecclesia collegiata.* At plurative *canonia* sunt navium pavimenta superiora, quæ cataphractæ & catastromata ac στάθμιλες.

Carnificina, locus torturæ, aut tortura ipsa.

Catharmata, sunt expiationes, expurgationes.

Catischi Catti sunt, vulgo *Lusatii*, *Lusenitzer.* At a Chattis gentes multæ Germanorum nomen traxere.

Causam ex vinculis dicere, est confiteri in tormentis.

Centrones, sunt convitiatores.

Chatti, nunc Lusatii.

Chauci, qui & *Caici*, nonnullis *Chaibi*, populus Saxonum, inter Visurgim & Rhenum, Teutonis *Stichtgenosen.*

Cherusci, nunc *Schlesitæ.*

Choraules, inter musicos, *Schalmeier.*

Chunii, Apollinari Sidonico Bructeri, vulgo *Pruteni*, *Ptolomæo* Borussi.

Cilicia est provincia Solymarum. At Sicilia Italiæ.

Cimber est Danus, *ein Deenmergeer*, testibus autoribus plurimis.

Cimbrica Chersonesus, est peninsula Digulonum. Nam Diguloni sunt Cl. *Ptolomæo Otsatii*, qui a Barbaris immutatis literis *Olsatii*, annalibus Vandalicis *Vagiri*, quorum urbs antiquissima *Colonia antiqua*, vulgo *Aldenburgium*, ubi quondam *episcopatus*, nunc *Comitatus* insignis.

Cimmerii Mæotici, inter Sarmatas, ubi & Getæ sive Goti quondam, a quibus *Cimmeriæ tenebræ* divo *Hieronymo.*

Circipæni, populus Megapolensium, qui secundum Pœnum fluvium accolunt.

Cissinum, vicus Megapolensium, haud ita procul *Rostochio*, qui Teutonis *Chissin.* Nam qui nunc *Rostochienses*, ante *Cissini*, hoc est *Chissines* nuncupabantur.

Clostra, loca in hastiludiis, ut appellitant, quæ clathris includuntur.

de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.

Cocytia, festa ac ceremoniæ *Bonæ deæ*, *a Cocyci ave*, quæ *cuculus*, quasi *festa Majalia*, de quibus *Flaccus Horatius* Epod. XVII. In ultus ut tu riseris Cocytia (Cotyttia) Vulgata, sacrum liberi Cupidinis?

Codanus, sinus maris Balthici, teste *Plinio*, a quo *Codanavia urbs*, quæ barbasculis *Hafnia*, Teutonis, *Coppenhagen*, caput Danorum.

Colancorum, apud *Ptolomæum*, urbs Megapolensium, quæ vulgo *Fredelandia.*

Colbasium, atrium monachorum inter Pomeranos, *Colbaz.*

Coluces, sunt adulatores.

Crepundia, sunt fasciolæ, & alia, quibus in cunabulis obligantur infantes. Unde *egredi crepundiis*, est exire infantiæ tempus.

Cryptoporticus, cryptæ, loca subterranea, Teutonis *eine Crofft*, *Kruft.*

Cterismata, parentationes, Teutonis *Begängnüß*, sacra mortuorum, e quibus enata nonæ criatontadæ, tricesimæ.

Cystoboci, Alanorum populus, juxta *Gylliones*, qui & *Costobaci* aut *Costobaces*, inter Sarmatas sive Polonos, ut est autor *Ammianus Marcellinus libro XXII.* a quo non dissentit *Julius Capitolinus in Pio.* Sed nec *Eutropius.* Cl. *Ptolomæus* juxta Sidones collocat. Gepidas recte nuncupaverimus, quorum *Gepudium* olim, nunc *Sepusium*, inversis literis *Siebenburge*, *Heptapyrgi*. qui & *Metanastæ. Ptolomæo*, *Virgilio Iaziges.*

D.

Dacum, cosmographistæ esse volunt, qui *Cimber* sive *Danus*, quum sit *Dacus Valachus*, *Dacia Valachia*, juxta Pannonas hoc est *Hungaros.* Danus vero a *M. Antonio Sabellico* Danus dicitur, in *Enneadibus.*

Diadema, fascia candida loco coronæ, inventum Liberi, quam Reges in capitibus, stulti nunc & amatorculi in cruribus portant.

Diagramma, datio, quæ imponitur civibus, aut rusticis, veluti in *jure civili Angariæ* ac *perangariæ*, Teutonis *Landsture. Bern.*

Differtum, plenum, autoribus; Oratio, *Floro.* At *sufferta* interfusa, illustrata, ut est testis *Seneca libro quæstionum naturalium primo.*

E.

Edituus, sive æditimus, *custos* templi, qui ab officio æramenti, hoc est campanæ *eromentotriba*. barbasculis *campanator*, qui *basilicanus* quoque dici solet. Sed & æditui monachi olim Custodes, quorum meminit *Oscus vates decimo.* Et æditui ejus, inquit, super eum exultaverunt. *Lyranus* nigros eos religiosos fuisse scribit.

Eramentum vero non campana tantum, sed mundus ille domesticus ex ære, qui lucet & tinnit, quemadmodum apud Evangelistas de manuum lotione in tralatione vera scribitur.

Eltena, fluvius Megapolensium, Teutonice *de Eldenau.*

Emortualis dies, quo quis moritur.

Epinitium, victoriale.

Erophthalmismus, spectaculum, quo ludi spectantur.

Expiare, purgare.
Extorris, exul.

F.

Faldera, urbs Danorum, inter quos & Suecos oceani media, quæ vulgo *Barnholm*. Est & alia Otfaciorum, quæ ab illa cepit, quæ *Niyemunster*: Et quoniam de Holmo diximus, est *Holmus* sinus oceani, qui & fundus & Danis ac finitimis, *Sund*. Inde & *Stockholmus* urbs Suecorum oceani, qui *Sueden*.

Fasti sunt libri, in quibus *nomina sanctorum* scribuntur, at *Fastis divorum adscribi*, est in numerum Deorum referri.

Fercula, non cibaria, sed missus, sive transitus regum ad popinam, quibus a discophoris afferuntur, multæ simul patinæ, cibis differtæ. *Ferculo* igitur *primo*, id est missu primo. Inde pro curribus apud *Salomonem*, qui fercula dicitur ex lignis cedrinis fecisse.

Flavium, civitatula Megapolensis. *Plau.*

Fœcialis, nuncius regum, qui barbaris *Heroldus*, parcefantus.

Frequentes, multi, a quo frequens auditorium, plenum Scholasticulis.

G.

Gabaliones, popellus Megapolensium in saltibus, qui Teutonice *Gabelheider*.

Gabrita, sylvæ Hercyniæ pars, Teutonis *der Bönnerwaldt*.

Gadebusum, civitatula Megapolensium, *Gadebusch*.

Geenna, sine h littera scribendum est. Est vero *Geenna* locus proxime Solymas, in quo idolum quondam *Baal* percolebatur in pede montis, qui *Mora*. *Siloë* ibi fluit, planitiem rigans, valle, nemoribus & delitiis volupe, quo loci immolare hostias, incendere holocaustomata, idolis Gentilitas solebat, a qua re *Geennon*, vallis *Filiorum Ennon*, ut testantur *Paralipomena*, *libri Regum*, ac divus etiam *Hieremias*. Comminatur enim Deus locum sese completurum cadaveribus, ut non sit amplius *Tophet* & *Baal*, sed *polyandrium*, hoc est cœmeterium, ubi æstus & frigus habitent. Sic loco dein deserto *Geenna* infernus creditus.

Gelatopœi, mimi illi, qui de ridiculis ad cachinnum concitant. *Gelas* enim risus est, a quo *Agelastus*, qui raro ridet.

Gelonus, Tractatus est, autore *Virgilio Plinioque*.

Gentilis duo significat. Eum, qui in fide majorum persistit, qui ethnicus, Teutonis *ein Ungläubiger*, *ein Heyde*, pro quo barbasculi paganum accipiunt, quum sit paganus Villanus, rusticus. Est enim pagus, vicus. Præterea gentilis familiæ ejusdem ac juris.

Getæ, populus inter Sarmatas. At quum de Danis loquimur, tunc e Cimbrorum sunt numero, Teutonice *Gythlender*, quemadmodum Gotus *ein Gotländer*.

Glisserum, adipatum, salinare; at de conviviis elegantius dicitur, ac cibis & cænis ac prandiolis.

Gryphosilvia, urbs Hariorum, hoc est *Pomeranorum*, quæ Cl. *Ptolomæo* ἐρινάτιον, *Virutium*, ubi Gymnasium publicum, quod nostrorculis *Gryphswaldia*.

Gynecæum, mulierum apud divites conclave, Teutonis *ein Frauenzimmer*, quarum mulierum ancillulæ, pediseque, climacides, lampadophoræ, vestispices & aliæ.

H.

Hamippi. sunt equites prodromi, qui & philochori *Suidæ*, Teutonis *Fordrebrer*. Pedites praterea cum equitibus dispositi, ut sunt testes *Thucydides* & *Xenophon*. At quemadmodum *Hamippi* de equitibus primi in equitando, sic de peditibus antesignani, & primipili dicuntur, *Fürgenger*.

Harii sunt *Tacito Cornelio Pomerani*, qui & *Venetes*, autore eodem.

Heroum, monumentum elatum, autoribus *Pausania*, *Thucydide*, *Stephano Byzantio*, ac etiam *Plinio* nostro.

Herula, arx munitissima, olim *Werla*, cujus tantum extat area, ab *Herulis* condita, regibus famatissimis, haud ita procul Rhostochio. Et inter Herulos olim, *veteres* ac *novi* fuere. Veterum memoria apud Romanos nota, neoterorum non supra annos quadringentos, qui ex *Obetritis*, hoc est *Megapolensibus*, sic volebant in posteritatem veteris nobilitatis nominari, pro quo titulo Megapolenses se se *Vandalorum principes* prætitulant.

Heruli, populus, qui inter Germanos vetustissimos apud autores priscos magna in celebratione, vulgo quondam *Werli*, mutate H. litera in V. duplum, qui etiamnum *Verlenses* dicuntur, olim & *Obotritæ*, nunc *Megapolenses*.

Hiali, populus Borussorum, qui *Gleisarii*, ubi invenitur *electrum*, quod *glessum* sive *hialum*, hoc est vitrum.

Higmophylax, custos carceris, teste *Calisthene*.

Hilivones, populus Megapolensium, comitatus nunc *Suerinæus*. Ac urbis *Suerini* pars etiamnum *Scilvones* a barbaris, Teutonice *die Schilfe*.

Holosericæ, vestes ex toto solove serico, autore *Lampridio*.

Hoplomachus, armatus pugnans, magister armorum, Teutonis *ein Rostemeister*, *Harnischmeister*, quem cecinit *Martialis*:

Hoplomachus nunc es, fueras opthalmicus ante.

Horcus, jusjurandum, infernus.

Hyperbolus, lapis, qui summergendorum cervicibus adalligatur, teste *Aristophane*. Est & ager, creditoribus obnoxius, lapidis aut columnæ inditio, cui diversum, ἄιχτον *asticum*.

I.

Icrum, patibulum, quo fontes nunc, olim Martyres excruciabantur, cujus meminit *Thucydides*. Romanici *ad chordas* appellitant, latine *surrectum tabulatum*.

Ilium, arx Megapolensium, haud procul Vismaria, Teutonice *Ilow*.

Illyris, *Illyria*, *Illyricum* est Sclavonia nunc, juxta *Venetos*.

Imponere, est decipere.

Impostores, deceptores,

Impostura, deceptio.

Justa,

Juſta, adverbium, pro *pariter*.

L.

Lamyrus, loquax, garrulus, facetus, comis, rythmis ludens, Teutonis *ein Lotterer*.

Latonia, lingua Siculorum *carcer*.

Lea, urbs Megapolenſium, *die Lau*.

Lemovii, *Tacito Cornelio*, qui Levonii, Barbaris Livonienſes, Teutonis *Iſtländer*, proxime Bructeros. Eosdem *Plinius* Helleviones & Effluos nuncupat, quorum *Rigia* caput.

Leontium, civitas Megapolenſium olim, in Albis littore, nunc Marcomanni, hoc eſt Marchionis, Teutonis *Lentz*.

Leucoparyphus, veſtibus vilibus indutus. At *holoporphyrus*, veſtibus optimis ornatus. Quare de *Antipatro Alexander*: Extra leucopariphus, intra holoporphyrus, quemadmodum in *Evangelio* Jeſus: *Qui veniunt*, inquit, *in veſtibus ovium*, *intrinſecus autem ſunt lupi rapaces*. Sunt vero *Paryphi* virgæ in tunicis virgatis purpureæ.

Lingobardus, latinius haud dubie ex antiquitate, quam Longobardus, Teutonis *ein Lombardier*, vel *aus Lombardeyen*.

Lingones, populus Megapolenſium, qui ab urbe Varno nomen nunc tenet, hoc eſt Varnenſes. Teutonis *die von Waren*.

Linoges, populus Marcomannarum, ac comitatus quidem, Teutonis, *die von Lindau*, qui & Rupinenſes, *die von Repin*.

Lirimiris, civitatula apud *Ptolomæum*, in confinio Saxoniæ inferioris, haud procul Luconiis, Teutonice *Molen*.

Lituus, *ein Zincke*, muſicum Inſtrumentum recurvum, olim bellicum, *ein Heer-Horn*.

Luconii ſunt *Lubecenſes*, quæ urbs in Annalibus & alia nomina habet.

Lutetii. populus hic Megapolenſium, qui vulgo *Stargardi*. At Lutetia urbs Gallorum prima, quæ *Parrhiſius*, aut potius *Parrhiſiorum*.

M.

Magale, domuncula, gurguſtium, gurguſtiolum paſtoris, quemadmodum *mapale* piſcatorum.

Majoma, Romana olim feſtivitas, qua menſe Majo in urbem Hoſtiam maritimam itabant frequentes, inter aquas voluptatibus incumbentes, quam rem ſuſtulit *Anaſtaſius* Imperator ut & annotata a Divo *Juſtiniano Codice libro XI*. At libris omnibus fere male legitur. Sunt ergo *Majuma* feſta *Majalia*, Teutonice *Mayen-Feſt*. Comes inde *Majumor*, *ein Mayengraffe*, is qui præeſt ſolennitati.

Marionis, urbs Megapolenſium, autore *Ptolomæo*, quæ *Suerinum*; Dicitur autem Marionis alcera. Nam Marionis prima eſt *Luneburgum*, teſte *Ptolomæo* eodem.

Maſſagitæ, ſunt etiam *Maſonitæ*, inter Sarmatas, Teutonis *Maſaner*. At Maſſagitæ alii ſunt, illis remotiores.

Maſſilia, urbs Galliæ, ubi Gymnaſium litterarum quondam græcarum celeberrimum, quo mittere pueros ſuos etiam Romani ſolebant, quæ urbs adeo evaſit clara, ut in regnum abierit. Teutonis *das Reich von Marſilien*. Unde *Weſtphalen Monum. ined. Rer. Germ.* de a Coſmographiſtis perperam Marſſilia etiamnum dicitur.

Mattiaci, vulgo *Selandini*, Teutonis *Seland*, juxta Batavos.

Mauſoleum, ſepulchum elegantius ac regium, quale *Mauſolo* facit *Arthemiſia*, conjunx gratiſſima, unum inter ſeptem mundi miracula. Unde *Mauſoleum Chriſti*, ſepulchrum Dominicum.

Maza panis rigidus, biſcoctum, Autore *Ariſtophano*, Teutonice *Zwieback*. Farina item oleo & aqua permixta, ut ait *Suidas*, addito plerumque lacte. *Amazones* ergo pro pauperibus accipiuntur, quaſi non habentes *mazam*, hoc eſt, panem delicatum, ut interpretatur *Euſtachius Homericus*. Lacertis enim & teſtudinibus veſci conſuevere, a qua re Sauromatides, quos quoniam conculcant pedibus, *Sauropatides* dicuntur.

Megapolis, urbs Megapolenſium, olim maxima, nunc deſolata, quæ noſterculis *Magnapolis*, a qua & *Magnopolenſes Principes* appellant, qui Megapolenſes ſunt nominitandi, vulgo *Mechelburgenſes*.

Menapii ſunt Juliacenſes, inter Agrippinam & Aquasgranas, Teutonis *Jülicher*.

Moleſta, inſtrumentum, aut tunica ſulphurata, qua induuntur ſontes, quum ad quæſtionem vocantur, ut fateantur crimina. Meminere *Seneca* & *Titus Lucretius*

Carcer & horribilis de ſaxo jactus eorum,
Verbera, Carnifices, robur, pix, lamina tædæ.

Monumentum, aliud eſt quam ſepulchrum. Nam monumentum memoriæ cauſa in poſterum proditur, ut ait *Florentius*, Juriſconſultus, quod tunc fit ſepulchrum, cum corpus vel reliquiæ inferuntur. Erant vero olim *Monumenta in campo*. Nam & *Ulpianus* juris conſultus pœna aureorum XL. mulctandos cenſuit, qui in urbe ſepulchrum feciſſent.

Moſchi, populus Sarmatarum, qui & *Roxalani*, quibus *Mithridates* olim rex imperitavit, vulgo *Moſcobitæ*, aut etiam Moſovitæ, Teutonice *Moſcobiter oder Ruſſen*. Conſtant vero Moſchi tribus populis, qui *Colechi*, *Iberes*, *Albani*.

Moſynoeci ſunt, qui in arcibus incubant, tuba canentes, & ſigna dantes, Teutonice *Husmänner*. *Turner*. Cæterum *moſyni* ſunt turres, teſte *Apollodoro*, ac domus etiam ligneæ in campis ad ſpeculandum. Teutonis *die Warten*.

Monspeſſulanus, urbs Galliarum, quæ *Ptolomæo* Agatopolis, Teutonis *Monpelier*.

Myſtile, panis ille, qui pinſitur canibus; Panes vero illi latine *ponicæ* appellantur, e furfure plerumque teſte *Feſto Pompejo*.

N.

Neurus, populus Sarmatarum, qui a barbaſculis *Lituanus*. Habitant proxime Slavos, qui ſunt Poloni, ſub quorum Rege nunc agunt. Teutonis *Littawer*.

Nevulus, fluvius Megapolenſium, prope Guſtroinos, Teutonice, *die Nevel*.

Norici, Germanorum duplices. Nam Norici,

Oceani appellantur *Norwegen*. At Norici in Germania ſuperiore *Oberbeiern*, Bojarii ſuperiores, vel *Norcaver*.

O.

Obetritæ nomen erat Ducum Megapolenſium, quum Reges adhuc eſſent. Teutonis *die Könige der Obetriten*, quod ſecundum etymon græcum *die bunte Rotte, oder Garde*.

Oceanus Cimbricus, eſt mare Balthicum, ſive *Baltheatum*, aut oceanus Baltheatus, a cinguli ſimilitudine. Teutonis *der Balth. Plinius Accianum* appellat vagum & diffuſum, mari nusquam ſimile.

Oporophylacium, locus aut cella, in qua reſervantur poma.

Oporotheca vero loca, ubi fructus omnes tales reconduntur.

Oſtrogotus, Gotus ad orientem incolens. Teutonis, *ein Oſtergote*, ſicut ad occaſum Veſegotus, *ein Weſtergote*.

P.

Palare eſt verbum militare, quod de exercitu dicitur, quum ſine ordine it. Diſpalari vero eſt diſpergi.

Palinodiam canere, revocare errorem, autore *Divo Hieronymo ad Pammachium* & Marcellum.

Pandeſia, convivium ingens, adipale, ganeatum, gliſætum, ſaliare.

Panici, ſunt terrores in bello repentini, veluti Italis *la arma*, Teutonis *Lerman, lermen*.

Panicum, inter legumina, autore *Turannio*, e quo fit habita, lacte aut aqua mixta. Eſt vero panicum inter agros Vandalicos, frequens, & inter halicarios, loco milii. Teutonis *Buchweide*.

Pancratiaſtes, qui cæteros omnes in ludo vincit, quo verbo utitur *Quintilianus libro Inſtitutionum ſecundo*, teutonice *der den oberſten Danck verdient*.

Pantomimi omnium imitatores, aut effictores, qualis olim ſub *Domitiano* Cæſare *Paris*, cujus meminit *Juvenalis* Satyrographus. *Pantomimorum* vero meminere *Julianus*, jurisconſultus *in lege: Si Libertus, Digeſtis, de operis libertorum, & lex quarta Codicis de ſpectaculis, libro XI. Plinius, Cæcilius in Panegyrico, Suetonius in Caligula*.

Panſagia & *Panoplia*, armaturæ ratio aut diſciplina, luſtratio armorum, Teutonis *Heerſchau*.

Parentationes, κατερίσματα, Teutonis *Begängniß der Todten*.

Parietenæ, muri antiqui.

Parthenopolis, *Ptolomæo* Mævium, vulgo *Magdeburgum*, metropolis Saxonum.

Patagiata, veſtimenta ſunt aurea, Teutonis *Guldenſtucke Cicero ad Tyronem libro Epiſtolarum XVI.* ſed & *Aſſeſſor* dicitur.

Pedum, baculus paſtoralis ac ſcipio. Nam & Virgilius in Bucolicis cecinit:

At tu ſume pedum, quod quum me ſæpe rogaret,
Non tulit Antigenes, & erat tum dignus amari
Formoſum paribus nodis atque ære Menalca.

Penthatlus, genus Ludorum quinque, quorum meminit *Paulus* jurisconſultus *lege ſecunda Digeſtis de Aleæ uſu*. Ludorum præterea eorum meminere *Plinius*, *Propertius*, *Gellius*, *Macrobius*. Sed & ludos eos *Simonides* poëta verſibus cecinit græcis, qui civitate Romana ſic donati:

Cum diſci jactu, ſaltus pedis, impetus haſtæ,
Atque pale, & curſus, ſtudium fuit omnibus unum

Athletæ vero & pyctæ nominantur.

Pænus, fluvius Megapolenſium, annalibus Vandalicis perperam paniis, Teutonice *die Peyn*, qui oritur, ſupra Malachinum.

Peribolum, ſeptum, delubrum. Sunt enim *peribola* ſepta illa, quæ arboribus olim & ſepibus circumdata, in quibus idola colebant, quæ loca & luci, qualem *Virgilius* cecinit.

Peripetasmata, ſunt tapetia, ſtromata, periſtromata, in templis aut ædibus circa lectos, Teutonice *Umhang*.

Phalacri, calvi, recalvaculi, cani.

Phalanti quoque calvaſtri, capite cano.

Pharus, facula quæ λάμπηρα græcis, per quam navigantibus mari ſigna dant ex turribus.

Phelomata, fraudes, doli, vafricitiæ, deceptiones, autore *Antiphonte*.

Polymitæ, veſtes aut tunicæ verſicolores, quæ nunc dicolores, nunc tricolores, pentacolores ac etiam polycolores, quales apud *Fl. Vopiſcum*, & libro *Geneſeos ſeptimo* memorantur, ubi fratres *Joſephum* leguntur nudaſſe tunica talari & polymita.

Polytelæ prodigi, qui multa profundunt, Teutonis, *Praſſer*. At *enteles*, deparcus, Teutonis *ein Hund*.

Præfectus prætorio, vulgo Mareſchalcus, unus ex Electoribus, Saxonum ſemper Dux.

Præſtigiatores, qui viſum decipiunt, Teutonice *Gauckler*.

Praga, caput Bojemorum, *Ptolomæo* Caſurgis.

Prolabi, pars Megapolènſium, nunc *Raceburgenſes*.

Proſelytus, advena, a moribus gentilitiis ad legem Chriſtianam tractus.

Pſaltriæ, mulieres quæ ad lyram canunt, aut pſalterio, Teutonice *Lyreriſchen*.

Pſephiſma, Statutum, reformatio. Sunt & *Saphismata* ſtigmata fronti inuſta, autore *Aeliano*, qualis Athenis noctua.

Pueri, patrini ac matrini, quorum vivunt adhuc parentes, teſte *Macrobio*, quibus contrarii *pupilli, orphani*.

Pylorus. Cuſtos portæ, forium præfectus, oſtiarius. Nam pylora eſt oſtiaria, Teutonis, *Portener*.

Q.

Quæſtor imperii eſt archicamerarius, qualis Marcomannus.

R.

Rebellio, Urbs Megapolenſium prope Flavium, Teutonice *Robel*.

Repoſcones, rebelles, mali.

Rhadegaſus, idolum Vandalorum, *Rhadagaſt*.

Rhetarii, annalibus Vandalicis populus Megapolenſium, ubi nunc *Malachinum*.

Rudimen-

Rudimenta militiæ deponere, armis melius insuescere. Sic rudimentum litterarum deponere, pro quo nosterculi dicunt, volo deponere, aut deposui, errore manifestario, aut beaninum deposui. Deponere ergo rudimenta litterarum, est studia meliora sub Autodocto sequi.

S.

Sacellanus, capellanus, ut dicunt grammatistarii, quum sit capella, capra parva, sacellum vero templum parvum. Nam & *Virgilius in Bucolicis.*

- - Sed faciles nymphæ risere sacello.

Salacii, Francones Germanorum, qui Francionis elegantius, quam Francones, nimirum a *Francione* rege dicti. Cæsari Tectosages, Teutonis *Francken.*

Salosevicus, urbs Olsaciorum, Teutonis *Schlesevig*, quæ & Idibum, Hadobothum, Sævisicus.

Salutigeruli, nuncii dominarum, ac renuntii, teste *Plauto.* Tales faciunt aquariolos, pararenchosque, qui Teutonis *Hamreygen.* At jure feudorum cucurbitatores activi sunt, sicut illi passivi, Teutonice *die Hamreygen machen*; Nam cucurbitare verbum est juris ejus.

Sanctaria, sunt scrinia secretiora, quæ & aporeta.

Sargatii, populus Megapolensium, qui & Stargatii ac Stargardi. Nam Stargardia ducatus illorum est, *Stargarditer*. At lingua Vandalica Stargardia *Altenburgium.*

Sarmata, plerumque pro Polono, quia Rex illorum terræ Sarmaticæ multum tenet.

Scandinavia, barbasculis *Scandia*, & *Schona*, insula Danorum.

Schœnobatæ, funo ambulantes, *die auf dem Seile gehen.*

Scolium, canticun convivale. At *Scholium* interpretatio difficilium. Inde Scholiographi, Scholiastæ, talium Paraphrastæ.

Scyrus, Insula, quam cecinit *Virgilius*: Armiger Antomedon, una omnis Scyria pubes Est & *Scyrus* sepulchrum *Homeri in Aegeo.*

Seperastra, instrumenta puerilia, quibus ludunt, quo fit, ut illis pueritia significetur.

Sepulchrum, tunc fit, quum sunt facta justa. Vel quum corpus infertur, aut reliquiæ. At Romanis mos erat corpora comburere; quo innuebant vehiculo igneo animum abire in astra, qui solus in nobis Divinus. Nam sic corpus, quia terrenum, in cinere subsideret. Unde illud: *Memento quia cinis es & in cinerem reverteris.*

Sicambri, vulgo *Gelri*, Sicambria, Gelria.

Sidini, autore *Ptolomæo* sunt, qui nunc vulgo *Stetini*, a quo Ducatus Teutonis *die Stetiner*, quo inscribitur Dux inclytus Pomeranorum.

Sigipedes, sunt Susipedes, autoribus *Julio Capitolino*, in vita *Antonini* pii, *Orosio libro VI.* Tribellio. Teutonis *Siebenbürger.*

Sirrum, fossa subterranea, cuniculi cryptæ, unde ire & exire clanculum arces possumus. At *M. Varro* sirros vocat excavationes ad frumentorum semina.

Siva, Deo Vandalorum Venus ipsa: Colebant illam Polabi cum primis & Heruli, a qua dea civitatula, quam tunc *Sivam*, nunc *Suam* appellant, supra Rostochium.

Sonticus, morbus, gravis morbus & sontica tabes.

Sorabi, vulgo *Misenenses*, ab urbe *Misena.* Dicti vero ante *Sorabi* ab urbe antiquissima, quæ *Sorabum*, Teutonis *Czorbieg*, in Albis littore, a regione Cervestorum.

Sterniatæ, item nullo ore, nullis naribus.

Suevus fluvius Marcomannarum, autore *Ptolomæo*, qui barbasculis *Sprevus*, Teutonis, *die Sprehe.* Berolinum ac Coloniam dirimens.

Sympinum, vas vinarium, cyatho simile aut calici, quo utimur in sacris, ut quondam *Numa Pompilius*, quem cecinit Satyrographus, *Juvenalis.*

Et quis tunc hominum contemptor Numinis aut quis
Sympinum ridere Numæ, nigrumque catinum.

T.

Tanais, fluvius Scytharum a Riphæis montibus ortus. Asiam ab Europa dirimit, in Pontum fluens.

Tethradistes, semper laboriosus.

Tetra, urbs Megapolensium, Teutonis *Tetran.*

Thitumeri, ex *Ptolomæi* appendice, sunt qui perperam a glorioso ulis indigenis *theomatari* appellantur, ac *dimartii*, quasi dii quibus melius profecto, ut se homines quam Deos recenserent. Teutonis *Ditmersen*, insula Saxonum.

Thrombi, guttæ sanguinis concreti, quales nostri Salvatoris.

Thuringi, varia habent nomina apud antiquos. Dicuntur enim *Thurii*, teste *Donato Acciolo*, *Tyrigetæ*, *Theophali*, *Chatti*, *Victaoli* & *Plinio* etiam *Cimbri mediterranei*, Teutonis *Duringen.*

Thymelici, saltatores, Teutonis *Dumler.*

Thynnus, piscis magnus, Teutonice, *ein Thinne*, a quo jure civili *thinnoscopium.*

Todera, urbs Marcomannarum, annalibus Vandalicis, vulgo *Havelbergium.* Unde Toderani antique *Havelbergenses.*

Trabea, vestis Consularis, senatoria, nunc & doctoralis, cujus meminit *Macrobius. Gellius, Plinius.*

Travus, fluvius Luconiorum, Teutonice *die Trave*, a quo *Travemunda*, civitatula Oceanitima, *Tramynde* Teutonis.

Trecinus, quæsticulus, lucrum parvum, cui contrarium quæstus uber, teste *Varrone*

Tributum Cæsaris. urbs Pomeranorum, quæ Teutonis *Trebesesz*, a servato olim ibi tributo.

Tricæ, sunt fraudes, tendiculæ, laqueus, decipulæ.

Trivonaria, vestes prætenues, forenses, triclinariæ, cotidianæ.

Tibi serviat ultima Tyle.

Tulisurgium, urbs Saxonum teste *Ptolomæo*, quæ vulgo *Brunopolis* & *Vicus brunonis*, Teutonis, *Brunswige.*

Tyle, insula oceani, a Cosmographistis *Islandia*, de qua *Virgilius*:

Tychophylaces, custodes murorum, teste *Julio Pollice.*

Tullentius, fluvius Megapolenſium, Teutonis *die Tollentz*, juxta *Brandoburgium*.

Tullianum, olim carcer Romanus *Tullii Hoſtilii*, nunc ubique, ut eſt autor *Apulejus*.

Tympanotribæ, Teutonice *Paucken-oder Trommelſchläger*. Fiebant olim ex ære, nunc e corio plerumque, quod inſtrumentum buccinum, & ceryx.

V.

Vagirus, annalibus Vandalicis, olfacius, hoc eſt *ein Holſtätter*.

Vandalus, cis Vindum incolit, *ein Wende*, Sclavus ultra, qui Polonus.

Vangiones, ſunt Wormacienſes, juxta Nemetes, hoc eſt, *Spirenſes Rheni*.

Varna, fluvius Megapolenſium, Teutonice, *die Warne*, a quo *Warnemunda*, civitatula, quæ *Warnemyndæ*.

Velatabi, piratæ olim ex Noricis oceani, e quibus Normannorum in Gallia origo.

Veſulus, mons Italiæ, e quo oritur Padus, in Lingonum finibus, hoc eſt, *Florentinorum*.

Veredarii, nuncii Italici, Teutonis, *Poſtbaden*, velociſſimi, equos mutantes.

Veſus, pro Veſegato, *ein Weſtergott*.

Victaoli, ſunt *Thuringi*, teſte *Eutropio*, & Piratæ quoque.

Vicus bardorum, ſive *Bardoropolis*, urbs Saxonum antiquiſſima, ubi Epiſcopatus temporibus *Petri*, Teutonice *Berderwic*.

Vindeli, qui & *Vindelici*, qui ad Vindum incolunt, hoc eſt *Oderam fluvium*, qui Cosmographiſtis cœcutientibus Viadrus. Et ſic Vindelici duplices teſte *Plinio Oderer und Hoichſchwaben*.

Viſtula, fluvius Bructerorum. Gythonium præterfluit, hoc eſt *Dantiſcum*. Sunt etiam Gythones Dantiſci, teſte *Cornelio Tacito*: Fluvius vero ille eſt *Juſtillus* ac *Gutallus*, cujus *Pomponius Mela* meminit.

Vitugi, Roxalani, *Ruſſi*.

Vividarii, ſunt qui Gythones Boruſſorum, Teutonice, *Danzger*.

Ungula, tormentum, quo fontibus carnes exungulantur, teſtibus *Cypriano*, *Euſebio*, *Tertulliano*.

Volones, qui ſponte ſequuntur, quales ſervi bello Punico ſecundo, teſte *Macrobio*. Hodie Volontairs.

TΕΛΟΣ.

V.

SEBASTIANI BACMEISTERI, V. D. M.

CONTINUATIO ANNALIUM HERULORUM AC VANDALORUM.

LIBER OCTAVUS.

Cap. I.

De Henrico Pacifico, Duce Megapolæo.

DEſcripturus ego vitam & res geſtas Sereniſſimorum Ducum Megapolenſium, Principum vetuſtæ gentis HENETÆ, Comitum Suerini, Terrarum Rotzſtockii & Stargardiæ Dynaſtarum, atque ex ſummo eoque ſubmiſſo valde amore & veneratione humillima Familiæ hujus Regiæ ac Potentiſſimæ, (cujus in terris & Academia per duo fere ſecula majores mei vixere) multi jugæ eruditionis ac ſingularis prudentiæ, deque univerſo Ducatu Megapolitano immortaliter meriti Viri, Dn. NICOLAI MARESCHALCI, Thurii, Cancellarii Mecklenburgici Magnifici, ANNALES HERULORUM ac VANDALORUM inde ad noſtram ætatem nunc iterum continuaturus; poſt pertractatam hactenus *ultimo in capite Libri præcedentis ſeptimi* ab ipſo *Mareſchalco*, Ducis HENRICI cognomento PACIFICI, *pueritiam*, *adoleſcentiam*, *partemque juventutis maximam*: Abs hujus nunc Principis incomparabilis *ætate media*, in qua vetuſtiſſimus noſter Hiſtoriographus ſubſtitit, initium igitur ut faciam, & telam inceptam ad ejus usque ſenectutem ac reliquum vitæ tempus, ulterius pertexam, & Hiſtoriæ Ordo, temporis item & inſtituti noſtri ratio requirit. HENRICUS itaque hic Pacificus, *Magni* Filius, Suerini Anno 1479. 5. Nonar. Maji natus, Ducatum Megapolitanum cum Fratre ALBERTO feliciter gubernavit, multasque res domi forisque præclare geſſit ad annum usque Chriſti 1521. qui in ANNALIBUS *Mareſchalci* eſt ultimus, *Henrici* vero Principis quadrageſimus ſecundus, & Ducatui huic Megapolenſi non ſine laude eximia præfuerat annos ſeptem & decem. Omnia ſub illo jam erant pacata; Bellum biennale cum Lubicenſibus cœptum, jam dudum ſopitum (an. ſc. 1508.) erat. (*a*) Ipſe *Henricus* abnegata Religione Pontificia, eaq; ex maxima Principatus ſui parte exſtirpata, veram de Deo doctrinam aſſumpſerat, (*b*) cum demortua uxore prima *Urſula* Matchiaca anno 1511. die 18. Octob. ad ſecunda jam tranſierat vota, ſibique *Helenam*, *Philippi* Electoris Palatini Filiam jam inde ab anno 1513. Viſmariæ aſſociaverat, (*c*) quando adhuc cum illa in ſuavi vivens conjugio tres ex Ea liberos, *Philip-*

(*a*) Chytræus Chron. Saxon. Lib. VI. p. 168. Edit. Lipſ. in Fol. de an. 1593. an. ſc. 1508. art.

(*b*) Idem Chronic. Saxon. Lib. XIII. p. 379. Andr. Mylii ſ. Calovii Chron. Duc. Megapol.

(*c*) Theatr. Genet. Henningii.

Philippum anno 1514. natum, post Patrem anno 1557. die 3. Febr. vitam perpetuo cœlibatu foventem finivit, ac 3. Calend. Januar. Doberani sepultum, *Margaretham*, Duci Münsterbergensi *Henrico*, & *Catharinam* Duci Lignicensi *Friderico* Juniori nuptas suscepit. (*d*) *Helena* autem hæc *Henrici* conjux secunda anno post natum Christum millesimo supra quingentos vigesimo quarto vitam cum morte commutavit, sepulchrumque suum accepit Suerini in Sacrario Sanctissimi Cruoris (*des heil. Bluts Capellen*) cujus Epitaphium a mœstissimo conjuge orichalco insculptum, ipsi post Altare ibidem erectum, (*e*) sequens conspicitur:

Alta Palatinis HELENAM me Norica Lustra
Duci Obotriteo fors voluere Thoro.
Quod poteram feci, juverunt plurima Parcæ
Præstabunt Proles quæque negata mihi.
Proles, quam Juvenem charo commendo Marito
Migratam superis. Lector Amice Vale.

Henricus sic viduam vitam ad usque annum 1551. ætatis vero septuagesimum secundum agens, ut postea dicam, etsi turbulentissimis istis Germaniæ temporibus, bella sæpius moverentur, & multi otium ei inviderent, plurimi etiam ad societatem armorum invitarent, admiranda tamen sapientia, & animi magnitudine post bellum Lubicense, semper pacem Ecclesiis ac Politiis salutarem conservavit, ac singulari diligentia cavit, ne quo bello suæ gentes affligerentur: ratione & consilio vim hostilem sine civium cæde repressit, subditorum vitæ & pecuniis pepercit, nullis se infidis hominum conjunctionibus implicuit, ne ex sociorum voluntate pendens, alienorum erratorum pœnas lueret. Inprimis autem ipsi præcipua tum gloria Dei ejusque verbi cura erat, quippe veram de vero Deo doctrinam in ditione sua jam susceptam ulterius propagari & dilatari omnem movit lapidem: nec pro parte felicitatis suæ minima reputavit, quod ipso clavum Reipublicæ gubernante lux Evangelii hactenus tenebris Scholasticis mirum quantum obfuscata, *Martini Lutheri* opera affulgere inciperet, & celebre illud Fidei Evangelicæ Symbolum, quod *Augustanam Confessionem* vocant, *Carolo V.* Imperatori anno 1530. in frequentissimo omnium Ordinum Imperii conseſſu exhibitum fuisset, sicque jam toti orbi Christiano innotuisset; hinc ipse etiam relicta idololatria Romana, omni diligentia, studio ac labore Ecclesias suæ Ditionis recte instituti curavit; blasphemos & idololatricos cultus primum Suerini in Templo Cathedrali anno 1532. (*f*) (Diœcesin namque Suerinensem pro Filio *Magno* sedis illius Episcopo Postulato, sed adhuc minorenni, Pater administrabat) & anno 1533. Gustrovii, ubi Aulæ ipsius sedes erat, in Templo Parochiali, sustulit, successu primum parum felici, ignorantium aut pertinacium multitudine, quibus poterant, viribus resistente, donec tandem M. *Gerhardus Oemichius* Theologus suo tempore summus, Suerino Gustroviam missus suada sua, prudentia atque dexteritate, ita populum flexit, ut, licet furias spirarent adversarii cucullati, non tamen impedire valerent quo minus *Omichius Templi Parochialis Præpositus primus Evangelicus* crearetur, atque Ecclesiarum per Terram Mecklenburgicam Superintendens. Doctrinam hinc piam, & in sacris literis fundatam doceri; Ecclesias anno 1534. & rursus anno 1541. inspici, in Ministrorum Verbi doctrinam & vitam inquiri, & *Ordinem Ceremoniarum piarum & a Papicolarum fecibus purgatarum, Libro certo comprehensum edi & in Ecclesiis servari jussit*, atque ut una vera & consentiens docentium vox in Ecclesiis & Scholis audiretur, labore & conatu laudabili & memoria dignissimo, quantum potuit, effecit Dux *Henricus* vere pientissimus Anno 1536. certe statutum cum animo habuerat ac deliberatum *Henricus* Dux laudatissimus, una cum aliis Imperii Romano-Germanici Proceribus ac Civitatibus, *Fœdus* sic dictum *Smalcaldicum* simul inire, viresque suas cum Electore Saxoniæ, suo ex Sorore Nepote, *Johanne illo Friderico* conjungere jamque in eo erat, ut equo insidere, ac loco & die constituto comparere vellet, nisi Cancellarius ejus *Caspar a Schonaich* dissensu suo ac perpetuis suis & seriis dehortationibus Principis hujus animum sic mutasset, ut, ægre quamvis, domi tamen manserit, hincque etiam iram Cæsaris, ac devastationem terrarum suarum a Cæsarianis militibus, qui post captum Electorem illum Saxoniæ *Johannem Fridericum Magnanimum*, ejus postea Electoratum aliasque ipsi confœderatas Provincias ac Status qui Smalcaldiæ convenerant, ad Albim usque depopulaverant valde, penitusque exhauserant, evitaverit. (*g*) Cæterum *Henricus* noster docentes in Ecclesia Evangelicos Ministros non ipse solum studiose audivit, sed & libros Apostolorum & Prophetarum eorumque eruditas explicationes avidissime legit atque relegit. (*h*) Quo pietatis zelo Princeps inclytus tantum profecit, ut facili negotio & vero judicio Doctrinam cœlestem veram a Catholico-Romanorum falsa secernere posset, ac suo hinc jure *Fautoris ac Propagatoris verbi & cultus divini nomen* posteritati seræ post se reliquerit. In agnita autem hac veritate & fide, Dux noster longe incomparabilis constanter perseveravit, ad *Scripturam S* velut *Gubernaculum*, omnibus imperii sui consiliis & actionibus præfecit, eamque veluti *anchoram sacram* in omnibus periculis esse duxit. (*i*) Mortuo Fratre *Alberto* initio anni 1547. instinctu Filii sui *Magni* Episcopi Suerinensis simul & Cancellarii Academiæ Rostock. (*k*) cum ejus Filio & in Provincia regenda reliquaque hæreditate universa successore, *Johanne Alberto*, communi consilio ac opera curam restaurandæ Academiæ Roztockianæ propemodum collapsæ, accitis ex Wittenbergensi Academia M *Davide Chytræo*, Theologo postea & Historico incomparabili,

(*d*) Theatr. Geneth. Henningii.
(*e*) Calovii f. Andreæ Mylii Chronic. Duc. Megap.
(*f*) Chron. Sverin. Heder.
(*g*) Calov. f. Andreæ Mylii Chron. Duc. Megapol. Chytræus Chron. Saxon. L. XIV. p. 424. edit. Lipſ. in Fol.
(*h*) Chytræus in Vita Henrici, p. 106.
(*i*) Idem pag. 107.
(*k*) pag. 109.

parabili, & ex aula Filii *Magni* jam defuncti Præceptore *Arnoldo Burenio* Philosopho & Oratore disertissimo gnaviter susscepit. Ita etiam in Religionis negotio Dux noster cum laudato jam suo ex Fratre Nepote *Johanne Alberto* non quievit prius, quam sublatum fuisset, quicquid sufflaminaret adhuc Evangelii in Ducatu ejus vix renati cursum; anno itaque 1550. Sternebergæ indictus fuit *Provincialis Conventus*, in quo collatis cum universa Nobilitate & omnibus Reipubl. ordinibus consiliis, de abrogandis penitus Ceremoniis Papalibus deque propaganda Evangelii puritate per universum Ducatum serio capita contulerunt ac transegerunt. (*b*) Tandem *Henricus* noster ætate jam confectus, annum cum ageret septuagesimum secundum, spe ditionum suarum Heredis procreandi, quippe Filium *Magnum* præstanti ingenio, sapientia, eruditione, doctrina, virtute & pietate eximia Principem, superiore anno amiserat; (*b*) *Philippus* vero ab Electore Palatino *Philippo*, Avo materno appellatus adhuc superstes, mente ægra, imbecilla & non constante, regendis aliis idoneus haud erat; Tertiam sibi anno 1551. associavit uxorem *Ursulam*, Ducis Saxoniæ inferioris Lawenburgensis *Magni* Filiam, *Francisci* germanam. Ast paucos menses post die quidem 6. Febr. anno 1552. elatus est *Henricus*, ætatis septuagesimo tertio, (*c*) postquam annos octo & quadraginta Patriam sapienter, feliciter & quiete regnasset, & Justitiæ ac Pacis publicæ custos fidelis ac felicissimus fuisset, in consiliis dandis sapiens, in constituendis officiis parcus & providus, erga subditos suos tam clemens ac benevolus, ut quotidie bihorium legaverit ad audiendas uniuscujusque eorum querelas, litesque exortas decidendas atque relicta *Ursula* conjuge vidua, sed nulla ex ea sobole, post diuturnum, uti jam dictum est, & ad Augustæi Regni annos accedens regimen pie Suerini decessit, votique sic sui omnino particeps factus est. Qui enim sibi assidue tranquillam & beatam senectutem cum Rege *Davide* a Deo exoptasset, inprimis autem *e Ps LXXI. commat. 9. 18. ne in canitie sua unquam desereretur*, sæpe sæpius orasset, id ipsum etiam exoravit a Deo suo, placidissimum namque vitæ exitum nactus est. Funus ei postea factum est Suerini in Templo Cathedrali die 13. Febr. quod Dux *Johannes Albertus* ex Fratre *Alberto* Nepos, Principibus humandis primum destinavit, atque tunc ei ultima verba facere jussus est præclarum illud Germaniæ lumen *David Chytræus*, (*d*) tum adhuc admodum juvenis, annum vix XXII. ætatis excessus Academiæ Rostockianæ noviter Professor a piissime defuncto *Henrico* Duce constitutus, oratione tam eleganti tamque concinna atque ornata, ut omnium oculos in se commoverit, & *Johannes* inprimis *Albertus*, Princeps major natu, qui nunc ditionem & reliquam hæreditatem universam occupaverat, literarum Doctorumque longe amantissimus, audito hoc funebri sermone, statim susscipere & in deliciis, quoad vixit, habere *Chytræum* cœperit. Eundem honorem ac subjectissimum animi obsequium, oratione etiam eleganti funebri mortuo *Henrico* tunc quoque exhibuit *Arnoldus Burenius*, quam vero ob raucedinem tunc sibi molestam publice recitare Roztockii haud potuit, ambæ tamen typis descriptæ prostant. *Janus Bocerus* Poëta doctus & elegans, atque in Academia Roztockiensi, postea ordinarius Poëseos Professor famosissimus, in *Libris* suis, quos de *Origine & Rebus gestis Ducum Mecklenburgensium* nitidissimis versibus conscripsit, tale Elogium *Henrico* nostro *Pacifico* erexit.

Utilior Princeps HENRICUS ad otia pacis,
Quam fera Vesani Martis ad arma fuit.
Attamen ut patrios defendere cogitur agros,
Audaci gessit bella secunda manu.
Agmina collatis stravit Luconia signis,
Vertit & in tristes tecta, domosque rogos.
Dum Parchentinis & prælia miscuit agris,
Agricolæ versas ingemuere casas.
Strenuus & primæ miles sub flore juventæ,
Dive tuo fuerat *Carole* notus Avo.
Mox ubi claudebant violentum vincula Janum.
Et viguit patrio falciger orbe DEUS.
Pacifer hic dictus, patrias feliciter urbes,
Ac usus magna dexteritate regit.
Quicquid & Annorum longo conciderat usu,
Erigit, & solito rursus honore novat;
Et claris patrias ornavit moribus urbes,
Ejecitque suo dogmata falsa solo.
Dumque supervacuos non suevit perdere sumptus,
Ampla, satis censu divite, regna sulit.
Nec cultu, nimium, nitida vel veste superba,
Ejus frugalis, Aula decensque fuit.
Ursula, Marchiadum præstans huic sanguine Conjux,
Dotibus innumeris prædita, nupta fuit.
Inclyta quæ cunctas superavit Fœmina laudes,
Et soror eximio Præsule digna fuit.
Præsule cui celebres tribuit Germania laudes,
Publica dum mollis commoda pacis agit.
Quem Mogus dudum crudeli funere raptum,
Ingemuit mœstis obstupefactus aquis.
Occubuit cano præstans HENRICUS in ævo,
Deflet adhuc illum patria terra Ducem.

Visitur adhuc Epitaphium HENRICO nostro a *Johanne Alberto*, suo ex Fratre Nepote, ipsi in Templo Cathedrali Suerinensi erectum sequens.

DEO OPT. MAX.

Optimo Principi HENRICO *Magni* Filio, Duci Megapol. veræ Religionis, sanctæ Justitiæ & diuturnæ Pacis custodi *Johann Albertus*, Dux Megapol. Patruo suo Charissimo ac bene merito, memoriæ posuit.

V. A

(*a*) Idem Chytr. in orat. funebr. sæpius cit. p. m.
(*b*) Chytr. chron. Saxon. p. 494.
(*c*) Theatr. Geneth. Henning. Chytr. chron. Saxon. Lib. XVII. p. 507. Edit. sc. Lipsi. in Fol.
(*d*) Idem ibid. p. 507. 508.

V. A. LXXIII. D. S.
Obiit Suer. VIII. Id. Febr.
Anno M D. LII.

HENRICO prognatus Avo *Magnoque* Parente,
Hic situs HENRICUS condita membra tegit.
Qui bonitate sua, & meritis linguaque senili,
Nestor erat Patriæ Duxque Paterque suæ.
Nestore quin melior pietate, & pacis amore,
Nunc ergo æternæ gaudia pacis habet.

Est & Epitaphium a *Johanne Posselio* Seniore compositum sequens. (*a*)

EPITAPHIUM HENRICI Ducis MEGAPOLENSIS &c. qui decessit Anno 1552. die 6. Februarii.

Τύμβος ὅδ' ἘΝΡΙΚΟΥ πέλεται Ἄρχοντος ἀγαυῦ,
Τῆς γαίας μεγάλην ἣν καλέεσσι πόλιν
Ὅς γ' Ἐνετῶν καὶ Σφαιρίνων ἅμα Ῥοσοχίωντε
Σταργαρδῶν δε πατὴρ ἤπιος ἦεν ὁμῶς.
Ὧν ἄρα τεσσαράκοντα ἔτη καὶ ὀκτὼ ἀνάσσων,
Πόλλ' ἐτέλεσσε Θεῷ, πολλά τε δεκτὰ βροτοῖς.
Καὶ γὰρ ἐυαγγελίοιο φάος γνὺς αὐτὸς ἀληθές.
Τίμησεν κραδίῃ τὸν Θεὸν ἐυσεβέϊ.
Καὶ λαοῖσιν ἔοῖσι γέρας πόρε τῶτο μέγιστον,
Εἰλικρινῆ διδαχὴν θεσπεσίοιο λόγυ:
Ἦνγε πρεσβῆτας ἀεὶ καὶ Ἀπόστολοι, ἠδὲ καὶ αὐτὸς
Ἀΐδιος υἱὸς πρὶν ἐδίδαξε πατρός.
Τῇ πίστει μενῆ σωθῆναι ἀλιτρὸν ἐόντα
Καὶ τόνδ' ἐν πίστει ἔργα δίκαια τελεῖν.
Καὶ γὰρ ἅμ' ἀνθρώποισι Θεῷ καὶ ἔργα ἀρέσκει,
Τὸν διὰ μονογενῆ Χριστὸν ἄνακτα μόνον.
Τένεκα Ῥωμαίης ἀπάτας φύγεν Ἀρχιερῆος
Ὃς μεν ἀναγκάζει ψεύδεα λυγρὰ σέβειν.
Νῦν τ' ἐν Τριδέντω Σύνοδον συνέγειρε κακόφρων
Αὐτὰ λυμαίνεσθαι δόγματα σεμνὰ Θεῦ.
Τῷ δὲ Θεῦ λαῷ πόλεμον καὶ κῆρα φέρεσαν,
Ὅς μὲν ἀκίδηλον ῥῆμα Θεοῖο φίλει.
Ὧν γε ὁμῶς Ἄρχων πασῶν ἀμέλεισεν ἀπειλῶν
Ὑψίστῳ κρατερῶς καὶ προσέμεινε Θεῷ
Καὶ ἅμα τὴν Βίβλον φύγεν ἡ τε μεταξὺ καλεῖται
Ὥσπερ ἀληθείας ἐυσεβέϊσε Φθοράν.
Ἠδ' ἔθρεψε Σχολὰς ἱερῶν παιδεύματα μυσῶν,
Ἀμφιπόλυς ἀρετῆς θεσπεσίυτε λόγυ.
Ὧν διὰ χρὴ διδαχὴν σπείρεσθ' ἐς ἀπείρονα γαῖαν,
Καὶ μεταπεμφθῆναι ὀψιγόνοισι φίλοις.
Ἔνδε ὁλῇ ζωῇ σοφὸς ἦν μάλα καὶ μεγάθυμος
Εἰρήνης τε φύλαξ, ἠδὲ δικαιοσύνης.
Δόξα σοὶ ὦ ὕψιστε πατὲρ τοίυσγε διδόντι
Ἡγεμόνας ἐλέυς ὄργανα λαμπρὰ τεῦ.

Cap. II.

De Magno, Duce Megapolæo.

MAGNUS, *Henrici Pacifici* Filius natus est Stargardiæ anno millesimo quingentesimo, nono, 4. Calend. Julii, ipso die *Ulrici*, matre quidem *Ursula*, Electoris Brandenburg. *Johannis* III. Filia, *Henrici* conjuge prima. Puer septem annorum sc. 1516. jam postulatus fuit *Episcopus Suerinensis*. (*b*) sed *Henricus* Parens Filio adhuc minorenni *Collegio Canonicorum* Juramentum præstitit, & administrationem Episcopatus ad annum usque ætatis *Magni* vigesimum tertium in se recepit. Majorennis factus *Magnus*, ipse reiterato Juramento, in realem Diœceseos Possessionem solenniter introductus, *Episcopus* proclamatus & confirmatus est. Hic Princeps ob insignem eruditionem merito magni faciendus, in tenera sua ætate literis optime imbutus, a *Conrado Pegelio* & *Arnoldo*, ab oppidulo quidem nativitatis suæ agri Angrivariorum more tunc recepto, Buren, *Burenio*, vero tamen gentis suæ nomine *Farvel* dicto, (utrisque postea Professoribus Academiæ Roztockiensis, qui posterior laudes quoque Episcopi *Magni* in funere ejus enarravit) Latinam & Græcam linguam exacte didicit. In exarandis Epistolis Latinis ita promptus, ut ultra *centum Epistolas varii generis* in adolescentia sua ad Ducem & studiorum suorum quondam Formatorem charissimum, *Conradum* illum *Pegelium* nitidissimo stili acumine & sua manu scriptas dederit. (*c*) Oratore autem ei haud opus erat, cum in hoc genere ipse quoque plurimum valeret, ac festinanter, quasi parvis momentis orationem elegantem & conscripserit, & ex tempore consulto dixerit. Ita namque anno 1530. in Comitiis Augustanis, nomine Statuum Evangelicorum coram Cæsare *Carolo* V. & Rege *Ferdinando* inque cæterorum Imperii Principum corona, publice ac memoriter recitavit Orationem & latino & germanico idiomate tanta oris & ingenii commendatione, ut Cæsar non admiraretur modo, sed & eandem postea repetendam cuperet, eique pulvinar holosericum juberet substerni, quo genubus inniteretur commodius. (*d*) Tertio autem anno post adhuc adolescens, Vinariæ, quo præsente Amitino, *Johanne Friderico* Saxoniæ Electore, in cujus Aula tunc temporis vivebat, Legatos Pontificis *Clementis* VII. & *Caroli* V. Cæsaris, qui tunc utriusque deliberationes de Synodo congreganda ad laudatum Electorem, & reliquos Imperii Status deferre volebant, oratione concinna latina mense Julio anno 1533. excepit, (*e*) hinc etiam jure meritoque illa ætate *Principum eruditorum facile princeps* habitus fuit, quemque propterea *David* ille *Chytræus* alibi *Principem* omnium, qui eo tempore *in Germania* vixerunt, *Literatissimum* appellavit. Quanti & hunc Principem fecerit *Philippus Melanchton*, communis ille Germaniæ Præceptor, satis declarat ipsius ad eundem data Epistola (*f*). Pietatis præterea Doctrinæ ac Religionis studio inprimis excelluit *Magnus* noster, (*g*) multoque superior fuit *Johanne* illo *Theologo* Duce Mecklenburgensi, *Knese Janeke* vulgo per ignominiam dicto, decimo loco in familia eum antecedenti, utpote Tritavi sui Paterni *Alberti* I. Pro-Avo, quem Parisiis *insignibus Doctorum Theolo-*

(*a*) Scrip. Acad. Rozst. Publ. p. 386. b. seq.
(*b*) Theatrum Geneth. Henningii. Chron. Duc. Meg. Calovii f. Mylii.
(*c*) Chytræus in Oratione funebri in *Elisabetham* prius *Magni* hujus, post *Ulrici* Ducis Mecklenb. Conjugem habuit Calovii f. Mylii Chron. Duc. Megap. *de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.*
(*d*) Chemnitius Epitome Genealogico Historica.
(*e*) Chytræi Chron. Saxon. Lib. XIII. p. 398.
(*f*) Melanchth. Epist. a Peucero edit. p. 169.
(*g*) Chytræus in Oratione funebri, Elisabethæ conjugi Magni, dein & Ulrici anno 1586. d. 23. Nov Gustrov. habita.

giæ ornatum esse, (*h*) Maresealcus noster supra annotatum reliquit. (*i*) Magno etiam hunc *Magnum* Principem Emendationis Ecclesiasticæ studio flagrasse, præsertim in Diœcesi, cui Episcopus præerat Suerinensi, ita ut Amitini sui *Johannis Friderici Magnanimi* Electoris Saxoniæ consilium anno 1538. propterea imploraverit, Illustris *Seckendorffius* testatur. (*k*) Quamvis autem summopere amaverit juveritque purioris Doctrinæ Professionem, noluit tamen in Episcopatum illum suum Suerinensem, renitentibus Canonicis, eam per vim introduci, quod jure jurando esset adstrictus, ut Jura & Privilegia ordinis illius sarta tecta conservaret. (*l*) Quam religiosus insuper *Magnus* noster erga Parentes, quos debito amore & honore prosecutus est, fuerit, satis declarat Optimi Parentis Elogium, quod Filio mortuo tempore Funeris tribuit. Conquestus enim est *Henricus* Parens non sine summo animi dolore, *se amisisse Filium, a quo nulla re unquam esset offensus.* (*m*) Cumque ipsi tanquam *Episcopo Suerinensi* ex Literis Papalibus Martini V. s. *Bulla Fundationis Academiæ Roztockiensis*, *Cancellarii* quoque officium ac Dignitas Academiæ Roztockiensis simul adjuncta fuerit, cujus quidem a fundatione, *Magnificentissimus Academiæ* illius *Cancellarius ordine XI.* extitit, summo hinc amore ac propensione clementissimo suæ Potestati Episcopali subjectam Academiam istam Roztockianam, quoad vixit, semper quoque amplexus est, quam suo tempore fere collapsam, ac Professoribus vel penitus desolatam, a studiorum suorum ac Morum Formatoribus *Pegelio* & *Burenio* cum inaudivisset Noster, statim omni cogitatione curaque in eam rationem incubuit, quo pristinum celebritatis decorem ea iterum adipisceretur. Unde Serenissimum Parentem HENRICUM potissimum instigavit, ut una secum & Patrueli suo *Johanne Alberto* Duce Mecklenb. Restaurationem Academiæ istius susciperent, de cujus tamen Restaurationis negotio feliciter peracto pluribus egimus in *Antiquitatibus nostris Roztochiensibus s. de Urbis & Academiæ Roztockiensis Historia* (*n*) propediem Deo annuente edenda. Cæterum *Magnus* noster, inter Episcopos Suerinenses, quorum a prima illorum constitutione A. Christi 1160. ad annum 1516. quo ipse Episcopali dignitate ornatus, XXXI. scil. secundum computationem M. *Bernhardi Hederici, Chronici Suerinensis Auctoris*, qui a *Bennone* initium facit Episcoporum Suerinensium; rectius tamen secundum *Crantzium* & *Chytræum*, qui *primum Suerinensis Diœcesis Episcopum* numerant *Johannem Scotum*, petente S. *Gotschalco*, Vandalicæ Gentis Principe Christiano, ab *Alberto* Archiepiscopo Bremensi, Imperatore *Henrico* IV. regnante, in urbe tunc ampla & copiosa Mecklenburg an. 1062. Episcopum constitutum, cui die 10. Nov. anno 1066. a Vandalis crudeliter necato, post LXXXIV annos sub *Conrado* III. Imperatore, alterum Episcopum *Eberhardum*, & paulo post tertium Episcopum *Bennonem* s. *Bernonem* successisse, huncque tamen post deletam in Bellis Vandalicis Urbem Meckelnburgam ab *Henrico Leone*, translato ab eo post conditum ibi Templum insigne cathedrale Episcopali sede Suerinam circa annum Ch. 1168. Primum Suerinæ Episcopum fuisse, XXXIII. numerantur. (*o*) Primus omnium fuit, qui Papali jugo a se dejecto, conjugii sociam sibi elegerit (*p*) *Elisabetham*, Regis Daniæ *Friderici* I. & *Sophiæ* Pomeranicæ Filiam, Heroinam virtutibus & ingenio maxime decoratam, qua cum matrimoniale fœdus indissolubile iniit 1543. & quidem conjugium hoc pacatum & tranquillum, sed sterile fuit & infœcundum, atque in septimum tantummodo annum productum: (*q*) Nam cum Justitiam, clementia temperatam, mirifice semper administrasset & omnes boni in Patria, summam de illius pietate, virtute, prudentia, bonitate, justitia, & in literas munificentia, expectationem fovissent; ecce ineunte anno 1550. Calend. Februar. præter omnium opinionem, summo cum Parentis & Sereniss. conjugis subditorumque omnium dolore & luctu, ante Patrem, Buzovii ex hac vita evocatus est, Doberani apud Majores tumulatus; laudatus oratione, uti jam supra dixi, funebri a Præceptore quondam suo *M. Arnoldo Burenio*. *Johannes Bocerus* (*r*) vocat hunc Principem sui ævi *doctissimum*, & tale ipsi scripsit Epicedium.

Addite Thespiades ferali munera Busto,
Aonias violas, Aoniasque rosas.
Hic Sacer Antistes, vestri decus ordinis altum,
Et recubat Patrii gloria prima soli.
Vos primum gelida coluit Dux iste sub arcto,
Ingenioque gravi contulit omne decus.
Vos unus meritis, & magno vexit honore,
Spes ingens, vestri præsidiumque chori.
Ergo nec immemores, venturis demite Seclis,
Laudibus & tantum ferte sub astra Ducem
Inclyta cui virtus, nullis delebile Seclis,
Et pietas toto nomen in orbe tulit.
Ille suo major succrevit tempore Præsul,
Deditus ingenuis artibus ille fuit.
Sic unquam nemo studiis addictus honestis
Pieria tantum cepit ab orce decus.
Quicquid habet Sophiæ cultis gens Itala libris,
Calluit, illustris Græcia quicquid habet.
Nec rudis æthereæ Princeps fuit iste Mathesis,
Et Cœli varias noverat ille plagas.
Et vigili causas scrutatus mente latentes,
Naturæ prægnans inspiciebat opus.

Civi-

(*h*) Idem Epist. ad Christianum Marchionem Brandenb.
(*i*) Maresealcus Annal. Herul. ac Vandalor. Lib. 5. cap. 1.
(*k*) Seckendorff. Hist. Lutheran. Lib. III. Sect. 17. §. 66. n. 16.
(*l*) Hederici Chron. Suerinens.
(*m*) Burenius Orat funebr. Magno habita.
(*n*) Antiquitat. Rotzstock. s. Histor. de Urbe & Academ. Rotzstock. MSCt. Lib. I. c. IV.
(*o*) Heder. Chron. Suerin. Alberti Cranzii Metropol. Chytræi Metrop. s. continuat. Hist. Metrop. Cranzii.
(*p*) Chron. Ducum Meg. Calov. s. Mylii. Chron. Suerin. Hederici. Chytræus chron. Saxon. Lib. XV. p. 464.
(*q*) Chytr. Chron. Saxon. p. 494.
(*r*) Johannes Bocerus de Origine & Rebus gestis Ducum Megapolensium Lib. III.

Civiles etiam tractavit idoneus artes,
Et fuit ingenio, judicioque potens.
Quin etiam potuit Latio sermone disertus,
Imperii summos sæpe movere Duces.
Illius, ah, Frater ceu pulchros corporis artus,
Munere natura nil renuentis habet.
Sic utinam vivax solerti mente vigeret,
Flecteret & sensus recta Minerva rudes.
At quæ Sors dederit, feliciter exigat annos,
Nempe manent magnos & sua fata Duces
In Patria MAGNUS dum primis concidit annis,
Incusans triplices flevit Apollo DEAS
Et charis, & doctæ flentes exangue sorores,
Funus Acydaliis involuere rosis.
Pegaseique sacros addebant fontis odores,
Livori rabiem denegat ille liquor.
Est & Epitaphium Duci *Magno* nostro Doberani in Templo erectum, quod hoc est:

IN MEMORIAM SEMPITERNAM INCLYTO HEROI DOCTISSIMO, OPTIMOQUE PRINCIPI ET DOMINO, DN. MAGNO DUCI MEGAPOLENSI, HENRICI FILIO, ET SUERINENSI EPISCOPO, QUI ANNO DOMINI MDL. Calend. Febr. BUTZOVII pie obdormivit.

EPITAPHIUM.

Doctrina Proavis, nulli virtute secundus,
Et Megales, Poleos Dux Tumulo hoc tegitur.
Nomine MAGNUS erat, re major at ille futurus,
Improba mors saltem si voluisset, erat.
Acer in asserto constans & pectore verbo,
Et veræ viguit relligionis apex.
Et pudor & probitas & dulcis gratia morum,
Certatim donis hunc poliere suis.
Eloquio *Nestor*, felicis acumine mentis,
Dulichio valuit non minus ille sene.
Imperii proceres facundæ munere linguæ,
Aures & mulsit CAROLE dive tuas.
Judicium, Pietas, & rebus in omnibus ardens
Virtus, & Patriæ constituebat amor.
Illius ex alto Cimbrorum sanguine conjux
Edita, *Friderici* Filia Regis erat.
Quæ MAGNUM, veluti generosum Porcia Brutum
Humectans lacrumis *Elisabetha* suis.
Condidit huc vita functum, cinerique quotannis,
Ut bene sit, votis officiosa rogat.
Illius occasu quantum Meglaburgica damni
Stirps tulit, extincti candida fama docet.
Extremum moriens solum te, Christe, vocabat,
Cujus in optata jam cubat ille sinu.

ELISABETHA, inclyti Danorum Regis *Friderici* piæ memoriæ, Filia, conjugi suo dilectissimo, optimeque merito, in spem futuræ resurrectionis, plena lacrumarum, posuit.

Huic etiam Duci MAGNO sequens Epicedium ab Academia Rotzstochiensi scriptum fuit. (a)

ELEGIA DE MORTE INCLYTI PRINCIPIS, MAGNI, Ducis Megalopyrgensis &c. qui obiit die 28. Januarii Anno 1550.

Balthica Saxonicos spectant ubi littora campos
Ambit & Arctoam flexibus æquor humum.
Albis ad Occiduas, Eoas Trebela ad oras,
Ampla Lycaonii terminat arva soli.
Quæ Ducibus parent præclaris subdita, magnos
A Pyrgo quorum est nomen adepta Domus.
Quos genus a priscis constat deducere Cimbris,
Ausonios toties qui petiere Duces.
Imperii placidas ibi nunc moderatur habenas
HENRICUS Patriæ, Marte Togaque Pater.
Cujus fama bonos inter clarissima vivit,
Quo nunc Justitia Principe nemo prior.
Utque refert Pylii venerandos Nestoris annos,
Sic par ingenio consiliisque viget.
Illius ampla etenim memorantur flumina Linguæ,
Et junctum augusta cum gravitate decus.
Fœlicem, si non turbaret pectora luctus,
Jam novus, & premeret justa querela senem:
Immiti natum postquam sibi funere raptum,
Solamen senii luget abesse sui.
Qui MAGNI claris nomen virtutibus æquans,
Summa fuit Patriæ fama decusque suæ.
Cui dabat eximiam vivo sapientia laudem,
Principibus qualis debet inesse bonis.
Cui sua certatim castæ præconia Musæ,
Et Laurum capiti sæpe tulere suam.
Ingenuas etenim doctus bene calluit artes,
Quicquid & in studiis Pallas amare potest.
Nec facunda illi deerat quoque gratia linguæ,
Seu Grajo mallet, seu Latio ore loqui.
Adde quod & studiis jungebat Sacra profanis,
Illius & Pietas pectoris ardor erat.
In Patria spargi, dicebat, semina veræ
Doctrinæ, res est, Principe digna Viro.
Nec vi, sive minis, nec cæde regebat avita
Regna, nec ante æquis legibus arma tulit.
Sed Pietas munus quodcunque domestica poscit.
Civibus id vere præstitit ille suis.
Ergo Patri desiderium pergrande reliquit,
Quem luget, charum Nestor ut Antilochum.
Flevit ut Evander tristi Pallanta relatum
Ex pugna. Peleus ceu bonis Æaciden.
Illius Arctoo queritur gens sparsa sub axe.
Stamina posterius non potuisse trahi.
Ipse etiam lacrymis Patriæ jam tristibus auctus
Albis in Arctois plenior errat agris.
Quis præstantis enim non fata queratur adempti
Principis? hic lacrymis quis neget esse locum?
Extinctis Pietas quæ debet, præstat amicis,
Mœret & ad tristes officiosa rogos.
Nec quisquam casus fert hos patienter acerbos.
Pectora ni glacie frigidiora gerat.
At quid corda nimis juvat attenuare dolore,
Questibus aut tandem non posuisse modum?
Assiduis reddi vitæ, spes nulla, querelis
Extinctos magnum judicii ante diem.
Parce piis lacrymis, parce illustrissime Princeps,

(a) Script. Acad. Rotzstoch. Publ. p. m. 383. b. seqq.

Fortiter in luctu discе tenere modum.
Humanæ subeat sortis meminisse, DEUM que,
Ceu fas, non contra fletibus ire velis.
Te potius decuit vatum gaudere periclis
Exemptum, vita jam meliore frui.
Nam si fata pios, post ultima vivere vere,
Inque Beatorum credimus esse sinu.
Jam loca cœlestis Patriæ meliora frequentat
MAGNUS, & in magna pars quotacunque Schola.
Qua Christum fragilis coluit, quem tempore vitæ
Jam præsens Sanctos inter adorat Avos.
Interea tua, ceu debes, spe damna levabis,
Hinc Nati donec fata sequere tui,
Tunc Tibi per sacrum venerandos æthera Reges
Et claros, dabitur, posse videre Duces,
Jessæum nitida vatem spectabis in Aula,
Ante salutiferum plectra movere DEUM.
Pone sequi Regem cernes, qui Idola DEORUM
Serpentisque olim sculptile fregit opus.
Et quos præterea pietatis nomine claros
Non dubia in Superis vivere fama refert.
Quos inter Nati nitida Tibi in Arce recepto
Dulce erit aspectu colloquioque frui.
Ibi JOANNI, cui ceu generosus Achates
Junctus erat, forma splendidiore comes.
Saxonicis placide qui præfuit urbibus olim,
Pacis, & assertæ relligionis amans.
Inde erit affari FRIDERICUM summa voluptas,
Danica cui socero subdita terra fuit.
Prætereo nostri claras Heroidas ævi,
Deque tua, Matrum nomina multa, domo.
Cur nimis ergo juvat lamentis ora rigare?
Luctibus an flecti ferrea fata queunt?
Vota DEO sunt grata magis, magis expetit ille,
Pro lacrymis querulo quas damus ore preces.
CHRISTE pio orbatas, & caro præside gentes,
Ne tamen auxilio destituisse velis.
Da Patriæ Pacem, vindex fera discute bella,
Et mala per celeres publica sparge Notos.
Littore in Arctoo fac parva Ecclesia nidum,
Tempore brumali possit habere suum.
Ne tua Parrhasio Doctrina sepulta sub axe,
Amplius in Patria non Regione sonet.

Cap. III.

De Alberto Pulchro, Duce Megapolæo.

ALBERTUS VI. *Magni* Patruus *Magni* III. Filius & *Henrici Pacifici* germanus, natus Gustrovii anno 1486. ipso die Jacobi, simulque cum Fratre imperium sustinuit (*a*); *Princeps inclytus, pius, prudens, nec tantum illustribus animi dotibus conspicuus, sed & ea corporis proceritate, forma, ac robore, ut nullus in toto imperio ejusdemque Comitiis, quæ frequenter visitare solitus est, heroica corporis majestate augustior ac pulchrior visus sit* (*b*). *Unde* & nomen sortitus est *Formosi*. In imperio Romano tanta insuper ipsius fuit dignitas & autoritas, ut *Carolus V.* Imperator Augustus, aliique Imperii Principes ob singularem ipsi a Deo concessam felicitatem summo etiam amore & benevolentia singulari, Eum sint prosecuti. Qui cum anno 1531. in Coronatione *Ferdinandi I.* Romanorum Regis Aquisgrani ad Imperatoris *Caroli V.* Regisque *Ferdinandi mensam structoris* in se suscepisset *officium*, *Archi-Structoris*, hinc *Romani* Imperii Titulum, peculiari ipsi dato diplomate a Cæsare Augusto *pro se & suis Successoribus* tunc consecutus est, quod adhuc hodie in Tabulis Archivi publicis Sverini asservatur. Et nostrum quoque *Albertum*, Elector Saxoniæ *Fridericus*, dignitatem Imperatoriam repudians, Collegio Electorali suo voto fertur commendasse. Hic *Albertus*, cum Fratre *Henr. Pacifico* Terras Veterum Herulorum ac Vandalorum conjunctim regens, anno 1509. indulgente Papa Romano, *Monasterium ordinis Franciscanorum* in urbe Gustrovia ad ædem S. cruoris exustam, condere cœperunt, quo tanto magis pristinæ religioni suæ restitueretur locus ille, & ne in illa urbe, intra decennium triplici igne vel penitus conflagrata, cleri ibi opibus valentis potestas tacitis incrementis in rei civilis detrimentum augesceret, qui in agris, pratis, hortis fundisque indigentibus civibus largiter pecuniam collocaverat, Duces nostri severo interdicto anno 1512. prohibuerunt *ne quis clericorum amplius inconsulto vel improbante Senatu Oppidano ullam locaret pecuniam, apud cives in ædibus, agris, pratis, ac hortis, nisi omnis & locatæ sortis & oppositi pignoris jacturam facere vellet.* Quamvis *autem Albertus Dux* communem cum Fratre *Henrico* Terrarum Mecklenburgicarum potestatem ac Jurisdictionem gereret, *Henricus* tamen Frater plurimum Rempublicam universam solus pacate moderatus est, *Alberto* vel semper peregre absente, partim in Aula *Ferdinandi* I. Regis Romanorum, partim etiam in magnorum Principum quæ sequebatur, castris; (*c*) hinc est, quod Fratri etiam *Henrico* fere soli *Reformationis Ecclesiasticæ negotium in Ducatu Mecklenburgensi universo*, curæ cordique fuerit, qui omnes suos industriæ nervos, insigni tamen cum moderatione & prudentia, eo contendit, ut abolitis Pontificiorum dogmatibus sacra a scoriis Traditionum humanarum redderentur perpurgata, ac puriora, atque ad divinæ veritatis amussim exactiora. Qui autem catholicæ Religioni ad ultimum usque vitæ suæ halitum semper addictus erat, Dux *Albertus Pulcher*, non quidem a prudenti, & omni moderatione in Ecclesiis Ducatus universi a Fratre susceptа Reformatione omnino abhorruit, neque censuram Ecclesiasticam a *Luthero* institutam prorsus improbavit, attamen in Gratiam *Ferdinandi Regis*, nonnunquam Fratri meliora jubenti remoram injecit ac impedimento fuit non uno, hinc tardius processerunt omnia Reformationis negotium concernentia, notante hoc illustri *Seckendorffio* (*d*) his quidem in verbis: *In Ducatu*, scribit,

(*a*) Chron. Calovii f. Mylii.
(*b*) Weinrichii Idea Boni Princip. p. 47.
(*c*) Chemnitii Epitome Genealog. Duc. Mecklenb. Latomi Histor. Meckl.
(*d*) Seckend. Hist. Lutheranism. Lib. III. sect. VIII. §. 31. No. 1.

scribit, *Meckleburgensi Henricus Dux Evangelicæ Doctrinæ intentus, ab Alberto Fratre quem Ferdinandus Rex animabat, molestias passus est.* Sacrificuli namque, tenacius erroribus suis inhærentes admoniti & castigati, præsidium sibi quoddam, seu potius Asylum in *Alberto* Duce quæsiverunt ac invenerunt, & inde quasi cornua sumpsere repudiatis sanioribus consiliis, Optimus quidem hic Princeps *Albertus* papissans, alioqui videns meliora probansque, tamen ut ægre faceret *Henrico* præsertim Fratri, nostræ Religioni propensiori, qui a communibus cum Fratre publicis Regiminis negotiis vacuus, potissimum Gustrovii habitare, Aulamque suam administrare solebat, magis Gustroviensibus, quam passim aliis puriorem Evangelii Doctrinam invidit, literisque sæpius ad Senatum Populumque Gustroviensem datis severioribus, vetuit, admitti amplius in Templo, præsertim Parochiali, *Concionatores*, uti vocant *Martinianos*, & abstineri prorsus a rebus istiusmodi novis voluit. Sequentibus ast annis in absentia *Alberti* nostri, qui in militiam profectus erat, Ejus Frater *Henricus Pacificus* tunc quasi solus Reipubl. clavum cum tenebat, Religionis & Reformationis negotium qua Gustrovii, qua etiam in aliis Ducatus hujus locis ac urbibus longe felicius processit, cum nonnulli etiam ex ipso clero Romano illuminati, relicto Papatu, meliorem de se frugem promisissent. Anno 1535. pro liberando *Christierno II.* Daniæ Rege cum *Christophoro* Altenburgensi Comite a Lubicensibus præcipue invitatus, arma sumpsit *Albertus* noster Rotzstockio cum Gynæceo exiguis copiis militaribus adjunctis, Hafniam trajecit, Arcem Regiam obsedit atque occupavit. (*e*) Sed a *Christiano III.* Rege Daniæ nuper electo, gravissima totius Anni obsidione pressus, & a sociis ad *Christianum* deficientibus desertus, annona in urbe adeo deficiente, ut canibus & felibus famem sedare obsessi cogerentur, cum *Christiano* transegit, & in Megapolin rediit. Anno 1525. matrimonii vinculo sibi Berolini associari fecit Conjugem *Annam*, Electoris Marchionis Brandeburgensis *Joachimi I* Filiam, natam 1507. denatam 1567. d. 19. Jun. (*f*) ex qua Liberos utriusque sexus suscepit decem; *Magnum* Berolini statim post partum mortuum & sepultum; *Johannem Albertum, Udalricum, Georgium, Christophorum Carolum*, de quibus ordine infra agetur. *Annam* nuptam *Gothardo* Curlandiæ Principi, *Ludovicum* in obsidione Haffniensi 1535. natum, anno 1536. mortuum & sepultum; *Johannem* & *Sophiam.* (*g*) Ast ipse *Albertus* noster inter Emendationis Ecclesiasticæ Mecklenb. auspicia Suerini Catholicus obiit anno 1547. die 7. Januar. die 10. ejusd. Doberani Majorum suorum Funeribus associatus, fuitque Serenissimæ stirpis Mecklenburgicæ Propagator & Conservator felicissimus, cujus gratia & clementissimo permissu, urbs Gustrovia *jus cudendi Monetas* accepit, primumque nummum argenteum uncialem (*Reichs-Thaler*) cudi fecit anno 1538. qui & bonitate & antiquitate sua, nummos cæteros Mecklenb. valde antecedit, ac præter nomen & insignia Ducis *Alberti* ab alterutra parte refert hanc Epigraphen: *Moneta nova Civitatis Gustrovienſis* (*h*). De hoc *Alberto* sic olim cecinit *Joh. Simonius.*

Frater erat Dux *Pacificus:* mihi Martia cordi
Tympana: Danorum id Regia capta docet.
Testis Lubeca, armatas cui jungo cohortes,
Inque novum Regem fervidus arma fero.
Marchio septemvir præstanti corpore Natam,
Mi locat: at placidus post mala fata abeo.

Et iterum.

Nec Te carminibus præstans *Alberte* tacebo
Inclyte Dux animo divitiisque potens.
Quo Tua Te virtus, quo Te non impulit ardor
Ingenii, durus militiæque labor.
Militiæ teneris, qui castra secutus ab annis,
In belli numquam pectore visus erat.
Illustris, quando veteres ulciscitur iras,
Infert & Danico bella Lubeca solo:
Prælia vindicibus pro civibus induit armis,
Quo jacet undosis Hafinia pulsa vadis
Hic ubi difficiles tua dextera sustinet hostes,
Et patitur longas obsidione moras.
O funesta fames, o sors malefida, quid illic
Pertuleris, virtus, notaque fama refert.
Illic extremos libuit tolerare labores
Quam dare languenti turpia terga fugæ.
Hectora qui dextra, referebas corpore Fratrem,
Ornavit Dotes, gratia bina Tuas.
Et tua perpetuam meruit facundia laudem,
Suavior Hyblæo, sermoque melle fuit.
Hoc & nemo Tua vivebat gratior Aula,
Carole non ipso quem regis orbe minor.
Ejus & Imperii, magnos præsentia fasces
Auxit, ab illustri conspicienda Domo.
Ingenio felix, multis insignis & armis
Et virtute decus, posteritatis habet.

Cap. IV.

De Johanne Alberto Cognom. *Docto*, Duce Megapolæo.

JOHANNES *Albertus*, *Alberti* Filius, exeunte anno 1525. die 22. Decem. Suerini natus Patri in gubernatione Suerinensi successit (*i*). *Albertus* namque & *Henricus* Ditionem Megapolitanam simul tenebant, eamque paribus auspiciis fraterna utriusque benevolentia administrabant. Mortuo itaque *Alberto* Patre, initio anni 1547. inter Filios, quorum quinque vivos post se reliquit, cum Ditio angustior & tenuior, tot Principum sumptus sustinere non posset, pactione inita, sic conventum est, ut *Johannes Albertus* per decennium solus Ditionem Suerinensem a Patre relictam, administraret: (*k*) Quam conjunctam cum Patruo *Henrico Pacifico* Ducatus gubernationem susscepit.

(*e*) Chytræus Chron. Sax. p. 484. 420. & 421. Lib. XIV. Lipsi. in Fol. edit.
(*f*) Idem p. 285.
(*g*) Idem pag. 476.
(*h*) Remarqu. Hamb. 1704. p. 65. & 73.
(*i*) Chron. Suerin. Heder. Chron. Saxon. Chytr. Lib. XI. p. 338. edit. Lipsi. in Fol. de Anno 1593. semper citat.
(*k*) Id. l. c. p. 476. & Lib. XVII. p. 494

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Hic priusquam dispertire juberetur cum Fratre *Ulrico* Terras Mecklenburgicas, duo maxima & heroica ac Christiano Principe dignissima Opera effecit. Cum enim sub Patris regimine, Pontificiæ Religioni addicti, Ecclesiæ illius Ducatus passim minus recte constitutæ erant, passim Cœnobia omnia, & quædam etiam Canonicorum collegia, adhucdum multis erroribus atque abusibus Religionis Romano-Catholicæ erant conspurcata qualesque errores ac abusus insulsorum atque indoctorum Monachorum animis nonnisi obfusa caligo erant (*a*). Certam itaque & in Doctrina & in Ritibus totius Regiminis Ecclesiastici Formam (*eine Kirchen-Ordnung*) peculiari scripto comprehendi jussit religiosissimus Princeps, quam veluti communem ac unicam normam in suis Ecclesiis Docentes omnes sequerentur. Deinde etiam visitari ac inspici Ecclesias per delectos ex Consiliariis & Theologis, vid. D. Joh. *Aurifabrum* Theol. Profess. Rotzstock. Lic. *Johann Lucanum* Cancellarium Aulicum, *Johannem Ribelium*, Pastor. ac Superint. Parchim. *M. Simonem Leopoldum*, Secretarium, & alios, Gustroviæ primum, postea & Malchim, Neobrandenburgi & aliis in locis, & formam Doctrinæ, & Ritum ubique æquabilem institui, Pastorum ac Populi Doctrinam & mores explorari, & reditus ac ædificia Ecclesiarum restitui & conservari, *durch eine General-Kirchen-Visitation* curavit, quæ Visitatio generalis anno 1552. in æstate feliciter confecta est (*b*). Eo itaque pacto in Monasteriis atque Collegiis reliquiæ fermenti Pontificii ubique tandem expurgatæ fuerunt; accurate enim omnes ad præscriptam normam & formam Ordinationis editæ Ecclesiasticæ vivere tenebantur in Doctrina, Ritibus ac Moribus, nec ullus amplius in Ecclesiis Mecklenburgicis toleratus fuit, qui saniora & meliora respuisset Consilia.

Decedente Patruo *Henrico*, Dux *Johannes Albertus* vi pacti cum Fratribus initi, solus Ducatum per aliquot annos regere intendit, verum se opposuit Frater *Ulricus*, hinc gravis inter illum & Fratrem *Ulricum* orta est quæstio; *Udalricus* de gubernatione hujus provinciæ secum communicanda, & familia herciscunda, crebro apud Fratrem *Johannem Albertum* instabat; Illo autem *Pactum de Decennii totius Provinciæ administratione*, quæ sibi uni & soli, Patre *Alberto* mortuo, communi reliquorum omnium Fratrum accedente consensu esset tradita, opponente, res ad bellum devenire videbatur (*c*). *Ulricus* enim impetrato ab *Henrico* Duce Brunsuigiæ auxilio exercitu instructus, Fines hujus Ducatus ad Boizeburgum invasit, repetiturus a Fratre partis Ducatus gubernationem (*d*). Sed bello exitiali quod anno 1554. Regioni Mecklenburgensi bellum minabatur, amica interpositione *Johannis* Electoris Brandenburgici, & *Alberti*, Borussiæ Ducis *Johannis Alberti* soceri, *Provinciarium* item *Ducatus* humillima intercessione, placida Transactione sopito, ita inter Fratres Principes convenit, ut *Johannes Albertus* Aulæ sedem Suerinum, *Udalricus* vero Gustroviam occuparet, cum ante Buzovii domicilii locum habuisset.

De *Johannis* autem nostri *Alberti* educatione ut & quædam referam, Adolescens literis bene fuit infectus, usus Doctore, *viro insigni doctrina & facundia*, teste *Georgio Fabricio*, M. *Andrea Mylio* Misnensi, qui cum ob græcæ latinæque eruditionis elegantiam cum paucis suo tempore fuit comparandus, Principem quoque suum in utraque lingua ita instruxit, (*e*) ut vix sedecim annorum Juvenis, anno scil. 1542. summa cum laude in Academia Francofordiana ad Viadrum, supremum Academiæ Magistratum gesserit. Quantum vero ipse *Johannes Albertus* Dux & eruditione & dicendi copia elegantiaque valuerit, qui eum prompte non solum, sed & eleganter ac exquisite linguam præsertim Latinam dicentem audiverunt, Auctores sua ætate viventes omnes uno ore laudant ac celebrant. Cumque eum *Oratoria* facundum, *Mathesis* ingeniosum, *Jurisprudentia* politum, & *Theologia* sapientem reddiderat, vere hinc Cognomen *Docti* meruit. Ipse quidem Dux noster non solum Literarum & Literatorum fuit amantissimus, quorum amicitiam ambiit atque exambiit; sed etiam a Doctissimis ea tempestate florentibus viris magno potissimum in pretio semper fuit habitus: nam & *Philippus Melanchthon* Germaniæ communis Præceptor; & *Joachimus Camerarius* vir gravissimus ac Germanorum longe doctissimus; & *Georgius Fabricius*, cujus polita Doctrina extra Germaniam celebrata; & *Johannes Sturmius* vir eloquentissimus, & *Johannes Caselius* Socrates ille Saxonicus, non totius solum Germaniæ Ornamentum, sed etiam ex omni bonarum artium congerie collecta perfectio, Literis suis quam sæpissime nostrum *Johannem Albertum* salutarunt, ac cum illo quasi præsentes, locuti sunt. Ast nec Germani solum, verum etiam Itali Ducis nostri Doctrinam ac sapientiam ad cœlum quasi extulerunt. Maximi enim eum etiam fecit vindex Latinarum Literarum *Paulus Manutius* Romæ, antiquitatis item solertissimus Indagator *Carolus Sigonius* Bononiæ & veteribus Philosophis annumerandus *nobilis* Etruscus, *Petrus Victorius* Florentiæ. In Testimonium suæ erga Musas Benevolentiæ Dux noster *Johannes Albertus* Suerini Ludum illustrem 1553. aperuit, cujus Inaugurationi tunc Ducis nomine interfuere *Andreas* ille *Mylius*, antea Præceptor, nunc in Aula Consiliorum Arbiter, cor atque delicium Ducis, *Justus* item *Jonas* Filius, qui Orationes tunc habuerunt solennes; Huic Illustri Gymnasio accitis Viris Doctis a Misnia, *Matthias*

(*a*) Idem pag. 508.
(*b*) David Chytræus Chron. Saxon. ad annum 1552. Lib. XVII. pag. 508. B. Georgius Westphalius in Suerino Evangelio d. a.
(*c*) Chytr. Chron. Saxon. Lib. XVIII. p. 528.
(*d*) Joh. Simonius in vita Udalrici. Sleidanus in vita Udalrici.
(*e*) Georgius Fabricius Chemnic. Lib. III. Annal. Urbis Misnæ pag. 182.

thias Dabercusius & ipse Misnicus gnarus utriusque linguæ solers veterum Interpres, egregius Formator & stili & morum Juventutis, præfectus est. Et quod fecisse *Carolum Magnum* accepimus, cum Lutetiæ aliquando in mores atque studia Juventutis inquireret, ubi hanc regiam vocem edidit, *se non minus humillimum ornaturum, quam nobilissimum, præstantem sapientia:* Idem æmulatus *Johannes Albertus* descendit in illum, fortunatis plerisque spretum atque invisum Locum, ab eo apertum Ludum Suerinæum literarium sæpiuscule ejusque Rectorem *Dabercusium*, singularem formandæ Juventutis Artificem, sæpe convenit, Discipulorum profectus percontatus & Examinibus Scholasticis interfuit, nec quemquam indonatum dimisit, de quo spem integritatis & doctrinæ conciperet. Cujus quidem Laudatissimi Ducis egregium laborem ac propensissimum erga piam Juventutem in Ludo Suerinæo favorem, Celeberrimus suo tempore Poeseos Prof. Rotzstochiensis *Janus Bocerus*, sub nomine *Melibæi*, nitidissimis versibus sic cecinit: (*a*)

Hic *Melibæus* enim teneram Dux ipse Juventam
Excitat, ac habito pretiis examine donat.
Et cum labentis bis venit terminus anni,
Ille gregis, numis cumulatus, septa frequentat,
Audit & inter se teneram contendere pubem,
Nec mora, Victores deprompto munere donat,
Stant alacres animis juvenes & præmia captant,
Discendi & nullos attenta mente labores
Effugiunt, sociumque suum superare, decorum
Omnibus apparet, stimulis & gloria crescit.

Post acceptas anno 1556. die Laurentii datas ac impressas *supplices literas*, in quibus Restaurationem & Dotationem Academiæ nunc tandem, post pacatum inter Principes dissidium, curæ quam maxime habendam esse: decem rationibus Ducibus persuadere conati sunt, & quibus hi IV. Professores Rotzstochienses *Georgius Venetus*, *Tilemanus Heshusius*, *Jacobus Bordingus* & *David Chytræus* nomina sua subscripsere: Dux noster supra laudem positus, ad Academiæ Rotzstochianæ instaurationem ita sollicitus ac beneficus fuit, ut cum Literatorum Phoenice, magno illo *Caselio* (*b*), ejusdem potius Conditorem quam Instauratorem illum dicere posses. *Eam siquidem propemodum plane collapsam ex Cœnobiorum Doberanensis, Marienseensis* & Sonnenkampensis reditibus, consilio & monitu germani *Udalrici* Academiæ Cancellarii Magnificentissimi, *instauravit, eidemque annuos reditus aureorum ter mille quingentorum liberalissime assignavit. Ad Mensæ Studiosorum tenuioris fortunæ quam Communem vulgo vocant, instaurationem & conservationem, aliquot Coros frumenti ex Monasterio Doberanensi quotannis legavit* (*c*). Eloquentiæ denique ac Mathematum Studiis tantopere ductus fuit Dux noster eruditissimus, ut Nestoris suaviloquentiam æquaret, & omnes Stellarum positus, Planetarum motus, & universam corporum cœlestium rationem calleret exactissime, hinc etiam nonnunquam recreandi animi gratia noctu vehiculo insedit cum Mathematico insigni *Tilemanno Stella* Sigenensi, (quem a se non dimittebat Princeps, qui etiam in Aula quam in Academia vivere malebat) anno postea 1589. demortuo, astrorum positus contemplatus, eorundemque intuitu se se oblectare solitus est (*d*): Quam quidem literatissimi Principis nostri ἀστροφιλίαν, multis quoque Magnorum & Principum exemplis adductis laudibus extollit, Theologus pientissimus ac Polyhistor longe doctissimus *David* ille *Chytræus*, dum in quadam ad Musagetam „ nostrum Principem Epistola ita scripsit: *Quod „ Celsitudo Vestra inter ceterorum negotiorum „ moles, huic etiam pulcherrimæ Doctrinæ* de „ Motibus siderum *aliquid temporis tribuit: Ea „ in re & cultum acceptissimum* DEO *præstat, „ qui gratam de se famam in Astris* & Doctrina „ Astrorum *sparsit, & Principum, qui omnibus „ temporibus vixerunt, præstantissimorum Exem„ pla imitatur. Ideo Atlas machinam Cœlestem „ humeris suis sustinere scribitur, quia* globum „ ad similitudinem machinæ Cœlestis *fabrefa„ ctum* & Stellarum imaginibus insignitum *pri„ mus fabricavit. Ideo Orion* Rex Tanagræ in „ Boetia & Chiron Achillis *Magister* inter *sy„ dera relati sunt*, quia Doctrinam Astrorum „ *excoluerunt, & ad posteritatem propagarunt. „ Nec quisquam est, qui intuens omnium in Cœlo „ pulcherrima* Sydera Orionis & Chironis *non „ mirifice illorum Principum recordatione dele„ ctetur.* Julio Cæsari *hanc* anni formam, *qua „ nunc* utimur, *commodissimam & facillimam „ debemus, qui quidem apud* Lucanum *prædicat,* „ se media inter prælia semper, stellarum cœli„ que plagis superisque vacare. *Postea* Augu„ stus, Theodosius, Fridericus II. *Imperatores „ &* Alfonsus *Lusitaniæ Rex hæc Studia excita„ runt & foverunt. His laudatissimis Princi„ pibus Tuam quoque Celsit. a posteritate annu„ merari, summum decus erit.* Ad Regimen quod attinet; piæ ac laudatissimæ memoriæ Dux noster Serenissimus *Johannes Albertus* Gubernationis suæ initia DEO veroque ejus cultui consecravit, statim enim Idololatricos Papistarum cultus in Ecclesiis sui Imperii abrogavit: Ossa quæ sanctorum esse impudenter dicebantur, & propterea ab imperita plebis multitudine sine judicio in superstitiones & idololatriam ruente, adorabantur, ut terram, terræ mandari curavit: cruorem qui falso & impie pro Christi sanguine, illis qui undique ex omnibus regionibus etiam longissime dissitis, maximo numero confluebant, Suerini monstrabatur, & adorandus exhibebatur, contrivit, & in nihilum redegit. De qua *putatitia sanguinis Christi*

(*a*) Janus Bocerus in sua de Suerino Ecloga.
(*b*) Caselius in Epist. ad Henning. Arnisæum.
(*c*) D. Simon Pauli in Programmate funebri indictivo ad audiendum Epicedium M. Nathanis Chytræi nomine Academiæ in honorem B. Ducis Johannis Alberti scriptum. Weinrichius Idea Boni Principis p. 49.
(*d*) Caselius in Epist. ad Henningum Arnisæum.

Christi Gutta miraculosa, ut hoc obiter addam, præter *Marescalcum* (*a*) nostrum ita scribit *Hottingerius* (*b*) *Donaverat illam sanguinis guttam seu potius* cinnabaris grumum jaspidi inclusum (*Hederico non Jaspidi* sed Crystallo inclusus fuit sic ita dictus hic sanguis) *Collegio* in *Templo Suerinensi* Henricus *Comes Suerinensis* Guncelini *Filius*, *magni Thesauri loco acceptum a Legato* P. P. (*c*) Pelagio, *Cardinali Albanensi*, *cum inter ceteros viros militares* Henricus, *ad recuperationem Urbis Hierosolymæ profectus*, *egregium virtutis & fortitudinis specimen edidisset*, quod *singulari præmio ornandum esse*, Legatus censuerat. Is sanguinis grumus, *singulis diebus veneris certa hora monstratus*, *aperire se & in tres partes diduci*, *ac rursus coire spectantibus videbatur. Quare in magno hominum concursu annos amplius trecentos cultus est.* Ad quam quidem amœnissimam & insignem Episcopatus olim, nunc Ducis Mecklenburgici sedem, ejusque Templum ibi, in hunc usque diem Cathedrale, Papatus tempore indulgentiis, ac variis Sanctorum Reliquiis ditissimum, in primis autem, de quo jam diximus, *miraculosa sanguinis Christi gutta*, inclytum, propter innumeros alios, Gentiles etiam meos Lubicenses, suas olim instituisse peregrinationes votivas Agnatus meus ac Compater honoratissimus Polyhistor ille celeberrimus, summe Reverendus Dn. *Jacobus a Melle* Pastor Marianus ac Reverendi Ministerii Lubicensis hodie Senior, Auctor est. (*d*) Quam quidem religiosam peregrinationem non sine magno pretio peragere voluerunt homines ultra pietatis leges simpliciissimi. Clerici namque ad confluentem ibi hominum turbam quotannis III. Nundinas instituerant, & qui vel curiositate, vel promissione, ipsis a fraudis & astutiæ plena nec non marsupia Laicorum emungendi unice in hiante Detnosorum grege nescio quam panaceam adversus omnia mala ab hoc Sanguine promissam, ducti, Sanctas Sanguinis reliquias adoratum affluxerunt, eorum unusquisque pro videndi copia, corporis sui pondus muneribus exæquare tenebatur, cum & inopes argenti loco, varii generis cibaria, butyrum, lardum, & similia ad corporis cujusque pondus erogare debuere, quem in finem Libra in Cathedrali Templi illius Suerinensis circuitu boream versus etiam pependit; de qua Monachorum nunquam approbanda nundinatione, eorumque cum hoc ficto Christi Sanguine instituta idolomania justo Zelo accensus, ad Annum 1533. ita scribit *Nicolaus Gryse in Historia* von der Lehre, Leben und Todt *M. Joachimi Slüteri* ersten Evangel. Predigers zu Rostock ex inferioris Germaniæ idiomate in superioris Germaniæ sermonem a me translatam. „ *Viele Abgötterey hat man im abergläu-*
„ *bischen Pabstum mit dem vermeynten Heil. Blut*
„ *damahls allenthalben, auch bey uns in den be-*
„ *nachbarten Orten getrieben, nicht alleine zu*
„ Wilsnack *und zu* Sterneberg, *sondern auch zu*
„ Schwerin, *da die geistlose verblendete Fischer*
„ *und Abgotts-Diener des Antichristischen*
„ *Pabsts, haben durch solche und dergleichen vom*
„ *Teuffel geknottete* (*gestrickte*) *Geldnetze, die*
„ *weltlichen Güter an sich gefischt, und allenthal-*
„ *ben die vielen Opfer von allen Orten an Gelde,*
„ *Korn, Wachs und Flachs, und andern Gaben,*
„ *heuchlerischer weise zu sich gelocket, und an sich*
„ *gebracht. Die Papistischen Diener zu der Zeit*
„ im Thumb zu Schwerin *haben denen, so dahin*
„ *gewallfahret seyn, auss denen Päbstlichen Bullen*
„ *und Bischöfflicher Gnade viele Ablass-Gnade*
„ *zugesagt, und unter andern, wenn sie* das
„ vermeynte Blut *daselbst den Leuten gewiesen,*
„ *haben sie gesprochen:* Liebe Freunde,
„ das ist das Blut JEsu Christi am heiligen
„ Creutze vergossen &c. Dasselbe ist in
„ diesem alten Jaspis, welches einem Gra-
„ fen von Schwerin umb sonderlicher An-
„ dacht willen zu einer herrlichen Gabe von
„ einem Cardinal mit Namen Pelagio vereh-
„ ret. Dabey grosse Wunder geschehen sind &c.
In primis autem circa Reformationis Ecclesiasticæ apud Suerinenses initia sanguinis hujus ficti causam vehementer egerunt Pontificii, hortatorias literas undique dispergentes, ut pie & reverenter hæc sacra haberentur, nec ab Hæreticis Lutheranis hanc superstitiosam pietatem parvi pendentibus, quisquam se pateretur seduci. Verum enim vero quæ in diuturna obscuritate latuerat Monachorum fraus, aperta primum fuit ab Aurifabro, qui recluso Jaspide, materiam inclusam diligenter inspectam, *Draconis sanguinem* esse deprehendit, (*e*) quam occultam & quasi involutam hactenus Pontificiorum fraudulentam inductionem statim peculiari Libro: Von dem falschen Blut und Abgott im Thum zu Schwerin *cum præfatione ipsius Megalandri Lutheri anno 1533. per Nicolaum Schirlentz in 4to* impresso solide discussit ac dilucidavit. (*f*) M. *Aegidius Faber* Ecclesiastes tunc Sverinensis, *wodurch also solche Papistische Büberey* (verba sunt laudati supra Dn. Gryse i (*g*):) *geoffenbahret, und jedermann vor Augen gestellet, dasselbige böse Blut gestillet ist, und des Pabstes darzu gegeben Ablass-Brieffe ausgemustert*, (*abgeschafft*) *seynd.* Factum hinc est, ut, cum cucullatorum illa cohors vel sponte tunc abiret, vel auctoritate Ducis nostri *Johannis Alberti* regentis dimitteretur; cum ipso Sanguine Libra etiam, quam dixi, & cupæ, in quibus cibos sanguine emtos reposuerunt viatores religiosi simul quoque fuerint

(*a*) Mareschalcus Annal. Herul. ac Vandal. Lib. V. C. IV.
(*b*) Hottingerus Histor. Eccles. N. T. Part. V. secul. XVI. p. 674. seqq.
(*c*) Chytr. Chron. Saxon. p. 379. Lib. XIII. Hederic. Chron. Suerinens. Kopkenius de Megapoli fabulosa. D. Georg Westphalus in Suerino Evangelico, ibique Aegidii Fabri Liber de S. Sanguine Suerinensi.
(*d*) Melle de Itineribus Lubecensium Sacris s. de Religiosis & votivis eorum peregrinationibus p. 106. & 107.
(*e*) Flacius Catal. Test. Verit p. 1025.
(*f*) D. Chytræus Chron. Saxon. Lib. XIII. p. 379. edit. Lipsi. in fol.
(*g*) Nicol. Gryse l. c.

fuerint combustæ, cui combustioni & fractioni vasorum, Provisor *Hartmannus*, qui ad partes Evangelicorum transierat, egregiam operam ac studium suum navavit, & ipse *D. David Chytræus*, qui huic Reformationi Aedis Cathedralis Sverinensis & combustioni Idoli Papistici præsto erat, inter solennia ex mandato Principis, *de serpente ab Ezechia Judæorum Rege destructo*, orationem latinam tunc habuit elegantem ac piam. Factum hoc Anno 1552. Pastoribus Sverinensium Evangelicis jam constitutis *Kinckenbitero* & *Rottmanno*. (*a*) Hæc de cruore, qui falso & impie pro Christi sanguine habitus, Sverini olim monstrabatur, ac adorandus exhibebatur, cujus idololatricum cultum, uti jam fuit adductum, Anno 1552. penitus abrogavit cruoremque in nihilum redegit *Ezechias* noster Mecklenburgicus *Johannes Adolphus*. Ast in hoc non quievit pientissimi nostri Ducis pietatis zelus ac documentum, nam & *Hostiam* quoque *consecratam* (sic enim panem consecratum Papistæ tum appellabant) cruore tinctam, propterea, quod ab infinita hominum multitudine contra verbum DEI pro Christo habebatur & colebatur, in Oppido *Sternberg*, sustulit, & ut absumeretur, præcepit: (*b*) Veram insuper doctrinam de Domino & unico Servatore nostro JESU CHRISTO, Ministerio divini illius *Lutheri*, a fœdissimo sordidissimoque Papistarum impietatum & blasphemiarum cœno repurgatam, in omnibus sui Ducatus Ecclesiis doceri mandavit, ejusque *Summam, in certa capita erudite distributam, & pie luculenterque juxta Scripta Prophetica & Apostolica explicatam*, quæ *comprehensa extat in Libro Legum Ceremonialium Ducatus Megapolensis anno 1552.* edito subditis suis, omnibus publice proposuit. (*c*) Quidquid etiam *Henricus* Patruus ejus in religione pie & recte instituerat, ratum omnino habuit, ac ulterius in effectum produxit. Ad abolendum monstrum illud Interim in Comitiis Augustanis Anno 1548. ab Imperatore *Carolo* V. Protestantibus Imperii ordinibus obtrusum, confœderatus cum *Mauritio* Electore Saxoniæ, aliisque Imperii Principibus, bellum, pro defensione communis Patriæ, Religionis orthodoxæ, & libertatis ac salutis publicæ, justum ac necessarium suscepit. (*d*) Quo bello omnes Ecclesiæ, veram Evangelii doctrinam amplectentes, ex Synodi Tridentinæ & tyrannidis Pontificiæ faucibus ereptæ sunt; libertas Germaniæ, oppressa fere, recreata; Ecclesiis pax firma restituta; *Johannes Fridericus* Saxoniæ Dux & *Philippus* Hassiæ Landgravius captivi ex quinquennali custodia liberati. Maxima hæc & Heroico & Christiano Principe præcipue digna opera in principio Imperii simul fere suscepit, ac feliciter perfecit. Ad dissolvendum æs alienum, quo Provincia Megapolensis tunc temporis gravabatur, quod solvendum in se receperant Provinciales, ACCISÆ aliaque extraordinaria onera, incolis harum Regionum hactenus ignota, adinventa sunt civibusque imposita. (*e*) Constitutus a *Maximiliano II.* Cæsare Commissarius ad componendas discordias Senatum inter Rotzstochiensem & Cives ortas, Civitatem partim vi, partim nomine Cæsareæ Majestatis exterritam, & sævissima peste labefactatam, occupavit; Rotzstochienses pacem æris vi maxima redimere, & sumtus ad expeditionem illam eorum causa susceptam impensos, restituere coëgit. (*f*) Post interveniente Cæsare controversia hæc tota transacta est & composita, & quidem talibus conditionibus, ut perspicue apparuerit eos patriam, libertatem pristinam, ordinem, dignitatem, fortunas, denique Civitati ipsos Cives suos reddidisse, nec Ducem nostrum cum Fratre suo *Ulrico* hoc quæsivisse, ut ipsis, sed quibus imperant subditis, bene esse possit. (*g*) Judicarunt namque Fratres Serenissimi in subditos clementia uti, non minus decere Principes viros, quam subditos in officio permanere, ac, ut *Seneca* scribit, tum mansuetudinis laudem esse præcipuam, cum iræ causa est justissima. Sed ad Ducis nostri *Johannis Alberti* laudes, quarum difficilius est exitum invenire, quam principium, hæc breviter nunc addere oportet. Nihil prius habuit, quam ut primam Juniorum Principum Filiorum suorum ætatem, per eos, quos exemplo Regum Persicorum scivit eruditissimos, sapientissimos, justissimos, temperantissimos & fortissimos, vera pietate optimisque artibus & literis imbueret, ac virtutis legibus adstringeret; certo sibi persuadens, tales Filios suos in regnando futuros, qualis illorum educatio puerilisque institutio, quæ in regendo primum, medium & postremum obtinet, præcederet. Avidissime attentissimeque semper audivit sacras concliones, & nonnunquam plurima ex eis excepit & manu sua annotavit. In summis gravissimisque Reipubl. occupationibus & curis, singulis diebus aliquot horas, præsertim matutinas, cum plerumque ante lucem surgeret, ardenti precationi, sacrarum literarum, scriptorum D. *Lutheri* aliorumque recte docentium in nostris Ecclesiis, Historiarum, Ciceronis puriorisque Philosophiæ lectioni tribuit. Cum Fratre præterea suo constituit *Judicium Ecclesiasticum*, cui *Consistorii appellatio* usitate tribuitur, ad quod ex ista & exteris quoque Regionibus difficiles sæpe quæstiones referuntur, quæ qui-

(*a*) Jacobus Hieronymus Lochnerus in Disput. Histor. singularia quædam Mecklenburgica e variis Auctoribus collecta sistens C. 1. §. 10.

(*b*) D. Simon Pauli in Programmate funebri indictivo ad audiendum carmen lugubre Nathanis Chytræi nomine Academiæ beatissimis manibus Ducis Johannis Alberti confecratum A. 1576. Prid. Cal. Martias.

(*c*) N. Gryse l. c. ad Annum 1552.

(*d*) Caselius in Vita Johannis Alberti. Chronolog. Calvis. Chytræus Chron. Saxon. Lib. XVIII. p. 505. Edit. Lipsi. in fol. semp. allegat. Id. ibid. p. 508.

(*e*) Chytr. Chron. Saxon. p 533.

(*f*) Idem p. 584. & 625. 626. 627. 629. 630. 685. 686. & 688.

(*g*) D. Simon Pauli in Programmate funebri supra allegato.

dem ordinatio Ecclesiastica peculiari Libro XII. Articulis comprehensa typis exscripta ac publicata est, Rotzstockii pridie Kal. Febr. 1570. per Jacobum Lucium, cui dein statim 1571. subsecuta est ac laudatorum Principum jussu in lucem quoque anno insequenti prodiit *Constitutio: Wie es mit denen* Superattendenten, *Kirchen-Personen und Güthern u. etlicher dabey befundener Mängel halben, in J.F.G. Fürstenthum und Landen Christl. und ordentl. soll gehalten werden.* Ita quoque post Ecclesiarum emendationem ac judicium, sanctæ quoque Justitiæ habuit rationem, quique in Rebus istis Ecclesiasticis ordinandis adhibitus est vir longe celeberrimus *Johannes Lucanus* JCtus & cancellarius Mecklenburgicus, ob insignem etiam prudentiam *Provincialem* quoque *Curiam, Judicium Politicum s. Forense* (*das Mecklenburgische Land- und Hoff-Gericht*) in Ducatu Mecklenb. ita instauravit ac constituit, ut statis quibusdam temporibus vel singulis anni quadrantibus *Solennitas* quædam *Juridica* (*die öffentliche Quartal-Gerichte und Rechts-Tage*) haberetur, cujusmodi antea vix toto sexennio semel haberi solebat. (*a*) Hujus *Judicii Politici Provincialis Leges* typis quoque excusæ sunt, (*b*) ac ut æquissimum, castissimum sanctissimumque ab exteris etiam commendatur, quod *Tribunal Provinciale Aulicum* postea bis quotannis *Gustroviæ* æque ac *Suerini* primum publice habitum fuit, dein anno 1622. *Sternebergam* & hinc anno 1667. *Parchimum* translatum est. Sicuti autem in *Ecclesiastico Judicio* Ecclesiis & causis matrimonialibus; ita in hoc *Provinciali Judicio,* tanquam in instructo Areopago, Justitiæ utpote nervo & fulcro Reipublicæ in terris Mecklenburgicis prospectum ac consultum fuit. (*c*) Ad Bibliothecæ præterea in sede sua Suerinensi Aulica instructionem, literatissimus noster Princeps *Johannes Albertus* multum laboris atque impensarum fecit, (*d*) Organum quoque Musicum Templi cathedralis Suerinensis suis sumtibus restaurandum curavit, cum sequenti adhuc hodie conspicua subscriptione: DEO OPT. MAX. *Instauratæ Religionis sanctæ Auctori* JOHANNES ALBERTUS *Dux Megapolensis insigne hoc opus Musicum pietatis ergo posuit* Anno 1560. Qui autem omnium affabilissimus erat Dux noster, ita etiam ad eum faciles fuerunt omnium aditus, non tantum hominum magnorum, sed etiam privatorum, ut quamvis dignitate, quæ in Virum Principem cadit, excelleret; tamen facilitate infimis par esse videretur Quidquid insuper temporis tribuerat nunquam satis laudandus Dux noster, (tribuerat autem multum) *lectioni sacræ scripturæ, scriptis Patrum & D. Lutheri* quæ ipsi in iis observatu digna videbantur, propria manu excerpsit, collegit, inque volumen unum justæ molis collegit, (*e*) unde postea enatus est Liber Ducis nostri, qui postea sub Rubrica: *Meditatio de Morte* in lucem prodiit, ac deinceps a B. D. *Cramero* Theologo Sedini in Aula Ducum Pomeranorum longe celebrrimo *Tractatui* suo egregio *de Mysterio corporis spiritualium Beatorum,* insertus est. Sed audiamus ulterius de hujus doctissimi pariter ac pientissimi Ducis nostri piis lucubrationibus ac commentationibus, Aulæ suæ a Concionibus Ministrum olim dilectissimum *M. Matthæum Bohemum* Annæmontanum, sic perorantem: *Zu dergleichen gottseligen Wercken hat I. F. G. vorgeleuchtet das heilige Wort Gottes, die Schrifften der Propheten und Apostеln, die Christliche, reine, rechte, wahre, unverruckte und aller Welt bekannte Augspurgische Confession Anno 1530. Kayser* Carolo *dem V. von den Churfürsten und Ständen übergeben, so man die* Protestirenden *nennet, und endlich die theuren Schrifften des Mannes Gottes* Lutheri. *Diese* Gottselige Schrifften hat S. F. G. selbst gelesen, mit einem sonderbahren Verstande inne gehabt, sich darinn zuweilen Tag und Nacht geübet und gearbeitet, mit emsigen schreiben, lucubriren und commentiren, dessen man einen schönen Fürsten-Schatz mit seiner Fürstlichen Hand geschrieben Bücher finden wird, *der da weit allem zeitlichen Gut fürgezogen soll werden. Ich habe für meine Person, mit grosser Verwunderung und Freuden, und mit Empfindung, dass auch mein armes Elend und Betrübniss dadurch gelindert worden,* ein Buch *gesehen,* welches etliche 100. Bläter gehabt, *darinn I. F. G. (O! meine gnädige liebe junge Landes-Fürsten, lasset Euch dieß ein Trost-Lehr, lebendigen Spiegel und väterliche Handleitung zur Gottesfurcht, Liebe und Lehre seines Heil. Wortes seyn) den* gantzen heil. Psalter *in Lateinischer Sprache, den* gantzen Catechismum Lutheri *in Lateinischer und Teutscher Sprache, das* gantze Evangelium Johannis, die Sprüche Salomonis, *etliche* schöne Gebethe prosa & Carmine, *schöne* Lehren von heiligen Abendmahl und desselben Nutze und Frucht, *einen* Ausbund schöner Sprüche aus Gottes Wort, *schöne* Locos communes oder Sprüche von den Articuln Christlicher Lehre von Gott, von der heil. Dreyfaltigkeit, von Rechtfertigung für Gott und Glauben an Christo, von dem lieben Creutz, vom lieben Gebeth, *in denselben* eine schöne Betrachtung des Sterb-Stündleins, *und viel anders mehr, welches ich in so eilender Umschlagung des Buchs nicht habe ersehen können. Dergleichen hat I. F. G. noch anders mehr geschrieben durch Anleitung und Handführung des lieben Heil. Christes welches der Tag mit Ehren wird offenbahren.* (*f*) Vitæ sic pie innocenterque actæ placidus respondit eventus & exitus: decessit namque Princeps Inclytus, pius, prudens, doctus, post multa egregia & præclara facinora (cujus laudes hic

(*a*) D. Simon Pauli in Programm. funebri supra citato.

(*b*) D. David Chytræus in Orat. de Joh. Lucano Cancellario Aulico.

(*c*) M. Simon. in Vita Udalrici.

(*d*) Calovii s. Mylii Chron.

(*e*) D. Simon Pauli in Programm. sæpius citato funebri.

(*f*) M. Matthæus Bohemus in Concione Lugubri in funere Ducis Johannis Alberti habita.

hic tantum tetigisse sufficiat, integra enim supra omnem laudem positi Principis hujus historia non spisso volumine comprehenderetur) sub pia agnitione & ardenti invocatione Filii DEI, quem coram hominibus etiam cum vitæ periculo facultatumque dispendio constanter confessus est. (*b*) Anno 1576. die XII. Febr. post meridiem inter horam 2. & 3. æterni Patris manibus tradidit beatissimam animam, quæ nunc fruitur dulcissima consuetudine colloquioque DEI, castorum Angelorum, totiusque cœlestis Ecclesiæ, relinquens post se mœstissimam Conjugem *Annam Sophiam* Marchionis Brandenburgensis Senioris, Primi autem Borussiæ Ducis *Alberti* Filiam, Principem præstantem & nullo non virtutis genere illustrem, quam anno 1555. d. 24. Febr. Visimariæ præsente Socero, Saxone, Brandenburgo, Mecklenburgo, aliisque Principibus, Regum item Daniæ & Poloniæ Legatis, magna in pompa ac solenni ritu, celebratis simul variis decursionibus equestribus, sibi matrimoniali fœdere conjunxerat, (*i*) in cujus etiam nuptiis festivalibus, in tantorum Principum literatissimorum ac splendidissimorum legatorum Corona, *David Chytræus*, Philosophus, Philologus, Historicus ac Theologus summus sermonem tersum ac limatum de Conjugio, jussu Serenissimi Sponsi recitavit, ex quo dein conjugio admodum suavissimo Dux noster Liberos susceperat tres: *Albertum* Anno 1556. d. 19. Decembr. Suerini natum, qui infans quinquennis Regiomonti Borussiorum apud Avum maternum Anno 1561. diem obiit supremum. *Johannem* item ac *Sigismundum Augustum*, quorum tutelam Patruus *Udalricus* & Consobrini Electores *Augustus* Saxo, & *Johannes Georgius* Brandeburgicus susceperere, a quo JOHANNE jam florens Serenissima Familia Megapolitana descendit, de quibus suo tempore dicam. Atque hic laudatissimus & optimus noster Princeps, quem Germania universa inter Principes prudentia & literis præstantes extulit, quem viri undique eruditi velut Apollinem alterum, adorati, quem propter insignem pietatem, liberalissimam in Ecclesiam beneficentiam, egregium flagrantemque erga optimarum artium doctrinarumque studium, amorem, heroicam gravitatem, divinam bonitatem, inusitatam humanitatem, incredibilem mansuetudinem, æquissimam justitiam, admirandam moderationem, inusitatam eruditionem, & virtutes in illo honoris fastigio innumeras alias ac plane singulares, ipsi Reges & Principes suspexere, exteri admirati, subditi vt DEUM venerati, omnes denique ac singuli tanti Principis gloriam factaque heroica constanti amore, indefesso honore, humillima submissione, atque immortalitatis memoria prosecuti sunt; Suerini tandem in Templo ibid. Cathedrali ejusque Sacrario S. Crucis dicto Calend. Martii eodem anno conditus est, cujus Conjux nata 1527. d. 11. Jun. anno decimo quinto post anno sc. 1591. d. 6. Febr. ætat. LXIV. Lübzæ in sede victalitia placide etiam obdormivit & Suerini ad latus Mariti posita, quiescit. Laudarunt hunc immortalis gloriæ Heroem Suerini, Concionator Aulicus M. *Matthæus Bohemus s. Bojemus* Annæmontanus, Superintendens postea Parchumensis. Rotzstochii die sepulturæ Professor Theologiæ ac Rector simul tunc Academiæ, nec non Ecclesiarum Rotzstoch. Superintendens D. *Simon Pauli* ambo *concionibus funebribus*. *Johannes* autem ille *Caselius* oratione funebri latina. Restat adhuc *Testamentum*, quod ultimum vitæ terminum sibi instare animadvertens, triennium ante obitum manu sua consignatum, Hæredibus suis, Sereniissimis Filiis reliquit supra omnem laudem positus Dux noster *Johannes Albertus* dignum certe, quod *Annalibus* his simul quoque nunc, inseratur.

TESTAMENTUM.

„Nunc igitur, quod vere felix faustumque „sit, finem decursæ vitæ & laboriosæ peregri„nationis meæ adesse sentio; nunc igitur lætissi„mum beatæ commigrationis Nuncium lætus „accipio. Tempus est, ut tandem lassus curis, „fessus de via, defatigatus cursu, ex hoc non „satis oportuno & sordido brevissimæ com„morationis Diversorio discedam; & in Pa„triam jam diu speratam optatamque, cujus „ipsa mœnia jam non ita procul apparere pro„spicio, commigrem. Quoniam igitur com„morandi tantum, non habitandi Diversorium „dedit ipse DEUS: ex hac vita, tanquam ex „Hospitio non tanquam ex Domo, lætus agens „gratias commigrabo. O felicem ex hac vita „discessum! O lætissimum diem! Diem inquam „meæ migrationi, novo meo Natali dici, tri„umpho meo consecratum! Hoc unicum „restat ex laboribus, periculis & curis o„mnibus certamen. Jam se se mea redemtio, „salus mea, vita mea, jam veluti ex longa & „difficili navigatione tutus se se & plane tran„quillus portus, jam se se aurora clari præ„nuncia Solis ostendit. Jam ipe Sol Justitiæ „meæ, Filius DEI JESUS CHRISTUS mihi „propius exoritur; & tenebris meis præcla„ram lucem præfert, mihique iter ad astra, „seu æterna cœli regna suo sanguine a vepri„bus & dumetis perpurgatum patefecit. Gau„de anima mea: quid inquam mea? imo Chri„sti anima. Hujus enim pretioso sanguine „redemta es: gaude inquam Anima, & lætare „in DEO Salutari meo. egredere cum Lotho ex „Sodoma, nec respice. Transi per mare ru„brum, ut e manibus persequentium elabaris, „& in terram lacte & melle fluentem intres, cœ„lestia spectato, humana contemnito: cœlo „nata es; cœlo redemta es, cœlo electa & san„ctificata es, cœlo deberis. Illic tibi jam pri„dem innocentis mactati Agni Sanguine latis„sima sedes parata est. Illuc oculos defige, il„luc respice, & molestam immundæ carnis sar„cinam cupide depone. Jam tibi Abrahæ pa„tet sinus, jam ipsi cœli, ceu Christo ex Bapti„smo

(*b*) Simon Pauli in Progr. cit. Gryse in Hist. Slüteri ad A. 1576. Calov. s. potius Mylii in Ch. Duc. Meckl. David Chytræus Chron Saxon. Lib. XXIII. p. 697. *de Westphalen Monum. med. Rer. Germ.*

(*i*) Idem Chytr. Chron. Sax. p 533. Calov. s. potius Mylii Chron. Duc. Mecklenb.

„ſmo aſcendenti, tibi panduntur. Jam tibi pal-
„miti, Chriſto per fidem inſerto, ejusdemque
„purgato ſanguine, Paradiſus aperitur. Sen-
„tis diſcedendi moleſtiam, ſuſtine paululum:
„punctum temporis eſt, quo te expediet DE-
„US. Perfer magno & infracto animo, & ob-
„dura fortiter. Semel & breviſſimi temporis
„ſuſtine labores, & quod ſemel perſolvendum
„eſt debitum, mature ſineque verſura perſol-
„vere; quam diutius in hujus mundi impro-
„bitate verſari, multis partibus melius eſt. Non
„morieris, ſed vives vitam ſempiternam, &
„narrabis opera DOMINI. Unus dies in illo
„ſanctiſſimo Beatorum concilio, omnibus vitæ
„humanæ ſeculis eſt anteponendus. Tu vero
„corpus, in quo alendo, curando, fovendo, re-
„ficiendo, nimis multum temporis conſumen-
„dum fuit: tu inquam, cujus pondere anima
„mea nimis ſæpe ad terram depreſſa, minus li-
„bere ſe ad Cœleſtia potuit attollere: tu igi-
„tur, quoniam DEI ſtat ſententia, ut ſicuti
„de terra ſumtum es, in terram redeas: idque
„tibi toties tot morborum generibus & caſibus
„humanis, quorum breviſſimum hactenus in-
„terceſſit intervallum, ceu ſignis fuit denun-
„ciatum; trade te quieti, intra in cubiculum tu-
„um, claude oſtium, abſconde te modicum,
„donec tranſeat indignatio: corruptio tua tui
„erit purgatio; multo prodibit glorioſius: Se-
„minaris corruptibile, reſurges incorruptibile;
„ſeminaris in ignominia, cum gloria reſurges:
„Seminaris infirmum, validum vegetum-
„que reſurges: Geſſiſti perſonam terreni,
„geres perſonam cœleſtis, & in car-
„ne tua faciem DEI aſpicies: Satiaberis,
„cum ad imaginem ejus evigilaveris. Tibi re-
„ditus in vitam certiſſimus eſt propoſitus, quin
„etiamſi ex univerſa rerum natura amitteris;
„DOMINO tamen tuo, qui eſt os ex oſſibus tuis,
„& caro ex carne tua, cui inſitum es, nunquam
„amitteris. Ipſo evocante prodibis: depoſi-
„tum repetente redderis. Ille Lazarum jam
„colliquefactum & putreſcentem unico ver-
„bulo ex ſepulchro vivum & plane vegetum
„excitabat. Idem ille in te quoque excitan-
„do virtutem ſuam oſtendet. Cruciaris, nunc
„quidem, torqueris & angoribus conficieris;
„momentum eſt, jam jamque liberaberis. U-
„niverſa rerum natura deſiderio finis ſui affici-
„tur, & hunc extremum mortalis conditio-
„nis diem videre cupit. Tune quietem recu-
„ſares? Tu ſummi Imperatoris te ex ſtatione
„vitæ, ceu ex præſidio, evocantis, mandato
„non pareres? Age igitur, pergat, inſtet, urgeat
„ipſe mors; & ſolvat, quod, ut ſolveretur, fuit
„conglutinatum. Mors non peſtis mihi, non
„acerba, non luctuoſa, ſed beneficii loco nu-
„merabitur. Illa mihi pacem & lætitiam nun-
„quam perituram adferet. Has ego oculorum
„tenebras non invitus ſubito, ut æternam lu-
„cem aſpiciam. Tu modo, o ſalus mea, Fili
„DEI, Domine JESU CHRISTE, qui me ex inferno
„vindicaſti, meque de manu mortis ſalvum feci-
„ſti, ſi unquam adfuiſti mihi, nunc in hoc ſupre-
„mo vitæ meæ mortalis articulo laboranti ades.
„Ad Te animum erigo, Tibi manus tendo, Tibi
„æger hic & languidus ſpiritus ducitur, Te in-
„voco, Te unice deſidero, Tibi ſuſpiro, ad
„Te confugio, a Te opem peto, Tibi me pe-
„nitus trado, totumque, o Rex meus & DEUS
„meus, qui hanc carnis humanæ; in Te ſuſtuli-
„ſti miſeriam, ut mihi aditus in cœlum pate-
„ret; qui in ara crucis ſacro-ſanctam egiſti a-
„nimam, ut ego in Te exſpirans reviviſcerem:
„Tu animæ tranquillitatem largitus es mihi, Tu
„horrorem mortis ſuſtuliſti: Tu vitæ parens,
„Tu Dux vitæ, ne derelinquas me, Domine
„DEUS; ne diſceſſeris a me, feſtina ad feren-
„dum auxilium mihi, Domine ſalutis meæ. O!
„verbum æterni Patris, fac quæſo, ne unquam
„ex pectore meo evaneſcat illud verbum: *Hæc*
„*eſt vita æterna, ut* TE *verum* DEUM *& quem*
Tu miſiſti JESUM CHRISTUM *agnoſcant.* Item
„illud verbum, quo latronem, cum jam ex-
„tremum ſpiritum duceret, ſuaviſſime conſo-
„latus es, Sancto Spiritu tuo in corde meo
„obſigna: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Fac
„igitur, ut placide ex hoc diverſoriolo animu-
„la mea emigret, & extremus ſpiritus meus
„ſanctiſſimo tuo & plane paterno corde exci-
„piatur: ut qui ex te capit initium, Tibi dedi-
„cetur, in Te hic poſtremus vitæ meæ mor-
„talis actus finiatur. Da, vt ex hujus corpo-
„ris compagibus Te Duce, ceu per mare ru-
„brum, victor perrumpam. In manus Tuas
„commendo Spiritum meum. Redemiſti me
„DEUS veritatis. Nunc igitur ad requiem in-
„gredere mea anima, quia Dominus bene-
„facit Tibi; quia eripuit Te de morte, oculos
„tuos a lacrymis, pedes a lapſu continet. De-
„pugnavi præclare, curſum confeci. Nunc
„tempus eſt, ut in eundem portum, ex quo
„egreſſus ſum, magna jactatus tempeſtate,
„confugiam. Deinceps corona juſtitiæ mihi
„repoſita eſt, quam ipſe Dominus in illa die
„mihi reddet. Munde vale, ſatis exercuiſti
„me, jam nunc quære alium, cui faceſſas ne-
„gotium. O dulcis cœli regia! O ſuaviſſima
„Patria. Salve!

Hactenus *Teſtamentum* illud, ſumma pieta-
te tanto Principe dignum conſcriptum; reſtat ut Laudationes varias incomparabili huic Duci a multis conſcriptas nunc quoque attexam; præter illam enim, quam in Funere ejus, uti jam dixi, publice ex cathedra Academica recitavit, Orationem Latinam peculiarem *Johannes Caſelius*, idem omnis eruditionis Parens *Caſelius* anno 1605. ad Sereniſſimos Principes Dn. *Adolphum Fridericum*, & Dn. *Johannem Albertum* Duces Megapolit. *Johannis* Filios, noſtri *Johannis Alberti* Nepotes, poſtea pleniorem quoque Laudationem de Principe noſtro miſit. Præterea etiam *Nathan Chytæus*, nomine Academiæ, hora ipſa ſecunda, qua ſanctiſſimi Principis corpus Suerini terræ mandatum eſt, Rotzſtochii in Collegio Philoſophico, lacrymas & luctum dictæ Academiæ, propter benigniſſimi liberaliſſimique Patroni (ut habent verba Programmatis) Nutricii & Benefactoris ſui obitum, gravi eruditoque Carmine expreſſit ac declaravit, ibidem

dem poſtea eod. ſc. 1576. anno, per *Jacobum Lucium*, ſub Titulo: MEMORIÆ. ILLmi ET OPTmi PRINCIPIS, Dn. JOHANNIS ALBERTI Ducis MEGAPOLITANI LACRYMÆ ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS JUSSU M. RECTORIS EFFUSÆ, cujus etiam Rubricæ annulare cingulum, cum verbis græcis in meditullio ejus ſcriptis: ΑΝΞΥΔΟΛΟΥ; inſculptum eſt, typis exſcriptum, dignum profecto, ut propter ſcripti non ſolum raritatem, ac vetuſtatem, ſed verſuum etiam quibus conſtat, nitiditatem, hic ſimul quoque adſcribatur.

Ergo ego perpetuas poſthac iterabo querelas.
Regia fata gemens? ergo mihi carminis una
Materies lachrymæ? ſat jam mea pectora, ſat jam
Exhauſtas maduiſſe genas oculosque rubentes
Credideram: cum DOROTHEÆ mœſtiſſima nuper
Funera ploraſſem; ſed enim conſtantia rebus
Quæ ſit in humanis, tenui quam pendula filo
Magnatum quoque Vita tremat nutetque cadatque.
Hinc quoque perſpicuum eſt. Nuper Dux optimus una
DOROTHEÆ exequiis aderat ſanusque valensque:
Nunc jacet exanimis, tumuloque imponitur ipſe.
Hic tenor, hic curſus miſeri miſerabilis ævi eſt.
Ergo Megalburgæ clariſſima gloria Gentis
JOHANNES ALBERTE jaces, morboque gravatum
Nec pietas, nec Te potuit pulcherrima virtus
Incolumem ſervare tuis? nil vota piorum,
Nil caſtæ valuere preces, gemitusque profuſi?
Quin tecum nobis bona tot, bona tanta perirent.
Quid prius hic? quid poſterius? quid denique dicam?
Quid taceam, attonitusve querar? crudelia dicam
Sidera? crudeles Parcas? crudelia fata?
Quæ tantum rapuere decus columenque ſuorum.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ.
Quando ego jam Veſtris carmen lacrymabile ripis
Accino ſemi animis: veſtroque in margine mœſtum
Demittit Roſa mœſta caput; croceique capilli
Languore areſcunt: & odor dilabitur omnis
Largifluas quis enim lacrymas hoc tempore ſiſtat?
Dum Princeps Generoſa Ducem, quem ardebat amore
Mirifico, gemit, & tumulis jam condit avitis:
Quin fletu & lacrymis pæne exanimata, dolori
Succumbit, nulloque domat ſuſpiria fine.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ,
Dum Proles animoſa Ducis, duo lumina gentis
Heruleæ, veterumque Ducum de ſtemmate flores
Magnanimi heroës, Patrem Fratremque profuſis
Deplorant lacrymis: dum maximus UDALRICUS.
Jam pridem veſtri conſtans defenſor honoris
Cum conſorte dolet: ſimul & Megalopolis omni
Dat lacrymas gemebunda loco: dum Balthicus ipſe
Murmurat Oceanus: dum concava ſaxa querelas
Halcyonum reſonant: ſcopulique in vertice cano
Neſcio quid queruli ingeminant lacrymabile mergi.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ
Occubuit bonus hic Princeps, Dux optimus ille,
Quem pietatis amor, præſtans doctrina, fidesque
Virtutumque decus, cunctarumque, & Principe digni
Ornarunt laudum cumuli: quem docta Lycæa,
Templorumque Sacræ, quem cum Doctore cathedræ
Patronum agnovere ſuum: quem Muſicus ordo
Protectorem habuit; qui profuit omnibus unus,
Et nulli, niſi forte ſibi, bonitate, manuque
Munifica, nocuit: tellus quem Vandala Patrem,
Cuſtodem pacis placidum, populique ſalutis
Deflet, & interitu tanti ne Principis atræ
Immineant clades Patriæ, ſtudioſa veretur.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ,
Nec ſtirpem celebrate Ducis, ſat nobilis illa eſt,
Sat celebrata aliis, aliena encomia jactent,
Propria quis deſunt, non iſtas inclytus umbras
Gloriolæ, Princeps, & quæ non geſſerat ipſe,
Aut juſto pluris facere, aut laudare ſolebat.
Sed virtute ſua niti, & memorabile nomen,
Quærere præclarum vera ratione putabat.
Ergo Patre *Alberto*, Matre infanns editus *Anna*
(Huic genitor *Joachimus* erat celeberrimus ille
Marchio, Cæſarei diadematis arbiter olim)
Muſarum eſt gremio exceptus, caſtæque Minervæ:
Ubera ei Pietas a primo præbuit ortu:
Ingeſſit manſum Bonitas: Clementia cuſtos
Adfuit a teneris: movit Themis aurea cunas.
Indole eumque adeo rara puerilibus annis
Conſpicuus foret; hæ pariter, velut agmine facto
Erudiere animum varia virtute, ſuisque
Quælibet hunc ſtuduit certatim extollere donis.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ,
Ille ubi floridulas prima lanugine malas
Texerat, Aonium Viadri conceſſit ad amnem,
Excolere ingenium, doctosque audire paratus.
Non ignarus opes animi præſtare caducis
Incertisque bonis: ſæpe illum candida Phœbe
Dum reliqui ludo indulgent, aut pocula ſiccant,
Invigilare libris poſita de nocte lucerna
Vidit, & arcanos Sophiæ penetrare receſſus.
Sæpe illum ſol Eois paulo altior undis
Stertere dum multis melli eſt, perdiſcere vidit,
Quidquid habent veterum Hiſtoriæ vel *Tullius* ille
Romani nitor eloquii: quem ſedulus hauſtim
Imbibit, huic ſtudio nec ſeris defuit annis.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ.
Dilexere omnes Juvenem hunc: tulit ille frequenter
Palladii dux ſceptra chori, non inſcius illud

Teſtatur Viadrus, docti teſtantur ibidem
Huic ultra qui jura ſui committere cœtus
Conjunctis voluere animis, qui dignior illo
Tum foret, in reliquis eſt nemo repertus, honore
Interea Pater exemtus mortalibus oris,
Aſtra petit; legitur Princeps in flore Juventæ
Unanimi voto Patrii ſucceſſor honoris,
Egregiis Princeps, cujus modo funera fuſis
Proſequimur lacrymis. Ergo ille umbracula linquens
Muſarum, in lucem prodit, populique coronam
Jam pridem percepta uſu præſtare paratus.
Sed gravia eſſe ſolent magnarum exordia rerum,
Difficilesque aditus primo ſurgentibus obſtant.
JOHANNES ALBERTE Tuos ſic turbida faſces
Tempeſtas primo excepit: Sphynx impia quando
INTERIMENS paſſim puræ pietatis honores,
Hic quoque ſperatas cuperet ſibi figere ſedes.
Præterea Læſtrigoniæ vis dira catervæ,
Jura ſibi quæ nata negat, quæque arrogat armis
Omnia, turbabat crebris hæc arva rapinis
Rara coërcebat cenſura aut pœna rebelles.
Dux igitur commiſſa ſibi cum ſceptra teneret,
Acriter his ſtuduit quamprimum occurrere monſtris.
Sphynx citius pulſa eſt, iſtas quam invaderet oras:
Et qui jura aliis jam pridem ſcripta putabant,
Non ſibi; legitimis faſces ſubmittere habenis
Compulſi ſunt, & domiti: nam Principis illo
Tempore, præſidio Leges munire forique
Judicia, & motas juſte componere lites,
Unica cura fuit. Sic vis ejecta verendis
Legibus Aſtræaque locum conceſſit avitum.
Fundite Varniades lacrymarum flumine Muſæ,
Ille idem Princeps gnaro cum pectore noſcet,
Non fruſtra coiiſſe homines* non agmina caſu
Finitimas habitare domos, urbesque tenere:
Sed pietas ut vera ſuos extendere fines,
Alter & alterius poſſet ſermone doceri,
Qua cœli ſe pandat iter ſedesque beatæ:
Templorum cathedris fidos vigilesque Miniſtros
Impoſuit paſſim: Quin ne quandoque deeſſent
Doctores, aut qui Populo virtute præirent,
Adjunxit Templis Ludos, Ludisque Magiſtros
Præfecit, pueros qui prima elementa docerent
Linguarum, vitæque darent documenta beatæ.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ.
Ille! Ille occubuit, cui Templa ornata venuſte
Bibliotheca etiam variorum inſtructa librorum
Codicibus multum ſe ſe debere fatentur:
Quin nunc examinem veluti deflere putares
Omnia cum ſolito videas ſpoliata nitore.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ
Ille! Ille occubuit, quem Veſtra Academia pridem
Quæ exanimi ſimilis plane deſerta jacebat,
Inſtauratorem agnoſcit, fidumque Patronum.
Hic Doctos, cum Fratre, Viros hinc inde vocavit,
Qui linguas artesque omnes cum laude docerent.
Et Sophiæ arcanas penetrarent mente latebras,
Quos ipſe haud raro præſens audire ſolebat,
Exemploque ſuo docilem inflammare Juventam.
Tum primum Varnus fontis ſentire liquorem
Caſtalii, fluviisque ſuum conjungere nomen
Nobilibus cœpit: tunc iſto in littore Pallas
Ducere cum Nymphis ad Phœbi plectra choreas
Primum viſa fuit: tum munera veſtra propinquas
Implerunt gentes, urbes & Balthica regna.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ
Ille! Ille occubuit, qui non modo tempore pacis
Officiisque togæ, juſtis ſed & inclytus armis,
Conſiliisque fuit, quæ bella gerenda requirunt,
Si pietas Patriæque ſalus ea poſceret: acre
Mauricius, belli fulmen, tremor unus Iberi,
Non negat hoc, Conſobrino huic qui fœdere junctus
Communem Patriam, jus relligionis, & ipſam
Libertatem auro potiorem, & vincula pacis
Aſſenuit bello, auſpiciis felicibus orto.
Hoc etenim ſummo poſita in diſcrimine rerum
Teutonia, & Papæ & Hiſpani militis imis
Faucibus erepta eſt, Paſſavo & fœdere pacto
Inſperata quies rediit, cui nunc quoque noſtra
Otia & illæſæ debemus commoda vitæ.
Salve magne Heros, iterum Dux inclyte ſalve!
Tu bello præſtans invictus pace fuiſti:
Principe Te patriis decus admirabile terris
Contigit, æterno quod nunquam abolebitur ævo.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ.
Extollant arces alii, venasque metalli:
Succineas aliis libeat laudare corollas:
Admirentur opes alii, foſſasque profundas
Aggeribus cinctas, vicinosque arcibus hortos:
Nil ea ſunt collata tuo Dux optime dono,
Quo Patriam bonus ornaſti, gentesque propinquas:
Pro quo Poſteritas ſero comitata nepote
Perpetuas repetet longo tibi tempore grates.
Hæc bona ſunt æterna tuis quæ ſponte dediſti;
Momento tantum illa brevi mortalia durant,
Corporeis ſociando bonis, vitæque caducæ,
Non animo aut menti mortis quæ ſpicula neſcis.
Salve iterum divine Senex, tu regis imago
Siderei, bonitate tua meritisque fuiſti.
Nam tibi neglectis aliis, cœleſtia primo
Dona propagare, & populis oſtendere Chriſtum,
Conſervare artes Ludosque & templa tueri
Cura fuit. Jactens alii, ſe milite cinctos,
Armataque manu populos, vi regna tenere,
Doctrinam curare nihil: mihi proximus ille
Dilectusque DEO, & Populis quoque creditur Heros,
Exemplis, Dux magne tuis, ſi motus, & ipſe
Sit ſapiens, Muſisque libens ſua limina pandat,
Largiter & ſacras accendat honoribus artes.

Non

Non decuseſt aliud non verius ornamentum,
Quam Patria autRegio docti ſiPrincipis, una
Et Sophiæ & Chriſto placida alcedonia curet,
Doctrinasque ſacras aliis communicet oris.
Cedite Cecropii, Spartani cedite Reges,
Hic alius Princeps, qui non mortalia tantum
Dona dedit Populo, Leges & Jura per Orbem:
Sed vitæ cœleſtis opes, & gaudia, vobis
Plane ignota tulit, late quem gentibus idem
Finitimis, vel quos ætas quoque poſtera mittet,
Muneris eſt auctor tanti: date lilia plenis
Pierides Calathis, tam Sancti ad Principis Urnam,
Et querulis mœſtas linguis iterate querelas.
Nunc columen veſtrum occubuit, Tutorque fidelis,
Quo vivente animi tantum ſupereſſe ſolebat.
Sed nunc, heu variæ nimia inconſtantia ſortis,
Heu nunc in tenues ſpes illa evanuit auras.
Quando erit ut mitis cœli indulgentia talem
Reddat in Orbe Ducem? quæ ſidera rurſus in uno
Pectore tam raras cumulabunt aurea dotes?
Hoc Pietas, Amor in populum, Prudentia, Virtus,
Magnus in adverſis animus, mitisque ſecundis,
Juſtitia hoc, Pudor & Gravitas, & larga juvando
Dextera, perpetuas habuere in Principe ſedes.
Hoc Duce turbatis rediit Pax aurea terris,
Pax gemmis potior: crevit reverentia recti:
Prædonum agricolæ nullas timuere rapinas:
Omnia quid repetam? Nihil hoc pretioſius ipſo,
Nil melius vidit gens Vandala: perdidit unquam.
Nil melius toto lacrymans Megalepolis ævo.
Scilicet hoc, hoc illud erat, quod turbine nuper
Horrifico celſas rumpi & procumbere turres
Vidimus: hoc, hoc illud erat, quod vidimus æthram
Sub noctem ardere, & tremulas diſpergere flammas.
Nec mirum, quin fama meas cum venit ad aures,
Magnanimum cecidiſſe Ducem, ſimul omnia mecum
Triſtari, & veluti lacrymas effundere ſenſi.
Te vivente, novis ridebant gramina campis,
Omnia florebant. Cantus dulcedine captæ
Ducebant charites per florea prata choreas,
Carmina non deerant nobis, non plectra ſonora.
Te moriente mori pariter natura videtur:
Deficiunt avido pecori ſua gramina: flores
Rura negant ſolitos: ut nil niſi triſtia fas ſit
Cernere, nec tanto finem ſperare dolori.
Fundite Varniades lacrymarum flumina Muſæ
Sæpe ego jam veſtras tacite digreſſus ad undas,
Mane novo, tantis quærens ſolatia curis,
Præter lamenta, & triſtes audire querelas
Nil potui ferrugineo velatus amictu.
Pallidus eois Phœbus ſurgebat ab undis:
Excedens ripis & tanquam fletibus augens.
Varnus aquas pleno currebat triſtior alveo:
Ad lævam inſueto ſtrepitabat gutture corvus:
Varnigenæ quin quotquot ibi paſcuntur olores,
Proxima flebilibus complebant ſaxa querelis:
Muſſabant fulicæ: deſerto in littore cornix
Sola ibat, tanquam attonito confecta dolore:
In ſtabulis armenta boum pecudesque gemebant,
Graminis oblitæ: argutis in vallibus Echo
Sæpe vocata mihi, ſæpe exaudita vocanti,
Jam præter ſolitum verborum oblita ſilebat.
Singula quid repetam? Nil non lacrymabile vidi
Nil fletu vacuum: anguſto ſic pectore triſtis
Exieram, triſtes repetebam triſtior ædes,
Hæc mecum tacitus: mutata quid omnia cerno?
Anne etiam ſuperos defuncti funera tangunt?
Quid portenta volunt? an non aliquando redibit
Qui vigor ante fuit campis avibusque canoris?
Sed redeat certe, rediturus ut eſſe videtur:
Sæpe reviviſcit jam mortua frigore malva,
Annus ubi cum ſole redit: ſic cernis anethum,
Sic violas, tenerasque roſas, apiumque renaſci:
Sed ſimul atque homines miſeros pariterque potentes
Mors ſemel abripuit, terriſque abſcondidit atris;
Tum reditus via nulla patet, tum ducere longos
Cogimur occluſo ſaxi ſub fornice ſomnos.
Sed pietas meliora docet. Non corpora caſu
Nimirum conſumta mori: divina voluntas
Hic regit æterna diſponens omnia lege.
Nec plane in nihilum, quod nil fuit ante, redire
Credimus æternæ ſperantes gaudia vitæ.
Sic noſter quoque Dux, noſtro Dux optimus ævo
Sortis tentator variæ, poſt mille laborum
Multiplices curas, ſceptri mortalis honores
Depoſuit mandante Deo: nec funere totus
Interiit: ſuperas animus delatus ad arces,
Heroës inter ſanctos Regesque triumphat
Iſaides hic Pſalmographus tibi *Carole* magne
Junctus adeſt: noſter Proavis Dux proximus adſtat,
Et Patri & Socero: multi illum lumine claro
Circumdant cœlique novos gratantur honores
Cumque ipſo unanimes mundi deliria rident.
Vertite Varniades lacrymas in gaudia Muſæ.
Inprimis Patrem geminis complectitur ulnis
Albertus puer illuſtris, qui prævius arcis
Regna adiit ſuperæ, multum lacrymante Boruſſo.
Hic ille *Albertus*, quo ſe jactabat alumno
Herula gens, hic ille Patri Matrique voluptas,
Spes Patriæ, magni proles generoſa Parentis,
Tum fortunati, propria hæc ſi dona fuiſſent,
Quæ tantum Deus oſtendit mox abſtulit olim;
Sed vere jam felicis, cui redditus ille,
Poſt æternum aderit, miro devinctus amore,
Quem non ulla dies, non fati injuria ſolvet.
Vertite Varniades lacrymas in gaudia Muſæ.
Ad vos nunc rediit tanta expectatio, tantæ

Laudis

Laudis honos, O Heruleæ nova ſidera gentis
Egregii Juvenes, qui partim funera Fratris
Jam gemitis: partim Patrem ploratis ademtum:
Heredes vos virtutum Fratrisque Patrisque
Eſſe decet, quin eſſe patet, ſemperque futuros
Credibile eſt Patriæ, & cunctis queis Patria curæ.
Vertite Varniades lacrymas in gaudia Muſæ.
Inprimis tamen eximii Ducis inclyta virtus,
Et bonitas *Udalrici* ſenioris, amicam
Solatur Patriam, Varnique inhibere querelas
Incipit, & lacrymis finem ſpondere profuſis.
Aſpicis ut celſo præclara e corpore virtus
Emicet; ut patrio ſumma omnia ſpondeat orbi
Fallor an e cœlo lætiſſima Seiſachtea
Hoc Duce deſcendet, Populorum in gaudia nata?
Fallor an Aonidum cultrix Academia divæ
Ejusdem auxilio, ſperato in flore, fruetur?
Chriſte tuum defende Ducem, cœptosque labores
Dirige, ut illorum nullo laus concidat ævo.
At Tu magne Heros (quoniam Te regia cœli
Jam tenet, & coram ſtellas fulgore coruſcas
Mortalesque vides ſecura e parte dolores)
Æternum Dux clare Vale, & ſeu ſidera luſtras;
Seu legis æternos invicto pollice flores;
Seu celebras ſine fine DEUM; en mœrentis alumni
Carmina, fortaſſis nimium properata, verendos
Ut manes, cineresque diu teſtentur amatos,
Accipe ſupremum munus: meliora deinceps
Forte & plura canam, quando Tibi certa quotannis
Dona feram, tumulosque tuos mea carmina flebunt:
Cum gemitus pietas, lacrymas conſtantia fundet:
Purpureasque roſas tumulo, ſpicasque Ciliſſas
Inſperget bonitas: triſtes Pax mœſta cupreſſos
Et feret evulſos ululans Clementia crines:
Immemoresque Tui nos nulla oblivio reddent.
Vos vero Illuſtres tanto de ſanguine nati,
Alloquio mœſtam placido recreate Parentem.
Dicite: ſit modus in gemitu, ſuſpiria ceſſent,
Sit lacrymis generoſa Parens finisque querelis.
Non etenim decet hunc fletu lugere perenni,
Cui DEUS ipſe omnes lacrymas abſterſit, & inter
Quem Sanctos Cœli Heroas, divosque locavit.

NATHAN CHYTRÆUS
Principi laudatiſſimo & optimo de ſe merito lacrymans F.

Idem Poeta nitidiſſimus Chytræus ſub fine Lacrymarum ſuarum jam inſertarum, incomparabili Noſtro Duci ſequens etiam erexit EPITAPHIUM.

Nulli Animis, nulli Ingenio, nulli Arte ſecundus,
Juſtitia multis & Pietate prior.
Mente gravis, Vultu facilis, dextraque benignus
Munifica, veri plenus amore DEI,
Muſarum columen, Legum Defenſor & æqui,
Et commune ſua pro bonitate bonum,
Hic ſitus eſt DUX JOHANNES ALBERTUS, amavit
Quem veluti carum Vandala terra Patrem.
Qui Ludis Templisque fuit profugisque Patronus,
Vivere qui longo tempore dignus erat;
Multo aliis citius tumulis infertur avitis,
Nec potuit decimam claudere Olympiadem.
Diſce hinc quam rapido Regum quoque gloria curſu
Effluat, & vitæ ſpem melioris habe.

Obiit XII. Febr. Anno MDLXXVI.
qui fuit gubernationis XXVIII.
Ætatis XLIX.

Præterea Janus Bocerus, Poeta Elegantiſſimus, qui ſuos *Tres Libros de Origine & Rebus Geſtis Ducum Megapolenſium* huic JOHANNI ALBERTO inſcripſit, in fine operis ſui Ducem noſtrum vocat *Studiorum Mecænatem optimum*, & poſtquam deſcripſerat Acta Juvenilis illius ætatis, ſic pergit.

Ac ego vaticinor, nec abominor eſſe futurum,
Sentiat hunc verum patria terra Patrem.
Jam quoque qui patriam tanta virtute gubernat,
Innumeri quanta non potuere Duces.
Nec divina ſui moderatio pectoris ullas
Virtutis partes, juſtitiæve fugit.
Sublimes animos, & celſa ſub æthera tollit,
Sortis & inſtabiles deſpicit illa vices.
Et recte patriis (livor licet audiat) oris
Conſulit, & lætæ tempora pacis amat.
Et colit Aonides, colit & Permeſſidos amnes
Sit licet antiquis Regibus ortus avis
Hoc magis ingenuo Muſarum doctior uſu
E Ducibus noſtro tempore nemo fuit
Aut ita qui Superum ſacros provexit honores
Aut ita qui Studiis incubuiſſe velit.
Clarus ab Hetruſcis Mecænas Regibus ortus,
Non tantum ſtudiis contulit ipſe piis.
Teſtantur Muſæ, teſtatur patria tellus,
Clarior invectæ nuper honore Scholæ
Cincta paludoſis qua ſplendens eminet undis,
Arx Suerinæas celſa tuetur opes.
Vernoviusque ſenex, ejus non facta ſilebit
Dum patrios leni murmure ſtringet agros.
Ipſe quod Aonias crebro cantare ſorores
Cernit, & in ripis ludere ſæpe ſuis.
Illius hoc virtus & gloria præſtitit ingens,
Ille tulit doctis otia grata viris.
Illi, quæ memores referent & nomina Muſæ,
Quod ſi noſtra tacent, ſecla futura canent.
Forſan & adveniens olim ſincerior ætas
Dicet: *Hic æternum vivere dignus erat* &c.

Johannes itidem *Simonius* ſic Ducem JOHANNEM ALBERTUM loquentem introducit:

Ille Ego, ſum pullus qui dictus Martis & Artis,
Et genus atque Orbem dotibus orno meis.
Sub me Relligio: Schola: Templa: Academia, vitæ
Reddunmr: Phœbus me duce lætus ovat.
Inclytus *Ulricus* me Frater conſilio & re
Adjuvat, ingenio conſilioque potens.

Tandem etiam Suerini in Templo Cathedrali, ubi ſepultus, ſequens de JOHANNE ALBERTO noſtro legitur EPITAPHIUM.

MEMO-

MEMORIÆ JOHANN. ALBERTI DUCIS Megapol. Principis litterati, & litteratorum Fautoris.

Inclyta *Johannes Albertus* gloria Secli
Conditur hic, præstans Dux, Patriæque Pater.
Non fuit hoc melior Princeps, nec doctior, ævo.
Nec Patriis terris, qui bona plura dedit.
Illustrem verbi Lucem, qua sidera adimus,
Primus hic in tota gente vigere jubet.
Idola evertit Latii prius impia Papæ,
Complectens certo Dogmata recta Libro.
Fortia & arma capit Sociis cum Saxone & Hesso,
Per quæ libertas { Paxque Salusque, / Pax, Pietasque } redit.
Christo cum Musis hic primus in urbe Rosarum
Instaurat, Patriæ cor, oculumque, Scholam.
Hic etiam e terris fugiens Astræa retenta,
Anno dat quovis Publica Jura quater.
Rite suas dirimi causas Ecclesia gaudet,
{ Inspiciuntque sacros pectora fida greges / Non inspectorum cura fidelis abest. }
Clemens, Munificus, Verax, Bonus, Integer, Æquus,
Sobrius ac { vere relligiosus erat / veræ relligionis amans }
Regibus & summis, tota, meritisque fideque
Carus in Europa, Principibusque viris.
Ante DEI faciem nunc fulget, sideris instar,
Sicut in his terris fulsit imago DEI.
Grata cui tribuet meritas Ecclesia laudes,
Verus & illustri luce vigebit Honos.

Optimo Principi D. JOHANNI ALBERTO, *Alberti* Filio, Duci Megapol. veræ relig. & doctæ Humanit. studiosiss. JOHANNES Dux Megapol. Filius Parenti charissimo cum lacrumis memoriæ posuit.

Cap. V.

De *Udalrico*, Nestore Germaniæ dicto, Duce Megapolæo.

UDALRICUS, *Alberti* Filius, *Johannis Alberti* Germanus, in lucem editus est Suerini anno supra millesimum quingentesimum vigesimo septimo, ad diem decimum Calendarum Maji, (*a*) quo eodem etiam anno, die 2. Aug. *Maximilianus II.* postea Romanorum Imperator laudatissimus, & *Philippus II. Caroli V.* Imperat. Filius, Hispaniarum postea Rex die 21. Maji, lucem hanc aspexere, scil. felicissimis illis temporibus, quibus doctrina cœlestis Megalandri *Lutheri* ministerio, divinitus ubique fere repurgari cœperat. (*b*) In hujus ætate tenera, aures quidem ipsius præceptis Pontificio fermento inquinatis personuere, cum & Pater ipsius Pontificiæ Religioni, quoad vixit, addictus esset; at DEUS Optimus Max. ex his tenebris atque hoc traditionum humanarum carcere, admirando plane opere Principem pium eduxit. Amplexus autem post veram Religionem, non solum voluntatem suam subscriptione Augustanæ, sed etiam editione suæ confessionis publica contestatus est. (*c*) Adolescens adhuc in Aulam Bavaricam *Alberti* a parente missus, in illa aliquandiu versatus est, postmodum in Academia Ingolstadiensi Fasces Magistratus Academici gessit. Quamvis autem *Ulricus* princeps literas probe didicerat, non tamen tantos in illis, ac Frater ipsius *Johannes Albertus*, progressus fecit, interim pietate & justitia, si non major Fratre hoc, tamen nulla parte minor fuit. Anno supra mille quingentos quinquagesimo, ætatis vigesimo tertio, Episcopatum Suerinensem, morte Patruelis sui Ducis *Magni* vacantem, commendatione *Henrici* Senioris Patrui sui obtinuit. (*d*)

Mortuo Patruo *Henrico Pacifico* Anno 1552. ad gubernationem Ducatus patrii adspiravit Dux *Ulricus* ac anno 1552. Fratrem, de gubernatione ditionis secum communicanda & familia herciscunda crebro primum sollicitare incepit; Verum *Johannes Albertus*, qui post mortem Patrui, Ditionem Megapolensem universam statim occuparat, eamque nunc solus administrabat, pactum de decennii administratione, sibi soli, mortuo Patre, communi Fratrum consensu tradita, opponebat: contra *Ulricus*, pactum illud de dimidia tantum Ditione, a Patre relicta initum esse regerebat, accessisse autem interea Patrui *Henrici* Ditionem & Hæreditatem & cœnobia universa; (*e*) eam ex æquo secum dividi justum esse, ostendebat. Ex ista primum contentione, cum *Johannes Albertus* a pactis semel initis discedere nollet, & ducentos Equites præsidii causa conduxisset, *Ulricus* autem illos adversus se ali interpretabatur, tanta hinc animorum exacerbatio inter Fratres exarsit, ut *Ulricus* apud vicinos Principes Pomeranos & Holsatos præcipue coram de Fratris sibi illatis injuriis quereretur, eorumque auxiliatrices manus imploraret; a quibus tamen frustra detentus, rem ad *Henricum* Ducem Brunsvicensem detulit, qui, Fratri *Johanni Alberto* jam antea infestus ac inimicus, commodam hanc, illum ulciscì ac persequi, occasionem esse ratus, anno 1554. mense Majo exeunte, *Johannem Albertum*, armata manu ac plane hostili impetu invadit, trajecto ad Beyzæ fluvioli ostium Albi, Beyzeburgum occupat, in cujus castris tunc etiam *Ulricus* noster erat. Cumque Nobiles Megapolenses *Johanni* tum *Alberto* Duci auxilium denegarent omnes, quod non solius *Johannis Alberti* sed Fratris etiam ipsius *Ulrici* se clientes esse dicerent; *Ulricus* Princeps ordines Ditionis Megapolensis Buzovium ad Varni & Nebulæ confluentem sedem tunc suam, ad unum omnes convocavit, ubi ad interceſſionem Provincialium & amicam compositionem *Johannis* Electoris Brandenburgici, bellum inter Fratres ita compositum

(*a*) Chron. Suerin. Hederici. Chytræi Chron. Saxon. Lib. XII. p. 357.
(*b*) Simon in Vita Udalrici.
(*c*) Simon l. c.
(*d*) Chytr. Chron. Saxon. Lib. XVII. p. 494. Calov. f. Myl. Chron. Duc. Megapol. Lobechius in vita Udalrici.
(*e*) Chytr. Chron. Saxon. Lib. XVIII. p. 528.

eſt, ut Ducatum a Patre & Patruo relictum, Cœnobia item ac alia a ſe occupata *Johannes Albertus* ex æquo cum Fratre *Udalrico* divideret, & rationes de *Henrici* Patrui theſauris & ſupellectile redderet, *Utricus* Diœceſin Guſtrovienſem ſolus retineret, *Johannes* vero *Albertus* Suerinenſem. (*f*) Ulricus ſic Guſtrovii, Frater autem ejus Suerini ſedem Ducalem figeret, & in ſuo quisque Territorio Jurisdictionem propriam abſolutamque poteſtatem obtinet; atque tunc ſtatim a Provincialibus, præter promiſſam, etiam a Rotzſtochienſium Cos. utriusque Principis debitorum ſolutionem, Patriæque ab ære alieno liberationem, ſedecim millia Joachimicorum, ad conductis *Henrici* Brunſuicenſis militibus ſtipendia ſolvenda, fuerunt collata. Atque ſic contentio illa inter Principes Fratres non levis orta, utcunque ſopita, & Ditioni Megapolitanæ pax rerum omnium optima, feliciter fuit reſtituta. (*g*).

Secutus autem erat Ducatus hic præſertim Guſtrovienſis, quem *Albertus*, Pater *Udalrici* potiſſimum Imperio tenebat, maximam partem adhuc Pontificiam Religionem, cum & ipſe *Albertus* Dux ad ultimum usque vitæ halitum in iſta Religione permanſerit, (*h*) hinc etiam eandem cum eo Religionem profitentes ſemper quoad fieri potuit defendebat ac protegebat: Verum eo demortuo conjunctis viribus & animis opus illud Herculeum perpurgandi Pontificii ſtabuli, inchoatum primo ab *Henrico* Seniore Patruo, & deinde a Germano *Johanne Alberto* continuatum, tandem cum eo feliciter perfecit *Udalricus* noſter. Exploſis enim Pontificiorum impoſturis, & Monachorum ſomniis ad furcas relegatis, *certam Doctrinæ, Rituum, & totius Gubernationis Eccleſiaſticæ Formam*, quam in Ditione ſua omnino obſervari voluit, inſtituit. (*i*) *Eccleſiaſticum & Provinciale Judicia* jam pene collapſa, cum Fratre *Johanne Alberto* reſtauravit. Illi inſpectionem Diſciplinæ Eccleſiaſticæ & Conjugiorum commendavit; In hoc velut in inſtructo Areopago, non tantum ſubditis, ſed & ipſis Principibus jus dici voluit. Atque hæc tam publica quam extraordinaria Judicia, quæ bis in annum Guſtrovii æque ac Suerini publice habebantur, in iſtius Urbis Curia, niſi morbus ipſum graviter impediret, ingraveſcente etiam ætate, toto ſui Magiſtratus tempore ſemper in præſentia Ducis noſtri *Udalrici* exercebantur, cum Juſtitiæ ac bonarum Legum obſervantiſſimus fuerit, hincque inculpate ſemper alteram aurem reo integro ſervavit, ac querelas civium aliorumque oppreſſorum ſumma patientia regie audivit, ſycophantas, calumniatores & adulatores, auribus omnia dantes, ſummopere deteſtatus, graviterque de effrenata hujus ſeculi audacia conqueſtus eſt. Fuit enim Princeps vere juſtus, pius, pacificus, Religionis ac Juſtitiæ amans ac iniquitatis rigidus æſtimator. (*k*) Eximium & omnibus numeris abſolutiſſimum juſtitiæ, æquitatis & cæterarum Virtutum Exemplar, qui heroica ſua gravitate & moribus elegantiſſimis non tantum propriis ſubditis, ſed omnibus Imperii Principibus illuſtre Exemplar fuit: Unde ipſa etiam Cæſarea Majeſtas una cum plerisque aliis vicinis Regibus & Principibus eum ſuſpiciebant quam maxime, atque in Comitiis Imperialibus dignus judicatus fuit, cui *ſuprema Imperii cura* recte committeretur. Unde factum, quod hoc Principe florente, floruerit etiam in tota Provincia ſua pietas, juſtitia ac omne virtutis exercitium. (*l*) Quam horrenda vero extincto *hoc Juſtitiæ Defenſore* facinora, cædes, adulteria, ſtupra, ſcortationes, infanticidia, deprædationes ſexcentaque alia vitia ſint audita & perpetrata horrendum dictu eſt.

Cum autem intelligeret probe, nunquam ſatis laudatiſſimus Princeps noſter, & ut uno verbo omnia dicam, vere BONUS; nec Eccleſiam florere, nec Rempublicam ſalvam eſſe poſſe, niſi Scholæ recte conſtituerentur; quapropter ille Academiam Rotzſtochienſem propemodum turbatam ac collapſam, tanquam Epiſcopus Suerinenſis ſimulque Academiæ Cancellarius perpetuus, una cum Fratre *Johanne Alberto* iterum reſtauravit, in melius formavit, eamque munificentia ſua ampliſſimis & certis ſumtibus annuis (*m*) (legarunt namque Principes Academiæ 3500. florenos annuorum redituum ex Monaſteriorum prædiis accipiendis, ſimulque Dux *Joh. Albertus* ex Præfectura Cygnenſi, tres coros ſiliginis, *drey Laſt Rocken*, & tres coros Bynes, *drey Laſt Gerſten*; Dux *Udalricus* autem noſter ex Præfectura Debboracenſi totidem coros ſiliginis & Bynes, quod frumentum etiam adhuc hodie Profeſſoribus Ducalibus ut plurimum præbetur) locupletavit, illudque ſtatutum pro ſe & poſteris ſuis, appenſione ſigillorum, ſubſcriptione ſuæ & Fratris manus confirmavit. Toto enim quo vixit, & gubernationem tenuit, tempore, in eam curam ſedulo incubuit una cum Fratre Illuſtriſſimo Domino *Johanne Alberto* Duce Megapolenſi, donec in vivis eſſet, ut Academia Rotzſtochienſis copia virorum doctorum, ſtudiis doctrinæ cœleſtis, aliarumque bonarum artium, quæ fontes ſunt omnium in vita bonorum, ac diſciplina honeſta floreret. (*n*) Quam-

(*f*) Idem Chytr. l. c. Heder. Chron. Suerin.
(*g*) Chytr. l. c.
(*h*) Simon in Vita Ualrici.
(*i*) Simon l. c.

(*k*) Joh. Sibrandus J. U. D. & Prof. in Programm. indictivo ad recolendam docto & perpolito carmine memoriam anniverſariam *D. Udalrici* a *D. Eilhardo Lubino* Theol. publice recitando An. 1605.

(*l*) Idem Sibrandus in aliis ad *D. Udalrici* memoriam in Academ. Rotzſtoch. Orationibus a *D. Paulo Tarnovio* & *Chriſtiano Sledano* Theologis propterea publice recitandis, concelebrandam Anno 1610. & 1611. affixit Programm. indictivis.

(*m*) Lobechius in Vit. Udalrici.

(*n*) *D. Lucas Bacmeiſterus* Sen. in Programm. indictivo ad celebrandam Oratione propterea a *M. Johann. Simonio* Oratoriæ Prof. conſcripta ac nomine Academiæ publice habenda, diem emortualem decimam quartam Menſis Martii Ducis *Udalrici* tantique Munificentiſſimi erga Academiam Principis memoriam, anniverſaria in poſterum eod. die parentatione quadam conſervandam ab eo t. t. Academiæ Rectore A. 1604. Tabulis publice affixo.

Quamobrem ſumtus quoque paulo ante adductos liberaliter præbuit, & quæ Principis boni ac Cancellarii inſuper Academiæ eſſent munera, eximia propenſione & clementiſſimo animo ſemper præſtitit, ornamentumque præcipuum totius Ditionis ſuæ *Academiam* eſſe judicavit. (*a*) Qui cum in cautos Reges & Principis eo nomine miſeros eſſe ſciret, quod alienis oculis viderent, alienis auribus auderent; Ipſe non ſemel in rem præſentem Rotzſtochium veniens, Academiæ ſuæ ſtatum accuratiſſime inſpexit, literarum oſores graviſſime coërcuit, lites atque controverſias malorum hominum πανεργία exortas, ſua autoritate compoſuit, pacisque & diſciplinæ ibi ſementem fecit, cujus meſſem dein ex eo meſſuere Profeſſores multo uberrimam. Quanta inſuper benevolentia Profeſſores Academiæ ſuæ Rotzſtochianæ præcipuos complexus fuerit, quam clementer & humaniter in Aulam ſuam venientes exceperit, menſæ ſuæ adhibuerit, varios cum ipſis ſermones de ſtatu Academiæ, de rebus Eccleſiaſticis & Politicis, de ſingulorum fide & officio in ornanda & juvanda Academia, ac ſtudiis Juventutis promovendis, contulerit, beneficiis quoque non exiguis eosdem interdum affecerit Princeps, non dicam imperio Romano ſolum, ſed toti etiam CHRISTIANO orbi a virtute notiſſimus *Udalricus* noſter, cum gaudio, ac nunquam intermorituro gratiſſimi animi obſequio meminit *D. Lucas Bacmeiſterus* ſenior. (*b*) Atque ſic Princeps noſter incomparabilis, qui non ſolum propter auguſtam ac heroicam corporis proceri & robuſti ſtaturam & majeſtatem, ſed potiſſimum propter ſummam pietatem, admirandam ſapientiam, juſtitiam exactam, ſapientem moderationem, ſingularem humanitatem, multasque alias virtutes tanto Principe dignas, *Noſter Germanicus* vere appellatus eſt; Opera hæc tria longe egregia: Eccleſiarum ſcil. Reformationem, Judiciorum conſtitutionem, Academiæ denique Reſtaurationem, uno fere tempore ſuſcepit ac feliciter perfecit. (*c*) Inſtaurata cum Germano, ut paulo ante dixi, Academia Rozſtochiana, *Menſam* quoque ſic dictam *Communem* ſ. publicam, in ea erexit Dux *Udalricus* noſter, & quidem in Cœnobio D. Johannis, olim Dominicanorum Fratrum Domicilio, a ſenatu Urbis ad hunc uſum propterea munificentiſſime conceſſo, quo beneficio ſtudioſis quam plurimis, quibus res eſt anguſta domi, frui licet. Bellum quum peſtem tetram intelligeret, quæ Respublicas innumeris fere malis atque incommodis afficit, ac plane tandem evertit, minime cupiebat, pacem contra tanquam Numen aliquod cœleſte ſemper veneratus eſt. (*d*) Quapropter copias auxiliares, ab *Henrico* Brunſuigo, ad vindicandas injurias a germano ſibi illatas, impetratas, ubi Beyzeburgum appropinquant, ſtatim dimiſit; ſatius apud animum ſuum ducens, rem conſilio & fraterna compoſitione, quam armis experiri. (*e*) Rotzſtochio occupato anno 1565. muri ac portæ Urbis meridionalis partem deſtruendam, Arcem ibidem anno 1566 conſtruendam Fratris præſertim inſtinctu ſimul curavit quidem, ſed ex interceſſione Academiæ & Statuum Provincialium Sternbergæ tunc congregatorum, oblatione, ſe inter Duces Fratres & civitatem Rotzſtochienſem de controverſiis utriusque partis voluntate amice componendis acturos eſſe, inita hinc, permittentibus Principibus, Guſtrovii per Delectos ex Nobilitate inter Principes & Civitatem Rotzſtochienſem die 14. Jul. 1573. Tranſactione; (*f*) cum omnia ad Rotzſtochienſium voluntatem & nutum multo felicius, quam expectare & optare auſi fuiſſent, confecta tunc fierent, Arcem hanc octodennem Anno ſequenti 1574. demoliendam iterum conceſſit: (*g*) Qua mira animi alacritate & impetu ab illis deſtructa & ſolo æquata, & mœnibus ac munitionibus Urbis refectis, non ſolum libertatem, ſed & Privilegia omnia, ac in his merum & mixtum in urbe ſua Imperium & Jurisdictionem omnimodam, una cum Jure Patronatus in quatuor Eccleſiis Parochiarum Urbis, Jus nominandi, eligendi, vocandi, & inſtituendi in domos Parochiarum a ſe vocatos Miniſtros, Paſtores ac Superattendentem recuperarunt & adepti ſunt Rotzſtochienſes, cum antea; „ Se „Principes pro ſuis hæreditariis dominis agno„ſcere velle, & in litteris ad Principes adſcri„bere; Datum in Celſit. V. urbe Roſtochio, & „ Celſit V. Hæreditarii ſubditi Conſules & Se„natus Roſtoch. Ipſi & cives etiam ſinguli „primum recipiendi certa formula Principibus „ & ſenatui fidelitatem jurare, & ſenatus accu„ſatus coram Principibus reſpondere; & ſena„tus ad cives certa die in Foro Roſtochienſi „ſub dio deprecari culpam admiſſorum ad„verſus Principes, & decem millia Aureorum „pro Arcis demolitione ſolvere, recepiſſent. „Itaque poſt adventum die 8. Febr. ſequenti „1574. anno, magno Equitum numero Ducum „Megapolitanorum *Johannis Alberti & Udal„rici* Fratrum germanorum in urbe Rotzſtochio die ſeq. 9. Febr. deprecante ſub dio ſenatu & civibus & præteritarum offenſionum veniam petente, Tranſactionem ſuperiori autumno Guſtrovii factam, perfecerunt, quæ typis poſtea Anno 1578. per *Jacobum Lucium* Rotzſtochii publice impreſſa extat. (*b*) Mortuo dein fratre *Johanne Alberto*, cum minus obedientes ſe Rotzgochienſes Duci noſtro *Udalrico* iterum præberent, brevi eos auxilio Generi

(*a*) Programma indictivum *D. Nicolai Willebrandi* J. V. D. & Prof. Mor. Publ. ad audiendam Orat. nomine Academiæ a *M. Joh. Simonio* Oratoriæ & Poët. Prof. iterum conſcriptam hacque Parentatione anniverſaria memoriam D. *Udalrici* denuo recolendam Tabulis publicis affixa die 18. Apr. 1613.
(*b*) D. Lucas Bacmeiſterus Sen. in Programm. alleg.
(*c*) Simonius in Vita Udalrici.
(*d*) Simon. in Vita *Udalrici*.
(*e*) Idem Ibid.
(*f*) Lindenberg. Chron. Roſtoch. L. IV. C. 9. Chytr. Chron. Sax. L. XXI. p. 626-630.
(*g*) Lindenberg. Chron. Roſtoch. l. c. Cap. XI. Chytr. l. c. L. XXIII. p. 685. 686.
(*h*) Chytr. l. c. p. 688.

Friderici II. Regis Daniæ detentis eorum navibus in Helleſponto, aliisque Daniæ portubus, & miſſis aliquot celocibus ad Oſtium Varnæ, quæ exeuntes & aliunde redeuntes Rotzſtochienſium naves interciperent, ad obedientiam & reverentiam redegit, inſtituta propterea iterum Guſtrovii nova Tractatione, in qua collatis utriusque partis ſententiis, tandem Anno 1584. exeunte Febr. de omnibus ex voluntate utriusque partis feliciter tranſactum, & decem millia Joachimicorum Duci inſuper noſtro ſolvendorum mulcta Civitati impoſita eſt, ex qua tractatione enata eſt *Tranſactio Guſtrovienſis II.* (*der andere Erb-Vertrag*) per *Johannem Schnitlerum* typis publicis deſcripta. (*i*) Mortuo Fratre *Johanne Alberto* anno 1576. d. 12. Febr. cum relicti ab illo filii minorennes adhuc eſſent, ſolus Ducatus totius regimen in ſe ſuſcepit Dux *Udalricus* noſter, tanta quidem cum laude, ut merito hic Principis pii, clementis, pacifici, benefici nomen deportaverit, qui virtutum ſuarum fœcunditatem nunc huc, nunc illuc, ut tempus, ratio, & neceſſitas poſcebat, transtulit retulitque, quoque non præſtabilius aut pulchrius munus a DEO immortali toti Regioni ſuæ ejusque indigenis cœlitus dari poterat, quem non tantum ut Dominum clementiſſimum omnes, ſed tanquam *Patrem Patriæ* amantiſſimum venerati ſunt ſinguli; cujus Juſtitiam, Clementiam, Humanitatem, Æquitatem, Temperantiam, Facilitatem, quotquot de Duce noſtro aliquid memoriæ & literis prodidere, omnes concelebrarunt. (*k*) Tantus enim erat in ipſo maximarum rerum modus, vt quaſi temperamento quodam virtutes miſcuiſſe videretur, quem non bellorum cupiditas, nec honoris ambitio, nec munerum largitio, ſed pax & adoptio, ac tandem exorata terris Numina dedere. Adeo namque concordiæ ſtudioſus erat, ut in pace non tantum ipſe cum ſuis ſubditis vivere amaret unice, verum etiam, ſi inter alios finitimos Electores, Principes ac Respublicas motum inteſtinum vel furorem caſtrenſem gliſcere animadvertebat, non quieſceret ante, quam magna animi contentione aut lenitate inſurgentium turbarum procellas ſedaret, ac componeret: (*l*) ut ſic tranquillitatem ſeculi iſtius, quod nunquam, quam tunc, cum ille cum imperio eſſet, beatius ac pacatius Germania inferior habuit; Ipſius vigilantiæ pene ſoli acceptum ferendum ſit: Cujus etiam admirandæ prudentiæ, ſingularis Juſtitiæ atque Concordiæ ſtudio, omnibus ſua tempeſtate Principibus anteferendo, vel unice tribuendum, quod adprobante Imperatore, ex Statuum Imperii unanimi voto, inferioris Saxoniæ *Archi-Chiliarcha*, ſ. *Dux* aut *Præfectus Militiæ Circularis*, ut vocant, conſtitutus fuerit. Hujus autem ſæpius quidem, ſed nunquam ſatis laudati Principis noſtri in rebus agendis ſummæ dexteritati, omnibusque numeris abſolutæ prudentiæ atque concordiæ præſertim ſtudioſiſſimo animo quam maxime illud debetur negotium, quod adhibitis etiam in conſilium Electoris Saxoniæ AUGUSTI & GUILIELMI Haſſiæ Landgravii Legatis interceſſoribus, ſic volente Daniæ Rege, heroica animi magnitudine, virtute, felicitate, & auctoritate excellentiſſimo, nec non Eccleſiarum ac Studiorum Doctrinæ munificentiſſimo Nutritio FRIDERICO II. Genero ſuo, (*m*) ad componendam ſat gravem ac vetuſtiſſimam controverſiam, quæ de Jure Regni in Ducatum Sleſvicenſem Daniæ Regibus cum Holſatiæ Comitibus & Ducibus, jam tum ab annis 476. & amplius fuit; anno quidem 1569. ſuſceptum, verum decennio poſt anno 1579. die 25. Martii, Othoniæ, poſt varias conſultationes, ac tres ab Interceſſoribus propoſitas ad controverſiam hanc dirimendam vias, amica Tractatione, & utriusque partis voluntate ſic tandem feliciter perfectum eſt, dum in hanc ſententiam controverſia illa ſedata ac compoſita fuit; (*n*) ut ſepoſita de gradu ſucceſſionis tam diu ac graviter agitata diſputatione, Fidem Domino Feudi debitam & ſervitia, a quibus immunes proximis annis fuerant Duces Holſatiæ, Regi Daniæ præſtarent. Atque ſic *Johannes Senior* & *Adolphus* Fratres, Duces Holſatiæ & Sleſvick; ſe *Ducatum Sleſvicenſem velut Avitum & a Regno Daniæ emanans Hæreditarium Feudum Regis & Regni Daniæ beneficio tenere* profeſſi ſunt, & in frequentibus Comitiis anno 1580. Othoniæ in Fionia indictis, ſolenni ritu, cum vexillorum projectione inveſtituram, ut nominant, Feudi Ducatus Sleſvicenſis die 2. Maji a *Friderico* II. Daniæ Rege ſub dio acceperunt, *ſeque viciſſim atque ſucceſſores ſuos in Fide & Subjectione debita Daniæ Regibus conſtanter permanſuros eſſe promiſerunt.* (*o*) Ita etiam cum paulo poſt, poſtridie Calend. Octobr. *Johannes* Senior Dux Holſatiæ & Sleſvicenſis *Friderici I.* Regis Daniæ Filius, ex hac vita cælebs diſcederet atque *Fridericum II.* inter Daniæ & *Adolphum* Suceſſorem Fratris in Ducatu Sleſvicenſi & Holſatiæ; de *Hæreditatis* a Duce *Johanne* relictæ *diviſione*, nova iterum diſceptatio exoriretur, ac Dux *Adolphus* ſecundum Jus Danicum & Sleſvicenſe, ſolus, utpote gradu propior Agnatus, & Frater ex utroque Parente, ſuccedere cuperet; (*p*) *Fridericus* vero Daniæ Rex, *Chriſtiani III.* defuncti *Johannis* ex alia Matre Fratris Filius; Jus repræſentationis, Legibus Feudorum ſancitum, quod in Transactione Odenſeenſi ſibi reſervatum ante biennium eſſe diſputabat, urgens: pariter de omnibus a *Johanne* relictis Bonis Feudalibus & Allodialibus, mobilibus & immobilibus, partem dimidiam peteret, *Udalricus* noſter cum arbitris, Electore Saxoniæ & Haſſiæ Landgravio, miſſis anno 1581. hac de re Lega-

(*i*) Lindenberg. l. c. cap. 18. Chytr. l. c. Lib. XXVI. p. 782. & 783.

(*k*) *Georgius Daſenius* Mathemat. Prof. Roſt. in Programm. ab eo Academiæ tunc Rectore indictivo Tabulis publicis adfixo ad audiendam Orat. D. *Nicolai Willebrandi* Moral. Prof. memoriam D. *Udalrici* anniverſariam in ea A. 1612. iterum recolendam.

(*l*) Idem Daſenius in Progr. cit.

(*m*) Chytr Chron. Sax. Lib. XXVIII. p. 853.

(*n*) Idem Chytr. L. XXI. p. 637-639.

(*o*) Idem Libro XXIV. pag. 716.-719.

(*p*) Idem Lib. XXV. p. 743.

Legatis ſuis Flensburgum, per ſemeſtre litem hanc ſic tranſegit, *ut derelicta Ducis* JOHANNIS *hæreditate*, *Bona mobilia* Adolphus *ſolus*; Feudalia vero *& immobilia ex æquo inter ſe partirentur*. (q)

Dixi in ſuperioribus de amica illa Transactione, qua Patria terra ex æquo ita diſpartita fuit, ut *Udalricus* noſter Dux, Diœceſin Guſtrovienſem ſolus acciperet, ac Ducalem ſedem Guſtroviæ figeret; Quamvis autem hujus Ducatus regimen anno 1554. felici ſidere acceſſerit *Udalricus*, haud tamen *Epiſcopatus Sueriniensis* a morte Patruelis ſui anno 1550. in eum devolutam Dignitatem ac Adminiſtrationem depoſuit, ſed ad mortem ſuam conſtanter ſimul retinuit, tantum Domicilii ſui locum mutavit, non tamen prius, quam Matrimoniali vinculo ſibi aſſociaviſſet *Eliſabetham* Cimbricam, *Friderici I.* Regis Daniæ Filiam, *Magni*, Patruelis ſui, Ducis Megapolenſis, nec non Epiſcopi Suerinenſis Viduam, Heroinam ingenio ac omni virtute excellentem, Nuptiis Haffniæ celebratis anno 1556. qua domum ducta, eodem anno etiam Buzovia, communi hactenus Epiſcopali & ſuo Domicilio, Guſtroviam ſedem transtulit, ubi ſequenti 1557. cum Dux noſter in Miſniam peregre abeſſet, Pars Arcis Ducalis orientalis, improvide ignis flammis accenſa, funditus conflagravit, cujus tamen inſtaurationem, nec non reliquæ Arcis, in illis, quæ obſoleta erant, ruinamque minabantur, reparationem longe nitidiorem ac ſplendidiorem ipſe poſt reditum ſuum procuravit, ſimul ac ſacello ſacro, pro ſe & aulicis præſertim ſuis ad audiendam in eo puram Evangelii prædicationem, auxit. (r)

Quam ſancte DEUM coluerit Dux noſter vel inde conſtat, cum Guſtroviæ Canonicorum Collegium ideo quod abs pura Evangelii Prædicatione abhorruiſſent, & ſaniora ac meliora a Ducibus præſcripta conſilia ac ordinationes Eccleſiaſticas reſpuiſſent, a Canonicis, qui clam aufugerant, plane deſolatum, Templumque etiam ipſorum Cathedrale D. Cæciliæ olim Sacrum, vacuefactum, per plures annos deſertum, & horrei horridi inſtar, curribus tantum reponendis aliisque profanis abuſibus deſtinatum, (*man hatte eine Wagen - Schauer daraus gemacht*) imbribus quoque ac tempeſtatibus exeſum, & vel pene totum corruens cerneret: horum priſcorum pietatis & Eccleſiæ, DEO ac rebus divinis olim conſecratum, magnisque ſumtibus ac majoribus ædificatorum monumentorum horrendam profanationem ac inſtantem ruinam, ut erat religioſiſſimus Princeps, ex animo doluit. (s) Dux itaque noſter, inſtinctu præſertim Conjugis ſuæ *Eliſabethæ* (quæ potiſſimum in eo fuit, ut paſſim Templa, Cœnobia, Scholæ, Xenodochia, teſtantibus hoc multis ubique & Doberani, Dobertini, Rhünæ, Butzoviæ, Griphismolæ, Graboviæ, Stargardiæ, Stavenhagæ, inſcriptionibus, aut inſtaurarentur, aut noviter conderentur, aut expolirentur, aut denique multis ac munificentiſſimis reditibus augerentur) ſumma cura atque munificentia *Templum* hoc *Cathedrale* S. Cæcilianum, probe iterum expolivit ac ſplendide inſtauravit, melioribus ſimul, ac olim, ſacris deſtinavit; & tum aliis ornamentis tum Sereniſſimorum *Ducum Megapolenſium Genealogia*, ſumma arte decoravit, quibus inſuper Conjux ejus munificentiſſima addidit Mauſoleum, qud pro ſe & Marito ſuo Duce noſtro *Udalrico*, ingenioſa artificis manu, marmoreis monumentis ſat ſplendida magnificentia, cum utrorumque ad vivum inſculpta ſtatura ac facie (quibus & poſtea, altera *Udalrici* Conjux *Anna* Pomeranica ſiniſtro ejus lateri appoſita fuit) exornarit, in hoc ipſo Cathedrali Templo exſtruere ſuis ſumtibus juſſit; nam & hanc *Eliſabetham Danicam* Ducis noſtri *Udalrici* conjugem priorem; (cum & ipſum graviſſima, ſuis humeris tunc incumbentia Regiminis inſtaurandi negotia ab illius Templi reparatione detinerent) potiſſimum hujus Templi Cathedralis Guſtrovienſis inſtaurationem procuraſſe; Inſcriptio quædam vetus ab adverſa ſummi Altaris parte etiamnum extans expreſſis verbis ſatis ſuperque ſic atteſtatur: „ *Nach unſers HErrn und Seligmachers Geburth Anno 1565. hat die Durchl. Fürſtin Frau Eliſabeth, gebohrne aus Königlichem Stamme Dännemarck, angefangen dieſe Thum-Kirche, welche ſchier gantz verfallen, und zu einem wüſten Hauſe geworden, dem lieben Gotte und ſeinem heiligen Worte zu Ehren wiederum zu beſſern, bauen und renoviren Und iſt die erſte Chriſtliche Predigt darin geſchehen Anno 1568. Sonntags nach dem Neuen Jahr.*

Templi Cathedralis Guſtrovienſis inſtaurationi ſuccedit nunc *novæ* ibidem *Scholæ* ſeu potius *Pædagogii* a Duce *Udalrico* noſtro inſtituta *Reformatio ac Reparatio*, quam ex deſiderio hujus Urbis Senatus ac veteri monaſtica Schola Oppidana deſtructa, ex opimis Monachorum ſpoliis relictis, in alium locum Civitatique commodiorem tranſtulit, ubi adhuc hodie (aſt poſt centum fere annos præterlapſos Anno ſc. 1662 a Duce *Guſtavo Adolpho* in ſolidiorem ac veram *Gymnaſii* formam redactum) hoc Pædagogium *Ulricianum*, nunc *Guſtavo-Adolphinum Illuſtre Gymnaſium*, munificentiſſimi Ducis noſtri *Udalrici* & regiæ Principis *Eliſabethæ* inſignibus in frontiſpicio exornatum cernitur, ædificari, pluribus claſſibus diſtingui, Rectore ac VI. collegis aliis idoneis augeri, reditibus item ac ſtipendiis majoribus dotari curavit, cui ludo illuſtri novo tunc, qui in ipſa Reparationis Scholaſticæ tempora incidebat, præfecit Anno 1572. *M. Franciſcum Oemichium, Gerhardi* Superintend. Filium, celeberrimum formandæ Juventutis artificem: a Primo, poſt repurgatam puram Evangelii Doctrinam, in Schola veteri oppidana Guſtroviæ ab anno 1553 ad annum 1565. Juventutis moderatore longe digniſſimo, M.

(q) Idem p. 744.

(r) Sleidanus in vita Udalrici. Lobechius in vita Udalrici. Henningii Theatr. Genethl. Calovii ſ. Mylii Chron. Duc. Mecklenb.

(s) Lobechius in vita Udalrici. D. 2.

Wolffgango Leopoldo Friberga-Misnico, antea etiam nostri *Udalrici* & Fratum *Christophori ac Caroli* in puerilibus ac adolescentiæ annis studiorum ac morum Formatore felicissimo, elegantis & politi ingenii, doctrinæ ac industriæ viro, ordine Quartum. (*t*) Dum autem de publicis quibusdam ædificiis, tanquam certissimis ac nunquam intermorituris sapientissimi regiminis, singularis ac intemeratæ in DEUM pietatis, inexhaustæ fere bomitatis & beneficentiæ Monimentis Ducis *Udalrici*, quæ vel instauravit, vel condidit, vel expolivit Noster, breviter saltim aliquid, eaque potiora, attigi: non possum non, quin simul etiam hic inferam versus, quos Majorum, Doberani in Cœnobii quondam celeberrimi Templo tumulatorum Mausoleo eujsque frontispicio in Marmore Pario incidere jussit sequentes:

DEO OPT. MAX.

Illustribus Principus Megapolitanis, quotquot hoc Templo in Majorum Monumentis conditi sunt, Illustriss. Princeps ULRICUS DEI gratia Megapol. & Conjux ELISABETHA, ex Regia Danorum stirpe nata, Ducissa Megapolitana, Majorum suorum cum honore & pietate colendorum memoriæ causa posuerunt. Anno instauratæ salutis clɔ Iɔ XXCIII.

Salvete o Animæ, Regum generosa Propago,
Quos tulit illustris terra Obetrita Duces:
Namque alii ob Patriam, Mavortia castra secuti,
Majorum similes, sustinuere mori.
Victores alios decus immortale tulisse,
Testantur forti fixa Trophæa manu.
Sunt, quos grata DEO pietas, & pectore puro
Proveniens stimulat Relligionis amor.
Justitiam coluere alii, tranquillaque Pacis
Tempora, legitimi Juraque sancta Tori.
Multi suaviloquas, studio flagrante, Camœnas,
Doctosque in Patria constituere Viros.
Hinc gladios Alii stringunt, dirosque latrones
Interimunt, & quos publica damna juvant,
Quopax alma data est, quo sunt commerciatuta
Securum lætus carpe, Viator, iter.
Hinc Solymas alii visunt, Terramque beatam
Et loca prodigiis, Christe, notata tuis.
Vos Patriæ Heroas, post fata suprema sepulcris,
Et titulis claros hæc loca sacra tenent.
Hic Tu PRIBISLAE jaces Temploque quiescis
Condendi cujus maximus Auctor eras.
Aspice quos natos Tibi postera secla tulerunt,
Gens viden' ut circum Te numerosa cubet?
Multa hic connubio felix Matrona sepulta est,
Quarum posteritas prole beata fuit.
HENRICUS jacet hic, factis qui forte LEONIS
Inter Vicinos nomen & omen habet.
Hic ALBERTE cubas Sueonum qui Regia quondam
Rexisti longo tempore sceptra manu.
Quid MAGNUM memorem? cujus post fata Nepotes,
Æternum meritis hoc retulere decus.
Hic Patris ALBERTI, postquam fatalia solvit,
Majorum in Tumulis ossa sepulta jacent.
Filius *Henrici* hic MAGNUS, quo doctior alter
Nec major sancta Dux pietate fuit.
Felices Animæ, Vos nulla pericula vitæ
Attingunt, nec mors ulla timenda manet.
Vos pridem proprio mundatas sanguine Christus
Fontis ad ætherii concomitatus aquas.
ULRICUS Princeps, Vestro de stemmate natus
Jam columen Patriæ & fida columna suæ.
Æmula virtutum, Regalis stirpis, ELISÆ,
ULRICI conjux, nomina clara gerens,
Majorum Tumulis posuerunt, rite precantes,
Fac, Pater, in Nato molliter ossa cubent! (*u*)

Redeo iterum ad Ducem *Udalricum* ejusque Conjugem *Elisabetham* Danicam, Heroinam munificentissimam & veram Terrarum Megapolensium MATREM uberrimam: quamvis enim Liberorum copia caruerit, unicam namque ex illa anno 1557. d. 4. Sept. Wismariæ suscepit Filiam *Sophiam* Dux *Udalricus*, virginem ingenii & virtutis maternæ hæredem, quæ sedecim annorum Principissa *Friderico II.* Danorum Regi anno 1572. d. 20. Jul. connubio est juncta, ex qua tamen tres vidit Nepotes: *Christianum IV.* Daniæ Regem inclytum & Potentissimum, hodie regnantis *Christiani VI.* Atavum, *Udalricum* Episcopatus Suerinensis Administratorem; & *Johannem* in Moscovia mortuum: Neptes autem quatuor: *Annam, Jacobo VI.* Angliæ, Scotiæ & Hyberniæ Regi, *Hedwigam Christiano II.* Saxoniæ Duci ac Imperii Electori, *Elisabetham* Duci Brunsuigio & Luneburgensi *Henrico Julio*; *Augustam* denique *Johanni Adolpho* Holsatiæ Duci & Norvegiæ Hæredi, Heroibus fortissimis nuptas: (*x*) eo tamen beneficentiorem ac benigniorem toti Ducatui Megapolensi se præbuit, cum nec locum facile reliquit in omni illa Provincia, in quo non aliquod bonitatis ac beneficentiæ suæ vestigium impresserit, & non tantum ea, quæ ad sui nominis memoriam ad seram posteritatem, sed ad Provinciæ potissimum utilitatem quoque facerent, excogitavit. (*y*) Ita per universum, ubi opus fuerit, Ducatum vias regias & muniendas & lapidibus sternendas curavit; Sylvas item complures passim sevit cum multorum admiratione, quæ posteritati in hunc usque diem vel ligna focis, vel trabes ædibus, vel malos navibus, vel etiam pecoribus glandes suppeditant. (*z*) Montes denique & campos arenarum cumulis obrutos ideoque frugum steriles & incultos, conseri seminibus piceārum aliarumque arborum plantis curavit. (*a*) In primis a variorum lignorum hactenus abundantiam Urbs Gustrovia solum debet curæ atque

(*t*) David Chytræus in Orat. Funebri Duci Christophoro habita.
(*u*) *Lochnerus in Disput. Histor. de singularibus quibusdam Mecklenb.*
(*x*) Chytræus Chron. Saxon. Lib. XXIII. p. 682.
(*y*) *David Chytræus* in Parent. Latin. Gustroviæ e suggestu d. 29. Nov. in Exequiis *D. Elisabethæ* Anno 1586. habita.
(*z*) *D. Johannes Caselius* Libro peculiari de Laudibus *Elisabethæ* Cymbricæ Rost. 1586. edit.
(*a*) *M. Johannes Colerus* in Oeconomia rurali atque domestica Lib. VIII. Cap. 12. p. m. 310.

atque beneficentiæ noſtræ Duciſſæ huic *Eliſabethæ*, dum die Viridium anni 1573. ſub directione Præfecti ſui *Göſslich Barner* Pineta poſtea denſa, quæ ad orientem verſus intra primum ab Urbe lapidem longe lateque proſpiciuntur, *bey Püſskau und Kirchen-Roſien*, provido conſilio conſerere ac plantare fecerit, adhibitis ad ſeminandum e Scholaſtico iſtius urbis cœtu nobilibus & plebejis Adoleſcentulis decem & octo numero, quorum nomina in Templo Cathedrali ibidem, poſteriori Altaris parti adſcripta conſpiciuntur. Uti autem infra Lunam nihil eſt, niſi mortale ac caducum; ita ultimus vitæ terminus tandem etiam contigit ſapientiſſimæ noſtræ Duciſſæ *Eliſabethæ*, quæ cum ſuperiori æſtate, Regem Generum *Fridericum II.* Marito ſuo Duce *Udalrico* noſtro comitata, Hafniæ inviſiſſet, in reditu ad Giedzoram (*zu Geſchow*) Falſtriæ Inſulæ Portum, ſeptem tantum milliaribus a proximo Germaniæ littore & Oſtio Arni diſſitum, (*b*) cum adverſis Auſtrorum flatibus Oceanum trajicere haud poſſet, aliquot hebdomadas cum conjuge ſuo ibi detenta, in febrim incidit, qua invaleſcente, tandem in Conjugis & Filiæ Daniæ Reginæ complexu die 15. Octobr. 1586. placide extincta, & in Megapolin revecta, Guſtroviæ die 23. Novembr. condita eſt, Orationem funebrem latinam habente *Davide Chytræo* Theologo ac Polyhiſtore inſigni, ibidem in æde Cathedrali e ſuggeſtu publice recitatam. (*c*) Conjuge priore longe chariſſima ſic orbatus Dux *Udalricus* noſter, cum per integrum fere biennium Viduus fuiſſet, ad ſecundas dein anno 1588 tranſiit nuptias, atque *Annam, Philippi I.* Ducis Pomeranorum Filiam die 9. Decembr. Wolgaſti in Pomerania matrimoniali fœdere ſibi copulavit, quam *Johannes Fridericus*, *Bogislaus* & *Barninus* Nuptæ Fratres, Guſtroviam usque comitati ſunt. (*d*) Conjugium hoc licet ſterile & infœcundum, pacatum tamen & tranquillum fuit, quare haud immerito ſemper in ore tulit: Ψυχὴ μιᾷ ζῶν, δ᾽ δυοῖν ἀφείλομεν: *Anima una non duabus vivimus.* (*e*) Hæc *Anna* ejus Conjux, ad exemplum *Eliſabethæ* prioris, opes ſuas ubique largiter diſtribuit inopibus, nam Oeconomias publicas, indigentium Studioſorum in Academiis Rotzſtochienſi & Gryphiswaldenſi annuo proventu dotavit, ac multos tenuioris fortunæ ſtudioſos luculenter ſtipendiis per plures annos juvit. (*f*). Atque nunc tandem ad nunquam ſatis laudatiſſimi Ducis noſtri *Udalrici* ultima Regiminis & vitæ tempora pervenio, in quibus, quid in urbe ſua Guſtrovia; quid in ultima ſua, tanquam Epiſcopus ſimulque perpetuus Academiæ Cancellarius propterea anno 1599. præſens in Academia Rotzſtochienſi ſuſcepta Viſitatione ſolenni; quid denique in univerſo ſuo Ducatu, tanto Principe digna laudabiliter ſtatuerit, reſtauraverit, emendaverit, ac correxerit; mei non eſt, nunc pluribus adducere, & ingenii mei culpa, Principis mea laude longe majoris laudes deterere, de quo ſatius nihil dicere, quam parum, quandoquidem vituperanti ſimilis videatur, quisquis parcius laudat. Sufficiat hoc, quod UDALRICUS & Patriæ & Academiæ Pater nullum Titulum diſcupiit magis relinquere (imo vero etiam reliquit) Poſteris, quam *Parentis optimi*: Cui hoc ſolum ad *Trajani* gloriam deeſſe videbatur, quod alterum *Plinium* non invenerit, qui tot mellitis Atticiſinis, nomen *Optimi* ad poſteros transmitteret, cui vel ſoli Principi cum univerſus Ducatus omnis ſuas Eccleſia ac Politia bonas Leges, Ordinationes ac Statuta, & quoad ipſe vixerit, tranquilla ac florentiſſima ſua tempora; tunc ipſa Academia & Muſæ Varniacæ, honeſtam ſuam ſuſtentationem, Immunitates, Privilegia ſarta & tecta conſervata, imo vel omnia debent, & quam non fugiebant oculatiſſimum Principem tempeſtatis ſuæ improbitates, quam, quia ſuis oculis videbat, ſua ſolius etiam prudentia ac Legibus ſancitis ſalutaribus proſpexit ac evertit, nihilque ex illa gloria, ut ait Orator, neque turma, neque cohors, neque Præfectus decerpſit. Ex ſumma animi ſanctitate ſua, qua, haud fucata pietate ac devotione, DEUM per vitam ſuam proſequebatur Dux noſter, *Libellum de præcipuis Chriſtianæ Doctrinæ capitibus* conſignavit, omnibusque Patribus familias præſcripſit ἀνενύμως ediditque anno 1594. in quarta ſic dicta forma; poſtea etiam ſtatim in vernaculo ſermone translatus prodiit hoc Titulo: *Kurtze Wiederholung etlicher fürnehmer Haupt-Stück Chriſtlicher Lehre, nach Ordnung des Catechiſmi durch eine hohe Fürſtliche Perſon zuſammen getragen, mit einer Vorrede* Andreæ Celichii *Mecklenburgiſchen Superintendenten. Gedruckt Leipzig 1594. in 4. In Verlegung Werneri Langen, Buchbinders und Buchhändlers in Güſtrow.* Qui Liber propter æterna ejus in Rempubl. ac Eccleſiam merita nunc etiam memoriam Ducis *Udalrici* plane reddidit immortalem. Ita quoque *Ordinationem Eccleſiaſticam*, quam cum Germano ſuo *Johanne Alberto*, jam dudum publicaverat, convocatis Rotzſtochio Superintendentibus & Theologis, de integro revideri, accuratiſſime emendari, & ſub incudem revocari, ac pridie etiam ante mortem ubique publicari juſſit, cujus vero de recipienda ordinatione Eccleſiaſtica reviſa, Sereniſſimi Mandatum Rotzſtochii die 13. Mart. Domin. Invocavit, ad publicandum transmiſſum, ægerrime tulit Senatus Urbanus, ejusque promulgationem publicam vehementer repugnavit, ac Superintendenti ſuo D. Lucæ *Bacmeiſtero* Sen. per Cos. id prohibuit; quia vero conveniente Miniſterio pridie

(*b*) David Chytr. Chron. Saxon. Lib. XXVIII. p. 830.

(*c*) Idem in Oratione die XXIII. Novembr. in ſolemni funere *Eliſabethæ* Cimbricæ *Ulrici* Ducis Conjugis Guſtroviæ in æde Cathedrali recitata ac Roſtochii 1586. edita.

(*d*) Sledanus in Vita Udalrici D. 2. Calovii ſ. Mylii Chron. Duc. Mecklenb. qui tamen in nuptiali anno 1586. qui prioris Conjugis *Udalrici* emortualis fuit, erravit.

(*e*) Idem ibid. Lobechius in vita Udalrici. C. a.

(*f*) D. Petrus Laurenbergius Medicus in Oratione parent. de D. *Anna. Lucas Bacmeiſterus* Junior in Conc. funebri Guſtrov. 1626. habita ſuper Textum Eſa. XXVI. v. 20. 21.

die hora IV. vespertina, ejus Publicatio ex Cathedris quatuor Templorum Parochialium unanimiter tamen concluſa erat, Senatus ſequenti die Dominica hora 6. matutina in Graphæo convenit, & accerſitis aliquot civibus de Miniſterio coram eis conqueſtus eſt, atque ad Superintend. *Bacmeiſterum* cæterosque Paſtores Parochiales Notarios & Teſtes, contra illos ac Ducis Mandati Promulgationem ſolenniter proteſtantes, miſerunt. Nihilominus tamen ſalva relicta Proteſtatione Senatus, Sereniſſimi Mandati Publicatio de Ordinatione Eccleſiaſtica reviſa ubique recipienda, e ſuggeſtu omnium Parochialium Templorum, ſicut in Miniſterio conſtitutum erat, ſolenniter proceſſit, unde Paſtoribus & Superintendenti præſertim vehementer illud ſuccenſuit Senatus, Cives etiam perperam hoc judicantes. (*g*) Cumque poſtridie obiiſſet Princeps laudatiſſimus, ſatis inde apparuit, multo minus ipſo mortuo admiſſam fuiſſe promulgationem illam: quamvis enim cum poſteriore Transactione Guſtrovienſi multisque aliis rationibus evidentibus, pugnet, Senatus tamen Rotzſtochienſis ſibi Jus, propriam Ordinationem Eccleſiaſticam conſtituendi in Urbe ſua arrogare voluit. His itaque multisque aliis longe innumeris (omnes enim Principis hujus res geſtas deſcribere vaſtum volumen non Annales requireret) in vita virtutum ac gloriæ plena rebus non niſi plane ſingularibus ac ſapientiſſimis ab eo peractis, Aſſertor ille ſinceræ Religionis, Templum Juſtitiæ, omnium virtutum heroicum Exemplar, Patriæ Pater, & Imperii Germanici decus & ornamentum, quo meliorem poſtea neminem vidit Guſtrovia, licet bonos quidem plures viderit, (*h*) Dux inquam noſter *Udalricus* pientiſſimus, ac ſine pari vitæ & annorum ſatur, placidiſſima morte expiravit Guſtroviæ, cum vixiſſet annos fere LXXVII. Regiminis XLIX. compleviſſet, præfuiſſet autem Epiſcopatui Suerinenſi ac Cancellariatui Academiæ Rotzſtochianæ LIII. Anno poſt Virginis partum cIↃ IↃ c III. pridie Iduum Martii, qui eſt. 14. dies Martii, hora tertia matutina, cujus dein exequiæ funebres ſolenni & magnifica pompa decentes tantum Principem factæ ſunt ibidem. (*i*) Guſtroviæ die 14. April. in præſentia *Caroli* Fratris & Succeſſoris, Ducis Pomeraniæ *Bogislai*, cum aliquot Filiis, Ulrici Ducis Holſatiæ, Reginæ Daniæ *Sophiæ* Filiæ & aliarum Duciſſarum, ſepultus in choro Templi Cathedralis in Heroo ſuo ab eo ſat magnifice exſtructo ad latus prioris Conjugis *Eliſabethæ*. (*k*) Laudavit illum in funere Fratris *Caroli* Ducis, *David Lobechius* Theologus Rotzſtoch. eleganti oratione Latina; Concionem autem funebrem habuit D. *Lucas Bacmeiſterus* Sen. Prof. Theol. Primar. & Superintend. Rotzſtoch. Scripſit Panegyricum in eundem adhuc vivum *Udalricum* Ducem M Joh. *Simonius* Eloqu. Prof. Rotzſtoch 1599. editum; Eumque defunctum etiam Rotzſtochii Anno 1603. polita oratione publice laudavit. Poſt hujus incomparabilis Herois beatiſſimam mortem, Senatus Magnificus Rotzſtochienſis ad teſtificationem publici luctus & ſubmiſſiſſimæ reverentiæ erga morte ſublatum Principem longe optimum, (*l*) publice ex Cathedris Templorum Parochialium die 20. Martii prohibuit Organicis, ne pulſarent in Templis organa: interdixit etiam, ne publici proceſſus nuptiales ad Templa haberentur, neve Mulieres aut Virgines ornamentis aureis vel argenteis conſuetis ſub gravi mulcta uterentur aliquandiu, ad declarandum publicum Luctum, donec Senatus aliud decreviſſet, qui Luctus publicus dein per totum annum in Urbe Varniaca duravit: (*m*) Academicus autem ibidem Senatus, huic Teutonico Achilli & Academiæ ſuæ Defenſori ceu alteri Herculi, ob ingentem erga Muſarum ſuarum ſedem munificentiam, JUSTA quotannis in Academia ſolenni Parentatione per totos viginti annos ſolvit. Vidua *Udalrici*, Duciſſa *Anna* Pomeranica vixit Grabovii in urbe ſua viduali ad annum usque 1626. ad 19. diem Calend. Januar. qui eſt 14. Decemb. ubi placida ac quieta expirata morte, Guſtroviæ in Mauſoleo conjugi dein aſſociata fuit, parentata latine a D. *Petro Laurenbergio* Medico Rotzſtochienſi; germanice autem a D. *Luca Bacmeiſtero* Jun. Superintend. Guſtrov. Diſtrictus. Sed adhuc de Duce noſtro *Udalrico* notandum; *Samuelem Banſovium* Rotzſtoch. J. U. D. & ſupremi Dicaſterii Tubing. in Würtembergia Aſſeſſorem, ibidem etiam poſtea in Academia Prof. Codic. deſignatum, Laudes etiam hujus Principis in Academia Tubingenſi publice pro Roſtris dixiſſe; atque a D. *Simone Pauli* Thol. ac Superint. Rotzſtoch. (*n*) in quodam loco, propter ſummam pietatem: verum & ardens erga veram Religionem ſtudium: ſingularem Pacis amorem: inſignem in Eccleſiam, Scholas & Pauperes beneficentiam: Paternam in ſubditos benevolentiam: raram clementiam: heroicam conſtantiam veritatemque in dictis & factis: æquiſimum in defendendis bonis & puniendis ſceleratis juſtitiam: incredibilem in dicendo jure diligentiam: inuſitatam humanitatem, comitatem, affabilitatem & multas alias divinas virtutes; imo non tantum Nutricium & Patronum, ſed etiam Conſervatorem Academiæ Rotzſtochianæ divinitus datum, multis ad cœlum usque laudibus effertur. Hunc etiam Ducem *Udalricum* vix regnantem, ſic alloquitur ſæpius jam adductus Poëta Rotzſtochienſis nitidiſimus *Janus Bocerus:*

Acer UDALRICUS patriis Antiſtes in Oris,
Eximet & nullo Te pia Muſa die.

Tan-

(*g*) *D. Lucas Bacmeiſterus* Sen. in MSpto quodam Actorum Eccleſiaſticor. Superintendenturæ ſuæ annuatim collectorum ad A. 1603

(*h*) D. *Erneſtus Cothmannus* JCtus Rotzſtoch. in Programmate Funebri *Georgio Scharffio* civi ibid. anno 1604. indicto.

(*i*) Simonius de Vita & Morte *Udalrici* in fine.

(*k*) D. Lucas Bacmeiſterus ſen. in MSto ſupra alleg.

(*l*) Calovius ſ. Mylius in Chron. Duc. Meg.

(*m*) D. Lucas Bacmeiſterus ſen. in MSto.

(*n*) D. Simon Pauli in Programmate funebri indictivo ad audiendas lachrymas & luctum Academiæ propter obitum Ducis *Johannis Alberti* a *Nathane Chytræo expreſſum.*

Tantus amor Patriæ, laudumque probanda cupido
Æternæ verax juſtitiæque fides.
Clara tuis major ſe virtus exerit annis
Indicat & generis ſtemmata celſa Tui.
Ipſaque vis animi pulchro cum corpore certat
Ac ingens Juveni ſpirat ab ore decus,
Lætaque vernantis ſequeris Tu tempora pacis,
Dum timet hoſtiles patria terra globos.
Attamen admonitum (melius licet omnia noris)
Inclyte Te Princeps noſtra Thalia cupit.
Inſpice quam triſti lacrymans plebs Muſica vultu,
Preſſa jacet tanti Præſulis ante pedes.
Si Conſanguinei laudes imitabere *Magni*
Auxilio ſurget protinus illa tuo.
Sique quid exemplis incumbis, reſpice Fratrem,
Quo non majus habet Patria terra decus.
Haud aliter, Præſul, veræ Tibi gaudia vitæ
Æternumque dies nomen in orbe dabit.

Johannes Simonius ſic *Vdalricum* loquentem præſentat:

Me Rex Danus Avum: Rex Scotus, Saxoque & Anglus,
Guelphus & Holſatus Pro-Socerum indigitant.
Jura, Scholas, vidi florere & Relligionem:
Me Cæſar magni fecit & Imperium.
Gloria ſumma! ſed hæc mea maxuma gloria, Chriſtum
Quod colui, in vera quod moriorque fide.

Johannes item *Poſſelius* Junior, in *Parentatione* anniverſaria huic Duci *Udalrico* facta, ejus progeniem ſic effert.

Cimbricus hoc Rex gaudet Avo, & Dux *Udalricus*
Magnanimus, noſtræ firma columna Scholæ:
Hunc & Rex Anglus, Saxo hunc Septemvir, eundem
Pro-Socerum Holſatus, Dux quoque Guelphus habet.

ubi per *Udalricum* intelligit Hæredem Norvegiæ, *Friderici* II. Regis Daniæ Filium, Ducis noſtri nepotem, ſuum in Epiſcopatu Suerinenſi & Cancellariatu Academiæ ſucceſſorem meritiſſimum.

Cap. VI.

De *Georgio*, Duce Megapolæo.

GEORGIUS Filius *Alberti* ordine IV. *Henrici Pacifici* e Fratre Nepos, Ducum *Johannis Alberti* & *Udalrici* Germanus, in hanc lucem editus eſt Suerini, anno poſt Chriſtum natum, milleſimo quingenteſimo vigeſimo nono die 22. Febr. (*a*) Juvenis, animo feroci & audaci præditus, cum ſeniores Fratres, unum quidem Ducatum, alterum vero Epiſcopatum obtinuiſſe, ſe autem in pactione Fratris majoris neglectum eſſe videret, anno 1550. cohortem collegit, qua Arcem Epiſcopi Buzovienſem aliquot dies obſedit. Cum autem Patruus ejus Dux *Henrificus Pacificus* ſubditos ad eum depellendum convocaſſet, Arcis obſidionem cum Patria reliquit, ſeque ad *Henricum* Ducem Brunſuicenſem contulit, in cujus caſtris urbem Brunſuigam menſe Julio & Auguſto exiguis copiis obſidentis ſtrenue militavit. (*b*) Aſt die 8. Sept. eodem anno juſſu Cæſaris, ac vicinorum Electorum Saxonis & Brandenburg. Legatorum ac aliquot civitatum Coss. interceſſionibus obſidione urbis ſoluta copiisque dimiſſis; *Georgius* Dux noſter Megapolitanus ter mille pedites & ducentos Equites ſibi adjunxit, quibus Patruo ſuo ac Fratribus partem Ditionis, vel certe Suerinenſem Diœceſin extorquere tentavit quidem, aſt nihil effecit: (*c*) (trecentos namque equites, ac quatuor millia peditum copias conſcriptas ipſi oppoſuerunt Patruus *Henricus* & *Johannes Albertus* Frater; quas dein exauctoratas, *Johannes Heideccius* & *Volradus* Mansfeldii Comites, ut Magdeburgicis a Cæſare præſcriptis & dein obſeſſis, opem ferrent, conſcio & aſſentiente *Johanne Alberto* Duce Megapolitano ad ſe traduxerunt) hinc ut milites a ſe conductos, quibus ſtipendia dare non poterat, direptionibus ac prædis aleret, & ſibi obſequentiores & alacriores redderet, in Magdeburgenſium proſcriptorum oppida & pagos, rapinis & exactionibus pecuniarum, quibus domicilia ſua ab incendiis redimerent, aliquot dies graſſatur. Deinde die 22. Sept. die *Mauritii*, Magdeburgenſes, qui cum duodecim cohortibus peditum & centum equitibus urbe egreſſi, prope *Wolmerſtadium* manea tergo adoritur, ubi promiſcuam agricolarum multitudinem, belli imperitam, invadens, primo impetu diſſipat, & turbatis ordinibus, cæteros etiam in fugam converſos ingenti ſtrage profligat; (*d*) & cæſi tunc ſunt ex Magdeburgenſibus circiter mille ducenti, plerique agricolæ, milites autem & cives ducenti, & in his turbulentiſſimi ac ſeditioſiſſimi multi, (*e*) quos, ſi vixiſſent, intra urbem tumultuaturos metus erat; capti quoque trecenti, amiſſa tormenta majora undecim, & currules machinæ omnes. Quo prælio Dux *Georgius* Magdeburgenſi bello & obſidioni urbis paulo poſt abs *Mauritio* Electore Saxoniæ auſpicio *Caroli* V. Imperatoris ſuſceptæ, initium dedit, qui dein ſtatim Schonbecam ad Ducem Electorem Saxoniæ *Mauritium* (cui *Joachimus* Marchio Brandenburg. Elector & capitulares ac Ordines Diœceſis præcipui, de ratione inſtituendæ obſidionis deliberaturi, paulo poſt acceſſerant) ſe contulit, ipſique ſtrenuam ſuam operam militarem in oppugnanda urbe hac navavit. Sed ut Mars eſt ἀλλοπρόσαλλος, ita *Georgius* Princeps, die 20. Decembr. eodem anno, in velitatione quadam cum Magdeburgenſibus ultra milliare ab urbe Otterslebiam egredientibus, habita, acriter dimicans & vulneratus, equo lapſus, captivus in urbem deductus, vertente tandem anno, poſt pacem urbi cum

(*a*) Chytræus Chron. Saxon. Lib. XII. p. 363. Henning. Tabul. Genealog. 44. ſecundum Chron. Suerin. 1528. d. 22. Febr. natus eſt.

(*b*) Chytr. l. c. Lib. XVII. p. 494.

(*c*) Idem p. 495. & 499.

(*d*) Caſelius in Vita *Caroli*. *Chytræus Chron. Saxon.* p. 495.

(*e*) Henning. Theatr. Genethl.

libertate integra ſalvaque religione Evangelica redditam, cum captivis circiter ſexcentis, absque λύτρῳ liber dimiſſus, die 8. Novemb. una cum bis mille peditibus ac centum & triginta equitibus armatis tectis vexillis, urbe ſimul exiit: (*f*) Copias vero illas pridie Magdeburga egreſſas, *Georgius* Dux diſſimulato *Mauritii* nomine, denuo conduxit, ac in Thuringia hybernare juſſit; (*g*) quibus, anno ſequ. poſt initum *Mauritii* cum confœderatis ſuis *Wilhelmo*, Haſſiæ Landgravio & *Joh. Alberto* Duce Megapol. Lochæ cum Galliæ Rege adverſus *Carolum* V. Imperatorem Fœdus, *Mauritio* iterum militavit. (*h*) Interea *Georgii* Frater Dux *Johannes Albertus* tribus equitum turmis comitatus anno 1552. initio Martii Suerino ad *Mauritium* proficiſcitur, qui conjunctis armis, Calendis Aprilis Auguſtam Vindelicorum perveniunt, quæ quarto poſt die *Mauritio* & confœderatis dedita eſt. Inde ad Alpium fauces accedunt, ubi copias a Cæſare recens conſcriptas diſſipant, & in anguſtias viarum penetrantes, clauſtra Alpium, & Arcem Erenbergam die 19. Maji occupant, idque ſolum *Wilhelmi* Heſſi & *Georgii* noſtri Principis Mecklenburgici auſu magnanimo, qui per adverſum atque præruptum montem milites ad loca Arce ſuperiora evexerant; (*i*) qua arce pro inexpugnabili habita, capta, cum poſtridie Cæſar cognoviſſet, noctu accenſis funalibus, lecticæ geſtamine pedibus æger incedens, una cum fratre *Ferdinando*, & *Joh. Friderico* Saxoniæ Duce jam libertati reſtituto, Oeniponte diſcedens, Villacum Carinthiæ oppidum confugit, quem fœderati Principes inſequentes biduo poſt Oenipontem veniunt, & *Mauritius* hinc Paſſavium profectus, reliqui Auguſtam initio Junii rediere: cui feliciſſimæ confœderatorum expeditioni, tandem die 20. Julii, famoſiſſima illa ac A. C. Religioni addictis longe feliciſſima & ſalutaris *Pax, ſeu Transactio Paſſavienſis* inſecuta eſt. Aſt *Georgius* Princeps noſter Megalopyrgenſis longe magnanimus ac bellicoſiſſimus, dum in caſtris Principum Confœderatorum, Francofordiam ad Moenum nunc etiam obſidentium, mane ſub dio ſtat, ac ei miniſter ligulas connectit, ſubito globo tormenti ex urbe emiſſo, dextrum pedem ad coxendicem abripiente, interiit, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, quinquageſimo ſecundo, tertio *Nonarum* Julii, qui eſt 5. Jul. unde dehinc Suerinum in patrias terras abductus, ibidem in templo Cathedrali apud Majores conditus eſt, (*k*) cujus vitam & res geſtas his verſibus ſic olim publice decantavit *Johannes Simonius*.

Tertius a Primo (nempe Filiorum Ducis *Alberti*)
belli arte GEORGIUS, acri.
Excellens Martis pullus, vicina potentis
Arva urbis, cui VIRGO dedit lectiſſima nomen
ALBIDOS ad ripam: quam Cæſaris ira verendo
Mulctarat banno: fremebundo milite vaſtat:
Effuſamque minus felici ſidere turbam,
A tergo invadens, ingenti clade fatigat
Et pavefacta Virum demittit corpora letho.
Poſt ubi Magdburgam Septemvir Saxo, tremenda
Juſſa ſequens AQUILÆ denſo agmine & aggere cinxit,
Ipſe hoſtem incluſum, pugnatum, in prælia crebra
Evocat; at tandem, nequicquam talia fingens,
Incidit in caſſes: capitur GEORGIUS: illi
Ignescunt iræ, triſtis dolor oſſibus hæret:
Haud ſecus, ac ſævum cum ruſtica turba Leonem
Undique præcingit telis, nec vertere terga
Fulva poteſt, contra aut ſe ferre: ille æſtuat ira,
Et capit ingentes generoſo in pectore flammas.
Hinc tamen exemtus, binis labentibus annis,
Hic, ubi cœruleus FRANCORUM dividit urbem
MOENUS, fulminea percuſſus glande GEORGIUS
Occidit, & pulcram oppetiit per vulnera mortem.

Cap. VII.

De *Chriſtophoro*, Duce Megapolæo.

CHRISTOPHORUS, Ducis *Alberti* Filius VII. *Johannis Alberti, Udalrici* & *Georgii* Germanus, anno milleſimo poſt quingentos trigeſimo, ipſo die Johannis Baptiſtæ, natus eſt Auguſtæ Rhetorum, (*l*) in civitate, a veteri Germanorum Regione Rhætia, ejusque Inferiore tractu, qui a Lyco amne ad Oenum usque terminabatur, in qua jacet, quamque poſtea Vindelici populi inhabitarunt, ita dicta, quæ nunc *Auguſta Vindelicorum a Claudio Druſo* audit, hujus urbis Ampliatore, in honorem vitrici ſui Cæſaris *Auguſti* ita indigitata, cum vetuſtiſſimis temporibus *Siſaria* dicebatur, a DEA *Siſa* vel *Iſide Cerere* quam adorarunt ac coluerunt incolæ Ethnici. (*m*) In hac autem Civitate ſat inſigni ac celebratiſſimo Germaniæ Emporio, Serenisſimæ Matri ejus, *Annæ* illi Brandenburgicæ, Ducem Maritum in Aulam Bavaricam comitanti, ſubitis partus doloribus oppreſſæ ſubſiſtendum fuit. Patrem noſtri *Chriſtophori*, Ducem *Albertum*, omnes qui de rebus Mecklenburgicis literis aliquid tradiderunt, Autores, propter eximiam formæ elegantiam præſertim laudant, (*n*) cujus quidem ætate nullus in Imperio Princeps, excelſi animi & corporis Heroici dotibus, & magis auguſta Majeſtate conſpicuus, floruiſſe dicitur. Mater *Anna* fuit, Electoris Brandenburgenſis *Joachimi I.* Filia, qui non Oratoria ſolum laude, ſed & Latine & Germanice dicendi facultate ac eloquentia ita præ cæteris Principibus excelluit, ut in conventibus Imperii, & alibi, præſertim in Auguſtæ anno 1530. habitis comitiis, qua

(*f*) Caſel. l. c. Chytr. l. c. p. 496.
(*g*) Id. p. 503.
(*h*) Id. pag. 505. (*i*) Id. p. 508.
(*k*) Caſel. in Vita Caroli. Henning Theatr. Genethl. Chytr. Chron. Saxon. Lib. XVII. p. 509.
(*l*) Chron. Duc. Meg. Calovii f. Mylii.
(*m*) *Getreuer Reiß-Gefferten durch Ober- und Nieder-Teutſchland* p. m. 61. Zeilerus, Schedius & plures.
(*n*) Chytræus in Orat. peculiari de Duce Chriſtophoro habita, Chron. Saxon. inſerta p. 894.

qua Regni Croatiæ Proceribus, aliisque exterarum gentium tunc præsentibus Legatis, Latina Oratione Imperii nomine, publice responderit, qua etiam, cum ex Principibus Ecclesiasticis nemo tum idoneus adesset, Legatum Romani Pontificis Cardinalem *Campegium* de adventu suo in Germaniam latina oratione exceperit. (*a*) Nomen *Christophori* Principi nostro inditum fuit, a Baptismatis teste *Christophoro a Stadion* ejus temporis Episcopo Augustano, ob sapientiam, pietatem, & in Religionis controversiis recens motis prudentiam, ac moderationem eximiam ab *Erasmo Roterodamo* publicis scriptis celebratur. (*b*) In Pueritia sua Dux noster *Christophorus* literis & omnis elegantioris doctrinæ ac pietatis studiis imbutus est a M. *Wolffgango Leopoldo* Fribergensi Misnico, viro elegantis & politi ingenii, doctrinæ ac industriæ, (*c*) præter Ducem nostrum *Christophorum*, etiam *Ulrici* & *Caroli* Fratrum, in Juventute Informatore aulico, postea autem hoc Principum Magisterio soluto, instaurati post Papatum illustris Ludi Gustrovensis ab anno 1553. ad annum ejus emortualem 1565. quo mense Septemb. peste obiit, Rectore Primo longe fidelissimo ac felicissimo. Interim, *Mauritius* Elector Saxoniæ, *Wilhelmus* Hassiæ Landgravius, aliique Imperii Principes ac Status, dum ad capessenda arma adversus *Carolum V.* Imperatorem Romanum, anno 1551. Lochæ conventum celebrantes, fœdus ineunt cum *Henrico II.* Rege Gallorum, quem nimium crescens *Caroli* potentia & aliæ urebant injuriæ, huic fœderi *Johannes Albertus* Dux Megapolitanus, solo veræ Religionis & salutis Ecclesiæ, & libertatis Germaniæ amore ac zelo adductus, se quoque conjunxit, & obsidem propterea fidei Gallo datæ, Fratrem Juniorem, *Christophorum* nostrum, pueritiæ annos vix egressum, ex medio studiorum cursu abreptum, una cum custode suo & Aulæ Magistro Viro nobili *Joachimo Cleinovio*, uti etiam Wilhelmus Hassiæ Princeps, Fratrem *Philippum*, & alii alios, in Galliam missos, dederunt. (*d*) Pace autem hac, seu famosa illa Transactione Passaviensi Anno 1552. die 2. Augusti Passavii instituta ac confecta, Dux *Johannes Albertus*, misso in Galliam *Joachimo Maltzano*, Barone in Warteberg, *Francisco I.* Regi olim a militiis, Fratrem *Christophorum* adolescentem in Patriam reduci curavit. (*e*) Paulo post, cum inter Principes Fratres Seniores *Johannem Albertum* & *Udalricum* Ditio Megapolis a Patre & Patruo *Henrico Pacifico* relicta Anno 1554. partita esset, pax illa in eas quoque conditiones convenit, ut *Johannes Albertus* Dux *Christophori*, Dux autem *Ulricus* curam *Caroli*, juniorum suorum Fratrum in se susciperent; (*f*) forte tunc contigit, ut *Christophorus a Schulenburg* Episcopus Raceburgensis anno 1551. die 14. Decemb. in locum *Georgii a Blumedal* demortui electus, (*g*) qui postquam auxilio *Georgii ab Holle*, Tribuni militum celebris Arcem & sedem Episcopalem Stofam biennio a Duce Saxoniæ *Francisco*, *Volradi* Mansfeldensis opera, Episcopo ereptam, recuperarat, paulo post de sacerdotio relinquendo & familia propaganda cogitaret, Episcopam Collegio resignaret. Certa itaque pecuniæ summa *Schulenburgius a Johanne Alberto* Duce Megapol. accepta, Jus suum, Fratri *Johannis Alberti*, Duci *Christophoro* concessit, qui hac occasione anno 1554. gubernationem Diœceseos Raceburg. adeptus, (*h*) annos duo de quadraginta talem se se in administrando Episcopatu gessit, ut & vivus omnem favorem demereretur, & mortuus magnum sui desiderium subditis reliquerit. (*i*) Hic primus in suo Episcopatu Reverendi & Nobilis Ecclesiæ Raceburgensis Præpositi, iDn. *Ludolphi Schackii* consiliis & fide adjutus, deletis abusibus & idolis pontificiis, sinceriorem Evangelii Doctrinam & legitimum Sacramentorum usum, in Templum Cathedrale Raceburgi invexit, illudque a Pontificiorum fermento perpurgavit, cum eo usque Sacrificia Missarum pro vivis & defunctis idololatrica, offerri usitatum fuisset. Factum hoc 1566. ubi primum Doctrinæ purioris Doctorem, *Georgium Uslerum* in Templo ibidem Cathedrali laudatus noster Dux Megapolitanus *Christophorus* duodecimo Episcopatus sui anno collocavit, (*k*) cujus viri Theologi effigies adhuc hodie ibidem in Templo Cathedrali columnæ suggestus appensa conspicitur, cum hac subscriptione: D. Georgius Uslerus *Ecclesiæ hujus Cathedralis Pastor* Anno 1576. Insuper etiam Episcopus noster Serenissimus, Musarum Fautor benignissimus extitit, (*l*) qui studia Literarum & Scholasticos pauperes liberaliter adjuvit, ac suo sumtu in Lycæo Suerinensi & Academia Rotzstochiensi stipendiis honestis aluit. (*m*) Cum ad senium vergeret *Wilhelmus* Marchio Brandeburgensis, *Friderici* Aubacensis Filius, Ducis Borussiæ *Alberti* Germanus, Archi-Episcopus Rigensis, Dux *Johannes Albertus* Mecklenburgicus ex consilio futuri sui Soceri Borussiæ Ducis *Alberti*, Archi-Episcopo illi de coadjutore & successore adsciscendo deliberanti, Imperatoris *Caroli V.* & *Ferdinandi* Fratris, Regum, Daniæ Christiani III. & *Sigismundi* Poloniæ, & plerorumque Imperii Electorum ac Principum litteris adjutus, *Christophorum* Fratrem suum commendat, qui propterea nostrum *Christophorum* inscio collegio & Consiliariis ac Nobilitate

(*a*) Idem ibid.
(*b*) Idem ibid.
(*c*) Chytr. in Orat. cit. p. 896. Frider. Thomæ in Analect. Gustrov. Period. III. §. 12. p. m. 154. nec non in Catalogo adjecto Biographico Class. I. Theologic. Num. VI. p. m. 60. & 61.
(*d*) D. David Chytræus in Chron. Saxon. Lib. XIV. p. 505 & in Orat. cit. p. 896.
(*e*) Chytr. in Orat. cit.
(*f*) Idem in Orat. cit.
(*g*) Chytr. in Chron. Saxon. Lib. XVII. pag. 506. & Lib. XVIII. p. 532. & in Orat. cit. p. 897.
(*h*) Weinrich. Idea Boni Principis.
(*i*) Idem ibid.
(*k*) Chytr. Chron. Saxon. Lib. XXI. pag. 636. & in Orat. cit. pag. 900.
(*l*) Idem ibid.
(*m*) Id. in Chron. Saxon. p. 533. seqq. Lib. XVIII. & in Orat. cit. p. 897. seqq.

Diœceſis anno 1555. Coadjutorem Archi-Epiſcopatus Rigenſis ſibi etiam adſcivit, unde a Fratre comitatu Principe digno inſtructus, adjunctis ſimul conſiliariis, ac in primis Gubernatore ac Aulæ Magiſtro fido *Joachimo Cluſio*, in Livoniam miſſus, & die quidem 27. Novembr. eodem anno Diœceſin Rigenſem appulit, (*n*) ubi amanter a ſene Archi-Epiſcopo exceptus, Præfecturis aliquot, unde Familiæ ſumtus Principe dignos ſuſtineret, donatus eſt, qua tamen dignitate vix ultra ſemeſtre ſpatium noſtro tranquille frui licuit. Magiſtri namque Ordinis Teutonici ſenis *Henrici a Galen* vices gerens *Wilhelmus a Fürſtenberg*, concitatis cæteris Proceribus Livoniæ S. Ordinibus Teutonicis, (*o*) poſtulationem hanc ægerrime ferentes, quod Wolmarienſi receſſui, ne quis Princeps aut Comes externus niſi ex communi omnium Ordinum, non minus infimorum quam ſummorum conſenſu, ad dignitatem in Livonia admitteretur, ea e diametro repugnaret; hinc ſumtis armis Duce *Wilhelmo Fürſtenbergio*, Archi-Epiſcopum *Wilhelmum* Ducem, una cum Coadjutore novo Duce noſtro *Chriſtophoro* Kakenhuſii obſeſſos, anno 1556. die 1. Julii in ſuam poteſtatem redigunt; *Wilhelmum* Archi-Epiſcopum toto anno in cuſtodia Principe indigna Atſelæ; *Chriſtophorum* vero laxius habitum in arce Treidana, detinent. Inde vero *Ferdinandus* Romanorum Imperator & Electores Imperii, cujus tum Provincia erat Livonia, omnes; & *Chriſtianus III.* Daniæ Rex, a Duce Boruſſiæ Sororio ſuo & *Johanne Alberto* Duce Megapolitano excitati, Legatos ſuos in Livoniam de liberando Archi-Epiſcopo, & controverſiis illis & motibus bellicis, ex æquo & bono componendis miſere, (*p*) Danici autem Legati cæteros jam anteverterant, & conditiones pacis certas confecerant, ut Archi-Diœceſis Rigenſis, quæ tota in poteſtate Magiſtri Ordinis erat, Epiſcopo Derbatenſi & Oſilienſi ſequeſtris traderetur, Archi-Epiſcopo ex cuſtodia liberato, quatuor præfecturæ, *Chriſtophoro* noſtro totidem fruendæ relinquerentur, donec reliquæ controverſiæ, jure, vel ex æquo & bono componerentur. Quas tamen conditiones *Sigismundus* Poloniæ Rex, Archi-Epiſcopi Avunculus, ratas habere noluit, qui ante Legatorum adventum, cum Boruſſiæ Duce *Alberto* ut capto Fratri Archi-Epiſcopo opem maturam ferrent, exercitus adverſus Livoniæ ordines contraxerunt, Polonorumque Rex jam ad Livoniæ fines, cum copiis proceſſerat; hincque tandem & Archi-Epiſcopus & Dux *Chriſtophorus* Coadjutor, poſthabito illo Wolmarienſi Decreto in integrum die 5. Octob. 1557. reſtituti ſunt, confecto per Commiſſarios Imperii, Regem *Ferdinandum* Cæſarem & Pomeraniæ Duces inter Poloniæ Regem Archi-Epiſcopum & Magiſtrum ac Status Livoniæ Inſtrumento Transactionis die 5. Sept. Paſwali obſignato, ita quidem, ut præſentibus Legatis Imperatoris Romani & Poloniæ Regis, & Archi-Epiſcopus in poſſeſſionem Archi-Epiſcopatus ſui Rigenſis cum traditione clavium arcis Kakenhuſiæ reſtitutus, & a Nobilitate Diœceſana juramentum fidelitatis præſtitum fuerit; (*q*) Biduo etiam poſt *Chriſtophorus* Dux noſter Coadjutor electus & Archi-Epiſcopo præſentatus eſt. Vix autem Dux *Chriſtophorus* noſter priſtinam dignitatem Archi-Epiſcopalem iterum indeptus, ratus, ſe deinceps tranquille commodis ſuis ſumma cum ſpe ampliſſimi Principatus mox acceſſuri, frui poſſe: ecce, præter omnem ipſius & cæterorum Livoniæ Ordinum expectationem, nova & terribilis tempeſtas a Magno Moskoviæ Duce *Johanne* excitatur, qui altero, poſt reſtitutum *Chriſtophorum*, menſe, bellum Livonis, etiam Religionis prætextu, quod Templa Ruſſica, in Urbibus Livonicis deſtructa, non inſtauraſſent, nec ſubditis ſuis libera cum Livonis & transmarinis commercia in Urbibus Livonicis reſtituiſſent, & Tributum ſibi ex provincia Dorbatenſi debitum, ut aliquoties tabulis pactorum obſignatis fidem dediſſent, nondum perviſſent, per literas indixit, ac mox ineunte ſtatim anno ſequenti 1558. immiſſis in Livoniam exercitibus, immani crudelitate, direptionibus, incendiis & cædibus, graſſatus, Narvam Livoniæ ad Boream propugnaculum expugnavit, Derbatum Urbem occupavit, Revaliæ certiſſimum interitum minatus eſt. (*r*) Quamvis autem collectis equitum ac peditum copiis, adjuncta ſibi Archi-Epiſcopatus Rigenſis Nobilitate, cui *Chriſtophorus* noſter Coadjutor præfectus erat, in Dorpatenſem Provinciam expeditionem ſuſceperit, & parte copiarum Moſchi ad Toreferam profligata, arcem Rinpen recuperaverit *Gothardus*, Heros magnanimus, prudens, pius, peritus rei militaris & fortitudine bellica inſignis, Coadjutor tunc Magiſtri Ordinis Teutonici & dein etiam Succeſſor *Fürſtenbergii*; qui & poſtea *Primus Curlandiæ Dux* creatus eſt; (*s*) Moſchus tamen hac impreſſione magis exacerbatus, conſiſtente jam frigore hyberno, ingentem exercitum ſequentis anni 1559. initio in Livoniam remiſit, qui totam Archi-Diœceſin pervagatus, ad Urbis Rigenſis fere mœnia acceſſit. Qua nova hoſtium irruptione coacti Archi-Epiſcopus ejusque Ordinis Coadjutor, cum ſe ab Imperio Romano non juvari, & ſolos ad reſiſtendum hoſti tam potenti ac immani impares eſſe cernerent, *Sigismundum* Poloniæ Regem vicinum & *Archi-Diœceſis Rigenſis Protectorem* rogarunt atque exorarunt: ut ſalvo Imperii Romani jure, defenſionem Livoniæ in ſe ſuſcipiat, atque pro ſumtibus belli novem Arces ac Præfecturas pignoris loco, a Livoniæ Magiſtratibus ſexcentis millibus aureorum poſtea iterum redimendas, acciperet, quæ defenſionis pacta ſolennibus literis & juramentis utrinque confirmata fuere. (*t*) *Gothardus* Commendator Duneburgicus & a *Wilhelmo Für-*

ſten-

(*n*) Idem ibid. in Chron. p. 539.
(*o*) Idem Chytr. Chron. Sax. Lib. XVIII. p. 533. & 539.
(*p*) Idem ibid. p. 540. & in Orat. p. 897.
(*q*) Idem Chron. Saxon. Lib. XIX. p. 552.
(*r*) Idem ibid. p. 554.
(*s*) Idem p. 556. Chron. Saxon.
(*t*) Idem Lib. XX. pag. 580. & 581.

ſtenbergio qui renunciaverat, nunc quoque conſtitutus Ordinis Teutonici legitimus Magiſter, hinc una cum Duce noſtro *Chriſtophoro* Archi-Epiſcopi Rigenſis, quod ſæpius jam dixi, Coadjutore, expeditionem in Diœceſin Derbatenſem denuo ſuſceperunt, Urbem tamen Derbatum ob crebras cum Ruſſis habitas velitationes occupare haud potuerunt. (*) Interim tamen Ruſſi inſtant ingentibus ſuis copiis totam Livoniam impune pervagari, loca munita vel omnia occupare, & infinitam hominum multitudinem in duriſſimam captivitatem abducere: qui ineunte anno 1560. Mariæburgum, Adtſel & alias Arces cepit, univerſam Provinciam Eſthoniam ejusque præſertim partem Harriam, cujus Metropolis Revalia eſt, cum vicinorum locorum Regionibus pervagantur ac diripiunt: in Lettonia exercitum Livonum Duce *Philippo Schal* Magiſtro Equitum Provinciæ prope Ermas profligant, munitiſſimum Oppidum & Arcem Vellin exeunte Julio oppugnant, & *Wilhelmum Fürſtenbergium* Priorem Ordinis Magiſtrum ſenem, qui reliquæ vitæ ſedem ſibi in ea delegerat, captivum in Moſcoviam ad dies vitæ abducunt, & ad ipſas uſque Revaliæ portas prædando excurrerunt, quæ Urbs ab Imperio derelicta, & extrema neceſſitate adacta, ſe tunc *Erico* Regi Sueciæ ſubjecit. (a) Poloniæ autem Rex, ad cujus Patrocinium & tutelam Magiſter Ordinis Livoniæ, Archi-Epiſcopus Rigenſis, totaque Nobilitas illis ſubjecta confugerat, cum diſtractiones Livoniæ inteſtinas varias & multiplices, & Urbem Revaliam cum tota vicinia Sueco ſe ſubjeciſſe, aliquot etiam Provincias, Diœceſes ſc. Oſilienſem & Curonienſem in Livonia (quas paulo ante *Johannes* a *Münchhauſen* Epiſcopus, perſolutis ſibi aliquot millibus Joachimicorum Regi Daniæ *Chriſtiano III.* ceſſerat) quibus paulo poſt Revalienſis etiam Diœceſis, a Ruſſis & Suecis jam occupatæ, jus a *Mauritio Vrangel* Revalienſi Epiſcopo poſtremo adjunctum eſt, a *Magno* Holſatiæ Duce, renunciato ſuo in Holſatio Patrimonio, ſibi a Fratre ſuo Rege Daniæ *Friderico II.* jure hæreditario traditas, teneri cerneret; non amplius prioribus pactis de defenſione teneri, cum Magiſtro Ordinis & Archi-Epiſcopo initis, ratus, multo minus conatum defenſionis aliquem adverſus Ruſſos ſuſcipere voluit, niſi Archi-Epiſcopus & Magiſter Ordinis cum omnibus ſubditis ſuis ſe Regno Poloniæ & Lithuaniæ penitus ſubderent, & ſolenni ſubjectionis juramento devincirent. Archi-Epiſcopus igitur & Magiſter Ordinis, qui ab Imperio Romano, ejus auxilium & opem aſſiduis legationibus fruſtra hactenus ſupplices implorantes, ſe plane nunc deſertos eſſe judicabant, & ingentia quoque Livoniæ, jam magna ex parte a Moſcho & aliis occupatæ & vaſtatæ, vulnera, remedium præſens efflagitarent; extrema hinc coacti neceſſitate, ut reliquas adhuc Livoniæ Provincias, ne in Moſchi poteſtatem pervenirent, nomini & Religioni Chriſtianæ conſervarent, conditionem ſubjectionis a Rege Poloniæ flagitatam ſubire coacti ſunt. (b) Quæ quidem inſignis hæc ſummi Magiſtratus Livoniæ mutatio ejusque Regi Poloniæ ſub certis conditionibus facta ſubjectio, illisque contra a Rege Poloniæ, ſervatis ſcil. omnibus Privilegiis Archi-Epiſcopæ Rigenſis, ſuis quoque Livonicæ Nobilitatis denuo a Rege confirmatis, data magnifica promiſſio, non literis ſolum Proviſionis & ſigillis, verum etiam Jurejurando, a Rege Poloniæ *Sigismundo*, *Wilhelmo* Archi-Epiſcopo Rigenſi, *Gothardo* novo nunc electo Duce Curlandiæ (qui Magiſter hactenus Ordinis Teutonici in Livonia, anno 1562. die 5 Martii in Arce Rigenſi coram Poloniæ Regis Commiſſario & Locumtenente *Nicolao Ratzevilo* Palatino Vilnenſe, ordinem ſuum reſignans, primum Crucem, deinde ſigillum, poſtea Literas & Diplomata omnia, quæ ordo Militiæ Teutonicæ, poſtquam anno triceſimo quinquageſimo ſeptimo cepiſſet, a Cæſaribus & Pontificibus acceperat, claves inſuper Arcis Rigenſis & Portæ Civitatis, officium Commendatoriæ, jus cudendæ monetæ, vectigal piſcium, & omnia alia ſua & ordinis ſui jura Poloniæ Regi ceſſit ac tradidit, ſtatim autem facta reſignatione a Palatino *Razevilo* nomine Regiæ Majeſtatis Dux CURLANDIÆ & SEMIGALLIÆ die 6. Martii in Curia Rigenſi publice proclamatus, & claves Arcis & Portæ Civitatis iterum redditæ ſuntcui Nobilitas Curlandica & Semigallica, velut hæreditario ſuo Domino, Juramentum ſolenne quoque præſtitit) & ordinis Legatis Vilnæ in conventu Imperii publico die quidem 28 Novemb 1562. confirmata ſunt, quas Literas, cum Nobilitatis Livoniæ Privilegiis confirmatis, cum Juramentis ab utraque parte tunc præſtitis pluribus enarrat, ſuoque *Saxoniæ Chronico* inſeruit *D. David Chytræus*, Theologus & Hiſtoricus Rotzſtochienſis longe præſtantiſſimus. (c) At vero *Chriſtophorus* Dux noſter, Archi-Epiſcopi Rigenſis Coadjutor, aliquot ante finitam hanc Tranſactionem menſibus, cum primum ſubjectionem Poloniæ Regi faciendam ac Archi-Epiſcopo & Ordinis Magiſtro decretam eſſe cognoviſſet; alium præter Imperatorem Romanum agnoſcere ſummum Mgiſtratum recuſavit, Regique Poloniæ fidelitatis Juramentum præſtare noluit: hinc die 15. Julii 1561. conſcenſa nave, in Germaniam rediit, & ad *Ferdinandum I.* Cæſarem profectus eſt, conſilium ejus & opem petiturus; ubi cum nullum a Cæſare & Imperio miſeræ Livoniæ auxilii ſpem reliquam perſpiceret, nova deinde conſilia cum *Erico* Sueciæ Rege, Revaliam & alia Livoniæ oppida jam tenente, prima ſpecie læta, tractatu dura, exitu denique triſtia, ſuſcepit. Rigam enim aliquoties ſollicitatam Regnoque ſuo adjungere cogitans *Ericus* Rex, *Chriſtophorum* noſtrum 1562 Stockholmiam evocat, & decem apud ſe hebdomadas detinet, ubi ſimul de conjugio minimæ natu ſororis ſuæ *Eliſabethæ* quam poſt octodecim demum annos domum duxerat *Chriſtophorus*, cum eo tranſegit; (d) de morte autem Archi-Epi-

(*) Idem in Orat. pag. 858. (a) Id. Ibid. p. 782.
(b) Id. ibid. p. 591. & 592. & in Orat. p. 899.
(c) Chron. Sax. L. XX. p. 592. 612.
(d) Id. in Chron. S. p. 613. & in orat. p. 859.

Episcopi Rigensis tametsi incerto nuncio accepto, turmis aliquot equitum ac peditum cohortibus instructus, in Livoniam mittitur, ut *Erici* Regis Sueciæ auspiciis & auxiliis, Archidiœcesin & Urbem Rigensem possideret. Exeunte igitur anno 1562. Feriis Christi natalitiis, Stockholmia Revaliam pervenit. Inde progressus in Diœcesin Rigensem die 4. Febr. paucis ante diebus cum turmis suis equitum & peditum Suecicorum pervenit, quam fato 1563. concesserit *Wilhelmus* Archi-Episcopus Rigensis postremus, Marchio-Brandenburgicus senex, cum annos XXXIII. Diœcesi, partim cum Antecessore suo *Thoma Schoningo*, Consulis Rigensis Filio, eo autem 1539. demortuo, partim solus præfuisset, qui tamen Archi-Episcopum decumbentem non invisit, sed post illius decessum statim gubernationem Diœcesis invasit, nec tamen ullam subjectionis & obedientiæ Polonorum Regi præstandæ significationem præbuit. (e) Cum vero apertum inter Reges Poloniæ & Sueciæ bellum gereretur, & Archi-Episcopus nunc Rigensis, Dux *Christophorus*, Regis Sueciæ *Erici* Polonorum hostis patrocinio & auxiliis, palum nitens Diœcesin occuparat; a Regis Poloniæ in Livoniæ Gubernatore, *Gothardo* Curlandiæ Duce Primo, ejus post triennium sororio, & militum Polonicorum Præfecto *Ernesto Weigero*, in Arce Dalem, duobus a Riga milliaribus, dum feras venatur, captus, & in Poloniam missus est. Ubi per integrum sexennium Ravæ in custodia satis molesta & dura, remotis ab eo plerisque Ministris familiaribus & notis, & substitutis Polonis custodibus, quorum sermonem non intellexit, detentus fuit, donec tandem crebris *Johannis Alberti* in Poloniam ipsius causa profecti, & ducis *Ulrici* Fratrum, & aliorum Principum intercessionibus liberatus, in Patriam rediit. Feliciter itaque nunc tot ac tantis adversæ fortunæ casibus eluctatus Dux *Christophorus* noster, quod adhuc reliquum fuit vitæ suæ curriculum, & prosperiorem & tranquilliorem Deo secundante peregit, sapientissimo namque & moderatissimo Imperatori Maximiliano (cujus res præclare Semper gestæ, peculiari scripto a me breviter collectæ, dudum prelum hiant) ob virtutem & fidem carus erat, ut bello Austriacis ingruente, virtute sua ac fidis auxiliis præsto esset, Duci *Christophoro* nostro pensionem annuam aliquot millium aureorum præbere jussit, illudque beneficium *Rudolphus II.* Imperator Filius etiam clementissime continuavit. Cumque ad Episcopam Raceburgicam suam, Frater ejus Dux *Johannes Albertus*, aliquot Præfecturas fruendas Nostro quoque adjunxisset. anno 1573. die 27. Oct. Conjugem duxit *Dorotheam*, Regis Danorum *Friderici* I Filiam, Conjugis *Ulrici* Fratris Germanam, Fœminam pietate & modestia singulari præditam, erga pauperes valde liberalem & munificam, nuptiis Caldingæ celebratis. (f) Conjugium hoc suave quidem, sed sterile nec diuturnum fuit. Vix enim biennium cum illa exegit, sed die 11. Novembr. Anno 1575. mane hora 7. Schonebergæ, ubi domicilium suum habuit Dux noster, placide obdormivit. (g) Funus per Wismariam & Butzoviam, Gustroviam ductum, sub crypta, quam Soror *Elisabetha*, *Ulrici* Megapolitani Conjux, suæ quietis locum delegerat, die 8. Decembr. conditum est, quæ etiam *Elisabetha* Sorori suæ demortuæ sequens Epitaphium erigi curavit:

„Primi Danorum Friderici Filia Regis
„E Sophia illustri Pomerana Principe nata,
„Christophori Megalopoleos Ducis inclyta Conjux,
„Quam pietas, quam pura fides, quam gratia morum,
„Heroinarum decus effecere, Deique
„Donis Dorotheam fama super æthera natam,
„Huc tulit ossa obiens, animam Tu Christe tulisti,
„Hæc mœsta Elisabeth posuit monumenta Sorori.

Prima hac Conjuge vita functa alteram duxit *Christophorus* noster vitæ sociam, quam ante octodecim annos jam Stockholmiæ coram ambierat, *Elisabetham* Sororem natu minimam *Johannis III.* Sueciæ Regis, *Gustavi* autem Regis Filiam, Heroinam regiis virtutibus probe decoratam. (h) Nuptiæ Stockholmiæ Suecorum celebratæ anno supra mille quingentos, octuagesimo primo, ad Nonas Majas, cum qua eadem æstate *Christophorus* maritus novus per mare Balthicum, quindecim navium armatarum classe, & Consiliariis a Rege attributis comitatus Ditionis Megapolitanæ in Portum & urbem Wismariam die 18. Jul. appellit, ubi honorifice a civibus armatis & *Francisco* Juniore ac *Mauricio* Ducibus Saxoniæ, nec non Civitatum vicinarum Legatis exceptus, cum aliquot dies quievisset, Gadebusam profectus est, & Conjugi suæ, alimentorum nomine, Oppida Gadebusam & Temzinum, præsentibus Regiis & Legatis *Ulrici* Ducis Megapolitani Fratris consensum ac confirmationem accipientibus, attribuit, (i) cum qua in conjugio pleno pietatis & suavitatis, undecim reliquos vitæ suæ annos concordissime exegit, & unicam tantum Filiam *Margaretham Elisabetham*, post *Johanni Alberto* Duci Megapolitano 1608 in matrimonium traditam, natam autem Schonbergæ 1584 die 11. Jul. ex ea suscepit. Cæterum Natura ingenua, verace & candida; omnis fuci, simulationis, doli & fraudis expertem *Christophorum* nostrum fuisse, Chytræus testatur. (k) Puram Evangelii Doctrinam amavit ipse, & in publicis Ecclesiæ congressibus & privatim atten-

(e) Theatrum Genealog. Henninges. Chytr. in Chr. Sax. p. 617. & in orat. p. 899.
(f) Weinrich. Idea Boni Principis. Chytr. in Orat. c. p. 909.
(g) Id. in Saxon. Chron. L. XXIII. p. 694. & in orat. p. 900. Calov. f. Mylii Chron. German. Duc. Meckl.
(h) D. Chytræus in Chron. Sax. L. XX. p. 742. & in Orat. p. 900. Calov. f. Myl. Chron. Megapol. germ.
(i) Idem Chytr. in Sax. l.c.
(k) In Orat. cit. p. 900. seqq.

attente & religioſe audivit & legit, ac non mediocri benignitate Eccleſias earumque Miniſtros fovit. Singulari ſemper ſubditorum amore tentus, moderatione, clementia, lenitate & vere paterna bonitate ac comitate eos complexus eſt, neque faſtidioſe a ſe repelſebat quenquam negotia ſua propoſiturum, ſed humaniter audiebat omnes, cunctis benigne reſponſum ; præſtitum quod debuitac potuit, promte ; injuria nemini conſulto facta eſt; venia data multis, etiam indignis. A ſtudiis non plane alienus, multo minus literarum rudis ac imperitus, potius mediocriter illis tinctus fuit. Privatim namque poſt Lectionem Hiſtoriæ ſacræ & imperiorum, præcipuo quodam Naturæ rerum cognoſcendæ amore, & ſecretioris iſtius Philoſophiæ Alchimicæ ſtudio tenebatur, cujus adeo peritus erat, ut artifices etiam exercere potuerit. Prodiit Rotzſtochii anno 1582. impreſſus Tractatus ἀνονύμως rariſſime obvius, *de veteri Philoſophia*; in qua oſtenditur, quo pacto Natura ab Arte in ſcientiis quibuscunque juvetur. (*a*) Hic auctorem veneratur Sereniſſimum Ducem noſtrum *Chriſtophorum* Epiſcopatus Raceburgenſis Adminiſtratorem, quem proprio marte conſcripſit, id quod ex *M. Conradi Schlüſſelburgii* Superint. Razeburg ſermone funebri ſuper obitum Principis noſtri laudatiſſimi memoriæ Suerini anno 1592 die 25. Apr. habito & Lubecæ impreſſo, ſagaciſſimus quondam & doctiſſimus Rerum Patriarum indagator B. nunc *Fridericus Thomas*, (*b*) quocum mihi olim jucundiſſimum interceſſit literarum, commercium his verbis confirmat: *Es waren I. F G. von Natur beredt, hatte eine feine memoriam, ein herrlich ingenium, und ein ſcharffſinnig Judicium, und hätten etwas ſtattliches können in den Studiis ausrichten, wenn Sie nicht in Ihrer Fürſtl. blühenden Jugend wären allzu zeitig davon genommen. Solches kan man ſehen aus dem Tractat, ſo I. F. G ſelber geſtellet de veteri Philoſopia, da I F. G. beweiſet, quomodo Natura ab Arte adjuvetur. ſo für 10. Jahren zu Roſtock gedrucket, und iſt Hertzog* Caroln *in Schweden*, (poſtea quoque ad regiam dignitatem evecto) *I. F. G. vielgeliebten Herrn Schwager zugeſchrieben.* Memoriam admodum firmam & promtam in noſtro Duce *Chriſtophoro* laudat *Chytræus*, (*c*) qua pleraque a ſe lecta vel audita, & quos ſemel de facie vidiſſet, vel nominari audiviſſet, tenaciſſime retinuit. Inter cæteras liberales Artes, etiam Muſica inprimis delectatus, & recreationem animi ac voluptatem inde præcipuam petiit, Muſicosque in aula ſemper aluit. Breviter: Vere bonus & præclarus Princeps fuit, & omnibus virtutibus, bono Principi & Patri convenientibus, amore & ſtudio veræ Pietatis, Beneficentia erga Pauperes, Juſtitia, Veritate, Clementia, Comitate & Fide excelluit, quo Elogio noſtrum quoque *Chriſtophorum* Ducem exornat ſæpius laudatus *David Chytræus* in oratione funebri de eo publice Suerini die 26. Apr. 1592. habita, teſtis ocularis omnique hinc exceptione major. Sed ad finem vitæ *Chriſtophori* noſtri propero, qui placidus & beatus fuit. Cum enim poſtremo eum inviſiſſet Soror illius cariſſima & unica Princeps *Anna* Vidua Ducis Curlandiæ I. *Gothardi* cum Filio Duce Curlandiæ *Wilhelmo*; Huic amantiſſime & ſummæ cum charitatis ac benevolentiæ fraternæ ſignificatione penes ſe habitæ, & pridie ab eo diſceſſæ, non ſine lachrymarum rivo a ſe in Patriam redituræ, dimiſit, mutuum utrique in beata vita congreſſum precatus, quoniam ſentiret ipſe, non longe ſupremam vitæ ſuæ metam eſſe abfuturam. Idem, poſtrema veſpera, Conjugi & Filiæ in Gynæceo, antequam cubitum iret, valedicens inter cæteros ſermones amiciſſimos & dulciſſimos dixit: Se „Conjugem & Filiam, quas in his terris non „diu amplius eſſet viſurus, fideli Domino „Deo commendare. Paulo ante in cœna, Concionem eo die ſc. 3. Martii ex ſecundo Capite Exodi, de Deo exaudiente tandem ſuſpiria & gemitus Iſraelitarum ab Ægyptiis afflictorum a ſe auditam, Cancellario ſuo, quitum peregre redierat, recitavit, & mirifice ea ſe delectatum & recreatum eſſe oſtendit. Profectum etiam & dona Juvenis Paſtoris ſui *Theodori Hanſtenii* laudavit, qui Doctrinam de Patientia & Liberatione piorum multis inſignibus Sacræ Scripturæ & Hiſtoriarum Exemplis apte accommodatis illuſtraſſet. In Cubiculo, ut moris ei ſemper fuit, precatione veſpertina & Symbolo pronunciato, totam noctem placido & ſuavi conſopitus ſomno quievit, donec in crepuſculo matutino, cum tertia vice ſternutaſſet, erecto capite, & complicatis manibus, ſonora voce JESUM nominans, reclinato iterum corpore, & oculis clauſis, leniſſime & beate in Domino obdormivit, anno milleſimo a nato Chriſto ſupra quingenteſimum nonageſimo ſecundo, IV. Nonarum Martii, & quidem Tempzini, deductus poſtea Suerinum, ibidemque in Templo Cathedrali die 26. April. eod. anno ſepultus. (*d*) Exequias Concione funebri latina *D David Chytræus*, Germanica vero *Andreas Celichius* & *M. Conradus Schlüſſelburgius* cohoneſtarunt. Omnes Rotzſtochii & Lubecæ eod. anno typis expreſſæ. Annum autem Dux noſter complevit ætatis Heroum Climacſtericum quinquageſimum ſextum, multis Regibus ac Principibus fatalem. (*e*) Epitaphium, brevem Ducis noſtri vitam & fortunam variam exprimens, e Saxonia *Chytræi* (*f*) (in edit. tamen a me hactenus allegata in Folio Lipſiæ 1593. impreſſa non extans) lubet hic adjicere ſequens:

Quisquis ades, noſtros pigeat ne noſſe labores:
Haud renues manes, vilis & umbra ſumus.
Magna Henetum de gente ſatus, qui ſceptra tulerunt,
Parva peto, exiguo tempore ſiſte moram.
Dura mihi puero rapuerunt fata parentem,
Cura mei ad fratrum decidit inde fidem
Erep-

(*a*) Otto Frider. Schütz. de vita David. Chytr. L. III. §. XI. p. m. 72.
(*b*) Frid. Thomas in Analect. Guſtrov. Period. III. §. 14. in Not. lit. ß. p. 164. (*c*) In Orat. ſupra cit. p. 901.
(*d*) Hederici Chron. Suerin. Calov. ſ. Mylii Chron. Germ. Mecklenb.
(*e*) Chytræus in Orat. p. 902.
(*f*) Chytræi Chron. Saxon. edit. in 8vo p. 846.

Ereptus Patriæ, Gallis datus inſcius obſes;
Quæ fuerit nondum eſt, cognita cauſa mihi.
Mox ubi jam firmis ſe viribus extulit ætas
Extulit & mala ſors altius ipſa caput.
En iterum charis Patriæ ſeductus ab oris;
Diviſos penitus mittor ad usque Getas.
Nec ſatis hoc, ſævi fierem niſi præda Poloni,
Dum jubet ad pactos ire Cupido Thoros.
Teſtis Rava mihi, longos ubi multa per annos
Crudeli a populo non toleranda tuli.
Interea rebus Fratrum pia turba paternis
Incumbens noſtras ſola tuetur opes.
At DEUS exilia, & ſortem miſeratus iniquam
Adfuit, & tantis ſpem dedit ipſe malis
Conjugio duplici Regum de ſtirpe beari
Danica virgo tuo, virgo Suëca tuo.
Me quoque Cæſareæ juverunt munera dextræ,
Quum pia pro Auſtriacis, arma movenda forent.
Auſtriacæque Domus columen, majorque RUDOLPHUS
Imperio hanc deinceps continuavit opem.
Quo, cum plura darent pietas ſperare fidesque
Vindice, & Auguſtum Numen adire paro:
Ecce alio nobis compoſtæ judice lites,
Suntque magis ſancti jura petita fori.
Jam mihi terra vale, curæque valete caducæ;
Cum ſuperis parta eſt ſors magis ampla mihi.

Confer *Johannis Simonii* Rhetorices Prof. Rotzſtoch. votum pro Illuſtriſſimorum Ducum Megapolitanorum totiusque Reipubl. ſalute & felicitate, die 22. Octobr. 1607. in ſolenni & illuſtri Academiæ ejusdem Magiſteriali Panegyri ſe Decano perſolutum, & poſtea ibid. editum, in quo multa etiam de noſtro Duce *Chriſtophoro* cecinit. Hujus interim relicta conjux *Eliſabetha* Suecica, vitam etiam cum morte commutavit quinque poſt *Noſtri* obitum annos, die quidem 20. Novembr. 1597. Niecopingiæ in Suecia, & ſequenti anno 1598. die 22. Jan. Upſaliæ terræ mandata fuit. (*)

Cap. VIII.
De *Carolo*, Duce Megapolæo.

ORdo me nunc deducit ad *Alberti* Ducis Filium octavum ac ultimum, Ducum *Johannis Alberti, Udalrici, Georgii* & *Chriſtophori* Germanum, qui ſub dio pridie Michaëlis Archangeli 1540. natus eſt non procul Neoſtadio. (a) Mater enim Sereniſſima *Anna* Brandenburgica, cum Grabovio Neoſtadium verſus tenderet, in itinere partus ærumnis præoccupata, ſub nudo cœlo prope quercum quandam Filium hunc ſuum enixa eſt, (b) quem quidem Parens ejus de die ſuo Natali *Michaëlem* indigitare volebat, aſt cum nemo Imperi Romano-Germanici Principum hoc nomine tunc inſignitus fuit, propterea admonitus ſtatim ſententiam ſuam mutavit, & de Patrino Imperatore *Carolo* V. Filio ſuo nomen etiam CAROLI in Baptiſmo indi mandavit. Puer cum Fratre *Chriſtophoro* in pietate & virtutibus inſtitutus eſt, inque iis diſciplinis, quæ Principem maxime decent, ductore communi *Wolfgango Leopoldo* fidelisſimo utriusque Præceptore: Sed poſt a literis abreptus, ad illa ſtudia, quæ decus & Imperio Populo Romano tum peperere, tum conſervavere, animum applicuit. (c) In adoleſcentia ſua vixit in Aula Electoris Brandenburgici Avi, ac intimam familiaritatem cum *Joachimo Friderico* Marchione Brandeb. qui poſtmodum Archi-Epiſcopus Hallenſis conſtitutus, coluit. Primum autem in Galliæ finibus, quæ illis temporibus internis agitabatur motibus, ac perpetuis bellorum incendiis fumabat, militavit. Dein 1572. in Belgium profectus, Hennegaviæ ad Bergas contra immane illud crudelitatis Hiſpanicæ portentum, Ducem *Albanum*, militans, *Wilhelmi* Principis Uraniæ caſtra ſecutus eſt, Anno 1575. ope Fratris *Chriſtophori* coadjutor Epiſcopatus Raceburgenſis vocatus, & cum ex militia in patriam reverſus, præfecturas Mirovianam & Brodenſem cum Oppidulo & Arce *Neuen-Fulden*, Pago item & Arce *Werdenhagen*, a Fratre *Ulrico* pro ſuſtentatione ſua accepit, in quibus adminiſtrandis, ita ut Principem decet bonum, ſe ſe geſſit. (d) Ad Epiſcopam Raceburgenſem, morte *Chriſtophori* Germani, Ducis Megapolitani vacuam anno 1592. pervenit. Tandem decedente Fratre *Ulrico*, in Gubernatione Ducatus Megapolenſis illi anno 1603. ſucceſſit, & Fratris ſui *Joh. Alberti* I. ex Filio *Johanne* Nepotibus *Adolpho Friderico* atque *Johanni Alberto* II. Tutor ſimul datus. Aulam Guſtroviæ ſibi pariter domicilio delegit, & beatiſſ. fratrum inſtitutis, pactis atque ſanctionibus acquievit, quantum potuit & quoad vixit, (e) omnia namque adminiſtranti, maximæ fuit curæ ſalus publica, ac ita proſpexit univerſis, ut bene eſſet ſingulis, & ut Principes juniores ſuæ tutelæ traditi optime educarentur, quos a ſtudiis & itineribus reduces anno 1607. rebus publicis initiari voluit, & an 1609. convocatis Provinciæ Ordinibus, indictoque ſolenni homagio, deſtinavit iisdem ac commendavit ſummam rerum, ſicque vivus omnia diſpoſuit, ne quæ ſe mortuo diſſidii ac belli inteſtini ſemina relinquerentur in perniciem Patriæ. Ita etiam quoad vixit, Academiam Rotzſtochienſem ſumma cura fovit ac protexit. A Gubernaculo Ducatus non receſſit ſenex, donec anno 1610. die 22. Jul. ex hac demigravit vita, quam in perpetuo cælibatu vivens, ad LXX. annos perduxerat. Princeps fuit pius, religioſus, & in audiendo verbum DEI ſedulus, admiranda naturæ bonitate præditus, inſigni clementia præclare excellens, injuriarum patientisſimus Proventuum & ſumtuum Ducalium annuorum calculator ſagaciſſimus; Fiſcum poſt omnia ponens, & ab exactionibus publicis pauperum animum & voluntatem poſſidens alieniſſimam; Simplicitatis antiquæ retentiſſimus, Pacis ſtudioſiſſimus, pompis cum oſten-

(*) Calov. f. Mylii Chron. Germ. Duc. Mecklenb.
(a) Lubinus de vita Caroli.
(b) Calovius f. Mylius Chron. Germ. Duc. Meg.
(c) Simon. in Vita Caroli A. 4.
(d) Simon. in vita Caroli. Calov. f. Mylii Chron. Duc. Megapol.
(e) Frider. Thomas in Analectis Guſtrov. Period. III. §. 16. p. 160. & 170.

oſtentatione conjunctis infenſiſſimus. (*f*) Moriturus velut *Cyrus* apud *Xenophontem* corpus ſuum in aureo vel argenteo, vel quo ſimili vaſe aſſervari ſerio vetuit, ſed non niſi linteaminibus vulgaribus involutum, in ſolido ligneo capulo ſeu urna ferali recondi, ac ſine ulla pompa humari voluit. (*g*) Diem clauſit Guſtroviæ anno uti dixi 1610. ad diem XI. Calend. Auguſti, qui eſt 22. Julii, ibidemque humatus requieſcit, in cujus Funere eidem ſepeliendo parentavit latine *Johannes Caſelius*, quæ Oratio Helmeſtadii 1610. in lucem prodiit. Concionem autem funebrem germanicam ſuper Text. 2. Paralip. cap. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. quæ de *Joſaphat* Rege ejusque vita ac morte ſparſim ibidem leguntur, habuit *D. Lucas Bacmeiſterus* Junior Superint. Guſtrov. Pro-Patruus meus magnus. Effigies ejus in Baſilica Doberanenſi æque ac Majorum cernitur. *Janus* autem *Bocerus* Poëta elegantiſſimus in editis Elogiis Ducum Mecklenburgenſium, *Carolum* noſtrum tunc Epiſcopum Raceburgenſem, ita alloquitur:

Tu quoque qui Polabis modo flores Præſul in oris,
Creſce Tuæ gentis, *Carole* creſce, decus
Jamque vigens felix ſemper tua tranſeat ætas,
Fortuna nullas impediente vias.
Et claras dotes, & pulchri corporis artus
Ornes ingenii nobilitate tui.
Cumque Tuis Pro-Avis, magnum ſuper æthera notus
Extollas ſtirpis ſplendida facta tuæ
Sic Tibi præ reliquis, quem ſors conceſſit honorem,
Illæſus cunctos ſtet, vigeatque dies.

Johannes Simonius itidem Poëta Rotzſtoch. Academiæ ſic *Carolum* loquentem introducit:

Relligio: Pietas: Leges: Pax: Templa: Lycea:
Mores ingenui: mœnia, rus & agri
A Fratre *Uldrico* mihi ſalva relicta fuere,
Omnia divino munere, Jova, tuo
Otantis Fratrem qui donis, Chriſte, beaſti,
Imperio augeſcant, fac, bona tanta meo.

Cap. IX.

De *Johanne*, Duce Megapolæo.

VEnio nunc ad Filios Patri ſuperſtites Ducis *Johannis* illius *Alberti* Principis Megapolenſis longe incomparabilis; & primum quidem ad JOHANNEM IV. biennium poſt Fratrem ſuum *Albertum*, Regiomonti apud Avum, puerum quinquennem 1561. d. 2. Martii demortuum, Suerini anno quidem 1558. Nonis Martii in lucem editum. Mater fuit *Anna Sophia*, Marchionis Brandenburgici ac primi Boruſſiæ Ducis *Alberti* Filia. Puer ab utroque Parente ad amorem pietatis & veræ de Deo doctrinæ, ad modeſtiam, pudorem, temperantiam, morumque gravitatem pari humanitate & manſuetudine temperatam ſedulo inſtitutus & aſſuefactus eſt: (*h*) ita quoque Pater in ætate apta, hunc ſuam principem filium in ſtudiis litterarum & Latinæ linguæ erudire magno ſumtu per præceptores idoneos curavit, uſus præſertim ſtudiorum ſuorum formatore M. *Hiobo Magdeburgio* Annæmontano, politi ingenii & doctrinæ viro, & ſingulari morum integritate & gravitate venerando, nec non ab anno 1567. ad 1570. eruditionis omnis ſuo tempore compendio, viro incomparabili *Johanne* illo *Caſelio*. (*i*) Poſt obitum, qui incidit in annum 1576. cum Patruus Dux *Ulricus*, & Elector *Auguſtus* Saxo & *Johannes Georgius* tutelam ipſius gererent, ex eorum voluntate ſtudia ſua in Academia Lipſienſi continuavit, adjuncto ipſi morum & aulæ Magiſtro, viro nobili & eruditiſſimo *Joachimo a Baſſewitz* Levitzovii prope *Viſmariam* in Megapoli nato, qui & ante ſtudiorum cauſa ab anno 1560. ad 1562. Wittebergæ in Saxonia & Bononiæ in Italia vixerat. In hac autem celebratiſſima ſtudiorum Palæſtra per totum biennium Princeps noſter ſubſtitit poſtea varias Regiones & Provincias peragrans, (*k*) in Ditionem & Principatum ſuum feliciſſimo ſidere iterum rediit, cumque vigeſimum quintum ætatis compleviſſet annum, Tutores ſui, officio abdicantes, Gubernationem a patre relictam, Ducatum Suerinenſem, non exiguis cum difficultatibus & oneribus conjunctam, Duci noſtro *Johanni* tradiderunt, (*l*) qui una cum Fratre ſuo *Sigismundo Auguſto* ut Juramentum fidelitatis, quod uſitate Homagium nuncupant, a ſubditis accipiant XIV. Calend. Julias 1588. Urbem Rotzſtochium ingreſſus eſt; eam autem terrarum ſuarum Gubernationem una cum Patruo Duce *Udalrico* ſene & uſu peritiſſimo Reipubl. moderatore, quem velut exemplum & Patrem intuens coluit, ac veneratus ad finem vitæ ſuæ non ſine laude eximia adminiſtravit. Eccleſias & ſcholas a Patre & Patruo conſtitutas & reſtauratas clementer conſervavit, ac ſingulari benignitate fovit, Doctrinam de DEO veram ſtudioſe didicit, legit & mirifice dilexit, atque ad illius normam omnes vitæ ſuæ actiones & conſilia inſtituit. Ideoque certa tempora ſingulis diebus lectioni Librorum verbi divini tribuit, quæ a negotiis auferri raro paſſus eſt. (*m*) In Judiciis publicis, quæ Juſtitiæ & Pacis propugnacula ſunt præcipua, quæque ſingulis annis quater in regione Megapolenſi celebrari ſolent, exemplo Patris & Patrui ſui Dux noſter *Johannes* ipſe præſedit, & cum Conſiliariis ex nobilitate delectis & Juris legumque ac Conſuetudinum Patriæ peritis, controverſias ſubditorum ipſe audivit, & juſte illas ac legitime diremit: ita namque ſubditos ſuos amore proſecutus eſt, ut frequentiſſima vox ex ipſius ore audita ſit: malle ſe quidvis agere ac perpeti, quam ſubditos ſuos immoderatis actionibus gravare & peſſundare. Attente Oraculorum divinorum explicationes in publico

(*f*) Programma.
(*g*) Id. Frid. Thomas l. c. p. 170.
(*h*) David Chytr. in Orat. Funebri p. 904.
(*i*) Calov. ſ. Mylii Chron. Germ. Duc. Megapol.
(*k*) D. Chrytræus in Orat. cit. p. 904.
(*l*) Programma Rectoris t. t. D. Simonis Pauli.
(*m*) Dav. Chytr. in Or. cit.

Ecclesiæ cœtu audiebat, & Ministerium Ecclesiæ ac Ministros fideles amabat & venerabatur. Veritatem in promissis & pactis religiose sancteque servabat, totamque suam Gubernationem ad Patris quondam imaginem, juste ac moderate duxit. Nihil iracunde, nihil crudeliter aut tyrannice dixit vel fecit, sed in nostri Principis actionibus rebusque gestis ac factis clementia, moderatio, lenitas, & nativa ac vera paterna bonitas erga subditos suos semper enituit. Parsimoniæ & frugalitatis vel maxime studiosus, sumtus omnes inutiles in Oeconomia aulica restrinxit, ac ne patriam & successores ære alieno oneraret, profusiones in aula sua sustulit ac prohibuit. (n) Dissensiones inter ipsum & fratrem *Sigismundum Augustum* de Gubernatione Ducatus ex ultima Parentis voluntate coortas, anno 1586. intercedente *Udalrico* Patruo, & *Adolpho* Duce Cheronesi socero, fraterne & amicabiliter sopivit, (o) & compactata fraternitatis inter illos confecta sunt ita, ut *Johanni* nostro Duci ditionis gubernatio obvenerit, *Sigismundo* contra *Augusto* Cœnobium & præfectura Ivenacensis fuerit attributa. (p) Casti pudoris matrimonium anno 1588. d. 17. Febr. Reinbeccii in Stormaria Duci Holsatiæ subjecta urbe, contraxit cum *Sophia* Ducis Holsatiæ fortis & magnanimi *Adolphi* Filia, *Friderici* I. Daniæ Regis Nepte, Heroina speciosissima & moribus & virtutibus optimis decorata, (q) illudque amore mutuo, suavi, sincero & constanti & fide eximia servavit, quæ ipsum fecit parentem trium Liberorum, duorum Filiorum *Adolphi Friderici* & *Johannis Alberti*, Familiæ Ducum Megapolensium feliciter hactenus propagatorum, uniusque Filiæ, *Annæ Sophiæ*, quæ Rhenæ in Cœnobio Abbatissa vivens vitam cœlibem, ibidem mortua est 1648. d. 11. Febr ætat. LII. (r) Princeps autem hic noster inclytus in ipso flore ætatis, trigesimum quintum annum vitæ vix ingressus, improvisa & gravi ægritudine oppressus cum media nocte, nonam Martii inchoante ipse atra bile s. melancholia percitus atque oppressus, se aliquot vulnusculis levites perstrinxisset, etsi hæc intra octiduum omnia curata fuerint, tamen mente ægra, perturbata & inquieta semper fuit, donec tandem ad se rediens, post peccatorum suorum a Ministro Ecclesiæ acceptam remissionem & S. Synaxeos, quam anhelavit, sumtionem, in vera fide & invocatione Filii DEI unici mundi Salvatoris ex hac mortali & calamitosa, in cœlestem et omnium curarum, dolorum & angorum expertem vitam & gloriam, placida ac quieta morte translatus est, Stargardiæ ad diem XI. Calend. April. qui fuit dies 22. Mart. Anno a partu Virginis 1592, (s) cujus quod perbrevis vitæ breviorisque regiminis esset, acerbiore fato, universa ingemuit Megapolis. Corpus hujus exanime postea Suerinum deductum ibidem die 28. Apr. in templo Cathedrali apud Majores conditum est. (t) Exequias cohonestarunt oratione seu concione Germanica *Andreas Celichius* Superint. Gustroviensis, Latina vero D. *David Chytræus*, quæ quidem in Ducem nostrum *Johannem* habita Oratio propter flebile Principis fatum, recenti illo tempore minime propalandum in fine deficit, nullibique hucdum integre edita reperitur. (u) Vidua Ducis nostri mœstissima *Sophia* reliquum vitæ tempus in perpetua viduitate Lubtzæ in fundo dotalitio exegit, ubi multa post se reliquit monumenta præclara, templum ibidem oppidanum pene collapsum, restaurari, inque eo conditorium Principum splendidum satis & magnificum confici curavit; Cœnobium Virginum Vestalium & Nobilium sumtibus non exiguis instituit, illudque reditibus annuis donavit, Mundo valedixit anno 1634. ad diem XIX. Calend. Jan. (14. Decemb.) cum supervixisset jam annos LXVII. Terræ mandata est, anno sequenti in templo & monumento ibidem a pientissima Principe ipsa exstructo. De nostro interim Duce *Johanne* quidam sic cecinit:

ALBERTO JANO Patri succedo: geroque
Fasces, Justitia, Relligione pari.
Patruus UDALRICUS amat me & CAROLUS, orbis
Deliciæ: Frater me SIGISMUNDUS amat.
Prussica me peperit Patri Dux ANNA-SOPHIA:
Exequias tristis cui paro: jamque sequor.

Cap. X.

De *Sigismundo Augusto*, Duce Megapolæo.

ALter filiorum Ducis *Johannis Alberti* & quidem natu minimus fuit SIGISMUNDUS AUGUSTUS, qui Suerini ad IV. Idus Novembr anno 1560. vita primum frui cepit. (a) Puer, non tantum ab utroque Parente ad virtutem & mores illustres assuefactus, sed & viris doctrina & eruditione clarissimis, primum quidem anno 1567. *Johanni* illi *Caselio*, (b) Socrati Saxonico, imo omnis eruditionis parenti (uti eum jure meritoque appellare non dubitavit, magnus *Isaacus Casaubonus*) qui & filii natu majoris Principis *Johannis* studia rexit, & post *Caselii* ex Aula Anno 1570. discessum, M. *Henrico Sibero*, in disciplinam traditus est, Morum autem ac Aulæ Magistrum accepit *Henricum Pellican* nobilem. Inprimis autem Princeps noster Eloquentiæ studiosissimus, tantum ex

(n) Id. in Orat. laud. p. 905.
(o) Calov. s. Mylii Chron. Megapol.
(p) Hederici Chron. Suerin. a. 1586.
(q) David. Chytr. in Orat. cit. Calov. s. Mylius Chr. Megapol.
(r) Idem Chytr. in Orat. cit. Cal. s. Mylius in Chron. Megapol. German. Nicolaus Gryse in Histor. vitæ, Doctrinæ ac Mortis M. Joachimi Sluteri germanica ad Annum 1592. B. Schützius in vita Dav. Chytræi Lib. III. §. 39. p. 318.
(s) Frider Thomæ Analect. Gustrov. period. III. §. XIV. p. 159.
(t) Cal. s. Mylii Chr. Megap. Germ.
(u) Schütze in Vita Chytræi l. c. p. 318.
(a) A. 1560. 11. Nov. Christ. Sturtzius in Or. de Sigism. Augusto nomine Acad. die 23. Oct. 1600. habita p. A. 3. Simon in vita ejusd. A. 4. b.
(b) Joh. Goes in præfam. Epistolæ Joh. Casel. ad Joh. Reccium.

ex inſtitutione laudatorum Præceptorum ſuorum hauſit eruditionis, ut non ſolum alios latine dicentes intelligeret, ſed & animi ſui ſenſa eadem lingua commode proferret. (*a*) Poſt mortem Parentis, qui incidit in Annum 1576. ſuaſore Duce *Ulrico* Patruo & Tutore, die 18. Sept. anno ætatis decimo & ſeptimo, in Aulam ſeptemviralem, ad *Auguſtum* Saxoniæ Electorem, ut ab hujus viva voce artem prudenter regnandi & factis bene operandi diſceret, profectus eſt. (*b*) Triennium fere integrum in Electorali Aula cum exegiſſet, in Patriam ad Ducem *Udalricum* Patrunm ſuum & Tutorem reverſus eſt, (*c*) qui eum ad comitia a *Rudolpho II.* Imperatore anno 1582. Auguſtæ Vindelicorum indicta & habita comitem ſibi adſcivit. Redux inde factus, in Daniam ad *Fridericum II.* Daniæ Regem & Heroem incomparabilem una cum Patruo laudatiſſimo anno 1586. iter ſuſcepit. Princeps in DEUM, Parentes, Fratres, pius, munificus, comis, pacificus, cujus hæc fuit animi moderatio, ut & viliſſimi cujusque ſubditi cauſam lubentiſſime cognoſceret, & ad Patrum *Udalricum* (in cujus aula per aliquot annos vixit) deferret, ſuaque interceſſione ſupplicum preces promoveret. (*d*) Fuit autem inprimis hoc memorabile, quod, cum aliquando Præfectus quispiam querelas de ruſticis ad Principem hunc deferret, ſeque boves eis ademturum diceret, quo melius in officio ipſos contineret; Princeps dixiſſe fertur: ſi tu ruſticis boves ademeris, ego te ipſum bovis inſtar aratro jungam; tacite ſubinnuens non oportere omnia in Præfecturis ad vivum uſque reſecari, ſed interdum juſta moderatione, plus profici, quam tyrannide ac ſævitia. Ea quoque Princeps hic in exules & egenos fuit liberalitate & munificentia, ut cum *Cyro* Perſar. Rege ſummæ ſibi voluptati ac gloriæ duceret, quotiescunque in tenuioris ſortis homines aliquid eleemoſynar. impenderet: nihil enim, dicere ſolebat, in mundum intulimus, nihil etiam efferemus, opera vero miſericordiæ in egenos collata, æternum obtinebunt præmium & præconium. (*e*) Conſopitis fraterne ac amicabiliter inter Ipſum & Fratrem natu majorem Ducem *Johannem* de Gubernatione Provinciæ Megapolenſis agitatis anno 1586. diſſidiis, per confecta inter illos Fraternitatis compactata, ut vocant, *Sigismundo* noſtro *Auguſto* Cœnobium & Præfectura Ivenacenſis attributa fuerunt. Anno 1593. die 7. Octobr. matrimonio ſibi Barthii in oppido Pomeraniæ anterioris conjunxit Principiſſam *Claram Mariam* Ducis Pomeraniæ Stetinenſis *Bogislai* XIII. Filiam, (*f*) Heroinam omnium virtutum dotibus exornatam, quam die 15. ejusd. Menſis conjugem Ivenacum deduxit. Anno 1599. die 21. Maji Dux noſter ex hydrope aſcite primum laborare cœpit, ad quem morbum vix ac ne vix quidem integre debellandum, celeberrimos eo tempore Medicos, D. *Wilhelmum Laurenbergium* Rotzſtochio & D. *Johannem Rungium* Gryphiſwaldia evocauit, quorum tamen adhibita remedia etiam generoſiſſima cum nihil efficerent, illorum ſuaſu die 3 Sept. eod. anno, magnis quidem ſumtibus vitæque ob peſtem & dyſenteriam tunc ſævientes ſummum periculum, (cum & peſtis tres ex comitatu ſuo & inter hos Paſtorem Strelizenſem *Samuelem Senſtium* in itinere necavit) ad Thermas Carolinas profectus eſt, quo etiam in itinere, licet inſuper multos celebratiſſimos ubique Medicos in conſilium adhibuerit, *Caſparum* ſc. *Peucerum* collegium Medic. Lipſienſe, *D. Johannem Heinzen*, Vallis Joachimici, D. *Johannem Rubingerum* Acidularum Egranenſium Medicum, D. *Chriſtophorum Heindrichium* Medicum Golnbacenſem, & innumeros alios, infirma tamen valetudine & ſine omni levamine domum rediit: & quamvis indefeſſa opera & propinatis generoſiſſimis remediis D. *Wilhelmi Laurenbergii* tumor hydropicus decreverit, nunquam tamen ille penitus evanuit, ut motus hinc Dux pientiſſimus. M. *Michaelem Neucrantzium* Rotzſtochium, qui ſibi ſemper præſto ſit, Medicum Aulicum conſtituere, factum hoc anno 1600 Cal. Apr. (*g*) Ab eo tempore vir in Arte medica longe doctiſſimus, ac feliciſſimus Practicus ille *Neucrantzius* per ſemeſtre illud ſpatium, quo Principis noſtri corporis ſui ac Aulæ Medicus extitit, omnem quidem navavit operam quo chylificationem & ſanguificationem in Principe ægro corrigeret, a cruditatibus ſuis liberaret, in que naturalem craſin reduceret; labem viſcerum ob ſeri ex vaſis lymphaticis vel copia vel qualitate vitiata ruptis, diuque hinc ubique extravaſati lixivioſam primum, poſtea corroſivam acredinem infectam & debilitatam emendaret ac roboraret, ſcaturiginem humor. obturaret eorumque colluviem removeret atque educeret; ea propter etiam, præter innumera interne præſcripra remedia univerſalia, hydropica, attenuantia, aperientia, digerentia, diuretica, ſtomachica, epatica amara; duo fonticuli externe Principi, ex Medicorum in conſilium advocatorum communi conſilio in corpore excitati fuere, quibus natura duobus aliis quoque ſubvenit, dum rupta cute, multum aquæ exinde quotidie ſtillare fecit, magno cum levamine ut videbatur ægrotantis, cum & tumor omnis per aliquot jam hebdomadas e corpore evanuerit, Princeps iterum in campum eductus, atque in horto deambulando, ſe delectare voluerit; aſt ſubito die 14. Aug in corpore adhuc debili optimo Principi iterum nova obvenerunt ſymptomata longe graviſſima eaque lethalia, febris ſc. continua ardens cum Eryſipelatode, Typhodes Medicis dicta, primum pectus ejusque organa reſpiratoria occu-

(*a*) Sturtzius l. c. C. 2.
(*b*) Simon. l. c. B. 3.
(*c*) Simon & Sturtz in Oratt. citt.
(*d*) Weinrich. Idea Boni Principis.
(*e*) Heerici Chron. Suerin. ad Ann. 1586. Calov. ſ. Mylii Chron. Meg.
(*f*) Sturtzius & Simon. in Oratt. citt.
(*g*) M. *Michael Neucrantz* Med. Aulicus & Corporis Ducis Sigiſm. Auguſti in Hiſtorica Narratione M. Spr. de laudat. Duis morbo & vitæ exitu.

de Weſtphalen Monum ined. Rer. Germ.

pans, & valde opprimens, tandem tamen hic tumor inflammatorius ad utraque crura delapſus & cum magno dolore ac tremore, febris quoque hæc ſymptomatica parum aut nihil remiſit, quæ quidem omnia laudatiſſimum Principem lecto hinc per quinque ſeptimanas continuo adfixum, valde debilitarunt atque excruciarunt, appetitum quoque ventriculi ejus penitus ſimul proſtraverunt; manſit tamen animus pientiſſimi noſtri Principis per diuturnum illum morbi decurſum vel ſemper erectus Deoque confiſus, ſæpius in ore tenens Pſalmum *Davidis XIII.* cum addito: „*Es muß „warlich kein geringes Creutz geweſen ſeyn, da „David ein geweſen. Nun was kann man thun, „Gott will auch ſeinen Willen haben, doch legt er „nicht mehr auf, als man ertragen kan, ſo wird „er auch wohl wiſſen, wenn es genug iſt. Wann „Menſchen Hülffe aus iſt, gehet dann Gottes Hülf„ſe (ſo ferne es ſeinem Willen und Rath nicht „zu wider) erſtlich an. Leſen wir nicht, und „hören offt aus den Evangeliis, daß der HErr „Chriſtus unheilſame Schaden, daran ſchon alle „Medici verzaget, nur mit einem Worte curiret „hat. Derſelbe HErr lebet noch, wann man nur „allein harren könte.* Poſt eluctatos graviſſimos Paroxyſmos febriles in hæc verba Princeps noſter erupit: „ *Ja, das war abermahl ein har„te Stäupe, ſo muß unſer Herr Gott züchtigen und „fromm machen, da gieng es abermahl neben dem „Tode her, da war Menſchen Hülffe und Kunſt „mit mir aus, aber Gott halff wunderlich.* Et por„ro: *Hieran ſiehet man, was wir vor arme Crea„turen ſeynd, nemlich Aſche und Erde, gleich„wol wollen wir uns gegen Gott nicht demüthi„gen: Müſſen nicht ſo wohl die hohen Perſonen, „als die allergeringſten auch kranck werden und „zuletzt ſterben? Wann man lange genung ge„leſen hat von groſſer Potentaten Thaten und „Jahren, die ſie erreichet haben, findet man doch „letzlich, daß ſie auch, wie die allergeringſten, „geſtorben ſeynd.* Ita quoque ſæpius Princeps noſter, toto, quo decubuit, tempore, ſe refecit ac recreavit conſolatione illa, qua diuturnos ſuos dolores arthriticos ac Podagricos ſemper lenivit, Magnus olim Theologus ac Hiſtoricus Rotzſtochienſis, ſummus, *David* ille *Chytræus*, qui ab Amicis & Collegis ſuis interrogatus: *Wie er doch ſo ein langes Lager er„tragen könte?* Reſpondit: *Ich bete immer „fleiſſig, und gebrauch nur ein Remedium oder „Kräutlein, das heiſt Patientia, Gedult, damit „erhalte und erquicke ich mich.* Tandem illuceſcente die 5. Septemb. die Principis in hac ærumnarum valle ultimo, cum ex morbi aggraveſcentia vitæ ſuæ finem adeſſe ipſe ſatis præſentiſceret, ſæpius alta voce ad adſtantes „dixit: *Dieß wird allhier mein letzter Tag ſeyn, „nun wird mein Stündlein kommen, ich befühle „mich jetzt gar zu ſchwach, die folgende Nacht „werde ich es nicht können aushalten. Nun Gott „komme mit Gnaden.* Sicque ſtatim uſum medicamentorum omnium intermiſit, atque illorum continuationem ſuadentibus regeſſit: „*Ja wir ſolten es ja wohl thun, und hat auch off„termahls geholffen, nun aber, weil es nicht mehr „hinunter will, mag Gott der Allmächtige allein „das beſte thun,* & diem hunc piis meditationibus, ſuſpiriis, votis, ac ſermonibus de DEO habitis, conſumſit, ad horam uſque quintam veſpertinam, tunc ſummo cum deſiderio præſentiam Miniſtri Eccleſiæ iſtius loci M. *Thomæ Severi* deſideravit, a quo S. Epulo adhuc refectus, perceptisque ab eo ex Pſalmis Davidis aliisque S. Scripturæ dictis conſolationibus piis ac ſalutaribus, retinens integros animi ſui ſenſus ad ultimum usque vitæ ſuæ halitum, nihil ſe moleſtiarum præter Eclyſes & inquietudines amplius in corpore ſentire, modo ſomnum capere poſſit, tunc omnia in melius reditura eſſe (*Er befünde gäntzlich keine Beſchwerung, ohne allein Ohnmacht und Unruhe, wenn er nur ſchlaffen könte, ſolte es ſich balde beſſern*) Medico ſuo affirmans; itaque pretioſiſſimis ac ſpirituoſiſſimis aquis confortativis hyponoticis ſe refici mandans, quieti ſe dedit; ſed qui adſtabant Nobiles, ii præſertim, quibus animæ & corporis cura commiſſa erat, non naturale & verum, ſed ſyncopticum ac plane lethiferum ſomnum illum Principis eſſe recte judicabant, quapropter Miniſter Animæ clara & ſonora voce, an in ſemel agnita veritate, vera fide ac certa fiducia in JESU Chriſto unico mundi Salvatore ac Reconciliatore inter DEUM & homines, conſtanter manere & emori velit? agonizantem Principem alloquutus; Princeps, diu nunc in cœlis triumphans, quoties interrogatus, ſemper diſtincte. *Ja, Ja*, reſpondit: Atque ſic in præſentia ſimul Aulicorum Nobilium, *Vici* item *Bülovii* & *Davidis Reventlovii*, qui eum viſendum eo die advenerant, nec non multarum Fœminarum Nobilium, etiam propriæ Conjugis, (quæ per totum, quod decubuit tempus, opera ſua diu, noctuque ipſi præſens adfuerat, ſine ullo doloris ſenſu, membrorumque contractione, quaſi ſomno ſepultus, placide ac quiete animam ſuam efflavit Princeps noſter longiore vita digniſſimus intra horam decimam & undecimam noctis ad Nonas, uti jam dictum, Septembris, anno 1600 qui nullam ex conjuge ſua ſobolem produxit, cum vixiſſet annos XXXIX, menſes decem, dies XVI. Oſſa ejus ſplendidiſſimo comitatu, magna pompa dein Ivenaco Suerinum deducta, ibidem in Templo Cathedrali, die 10 Octobr. tumulata requieſcunt; in cujus exequiis Panegyricam Univerſitatis nomine recitavit Latinam D. *Chriſtophorus Sturtzius* JCtus & Hiſtor. in Alma Rotzſtochiana ordinarius; Germanicam autem, D. *Lucas Bacmeiſterus* Jun. Circuli Rotzſtochienſis & Guſtrovienſis Superintend. Generalis; Ita quoque *Martin. Braſchius* Logices in florentiſſima ad Varmum Academia tunc Profeſſor Ordinarius in Honorem funeris noſtri *Sigismundi Auguſti*, ſub Indice: De vita & Morte Sigiſmundi Auguſti, Ducis Megapolitani, Orationem publice expoſuit.(a) Cap.

(a) Simonius & Sturtzius in Orat. cit. Calov. ſ. Mylius in Chron. Megap. Germ. Schützius in vita Dav. Chytræi L. III. § 59. p. 437.

Cap. XI.

De *Adolpho Friderico I.* Duce Megapolæo.

ADOLPHUS FRIDERICUS I. Filius *Johannis*, Nepos *Johannis Alberti*, natus Suerini anno poſt partum Virginis 1588. ad diem 5. Idus Decembris. Parente Sereniſſimo in ipſa infantia, vix quadriennis, orbatus una cum germano, *Johanne Alberto* & ſorore *Anna Sophia* in Patrui *Sigismundi Auguſti* & Patrui Magni UDALRICI Ducum Megapolenſium tutelam & curam tranſiit; qui tutorio nomine ditionem a Patre relictam, dum fata permiſere adminiſtrarunt. His defunctis, *Carolus* germanus *Udalrici* jure Agnationis, ab anno 1603. curam in ſe ſuſcepit, quam usque dum laudabiliter geſſit, donec ea & morte Tutoris, & pubertate Pupilli exſpiravit. Ita autem Pupillos ſuos educandos curavit, ut bene de ipſis poſſent ſperare ſubditi: primum quidem ut vera DEI notitia, pietate ac virtute imbuerentur; deinde, ut optimis artibus, diſciplinis ac linguis etiam expolirentur: (*a*) Inprimis *Adolphus* noſter *Fridericus* Princeps celſiſſimus ingenti flagrans amore litterarum, brevi tantum in iis profecit, ut eruditione alios ſuæ ætatis, ſi non ſuperaret, certe tamen æquipararet. Itaque anno 1604. ætatis ſuæ ſexto & decimo, una cum Fratre *Johanne Alberto* in Academiam Lipſienſem ablegatus eſt, ubi eodem adhuc anno ad 13. diem Calend. Decemb. publico & ſolenni ritu Rector Academiæ Magnificentiſſimus declaratus ac proclamatus eſt. Hinc ad Academiam Argentoratenſem cum Fratre profectus eſt; dein Baſileam venit, ac Italiam optimam Germaniæ aliquam & Galliæ partem luſtrans, & præcipuas urbes & celeberrimas civitates viſitans, anno 1607. in Patriam ad Matrem Sereniſſimam reverſus eſt. Principes itaque ſic reduces, Tutor illorum Dux *Carolus* rebus nunc publicis initiari voluit, & anno 1609. convocatis Rotzſtochii Provinciæ Ordinibus indictoque ſolemni Homagio, deſtinavit iisdem ac commendavit ſummam rerum; vivus itaque omnia diſpoſuit, ne qua ſe ſe mortuo, diſſidii ac belli inteſtini ſemina relinquerentur in perniciem Patriæ. (*b*) Duce autem *Carolo* anno 1610. die 22. Julii demortuo, cum ingenti omnium ſubditorum applauſu & congratulatione, uterque Princeps *Adolphus Fridericus* I. & *Johannes Albertus* II. germani, rerum potiti ſunt; inter quos ſequenti anno 1611. menſe Julio Conventus indictus eſt, in quo de totali Provinciæ Megapolenſis diviſione actum eſt. Sorte vero, quam Ruſticus in Villa Varenholzenſi Præfecturæ Cygnenſis diſpertivit, ita, ut ſuum quisque Principatum obtineret, nec alter ab alterius penderet arbitrio, obvenit *Adolpho* noſtro *Friderico* I. Ducatus Suerinenſis; *Johanni* autem *Alberto* II. Guſtrovienſis. Sed cum interdum nonnihil diſſenſionis oriretur, & alteruter ſua ſorte minus contentus viveret, alio pacto 1617. conventum eſt, donec tandem interpoſitione Provincialium & Procerum Ducatus Megapol. an. 1621. per Transactionem Guſtrovienſem nova ſortitio fieret, quæ eodem tamen recidit, ut Guſtrovienſis Ducatus penes Ducem *Johannem Albertum* II. maneret. Anno 1618. horrendus iſte Cometa, multorum malorum & everſionum totius Imperii Romani prodromus exiſtens certiſſimus, per integros fere menſes duos in Cœlo fuit conſpicuus. Hunc paſſim in Imperio Romano-Germanico ſubſecutæ ſunt diſſenſiones & tumultus bellici; Bello, flamma, tyrannide & nequitia militum peſſundata ſunt omnia. Multas autem easque graviſſimas in ſuo Regimine Dux noſter ſuſtinuit adverſitates. Primum mutatio Fratris in Religione circumventi a nonnullis, qui de Cœna Domini & aliis orthodoxæ fidei Articulis quibusdam ſecus ſentirent, ac verbum DEI permittit, ipſi multum negotii faceſſit. Nam cum Frater ipſius Dux *Johannes Albertus* II. palam id agitare cum ſuis inciperet, ut Eccleſiam ſuam Aulicam Guſtrovii anno 1618. die 28. Junii Dominica IV. p. Trinit. ad Reformatorum Sacra reformaret, ac præter Dogmata noſtra, quæ perpetuo abhorruit, initium ſeceſſionis a ceremoniis noſtris faceret, quæ diſplicebant nonnullis, ab Exorciſmo inprimis, (qui Solœciſmus perperam dicebatur) & Elencho Homiletico, abrogandis: (*c*) neque non ſolum privatim, ſed & publice in Conventu Provinciali ab anno 1620. ad 1621. Guſtrovii habito urgeret, & Cœnobii Ribnicenſis permutationem, & Templi Cathedralis ſeu Baſilicæ Cœcilianæ Guſtrovienſis Reformationem; vehementer ejusmodi machinationes improbavit, ac graviter cum Provinciæ Ordinibus Fratri ſe propterea oppoſuit Dux noſter *Adolphus Fridericus* I. ut nihil obtineret Dux *Johannes Albertus* II. ſed omnem operam cum aſſeclis ſuis perderet, & præter Sacellum Aulicum nihil quicquam lucrarentur Reformati. Audiamus hac de re verba Pro-Patrui mei magni, D. *Lucæ Bacmeiſteri* Jun. Theologi ac Superint. tunc Guſtrovienſis generalis, imperterriti ac ſtrenui veritatis Religionis Propugnatoris, ac Reformatorum Mecklenburgenſium noviter advolantium Maſtigis & Mallei ſat graviſſimi, in litteris pridie Calend. Febr. 1621. ſua manu exaratis ad Fratrem ſuum. D. *Matthæum Bacmeiſterum* Poliatrum Luneburgenſem ac Archiatrum Ducis Saxo-Lauenburg. *Auguſti*, Pro-Avum meum, hæc Luneburgum perſcribentis: (*d*)

S. P. Non dubito, Chariſſime Frater, quin „ad vos quoque fama pervenerit de Conven„tibus Provincialibus, qui inaudito hic more, „a Martinalibus huc usque continuarunt, nec „dum apparente fine, præterita quidem die ſo„lis octidui interſtitium deliberationibus iſtis „datum, ſed ad V. Febr. novis Diplomatibus „omnes Provinciales iterum huc accerſiti ſunt.

(*a*) Frider. Thomas in Analect. Guſtrov. Periodo III. §. XVI. pag. 169.
(*b*) Idem Thomas l. c. p. 170.
(*c*) Frider. Thomas in Analect. Guſtrov. Period. III. §. 17. pag. 172. & 173.
(*d*) D. Lucæ Bacmeiſteri Jun. Circuli & Urbis Guſtrov. Generalis Superint. Litteræ MSptæ.

„Adeſt etiam hic Dux *Adolphus Fridericus* cum „Conſiliariis omnibus: & ſumma Actorum in „eo conſiſtit, ut Provincia hæc ita dividatur „inter Fratres Principes, ut quilibet ſeparatim „Jurisdictionem tam in Eccleſiaſticis quam „Politicis habeat. Provinciales Diviſionem „iſtam impedituri, varia cumularunt argumen„ta, inter alia etiam a periculo, quod Religio„ni hinc imminere videatur. Hinc orta de „Religione diſputatio, quam Dux *Johannes* „*Albertus* illæſam informatamque relinquere in „toto ſuo territorio, excepto Cathedrali no„ſtro Templo, (quod ſibi reformandum con„cedi poſtulavit) promiſit. Reſtitere hactenus „pie & ſtrenue Provinciales; tandemque ante „octiduum eo res interceſſione Ducis *Adolphi* „*Friderici* per DEI gratiam deducta eſt, ut & „Templum Cathedrale nobis noſtræque Reli„gioni inpoſterum etiam maneat, & Dux *Jo*„*hannes Albertus* pro ſuæ Religionis exercitio „aulicis ſacellis contentus ſit. Manebunt & Ju„dicia publica, tam Conſiſtoriale, quam Pro„vinciale indiviſa, itemque Roſtochium cum „Academia, reliquæ Civitates omnes una cum „Nobilitate certis conditionibus Diviſioni ſe „ſubmiſerunt, & in ſignum ſubjectiſſimi animi „ſex auri Tonnas Principibus contribuerunt, „qui tamen hac ſumma non contenti eſſe vi„dentur, ſed pluſculum poſtulant: Si in tol„lendis gravaminibus, de quibus ſequenti ſe„ptimana agetur, Principes ut hactenus ſe cle„mentes oſtenderent, fortaſſis ex ſex Tonnis, „Octo fient. Ingentes huc pro hujus pro„vinciæ ratione ſequentur exactiones, ſed cum „Religio & Libertas ſint res inæſtimabiles, ex„trema quæque ſubibant potius Provinciales, „quam ut de duobus iſtis periclitarentur. &c. Et in alia Epiſtola eod. anno die 27. Febr. ad proavum noſtrum iterum data, ſcribit: „Cha„riſſime Frater. Paucis ſignifico, Conventum „noſtrum Provincialem tandem ſeptimana „præterita dimiſſum eſſe, & Provincialibus me„diocriter ſatisfactum. Manet enim Jus Epi„ſcopale indiviſum, & Religio in tota Provin„cia omnibusque Templis ſalva: In Arcium „Sacellis tantum vigebit Reformatæ religionis „exercitium, nec fas erit poſthac Calvinianis „Concionatoribus in Templo noſtro Cathe„drali ſuggeſtum conſcendere, niſi in Exequiis „eorum, qui Reformatæ religioni addicti ſunt. „Manebit & Conſiſtorium in priſtino ſtatu „cum Judicio Provinciali, quod tamen refor„mabitur quoad perſonas & locum. Erit enim „poſthac Judicium continuum, ut Camera, „(Imperialis) & vel Wiſmariæ vel hic (Ste„renbergam poſtea translatum fuit, ut in alia „Epiſtola Auctor ſcribit) habebitur, prout ſors „ceciderit; Præſes & Vice-Præſes erunt No„biles, reliqui Literati. Nobilibus & Civita„tenſibus, etſi Jus patronatus Eccleſiarum non „habeant, Præſentatio tamen & Nominatio „paſtorum indulta, nec pauca alia conceſſa, ut „bene contenti ſint plerique Provinciales. „Utque ſuam ſubjectionem viciſſim Illuſtriſſi„mis declarent, ſolutionem Decem Auri Ton„narum in ſe receperunt, hac conditione: „*Daſs ſie jetzo alſobald ſechsmahl hundert tau*„*ſend Gulden mit den Zinſen auf ſich nehmen* „*ſollen; nach verfloſſenen 6. Jahren abermahl* „*200000 fl. auch mit den Zinſen*, & totidem ite„rum poſt biennium elapſum, „*ſind in 8. Jah*„*ren 1000000. fl. mit den Zinſen.* Magna certe „ſumma pecuniæ, quæ ſubditos in hac rerum „omnium difficultate miſere premet. De mo„do autem Contributionis cum dilapſis magna „ex parte Ordinibus, conveniri hic non po„tuerit, dies alius poſt Quaſimodogeniti Ro„ſtochii indictus eſt. Ita immenſi ſumtus ha„ctenus facti ſunt, & deinceps faciendi ſunt, „utinam bono Eccleſiæ & Reipubl. Pacificus, „licet admodum diuturnus, fuit hic Conven„tus, nemo enim in illo læſus eſt: niſi quod „primo ſtatim die, quo propoſitio facta eſt, „duo Nobiles nocte intempeſtiva in puteum „in Foro improvide ſeſe præcipites dederint, „ſed ſine ullo vitæ aut corporis periculo, *der* „*eine gehet hinein, der andere reitet hinein*, qui „paulo ante primum irriſiſſet, *daſs er den Brun*„*nen nicht geſehen.* Varia hinc Judicia; interim „eventus jam teſtatur, duo Conſilia Calvinia„norum in puteum hoc conventu cecidiſſe. „Urgebat acriter Dux *Johannes Albertus* Cœ„nobii Ribnicenſis permutationem, ac Templi „noſtri Cathedralis reformationem. Uterque „ipſius inſtitutum in puteum per DEI gratiam „cecidit. Conſervet nos deinceps DEUS, ac „Eccleſiam & Rempubl. apud nos defendat, „Dux *Adolphus Fridericus* ante octiduum Con„ſiliario ſuo præcipuo ac maxime intimo & „Aulæ ſuæ Magiſtro. Dn. *Samuele Bähren*, Con„ſilorum horum de totali Diviſione (Provin„ciæ Megapol.) Auctore, orbatus eſt. Ego „morienti adfui, ac Concionem funebrem Do„berani σὺν Θεῷ ad 22. Mart. habiturus mandato „Ducis *Adolphi Friderici* & mei Principis con„ſenſu. Valde ægre caſum hunc fert Dux „Adolphus Fridericus, qui heri funus hinc Do„beranum ipſe comitatus eſt. Vale cum Tuis „ex me & a me diligenter & amanter ſalutatis.

Atque hæc quidem de Calvinianiſmo, ut vocant, in Aula Ducali Guſtrovienſi exorto, quos motus in Terra Megapolitana fecerit, quas curas præſertim graviſſimas moleſtiſſimas item atque inenarrabiles occupationes ac labores certe Herculeos, illum tantum in Aula Fratris Guſtrovii conſtrictum & concluſum quaſi continere, perferre hinc debuerit Dux noſter *Adolphus Fridericus*, nunc dixiſſe ſufficiant, plura enim ac copioſe in vita Ducis *Johannis Alberti* II. Fratris hac de re commentandi mihi ſat opportuna erit occaſio. Interea loci anno 1617. Feſtum Seculare ſeu Jubilæum Primum ob ſuſceptam feliciter anno 1517. pridie Kalend. Novembr. a *B. Luthero* Reformationem ab Eccleſia Catholico-Evangelica. inductum incidit, cujus celebrationem teſtante *D. Luca Bacmeiſtero* Jun. etiam Conſiſtorium Rotzſtochienſe ſubmonuerat ſuos Principes, quorum natu major ſcil. *Adolphus* noſter *Fridericus* iſtius inſtitutum adprobavit, (*e*) Guſtrovienſis autem Aula

(*e*) D. *Lucas Bacmeiſterus* Jun. in Literis MSS. ad Fratrem D. *Matthaum* Lüneburgum die 16. Oct. 1617. miſſis.

Aula & Dux *Johannes Albertus* plane improbavit, illius tamen ſolennitates etiam Guſtroviæ die 2. Nov. (quæ proxima tum fuit ab OO. SS. vigiliis Feria Dominica) omni qua par erat ſupplicatione peractas fuiſſe Dn. *Thomas* autor eſt. (*f*) Succeſſit dein ab anno 1621 ad annum usque 1626. Lues peſtilentialis ſat graviſſima, quæ non modo per totum Ducatum Megapolenſem, ſat funeſta ſæviit, ac complures incolas peremit, ſed virus hoc mortiferum ſe per multas etiam alias regiones ac provincias effudit. Hæc vero pernicioſa lues tantum abfuit, ut in Ducis noſtri *Adolphi Friderici* corde diu latitantes caſti amoris flammas extinxerit, ut contra magis magisque in eo conjugalem ignem inflammaverit, utpote qui anno 1622. die quidem 3. Sept. in Archi-Epiſcopatus Bremenſis urbe primaria Verden, matrimoniali vinculo ſibi aſſociari curavit *Annam Mariam*, Comitis Friſiæ Orientalis. Dn. *in Eſens*, *Stedesdorff* & *Wittmund*, *Emonis* Filiam Illuſtriſſimam, Heroinam omni matronarum virtute præclariſſimam, quam in Ducatum ſuum rediens, cum ſuis Hoſpitibus ac Matre ſua ad Fratrem ſuum Guſtroviam ſub finem menſis Septembris deduxit, a quo excepti & tractati fuere ducaliter. (*g*) Hæc autem ſua Conjux Ducem noſtrum exhilaravit octo liberis, quatuor Filiis, & totidem Filiabus; *Chriſtianus* primo genitus Filius, Suerini in hanc lucem editus anno poſt mille ſexcenta vigeſimo tertio, Calendis Decembris, qui Patri poſt mortem in Regimine ſucceſſit, uti poſtea dicam: *Sophia Agnes* die 11. Jan. anno 1625. Suerini nata eſt, deſponſata quidem fuit Marchioni Brandenburgenſi Lineæ Culmbacenſis Dn. *Erdmanno Auguſto*, qui tamen ante contractas nuptias anno 1650. vitam cum morte commutavit, unde poſtea in perpetuo cœlibatu Rhenæ in Cœnobio vivens, die 27. Dec. 1694. ætat. LXIX. demortua eſt. Filius alter *Carolus* anno 1626. die 8. Martii Suerini natus, ac poſtea caſtra Regis Suecorum ſecutus, ætatis ſuæ XLV. die 21. Auguſti 1670. vitam cœlibem finiit. *Anna Maria* etiam Suerini in vitam introivit 1627. die 7. Jul. elocata dein anno 1647. die 23. Novembr. Archi-Epiſcopo Magdeburgenſi Halæ Duci Saxoniæ *Auguſto*, & anno 1680. die 4. Jan. de vita ad veram & meliorem iterum exivit. Liberis his quatuor cum exultaret Dux noſter *Adolphus Fridericus*, ecce ipſi non ſolum ſed & univerſo Ducatui Megapolenſi ſubito novum iterum idque tertium accidit ſat grave ac triſtiſſimum nec vel unquam antea auditum, imo pene exitiale infortunium. Nam ex funeſtis Bohemici incendii initiis, unde tota exarſit Germania, flammam quoque conceperat Saxonia inferior, *Tillio* & *Wallenſteinio* Viſurgis, Albisque ripas inſolita pecuniarum exactione vaſtantibus. (*h*) Inferioris Saxoniæ Circuli Principes, ut avitam libertatem ſuam defenderent, omnesque injurias a finibus ſuis propulſarent, ſocietatem inierunt. Ita etiam ad Provinciæ Megapolenſis defenſionem atque ad avertendam irruptionem Mansfeldenſis, qui præter Holſatiam, (quæ propterea etiam tota in armis erat) ipſi etiam Megapoli tunc minitabatur, Duces Megapolenſes militem conſcripſerunt, de quo ſic ad Fratrem D. *Matthæum* Proavum meum die quidem 30. Martii 1623. Guſtrovia ſcripſit *D. Lucas Bacmeiſterus* Jun. Urbis & Circuli Guſtrovienſis Præſul generalis. (*i*) Ante ſeptimanas tres, „tertius quisque Virûm ex omnibus Oppidis „ad arma evocabatur, ut exercitui in Marchia „pro *Mansfeldico* collecto ad Albim tranſituro, „tranſitus prohiberetur. Verum cum jam „ex omnibus locis in procinctu eſſent, & „ingentes ſumtus facti, reverti ad ſuos juſſi „ſunt. Præter autem duas Equitum turmas, „jam Exercitui inferioris Saxoniæ, ut arbi„tror, junctas, duæ aliæ conſcriptæ ſunt hac „ſeptimana luſtrandæ ut itidem ad Ducem ve„ſtrum mittantur. Itaque graviſſimæ exactio„nes incolis hujus provinciæ imponuntur, „quibus ferendis vix erunt pares. Et iterum in alia ad eundem miſſa epiſtola die 29. April. eod. anno. „Hodie tertia Equitum turma „ante triduum luſtrata, ad caſtra exercitus in„ferioris Saxoniæ hinc profecta eſt, & fer„tur rumore communi, duas adhuc turmas „a Duce noſtro, ac totidem etiam a Duce *A*„*dolpho Friderico* colligendas eſſe. Ita decem „turmis Equitum de ſtipendio hæc Provincia „providere cogitur, quæ quantos requirant „ſumtus, collectu non eſt difficile &c. Huic autem Principum exercitui univerſo Belli Dux generalis electus ac conſtitutus fuit Danorum Rex *Chriſtianus* IV. qui non tam animi magnitudine, quam fortunæ favore deſtitutus, magna clade anno 1626. ad Lutheram accepta, Cæſareanorum victricibus armis cedere debuit, & fœderatos ſuos omnes in ſocietatem periculi ſimul adduxit. (*k*) In primis hoc male habuit Cæſarem. Duces quoque Megapolitanos arma ſua cæteris junxiſſe, nec ſibi avocanti ac dehortanti paruiſſe, propterea etiam in pœnam Tillianas & Wallenſteinianas copias anno 1627. hoſpitio hyberno excipere, & barbarorum ejusmodi militum rabiem ac inſolentiam experiri debuerunt, ſicque Mars impius has oras intactas etiam non reliquit. Appropinquante enim exercitu Cæſareo *Adolphus Fridericus & Johannes Albertus* Duces, cauſa plane inaudita perduellionis damnati ac proſcripti, cum univerſa utrorumque Familia anno 1628. ex avitis poſſeſſionibus ſuis pulſi, *Alberto* Fridlandiæ Duci in opimum victoriæ ſpolium terra eorum ac ſubditi adjudicati ſunt, illi contra perpetuo exilio mulctati fuere, quamvis Apologiam vaſto libro conſcripſerant, & per alios Reges ac Principes inauditam injuriam deprecari cœperant, fruſtra tamen, & nullo modo *Wallenſteinii* inflatum non ſolum & tumentem, ſed etiam atrocem

(*f*) Analect. Guſtrov. Period. III. §. XVII. p. 174.
(*g*) D. Lucas Bacmeiſterus Jun. in litter. MSS. ad Fratrem *Matthæum* anno. 1622. die Michaelis Archang. datis.
(*h*) Frid. Thom. in Anal. Guſtr. Per. III. §. 18. p. 177 & 178.
(*i*) D. Lucas Bacmeiſterus Jun. in litteris MSS. ad Fratres D. *Matthæum* Medicum Ordin. Luneburg.
(*k*) Frider. Thomas l. c. p. 178.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cem animum delinire & ex terris ſuis ſuis patriis amoliri poterant.(a) Cæſar enim publicato Diplomate & per arbitros ſuos ſeu Commiſſarios *Johannem Altingerum* & *Reinhardum Walmerodium* diem dixit omnibus ac ſingulis „Reipubl. Mecklenburg. Ordinibus, qua Du„cibus priſtinis fidem renunciare, & in poſte„rum ſoli *Alberto Fridlandiæ* Duci ſe ſe obſe„quio ac jurejurando obſtringere juberentur, „cui in belli impenſas hunc Ducatum cum o„mni jure ac privilegiis eo pertinentibus pos„ſidendum tradidit Cæſar. Factum hoc die 29. Martii 1628, ubi Guſtroviæ convocati equites, nobiles & cives totius Ducatus Mecklenb. recipiebantur in fidem *Alberti* ſundium tum obſidentis, per ſuos delegatos Miniſtros *Henricum de S. Juliano* Baronem, *Juſtum Lüderum* JCtum & *Henricum Niemannum* omnia tunc diſponentis.(b) Ipſe autem *Wallenſteinius* relicta obſidione Sundenſi, properavit Guſtroviam, intravitque Urbem die 17. Julii, & in Aula ibi Ducali ſedem ſic fixit, ac res ſuas ſtabilivit, quaſi perpetuo ibi manſurus. Nihil quidem in Religione mutavit, aſt in Politicis novam Reipublicæ formam induit, juribus tamen Civitatis ſarta tecta ſervatis. Ad copias quidem ſuas alendas Cives opulentiores ingenti pecunia emunxit, & extra urbem incolas in quartum usque annum, quo in iſtis oris ſubſiſtere potuit, infinitis exactionibus miſerrime devexatos, omnibus fere fortunæ bonis exuit & ad incitas redegit; attamen milites ſuos admodum ſevera diſciplina coërcuit, ne cuiquam injuriam facerent. Quid autem de iſtis conatibus graviſſimis etiam, atque in Imperio Romano-Germanico hactenus inauditis Cæſareanis moliminibus longe ante, quam in effectum deducerentur, ſenſerit ſæpius laudatus Propatruus meus magnus, *D. Lucas Bacmeiſterus*, Proavo meo his verbis ex„ponit: (c) Mirum erit, ſi Imperator ſua in „Evangelicos acerbitate Procerum Imperii ani„mos diu ſibi faventes retinebit. Hi autem „ſunt fructus ſuperbiæ & arrogantiæ Calvinia„norum, qui ſi ſua ſorte contenti manſiſſent, „Pax etiam tam Politica quam Eccleſiaſtica in „Bohemia & aliis Regionibus, inviolata man„ſiſſet. Sed ad Ducem noſtrum *Adolphum Fridericum* redeo, qui exulum more, ubique vagabatur, & partim in Daniam ad Propatrui ſui Filiam, Reginam *Sophiam* viduam aufugit, partim Lichtenburgii in circulo Electoralis Ducatus Saxoniæ ſuperiori ſita, partim etiam in Civitatum Hanſiaticarum Capite Lubecæ cum ſereniſſima ſua Familia inter multas adverſitates & pecuniarum anguſtias per quadriennium fere commoratus eſt, in ipſa namque urbe & arce Lichtenburgii, cumque in exilio anno 1629. viverent, conjux ejus partui proxima ibidem die 5. Maji Filium tertium *Johannem Georgium*, Ducis Lüneburgo-Guelferbytani *Anthonii Ulrici* Filiæ *Eliſabethæ Eleonoræ* die 2. Febr. 1675. maritatum, ſed paulo poſt quinquemeſtre tempus die 9 Julii ætatis ſuæ XLVI. ſine prole relicta iterum demortuum. Ita etiam in ipſo adhuc exiliali tempore Lubecæ die 11. Aug. circa quintam & ſextam veſpertinam anno 1630. Filiam quoque tertiam in hunc mundum felici partu produxit *Hedwigam*, ibidem die 12. Septemb. per S. Baptiſma renatam anno autem inſequenti 1631. die 17. Maji poſt Reſtitutionem, Lübtzæ in terris avitis iterum extinctam, ibidemque die 7. Junii terræ mandatam. Mitto Filium quartum *Guſtavum Rudolphum*, qui Suerini in patria Ducali & reſtituta ſede anno 1632. ad diem 4. Calend. Mart. (26. Febr.) procreatus, Canonicus poſtea Argentoratenſis factus eſt, ac anno 1670. d. 14. Maji mundo huic valedicens, ex ſua die 31. Octobr. 1665. aliis 1667. ſibi aſſociata Conjuge *Erdmunda Sophia* Ducis Saxo-Lauenburgenſis *Franciſci Henrici* Filia, nullos Liberos vidit: nec non Filiam itidem quartam *Julianam* etiam Suerini die 8. Novembr. anno 1633. prognatam, anno autem ſeq. 1634. die 3. Febr. iterum extinctam; potius mihi nunc dicendum erit de Ducis noſtri *Adolphi Friderici* in terras ſuas avitasque poſſeſſiones cum Fratre Duce *Johanne Alberto* feliciſſima iterum ope Regis Suecorum victorioſiſſimi *Guſtavi Adolphi* facta reſtitutione. Sicuti autem in proverbio dicitur: Nullum violentum diuturnum; ita quoque hoc ſuo exemplo ſatis comprobatum dedit Dux *Wallenſteinius*, cujus violentum ac furens imperium in Ducatu Megapolenſi ultra triennium haud duravit; ſua namque intolerabili ſuperbia, quæ ſtoliditate non minima caruit, animi autem truculenta intemperie, qua multa edidit crudelitatis facinora, atque a ſuis metui quam diligi maluit, indies magis magisque omnibus inviſus redditus fuit, cum & Dominium Maris Balthici ſimul affectaret. Unde commune Principum Germaniæ poſtulatum fuit, ut ipſi Flandriæ Duci *Alberto* dictatura Imperii militaris tandem abrogaretur, ſuffecto in locum ejus *Tillio*.(d) Sed nec hac ratione conſultum fuit libertati Germaniæ. Hinc ab oppreſſis Germaniæ Principibus in ſubſidium vocatus eſt Rex Suecorum *Guſtavus Adolphus*, qui Leo Septentrionalis, valido tandem cum exercitu anno 1630. in Pomeraniam fecit e navibus exſcenſum, atque Cæſareanis undique profligatis, inde Mecklenburgenſibus auxilio profectus eſt, atque ejectis *Wallenſteinii* præſidiis, pulſisque e tota Megapoli Cæſareanis copiis, Exules hactenus Duces revocatos, poſtliminio terris ſuis avitisque poſſeſſionibus feliciter reſtituit, factum hoc 1631. medio quidem menſis Julii, a quo dein tempore Dux noſter *Adolphus Fridericus* ſumma cum laude Patrio Ducatui ſuo præfuit, ac poſt obtruncatum anno 1634. *Wallenſteinium* (e) poſtquam ſubſecuta anno 1635. Pacificatione Pragenſi noſter Dux & Fra-

(a) Idem l. c. p. 178. 179. & 180.
(b) Caſp. Londorpii Actor. Publ. Part. IV. Cap. 5. & 6. ad ann. 1629. pag. 8. ſqq.
(c) D. Lucas Bacmeiſterus Jun. in litteris MSS. ad Fratrem D. Matthæum Bacmeiſterum Lüneb. d. 23. Nov. An. 1623. datis.
(d) Id. Thomas l. c. §. 19. p. 181.
(e) Id. ibid. §. 20. p. 186.

& Frater ejus Dux *Johannes Albertus* II. cum Cæsare jam reconciliato in gratiam redierant) ad extremum usque vitæ halitum in Pace subditos suos feliciter rexit, nisi quod (quæ quarta formidolosissimi temporis tempestas nostro fuit) occumbente in prælio Lüzensi Rege *Gustavo Adolpho* & Suecis hinc non nihil succumbentibus, (g) Cæsareani, Ductore *Gallasso* anno 1673. e Misnia in Pomeraniam signa victricia intulerunt, ac recuperatis quibusdam Pomeraniæ propugnaculis, trux ille miles per Mecklenburgensem quoque Ducatum Victor libere vagatus, rursus infestaverit & attriverit incolas suos, ferrumque ac flammas eis minatus fuerit; id quod extremam omnium rerum egestatem, post illam autem maximam post hominum memoriam luem pestilentialem in terris illis importavit, dum anno 1638. epidemius ille morbus per totam fere Provinciam tantas strages ediderit, ut nullam extitisse majoris calamitatis memoriam illis in oris, relatum legatur. Anno 1634. die 3. Febr. Dux noster laudatissimus, uti jam supra dictum fuit, Filiam suam natu minimam *Julianam* anniculam variolis correptam morte amisit, huic autem biduo post nempe 5. Febr. quoque insecuta est conjux ejus charissima *Anna Maria* Frisiaca, quæ una cum Filiola die 23. Apr. elata, Suerini humatæ requiescunt. Hinc Dux noster ad secunda transiens vota, matrimoniale fœdus iterum iniit cum *Maria Catharina* Ducis Lüneburgensis *Julii Ernesti* Filia, Principe ut forma præstanti, sic & virtutibus, quæ sexum ornant muliebrem, cunctis illustrissima. Nuptias sat magnifico apparatu institutas celebravit Suerini Anno 1635. ad diem 15. Calend. Martii, ex eaque undecim vidit liberos: *Julianam Sybillam* natam Suerini d. 16. Febr. 1636. Abbatissam Cœnobii Rehnensis anno 1701. d. 2. Octobr. ætat. LXV. demortuam. *Fridericum* prognatum Suerini d. 13. Febr. 1638. Grabovii postea cum conjuge sua *Christiana Wilhelmina* Landgravii Hasso-Bingenheimensis *Wilhelmi Christophori*, Filia anno 1671. domum ducta, viventem, ibidemque 1688. d. 23. Apr. ætat. L. de vita migrantem, in Filiis tribus, de quibus infra suo loco, & Filia unica *Sophia Loysa* die 6. Maji anno 1685. sata, & die 28. Nov. 1708 *Friderico* I. Regi Prussiæ ac Electori Brandenburgico nupta, nunc autem ab anno 1713. in viduatu degente; Stemmatis Megapolitani antiquissimi, adhuc hodie, utinam ad finem mundi! florentissimi, Propagatorem felicissimum; *Christinam* anno 1639. d. 8. Aug. Suerini vitam ingressam, Abbatissam dein Gandersheimiam ab anno 1681. ad 1693. die 20. Jun. vita iterum egressam: *Bernhardum Sigismundum*, qui quidem anno 1641. die 21. Jan. vitam hanc Suerini primum vidit, sed cui DEUS eod. adhuc anno infanti undecimestri die 15. Nov. vitæ suæ tenerrimæ iterum clausulam imposuit. *Augustam* anno 1643. die 24. Sept. natam, & seq. iterum anno 1644. denatam. *Mariam Elisabetham* anno 1646. die 24. Martii procreatam, primum Gandersheimii Decanissam dein etiam ab anno 1712. ad 1713. d. 27. Apr. quo mortua ejusdem Cœnobii Abbatissam: *Annam Sophiam*, anno 1647. die 24. Nov. Suerini quoque genitam: Duci Würtembergensi in Juliusburg, *Julio Sigismundo* an. 1677. d. 25. Martii nuptu locatam. *Adolphum Ernestum* anno 1650. die 22. Suerini satum, & 1651. iterum extinctum. *Philippum Ludovicum* anno 1652. d. 30. Maji, Suerini cretum, & anno 1655. ib. iterum die 20. Octobr. vita functum. *Henricum Wilhelmum*, qui eodem anno, 1653. die 6. Junii quo introivit in vitam, iterum die 2. Decembr. e vita exivit. Denique *Adolphum Fridericum* II. Posthumum, quia Parente jam demortuo anno 1658. die 29. Octobr. in lucem hanc editus fuit, ex conjuge sua produxit, Satorem & Propagatorem hodie regentis familiæ Ducalis Sterlitzensis. (ut hoc de eo hic simul inferam) A prima sua pueritia a Tutore ac Patruele, postea & socero suo, magno illo Duce *Gustavo Adolpho*, in studiis humanioribus omnibusque Principe dignis virtutibus omni cura ac solicitudine fuit educatus: Præceptorem propterea primum anno 1663. adhuc quinquennis, accepit *Christophorum Reusschium* Lipsiensem, Juvenem doctissimum, qui propterea in Aulam Matris viduæ Graboviæ, a Serenissimo Tutore missus est, ut nostrum Principem *Adolphum Fridericum* in bonis literis educaret atque institueret, quo cum postea Gustroviam, demortua vidua Matre Grabovii 1665. d. 1. Jul. demigrare jussus, in Aula Gustroviensi munus cœptum continuavit. Sic etiam anno 1664. a Duce *Gustavo Adolpho* nostro Principi Moderator Aulæque Magister præfectus est *Paulus Otto de Viereck* Eques Mecklenburgicus; eo vero ad Marescholi Aulici munus anno 1668. promoto, juventuti ejus præpositus fuit *Henricus Christophorus Crusius*, post quem Princeps noster accepit *Casparum Rühle:* Horum sub virorum, inprimis literatissimi ac sapientissimi Ducis *Gustavi Adolphi* moderamine ac regimine, Princeps noster ita excrevit, ut dignus satis habitus fuerit, qui ipse solus regere Imperium, ac Populo suo cum gloria præesse valeret. Elegit autem tunc Princeps noster Aulæ suæ sedem Strelizii, atque ex amore, quo hunc suum Pupillum Principem semper prosecutus est maximo, Dux judicioissimus *Gustavus Adolphus*, ipsi quoque propriam Filiam conjugem dedit, quæ ei die 24. Sept. anno 1684. matrimoniali fœdere quidem conjuncta, morte autem placidissima anno 1701. d. 16. Jan. iterum dissoluta fuit, ex qua præter duas Filias, *Mariam Amaliam* vix die 25. April. natam die 28. ejusdem anno 1689. iterum denatam, & *Mariam* anno 1690. die 7. Aug. ortam, & eodem adhuc anno iterum extinctam; *Eleonoram* item *Wilhelminam* Anno 1691. eod. nativitatis die 8. Jul. iterum demortuam, nec non *Gustavam Carolinam*, Administratoris hodierni Ducatus Megapolensis, sic volente Cæsare, die 13. Nov. 1714. *Christiano Ludovico* Duci pio ac eruditissimo nuptam, anno 1696. die 7. Jun. protulit Filium Primogenitum *Adol-*

(g) Id. Ibid. §. 21. p. 187. & 188.

phum Fridericum III. Patri anno 1708. die 12. Maji ætat. L. pie demortuo, in domo Sterlitzenſi adhuc ſucceſſorem longe merentiſſimum, junctum conjugio *Dorotheæ Sophiæ* Ducis Holſatiæ Plönenſis *Johannis Adolphi* Filiæ anno. 1709. d. 14. Apr. Altera *Adolphi Friderici* II. Poſthumi, Conjux erat *Johanna* Ducis Saxo-Gothani *Friderici* Filia, ipſi aſſociata 1702. d. 20. Jun. ſed ſine Liberis iterum defuncta die 9. Julii 1704. Tertiam. denique conjugem duxerat Mirovii die 8. Julii 1705. *Chriſtianam Æmiliam Antoniam* Ducis Schwartzenburgenſis Lineæ Sondershuſani *Chriſtiani Wilhelmi* Filiam, ex qua vidit *Sophiam Chriſtianam Loyſam* natam 12. Octobr. 1706. poſt biennium tamen 1708. die 22. Decemb. ipſum morte ſecutam; *Carolum* denique *Ludovicum Fridericum* 1708. d. 23. Febr. in hunc mundum ejectum. Hic autem Dux *Adolphus* noſter *Fridericus* II. cum jus ſuccedendi in Ducatus Suerinenſem & Guſtroviam poſt mortem Fratris Conſanguinei *Chriſtiani Ludovici* ac Soceri *Guſtavi Adolphi* obtinere haud poſſet, in compenſatione tamen a ſuo ex Fratre Nepote *Friderico Wilhelmo* qui in omnia ſucceſſit, per conventum 1701. Hamburgi habitum, accepit Ducatum Ratzeburgenſem & Dynaſtiam Stargardianam, Commentorias Miroviam & Nemeroviam, octo millia Imperialium ad extructionem novæ Arcis Ducalis annuatim etiam ex portorio Beuzenburgenſi novem millia Imperialium cum voto ſimul uno ac Seſſione in Comitiis ac Circulis Imperii publicis. *Atque hi* quidem ſunt Ducis noſtri *Adolphi Friderici* I. Sen. Liberi XIX. omnes & hæc fuit illius numeroſa progenies, qui cum per annos fere XLVII. laudabiliter ac immortali nominis ſui cum gloria populo ſuo ac Ducatui imperaſſet, vitæ tandem ſatur anno 1658. die 27. Febr. hora tertia pomeridiana, ætatis quidem LXIX. menſium 11. dierum autem 12. non ſine ingenti ſubditorum ſuorum mœrore & deſiderio ſceptrum cum vita, placide ac quiete depoſuit. Princeps in ſigni pietate erga DEUM ejusque verbum purum ac ſincerum, eximio amore ac clementia in ſubditos, & ſingulari prudentia, cæterisque virtutibus Heroicis Principe dignis ornatus, qui quoad vixit, Patriæ amator & tutor maximus, veræ orthodoxæ Religionis aſylum & tutamen certiſſimum fuit.

Cap. XII.

De *Johanne Alberto II.* Duce Megapolæo.

JOHANNES ALBERTUS II. *Johannis* IV. Filius *Johannis Alberti* II. Nepos, natus Warinæ, oppido ditioni Guſtrovienſi ſubjecto, anno a partu Virginis 1590. 3. Nonarum Maji. Infans vix biennis nimis matura morte, ac fato acerbiore cum Parentem ſuum amiſiſſet, una cum Fratre germano *Adolpho Friderico II.* & ſorore *Anna Sophia* Infante unius anni, quæ Rhenæ poſtea in Cœnobio anno ſcil. 1648. die 11. Februar. in cœlibatu vitam ſuam claſit, ſub tutela Patrui ſui *Sigiſmundi Auguſti* & Patrui magni Ducis *Ulrici* vixit, quibus demortuis, ſucceſſor Fratris *Udalrici* Dux *Carolus* Ducatus totius regimen ſimul ac tutelam Juniorum horum Principum in ſe ſuſcepit, quibus ita in educatione illorum proſpexit, ut non ſolum in vera de DEO cognitione ſolidiſſime innutrirentur, ſed etiam in artibus quibuscunque liberalibus atque equeſtribus, nec non in linguis atque ſcientiis variis optime educarentur. Quare noſter *Johannes Albertus II.* Princeps, nondum annos quatuordecim ætatis ſuæ excedens, & adhuc Ephebus, anno 1604. una cum Fratre unico *Adolpho Friderico* ad vetuſtiſſimam Saxoniæ Superioris Academiam Lipſienſem, hinc Argentoratum, Baſileam, indeque in Italiam & Galliam ablegatus fuit. (*) Hinc anno 1607. reduces, anno 1609. ordines Provinciales Dux *Carolus* convocavit, qui Rotzſtochii ſolenne Homagium Principibus Junioribus præſtitere, a quo tempore iis gubernationem ſui aliquando Ducatus ſimul commiſit, ac vivus omnia ita, quoad potuit, diſpoſuit, ne qua ſe mortuo diſſidii ac belli inteſtini ſemina in Patriæ perniciem relinquerentur. Anno autem 1610. die 22. Jul. ex hac vita demigrante Duce *Carolo*, Patruo magno, cum Germano ſuo *Adolpho Friderico* II. Ducatus Megapolenſis Gubernationem ſimul ſuſcepit, Provincia ante ſorte a Ruſtico in Villa Varenholtz Præfecturæ Cignenſis, quæ ipſi Ditionem Guſtrovienſem attribuit, nec alter ab alterius arbitrio penderet, diſpartita, præterea quoque Coadjutor Epiſcopatus Raceburgenſis factus eſt, ipſe futurus aliquando Epiſcopus ſive Adminiſtrator. Subditos ſuos magna prudentia, humanitate, & clementia rexit. Ita quoque eximiis & illuſtribus animi doribus non tantum maxime conſpicuus fuit, ſed & corporis proceritate ejusque heroica majeſtate, forma ac robore excelluit ita, ut ſi Anteceſſori *Alberto, Henrici Pacifici* Germano, qui ob corporis formoſitatem & proceritatem nomen *Formoſi* ſortitus eſt, non anteponi, certe tamen æquiparari potuerit. Frontem, animi januam, præ ſe ferebat exporrectam; lineamenta omnia proba, recta, integra erant. Eorum nihil negligebat, quæ in primis Ordinem Equeſtrem decerent, cui tantum tribuit, quam nulli alii corporis exercitio. Citius ſane charta quam materia deficeret, ſi ſingulas virtutes ſaltem numerando deſcriberem, in quibus Dux noſter *Johannes* ille *Albertus II.* ut indolem ſuam proderet generoſam vereque heroicam, ſe ſe exercuit. In Juventute tam a Matre, quam ab iis, qui curam ejus agerent, in vera & orthodoxa illa Religione, quæ ad Legis divinæ præſcriptum ac Divini numinis voluntatem in omnibus Fidei Articulis ſe unice conformat, inſtitutus quidem cum cura & de induſtria fuit; Attamen bonus ille Princeps in Religionis negotio circumveniri ſe paſſus eſt a quibusdam Nobilibus, quorum fere omnium vitæ exitus fuit tragicus & lamentabilis, ut ad illam,

(*) Thomas in Analect. Guſtrov. Period. III. §. 16. pag. 169. & 170.

illam, quæ de Cœna Dominica, & aliis orthodoxæ Fidei Articulis quibusdam secus sentit, ac verbum DEI permittit, Religionem, quam communi sermone *Reformatam* vocamus, transiret, subditis tamen suis veræ doctrinæ ac Religionis liberum reliquit exercitium. Initium autem secessionis publicæ fecit anno 1618 d. 28 Junii Dominica IV. post Trinit. in Ecclesia sua Aulica, quam ad Reformatorum sacra reformari permisit, in ceremoniis præsertim, atque Exorcismum inprimis & Elenchum Homileticum abrogavit: quam sanam rationem & utilitatem cum strenue vindicaret D. *Lucas Bacmeisterus* Jun. Patruus meus magnus, Circuli ac Urbis Gustrovienfis Superintendens Generalis, una cum cæteris verbi ibidem Ministris, illeque præsertim quoad dogmata & cerimonias, omnibus in Ecclesia susceptis novationibus & voce ac scriptis se acriter opponeret, maximum hinc odium atque invidiam in se concitavit, mansit tamen veræ & incorruptæ nostræ Religionis inperterritus ac fervidus propugnator, a cujus veritate, ne latum quidem unguem, quoad vixit, recessit. Hinc etiam vocationes Hamburgum & Dantiscum longe uberiores ac quæstuosiores periculoso tunc Ecclesiæ suæ statui lubens postposuit, quia, prout ipse in literis ad Fratrem suum *D. Matthæum Bacmeisterum* Proavum meum d. 24 Jan. 1617 Lüneburgum scripsit: (*a*) majorem „hoc in casu Ecclesiæ, quam sui ipsius sibi ha„bendam esse rationem duxit, sed potius in illa „statione, quam diu DEO visum fuerit se man„surum, ne suo abitu rima invadendi illam Ec„clesiam vulpeculis Calvinianis aperiatur. Interim Dux *Johanes Albertus* noster Altaria, quæ summa Calvinianorum sanctimonia propter eorum apud Pontificios abusum, in Ecclesiis haud passus est, & tam in sacello Arcis Gustrovienfis, quam Dargumensis & Cœnobii Ribnitzensis dirui & destrui curavit. Et licet sedulo rem egerit, ut Templum Cathedrale, quod est Gustrovii, Reformata hac Religione pollueret, eamque in illo introduceret, repugnante tamen Fratre Dn. *Adolpho Friderico*, Principe veræ pietatis & sinceræ Religionis cultu ac zelo in primis claro, & contradicente Provincialium Ordine, propositum in effectum minime deducere potuit. Qua de re Comitia per integros menses quatuor Gustrovii habita sunt, in quibus omnia ante adhuc communia, inter Serenissimos Fratres, ex æquo & bono sunt divisa, præter Jus Episcopale, Judicium Ecclesiasticum & Provinciale, Academiam item Rotzstochianam quæ indivisa & communia huc usque permansere, prouti hæc omnia supra in vita Fratris *Adolphi Friderici I.* ex Litteris Propatrui mei magni ad Proavum meum datis pluribus adduxi. Ob denegatum itaque sibi in urbe Templum præsertim Cathedrale novis suis sacris, instinctu Reformatorum aulicorum, Dux *Johannes Albertus II.* ex mero in Provinciales odio, pro denegata Basilica Cæciliana (ut scripsit alibi ad Fratrem suum, Proavum meum, paulo ante adductus Propatruus meus D. *Lucas Bacmeisterus* Junior) (*b*) ingentes sumtus ad extructionem novi Templi pro se & Reformatæ Religioni addictis impendit, cum tamen per DEI gratiam (addit ille) hactenus Apostatas perpaucos habuerint. Elegit autem locum sibi potissimum commodiorem visum, aream illam satis amplam extra Ducalem Arcem sitam, ubi Anno 1623. ædificare cœperunt hoc Templum in frontispicio Palatii Principis, adhibitis in subsidium ruderibus & parietinis sacellorum ac Collegiorum e papatu residuorum ab *Henrico Pacifico* & *Alberto Pulchro* Ducibus ac Fratribus Megapolensibus, indulgente Papa Romano anno 1509. ad ædem S. Crucis exustam conditi quidem sed non absoluti veteris Monasterii Ordinis Franciscanorum (*c*) (*von der rechten observantien.*) Ast vero hujus Templi extructionem pestilitas quædam ingravescens impedivit, quæ anno 1624. Nobiliores multos Urbe Gustrovia expulit & ipsum etiam Ducem *Johannem Albertum II.* cum Serenissima Familia Stargardiam demigrare coëgit, relicta Arce occlusa, quæ luis sævitia in annum usque 1626. per totam Provinciam duravit, ac multos incolas peremit. Cessante dein contagione illa pestilenti, aliquantum sufflaminatam novi Templi ædificationem Dux noster continuari jussit; (*d*) in cujus absolutione, dum omnem lapidem moverent Reformati, ecce *Wallensteinius* ille famosissimus cum copiis Cæsareanis, in Ducatum universum Megapolensem irruens, ac principes anno 1628. domo sua & Regione avita ejiciens, dum sedem postea fixam Gustroviæ fixerit, huic operi colophonem imponere penitus inhibuit, potius inceptum hoc Templum funditus iterum destruxit, ac materiem & saxa ejus adhibuit ad Arcis Ducalis, quæ meridiem spectat, partem vacuam exædificandam, cujus tunc solidum posuit operis futuri fundamentum, ejusque rudera adhuc hodie satis conspicua apparent, (*e*) Post triennium autem etiam in morte invictissimus Suecorum Rex *Gustavus Adolphus*, Libertatis Germanicæ oppressæ vindicator acerrimus, & Propugnator longe feliciissimus, anno 1630. classe sua validissima manu instructa ad oras Pomeraniæ auspicato appulsus. Imperiales copias undique profligavit, ac anno sequenti 1631. Mecklenburgensibus auxilio approperavit, cujus subsidio Dux noster *Johannes Albertus II.* ejecto *Wallensteinii* præsidio, Ducatum suum iterum recuperavit. Intravit autem rursus Gustroviam suam cum Serenissima Familia modico apparatu Nobilibus suis Aulicis stipatus Dux noster *Johannes Albertus* die quidem 21. Julii, eod. anno, exceptus, comitantibus ab ordine Equestri & Suecorum Præsidio militari non-

(*a*) D. *Lucas Bacmeisterus* Jun. in Litt. MSS. ad Fratrem D. *Matth. Bacmeisterum* Phys. Ord. Lüneb.
(*b*) D. Lucas Bacmeisterus Jun. in Litt. MSS. ad D. Matth. Bacmeisterum Fratrem Gustrovii
(*c*) Thomas in Analect. Gustr. Per. III. §. 17. p. 174.
(*d*) Idem ibid. p. 165.
(*e*) Id. l. c. §. XVIII. p. 189, & 181. §. XIX.

de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.

nullis, ipso autem Rege procul absente & in hostium tergis hærente. Rotzstochium dein a Cæsareanis probe munitum, commeatu, præsidio, aliisque rebus bello necessariis firmatum, aggressus est, quam Urbem conjunctis viribus cum auxiliaribus Suecicis obsedit, inque deditionem redegit. Supererat adhuc Visimaria, quam post aliquot hebdomadum obsidionem etiam cepit, & expugnavit, una cum Domitia, reliquis munitiora oppida, quæ in alterum annum sc. 1632. vim oppugnandi sustinuerunt. Recuperato itaque Ducatu universo, ac cum Cæsare in gratiam pristinam iterum redacti Principes, solennem Deo liberatori supplicationem decreverunt, quæ die 10. Febr. 1632. per universum Ducatum Mecklenburgensem festis sacris celebrata, ac per plures annos die 13. Januarii repetita fuit, (*f*) reliquiæ cohortis Mansfeldicæ e toto Ducatu demigrarunt: Itaque etiam Dux noster militiæ valedixit, atque, ut Regionem ac subditos a totali interitu liberaret, curam eorum egit paternam. Anno 1608. ætatis suæ XVIII. Dux noster cum Matre Serenissima vidua in Sueciam trajecit, ibidemque *Margaretham Elisabetham* Ducis *Christophori* Megapolitani, Propatrui sui Filiam unicam orbam, Principissam formæ pulchritudine, generis claritate, ac virtutum decore præstantissimam, matrimoniali vinculo sibi associavit, Stockholmiæ nuptiis celebratis sat magnificis Maritus eodem anno e Suecia rediens, Gustroviam sedem Ducum Megapolensium, quoque suam elegit. Defuncto post biennium Avi Germano *Carolo* Duce, qui Provinciam hanc Megapolensem tutorio nomine administrarat, Ducatu inter Fratres Germanos sorte (de qua divisione supra in vita Fratris jam pluribus dixi) partito, ipse *Johannes Albertus* noster, gubernationem Diœceseos Gustroviensis etiam per novam Transactionem Gustroviensem, 1621. conscriptam, suscepit. Prima hæc conjux *Margaretha Elisabetha* ipsum Ducem nostrum fecit Parentem quatuor Liberorum: progenuit enim *Johannem Christophorum* natum Gustroviæ 1611. ad XI. d. Calend. Jan. anno sequenti die 21. Mart. ibidem vicissim denatum, & 30. Martii tumulatum; *Sophiam Elisabetham* prognatam ibidem 1613. d. 20. Aug. hora 8. antemeridiana, anno 1635. die 13. Julii, *Augusto* Duci Luneburgensi Guelpherbytano nuptam, anno 1676. d. 12. Augusti ætat. LXIII. demortuam; *Christianam Margaretham* die 31. Mart. intra 9. & 10. antemeridianam Gustroviæ 1615. mundum hunc ingressam, Principissam ac Heroinam animi dotibus, formæ præstantia, omnibusque virtutibus, quæ sexum inprimis ornant muliebrem, maxime conspicuam, quam Conjugem anno 1640. duxit *Franciscus Albertus* Dux Saxo-Lauenburgicus, eo autem anno 1642. in prælio Suidnicensi demortuo, Patruelis *Christianus* Dux Mecklenb. Suerinensis 1650. die 6. Julii, sed anno 1663. ab eo ad Castra Pontificiorum abiente, repudiatam: denique *Carolum Henricum* etiam Gustroviæ 1616. die 30. Maji hora 4. matutina in hanc lucem editum, ac vicissim inter vivos esse desinentem 1618. d. XIV. Novembr. annis saltem duobus, mensibus quinque ac diebus quindecim vitæ hujus usura fruentem. Ad perficiendum hujus Principis Baptismatis actum, cum Dux noster jam tum in Religione nutare inciperet, Concionator Aulicus, Calvinianæ Religioni addictus, qui tamen non alius, quam γνησίως Lutheranus videri haberique volebat, *Georgius Ursinus* Misnicus, Gustroviam vocatus est, qui primus omissa Exorcismi Formula, ab aliquot seculis in Ecclesiis vere Christianis illius Regionis & Saxoniæ Superioris recepta, Sacra Baptismatis unda abluit. Tempore haud ita multo interjecto, eod. sc. 1616. anno, die quidem 16. Novembr. hora 5. vespertina Conjux ejus *Margaretha Elisabetha* ex tabe diem obiit supremum Gustroviæ; Maritus jam viduus, in præsentia Regum ac Principum Legatorum, absente vero Matre Serenissima *Sophia*, & germano *Adolpho Friderico* Funus demortuæ Conjugi ibidem die 9 Jan. 1617. in Templo Cathedrali fieri curavit: de cujus exequiis ita olim ad Fratrem D. *Matthæum* Proavum meum Luneburgum scripsit sæpius adductus D. *Lucas Bacmeisterus* Junior: (*g*)

„Puto, te jam cognovisse, alterum etiam ex „aula Holsatica Concionatorem hic advenis„se, *Johannem Rhuelium* (Ottranto-Misnicum „ex Aula Gottorpiensi Presbyterum primum „Lauenburgi ad Albim Concionatorem Aulicum secundum Dn. *Thomam* l. c (*b*) („quondam Eklenfördensis Ecclesiæ Pastorem Lu„theranum, nunc autem Apostatam scelera„tum, forte is tibi notus erit. Hic cum Col„lega Calviniano (intelligit *Georgium Urși„num*) tantum non inhiat nostris Ecclesiis: „quibus aditum patefacere (meo discessu) nec „tutum nec pium foret. Deus nobis, ut spero, „aderit ac maleferiatorum consilia turbabit. „Exequiæ Ducissæ nostræ 9. Jan. peractæ sunt. „Concio funebris utraque, altera pridie Exe„quiarum in Arcis Sacello, ac posterior ipso „die Exequiarum in Cathedrali Templo a Cal„vinianis habebantur; quæ etiam Ducem *A„dolphum Fridericum* prohibuit, ne exequiis „interesset. Fertur namque Celsitudinem ejus „sua præsentia invasionem Calvinianorum in„Ecclesias nostras approbare noluisse, si quidem „Jus suum Episcopale etiam hoc in loco dein„ceps tueri cogitat. Ego in Processione Cal„vinianis Concionatoribus adjunctus eram, sed „cum illis incedere, nec sic scandalum, non „Auditoribus tantum meis, sed peregrinis aliis, „qui multo numero confluxerant, dare nole„bam. Associabam itaque me reliquis Superin„tendentibus, relictis a tergo isto Calviniano„rum Fratrum pari. Wismarensis Superinten„dens Concioni interesse nolebat, sed ante Cœmi-

(*f*) Idem l. c. § 20. p. 185.

(*g*) D. Lucas Bacmeisterus Jun. Theol. & Superint. Gustrov. in litteris MSS. die 24. Jan. 1617. ad Fratrem D. *Matthæum Bacmeisterum* Medicum Luneburgens. datis.

(*b*) Thomas Analect. Gustr. Per. III. §. 17. lit. a in Not.

„Cœmiterium ex proceſſione diſcedebat, non „ſine ſumma Principis indignatione. Ego ve„ro, cum reliquis Dominis Superintendenti„bus Templum ingreſſi, Concioni interera„mus. Neque enim conſultum nobis vide„batur, Calvinianis iſtis Sociis noſtro abitu, „quaſi omnimodam Templi iſtius poſſeſſionem „relinquere. Alia in noſtris Eccleſiis nulla ha„ctenus tentata eſt mutatio, neque in aulico „Sacello quicquam amplius, niſi Exorciſmus „ſolus abrogatus eſt: de quo tamen Miniſtri „illi Concionatores non audent aperte, quod „ſentiunt, profiteri. DEUS nobis deinceps „adſit, ac Eccleſias haſce potenter defendat, „teque mi Frater cum tuis a nobis omnibus „amanter ſalutatis, ſervet. Demortua itaque ſic conjuge prima, ad ſecunda tranſiit vota Dux *Johannes Adolphus* noſter, ducta in Uxorem *Eliſabetha* Haſſiæ Landgravii *Mauritii* Filia, Principiſſa egregiis dotibus ac præclaris virtutibus ornata. Nuptiæ celebratæ ſunt Caſſellæ Cattorum, anno milleſimo ſupra ſexcenteſimum duo de vigeſimo ad octavum Calendas Apriles, de quo conjugio aliisque Religionis negotia concernentibus rebus, ſequentia iterum ad Fratrem ſuum Proavum meum Luneburgum perſcripſit D. *Lucas Bacmeiſterus* Junior: (*a*) „Ego etſi ex Religionis negotio non „exiguam perſæpe experiar moleſtiam ac ani„mi ægritudinem, quod tamen in illis mirabi„biliter a DEO ſuſtenter, merito grata mente „agnoſco, & me meosque DEO devote com„mitto, & interim divinæ omnipotentiæ gra„tias, quas poſſum animo concipere, maximas „ago, quod hactenus adverſarios veritatis cœ„leſtis graſſari pro libitu non permiſerit. Con„ſtricti & concluſi quaſi tenentur in Aula, & nos „priſtina per DEI gratiam libertate taxandi „errores fruimur, qua nobis relicta, nos illos, „qui ſpiritu DEI regi nolunt, DEO committi„mus, qui Eccleſiæ curam non abjiciet. Et in alia Epiſtola, ad eundem ſequentia ſcribit: (*b*) „De noſtris rebus forſan ſcire plura cupis. „Verum cum nunc prolixe de iis ſcribere non „poſſim, moram, quæ interceſſura eſt, haud „ægre feres. Sic tamen habe: valere me cum „meis DEI beneficio ſat commode: & niſi Ec„cleſiaſticæ iſtæ turbæ me ſæpius turbarent, „commodius forſan vix alibi viverem. Prin„ceps noſter ante quatriduum, pauciſſimis co„mitatus Caſſellas, ut ajunt (mira enim arte, „quæ agitantur Conſilia, a Politico-Calvinia„nis occultantur) abiit: unde Conjugem ſe„cundam ipſum adducturum multi ominan„tur: ita putant novatores noſtri Politici, pau„latim virus Calvinianum latius ſparſum iri. „Sed vivit adhuc DEUS, qui ut aſinæ Bileam, „imo Bileamo ipſi in itinere contra DEUM ſuſ„cepto reſtitit: ita & hæc Conſilia Achito„phelica, ſi ipſi viſum fuerit, facillimo negotio „irrita poteſt reddere. Interim præter Auli„cos Concionatores Calvinianos, nulli adhuc „ullis Eccleſiis aliis obtruſi ſunt, qui iſti dogma„ti addicti eſſent, & cavit Princeps Provincia„libus litteris peculiaribus: (intelligit ſine dubio Auctor *Privilegium* illud *Provinciale*, quod ſub titulo: Aſſecurations-Revers de dato *Güſtrov.* d. 23. Febr. 1621. promulgatum poſtea prodiit. (*Artic. I. de Puncto Relig. pag 18.* teſte Dn. „*Thoma*) (*c*) ſe in nullo Templo, ſive urbico „ſive pagano quidpiam, novaturum. Faxit „DEUS, ut ſtet promiſſis, *ſo mögen ſie es zu „Hoffe machen, wie ſie es für GOtt verantwor„ten können:* quandoquidem bene monentes „audire nolunt. Ego meum me feciſſe pro vi„ribus officium, teſtem ſcio me habere DEUM, „Conſcientiam & Auditores &c. Item in alia ad eundem de Religionis negotiis ſic ſcribit: „(*d*) Haſſus apud nos ſatis quietus fuit; Re„ligionis vix mentionem facit, Templa per„luſtravit, ſed Sacris noſtris non interfuit, in „Arcis Templo Conciones audivit. Princi„pes alii præter duos Laoburgenſes nulli ad„fuerunt: Hæſit Landgravius per octiduum „Guſtrovii, inde ad Principum noſtrorum Ma„trem abiit; unde in Pomerania Wolgaſtum, „Gryphiswaldiam, Sundium perluſtravit, & ſic „die ab hoc octavo Roſtochium venit, ubi „jam hæreat ignoro. Libentiſſime cum Duce „*Adolpho Friderico* converſatus fuiſſet, ſed nu„ſpiam comparere voluit. An clam conſilia quæ„dam in Eccleſias noſtras agitata ſint, dies da„bit. Bonam autem, imo certam ſpem fovemus, „nos & Eccleſias noſtras tutos fore ſub DEI „præſidio. Hactenus necdum ulli noſtris Ec„cleſiis Calviniani Doctores ſunt obtruſi: & „ego præterita die ſolis Guſtrovii in Templo „Parochiali novum Paſtorem noſtræ Confeſ„ſionis (fuit is M. *Laurentius Langclaus*) ad „Principis mandatum inſtitui. Adſit nobis „deinceps JEHOVA, & Hoſtium noſtrorum „conſilia frangat. &c. In alia Epiſtola de Eccleſiæ ſtatu ſic cum eodem conqueritur: (*e*) „Eccleſiæ facies ſubinde nos etiam triſtiores. „Sævit enim diabolus cum ſuis Orphanis, ma„xime vero populari noſtro D. *Jungeclas* (fuit hic Patria Rotzſtochienſis J. U. D. ac Ducis *Johannis* noſtri *Alberti II.* ab anno 1612. ad annum emortualem 1624. Conſiliarius Juſtitiæ, Aulæ & Regiminis, Reformatis confeſſione & opera addictiſſimus: „qui nullum non movet „lapidem, ut ſuo etiam exemplo verificet Pro„verbium: Omnis Apoſtata eſt oſor ſui Ordi„nis. Sed nobis per DEI gratiam non deeſt „animus pro veritate pugnandi & contradi„centes arguendi. Alibi de concionatoribus quibusdam Reformatis, (quorum integrum Catalogum Cl. *Thomas* adducit (*f*)) Fratri ſuo

(*a*) D. Lucæ Bacmeiſteri Litteræ MSS. ad Matthæum Bacmeiſterum Archiatrum Saxo Lauenburg. & Poliatr. Luneb. A. 1617. d. 16. Oct. datæ.

(*b*) Idem in litteris MSS. d. 7. Mart. An. 1618. ad eundem datis.

(*c*) Frider. Thomas in Analect. Guſtrov. Period. III. §. 17. lit. b. in Notis.

(*d*) D. Lucas Bacmeiſterus Jun. in litteris MSS. ad Fratrem ſuum D. Matthæum Bacmeiſterum Luneb. d. 5. Jun. 1618. datis.

(*e*) Idem in Litteris MSS. de Anno 1619. d. 19. Febr. ad Fratrem miſſis.

(*f*) Thomas in Anal. Guſtrov. Per. III. §. 17. p. 173. & p. 175. lit. a in Notis. D. Lucas Bacmeiſterus Jun. in litteris MSS. d. 30. Aug. 1621. ad Fratrem exaratis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sequentia per literas enarrat: „Habebamus hic „per trimestre ex Architectis Consiliorum „Bohemicorum non postremum *Scultetum* (sc. *D. Abrahamum Scultetum* insignem Reformatorum Theologum & Prof. Heidelberg. ac *Friderico* V. Palatino Electori antea a Consiliis & Concionibus sacris, ob motus Bohemicos exu„lem factum) qui jam & sua & multorum opi„nione citius hinc migravit avocatus, id ipse „præ se tulit, a suo Rege: sed ut alii putabant, a „Principe offensæ apud Imperatorem vitandæ „causa sponte dimissus. Non frustra autem in „Megapolin venit: Bene onustus hinc discessit, cum inops, & omnibus rebus destitutus „huc venisset, (ad Pastoratum Embdanum „hunc abiisse, ibidemque 1624. obiisse *Dn. Thomas* testatur (*g*)) *Rhuelius*, (sc. Concionator aulicus Reformatus Gustrov.) „etiam ob vitæ „dissolutionem ab officio motus est. Ajunt in „horum locum, brevi Francofurto ad Oderam „alium venturum: veniat si ita DEO fuerit vi„sum, experietur esse hisce etiam locis, ac post „montes, quod dicitur, homines. Atque hæc quidem ὡς ἐν παροδῷ adduxisse sufficiant. Redeo ad Ducis nostri *Johannis Alberti* II. secundum Conjugium, quod quidem pacatum & tranquillum, sed non diuturnum & sterile fuit. Nulla enim illa *Elisabetha* Hassiaca sobole relicta, Duci *Johanni Alberto* a latere sublata est Gustroviæ d. 16. Decembr. 1625. ibidemque in Templo Cathedrali anno 1626. die 25. Jan. humata. Post hujus itaque Conjugis elationem, Dux noster tertiam sibi elegit vitæ sociam *Eleonoram Mariam*, Ducis *Christiani* I. Ascaniorum Filiam, Heroinam ingenio & omni virtute excellentem, anno 1626. die 7. April. Gustroviæ Conjugem assumtam, quæ liberos ipsi quinque sustulit illustrissimos, *Annam Sophiam* anno 1628. ad III. Calend. Octobr. (29. Sept.) Hitzigerodi, Ducum Anhaltinorum Arcis in sylva Hercinia, in exilio editam, postea Duci *Ludovico IV.* Lignicensi in Silesia die 18. Maji, anno 1649. elocatam, anno 1669. d. 19. Febr. ætat. 41. demortuam. *Johannem Christianum* anno 1624. Lubecæ in exilio d. 2. Novembr. editum & 18. ejusd. ibidem baptizatum, Gustroviæ autem anno 1631. die 30. Decembr. iterum demortuum, ac ibidem in Templo Cathedrali apud Majores die 12. Jan. 1632. terræ mandatum. *Eleonoram* anno 1630. etiam Lubecæ prognatam, Gustroviæ autem anno sequenti 1631. die 12. Sept. iterum denatam & sepultam. *Gustavum Adolphum* Gustroviæ anno 1633. d. 26. Febr. in lucem editum, quo de infra suo loco pluribus: Denique *Loysam*, satam etiam Gustroviæ d. 20. Maji 1635. hora 7. matutina, anno autem 1648. iterum extinctam. Ipse autem Dux noster *Johannes Albertus* II. Princeps inclytus, prudens, fortis & dum vitam ageret, Pater Patriæ verus, non sine anxio & summo suorum atque cunctorum subditorum desiderio, planctu ac dolore, Anno fere 1636, 9. Calend. Maji (23. Apr.) præmatura morte, cum complevisset annos XLV. menses decem & unum, ac dies duodecim, Regiminis XXVI. constituta prius voluntate sua ultima, ex hac vita demigravit. Corpus ejus exanime binis Conjugibus ac quatuor Liberis jam defunctis die 30. Jun. in Conditorio Majorum Templi ibidem Cathedralis fuit associatum. Conjux hac Vidua relicta postea in Viduali sua sede Strelitziæ anno 1657. d. 7. Julii hora 5. matutina, vitam cum morte commutavit, eodemque anno die 16. Sept. Gustroviæ in Templo Cathedrali ad latus Conjugis Mariti sepulta fuit. Cæterum hos Fratres Germanos *Adolphum Fridericum I.* & *Johannem Albertum* II. cum adhuc Juvenes Principes essent, sub auspicio Gubernationis sic olim accinuit *Johannes Simonius:* (*h*)

Salvete Illustres animæ, par nobile Fratrum,
Tantorum Soboles dena quaterna Ducum.
Omnis in ambobus Patriæ stat cura salusque,
Pro vobis fiunt nocte diuque preces
Sic Vos in laudesque DEI Patriæque salutem
Crescite! sic vigeat Pax, Themis & Pietas!

Cap. XIII.

De *Christiano*, (Ludovico) Duce Megapolæo.

CHRISTIANUS, qui & LUDOVICUS a Papa dictus est, (alii volunt, ob acceptum a Rege Galliæ *Ludovico* XIV. Ordinem Equestrem (Ordre des Chevaliers du saint Esprit) eum in honorem Regis nomen *Ludovici* tunc assumsisse) vitales auras primum carpsit Suerini die 1. Decembr. hora 1. matutina, anno supra millesimum sexcentesimum vigesimo tertio, Filius primogenitus Ducis *Adolphi Friderici* II. & Matris *Annæ Mariæ* Frisiacæ. A teneris unguiculis a Parentibus Serenissimis in vera DEI agnitione, virtutibus Principe dignis ac liberalibus artibus per viros nobiles ac eruditos, præsertim vero in literis ita innutritus fuit, ut merito docti ac literatissimi Principis laudem consecutus sit; hinc & Literatos fovit, & Academiam suam Rotzstochianam magno semper in pretio habuit. Mathesi in primis valde delectatus est, unde sæpius, cum in vicinia urbis Rotzstochii Cœnobio Doberano hæreret, & modo hunc, modo illum Professorem (*Johannem* inprimis *Bacmeisterum*, Patruum meum magnum, Professorem Medicinæ & superiorum Mathematum, quem & dum in Ducatu suo Patrio hæreret, tanquam Medicum sui corporis sæpius Rotzstochii invisit, ejusque mensæ assedit:) ad se accersendum curaret, ex illis quæsivit, num studiosi Juvenes etiam Mathesin excolerent? Respondentibus autem Professoribus, non adeo illis arridere Mathesin, dixit: „Juventutem „ignorare, quanta in Mathesi lateat sapientia.„ In eo tamen minime laudandus quod, cum in Adolescentia ac Juventute sua Dux noster effreni nimis ingenii, disciplinæ omnis impatiens, segnis & ignavus, monitoribus asper, immodesti ac intractabilis animi fuerit, hinc etiam, suasu inprimis Theologi Rotzstochiensis cele-

(*g*) Loc. cit. p. 175. lit. a in Notis. (*h*) Johannes Simonius in Elog. Ducis *Caroli* cum annexa genealogia Ducum Megapolitanorum.

celeberrimi *D. Dorſchæi*, quem ſæpius Argentorati adhuc degentem, hac de re Dn. Parens ejus literis compellaverat, a Patre, iis præſertim, cujus curæ, diſciplinæ ac morum ſtudiis commiſſus erat, nimis aſpere & rigide tractatus, atque arctiſſima diſciplina fuerit coërcitus, ita quidem, ut in præſentia aliorum Principum multis eum ſæpius verberibus exceperint, ac inter prandendum trapezephoro alligarint: Ille hanc duriſſimam ſuam educationem demortuo Parente Anno 1658 ad imperium perveniens, minime inultam reliquerit, ſed *Dorſchæum* hujus durioris tractationis potiſſimum conſultorem, anno 1559. (quo etiam anno ad finem vergente die ſc. 25. Decembr. magnus hic Theologus ſine dubio præſertim ex graviſſima illa mox dicenda a Duce noſtro perpeſſa ignominia, mœrore ac angore confectus, obiit) in Aulam ſuam vocatum poſt prandium inclementioribus verbis increpans, literas ad Parentem ſuum ſuæ educationis cauſa olim miſſas, ori devorandas intruſerit, ab illo autem hoc quam humillime deprecante, in pœnam ſuppeditati olim B. Parenti ſuo conſilii hujus ſeverioris, tanquam Primario Profeſſori Theologiæ, inſimul & Adminiſtratori, valde fructuoſam illam Hæreditatem Baronum Auſtriacorum de *Gera*, per Teſtamentum Facultati ſuæ Theologicæ olim relictam, triginta ſc. millia Imperialium, extorſerit, (qua de re in edenda aliquando B. Genitoris mei Hiſtoria Urbis & Academiæ Rotzſtochienſis ſuo loco copioſe dicam;) Parentis autem ſui corpus, quoad vixit propterea etiam ſepeliri inhibuerit. Addunt alii aliam rationem, quare cum Parente ſuo, Dux noſter *Chriſtianus* non bene convenerit, ſcil. ob Teſtamentum ultimum, quod Parens ipſius anno 1654. compoſuerat. Cum enim in priori anno 1633. ſcripto Teſtamento, ex Jure Primogenituræ introducto, totius ſui Ducatus Hæredem ex aſſe noſtrum Ducem *Chriſtianum* tanquam primogenitum Filium ſuum conſtituiſſet, nunc in altera ſua ſuprema ordinatione teſtatus fuerat, ut quidem Filius Primogenitus *Chriſtianus* licet ab eo valde offenſus, tamen in Terras Paternas ſolus ſuccederet, Filius tamen ejus ſecundo genitus, Princeps *Carolus*, Ducatum Raceburgenſem acciperet: & Tertius Filius *Johannes Georgius*, Diœceſin Suerinenſem obineat, uno autem atque altero illorum demortuo, Filii reliqui illis ordine ſuccedant: ita etiam, ſi quando Linea Ducalis Guſtrovienſis exiret, tunc quoque Filius ipſius alter *Carolus*, & poſt illum reliqui ejus Filii ſuccedentes, Duce noſtro *Chriſtiano* excluſo, Ducatum illum Guſtrovienſem regerent. Ita etiam Parentem ejus Bona quædam Ducatus ſui oppignorare voluiſſe, de quibus, ut & de ultima ſua conſcripta voluntate, conſenſum ipſius Ducis noſtri *Chriſtiani*, Patrem ſuum expetiiſſe ajunt, quem tamen Patri non ſolum denegavit Dux noſter, ſed etiam rem omnem ad Imperii Comitia detulit, ſimulque etiam de Parentis ſibi denegata neceſſaria ſuſtentatione graviter conqueſtus eſt, quæ controverſia ad mortem usque Parentis duravit, poſt cujus anno 1658. inſecutum obitum ille Parentis demortui ultimam voluntatem reſcindens, ſolus Ducatum ſuum regere incepit, atque poſt diuturnas controverſias inter eum ac Fratres ſuos eo tandem res deducta fuit, ut non ſolum primogeniti Fratris ſui ſucceſſionem rati habuerint, ſed etiam acceptis quibusdam prædiis pro ſua ſuſtentatione contenti vixerint, unde Frater *Carolus* Miroviam, *Fridericus* autem Graboviam ſedem ſuam elegere. Inſuper etiam Dux *Chriſtianus* noſter in Religione minus conſtans fuit; licet enim in Catholico-Evangelica Religione a. B. Genitore ſuo nunquam ſatis laudando, probe imbutus fuerit, tamen Romano-Catholicam non aliam ob cauſam amplexus eſt, quam quod cum conjuge ſua, caſtiſſima virtutisque amantiſſima, *Chriſtiana Margaretha* Agnata ſua, Filia nempe Patrui ſui *Johannis Alberti* II. vidua autem Ducis Saxo-Lauoburgenſis *Franciſci Alberti* die 6. Julii 1650. domum ducta, primum quidem de Pactis dotalibus non belle convenerit, ſed propter perpetuas cum illa rixas divortium hinc meditatus, a Conſiſtorio ſuo jure meritoque impetrare haud potuerit, unde Sanctiſſimi tandem Patris Papæ Rotam Romanam (in qua Dii iſti omnia vendunt pecunia) opem Dux imploravit, qua invocata, a vinculo conjugii anno 1663. diſſolutus, ut aliam uxorem ſibi eligeret, poteſtatem nactus, illique in ſignum ſuæ in gremium (ut loquuntur) S. Romanæ Eccleſiæ cum gaudio receptæ Filiationis a Pontifice nomen *Ludovici* ſuperadditum fuit. Eodem itaque adhuc anno in Galliam abiit, ibique die 29. Octobr. abjurata Catholico-Evangelica, Romano-Catholicam Religionem Lugduni Pariſiorum publice amplexus, in præſentia Cardinalis *Antonii Barbarini*, a Pontifice propterea conſtituti Legati (cujus vero Religionis mutationem Imperii Principes ac Status Evangelici ægerrime tulerunt, ac propterea eum in Judicium Imperii publicum adducebant; ſicuti etiam Fratres ejus ac Patruelis Dux Guſtrovienſis cum repudiata Conjuge contra nullitatem divortii & ſecundas Ducis noſtri nuptias excipiebant, Cæſar tamen dato ipſi publico Diplomate ex altero Conjugio Filios ad ſuccedendum habiles etiam judicavit) vitæ ſociam quæſivit ac invenit *Iſabellam Angelicam* e Domo Montmoranza - Boutevillenſi (Montmorancy - Bouteville) prognatam germanam ſororem Mareſchalci Franciæ ſatis notiſſimi Ducis *Luxenburgenſis*, viduam autem *Caſparis de Coligny* Ducis Chaſtillonenſis, cum qua in ſterili etiam Conjugio ac perpetuo diſſenſu, ac cum repudiata Conjuge, vixit, reliquique ſui temporis partem, in Gallia quam Conjux unice amabat, maximam autem in Belgio tranſegit. Sed ob iniquiſſimam prioris Conjugis dimiſſionem, præſertim vero ſumma erga DEUM pietate, ejusque verbum purum ac ſincerum inclareſcenti, nec non cruce exercitatiſſimo Principi, Divo Parenti ſuo denegatam ſepulturam, ipſi quoque Duci *Chriſtiano Ludovico* Nemeſis Adraſtia in dorſo adfuit,

fuit, uti enim a fide dignis, eoque tempore viventibus hominibus accepi, ille semper postea per vitam suam Patriæ terræ quasi perpetuus exul, inque propria sua ditione instabilis ac profugus fuit, ut ne quidem in Ducali sua sede quietus subsistere aut saltem pernoctare potuerit. Atqui tamen hic Princeps, tametsi ad castra Pontificiorum transfugerit, nihil in Religione mutavit, potius subditis suis facultatem exercendi Religionem orthodoxam concessit, & quod mirandum, quoties Patriam Regionem lustraverit, quod ad minimum semel per annum factum fuisse inaudivi, toties, quomodo se res Patriæ habeant, investigavit, & si quæ injuste facta, acriter punivit, juste facta remuneravit, imo præsertim de Bonis Ecclesiasticis & reditibus num imminuerentur vel augerentur, & acciperent olim adjudicata, exquisivit sagaciter: subinde etiam conciones nostratium Theologorum in publico cœtu auscultavit, & verbi divini Ministros ad prandium vel cœnam vocavit, ac cum illis suaviter sermones de variis rebus, sacris in primis & Ecclesiasticis, sevit. Jam in Pueritia Episcopus Suerinensis designatus fuit, quam tamen Episcopalem dignitatem postea cuidam Viro Nobili & insigni eruditione prædito, Antwerpiæ degenti, *Casparo von Herrstraten* vel ideo, quia Episcopus apud Pontificios non potest esse uxoratus, una cum Cancellariatu Academiæ Rotzstochiensis, Episcopatui indissolubili nexu conjunctum, cesit. Anno 1684. Dux noster *Christianus Ludovicus* per pactum cum Rege Galliæ initum, Regi Daniæ oppidulum Dönitz cum propugnaculo suo tradere ac concedere debuit, quod suum promissum cum ob varias causas etiam Electoris Brandenburgici exceptiones, in effectum deducere haud valeret, Rex Galliæ eum propterea domo exire prohibuit; tamen ex intercessione Regis Daniæ ac Electoris Brandenburgensis ex custodia illa domestica iterum liberatus in Belgium secesit, ubi tandem Dux noster *Christianus Ludovicus* Hagæ Comitum, vitam cum morte deposuit, die quidem XXI. Jun. an. vero 1692. ætat. LXIX. mens. sex, dierum unius & viginti, ac in ditionem suam deductus simul cum Patre hatenus intumulato, Suerini in cryptis Majorum reconditus fuit. Successori ex asse hæredi, septem auri Tonnas, ut ferunt, post se relinquens. Princeps longe clementissimus, nulli gravis, omnibus suavis, justitiæ etiam & æquitatis custos ac vindex acerrimus.

Cap. XIV.

De *Gustavo Adolpho*, Duce Megapolæo.

GUSTAVUS ADOLPHUS Filius fuit Ducis *Johannis Alberti* II. cujus laudes paulo ante aliqualiter depinxi. Is in hanc lucem ingressus est Gustroviæ ante meridiem IV. Calend. Martii, qui fuit dies 26. Februar. Anni 1633. & S. Baptismatis fonte ibidem die 1. Maji ablutus. Infans vix biennis, anno 1636. die 23. Apr. Parente suo orbatus, illius Tutelam mater ejus *Eleonora Maria* Anhaltina vi Testamenti seu ultimæ voluntatis, quam moriens condiderat, & reliquerat Maritus, in se quidem suscipere, sicque in Reformata Religione innutrire volebat; sed oppositit se cum statibus Provincialibus Ducatus, Dux atque Episcopus Suerinensis *Adolphus Fridericus* Patruus, qui tenellum nostrum Principem e Matris complexu, invite licet avulsit, secumque in Aulam Suerinensem abduxit, viduam vero omni administratione & Regimine privatam vitam viduatam in dotali suo prædio Strelicensi quiete transigere voluit: quæ cum multis intercessionibus ac protestationibus suis nihil quicquam efficere valeret, Gustrovia se tandem Streliciam contulit; cujus abitu etiam Exercitium Reformatæ Religionis Gustroviæ iterum expiravit, & omnino cessavit, Filii autem ipsius futuro Magistratui destinati animus a teneris statim annis ad invariatæ A. C. normam rursus fuit applicatus. Cujus vitam Pupillarem Dux *Adolphus Fridericus*, non ut Tutor, sed ut Pater rexit, eum protexit, dilexit, eduxit; in hujus enim Aula, vel satius, in Pietatis aliarumque Virtutum Sacrario, ejusque ductu sedulo, ac cura indefessa, in vera pietate, in Religione sincera, in omnibus Principe dignis virtutibus & Actionibus ac literis quibuscunque humanioribus per Viros nobilitate insignes & eruditione conspicuos *Diedericum de Lühe* equitem Mecklenb. Moderatorem & Magistrum simul Juniorum Principum *Caroli* & *Friderici Casparum Rhülen* ejus & Consanguinei sui *Friderici* studiorum Formatorem, aliosque in Adolescentia una cum Filiis suis, tanquam publicæ aliquando felicitatis salutisque instrumentum, fideliter imbutus, erudite institutus, probe perpolitus fuit. Et quidem prudentissimo consilio. Neque enim tunc, unius *Gustavi Adolphi*, sed tot mille capitum, totius Provinciæ Mecklenburgensis, Academiæ Rotzstochianæ incolumitas ac prosperitas educari debebat; (*a*) qui pio & prudenti institutionis pabulo, in ipsa Juventute, uti debuit, ut tota vita ejus suum aliquando auspicatissimum Regimen, jucundo Virtutum ac salutari Consiliorum lacte abundaret. At vero Princeps noster non solum in literis & linguis, Græca inprimis literatura, in cujus sermone sacros atque ethnicos scriptores, Patres inprimis Ecclesiasticos, non verba legit, sed optime omnia intellexit, legendoque contrivit; sed etiam in Theologica scientia, quam per totam vitam sancte coluit doctrinaque quotidie excoluit, ita versatus fuit, ut ex professo Theologus consummatissimus jure meritoque dici ac salutari potuerit, quod de illo ipsius Concionatores Aulici sæpius prædicarunt. Ita quoque Princeps noster præter Latinam & Græcam, Gallicam etiam ac Italicam Linguam exacte calluit & expedite loquutus est, cumque maxime,

(*a*) D. Laurentius a Bodock Orat. Prof. Rotzstoch. in Panegyrico quo die Homagii an. 1654. d. 30. Aug. Ducem *Gustavum Adolphum* nomine Academiæ Rotzstock. publice excepit & honoravit. C. 2.

me, quoad vixit, in contemplatione rerum divinarum versaretur, Ebraicam quoque Linguam addidicit, quantum sc. usus sacrarum Litterarum requirere videbatur, (*a*) adeo, ut inter Principes Litteratos, principem locum jure meritoque tenere mereatur. Interim Tutor ejus ac Patruus, Dux *Adolphus Fridericus*, Ducatus ejus Gustroviensis Administrator, Collegia in eo collapsa instauravit, ac pro Principe suo Pupillo *Gustavo* nostro *Adolpho* ita disposuit ac ordinavit omnia, uti communis & publica salus requirebat; Qui Princeps Juvenis genium nactus erat, ad summa quæque natum & educatum, quem in tam præpotenti fortuna, nec insidiis naturæ ad voluptatem flecti, nec blandimentis Aularum ad segnitiem & luxum in hac sua ætate detorqueri passus est. (*b*) Cumque jam id ætatis haberet Princeps noster laudatissimus, ut illustrioribus editis speciminibus expectationem subditorum atque spem de se conceptam non implere modo, sed & superare posset, indulgente Sereniss. Tutore suo, Anno 1645. d. 21. Martii ætatis suæ XII. Gustroviam venit, (*c*) in qua Aula Patria, pro eodem decernebantur ac constituebantur omnia, quæ ad rationem domesticam Remque publicam jamjam capessendam viderentur necessaria, qui, ut luculento veræ Religionis Lutherano-Evangelicæ documento sese probaret omnibus bonis, eod. anno die 27. Jul. Dominica VIII. post Trinitatis publico Sacræ Synaxeos usu in Basilica ibidem Cathedrali coram omni populo primitias Professionis Christianæ Evangelicæ DEO suo consecravit, qua de re e Cathedris Ecclesiasticis omnium Templorum peculiari formula publice DEO gratiarum actio soluta, interque concentus Musicos Canticum canticorum SS. Ambrosii & Augustini in Ecclesiis decantatum fuit, quid? quod ipse *Josua Arndius* Superintend. tunc Gustrov. M. *Samuelis Arndii* Filius, adhuc Juvenis, postea ipsius Ducis *Gustavi Adolphi* Ecclesiasta Aulicus & Bibliothecarius simul ac Consiliarius Ecclesiasticus, ingeniosa quædam Epigrammata propterea composuit, (*d*) in quorum IV. & ultimo *Mecklenburgum loquentem* sic introducit:

Hic tuus est Atlas, *Gustave*, tuæque Minervæ,
Dii servent! *Atlas tu meus alter eris!*

Postquam itaque gaudente ac jubilante propterea universo Ducatu Epulo hoc sacro tenerrima nostri Principis Anima prima vice publice refecta fuisset, rediit iterum noster ad studia privata in sua a Dn. Patruo & Tutore sibi in gremio patrio Gustroviæ instructa propria Auliola ac re familiari compendiosa; studiorum suorum accepto Moderatore Aulæque Magistro, Dn. *Andrea de Pritzbaur* Equite Mecklenburgico, Hereditario in Grabenitz & Schwetz, viro doctrina rerumque usu eminentissimo: Præceptoribus autem diversis temporibus *Casparo Rhule*, Viro doctissimo ex multis jam peractis peregrinationibus inclarescente, suorum jam antea studiorum in Aula Patrui Formatore fidelissimo, *Jacobo* item *Schertlingio* Hamburgense, viro perpoliti ingenii & solidæ eruditionis, Linguarum Ebraicæ, Græcæ, Latinæ, Gallicæ, Italicæ, Hispanicæ perquam gnaro, atque sincero DEI in vera fide cultore, quem anno 1648. ex dispositione Sereniss. Patrui Tutoris Ducis *Adolphi Friderici* Informatorem Principi nostro constitutum fuisse, Dn. *Thomas* testatur. (*e*) Ita quoque in arte equitatoria e Patrui sui aula veteranum in hac arte Magistrum longe exercitatissimum *Johannem Roderigum de Pita* Equitem Portugallensem, Ducum hactenus Megapolensium stabulo præfectum accepit, quem Gustroviam quoque misit tunc Dux *Adolphus Fridericus* eumque nostri Principis *Gustavi Adolphi* ministerio equestri destinavit, quo in officio etiam a Duce postea nostro Regente *Gustavo Adolpho* clementissime confirmatus sui Catadromi ad vitæ ejus finem Præfectus, missaque Pontificiorum, in qua natus erat, Religione, Religionem Lutheranam lubens amplexus in vera fide ibid. 1641. obiit. Sed tempus nunc erat, quo dulcissimam Patriam suam relinquere, & exteras quoque terras ac gentes coram videre gestiebat Princeps noster, cum per triennium fere Gustroviæ in instructa sibi a Patruo Aula, studiis privatis anxie inhæserat, atque sextum & decimum ætatis annum jam compleverat. Quare sic volente atque ad id necessaria omnia sapientissime disponente Patruo Tutore, Princeps noster jam tum maximus, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo nono, e dulcissima, sua Patria in peregrinas Regiones secessit, (*f*) stipatus studiorum ac morum Gubernatore suo longe incomparabili Equite *Andrea de Pritzhaur*, Peregrinationis suæ Hodego & quasi altero Mardochæo, jam ante laudato: *Joachimo Friderico Ganfio* corporis custode, itinerisque omnis comite, ipsius postea Ducis in Regimine Consiliario Status intimo, Directore & Primario Aulæ Ministro: *Joachimo Schertlingio* jam adducto, præposito studiorum Informatore, simulque suscepti nunc itineris sui in Bataviam, Galliam, Italiam atque Germaniam (*g*) subjuncto Comite, ac Secretario intinio, Ducis postea in Regim. Consiliario Aulico dexterrimo; nec non veteri suo morum & studiorum sæpius jam nominato Formatore *Casparo* illo *Rhülio*, qui & nostrum exteros adeuntem (cum jam ter & amplius Bataviam, Galliam, Italiam ac Germaniam peragraverat) una simul quoque prosequutus, (*h*) post reditum autem primum Ducis nostri Secretarius & Archivarius, tum Consiliarius Aulicus & Cameralis, nec non ad multos Principes Legatus, postea Moderator pupilli Principis *Adolphi Friderici* II. ac tandem Præfectus s. Capitaneus Suavensis constitutus

(*a*) Thomas Analect. Gustrov. Per. III. §. 26. p. 213.
(*b*) D Laurent a Bodock in Paneg. supra alleg. C. 2.
(*c*) Thomas l. c. § 22. p. p. 189.
(*d*) Thomas l. c. p. 190. sqq. litt. a) in Notis.
(*e*) Thomas in Catalogi Biographici Analectis suo annexi Class. Polit. p. 120. in vita *Schertlingii*.
(*f*) Idem ibid. p. 107.
(*g*) Id. pag. 120.
(*h*) Id. Ibid. p. 111.

eſt, multis ſemper negotiis arduis adhibitus: His ſuis præſertim Hodegis, at quantis Viris! commendatus Princeps noſter primo ad Belgas venit, & Lugduni Batavarum tirocinia poſuit, cum doctiſſimorum Virorum conſuetudine, tum maxime *Marci Zwerii Boxhornii* convictu hoſpitioque uſus, quem incomparabilem Batavum Præconem digniſſimum invenit Princeps noſter tum adhuc in Juventute tenera conſtitutus, de quo, cum ſpes adhuc quaſi in herba eſſet; ſic tamen vere ita pronunciatum eſt: (*a*) „Dum in his ſcribendis ſumus, videre „hic nobis & inſpicere propius ac colere ſplen„didiſſimi illius Vandalorum ſanguinis illuſtris„ſimum traducem *Guſtavum Adolphum* Ducem „Megapolitanum, licuit, Germanicæ Juventu„tis vere Principem; & dum raro nunc exem„plo in illuſtriorum omnium ſcientiarum di„ſciplinarumque ſtudiis excolendis verſatur, „nihil niſi digna Principe meditantem, viſu „juxta & auditu in primo adhuc juventæ flore „venerabilem, qui, cum magnitudinem & „gravitatem, quod de *Germanico* olim pro„nunciavit *Tacitus* ſummæ fortunæ ſua reti„neat, invidiam tamen & arrogantiam effu„git. Perluſtrato ſic Belgio, aliisque Germaniæ Provinciis ad Rhenum ſitis, anno 1650. Argentorati ſtudiorum cauſa commoratus, cum *Danhauero & Dorſchæo* (cui ultimo anno 1654. in Academiam Rotzſtochianam evocato, Profeſſionem Theologicam Primariam obtulit) (*b*) magnis Theologis familiariter vixit, hinc ad Gallos atque Italos anno 1651. curſum ſuum direxit, nobiliores ibi urbes & Academias viſitavit, Principibus ac doctis Viris ubique gratus & probatus, ubi in Tridentina urbe primum morbo graviſſimo oppreſſus fuit, quo tamen feliciter debellato, in Romana urbe, Martis olim bellicique furoris ſede, iterum lethaliter decubuit, ac cum morte ipſa conflictatus eſt Princeps noſter, cui ut Phœnici profecto Mecklenburgico, vix aliquot renaſcituro ſeculis, non annorum, ſed ſeculorum in ſuis terris ſeriem exoptabant omnes. (*c*) Sed nec morbus nec mors de noſtro tunc triumphare potuit Principe, qui velut beneficum quoddam ſydus, e Cœlo dimiſſum, vix non everſæ prioribus Bellis Megapoli ſuo ſucceſſurus, rebusque ejus adflictiſſimis, & medelam & vitam aliquando erat præbiturus. Relicta itaque, poſt recuperatam iterum feliciter integram valetudinem, Italia Eruditionis omnis promo-condo, Ratisbona ac Vindobona per Germaniam redux anno 1653. d. 11. Januar. Guſtroviam ſuam intravit, de cujus feliciſſimo in Patrium Ducatum reditu, omnes tunc cives atque clientes pro magnitudine gaudii exiliebant, & ita lætabantur, quam ſi ipſis ſolis, quam ſi eorum unicum lumen, unicum decus, unicum præſidium rediiſſet, a cujus unius ſalute & vita, omnes ſuas fortunas & univerſam proſperitatem dependere non fruſtra exiſtimabant. Et certe non ſolum incolumis, verum etiam tot egregiis animi fortunæque dotibus, tanto prudentiæ ac experientiæ decore, cumulatius exornatus, Patriam ſuam cunctis vitæ voluptatibus anteponendam & quæ ſummas in affectu partes jure ſibi uſurpat, noſter repetiit, ſiquidem illa ſua per Hollandiam, Italiam, Galliam ac Germaniam tota peregrinatio, nihil aliud, quam pulcherrimum quoddam immortalis gloriæ Theatrum, quam perpetuus quidam ſempiternæ laudis inter tot Principum, tot Heroum, tot ſummorum ac eruditorum virorum honores & amores fuit triumphus. (*a*) Cæſar itaque Romani Imperii tum Auguſtiſſimus *Ferdinandus III* virtutum noſtri Principis curſum celeriorem eſſe quam annorum optime agnoſcens, nec ab illis ipſis, progreſſum ætatis expectandum eſſe, ſapienter admodum judicans, pro ſua ſumma prudentia & luculenta in noſtrum clementia, ipſi indulſit, ut qui tempora petendis Honoribus a Romanis *Charide* ac *Solone* definita, maturitate Judicii maxima præcurrerat, in ſua juvenili quidem, ſed graviori, ſed ſagaci mente, ipſum æquante ſenium ætate, inter Eminentiſſimos Sacri Imperii Areopagytas conſeſſum meruerit. (*b*) Cumque anno 1654. ſecundo menſis Maji die, Patruus ipſius Dux *Adolphus Fridericus* officium deponeret tutorium noſtroque habenas Paterni Regiminis, tanquam dotale pignus, virtutumque Patriarum pretium, benevolente pectore ſolenniter traderet; eodem quoque die univerſum Ducatum Guſtrovienſem in fidem recepit, ſubditosque omnes ſacramento ſibi obligavit ſolenni ritu ſummoque omnium applauſu. (*c*) Inſequentis dein menſis Julii d. VI. Nobilitas Mecklenburgica ſe totam ſacramento fideliſſimæ ſubjectionis illi obſtrinxit. Denique & Urbs Rotzſtochienſis inter ſolennes ignium globos, in fulminis vicem citra cœlum ejaculatos ac reflexos, inter triumphales tympanorum ſonitus, inter tot fauſtiſſima gaudentium omina & gratulationes, debitæ Majoribus ſuis & ipſi Duci noſtro fidelitatis atque ſubjeſtionis juramentum die 29. Aug. magno ardore magnaque obſervantia ſub dio præſtiterunt. Ad Imperium ſic pervenientis Ducis noſtri Religionis Cultusque divini prima eademque ſumma cura fuit, atque ipſe omni cogitatione ante omnia in id incubuit, ut ſtatum Eccleſiaſticum in ordinem reduceret. (*d*) In ſacello Aulico, anno 1655. delegit ſibi ac inſtituit peculiares Theologos ad ſacra aulica ordinarie procuranda; Dein ejus juſſu atque auctoritate anno 1659. die 14. Julii a Superintendente *Daniele Jano* ſynodus generalis coacta fuit, cui e Diſtrictu Guſtrovienſi & Rotzſtochienſi centum & viginti Paſtores interfuiſſe dicuntur, duravitque hæc congregatio

(*a*) *Marc. Zwerius Boxhornius in Hiſtor. Univerſ. p. 865.* apud *Thomam Analect. Guſtrov. Period. III. §. 22. p. 190. & 193. in Not. lit. β.*
(*b*) Idem ib. p. 190.
(*c*) D. Bodock in Paneg. cit. D.
(*a*) D. Bodock l. c.
(*b*) Id. D. Bodock in Panegyrico cit. D. 2.
(*c*) Thomas l. c. p. 191.
(*d*) Idem ibid. §. 23. p. 195. ſeqq.

gatio ſynodalis ad diem 19. Julii in æde Cathedrali Guſtroviæ, cui ipſe Dux nonnunquam præſens fuit, & inſtar Epiſcopi, omnia, quæ ad emendationem Eccleſiarum neceſſaria putavit, ſuppeditavit. Huic ſynodo ſubſequuta eſt anno 1661. & 1662. per totum Ducatum ſuum Guſtrovienſem Viſitatio Eccleſiaſtica Generalis, convocatis propterea a Principe Epiſcopo Viris e ſenatu Provinciali non minus quam Aulico, ex ordine Equeſtri æque ac Civili, Theologis pariter ac JCtis delectis, auctoritate, doctrina, uſu & experientia eminentioribus, qui diſtributis in IV. claſſes diœceſibus quadripartito obirent Eccleſias, deque ſtudiis, officiis ſingulorum, de rationibus, reditibus, diſpenſatione, aliisque ad commodum Eccleſiarum & Scholarum pertinentibus rebus accurate inquirerent. Ita etiam Dux laudatiſſimus utrumque Hoſpitium tam intra quam extra urbem pro egenis & infirmis hominibus conſecratum, ab illo tempore nitidius commodiusque attemperari juſſit, multis etiam beneficiis & acceſſionibus auxit. Dedit & Litteras fundationis ante mortem placidam & beatiſſimam, ſumtusque ad id erogavit Dux noſter laudatiſſimus ad novum Noſodochium inſtaurandum, quod præter cæteras tabernas, ſeorſim anno 1700 eſt exſtructum conſilio in primis atque opera *D. Georgii Dethardingii* Archiatri Aulici celeberrimi, illudque Succeſſoribus ſuis magnopere commendavit ejusmodi operis delineati inchoatique conſummationem. Sed & Schola Guſtrovienſis, ſapientiſſimi ac litteratiſſimi noſtri Ducis juſſu atque auctoritate ſic inſtaurata & amplificata fuit, ut Gymnaſii ſolidioris figuram repræſentare poſſet, quam quidem Scholam aliquoties & ipſe Dux ingreſſus eſt, exemplo *Caroli M.* & *Caroli IV.* aliorumque Imperatorum, ut nimirum Juventuti calcar adderet ad virtutis viam eo fortius perſequendam. Revideri per illos, quibus hoc negotium ex Politico ac Eccleſiaſtico ordine commiſerat, juſſit omnes conſtitutiones Scholaſticas, ab *Ulrico* & *Johanne Alberto II.* ultimas quidem anno 1619, olim promulgatas, quas partim antiquavit, partim interpolavit, pro uſus ac temporis tunc neceſſitate. Scholæ ædificium aliter accommodari cæptum eſt, Claſſes contiguæ parietibus intergerinis a ſe invicem diſcretæ, Magiſtri alia methodo docendi inſtructi, ſtipendiisque ſufficientibus Gymnaſium dotatum, & nova conſtitutio Scholaſtica die ipſo inaugurationis ſolennis XXIV. Novembr. 1662. ipſo Duce præſente ac inſolita ſimul clariſſimorum Virorum comitante frequentia, promulgata. Denique etiam ex ſapientiſſimo hujus Ducis noſtri inſtituto, ejusque cura ac ſolicitudine indefeſſa factum eſt, ut ipſa urbs Guſtrovia antea ſtramineis fere tectis utens, & ſubruſtcis paſſim ædificiis conſtans, ipſius ſub Regimine nitidius exſplendeſcere inceperit, ejusque domus omnes lateribus tectæ fuerint. Quæque incendiorum cauſa in illa urbe excogitatæ fuerunt machinæ, non auxit modo multis adhuc aliis, ſed ejusmodi etiam Senatus conſulta de avertendis in poſterum & reſtinguendis incendiis non comprobavit modo, ſed & imperavit, ac edictis pragmaticis omnia ut perpetuo valerent, firmavit ac ſtabilivit, Princeps laude mea major. In tenerrima ſua infantia vix biennis, ſc. anno 1636. die 17. Octobr. decedente *Auguſto* Lüneburgenſium Duce, unanimi Capitularium conſenſu atque ſuffragio Coadjutor Epiſcopatus Ratzeburgenſis poſtulatus, & die 18. ejud. menſis *Epiſcopus* ſolenniter proclamatus fuit, quem tamen Epiſcopatum per Inſtrumentum pacis Oſnabrugenſis anno 1648. iterum amiſit. Ipſiusque Patruo *Adolpho Friderico* propter alienatam per idem Inſtrumentum pragmaticum Civitatem portumque Wiſmarienſem quem hactenus poſſederat, oblatum & conceſſum. Ad compenſandam vero amiſſionem Epiſcopatus Ratzeburgenſis Duci noſtro Guſtrovienſi per Inſtrumentum Pacis illius Oſnabru-
„gæ conſcriptum, duo Beneficia Eccleſiaſti-
„ca ſive Canonicatus, ſi tales Magdeburgi ac
„Halberſtadii vacare contingeret, promiſſi
„ſunt. Præterea etiam Familiæ Megapolita-
„næ pro certa portione reditus ex prætenſis
„duobus Eccleſiæ Argentoratenſis Canoni-
„catibus obventuri addicebantur. Et ne quid
„ valori ſatisfactionis deeſſet, duæ Præfectu-
„ræ ſacræ, i. e. Commendæ Hieroſolymitani
„Ordinis Equitum D Johannis, eæque in Du-
„catu Megapolæo ſitæ aſſignabantur: ita ut
„earum Mirow Suerinenſi; altera Nemerow
„Guſtrovienſi Ducatui in perpetuum attri-
„buta eſſet, maneretque. Cæterum, quam propenſiſſimus Litterarum Amator, ac inſignis Litteratorum Fautor extiterit Dux noſter, vel inde conſtat, quod cum in Juventute in Academia Argentoratenſi ſtudiorum gratia commoraretur, tanto amore flagravit erga magni nominis Theologum *Johannem Georgium Dorſchæum*, ut multis perſuaſionibus ac pollicitationibus hunc virum ad ſenium jam vergentem, Argentorato Rotzſtochium ad Profeſſionem Theologiæ Primariam ſecum abduxerit, ac poſtmodum liberaliter admodum cum Dn. Patruo aluerit, erga B. vero *Auguſtum Varenium*, *Michaëlem* illum *Siricium*, Avi mei materni *M. Hermanni Reuteri* ex Sorore Nepotem, & *Johannem Fechtium*, at quantum Virum! quantisque beneficiis illos mactaverit, charta deficeret, ac penna illud condigne deſcribere rigeret. Unicum tamen hoc non debet ſilentii conopeo involvi, quod multas ſæpius etiam de nocte ad hos viros jam nominatos Litteras exaraverit Dux noſter ad miraculum Doctiſſimus, illis varios ac graviſſimos caſus præſertim Theologicos, a praxi deſumtos, enodandos propoſuerit, quid? quod ſemel etiam Auditor *Fechtii* in Auditorio majori Theologico diſputantis per totum diem extitit. Et ut ſummatim omnia complectar, „ Princeps Pi-
„us, Religioſus, Auditor verbi divini ſedulus
„& Obſervator Sabbathi rigoroſiſſimus nam

vigi-

de Weſtphalen Monum. ined. Rer. Germ.

„vigilavit & graviter animadvertit in eos, qui „Sabbathum profanarant. Malevolos severis „pœnis coërcuit, probos beneficiis multis affe„cit, orphanorum & viduarum ut certissimus „ita validissimus defensor verusque Pater Pa„triæ extitit, cujus quidem summa Eruditio „tanto magis est suspicienda, quanto penitius „ille indagavit, vera, divina, cœlestia, aver„satus falsa, superstitiosa, vana, cujus Religiosissimi Principis unica cura fuit, ut ex animis simpliciorum omnem superstitionem penitus evelleret, unde etiam synodalem propterea inquisitionem instituit, certasque inquirendi formulas omnibus Ecclesiæ Pastoribus præscribi ac remedia adversus omnes superstitiones publicatis hinc Decretis multis, suppeditari curavit. (*e*) Eodem anno, quo rerum suarum potitus est, solusque regere Ducatum suum feliciſſimo sydere occepit Dux noster omnibus virtutibus condecoratissimus, nempe post mille sexcentos & quinquaginta quatuor post Christum natum annos, ipse quoque die quidem XXIIX. Novembr. in Arce Gottorpiensi, in tot Regum, Principum, Heroumque æternitati consecrato quasi Delubro, magno utriusque Provinciæ bono, summo omnium bonorum prolubio, faustissimisque acclamationibus in Conjugalem societatem & vitam, gratissima conjunctione coaluit cum *Magdalena Sybilla* Hæredis Norvegiæ, Ducis Holsatiæ, Sleswigi, Stormariæ ac Dithmarsiæ, Comitis Oldenburgi & Delmenhorsti *Friderici*, Filia, (*f*) ex quo fœcundissimo longeque augusto connubio, Arx cum Urbe Gustrovia facta est quasi seminarium felicissimum, a quo summorum Regum atque Principum postea propagines sunt petitæ. Undecim namque ex hac sua Conjuge progerminare vidit thalami surculos. Primus erat *Johannes* primogenitus Princeps Filius, quem anno 1655. die 2. Dec. quidem feliciter frondescentem, sed vix quinquennem, anno 1660. die VI. Febr. iterum marcescentem vidit. Hunc sequuta est *Eleonora* primogenita Filia, quæ mundum anno 1657. die 1. Jul. ingressa, anno vero 1672. d. 24. Febr. ætatis suæ XV mundo iterum egressa est. Tertia Liberorum *Maria* fuit, nata 1659. die 9. Julii, quam in Pupilli quondam atque ex Patruo Nepotis sui, *Adolphi Friderici II.* Ducis ac stirpis Strelicensis Fundatoris ac Propagatoris felicissimi complexibus anno 1684. d. 23. Sept. cooptari, ex eaque V. Liberos (nempe *Adolphum Fridericum III.* die 7. Jun. 1686. natum Parentis nunc ab anno 1708. in Regimine successorem; *Magdalenam Amaliam* die 25. Apr. fatam & die 25. ejusd. anno 1689. iterum emortuam; *Mariam*, d. 7. Aug. 1690. *Eleonoram Wilhelminam* anno 1691, die 8. Jul. natas & denatas; *Gustavam* denique *Carolinam* die 12. Jul. an. 1693. ortam, anno 1714. d. 13. Nov. *Christiano Ludovico* II. Terrarum Mecklenburgensium nunc Administratori longe meritissimo denuptam) productos vidit & gavisus est. Quarta fuit *Magdalena* an. 1660. d. 4. Julii edita, cujus singulares animi dotes atque stupendum ingenii acumen, ipsum etiam magnum ac longe prudentissimum Galliæ Regem *Ludovicum XIV.* suo tempore demiratum fuisse, a fide dignis hominibus percepi, quæ tandem anno 1702. d. 18. Februar. innupta variolis obiit, ac una cum paulo ante adducta sorore *Maria* Ducissa Strelicensi eod. anno die 16. Januar. demortua, celebratis Gustroviæ exequiis exuvisque, in Majorum suorum Tumulum illata fuit. Quinto liberorum & IV. Filiarum *Sophia* dicta est, lucem aspiciens 1662. d. 2. Jun. anno 1700. Duci *Ulrico* Würtembergico, Bernstadii in Silesia ἄναξ regenti, elocata. Succedit sexta Liberorum *Christina*, anno 1663. d. 14. Aug. in lucem edita, anno dein 1683. d. 14. Maji *Christiano Ludovico* Comiti Stolbergensi desponsata. Anno 1664. die 18. Nov. introivit in hanc vitam Filius ejus *Carolus*, unicus Patriæ terræ longe expectatus Hæres, quem Parens in tenerrima ætate in bonis artibus & pietate institui curavit, primum a *Christophoro Reüschio* Lipsiensi, viro doctissimo, Principis *Adolphi Friderici* II. Posthumi in in Aula tunc Gustroviensi sub tutela Ducis nostri *Gustavi Adolphi* viventis, studiorum Formatore; Dein Princeps *Carolus* Informatorem in bonis litteris accepit *Johannem Pomereschium* Consiliarium simul Justitiæ: Eo autem Lubecam ad Syndicatum discedente anno 1679. ejus Informator designatus est *Nicolaus Thiele* Gustrovienſis, quo munere magna cum dexteritate ita perfunctus est, ut eidem Principi *Carolo* Anno 1682. & seqq. per Belgium Galliasque peregrinanti Comes adjungeretur, Secretarii tunc, & paulo post in Patriam redux, Consiliarii Aulici atque Cameralis Dignitate ornatus. Ex illis porro Nobilibus, qui Moderatores studiorum suorum æque ac educationis ejus fuere, primo loco occurrit: Eques Mecklenburgicus *Diedericus de Lühe* Ducis nostri *Gustavi Adolphi* ab anno 1658. intimior Status sui Consiliarius ac postea etiam in omnibus Collegiis Præses & Director, qui & olim ipsius nostri Ducis Principis Adolescentis & Consanguineorum suorum *Caroli* atque *Friderici* Germanorum in Aula Patrui sui Suerini Moderator ac Magister præfectus erat, hinc ipse Dux noster sui quoque Junioris Principis *Caroli* educationi ac institutioni præesse *Lühio* injunxit teste Dn. *Thoma.* (*g*) Hunc dein excepit *Fridericus Diedericus de Kappeln* Nobilis Marchicus, qui, quoad in Aula Gustrovienſi vixit, anno 1670. & seqq. studia Principis Junioris *Caroli* laudabiliter moderatus est, simulque in Aula Ducis Regentis Consiliarius intimus Aulæque Magister anno 1680. demortuus teste iterum Dn. *Thoma.* (*h*) Neque hic quoque prætereundus est Dn. *Henricus Christophorus Crusius*, qui anno 1658. Sereniſſimi Ducis nostri beneficio

(*e*) Thomas l. c. §. 26. p. 213. & 216. lit. b. in notis.
(*f*) Thomas l. c. p. 191. in Mense Nuptiali ib. corrigendus, qui non Decembr. sed Novembr. Mensis fuit.
(*g*) Thomas Catalogi Biograph. Analect. Gustrov. suis annexi Class. Polit. p. 102. in vita *Lühii.*
(*h*) Idem l. c. pag. 97. in vita ejus.

neficio ad Batavos & Gallos peregrinatus est, unde redux post varias modo militares, modo aulicas functiones, in Aulam Gustrovienſem delatus, primum Sereniſſ. Principis *Adolphi Friderici* II. Juventuti præpoſitus, poſtea etiam Sereniſſimo Principi Hæredi *Carolo* noſtro Moderator Aulæque Magiſter datus fuit. Cameræ dein Ducalis Præſes ac tandem ad mortem usque, quæ incidit in annum 1691. Conſiliarius intimus, referente iterum *Dn. Thoma* in vita ejus. (*i*) Tandem Nobilis Luneburgicus ac Ducis *Guſtavi* noſtri *Adolphi* Conſiliarius intimus *Everhardus Grote* ille fuit, qui poſitis jam tyrociniis ſuis ad perluſtrandas exteras terras ac magnorum Principum Aulas, anno 1684. peregre in Galliam abeunti Principi, de quo nunc quædam adduco, *Carolo* Juniori, comes itineris a Duce noſtro *Guſtavo Adolpho* Parente, junctus, ſuisque conſiliis poſt reditum utrique Duci præſto ſemper fuit, donec a morte Principis hujus *Caroli*, vitam aulicam relinquens ad prædia ſua avita iterum remigravit, ut habet *Thomas* in vita ejus. (*k*) Sed hic confirmatæ maturæque ætatis Princeps, maximum item Decus & Columen Mecklenburgenſe, ad quem etiam apud exteros degentem, quomodo DEO, ſibi, aliisque vivere, ſeque ad S. Uſum Synaxeos bene præparare debeat, pietatis ac multarum cohortationum plenas tanto Principe dignas litteras miſerat Dux noſter ejus parens, inſertas, eque gallica in germanicam linguam translatas a B. nunc *Georgio Henrico Götzio* Lubecenſium olim Præſule ac Superintendente graviſſimo *in ſeinem Regenten-*Catechiſmo: (*l*) Cum jam de conſervanda avita Familia cogitaſſet, & cum Sereniſſima *Maria Amalia* Brandenburgica auſpicatiſſimum anno 1687. d. 10. Aug. matrimonium contraxerat, anno ſequenti 1688. d. 15. Mart. proh dolor! puſtuloſo morbo extinctus eſt, cujus præmatura morte, annum ætatis XXIV. nondum egreſſi, mœſtiſſimus Parens cum tota Sereniſſima Familia ac univerſo Ducatu ſuo cordicitus indoluerunt. Vidit quidem ac cum voluptate vidit Dux noſter glorioſiſſimus Liberorum ſuorum Octavam, Filiarum autem Sextam, *Hedwigam* anno 1666. d. 12. Januar. prognatam. *Louyſam*, anno 1667. die 28. Aug. ſatam; *Eliſabetham*, anno 1668. die 3. Sept. natam, omnes magnorum Principum, hanc quidem anno 1692. die 29. Mart. Ducis *Henrici* Saxo-Merſeburgenſis in *Spremberg:* Illam vidit quidem, ſed non ad id tempus pervenit, anno 1695. die 5. Dec. magni poſtea ac potentiſſimi Danorum Regis *Friderici* illius IV. Iſtam autem anno 1686. die 1. Decembr. Ducis *Chriſtiani* Saxo-Merſeburgenſis *in Zörbig* complexibus cooptari, adhuc & diu vidit: Vidit denique etiam Liberorum ultimam undecimam, Filiarum nonam, *Auguſtam* d. 27. Dec. anno 1674. vitam hanc feliciter ingreſſam, atque indies feliciter accreſcentem cum gaudio vidit: attamen ex unico Filio, in ſpem patriæ ac unicum ſubditorum ſolatium magna cura hactenus educato, ſed in tam maturo ætatis flore iterum demortuo, ne unicum quidem Terrarum ſuarum Hæredem vidiſſe, ad mortem usque quam acerbiſſime tulit, atque lacrymis nunquam ſatis deflere potuit. Unicum hoc ſaltem, ut ad finem Hiſtoriæ vitæ noſtri Ducis properem, in magno noſtro Principe culpandum, quod, ſicuti ſapientiſſimo omnium Regum *Salomoni* ultimis ſuæ ætatis annis contigit; ſic & noſter Dux longe alias prudentiſſimus, illecebris laſcivarum ac propudioſarum quarundam mulierum ſe irretiri paſſus fuerit, quæ malitioſa ac mirifica adulandi ſua libidine per multos annos bonum principem noſtrum ita illaquearunt, ac quaſi faſcino captivum tenuerunt, ut corpus hinc debile, enervatum ac plane effœtum ſibi contraxerit, quod dein Medicis multum negotii faceſſit, qui adhibitis variis remediis tam internis quam externis generoſiſſimis, appropriatis, attenuantibus, alterantibus, alloioticis, anticachecticis, antihecticis, nervinis, analepticis, cardiacis, confortantibus, vires iterum refocillare, dyſcraſiam ſanguinis corrigere, marcorem ac maraſmum ipſum inhibere ac penitus e corpore depellere, omni ope ſunt eniſi. Dux autem noſter ſapiens, delictis ſuis nunc valde commotus, (qui tamen nimis ſero hac in re cum Phrygibus ſapuit) quod adhuc ſibi reliquum fuit vitæ tempus, ultimum præſertim ſexennium hoc ſuum valde debile, infirmum longeque invalidum, vere contrito ac humiliato corde graviter commiſſorum veniam, omni die precibus ac lacrymis a DEO deprecando conſumſit. Hanc autem admodum ſingularem converſionem minusque fucatam ſed longe ſeriam Pœnitentiam ſuam, non ſibi ſolum ac DEO notam eſſe, ſed ut in totius orbis Chriſtiani etiam notitiam perveniat, Dux noſter pientiſſimus voluit. (*m*) Qua de re ſatis teſtantur ab eo propterea conſcripta, quæ vel ſola memoriam Principis noſtri immortalem reddunt, atque jam ante beatiſſimum ejus obitum, ſuppreſſo tamen nomine, edita *Carmina ipſius ſacra & variæ meditationes metricæ* h. e. *Geiſtliche Reim-Gedichte, deren 100. heroiſche und hundert Geſänge, nebſt einem Anhange von allerhand Teutſch- und Lateiniſchen Betrachtungen* &c. quæ vero poſtea juſſu Sereniſſ. Ducis viduæ *Magdalenæ Sybillæ*, anno tandem 1719. die 20. Sept. ætatis ſuæ LXXXIIX. etiam demortuæ, iterata editione aucta & anno 1699. Guſtroviæ recuſa, cum Præfatione, magni quondam Theologi Rotzſtochienſis, Præceptoris olim mei poſt buſta colendiſſimi *D. Johannis Fechtii*, lectu omnino digniſſima. Atque hic Optimus, & ſupra omnem laudem poſitus Dux noſter *Guſtavus Adolphus* lento debilitatus morbo, anno 1695. die 26. Octobr. diem ſuum tandem obiit ſupremam, anno ætatis ſuæ LXII. Menſ. IIX. Dier. XXVI. Regiminis ſui XLII. Princeps Magnanimus, Sapiens, Doctus, Religioſus, (*n*) cujus exanimum cor-

(*i*) l. c. pag. 84.
(*k*) Idem ibid. pag. 92.
(*l*) pag. 201. ſeqq.
(*m*) Thomas l. c. p. 218. (*n*) Idem ibid. p. 212.

pus anno sequenti 1696. die 18. Mart. publice, tantoque Principe dignis exequiis, in Basilica Cathedrali Gustroviæ, Mausoleo Majorum suorum illatum fuit cum ingenti subditorum luctu & desiderio.

Cap. XV.

De *Friderico Wilhelmo*, Duce Megapolæo.

SEquitur nunc FRIDERICUS WILHELMUS. Lucem hanc primum aspexit Graboviæ, anno post Christum natum 1675. die 28. Martii. Parentem habuit Ducem *Fridericum*, Filium *Adolphi Friderici* I. natum anno 1638. d. 13. Febr. Suerini, qui in juventute sua primum viro admodum doctissimo *Casparo Rhule* ab an. 1640. per totum quadriennium, eo autem cum consanguineo Fratre *Carolo* in Galliam demigrante, viro perpoliti ingenii & solidæ eruditionis ac πολυχροτατῷ insigni, *Jacobo* illi *Schertlingio* sub Moderatore ac Magistro Nobili *Diederico de Lühe* Equite Mecklenburgico, a. Dn. Parente non solum in pietate sed etiam bonis artibus & linguis solide enutriendus traditus fuit, quorum dein vigilantia indesinenti, atque institutione longe fidelissima ita exercuit, ut, quem etiam natura singulari venustate ac forma augusta dotaverat, ille virilem ætatem attingens, Pii, Formosi, Prudentis, omnibusque Heroes præsertim condecorantibus virtutibus præditi Principis nomen, jure meritoque detulerit. Cujus Aula, quam Graboviæ sibi postea delegerat, quoad vixit, (vixit autem proh! non diu, nam in flore ætatis 1688. die 27. Apr. ætatis suæ L. Mensis I. dierum saltem 10. vitam cum morte commutavit) Pietatis Templum, Prudentiæ Theatrum, Patientiæ Gymnasium, omnisque virtutis Palæstra, semper extitit. In Juventute sua per aliquod tempus castra sequutus est, Electoris *Friderici Wilhelmi*, Marchionis Brandenburgici, dein Conjugem duxit nostri *Friderici Wilhelmi* & Fratrum suorum Matrem, anno 1671. *Christinam Wilhelminam*, Ducis *Wilhelmi Christophori* Landgravii Hassiæ *in Bingenheim* Filiam, Principissam omnibus virtutibus, quæ sexum istum ornant, abundantissime dotatam, qua cum in pacato & tranquillo quidem ac fœcundo, sed tamen non diutino vinculo Conjugali, per septem sc. saltem ac decem annos vixit. Anno 1681. Dux *Fridericus* a Fratre suo Consanguineo, Duce *Christiano*, pro sustentatione sua lautiori annuatim accepit sex M. Imperiales, nempe reditus Provinciarum Neuenstadii & Gadebusii sibi oppignoratarum. Fuit etiam Præses Decanatus Canonicorum Lutheranorum Argentoratensium electus. Tantis his, tamque vere Illustribus Parentibus prognatus Princeps noster Dux *Fridericus Wilhelmus*, non potuit non bene ac cum solicitudine singulari educari. Parens namque ipsius, ut erat Princeps longe prudentissimus, optime callens, quanti interfit Reipublicæ habere Magistratum in pietate & artibus egregie excultum; ita etiam prima ipsius & præcipua cura fuit, quamdiu vitam ageret, ut hic filius suus ac Princeps primogenitus, qui aliquando ad clavum Reipubl. sessurus sit, omnibus Principe dignis ac perneccssariis virtutibus & scientiis, in primis pietate haud fucata, bene imbueretur. Itaque Principem hunc suum nobilibus & doctis viris expoliendum tradidit. Post placidum quidem, nimis tamen maturum Parentis discessum, *Fridericus Wilhelmus* Dux noster pubertatis annos nondum ingressus (tredecim enim ætatis suæ annos vix compleverat) Matris prudentissima cura, illis virtutibus, artibusque præsertim equestribus, quæ Principem maxime commendant, probe excultus fuit, usus inprimis in Adolescentia sua studiorum ac morum Formatore sat fidelissimo longeque eruditissimo *Joachimo Sheukmanno* postea J. U. D. Ast non multo post Matris curæ atque tutelæ nimis cito ereptus, jussu Patrui sui Ducis *Christiani Ludovici*, Suerinum deductus fuit, ubi (quod præsertim juventuti minime salutare ac conducibile est, recte enim Comicus: (*a*) (*Deteriores omnes sumus licentia*) paulo liberiori aura frui, & licentiosius, quam ætas ejus postulasset, vivere incepit; Hinc postquam demortuo Patruo apud Hollandos anno 1692. ad Imperium pervenisset, solusque jam Ducatum suum, sic volente, veniamque ætatis ipsi propterea concedente Imperatore Romano-Germanico *Leopoldo I.* regere incepisset, Matris pientissimæ monita seponens, impiorum quorundam Aulicorum suorum præceptis (qui detestandum illud lascivæ Matris ad impium Filium *Caracallam:* Si libet, licet. An nescis, te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere? juvenilibus ejus, a vero persacile flexibilibus auribus insusurrarunt) seductus, primis sui regiminis annis omnia pro arbitrio egit, in primis autem veneri nimium litando, corpus suum adeo debilitavit & enervavit, ut post duodecim regiminis demum annos, anno scil. 1704. die 2. Januar. cum *Sophia Charlotta*, Germaniæ olim Nestoris, Magni Landgravii Hasso-Cassellani *Caroli* Filia, Buzovii adhuc in viduitate vivente, matrimoniale fœdus iniens; cum illa pacato quidem, sed infœcundo tamen in conjugio vixit. Postquam anno 1695. *Gustavus Adolphus* Princeps tam sapiens, tam bonus, tamque litteratissimus ac Musagetes incomparabilis rebus humanis ereptus, cum eo universa Principum Gustrovienstum Familia simul etiam defecisset; Ducatus ille Gustrovienstis, quem aliorum voluntate, quamvis Hæres legitimus, statim iterum occupare haud poterat, eoque per integrum fere sexennium carere debuit (Patruus namque ipsius *Adolphus Fridericus* II. Dux Strelicensis, gradum proximiorum agnationis pactaque Familiæ de succedendo opponebat; Ille contra Jus Primogenituræ apud Cæsarem & Imperium urgebat, unde ipse Imperator Ducatum ad litis usque decisionem in possessionem suam recepit, ac per viduam Ducissam Gustrovienstem ejusque Consiliarios administrari

(*a*) Terent. Heauton. Act. III. Scen. I.

ſtrari juſſit) ex communi tamen omnium S. Romani Imperii Procerum conſenſu ac voto ſic mandante Cæſare, qui Jus ſucceſſionis ejus in hunc Ducatum ex capite Primogenituræ ſimul etiam comprobavit, anno tandem 1701. per Conventum Hamburgi habitum Duci noſtro *Friderico Wilhelmo* ad quiete regendum fuit traditus, atque Ducatui ſuo Suerinenſi indiſſolubili vinculo connexus. Incidit autem Dux noſter *Fridericus Wilhelmuus* in illa tempora, quæ longe antea, jam ultra centum & quod excurrit, annos, & voce & ſcriptis, haud ſine inſtinctu divino plane ſingulari prædixerat, magnus quondam ac ardentis ingenii Theologus & Superintendens Rotzſtochienſis D. *Simon Pauli* (*a*) ubi inter alia in hæc verba erupit: „Es werden die Reuſſen durch neue Bünd-„niſſen und durch angere Practiken in die Lan-„de gefordert. Lieffland und ein groſs Stück „in Pohlen, haben ſie allbereit verdorben und „eingenommen. Hernach werden ſie durch „Lieffland und NB. Pohlen, darinnen keine „Veſtungen ſind, in Preuſſen, und Pommern, „*Mecklenburg* und die andere Lande von Sach-„ſen fallen, und ſie überziehen. Scilicet in bello illo Pomeranico, quod adverſus Suecum gerebant Rex Poloniæ ac Elector Saxoniæ, cum Danorum Rege ac Imperatore Moſcoviæ varios tranſitus, diverſoria copiarum ſuarum, infinitas exactiones & vaſtationes, ingentes pecuniarum emunctiones ad copias militares ſuas præſertim Moſcovitarum alendas, (*c*) qui cum Danis primarias ac munitas urbes pro ſua defenſione invite occupaverant) ſuſtinuerat univerſus Ducatus Mecklenburgicus, ut plerique hinc incolarum omnibus fere fortunæ bonis, præſertim in Ducatu Strelitzenſi ac Dynaſtia Stargardienſi, exuti & ad incitas redacti, ipſisque Ducibus pro commoda ſua ſuorumque ſuſtentatione, vel parum vel nihil relictum fuerit, & ipſe Dux noſter Fridericus Wilhelmus, exhauſtis ſic ſubditis ſuis, auxilia ab exercitu Imperii avocare etiam debuerit. Juſtas has ſuas querelas, exactiones publicas, ac ſubditorum ſuorum emunctiones, non ſemel ſed multoties per litteras & legatos ſuos ad Imperii Comitia, ipſumque Imperatorem detulerat, Dux noſter ejusque Patruus Adolpus Fridericus II. partim remiſſionem onerum ac collationum, partim vero Imperii protectionem atque auxilium ſupplices implorarunt, quibus per commune Collegiorum Concluſum, protectio quidem promiſſa fuit, aſt calamus & verba adverſus armatos proficere nihil valuere. (*d*) Dux itaque noſter non ſolum ſanitatis propriæ cauſſa, ſed etiam earundem querelarum ſuam in Comitiis eo citius expediendarum gratia, menſe quidem Julio anno 1713. ob proximitatem loci Moguntiam ad Epiſcopum & Archi-Cancellarium Germaniæ ſe contulit, ubi & acidulas prope adjacentes Schwalbacenſes bibit; Non diu autem potus illarum initium fecerat, cum pectoris quadam anguſtia ſubito oppreſſus, ex polypo cordis, ibidem vitæ ſuæ ſat brevis, ac moleſtiarum plenæ finem impoſuit die quidem 31. Julii anno uti jam dixi 1713. ætatis vero XXXVIII. Corpus ejus exanime poſtea in patrias terras deductum, Suerini, in novo Templo ab ipſo extructo conditum eſt.

FINIS.

VI.

JOHANNIS BACMEISTERI,

MED. D. ET P. P. ARCHIATRI, CONSILIARII BADO-DURLACENSIS NEC NON PHYSICI ORD. TUBINGENSIS

ANIMADVERSIONES GENEALOGICO-CHRONOLOGICO-HISTORICÆ

IN

MARESCHALCI THURII

ANNALIUM HERULORUM ET VANDALORUM LIBROS SEPTEM.

LECTORI BENEVOLO

AC ANTIQUITATUM GERMANICARUM, IN PRIMIS RERUM MECKLENBURGICARUM INDAGATORI SOLERTISSIMO

S. P. D.

JO. BACMEISTERUS, D.

Siſto Tibi L. B. animadverſiones in Scriptorem non minus rarum, quam antiquiſſimum, qui Herulorum & Vandalorum, quæque ad Ducum poſtea Mecklenburgenſium Hiſtorias ortumque ſpectant, res geſtas, ab ultimo principio ad id usque tempus, quo vixit, primus omnium ſcribendi exordium cepit. Latuit hoc

(*a*) D. Simon Pauli in Poſtilla Evangeliotum Dominicalium & Feſtival in Explicat. Evangelii Dom. XX. p. Trinit.

(*b*) Dn. a Waldkirch Compend. Hiſtorici in vita Caroli VI. §. 8. p. 455. & 461.

(*c*) Dn. a Waldkirch l. c. §. 455.

hoc ſcriptum ultra duo ſecula, poſt quæ primum hos ſuos Annales ediderat Autor, in quibusdam Principum Archivis, paucorumque ſaltem doctorum Virorum ſcriniis quaſi ſepultum: quod ut tandem aliquando reviviſcat, iterumque reſurgat, dudum anhelarunt Eruditiores, qui cum doctiſſimo *Heidmanno* (in *Oratione*, quam *de ſua in Academiam Danorum Soranam migratione* conſcripſit ac edidit) *quam late pateat Antiquitatis ut: Perſonarum, Locorum, Temporum, Negotiorum Notitia, quamque ſit neceſſaria ad eruditionem ſolidam*, ſoli intelligunt. Neque ſolum hi, ſed ii potiſſimum Viri, quibus Rerum Patriarum, Mecklenburgicarum præſertim, Hiſtoria hactenus, ne dicam obſcura, ſed vel plane incognita, curæ ſemper fuit cordique, hujus certe *Mareſchalci*, tanquam Primi ac Domeſtici Rerum Mecklenburgenſium Hiſtorici longe optimi & doctiſſimi, *Annalium* recuſam editionem, diem ex die expectarunt. Horum itaque Expectationes, ut pro ſua parte & ingenio expleret Parens meus, cujus memoria ut ſanctiſſima mihi, ita non poteſt eſſe niſi ſuaviſſima; qui vel unice Antiquitatis & Hiſtoriarum cognitione paulum a laboribus ſuis Eccleſiaſticis reſpirans, animum ſuum exſaturare ſolebat: Ipſe de Rebus Mecklenburgicis Hiſtorias conſcribere, quosque ante ducentos fere annos exorſus erat Annales *Mareſchalcus* noſter, ulterius pertexere, & ad ſuam usque ætatem continuare indefeſſo opere ac ſtudio adgreſſus eſt.

Aſt, quemadmodum vere *Parmeno* ſervus *ad Gnatonem Paraſitum in Eunucho ap. Comicum* (*Act. III. Scen. 2. in Eunucho*) dixit: *Omnium rerum heus viciſſitudo eſt*, atque Divi *Chryſoſtomi* ſapientiſſimo effato, *Fumus ex camino in aërem volans, oculis quidem ad tempus videtur, mox tamen tenues evaneſcit in auras: Sic rerum omnium humanarum conditio eſt, ut ea quæ jam ſunt, mox mutatione a nobis auferantur.* Ita etiam factum eſt, ut Annales *Herulorum* ac *Vandalorum* NICOLAI MARESCHALCI reviſi, ac cum continuatione ad præſentem tunc Ducatus Mecklenburgici Ducem regnantem *Fridericum Wilhelmum* producti eſſent. Cum autem ego Anno CIↃ IↃ CCIII. ſtudiorum cauſſa Lipſiam in Academiam veniens, *Mareſchalci* auctiorem editionem vel continuationem Parentis mei ad prela paratam eſſe, in Catalogo Librorum omni ſemeſtri ibi prodeunte, erudito orbi publice jam ſignificaſſem: ecce ſequenti anno CIↃ IↃ CCIV. pridie Idus Maji. mihi deceſſit Parens meus etiam poſt buſta colendiſſimus, qui cum ante annos LVIII. Otterndorffii in Hadelia Patre LUCA BACMEISTERO terrarum illarum tunc ibidem Superintendente Generali, Matre vero *Anna, Sebaſtiani Mejeri* Gymnaſii Lubecenſis per XXI. annos Rectoris ſumme meritiſſimi Filia, anno quidem CIↃ IↃ CXLVI. v. Idus Aug. lucem hanc primum aſpexiſſet, atque a primis ſuæ ætatis annis in ædibus Avi ſui educatus, & vitæ ſedentariæ adſuefactus, multas ſibi ex ſtudiis immodicis & nimiis lucubrationibus in corpore cruditates & obſtructiones in primis ſub Hypochondriis, contraxiſſet, morbum inde diuturnum & lateri mordicus hærentem, curatuque ſi non impoſſibilem, tamen admodum difficilem; quem Medici a loco utriusque Hypochondrii, parte illa corporis. quæ ſub nothis coſtis ad ilia usque utrinque protenditur, & cum muſculis ipſa viſcera complectitur, *mali Hypochondriaci* nomine indigitant; cui in ſcorbutico aëre nato, educato, laresque figenti acceſſit ſcorbutus, Hydra illa Lernæa morborum, ac ſub omnium malorum larva corpora noſtra invadens, non niſi malignitatis quodam peculiaris gradu ab Hypochondriaco malo differens, unde B. vir ſemper dubiam ac morboſam vitam degit, ut ne unum quidem diem a doloribus liber manſerit, cephalea præſertim intenſiſſima perpetuo laborans, qua omnibus modis excruciatus fuit: accedente tandem ultimo vitæ biennio *anorexia*, vomitionibus creberrimis, hæmorhragiis graviſſimis ac ſæpius recurrentibus, caloribus & ſudoribus copioſis colliquativis præſertim nocturnis, aſthmate ſicco, atrophia aliisque ſymptomatibus longe pluribus ſatis ſuperque adflictus ac emaciatus, ſicque lecto per totum ſemeſtre ſpatium adfixus lenta quidem, placida tamen ac quieta morte exſpiravit, cujus corpus non vere mortuum, ſed quaſi dulciſſimo, ſuaviſſimoque ſomno datum, in extremo Judicio, peccati ſordibus defecatum & ad ſimilitudinem glorioſi corporis CHRISTI clarificatum, Animæque ſuæ rurſus adjunctum glorioſe reſurgat! Hujus igitur deſideratiſſimi Parentis mei longe dolorifica morte MARESCHALCI *Annalium* Cura iterum fuit ſufflaminata, inprimis cum illi deeſſent, qui imprimendi ſumtus ſuppeditare deberent. Interea temporis, dum ego hic Tubingæ publici Medici officio functus fuerim, haud pauci Virorum eruditionis fama inclareſcentium extitere, qui, ut abjecta ulteriori cunctatione, non horum ſolum Annalium, ſed & aliorum quoque in ſcriniis meis adhuc latentium ineditorum Librorum editionem procurarem, me quam maxime per litteras ſolicitarunt. Eorum

rum e numero instar omnium nunc nominandus est *multijugæ eruditionis ac omni scientiarum genere versatissimus Vir, Excellentissimus* DN. ERNESTUS JOACHIMUS WESTPHALIUS, *Jurium Doctor & Professor in Academia sua Patria Rotzstockiensi olim celeberrimus, Consul nunc Urbis Kilonienſis Holsatorum Magnificus, Antiquitatum Patriarum Mecklenburgicarum Indagator longe sagacissimus, Fautor & Patronus meus observandissimus;* qui in edito anno 1726. *Tractatu suo Historico Etymologico de Consuetudine ex sacco in Germania sigillatim in Megapoli, pag.* 451. horum *Annalium* expectationem his verbis publice expressit: *Spes interim est, fore, ut curante Dn.* D. JOH. BACMEISTERO *prodeat demum* Marescalcus Redivivus *ab* Henrico Pacifico *ad nostrum ævum perductus, & Tabulis Genealogicis illustratus.* Et hujus quidem *Viri celeberrimi* potissimum, cura, auxilio ac opera nunc tandem viginti sex annis post obitum Beati mei Parentis, *Annales* hi *Marescalci continuati* in lucem prodeunt; de cujus vetustissimi scriptoris vita ac scriptis, quidque nunc addiderim, adhuc monendus est Lector. Quando & a quibus ortus fuerit *Marescalcus* noster, nullibi hactenus expiscari potui; ita etiam nec locus certus aut civitas constat, ubi natus fuerit, nisi quod *Thurium* seu *Thuringum* natione se ipsum appellitaverit; forsitan Erphordiæ natus ac educatus est, in cujus Urbis antiquissima Germanorum Academia *Philosophiæ Magister & V. J. Baccalaureus* postea creatus fuit, ex qua deinde in Academiam Wittebergensem tunc noviter erectam XV. Kal. Novembr. An. 1502. sese contulit, ibique inter *primos Artium & Philosophiæ Professores* numerari cœpit. Postquam vero ejus in Juris & Historiarum studiis scientia plane singularis omnium sermone percrebesceret, & Academia Rotzstochiensis post magni Historici *Alberti Cranzii* Hamburgum in Patriam discessum per XX. annos Historiarum Professore orbata esset: *Henricus Pacificus* & *Albertus Pulcher* Fratres ac Duces Mecklenburgenses, *Marescalcum* hunc nostrum ex celeberrima illa ad Albim Academia in suam ad Varnum evocarunt, non quidem, ut *Jus tam Civile quam Canonicum*, (quia Legum quoque *ac Canonum Doctor erat creatus*) publice ibidem in Cathedra Academica doceret. sed ut *Historiam* potius *Universalem* studiosæ Juventutis animis traderet & inculcaret; Et simul etiam eum in *Consiliariorum Aulicorum* suorum numerum, cujus nempe consilio atque auctoritate, tanquam optimi ac probatissimi Viri, niti possent, clementissime receperunt. Contigit eodem anno CIↃ IↃ X. quo *Marescalcus* sub Rectoratu hyemali *M. Henrici Krusselmanns* primum Rotzstochium venit, ac quantum per Aulica negotia potuit, summa cum laude, indefessa diligentia ac fide Historiam tam universalem quam specialem in Academia pertractare suscepit, ut nomen viri πολιτικωτάτε ac ἱστορικωτάτε & quidem jure merito fuerit consequutus. Quanquam autem ille charus Juventuti, charus Academiæ, charus Eruditis omnibus, charusque Ducibus suis fuerit, maxime tamen præ cæteris eum charitate complexus est Dux *Henricus Pacificus*, qui eum in gravissimis Aulæ negotiis tam intra quam extra Ducatum, Legationibus item variis ad Reges & Imperii Principes diversos obeundis, in consilium sibi & Ministerium adhibuit. Quid? quod ad summum dignitatis culmen *Cancellarii officium*, in Aula sua evexerit, sicque hujus Viri consiliis ac rationi semper obedivit. Uti enim de *Cancellariatus Aulici* officio sic olim recte pronunciaverit magnus Polyhistor *Kirchmannus* in Oratione de *Jacobo Bordingo* Consule Lubicensi, Abaviæ meæ maternæ, paternæ lineæ Germano: „ Est Cancellarius quasi oculus, auris, os, manus, „atque adeo ipsa imago Principis, per hunc enim ille videt, quid in Aula, quid in Urbi„bus, quid in Præfecturis geratur; per hunc supplicum preces & miserorum querelas „intelligit; per hunc Civibus mentem suam interpretatur, per hunc ad Reges, ad Res„publicas, ad subditos, ad alios scribit; ex hujus moribus quis qualisque Princeps ipse „sit, cognoscitur. Hic est Custos Legum, oppressorum asylum, flagitiorum scopu„lus, æquitatis officina, & summus Justitiæ sacerdos.

Hac itaque purpurata dignitate ac summo honoris fastigio cum laboribus maximis quidem perfunctus *Marcschalcus*; in aura tamen Academica libera ac quieta, quam inter tot Aulæ strepitus in ingratos, Patrocinia inique, discrimina, invidias, diffidentias, obtrectationes, discrepantias, versutias, fraudes, assentationes & alios miseros Aularum comites, vivere maluit, domicilium namque suum Rotzstochii in Academia & urbe collocaverat, ubi tandem hic tantus vir in vivis etiam esse desiit, die quidem XII. Julii CIↃ IↃ XXV. magno cum Principis & totius Academiæ luctu, in cujus memoriam nunquam intermorituram, laudatissimus Princeps ac Dux *Henricus* ipsi *Epitaphium Doberani in Templo*, ubi tumulatus est, erexit sequens:

Anno CIↃ IↃ XXV. obiit NICOLAUS MARSCALCUS Thurius, Rostochii Li-

terarum & Linguarum omnium Vir doctiſſimus, Jurisque prudentia inſigniter clarus, cui tanquam bene merito, HENRICUS Megalopyrgenſium Dux, gratiſſimus Princeps, Monumentum poſuit.

Hoc NICOLAI habitant MARSCALCI funera ſaxo,
HENRICUS Princeps hæc monumenta dedit.
HENRICUS Princeps, *quo non modo ſanctior alter*
Et Megalopyrgos Vandalicosque regit,
Omnia Conſiliis cum multa pace gubernans,
Doctorum ut ſemper, ſic, NICOLAE, tuis.
Hinc merito tunus tanto ſepelivit honore,
Virtuti gratus inclytæ & officiis.

Edidit hic Vir πολυμαθέστατος præter hos, quos *continuatos* nunc curavimus, *Herulorum ac Vandalorum Annales Libr. VII. ad Henricum Ducem Mecklenb.* productos & Rotzſtochii in Fol. 1521 ab ipſo Auctore primum publicatos, etiam Libros ſequentes: *Chronicon Mecklenburgicum Rythmicum, oder Mecklenburgiſche Reim-Chronic Libris V.* ſtilo Germanico contextum. *Deflorationes Antiquitatum ab Origine Mundi ad annum* 1520. *V. Libris* Roſtoch. ann. 1522. in fol. editas: *Inſtitutiones Reipubl. Militaris ac Civilis Libr. IX.* cum figuris Roſtoch. 1515. in Fol. impreſſas. *De Sacrilegio Judæorum Sternebergæ anno* 1491. *commiſſo* germanico idiomate 1510. edit. Atqui hos quidem ingenii fœtus doctiſſimos inter graviſſima ſua Aulæ & Academiæ negotia in lucem produxit *Mareſchalcus*, ex quibus tanquam ex ungue Leo, Viri hujus in omni Antiquitatum genere, nec non in Græca & Latina Litteratura profundiſſima ac ſtupenda ſcientia, quibus certe omnibus ſuo ævo ſcriptoribus palmam præripuit, ſatis ſuperque eluceſcit. Quod autem in ſcriptis ejus deſiderant ac jure accuſant Viri eruditi, agreſte ſcribendi genus ac plane obſcurum, dum barbaris nominibus multa obſcuraverit, novaque verba aut ipſe finxerit, aut ex Grajo in linguam Latinam induxerit, quibus præſertim *Annales* ejus abundant; multum quoque tribuat Fabulis atque commentis veterum Auctorum vel leviſſimae auctoritatis vel nunquam exiſtentium, ut *Beroſi* & *Annei Viterbienſis*, tum denique non paucos, ſed multos quoque foveat nævos aperte falſos, præſertim in chronologicis, qua in re non uno loco graviter erraſſe Auctorem, ipſa præſertim *Annalium* inſpectio ac lectio doceat. Aſt, ſi ex ſeculi cujusque genio & moribus de Autorum perſpicua ſcriptione vere exiſtimare debemus, is, qui perpenderit ſeculum illud obſcurum, barbarum, fabulisque plenum, in quo vixit *Mareſchalcus*; non ita grave in noſtrum feret judicium; ita namque tunc ferebat conſuetudo ſeculique illius elegantia ac eruditio, Græcorum nomina Latinis permiſcere, & Hiſtoriarum quidem ſcientia paucis tunc innotuerat nondum expolita, ſed multis adhuc fabulis conſpurcata erat. Et quis eſt præterea, quem fugiat ingenua Viri incomparabilis Illuſtris Dn. de *Seckendorff* Confeſſio in *Hiſtor. Lutheraniſmi l.* §. 153. *Add. 1.* ſcribentis: *Crebro errant homines, etiam qui bona fide ſcribunt, & quam poſſunt, adhibent diligentiam, neque a me ipſo, utcunque veritati ex animo ſtudeam, alienos eſſe puto lapſus, in tempore præſertim & nominibus.* Idem nunc contigit noſtro *Mareſchalco* in ſuis *Annalibus* non ſua, ſed aliorum quibus uſus eſt, Auctorum culpa. Laudanda potius eſt hujus viri indefeſſa diligentia, & penitus ſtupenda ejus veterum Scriplorum cognitio, quod res Mecklenburgicas plus quam Cimmeriis tenebris hactenus involutas, primus omnium in lucem produxerit. Quæ enim *Wolffgangus Lazius*, *Münſterus*, *Henninger*, *Reuſnerus* & innumeri alii veteris ac recentioris ævi Scriptores, de Sereniſſima Domo Mecklenburgica ejusque cognatione, litteris unquam prodiderunt, id omne *Mareſchalci* noſtri *Annalibus* unice deberi, cum celeberr. Hiſtorico *Hübnero* fatendum eſt. Recte proin de *Annalibus* his jam ſuo tempore ſcripſit judicioſiſſimus Scriptorum Cenſor, Polyhiſtor ac Medicus fere incomparabilis *Henricus* ille *Meibomius Introductione in Hiſtor. Infer. Saxon. pag.* 105. „Iisdem (ſc. *Cranzii*) temporibus vixit Legum & Canonum Doctor & in eadem Academia Roſtochienſi Profeſſor, Duci Mecklenburgico a Conſiliis, NICOLAUS MARSCHALCUS Thurius, „ſcripſitque *Annalium Herulorum ac Vandalorum Libr. VII.* in quorum Præfatione ſe „eorum, quæ tradat, partim oculatum teſtem eſſe, partim ex Sanctuariis Regum „excerpſiſſe monet. Vir eſt doctus, merenturque Annales illi legi: *Cranzianis* tamen „non comparandi. Atque hæc quidem de Auctore noſtro ejusque ſcriptis ſufficiant.

Quid autem ego in his Annalibus vel addiderim, vel enucleaverim, nunc accipe.

ANIMDA

ANIMADVERSIONES IN MARSCHALCUM.

PRæter ea, quæ *Mareſcalcus* in *Commentariolo* ſuo *Annalibus* ſuis in fine adnexo, ipſe dilucidavit ac enodavit, ſequentia adhuc obſcura atque ex græco potiſſimum compoſita nomina incognita notabo. In fine namque *Capitis XXXVIII. Libr. 2.* in vita *Pribislai* Herulorum ac Vandalorum Regis XLI. primum occurrit vox *Aſarotis* quæ Græca vox eſt & ab ἀ privativo & σάιρω, verro, ſcopis purgo, derivata eſt: Eſtque *Aſarotum* proprie pavimentum picturæ arte elaboratum, a Græcis inventum, quod ſcopis non purgabatur, ſed cujus purgamenta manibus inde colligebantur & ſpongiis mundabantur, ut habet *Scapula in Lexico Græco.* Solebant quippe purgamenta cœnarum quæ ἀναλεκτα vocantur, e pavimento everri, dum ſubtegulanea pavimenta in uſu erant. Poſtea *Aſarotis* inventis, ceſſavit uſus ſcoparum, manibusque colligi purgamenta cœperunt, pavimenta vero ſpongiis mundari. *Xenodorus* primus claruit in faciendis *Aſarotis*, quæ miro artificio parvulis teſtulis in varios colores tinctis & imaginibus pictis ſtravit. Nam Pergami in *Aſaroto* Columbam effecit bibentem, quæ aquam capitis umbra obfuſcabat, alia ſibi eſcam eripiente. Vide plura apud *Plin Hiſtor. Natur. Libr. XXXVII. Cap. XXV.* Ita *Ambroſius Calepinus* in Dictionario. Deinde *Cap. XXIX.* ejusd. Libri in Vita *Nicoloti* Herulorum ac Vandalorum Regis XLII. non procul a fine, ubi de morte Regis agit, „illum dum „confidentiſſimus in hoſtes pabulabundos „graſſatur, lucullæa incognitum perfoſſum „occubuiſſe, ſcribit. Ibi *Oedipum* mihi nunc iterum præſentem eſſe, optarem, qui, quid per *Lucullæam* intelligi velit Auctor, explicet, neque enim Græca, neque Latina vox eſt. Quantum tamen ex ſenſu verborum atque contextu Hiſtoriæ colligere licet, „haſtarum aliquod „genus a majoribus noſtris Germanis tunc in „bellis uſitatum indigitari, probabile eſt, for „te ejusdem generis, cujus haſtæ æneæ partem in Cenotaphio vel Tumulo honorario (ſine omni dubio Herois cujusdam bellici) prope pagum *Lützborn*, dimidio milliari Bramſtedio in Holſatia, diſſitum perfodiendo olim inveniſſe, Paſtor tunc Barmſtedenſis Eccleſiæ in Comitatu Ranzovio, Dn. *Chriſtianus Dethlevus Rhodius* cum Adfine ſuo *M. Jacobo a Mellen* Eccleſiæ S. Mariæ in Civitate Lubeca Paſtori hodierno ac Miniſterii Sacri Seniori graviſſimo, Polyhiſtori egregio, Agnato meo ac Patrino honoratiſſimo per litteras communicavit; qualem quidem de Curioſis nonnullis circa *Tumulos Sepulchrales Cimbricos* Obſervationibus Rhodianis Relationem una cum rerum in Tumulis illis inventarum, Iconiſmo ad annum 1699. menſis Martii, p. 88. inprimis vero menſe Julii, (ubi *pag. 222. & 223.* arma veterum tunc effoſſa occurrunt) *Novis Litterariis Maris Balthici & Septemtrionis* ipſe celeberr. *Mellenius* jam olim inſeruit. Ipſas etiam *Haſtas* ipſorum vocabulo *Frameas* di-

Expoſitio vocum ob ſcurarum.

Quid Aſarotum?

Lucullæa?

ctas, *anguſto & brevi ferro conſtantes, ſedita acres & ad uſum habiles, ut eodem telo, prout ratio popoſcit, vel cominus vel eminaus pugnarint.* a Veteribus Germanis noſtris præſertim uſitatas in bello fuiſſe, ipſe *Cornelius Tacitus* in aureo de *Moribus Germanorum Libro* p. m. *633. & 634.* & ad eum doctiſſimus *Lipſius* in *Notis pag. 547.* adteſtantur. Ipſe *Cranzius*, noſtro *Mareſcalco* vetuſtior; „*Nicolotum* Principem in„feſta haſta procurriſſe in medios, & exce„ptum ab armatis (quorum loricas tectas non „prævideraț) in ipſo ictu ſenſiſſe arma, & prius„quam ſe retulerit, in crebris ictibus peti„tum, equo deturbatum periiſſe, nemine ſu„orum auxilio ferente, quod incautius præ„curriſſet in eos quos putavit inermes, ſcribit *Lib. IV. Wandal. Cap. 35.* confer & *Calovii ſ. M. Andreæ Mylii Genealogia oder Ankunfft des Fürſtl. Hauſes von Mecklenburg* in vita *Nicoloti Cap. I. §. 34.* Hæc de *Nicoloto* ejusque mortis genere. In ſequenti *Capite XL.* ubi de Miraculo illo, quod Paſtori cuidam ovium cum ſacrata Hoſtia Doberani accidit, Auctor agit, longe obſcurior locus occurrit enodandus. Quid enim ſibi ibi velit vox *Bimula*, ne Oedipus quidem intelligit. Non enim ibi vox *Bimula* Puellam duorum annorum denotat, multo minus bovem aut canem; proprie enim de iis dicetur, quæ poſt eam ætatem adhuc incrementum poſſunt accipere, ut puerum hinc proprie bimulum dicas, bovem aut canem non ita, teſte *Calepino* in Dictionario ex *Valla.* Ita etiam *Bimula* non de Euchariſtia Sacra ſ. Hoſtia conſecrata poteſt intelligi, quam per annum tantum in pedo ſuo condiderat: minime vero de duobus luminibus explicanda, quæ ante cuſtodiam Hoſtiæ ſacræ non adparuere. Quid ergo? inquis. Celeberrimus ſuo tempore Hiſtoricus *Albertus Crantzius* Auctore noſtro antiquior, Rerumque Vandalicarum ejus quaſi commentator, *Lib. VI. Vandal. Cap. XXIV.* rem geſtam ita enarrat: „Cum Monaſterium (ſc. Doberan, „de quo ipſi ſermo fuit) in dies religione & „opibus floreſceret, erat Vir Paſtorius, qui „ſacra die Paſchæ de manu ſacerdotis acce„pto venerabili Sacramento, cogitavit curio„ſius de illo aliquid conſtituere. Nam cum „cerneret ab omnibus ſumma veneratione „haberi, indignum ratus in ventrem demit„tere; adſervavit in ore, & clam egreſſus Ec„cleſiam, baculum paſtoralem, pedum vo„cant, arripuit, & capite fiſſo, Sacramentum „immiſit, arbitratus gregem ſuum proſperari „patrocinio rei ſacratiſſimæ. Viſæ ſunt nocti„bus ardere candelæ, quacunque parte do„mus conderetur. Sæpe locum mutavit, „idem pervenit. Id diu ræter uxorem, no„vit nemo: innotuit inde cæteris, pervenit „ad Sacerdotem, inde ad Pontificem. Re„comperta, ut geſta fuit, ſummo honore ve„nerabile Chriſti Sacramentum defertur in „Monaſterium, ibique diu magno populorum „concurſu inclaruere Chriſti Mirabilia, quum

Bimula.

„ de more facta & infecta nunciarentur. *Hæc Cranzius.* Puto ergo, hic vocem *bimulam* corruptam esse, pro qua legendum sit bifidam. In medium namque confregit hic ovium Pastor Sacramentum sive Hostiam consecratam, quo eo melius in capite fisso Pedi sui eam recondere posset, tamen, ut paulo post Auctor noster addit, cum post adparentiam duorum luminum, propterea opilio cum uxore rei insolentia deterritus, illud, (sc. Pedum,) præcidere vellet, uxor ejus, quo magis in riscum recondendum, quadraret, nihil detrimenti inde persentiscere potuit, etsi semel iterumque tentaret, quanto enim abscidit brevius, eo quadravit minus in risco occulendum; quare intra stramenta gurgustii, ita ut erat, sc. Hostiam in pedi capite fisso conditam, condere coacta est. Ita sensus clarus erit, nihilque amplius dubii h. l. restabit. Confer Doctiss. *Petrum Lindebergium in Chron. Rostoch. Lib. II. cap. 2. p. m. 44.* ubi etiam hunc locum ex Auctore nostro sic explicat. Cæterum vox *Metœca* ex Græca Lingua deducenda venit, Μέτοικος namque *Calepino in Dictionario* ille est, qui de una Civitate in aliam migravit habitandi animo, Latine advena dici potest vel Inquilinus, *ein Haußgenoß, ein Beysitzer.* Erant autem μέτοικοι olim, qui jussu Principum pœnæ caussa in aliam Civitatem transferebantur: vel qui in aliena Civitate moræ longioris caussa habitabant, jure tamen Civitatis non gaudebant: ita apud *Xenophontem.* In genere vero μέτοικος, uti jam dictum, denotat incolam quemcunque. *Cuneus* autem *Religiosorum* hic denotat innumeram multitudinem s. constipatam turbam Religiosorum, *eine sehr grosse Menge und dicker Hauffen Religiosen und Pfaffen:* hoc enim sensu, pro insigni scil. numero, voce *Cunei* utitur *Virgilius in Libr. Æneidum* passim, verbi grat. *Libr. XII. vers. 269.*

\- - - - et omnes
Turbati *Cunei*, calefactaque corda tumultu.

Nec non *Cyprianus.* Stipatus clientum *Cuneis.*

In Cap. VIII. Libr. VII. de *Magno III. Henrici Pinguis* Filio, adducit Auctor, eum Romam cum multis Proceribus bis adiisse, semel sub. *Xysto* IV. Pontifice maximo, ab illo & Patrum Collegio honorificentissime exceptum Hiericuntica publicitus donatum, medio theleſphorianæ apastiæ tesseracosto, omnium tunc excellentissimum æstimatum fuisse: quæ verba ita intelligenda, quod nempe Dux *Magnus* Romæ a *Xysto IV.* Papa consueta illa ab eo consecrata Rosa Hiericuntica medio tempore quadragesimali, *mitten in der Fasten-Zeit*, publice donatus fuerit &c. τεσσερακοστος namque vox græca, *quadragesimus* est, a τέσσαρες quatuor, qui dies quadraginta Catholicorum absolvunt Jejunia: ἀπαξία *Jejunium* dicitur, ab ἀ privativo & πάω vel πάομαι, *gusto, vescor*, quia illo tempore carnes non edunt, quæ vox græca eodem sensu apud *Aristophanem* vetustissimum illum Poëtam comicum græcum, jam occurrit postea etiam in Græca & Romana Ecclesia sic introducta & accepta fuit. *Theleſphorianæ* vero *apastiæ s. Jejunia* dicuntur a *Theleſphoro* Papa Romano ordine IX. nation Græco, quem Seculo jam II. post Chr. N. & *quadragesimale* illud *Jejunium*, & in Missiali S. Cœnæ administratione, Canticum illud : *Gloria in Excelsis*, in Romana Ecclesia introduxisse scribunt. Hæc de vocibus illis obscuris, quas Auctor in suo *Commentario Etymologico* præteriit. Venio nunc ad Annales ipsios s. Vitas Regum & Ducum Herulorum Vandalorum ac Mecklenburgensium ex quibus, quæ in illis vel intermiserit, vel non recte scripserit, aut in Chronologia (quod in eo potissimum desiderant illi, qui de Rebus Mecklenburgicis litteris unquam aliquid prodidere) erraverit, paucis nunc quoque adducam. Ad Librum I. nihil habeo quod moneam, nisi errorem illum gravissimi alias Historici *Alberti Cranzii qui Venedos* s. *Henetos* aut *Herulos*, cum *Vandalis* pro una eademque gente agnoscit, ac *Vandalicæ gentis* portionem fuisse scribit *Libro II. Vandal. Cap. II.* Vandalos autem & Henetos gentes diversissimas esse, præter *Cromerum Chron. Polon. Lib. I. Cap. 2. & 5. Spangenberg. Chron. Mansfeld. C. 14. & Petr. Albinum Chron. Misn. Cap. IV. Johannes* etiam *Micrælius in Pomerania antiqua*; *Bangertus* seu potius *Henricus Colerus*, Cos. Lubicensis, (is enim verus Notarum illarum Auctor est, qui *Bangerto* illas sub nomine suo edendas concesserat) in *Commentario ad Helmoldum*, & celeb. Polyhistor *Schurtzfleischius in Disput. Histor. de Rebus Slavicis.* evidentibus rationibus satis superque demonstrarunt. Nomen autem in depti sunt *Vandali*, qui & *Vindili*, *Vandili*, *Winuli* a diversis Auctoribus dicuntur, a multa profectione, & incerto habitandi loco, *die viel wandeln, und bald hie bald dahin sich wenden* hinc & *Wenden* dicti. E Galliis enim in Hispaniam progressi sunt, atque inde in Africam Vandali, teste *Beato Rhenano in Epist. de Originibus Gothorum* ad *Bonifacium Amerbachium* JCtum præmissa *Scriptoribus Historiæ Gothicæ p. m. 95. Peutingeri Sermonibus Convivalibus* Jenæ 1684. in 8vo edit. adnexa. Longe autem ante, quam Slavini Poloni veteres Vandalorum sedes occuparunt, ipsi cum Burgundis (qui & ipsi Vandali, & Suevi quasi *Schwebende und hin und her schweiffende Völcker*, qui hunc tractum occuparant & inhabitarant, erant, atque ex Marchia Brandenburg. Megapolensi Ducatu, & Pomerania trans Rhenum in has oras, ubi nunc Burgundia, migraverant, dicti ideo *Burgundiones*, ob multas Arces vel Burgas, quas ædificaverant. vid. *Schurtzfleischius de Veter Burgund. Regno.*) & Alanis in Galliam migraverant, inde in Hispaniam progressi fuerant, ex Hispania Gottorum injuria exacti, in Africa Regnum illud nobilissimum, sedem constituerant. Unde nullas Slavinis Polonis eorum reliquias permistas, quæ res huic adpellationi occasionem dederit; vel si quæ fuere, a barbara & externa gente sine dubio extirpatas atque excisas fuisse putat *Johannes Neuwaldus in Comment. de Antiquis Westphaliæ Colonis Cap. XVII.* Ita autem *Vandali*, gens Teutonica vetustissima indigena (inter quos præsertim He-

Theleſphorianæ apastiæ.

Additiones & emendationes historicæ et Chronologicæ.

De Herulis et Vandalis

Heneti ſ. *Heruli*, *Varini*, *die Wender*, *Werler*, *Warner*, *oder Warler*, Mecklenburgenſem tractum ad Varni Fluvii ripas incolebant) tam ante quam poſt Chriſtum in carne natum univerſam Balthici littoris Oram, ſc. *Cherſoneſum Cimbricam*, quæ nunc *Holſatia*, *Wagriam*, *Pomeraniam*, *Marchionatum Brandenburgicum*, & hodiernam præſertim *Terram Mecklenburgicam*, (unde & *Vandalorum* & *Venedorum Regum* Titulus vetuſtiſſimis illius Regionis Dominatoribus κατ' ἐξοχὴν proprius fuit, quid? quod hodierni Duces Megapolenſes adhucdum *vetuſtæ gentis Henetæ Duces* ſe vocant) inhabitarunt: Illis dein Seculo IV. V. & ultra, in Provincias Romanas demigrantibus, ſicque qua Codano maxime ſinui propinquiore, qua aliis quoque nonnullis partibus, immenſo incolarum numero exhauſtis, vicini *Sarmatæ* & in his præcipue *Veneti*, Wendi ſ. *Heneti*, *die Wenden*, *Slavi* etiam *ein unteutſches Volck* ex Sarmatia & Scythia orta, e Ruſſia, Livonia, Lithuania, Sarmatia, non ſolum univerſam Balthici maris oram a Viſtula ad Albim, ſed & remotiores a mari tractus, antiquas, Vandalorum inprimis, aliarumque Germanicarum Nationum ſedes occupavere; cujus pars eorum, cæteris nobilior in Megapolin ſecedens, *Obetriti* dicti ſunt a vario colore in veſtibus ſuis, quo uſi ſunt, cum ex Regione Scythica cum *Anthyrio* variegati & verſicoloris ad Herulorum fines antiquos terrasque avitas populo denudatos redirent, *die bunte Garde oder Rotte*, ſecundum *Lindeberg. Chron. Roſtoch. Lib. I. C. III.* & Auct. noſter in annexo *Commentar. Etymologic.* Voc. *Obetritæ*. Rectius autem *Obodritæ* (ita etiam Vetuſtiores hos Populos ſcripſerunt) dicti ſunt quaſi *Obdoritæ*, quod ex *Obdora* Scytharum ad Obium Fluvium Regione huc olim demigraverint, Patriæque hinc nomen præ aliis retinuerint, ſentio cum *Cl. Thoma Analect. Guſtrov. Period. I. §. VI.* in fine. Fuerunt autem hi Amici & confœderati Cæſaris *Caroli* M. ad refrenandos Saxones indomitos & ſæpius rebelles. Quæ autem hactenus de Vandalis ac Herulis eorumque migrationibus ex citatis ap. Cl. *Thomam in Analect. Guſtrov. Period. I. §. 2. in Not. lit. a* Aa. nec non ex celeberrimi *Werlhofii Notit. S. R. Imperii Enucleatæ Specimine II. Lib. II. Cap. II. Th. XVI.* juncta *th. 127.* atque ad illam Notis adduxi, idem confirmat celebratiſſimus noſtro tempore Hiſtoricus B. nunc *Gundlingius in Commentario MSto ſeines gedruckten Abriſſes zur Reichs-Hiſtorie Period. II. th. 35. & 36.* his verbis: „Carolus hat die Sla„viſchen Völcker in das Sachſiſche Gebieth „logiret, damit er ſich derſelben, und abſon„derlich der Obetriten, wenn die Sachſen re„belliren wolten, bedienen könte. Sie gaben „*Carolo* den Tribut, und lieſſen ſich wider die „rebelliſchen Sachſen gebrauchen, daher wa„ren ſie demſelben lieb, und raumete er ihnen „noch darzu das Wagerland ein. Es gieng „zwar erſtlich an, aber hernach haben die „Wenden denen Teutſchen und der Reli„gion groſſen Schaden gethan, und hatten ſon„derlich *Henricus Leo* und *Albertus* (*Urſus*) viel „mit ihnen zu thun. Die Wenden wohneten „in Mecklenburg, Pommern, Brandenburg, „alwo vorher ſtunden Rugi, Heruli, Suevi; als „dieſe weggiengen, kamen die Wenden hin„ein. Sie kamen aus Sarmatia, Moſcau, Li„thauen. Sie hieſſen Slavi, i. e. honos, gloria, „und wurden im V. Seculo bekandt. Die alte „Scriptores haben ſie genennet Vinidos, item „Andas, Vid. *Leibnizius in Miſcell. Berolin. de „Origine Slavorum. Gundling. Henr. Aucup. „p. 151. Procopius* ſchreibet von ihnen, daſs ſie „die Römiſchen Provincien attaquiret hätten. „Sie kamen aus Ungern, und giengen in Böh„men, breiteten ſich hernach aus biſs an die „Oſt-See, da wurden ſie der Sachſen ihre „Nachbahren. Es iſt noch hodie eine Pro„vintz in Ungarn, genannt Slavonia, weil die „Slavi zuerſt da gewohnt haben, ehe ſie ſich „in Teutſchland feſt geſetzt. Sie hatten vie„lerley Nahmen, denn ſo viel Pagi als waren, „ſo viel neue Nahmen entſtunden. e. g. Steti„ni, Havelli, Obetriten, oder Mecklenburger, „Sirvi, welche in Schleſien wohneten, Luſi in „Lauſsnitz, Milzeni in Meiſſen, Wilſi, Wagrii, „Leidiſii in Pommern, Tollenſi, Circipani, um „den Peine-Fluſs, und ſtammen die Schleſier „und Böhmen von dieſen Wenden her. *Henetos* autem ſeu *Herulos* (qui & *Werlii* ſeu *Wendi* dicti mutata *H.* littera in V. duplum, ut habet *Auctor in Commentario ſuo Etymologico Annalibus ſuis* adjecto) cum fuerint etiam inter Germanos populi vetuſtiſſimi magnaque apud priſcos Auctores in celebratione; non tam a veteribus illis Herulis paludi Mæotidi vicinis, & in Europam deinde traductis, nomen a locis a palude ſtagnantibus ſumſiſſe; quæ ipſi *Hele* appellant, ſicque transverſis litteris pro *Heleris*, *Herulos* vocitatos fuiſſe cum *Cranzio Saxon. Lib. II. Cap. II.* & noſtro Auctore *Libr. II. cap. I.* quam a variis ſuis migrationibus quum vagabundi fuerint, nec in una terra aut regione diu permanſerint, ita dictos fuiſſe quaſi Wendos, *Wenden*, *oder Wanderer*, exiſtimo cum *Phil. Melancht. in Chron. Carion. & Petro Albino l. ſupra cit.* „Henetorum itaque (quos „Sarmatarum gentem maximam fuiſſe *Ptolo„mæus Libr. II. Geogr. c. 11. ſcribit*) ſobolem, „*Wendos* cum *Joh. Neuwaldo l. ſupra cit.* cre„do, a quibus & Venetorum nomen reliquum. „Conſtat enim (pergit ille) *Sarmatas* & *Hene„tos* veterem Germaniam ab Ortu & Aquilo„ne certatim captaſſe, proſperaque fortuna „tandem Albim, limitem Saxoniæ contigiſſe. „Quibus poſtea Slavi, populus illis multo re„centior, quippe cujus nomen primum *Mau„ritii* dominatu percrebuit, ſe conſociarunt, „univerſamque Henetorum gentem quaſi ge„nerali appellatione auxerunt. Sunt namque „deinceps omnes Slavi dicti. Hæc itaque tan„ta diverſarum gentium multitudo, ubi anti„qua illa Germania ad Albim usque potita eſ„ſet, trans Albim etiam in Saxoniam ſuas de„ducere colonias molita eſt. Quæ res primum „non proceſſit, fortiter *Carolo M.* ejusque ali„quot poſteris ipſos propulſantibus, proque „defenſione limitis parti Imperii excubanti-

De Henetis, Slavis, Obetritis.

„bus. Ad extremum tamen non tantum in „Saxoniam eorum agmina infusa, verum etiam „pubes in Westphaliam penetravit. Etsi vero multa Slavorum genera produntur, ampliſſima tamen fuit *Venetorum* seu *Windorum*, „quæ appellatio iis tributa est, qui ad sinum „Venedicum & Mare Balthicum atque Ostia „Albis usque incoluerunt. Nam & horum „Nationes seu Familiæ distinctæ fuerunt, ut „Vagrii, Polabi, Obotriti, Pomeranii, Cassubii &c. Hæc *Neuwaldus*, cui & in omnibus subscribo. Interim tamen ex adductis ad communem harum Gentium originem nihil quicquam certi, & quod omni dubitatione careat, colligi potest, cum ex ignorantia quadam longe remotarum Gentium hæc profluxisse, jam suo tempore vetustissimus ille ac Princeps Geographorum, uti *a Bosio introd. in Notit. Rerumpubl. Cap. V. §. I.* vocatur, *Strabo*, adnotaverit, hinc origo Gentium semper manet incerta ac dubia: „ tanta enim hic obscuritas „& tenebræ, ut vix se quisquam inde expedire, nisi circumspectus & cautus admodum „possit, tantis hæc res implicita involucris, ut „horrens cum sæpius laudato *Neuwaldo in „Proœmio Comment. cit.* censuram ac judicium „Doctorum, haud injuria confiteri cogatur, „conjecturis ac divinationibus potius, quam „certis & evidentibus assertionibus utendum. „Quis enim inter nostros ea vetustate scriptor „est, qui primævos nostros Germanos non „dubitanter annotaverit? Quis tam diligens „Antiquitatis etiam ex Græcis & Romanis „Scriptoribus Observator, qui quamvis Germanos nostros vetustissimos seu *Celtas*, (ita enim Græci omnes ad Orientem Populos *Scythas*, ad Occidentem vero *Celtas*, Romani „etiam *Gallos* vocarunt) aliquoties Patria se „commovisse, atque in Galliam aliasque Terras & Provincias demigrasse scribant, Græci „etiam Auctores Fluviorum præcipuorum „meminerint, oblique etiam seu recte Accolas notaverint; quibus tamen ex partibus & „regionibus emigrarunt illi, quicquam litteris „distincte mandaverit, ac diserta loca descripserit? quod magnum certe argumentum est, „hanc longinquiorem terram ipsis exploratam „non fuisse; & verum est, Populos Transalbinos Romanis penitus fuisse incognitos. Regna enim Occidentis & Septentrionis invadenda subjugandaque nunquam animum adjecerunt, quanquam enim *Drusus* Privignus *Augusti* Cæsaris, Filius *Liviæ* & Tiberii Germanus, felicissimos quidem eosque suis Antecessoribus longinquiores adversus Germanos nostros progressus ad Albim usque fecerit, tamen Fluvium hunc non transiiit, sed *Agrippam* exploratorem Terrarum ac Populorum Transalbinorum transmisit, a quo innumeros adhuc ibi habitare Populos, comperiens, ea re valde stupefactum & adtonitum fuisse scribunt. Vid. *Schattenii Histor. Westphal.* nec non *Monumenta Paderbornensia Ferdinandi a Fürstenberg* Episcopi & Principis Paderbornensis, Coadjutoris Monasterienſis Episcopatus. Ad Germanos autem quod adtinet, certe ante *Carolum* illum *Magnum* I. Germanorum Imperatorem, qui *Annales de suis* rebus gestis ipse collegit, ac teste *Paulo Warnefrido* scriptore coævo, *de Rebus gestis Longobardorum Lib. II. cap. 27.* admodum laboriosus fuit in conquirendis rebus gestis veterum Germanorum, quas ubique, præsertim ex Carminibus eorum, (quæ unum, secundum *Tacit. de Moribus Germanorum* apud Germanos memoriæ & Annalium genus fuit) in unum volumen colligere jussit, id quod tamen hodie inter deperditos numeratur; *Codex* tamen sic dictus *Carolinus* in quo omnes Litteræ seu Bullæ Papales ad Antecessores ejus missas illius *Caroli M.* jussu in unum Fasciculum redactæ fuere, anno 1613. a *Jacobo Gretsero* editus fuit, quamvis litteras non amplius ignoraverint, quarum cognitio a *Merovei* Regis Francorum temporibus jam inceperat, nullus Germanorum Libros conscripsit, ita, ut non immerito etiam *Wippo* vitæ *Conradi Salici* scriptor haud incelebris, de Germanis nostris Majoribus pronunciaverit, *eorum* sc. *Facta illustriora magis fuisse quam dicta aut scripta; Sie haben jederzeit mehr gethan, als geredt und geschrieben*, id quod etiam *Paulus Diaconus* de illis affirmavit. Unde quid de Vetustissimorum nostrorum Germanorum Occidentalium præsertim ac Septentrionalium Historia eorumque vera ac prima Origine sentiendum sit, ex hactenus dictis nunc satis superque apparet. Res enim obscura est & involuta, quæ vel conjecturis potissimum & divinationibus nititur. Valet itaque hic etiam Judicium haud inelegans, quod *Browerus Annal. Trev. praefat.* „*cap. 10. t. 8.* subjunxit, sc. in tam altis tenebris „aliquid hic nescire velle, hominis esse sobrii „ac judicii sui minime prodigi. Man muß „auch in der Historie nicht alles wissen wollen, weilen man hierdurch in ein Labyrinth „geräth, daß man offters weiß, was nicht zu „wissen nöthig ist, und hingegen gemeinig„lich dasjenige nicht weiß, dessen Notiz uns „näher angehet, recte scribit *Auctor der aufrichtig und unpartheischen Gedancken pag. 447. XIX. Stück.* Interim tamen in tali re obscura & „involuta qualis est Historia illa vetustissimorum Germanorum eorumque Origo, ad cujus „illustrationem aperta adjumenta non suppeditant, potissime ratiocinationibus ex conjecturis depromtis insistendum esse cum *Neuwaldo l.c.* etiam judico. Illud autem certum est cum Cl. *Bosio l.c. cap. XVIII §. 2.* hodie ob varias illas Gentium migrationes, vix usquam (quod de Europa nostra potissimum valet) veteres sessores reperiri, sed plerumque pulsis „prioribus incolis aut occisis, novos succedisse, sicuti etiam Ducatui nostro Megapolitano cum suis inhabitatoribus contigisse *Annales* præsentes palam ostendunt. Et bene etiam „Doctissimus *Bosius* c.l. adnotat, observatum „esse ab Historicis, plerasque migrationes ab „Ortu & Septentrione versus Oceanum & „Meridiem susceptas fuisse, ut inde hodierni Germaniæ Populi ratione suæ primævæ originis non amplius *indigenæ*, sed omnes *Advenæ* seu *Peregrini*, & Megapolenses inprimis etiam

Con-

Convenæ dicendi, quia ex pluribus gentibus in unum corpus confluxere. Atqui tamen hæc Sarmatica ac Scythica Gens ſub *Venedorum* ſeu *Henetorum* ac *Obotritorum* nomine per VII. fere Secula Ducatum nunc Megapolæum dictum inhabitans, quamvis eos jam ſibi tributarios effecerat, quosdam autem eorum in deditionem acceperat *Carolus* M. Imperator; tamen cum immenſa ſua crudelitate ac tyrannica barbarie in Chriſti nomen profitentes ſævirent, agrisque ac terris adjacentium Regionum Saxonicarum ad Chriſtum jam converſorum gravisſimas depopulationes creberrime inferre non deſiſterent, nec quod maximum fuit, ulla ratione ad Chriſtianismum amplectendum adigi poſſent, a vicinis ſuis Ducibus *Henrico* cogn. *Leone* Saxoniæ & Bavariæ Duce, *Alberto* item *Urſo* dicto, Marchione Brandenburgenſi, bello hoſtiliter aggreſſi ac ſub Rege Herulorum ac Vandalorum ultimo *Pribislao* feliciter tandem debellati, funditusque exſtirpati fuerunt, abducta, quæ ex præliis adhuc ſupererat, tam in Ducatu nunc dicto Mecklenburgico, Comitatu Razeburgenſi, quam etiam Wagria, Pomerania, & confinia Marchionatus Brandenburgici parte, omni Slavorum, Henetorum ſeu Wendorum turba tam in Ducatum Luneburgenſem, quam Brunſuicenſem ac Brandenburgenſem, ubi adhucdum multi Pagi a Venedis illis tunc expulſis ſ. potius abductis, inhabitantur. Rem tunc ab *Henrico Leone* in Slavos illos validam & truculentam gentem feliciter geſtam breviter enarrat Celeb. Medicus ac Hiſtoricus *Henricus Meibomius Introduct. ad Saxoniæ inferioris* inprimis *Hiſtoriam p.m. 34. ſeqq.* ubi *pag. 35.* hæc addit: „*Henricus* tandem *Leo* (eo quod ex Anglia rediens formam *Leonis* Clypeo ſuo adpingere fecerat ita dictus, teſte *Gundling. in Colleg. MSpto ſeines gedruckten Abriſſes zur Reichs-Hiſtorie Period. VII. th. 393.*) dominari in univerſa terra „Slavorum cœpit, plurimis expeditionibus „Victor, quas *Helmoldus Chron. Slavorum Lib. „I. Cap. 68, 84, 86, 87, 92, & Lib. II. Cap. 5.* narrat Obotritorum terra & finitimis Regionibus „ita in ſolitudinem redactis, ut Slavi non auſi „fuerint mutire præ formidine Ducis. Ali„quas tamen, addit *Bangertus* (rectius *Colerus*) „ad ejusd. *Lib. I. cap. 2. pag. 13.* etiam in iis, ubi „fere penitus exſtirpati, tractibus Slavicarum „Gentium reliquias, rigida ſervitute preſſas, „permanſiſſe arguunt, quæ habentur apud „*Helmold. Libr. I. Cap. 37. num. 13* & hodienum „miſeræ illius Gentis reliquiæ alicubi ad Occi„dentalium inprimis & Septentrionalium Albis „fluvii ripam ſuperſunt. *Chytræus Lib. I. Chron. Saxon. pag. 1.* ſtatim ab initio rem breviter ita recenſet: „Univerſam hanc Balthici littoris „oram, Heneti ſeu Veneti Populi, quos Ger„mani *Wenden*, Itali *Slavos*, quidam noſtrates „etiam *Vandalos* appellant, circa A. C. quin„genteſimum, poſt fatales illas Gentium mi„grationes occuparunt, & a Mari Balthico ad „Albim a fontibus fere ſeu rivis undecim, an„tequam Boëmiæ montes exeat, in eum con„fluentibus, unde nomen *Elve* fl. factum exiſtimatur, fere ad oſtia illius; aliquot Seculis „conſederunt, & late dominati ſunt; donec „ab *Henrico Aucupe* & *Ottone M.* Impp. primum „ad Albim & Havelum aliquantulum repreſſi, „deinde ab *Henrico Leone*, annis poſt primam „illorum migrationem ſexcentis, continuis „bellis partim cæſi ac deleti, partim ſervitute „extrema oppreſſi, & una cum Religione Chri„ſtiana novæ Germanicorum populorum & „Saxonum Coloniæ in has Regiones inductæ „ſunt; tametſi in hodiernum usque diem paſ„ſim ad ripam Albis, miſeræ gentis Henetæ „ſeu Slavicæ reliquæ in (Luneburgenſi Duca„tu) Luſatia & alibi hærent. Conf. *Meibomius l. c. p. 39.* In deſertas autem horum Slavorum ſ. Venedorum terras, Duces illi *Henricus Leo* & *Albertus Urſus* Morinos ſ. Flandros; Mattiacos, ſ. Seelandos; Menapios, Brabantiæ & Flandriæ maritimos; h. e. Geldros ac Juliacenſes; Bethaſios, tam ſuperiores quam inferiores, i. e. Maſtricheros & Trajectenſes; Batavos ſ. Hollandos; Uſipedes, Populos Germaniæ inter Rhenum & Montes in Haſſia in eo loco, qui *die Hochrück* adpellatur; Teneteros item, Tencteros *Tacito* & *Julio Cæſari*, Tenterides *Plutarcho*, Tingros *Ptolomæo*, Tancharos *Appiano* dictos Soerlandiæ incolas, Weſtphaliæ ditionis, Colonienſi autem Epiſcopo ſubjectos: Porro Angrivarios populos inter Rhenum & Viſurgim, ad Albim antiquitus ſedem ſuam habentes, ubi nunc vetus Marchia jacet; Chaucos denique, qui Friſiis proximi in Ducatu Luneburgenſi & Brunſuicenſi, nec non prope Stadam habitarunt; und verbo: Saxones, Weſtphalos, Rhenanos, Friſios, Hollandos, Seelandos, Flandros, Brunſuicenſes, nec non ex agro Bremenſi, novos iterum ex Germanis incolas translocarunt, qui propterea Linguam ſuam, mores & ſtatuta poſteris ſuis adhuc reliquerunt. Factum hoc eſt Seculo XII. poſt Ch. N. Res has *Leonis* cum Obotritis ac Herulis ſeu Venedis aut Slavis ſic deſcribit *Gundling. in MSpto Hiſtor* ſæpius cit. *Period. VI. th. 116. Conradus* III. hätte *Leonem* gern mit in Palæſtinam gelocket, er hatte aber nicht Luſt darzu, und gieng lieber wider die Obotriten, denn die Pommern tödteten die Chriſten, und ſuchten ihre Idola wieder herfür; man wurde Raths, die Slaven da weg zu nehmen, und andere Völcker hinzuſetzen, quod etiam factum. Als *Nicolaus* (Nicolotus) der Mecklenburg. Dux das hörete, rüſtete er eine Flotte aus, und nahm Lübeck weg, hauſete erſchrecklich mit den Chriſten. Da aber *Leo* 70000. Saxen über ſie führete, muſten ſie Chriſten werden, *& th. 119.* Leo nahm den Mecklenburgern alles weg, und ſind ſie daher Vaſallen von *Henrico Leone* geweſen. (Vid. *Mareſcalc. noſtr. Cap 38, 39. & 40. Libr.* II.) Leo eignete ſich die conqueten alleine zu, aber *Albertus Urſus* war nicht damit zufrieden. It. *th. 200-206.* in ead. Periodo. Weil der Kayſer (Fridericus Barbaroſſa) nicht alles Volck (in Italien) mehr brauchte, gieng *Henricus Leo* nach Teutſchland, wider die Slaven, und brachte ſie zur raiſon; Die Mecklenburger nannten

ſich

ſich Könige der Obotriten, und war *Nicolaus* (Nicolotus) ſehr mächtig. Er hat aber doch unter Conrado III. zum Creutz kriechen müſſen (ſc. de quo ſupra ad *th. 16.* ex eod. Auct dictum fuit) Jetzo giengs vom neuen an. *Albertus Urſus* und *Henricus Leo* waren ſchlüſſig worden die Wenden zu ſubjugiren, & quidem hoc modo. Weil ſie wuſten, daſs *Carolus M.* die Sachſen nicht beſſer zwingen können, als da er ſie aus ihrem Lande weggeführet, und andere Völcker dahin geſetzt, ſo machten ſies auch ſo. *Albertus Urſus* ſetzte viel Seeländer, Holländer und Flammänder an der Havel und Elbe biſs an die Böhmiſche Gräntzen hinein, und nahm die *Slaven* da weg; Deſswegen reden an der Elbe und Havel alle Plattteutſch. Es kamen auch ihre Rechte gantz mit denen alten überein, und das Märckiſche mit denen Sächſiſchen. Von den *Wenden* iſt nichts geblieben, als dasjenige, da noch hodie Slaviſch geredt wird. Sie machen die Sclaven zu Leibeigenen. *Schilter in Exercitat.* hat einen Freylaſs - Brief von dem Graven von Kirchberg, darinnen 2. Wenden frey gelaſſen worden, weil ſie ſtudiret. vid. *Hert. de Hominibus Propriis.* In der Marck ſetzten ſie ihre Nobiles Milites: alſo brachte *Henricus Leo*, die Mecklenburger und Pommerer zu raiſon, und ſetzte andere hinein, nemlich Sachſen, Frieſen und Weſtpfälinger. Die Wendiſche Sprache hat in Pommern anno 1404. aufgehöret vid. *Schurzfleiſch de rebus Mecklenburg. & Pomeranicis.* *Leo* hat ſich von *Friderico Barbaroſſa* ein Diploma, ſo *Maderus Rebus Brunſwicenſibus* ſuis mit inſerirt, geben laſſen, darinnen er die Freyheit bekommen, Biſchöffe nach Schwerin und Ratzeburg zu ſetzen, doch hat er ſie nicht reich gemacht; Einer hatte 300. Huffen Landes, deſswegen nennen ihn die Pontiff. ſonderlich *Helmond*, avariſſimum. Womit dann der Königliche Nahme unter den Obotriten aufgehöret, und von da an ſich *Fürſten von Mecklenburg* nennen, auch zur Clientel *Henrici Leonis* bequemen müſſen. it. *th. 210.* ſeqq. Es iſt nicht zu verwundern, daſs *Leo* ſie hat unters Joch gebracht, denn es waren keine Veſtungen darinnen und die meiſte Adliche Familien in Wagrien, Mecklenburg und Pommern waren Teutſche. Im Wendiſchen Reich haben ſie noch den Gebrauch, daſs ſie einen *Regulum* unter ſich haben, den hat der ſeel. Chur-Fürſt (von Brandenburg) gerne ſehen wollen, und als er ihn allezeit im Geſicht behalten, und ſolches ein Bauer gemerckt, hat derſelbe dem Regulo eine Maulſchelle gegeben, damit der Chur-Fürſt nicht meynen möchte, daſs er der Regulus wär, oder daſs ſie noch einen hätten. vid. *Tœlneri Epiſtolas itinerarias.* iterum *th 219. Albertus Urſus* und *Leo* ſuchten Slaviam zu conquetiren; Dieſer kriegte Slaviam Septentrionalem, jener Orientalem, *Th.* autem 100, in ead. Periodo. *Pribislaus* ein Mecklenburgiſcher Printz, hatte biſsher Brandenburg gehabt, der wurde ein Chriſt, (ſc. poſtquam ab *Henrico Leone* & *Alberto Urſo* bello devictus & ſubjugatus erat, uti jam pluribus dictum) Moriens vermachte er Brandenburg *Alberto Urſo* vid. *Chronograph. Brandenb. ad annum* 1156. den *Maderus* publiciret hat, da confirmirte dieſen *Albertum* von Aſcanien *Conradus* III. als *Marchionem Brandenburgenſem*, vorhin hieſs er nur bloſs *Marchio*, und wurde ſeit der Zeit nun jedes mahl *Urſus* in Diplomatibus genennet vid. *Schaten* in *Annal. Paderb. Tom. I. p. 771.* Intra tempus triennalis ipſi a *Friderico Barbaroſſa* injuncti Exilii, ſeu Profectionis ſuæ in Terram Sanctam cum Seleuciæ ſubito moreretur Cæſar, & *Leo* hinc ante tempus conſtitutum domum rediret, totus Germaniæ ſtatus plane erat mutatus; uti enim *Gundlingius in MSto cit. thes 366.* refert, waren in Pommern nun die Hertzogen ad Comitia admittiret, und in Mecklenburg waren die Fürſten nicht mehr Vaſalli von Sachſen, ſondern ſchüttelten das Joch ab, ſie hatten aber keine Seſſion auf dem Reichstag. Atque hæc quidem ad *Librum Auctoris noſtri I.* de *Vandalis*, eorum abitu, ac dein *Herulorum* ſeu *Venedorum* aut *Slavorum* in illorum locum in terras vacuefactas adventu, manſionum duratione, ac tandem per *Henricum Leonem* ac *Albertum Urſum* in alias Regiones translocatione præter intentionem paulo prolixius adducta, nunc tandem ſatis dixiſſe ſufficiant. Accedo nunc ad *Librum II. Auctoris* noſtri, in quo *de Regibus Herulorum ac Vandalorum* agit, eorumque Hiſtorias ab *Anthyrio*, *Alexandri Magni* olim militiæ Duce fortiſſimo orditur, quamvis hinc nimis a longinquo ex temporibus antiquiſſimis, & Hiſtoriis dubiis longeque obſcuriſſimis ab anno ſc. mundi 3640. ſecundum *Lindenbergium Chron. Rotzſtoch. Lib. I Cap. IV.* ante Ch. *N. 322.* quo demortuus eſt Aſiæ Domitor *Alexander ille M.* Ducum Megapolenſium Familiam deducat, unde etiam multi, inter quos etiam fuit *Calovius* ſeu potius qui verus Chronici hujus Auctor fuit, *Andreas Mylius*, Hiſtoriam ſuam Germanicam von Ankunfft und Herkommen der Hertzogen zu Mecklenburg löbl. Vorfahren &c. auctiorem & emendatiorem in calce horum Annalium adnexam, a *Caroli M.* Imperio, apud quem militaſſe *Bilungum XXXII. Herulorum ac Obotritorum Regem*, anno Chr. 810. Scriptores volunt, (de quo tamen infra pluribus dicam) initium *Familiæ Ducalis* faciunt: tamen nos cum laudato *Lindebergio l. c. Cap. V.* ac noſtro etiam Annalium ſcriptore Antiquitatis famam auguſtam habuimus præſertim cum Fama non de nihilo eſſe, ſed aliquid divinius in ſe habere, Proverbio celebretur. Ita etiam quicquid Annales de *Anthyrio* prodiderunt, non omnis fides huic Traditioni detrahenda, ac fictæ inſtar fabulæ habenda. Medio & hic tutiſſimus ibis. „Magis autem, cum rerum Patriarum, inprimis Guſtrovienſium fidelisſimo olim indagatore, *Friderico Thoma*, *Analect. Rerum Guſtrov. Period. I. §. VI. litt. V.* „*in Notis.* probandi ſunt illi Scriptores, qui nec „omnem ejusmodi antiquitatem temere reji„ciunt, nec omnem promiſcue admittunt. „Denn obſchon viele Fabeln in unſern alten „Teutſchen Sachen enthalten, ſo ſtecken doch

„auch

„auch wieder viele Wahrheiten darunter ver-
„borgen, ſcribit *Gundlingius in M.Spto ſæpius*
„*cit. Period. 1. th. 3.* conf. *Andr. Borrichius in*
Notis ad Celeb. Maſii Antiquit. Mecklenb. p. 75.

De Regibus Herulorum & Vandal.

Sed ad rem, nam cujusque Regis Herulorum ac Vandalorum Vitam ordine percurram, & ſi qua in re ratione *Genealogiæ* vel *Chronologiæ* erraverit Auctor, aut quædam etiam in eorum vitis ſcitu neceſſaria omiſerit, ex fide dignis Scriptoribus aliis quantum potero corrigere, addere & ſupplere ſtudebo. Chronologiam namque & Genealogiam in Hiſtoria perneceſſarias eſſe, ſæpius laudatus Dn. *Gundling. in Prolegom. Collegii MSS. über ſeinen gedruckten Abriß zur Reichs-Hiſtorie* (*Neceſſitatem* inprimis *Cognitionis Genealogicæ*) *th. 19.* his verbis demonſtrat: Ohne die Genealogiſche Wiſſenſchafft kan man in der Hiſtorie nichts rechtſchaffenes begreiffen. Denn es kommen in der Hiſtorie viel Perſohnen für, die einerley Nahmen haben, will man nun hievon einen diſtincten Concept haben, ſo muſs man eines jeden Uhrſprung und die Zeit, wenn er gelebt, vorher wohl wiſſen, ſonſt kans nicht anders als Confuſion geben. Muſs alſo die Genealogie mit der Hiſtorie conjungiret werden. De *Chron. th. 22.* idem Auctor ſic ſcribit: Daſs Chronologia ein ſubſidium ad Hiſtoriam addiſcendam maxime neceſſarium ſey, nemo inficiabitur, den ohne dieſelbe können die mutationes Temporum nicht erkannt werden, will man ſich anders einen deutlichen Concept von der Hiſtorie machen. Eine Chronologie muſs mir in der Hiſtorie den Weg zeigen nicht anders, als wie die Flüſſe in der Geographie; wer dieſen Leit-Stern nicht hat, der muſs nothwendig confus werden.

Anthyrius, I. Rex Herulorum.

Ad Caput itaque I. de *Anthyrio* I. ſeu M. notandum; Ipſum Anno Mundi creati 3629. ante Chr. N. 312. aut ſecundum alios 320. vel 322. Regnum ſuum Herulorum ac Vandalorum fundaſſe: mortuum autem fuiſſe anno 262, ante C. N. ſecundum computationem *Bernhardi Latomi in Chronico Mecklenburgenſi*, hactenus inedito, poſtquam annos LXXVI. regnaſſet. Conjugem autem ſuam *Symbullam* Gothorum Regis *Sitalcis* Filiam fuiſſe, ex celeb. *Maji Antiquit. Mecklenb Schediaſmate Hiſtorico-Philolog. Cap.* II. § *6. p. 41.* cognovi.

Annoas, Rex Herulorum II.

Cap. II. ſunt quidam, qui pro Rege *Annava* qui & *Annavas* dicitur ejus Fratrem *Anthyrium* II. ſeu *Minorem*, qui in bellis Danicis periit, ponunt, & ab eo propagationem Familiæ Regiæ deducunt, uti videre eſt in *Chronico Germanico Andreæ Mylio* in calce Annalium adnexo, quem & ſequitur *Lindenbergius* in *chron. Rotzſtoch. Cap. V. Lib.* I. Conjux *Annavæ*, quam *Orethyam* Auctor vocat, ab aliquibus *Orothya*, ab aliis *Oretha*, *Orithya*, item *Ofraſia* dicitur, Regis Sarmatarum vel Poloniæ Filia. Obiit *Annavas* A. M. 3779. ante C. N. 171. Regiminis fere LXXV. annorum.

Alimer, Herulorum Rex III.

Cap. III. de *Alimero* tantum annum mortis adnoto, qui incidit in A. M. 3853. ante Chr. N. 95.

Anthyrius

Cap. IV. *Anthyrius* III. Conjugem habuit *Mariam*, Regis Judlandiæ (hodie Jutiæ) vel Gottlandiæ ſeu Daniæ Filiam. Regnare incepit Anno M. 3853. iterum demortuus A. M. 3916. ante C. N. XXXIII. *III. Herulorum Rex IV.*

Cap. V. agit de *Huthero* ſeu *Hote* qui Regnum adeptus eſt A. M. 3916. ac Conjugem duxit *Juttam* ſ. *Juditham* Filiam Regis Finlandiæ (alias Finniæ) Qui cum per annos fere 34. ſceptra in terris ſuis tenuerat, unicus Mundi Salvator ac Redemtor CHRISTUS JESUS ex caſta ac incorrupta virgine *Maria* in carne natus fuit, anno poſt Mundi creationem 3950. aut 3970. ſecundum *Lutheri*, ſive 3949. ſecundum receptam *Dionyſii* Abbatis Romani VI. ſeculo degentis, computationem, a cujus ſalutari incarnatione ille adhuc annos fere XXXVI. Regno ſuo præfuit, vitamque cum morte commutavit, anno poſt Chriſtum natum XXXV. totius ſui Regiminis ſexageſimo octavo, & quod excurrit. *Hutherus, Herulorum Rex V.*

Succeſſit in Cap. VI. Filius Viſilaus I. Witzlaff (licet & *Alimer* III. Herulorum Rex, jam Filium *Viſilaum* genuerat, qui tamen Juvenis obierat) cujus Conjux ab aliis Scriptoribus *Tiburina* ſ. *Tiburtina* dicitur. Mortuus anno p. C. N. XCI. *Viſilaus I. Herulorum Rex VI.*

Sequitur Cap. VII. Filius *Vitislaus* ſeu Witislaus II. vulgo Witzlaff, quem annos LX. & ultra regnaſſe, ſicque anno 152. poſt Chriſtum natum demortuum eſſe, quidam ſcribunt; Aſt Auctor noſter & *Wylius in Chron. Germanico* ſæpius citato, eum tantum XXXVI. annos populum ſuum rexiſſe tradunt, cum quibus etiam *Bucelinus in Stemmatograph Part. I. pag. 68.* & Cl. *Hübnerus in Tabulis Genealogicis* conſentiunt, ſicque annum ejus emortualem poſt Chr. Nat ponunt C. XXVII. Conjux *Anarnia* & *Anarina* dicitur. *Vitislaus II. Herulorum Rex VII.*

In Cap. VIII. Rex *Alaricus*, *Alrich* ſeu *Ulrich*, ejus nominis I, dictus, non tantum per XI. ſaltem annos, ut quidam volunt, ſed totos quinque ac triginta annos ſecundum Auctorem noſtrum, & *Chriſtianum Solinum in Chron. Holſat. german.* item *Mylii Chron. Mecklenburg.* regnavit, mortuus namque eſt anno Chriſti CLXII. adteſtante ipſo *Bucelino* l. c. & B. *Hübnero in Tabulis ſuis Genealogicis.* *Alaricus I. Herulorum Rex VIII.*

Cap. IX. adducitur *Tithericus* ſeu Diederich nonus Rex Herulorum ac Vandalorum, qui Principis ſive Regis Trevirorum e Belgica gente Regia orti Filiam *Dianam* conjugem duxit, atque poſt mortem Patris, Imperio ſuo non octo, ſecundum quosdam, ſed novem & triginta annos præfuit, id quod præter Auctorem noſtrum, etiam *Solinus* & *Mylius* in *Chronicis* ſuis allegatis confirmant, mortuus namque eſt anno CCI. poſt Chr. N. teſte *Bucelino*, *Hübnero & aliis.* *Tithericus, Herulorum Rex IX.*

Ad Cap. X. de *Thenerico* moneo, ſocerum ejus *Fridgardum* Regem Thuringiæ, ipſum vero ſex ac viginti annos regnaſſe, & vivendi finem feciſſe anno poſt Chriſti incarnationem CCXXVII. *Thenericus, Herulorum Rex X.*

Thenericum ſequitur Capite XI. Flius *Albericus* I. qui præter Herulorum & Vandalorum, etiam Sueciæ ac Gottlandiæ Rex fuit, mortuus anno CCLXXXI. *Albericus I. Herulorum Rex XI.*

de Weſtphalen Monum. ined. Rer. Germ.

Viſimarus, Herulorum Rex XII.

Capite XII. Auctor de *Viſimaro* vel *Wiſimaro* agit, qui poſtquam anno Chriſti CCCXXX. ſub *Conſtantino M.* Urbem Viſimariam (quam de ſuo nomine ita dixiſſe volunt) ædificaverat, deceſſit anno Chriſti CCCXXXVI. minime vero CCCXXVI. ut vult *Bucelinus* l. c. vel ut alii volunt, anno poſt Chriſtum N. 388. regnavitque tantum annos LV. Hujus Conjux ab aliquibus *Anna Laſunta* germ. *Himmelſchone* ſive *Himmelſote* dicitur.

Miſilaus, Herulorum Rex XIII.

In Capite XIII. hujus Filius *Miſislaus* (*Miſislus* & *Mogislaus*, Mitzlaff vel Mitzel) adducitur, cujus Conjugem quidam perperam vocant *Belgam*, cum ea potius Trevirenſis Regis e Belgis orti Filia fuerit. Mortuus eſt anno 370. non uti *Bucelinus* ſcribit, 368.

Radagaſtus I. Herulor. Rex XIV.

In Cap. XIV. Auctor *Radagaſtum* vel *Radagaiſum* I. Herulorum ac Vandalorum Regem bellicoſiſſimum deſcribit. Hujus quidem in Italiam circa annum 405 tempore *Arcadii* Imperatoris Conſtantinopolitani ſuſcepta expeditio, inſignis quidem atque in Hiſtoria Romana valde memorabilis eſt; in eo tamen variant Auctores, an ſua ſponte, vel ut Auctor noſter ſcribit, inſtinctu potius *Alarici* Weſt-Gothorum Regis ſucceſſoris *Aiſtulphi*, ſicque conjunctis cum eo viribus ac armis hanc expeditionem ſuſceperit. Quo cum & ſentit *Chriſtianus Solinus in der Holſteiniſchen Chronic*, qui ita ſcribit: Dieſer ſc. *Radegaſtus* und *Alaricus* der Gothen König, ſeyn mit 30000. Mann zun Zeiten *Arcadii* in Thraciam, Pannoniam und Illyricum gezogen, und als ein Hagel ſie überfallen, und alles verwüſtet; zogen auch ferner in Italiam, und nahmen Rom ein; darnach aber begegnete ihnen *Stilico*, ein edler Römer, daſs ſie in groſſen Hunger gerathen, und weil ſie auf die Flucht bedacht waren, veränderten ſie ihre Kleider, aber ſie wurden gefangen und getödtet. Quidquid autem ſit de illa Expeditione, id tamen certum eſt, *Alaricum* Weſtgothorum Regem tunc a *Stilicone* neque captum, multo minus occiſum fuiſſe, potius enim *Alaricus* ille poſtea precibus atque hortatu Imperatoris *Honorii* in Galliam remigravit, atque cum ſuis Provinciam Languedociam, ab Alpibus ad montes usque Pyrenæos occupavit, unde & nomen Languedociæ h. e. Longæ Gothiæ ex mente *Valeſii* adepta eſt. (Weſt-Gothi autem ita dicuntur, quia ex Gallia in Italiam veniebant, & alias ejusdem Nationis & Gentis Oſt-Gothi erant. Populi namque Septentrionales, ante Venedorum adventum, in Pruſſia & Jütlandia ſ. Guttlandia viventes, tempore *Honorii* Imperatoris ante *Clodovæi* tempora in Galliam migrarunt, & illud Regnum tunc in IV. partes diviſerunt; namque partem occuparunt illi Weſt-Gothi; Alteram Oſt-Gothi; Tertiam Burgundi, h. e. Vandali, qui ex Marchia, Megapoli & Pomerania trans Rhenum migrarunt cum Rege ſuo *Wedegeſilo*, qui & poſtea cum commilitiis ſuis Alanis (Scythis origine, habitatione tamen Vandalis proximis) item cum Suevis, a Cæſare *Auguſto* in Citeriorem Rheni ripam translatis, denuo Gallias atque Hiſpanias ingreſſi ſunt, teſte *Conrado Peutingero* in *de inclinatione imperii & Epitome Sermonibus* ejus *Convivalibus* adjecto *p. m.* 85; ſive *Modigiſilus* a *Cranzio* dicitur, *Wandal. lib. 1. cap. 26.* ab illis, cum adhuc in Galliis ſubſiſterent, ex ſua gente Wandalica poſt necem *Croſci* ſ. *Corſici*, in Regem electus, qui tamen a Francis, quos antea Vandali inſtinctu Suevorum perpetuorum Francorum Hoſtium, armis aggreſſos in Germaniam redire compulerant, iterum in Gallia magna clade devictus, ac cum viginti millibus ſuorum (Vandalorum) oppreſſus fuit, qua clade accepta, de tranſitu Pirenæorum Montium Vandali deliberarunt, cum neque in Gallia, cum Francis, Gothis & Romanis ſemper pugnare deberent, ibi diutius ſubſiſtere pertæſi, data opportuna occaſione, cum commilitiis ſuis Suevis & Alanis emigrarunt, & vacuefactis faucibus montium per mutuas cædes cuſtodum, Hiſpanias petiere, ibique per annos fere XXX. conſtiterunt, & poſtquam omnia in Palentinis, quæ prima eſt ſub Pirenæis Hiſpaniarum Regio, abraſerant, Aſturgam urbem occuparunt, Toletum autem & Uliſipponem præclaras urbes, occupare haud valuere, ſed circa Toletum agros vicosque in ea regione ſc. Novæ Caſtiliæ Regno, vaſtantes, pacta item & accepta a Civibus Uliſſiponenſibus ingenti pecunia abierunt, teſte eod. *Crantzio l. c.* Quartam autem partem Romani inhabitarunt, qui tamen non longe poſt a *Clodovæo* Rege Francorum hinc expulſi ſunt, uti hoc pluribus enarrat *Gundlingius in MSS. ſæpius cit. Period. I. a th. 139. ad 142.*) Quidam autem Weſt-Gothorum poſtea ſupra Pyrenæos montes in Hiſpaniam ſe contulerunt, ibique Regnum Viſi-Gothicum fundarunt ac Suevos & Vandalos exſtirparunt, unde origo omnium Principum Hiſpaniæ venit. *Burgundionum* autem altera Vandalorum Pars ſeu Cohors, quæ diu in Burgis ad Rhenum conſederat, atque a Burgis ſ. caſtris, quæ omnium primum condiderat, nomen *Burgundionum* acceperat, teſte *Oroſio*, ex Italia iterum reverſi in Galliam, ab Imperatore *Honorio*, partem terræ inter Sequanam & Rhodanum, Partem Provinciæ, Ducatum & Comitatum Burgundiæ &c. ſibi occuparunt, ac apud Heduos, Lingones, Veſontios ſedes ſibi firmas delegerunt, nobileque diu *Regnum Burgundiæ* in Galliis fundarunt. *Alaricus* autem iſte precibus Cæſaris *Honorii* ex Italia, tam a ſe, quam ſociis ſuis Herulis ſatis devaſtata abire perſuaſus, in via *Saulum* Hebræum Ducem copiarum contra ſe a *Stilicone* miſſum, ſuumque abitum manu ſua inhibere conantem invenit, eum profligavit. Unde ferocior factus, revertit, ac urbem Romam gentium victricem, occupavit, ejus tamen Templa jam Chriſtianæ Religioni dicata, inviolata ſervans, anno poſtquam condita eſt centeſimo ſexageſimo quarto ſupra milleſimum, Chriſtianæ vero ſalutis CCCCXII. Kal. Aprilis diripuit atque incendit, & poſt tertium (aliis ſextum) diem onuſtus præda eam dimittens *Gallam Placidam*, Cæſaris *Theodoſii* I. & *Flatillæ* Auguſtæ Filiam ſecum captivam ducens in Foro Corne-

Madigiſilus ſ. Wedegeſilus, Rex Vandalorum in Galliæ Burgundia II.

Cornelii (hodie Urbe Immola) *Ataulpho* (seu *Adolpho Eitelwolff*) propinquo suo (Regi postea Hispaniæ III. copulavit. Campaniam, Lucaniam & Brutiam devastavit, Consentiæ demum in fata concessit anno eod. 412. Cujus corpus, ne refossum dilaniaretur, accolæ in Alveo fluminis Busenti sepulchro condiderunt. Ita *Conradus Peutingerus* de *inclinatione Romani Imperii & præcipue Germanorum commigratione*, statim ab initio. Interim de *Alarici* seu *Athalarici* ex celeberrima *Gryphonum* sive *Balthorum Familia* (ex quo illustri genere *Pomeraniæ* olim *Duces* etiam suam Originem habuere) orti, Regis West-Gothorum tunc susceptа expeditione etiam evolvi potest *Chronicon Germanicum Mecklenburg. Andreæ Mylii Cap. 1. §. 13.* Annalibus his in fine adnexum. De *Radagasto* autem seu *Rhadagaso* idem Auctor l. c. legatur. *Cranzius* idem *Wandal. Lib. 1. Cap. 23.* Conf. omnino Celeberr. D. *Masius in schediasmate Antiquitatum Mecklenburgensium Cap. III. §. 4.* per tot. & omnes ibi citati Auctores. Tantum adhuc in Auctore nostro mendum in Chronologia gravissimum notabo; Annum illum, quo vita excessit, vel in prælio cecidit, vel a Romanis trucidatus fuit noster *Rhadagasus* (nam de interitu ejus etiam diversa scribunt Aa.) non fuisse quadringentesimum post Chr. N. sed quadringentesimum quintum; ab Urbe item Roma non millesimum centesimum, sed quinquagesimum sextum supra millesimum centesimum, & ab Orbe condito trecentesimum quinquagesimum quartum supra quater millesimum annum, id quod ex accurata temporum computatione adparet, quemadmodum etiam illud, quod ipse non septem ac decem tantum sed XXXV. fere annos regnaverit. Verior autem sententia de morte ejus teste etiam *Bucelino* hæc est: Ipsum a *Stilicone* *Honorii* Cæsaris Tutore ac postea Socero in montibus Vesulanis captum & interemtum esse A Chr. 405. *Stemmatogr. Part. I. pag. 68. Joh. Ludov. Gottfridi Chron. Histor. Part. V. p. 407.* edit. in Fol. ex *Sozom. Libr. VIII. cap. 25.* Uxorem autem *Rhadagasus* habuit *Cellam* vel *Celiam*, Regis Pannoniæ aut Ungariæ Filiam. Conf. Auctorem *Annalium Lib. III. C. XVI.* Filius *Rhadagasi Corsico*, cujus Auctor Cap. XV. mentionem injicit, qui & *Crosсus*, *Carocus* & *Crocus* a scriptoribus dicitur, Princeps fuit ferociſſimus, qui truculentissimo modo, ut Auctor noster & alii enarrant, mortem Patris ultus est. Rex fuit in Vandalis Burgundionibus, quum Gothi jam relicta Italia Gallias vastarent, & Franci Germani, jam transito Rheno in Galliis erant. Ea cum comperta haberent Vandali, jam Burgorum suorum ad Rhenum mansionibus non contenti, & ipsi agmine facto Rhenum transierunt. Pugnatorum erant trecenta millia, nam & Svevi & Alani illis se agminibus junxerant, qui ubi in Galliis ante se Francos reperierunt, instigantibus Svevis (quorum erat ad Francos perpetuum dissidium) dictos Francos aggressi armis in Germanias tunc redire compulerunt, verba sunt *Cranzii l.c. cap. 25.* Vandali autem cæteri, Fratribus jam ad quietem (sc. in Gallia, ubi nunc Regnum Burgundiæ) redactis (innumera enim fere Emigrantium erat multitudo, in distinctas Partes seu Cohortes divisa) Duce *Crosco* s. *Corsicone*, Gallias pervagati, multas urbes, plures Ecclesias subvertunt. Dum tamen incaute Rex ipse excurrit apud Arelatum, (Regni postea Burgundiæ caput) a *Martiano*, loci pro Romanis Præside, captus & per victas spoliatasque a se urbes ignominiose tractus, ad mortem usque excruciatur, teste iterum eod. *Cranzio l. c.* Conjugem habuit *Floram* ex Urbe Atrebatio Comitatus Artesiæ ortam, quam alii Piccardiæ Principis Filiam fuisse scribunt. Annus, quo *Corsico* necatus fuit, in dubio apud scriptores manet, illum namque secundum auctorem nostrum, quadraginta quinque annos regnasse, sicque anno Chr. 450. vitam suam ignominiose clausisse, remporum series contradicit; Multo enim probabilius est, illum anno Chr. 411. quorundam aliorum scriptorum testimonio infelicem animam suam efflasse.

Corsico, Rex Vandalorum in Gallia Burgundia I.

Cap. XVII. *Fredebaldus* seu *Friedwald Corsici* Filius describitur, cujus Conjux *Themiorna*, a quibusdam Gothorum Regis, ab aliis Polonorum Regis Filia, ab aliis autem cum Auctore nostro, Scythica venditatur. Fratrem *Fredebaldus* habuit *Gegidiscum*, *Gandigisilum* seu *Goidiscum*, *Gösche*, *Göschre- oder Gössliche*, quem Regnum Granatæ anno post Christum natum 413 occupasse, statimque anno II. Regiminis sui mortuum fuisse, scribunt. *Fredebaldus* autem sub Imperatore *Henrico* captus, ac, donec vixit, exulavit, teste Auctore nostro *Lib. III. Cap. XIIX.* An vero anno Regni sui XXXIX. demortuus, ut Auctor noster scribit, valde dubito, certum tamen est eum *Honorium* Imperatorem non diu supervixisse, qui anno 423 p. Ch. N. obiit.

Fredebaldus, Rex Vandalorum in Burgundia III.

Gedisсus Rex Vandalorum in Hispania I.

Cap. XVII. & Cap. XIX. Lib. III. *Gundericus* seu *Gunderich* ab Auctore nostro describitur. Hunc, quem *Fredebaldi* Auctor noster, Anonymus autem Tabularum Genealogicarum Ducum Megapolit. *Gogidisci* Filium, *Modigisili* Regis Vandalorum in Burgundia (quo de supra ad Cap. XIV Auctoris dixi) Filium fuisse iterum scribit *Cranzius l. c. cap. 27.* qui post Patrem jam rebus in Hispania pacatioribus, regnavit, Regnoque annis totidem sedecim præfuit: iis etenim temporibus Vandali præda locupletati, pacatis jam rebus, ut aliquando, sicuti Fratres ejus in Burgundia & jam Francos & Gothos in Galliis fecisse audiverant, cum Liberis & Conjugibus sedes haberent certas & quietas, Hispanias, Romano Imperio pene liberas, inter se sortiri cœperunt, provenitque Vandalis *Betica*, uberrima ac ditissima Provincia, nunc *Granata* dicta, Alanis & Sucvis inter se *Lusitaniam* partientibus: sed Alani paucos post annos, annitentibus Wisi Gothis in eadem Provincia manentibus a Romanis Duce *Constantio*, Imperatoris *Honorii* Sororio, sunt exterminati. Vandali autem cum Suevis exemplum Wisi-Gothorum secuti, pacem ab *Honorio* Imperatore postularunt & facile etiam impetrarunt, quod dicerent, se inter alterutrum digladiaturos, Roma-

Gundericus Rex Vandalorum in Hispania II.

no tamen imperio obsequuturos, in quamcunque Regionem vocarentur. Ita factum est, ut Vandali in *Betica*, opulentissima regione, diu quieti consisterent, teste eodem *Cranzio l. c.* qui & *Gunderici* exitum sic describit. Quum capta Hispali, vulgo *Sevilla* præclara civitate Beticæ Regionis seu *Andalusiæ*, olim *Vandalitiæ*, a Vandalis nostris inhabitatoribus ita dicta impie manus in Ecclesiam mitteret, mox DEI judicio a Dæmone correptus interiit. Frater autem *Gensericus*, exemplo illius territus, modestior imprimis apparuit; sed procursu temporum alius est inventus, nam diutissime regnavit. Conjugem ille habuit *Elisam* Regis Granatensis Filiam, qui inter Herulos regnavit annos XXXIX, dein & Hispaniam sibi subjugavit, ibique regnavit annos fere XIV. Interiit autem anno post Christum natum circiter 425. aut secundum alios 429.

Gensericus Rex Vandalorum in Africa I.

Venio ad Cap. XIIX. ubi Auctores diversimode inter se de *Genserico* german. *Genserich* sentiunt, utpote quem Auctor noster, cum *Solino*, *Bucelino*, *Mylio* & aliis, Filium *Gunderici* facit, alii vero ejus Fratrem fuisse adfirmant. Hic Vandalorum ac Hispaniæ Rex potentissimus æque ac insolentissimus, qui præter Regnum Hispaniæ, quod capta urbe Carthagine simul cum *Vallia* natione Gotho, legitimo Hispaniarum Rege ordine IV. ex interpositione *Honorii* Impetatoris tenuit, cum quinquaginta millibus suorum in Africam transfretavit, atque *Bonifacio* Gubernatori *Valentiniani* III. Imperatoris in Africa adversus, inimicos, cum suis opem tulit, ac Mauritaniam occupavit, quæ nunc Barbaria dicitur, ibique tandem Regnum Vandaliæ Primus introduxit, id quod factum est anno 439. Scilicet *Bonifacius* Dux & Gubernator Africæ Imperatoris Romani *Valentiniani* III. ab *Ætio* Commilitone suo, ac altero Cæsaris Duce in aula vivente, diffamatur coram Cæsare perfidiæ, ac propterea a Cæsare insons bello invasus, cum suis jam viribus diffideret, invitavit ad societatem belli Regem nostrum Vandalorum *Gensericum*, optionem illi permittens, sive velit stipendiis militare, sive Regionis prædam sumat in præmium, sive urbium partem in possessionem. Hic auditis magnis militiæ præmiis, tam grandia militæ Stipendia contemnere haud potuit, perpendens simul Gothorum, quam in Betica & reliqua Hispania cum suis perpeti debebat quotidianas pressuras, qui pro antiquitate & magnitudine rerum gestarum invidebant Vandalis velut novæ Genti opulentam Regionem, ideo etiam ipsis arma inferre pro Betica parabant: Hancob causam *Gensericus* facile *Bonifacii* conditiones amplexus in Africam emigrare, cum tota sua gente disponebat. Itaque ex computatione *Eusebii*, anno post natum Ch. CCCCXXX. Rex *Gensericus* & tota ejus subjectio potissimum ex Alanis cum Uxoribus & Liberis & omni Familia, cum locupleti & omnigeni præda rerum, quam per multos annos ex Romanis Provinciis, ex Hispania, ex Galliis comportassent, in Africam trajecit, cujus sic vacuefactum Regnum Bethiæ Wisi-Gothi statim iterum occuparunt, quibus se Alani et Suevi suis etiam sedibus a Romanis Ducibus expulsi se in Bethia tunc associarunt, unde conflatum genus Catalanum ex Alanis & Suevis *Blondus* arbitratur. Cranzius l. c. cap. 31. & 32. qui & ibi etiam de *Genserico*, quomodo in Africam veniens, promissis urbibus & agris a *Bonifacio*, non contentus, late vicina populatus, ac post abitum Ducis *Cæsaris Sisulphi*, Carthaginem urbem, ac postea Hipponeam etiam civitatem occupaverit, totamque Africam sibi subjugans, Regnum ibi Vandalicum fundaverit, Siculam quoque occupare voluerit, pluribus enarrat. Anno autem 430. rectius 431. Urbem *Hipponam* hodie *Bonam* in Africa, *Gensericus* Rex obsidione cinxit, cui S. *Aurelius Augustinus* Episcopus præerat, (qui tertio post obsidionem mense ægrotare cœpit, septimo autem obsidionis mense, quod seriis precibus per triduum jejunans a DEO exoraverat, ne se adhuc vivente urbs occupetur, die 28. Augusti ætatis LXXVI. anno Episcopatus XL. pie ac placide obiit) & ipsam urbem deinde anno circiter 432. aut secundum alios 433. occupavit. Anno 455. (non autem 456. aut 459. ut *Mylius in Chron.* scribit) post mortem Imperatoris *Valentiniani* III. a Senatore Romano *Anicio Maximo*, cujus pulchram & castam Uxorem Imperator per vim stupraverat anno 455. necati, commotus precibus & donis Imperaticis *Eudociæ* vel *Eudoxiæ* ex *Theodosio* II. Imperatore Orientali Constantinopolitano ejusque Conjuge *Eudocia* vel *Eudoxia* Philosophi *Leontii* Filia, natæ, quam invitam *Maximus* iterum Conjugem duxerat, hincque propterea Imperatoriam Majestatem seu Regnum adfectarat, valdissima manu sc. ex trecentis millibus hominum ex Vandalis, Mauris & Numidis, ut habet *Cranzius l. c. cap.* 33, instructus, cum classe sua navali anno 456. in Italiam trajecit, ac primum Ostiam delatus, recta Romam properavit, eamque cum Cives ex improviso oppressi Urbem reliquerant, ab inermi & invalida plebe adhuc inhabitatam invenit, & die 12. Julii cum suis ingressus est, quamvis autem a cæde & incendio abstinuerat, urbs tamen direptioni suorum fuit relicta, quam per totos tredecim dies depopulatus est nec sacris etiam tunc ædibus seu Templis pepercit Tyrannus, sed omnem pecuniam sacram ac ornatum, quin etiam ea vasa ac sacra instrumenta Judæorum, quæ ex capta Urbe Jerosolyma olim secum huc deduxerat *Titus Vespasianus* Cæsar, ex illis abstulit, ac una cum Imperatrice *Eudoxia* sua deinde Conjuge, & duabus Filiabus *Placidia* & *Eudoxia*, multisque Incolarum millibus secum in Africam abduxit. *Maximus* autem ille Tyrannus, qui per LXXVII. dies nomen Cæsaris injuste gesserat, in fuga, alii in pærlio dicunt, ab ipsis Romanis militibus captus, lapidibus obrutus, ejusque corpus postea in partes discissum, ac *Genserici* mandato in Tyberim abjectum fuit. Præterea etiam *Gensericus* antequam ad Imperatoriam dignitatem eveheretur, in Africa prælio captum tenuerat *Martianum* hominem quidem novum, sed post mortem *Theodosii Jun.* in Orientali Imperio ejus successorem atque

atque ex Sorore *Pulcheria* quoque Affinem; quem cum Aquila aliquando alis ſuis, quaſi caput ejus involvens ſolisque ardorem ab eo declinans, obtegeret, hac conditione a ſe liberum dimiſerat, ut ad Imperium olim evectus contra Vandalos nunquam bellaret; id quod & ſervavit, unde quoque poſtea Symboli loco uſus ſemper fuit: *Dum in pace vivere licet, non decet Imperatorem arma ſumere.* Poſt ea *Genſericus* a *Martiani* ſucceſſore *Leone* M. Imperatore anno 467. ope *Marcellini* Militiæ præfecti, Inſulam Sardiniæ bello amiſit, *Garcellinus* autem poſtea in Siciliam abnavigans, proditione fuit necatus. Tandem hic ſæviſſimus Tyrannus ac Arrianorum hæreſi addictus Rex potentiſſimus *Genſericus* mortuus eſt poſt Chr. N. 478. anno Herulorum Imperii XII. poſt captam autem Carthaginem & Africam XXXIX. totiusque regiminis LII, *Cranzius l. c. cap.* 36. Regno ſuo per annos XLVIII. tantum, multa tamen cum laude, excepto quod religione Arrianus, male habuerit Catholicos non tam Regis quam Doctorum cauſa, præfuiſſe, ac moriens Filiis ante per multa inſtructis Regnum reliquiſſe *Genſericum* florentiſſimum ſcribit.) relictis Filiis, *Genzone*, *Honorico*, *Hunrich* ſeu *Henrich* & *Viſilao II*, non autem *Traſimundo*, ut Auctor noſter habet, qui potius ejus ex Filio *Honorifico* ſ. *Honorico* Nepos fuit, de quo poſtea dicam. *Genſerici* autem Frater, *Gundamundus*, *Gutmund* Vandalorum in Germania Princeps domi manſit quietus, ac cœlebs in juventute obiit. Meminit quoque *Genſerici* Auctor noſter infra *Lib.* III. *cap. XX.* ubi *de Vandolorum in Hiſpania & Africa Regibus* agit.

Viſilaus III. Rex Herulorum XV.

Cap. XIX. Auctor noſter *Viſilaum* III. *Witzlaff oder Witzeln* Regis *Genſerici* Filium natu minimum deſcribit, qui relicto a Patre Herulorum ac Vandalorum Regno, (quod juxta mare Balticum in terra nunc Megapoli appellata, ſitum erat) Rex ordine XV. cum laude præfuit. Regnum paternum accepit anno CCCCLXX. & poſt XVI. Regiminis annos vitam finiit anno Chriſti 486.

Honoricus, Vandalorum in Africa Rex II.

Filius alter *Genſerici*, qui Parenti in Africa II. Rex Vandalorum ſucceſſit, & cujus *Cap. XXI. lib.* III. *Annal.* mentionem injicit Auctor noſter *Honorificus*, *Honoricus*, *Hunerich* ſeu *Henrich* fuit. Arrianus, ſæviſſimus in Orthodoxos Tyrannus, ab initio quidem tam Arrianis, quam Orthodoxis liberum Religionis exercitium concedens, poſtea tamen Epiſcoporum Arrianorum inſtinctu Vandalis ſuis Templa orthodoxorum frequentanda interdixit, omnesque Arrianorum Hæreſi adverſos ex Aula ſua expulit, ac ultra quinque millia innocentium hominum in exilium egit, qui fere omnes fame perierunt, eorum virgines ac mulieres nudatas ſuſpendio necare ac concremare, multosque illorum oculis, naſo, auribus ac linguis, manibus item ac pedibus privare juſſit. Quam graviſſimam perſequutionem acris annonæ egeſtas dein ſequuta eſt, quæ magnum numerum pecudum & Hominum abripuit. Ipſe autem Tyrannus truculentiſſimus *Hunnericus* internam corporis putredinem accepit, ex qua vermes enati, quibus ita excruciatus fuit, ut ex immenſo dolore in rabiem versus, artus proprios dentibus demorderit, ſicque miſere phthiriaſi perierit, poſtquam annos VII, (VIII. annos *Honoricum* poſt Patrem Regno præfuiſſe Vandalorum in Africa, *Cranzius* ſcribit *l. c. cap.37.*) & decem menſes immani ſempermodo Imperium ſuum geſſiſſet, anno poſt Chr. N. 485. Duas *Honoricus* habuit Conjuges, unam *Amalefredam* ſ. *Amalfrede*, Regis Oſt-Gothiæ *Theodomiri* ſeu *Dittmers* vel *Theutemeyers* Filiam, Sororem Theodorici ſeu Dietrichs *von Bern*, e Gothlandia orti, qui Patri in regimine ſucceſſerat, teſte *Jornande de Bello Gothiæ p. 116.* Altera conjux quam Bigamus duxit, fuit *Eudoxia* Imperatoris *Valentiniani* III. Filia, a Patre *Genſerico*, una cum Matre ejus ejusdem nominis (uti paulo ante dictum) captiva in Africam abducta. *Hunerico* in Regno Vandalico in Africa plantato, ſucceſſit in *Cap.* XXII. *Lib.* III. *Annal.* ab Auctore adductus *Guntamundus* Rex III. Regis *Genſerici* ex *Genzone* ſ. *Guuzone* Principe Vandalorum natu maximi Filio ante ipſum demortuo nepos. Hic Carthaginem regiam ſedem ſibi delegerat, quem in pace, quoad vixit, cum vicinis Regibus, Gothis præſertim & Francis, quorum potentiam maxime timebat, vixiſſe Auctores rerum Vandalicarum teſtantur. Meliorem autem eum ſenſu quam Parentes fuiſſe, ita ut *Eugenium* Carthaginenſem Archiepiſcopum ab exilio revocaverit, & ejus conſilio Eccleſias diu clauſas reſeraverit, ac Epiſcopos Catholicos ab exilio redire juſſerit, *Cranzius Lib. citat. Cap. 38.* teſtatur. Regnaſſe autem *Guntamundum* ſaltem XI. annos, menſes decem, (IX vix annis Regnum adminiſtraſſe *Cranzius* vult) Auctores potiores ac præſertim *Iſiodorus in Chron Goth.* adfirmant. De Filiis ejus, quos Auctor noſter *Honorificum* & *Childericum* vel *Illyrim* vocat, nihil ſcriptores adnotarunt. Rex *Guntamundus* enim extra Conjugium ſine liberis demortuus eſt anno poſt Chr. N. 496.

Guntamundus Vandalorum in Africa Rex III.

Mitto ab Auctore noſtro *Cap. ſeq. XXIII.* deſcriptum *Honorificum*, fictum *Guntamundi* Filium, utpote de quo *Auctores* omnes *Rerum Vandal. & Goth.* tacent; potius ad *Guntamundi* Fratrem ab Auctore Cap. XXIV. adductum *Thraſimundum* ſeu *Trotzmund* Regem Vandalorum IV. accedo, qui ex Auct. omnium unanimi conſenſu Fratri ſuo in regimine Africano anno circiter 496. demortuo, ſucceſſit. Hic ad annum uſque Chriſti 503. in primo Imperii ſui ſeptennio Orthodoxis Chriſtianis ſeu Homouſianis pacate vivere conceſſit; poſtea vero perſequutionem graviſſimam ob Arianiſmum, cui addictus erat, in Eccleſia excitavit, dum doctiſſimum Epiſcopum *Fulgentium*, virum ſermone, fide & vita præcipuum, qui ad illum litteras miſerat, una cum LXX. aliis Epiſcopis Orthodoxis ex Africa in Inſulam Sardiniam in exilium miſit. Tanto autem fervore *Cranzio teſte l. c. cap. 39.* infectatus eſt Catholicos, ut etiam poſt ſe diſponere curarit, ne invaleſcerent. Nam moriturus vocatum ad ſe Filium juramento conſtrinxit, ne unquam Catholicis favorem impenderet,

Thraſimundus Vandalorum in Africa Rex IV.

ſed Patrum ſuorum Religionem, quam ille juſtam & veram putaret, magnifice, quod in ſe dicciſſet, tueretur. Anno ſui Regiminis XXVI. a Mauris in Africa bello petitus, ac in prælio cum illis habito devictus eſt, ex quo hinc domum aufugit, ibique paulo poſt partim ex ira, partim etiam mœrore obiit anno poſt Chr. N. 522. cum in annum usque XXVII. (XXVI. vult *Cranzius*) regnaſſet. Conjugem habuit non *Eudoxiam*, Imperatoris *Valentiniani* relictam, ut *Cranzius l. c.* ſcribit, ſed *Amalefridam* Regis Oſt-Gothiæ in Italia *Theodorici a Bern* ſororem Patrui ſui Regis *Hunnerici* viduam, ex qua unicam filiam produxit, *Amalaburgam*, *Amelbergam* ſeu *Himmelburg*, poſtea Regi Thuringiæ *Hermanfried* ab Oſt-Gothiæ Rege *Diederico* in matrimonium datam.

Hildericus Vandalorum in Africa Rex V.

Poſt *Thraſimundum* anno 522. Rex Vandalorum in Africa V. iterum ſucceſſit *Childericus* ſeu *Illyris*, qui & *Hildericus* ſ. *Hildiris* dicitur, perperam ab Auctore noſtro *Cap. XXV. Libr.* III. *Guntamundi* Filius dictus; qui rectius Regis *Honorici* ſeu *Gunnerici* ex *Eudoxia* Imperatoris *Valentiniani* III. Filia, minime vero *Thraſimundi* Filius fuit. Hic per VII. annos in ſumma tranquillitate ac pace regnavit, & Chriſtiani ejus ſub regimine pacifice vitam egerunt, cum & ipſe *Hildericus* (*Audericus* etiam a quibusdam dictus) verbis Auctoris noſtri, cui & reliqui ſubſcribunt, vir clementia ſingulari & pietate eximia fuerit, qui *Cranzio* teſte, Catholicos Epiſcopos ab exilio revocavit, Eccleſias dudum a Patre claudi juſſas iterum aperuit, ac pacem Catholicis reddidit, idque poſt annos LXXIV. ex quo *Genſericus* Proavus ejus turbare cœperat Eccleſias. Sed eadem nunc fortuna in optimo Rege, quæ pridem erat; non enim paſſus eſt

Gilimerus Vandalorum in Africa Rex VI. & ultimus.

hunc diu regnare inſidiator regni *Geliſmerus*, quem vocant alii *Gildicuerum*, qui *Hildericus* ob hanc ſuam pietatem ſingularem propterea etiam huic Fratri ſuo *Gilimero*, *Godinero*, *Geliſmer* aut *Wilmer* dicto, quem alii Patrui ſui *Genzonis* Filium faciunt, valde exoſus fuit, octo namque vix totis annis præerat *Hildericus*, quum a *Geliſmero* truncatus perderetur, ut ſcriptor Hiſtoricus *Cranzius cap. 40.* l. c. affirmat, aut ſecundum alios, *Geliſmerus* ille Tyrannus impius ac ſævus, eumque ſub initium anni 530. regno privavit, ac cum Familia captum tenuit, pro cujus quidem liberatione bis intercedebat Imperator *Juſtinianus*. & ut illum Conſtantinopolim cum ſuis, ubi honeſte ſuſtentare eum vellet, dimittat, abs *Gilimero* expetiit, ſed fruſtra; ita ut *Gilimerus* potius *Hildericum* occœcare atque arctiori carcere includere juſſerit. Unde tandem juſta ira accenſus Imperator *Juſtinianus* ſummum copiarum præfectum *Beliſarium* adverſus *Gilimerum* cum magna militum copia miſit, qui primum Inſulam Sardiniam ac Urbem Tripolim in Africa ſub poteſtatem Cæſaris redegit, dein pugna Tyrannum vicit, ut in Regnum usque Fezzæ aufugerit; *Beliſarius* interim Regni ejus ſedem Carthaginem poſt annum nonageſimum quintum a prima Vandalorum per *Genſericum* Regem occupatione, iterum Imperatori ſuo ſubjecit, & quidem *Cranzio l. c. cap. 41.* teſte, per inſidias. Nam plauſtro ruſtico aliena ſpecie milites texit, ſicque invectos, nomine quicquam ſuſpicante, juſſit Portam introducendis copiis obſervari; Ille cum agmine non aberat longe. Proceſſere feliciter inſidiæ, nihil magnum verito Rege Vandalorum. Adjuvit tamen partes *Beliſarii* vehementer, quod pro ſua crudelitate cunctis inviſus eſſet Rex iſte, omnibus ſub quovis quam ſub illo degere cupientibus. Tandem poſt tres menſes peractos, cum *Gilimerus*, profugus ille Vandalorum in Africa Rex VI. & ultimus, in montibus ob victus penuriam non amplius ſubſiſtere valeret, militum Cæſareanorum Præfecto *Beliſario* ſe dedidit, qui illum catenis argenteis vinctum, una cum præda admodum pretioſa & vaſis ſacris a *Tito* capta Urbe Jeroſolyma Romam olim deductis, a *Genſerico* autem capta Roma ſecum in Africam ablatis, atque ab Imperatore *Juſtiniano* poſtea Jeroſolymam iterum transmiſſis, ſecum Byzantium in Triumphum abduxit, ſicque Imperatori publice in Throno Cæſareo inaurato ac Cæſarea Majeſtate ſedenti obtulit: unde *Gilimer* in utraque fortunæ facie infracto perſiſtens animo, fortunæ, in imperio ſuo nondum quinquennali, leviſſimæ inconſtantiam, coram ipſo JUSTINIANO Imperatore, in ipſo Byzantino triumpho modeſto & decenti riſu excepit, liberaque ac generoſo Rege digna voce cum Eccleſiaſte clamavit: Vanitas Vanitatum, & omnia Vanitas, proprioque & vere inſigni exemplo, in hoc iniquioris fortunæ inſultu declaravit: Nullam eſſe in Coronis etiam Regum & Principum gemmam, quæ ſudor non ſit; nullum Rubinum, qui non ſit ſanguis; nullum Adamantem, qui non ſit quodam modo terebra. Quo *Gilimeri* ſermone ipſe quoque Imperator *Juſtinianus* commotus, *Gilimerum* honeſte tractavit, atque pro illius commoda ſuſtentatione quædam prædia in Thracia fruenda conceſſit. Facta hæc ſunt anno poſt Chr. N. 534. anno quinto *Gilimeri* uſurpati regiminis, in quo Regnum Vandalorum, quod *Genſericus* Avus ejus anno 439. in Africa primum fundaverat, ſicque per nonaginta quinque annos ibi floruerat, una cum eo defecit. Ipſo Imperatore teſte, *l. 1 princ. c. de Off. præf. præt. Africæ* &c. Revertor itaque a Regibus Vandalorum in Hiſpania & Africa viventibus, cum Auctore noſtro *Lib.* I. *Annal.* iterum ad Reges Herulorum ac Vandalorum in Terris avitis (hodie Mecklenburgico Ducatu) relictos, ad *Viſilai* ſc. Herulorum ac Vandalorum Regis XV. Filium in regno patrio ſucceſſorem, qui fuit *Alaricus* ſeu *Ulrich* II. Herulorum, Venedorum ac Obotritarum ad mare Balthicum habitantium Rex XVI. Hic *Alaricus* hujus nominis II. non autem III. uti eum nominavit Auctor noſter Cap. XX. Conjugem habuit *Theodoram*, Regis Burgundiorum ex Familia etiam Vandalica, uti ſupra jam oſtenſum, ortroum, Filiam, qui, poſtquam annos XXI. regnaſſet, morruus eſt anno poſt Chr. N. IↃVII.

Alaricus Ulrich II. Rex Herulorum XVI.

Cap.

Albericus ſ. Albertus II. Herulorum Rex XVII.

Cap. XXI. Auctor noſter *Alarici* Filium, *Albericum* ſeu *Albertum* germ. *Albrecht* II. nomine deſcribit, qui cum Conjuge ſua *Syriſſa* Sarmatarum ſ. Polonorum Regis Filia, Poloniæ poſtea Regnum hæreditario jure accepit, atque ad Poſteros ſuos, in quartam usque progeniem tranſtulit. Regnavit tantum annos XIX. ac mortuus Anno 526.

Johannes, Herulorum Rex XVIII.

Sequitur Cap. XXII. *Alberti* Filius *Johannes*, Herulorum, Vandalorum & Polonorum etiam Rex XVIII, ſub cujus præſertim regimine, cum Terræ hujus veteres incolæ quaſi indigenæ Vandali partim in Germaniam ſuperiorem, Galliam ejusque in primis Provinciam Burgundiam, Hiſpaniam quoque ac Africam Seculo hoc V. demigrabant; Heneti tunc & Slavi, Wenedi, *die Wenden*, gens Sarmatica & Scythica, eorum terram ad mare Balthicum, uti jam ſupra dictum, a populis fere deſertam, iterum occuparunt, unde etiam eorum Reges ac Principes Titulum ſuum mutantes, ſe Reges poſtea Venedorum ſeu Henetorum ac Obotritorum in Litteris ſuis & mandatis ſcripſerunt. Conjux autem noſtri *Johannis* Regis, fuit *Euphemia* Regis Norwegiæ Filia, cumque ille per XL. fere annos regnaſſet, anno tandem poſt Chr. N. 566. demortuus eſt.

Rhadagaſus II. Herulorum ac Obotritorum Rex XIX.

Cap. XXIV. Auctor recenſet *Rhadagaſum* II. qui præter Herulos ſeu Venedos ac Obotritas etiam Polonorum Rex fuit XIX. qui Regis Oſt-Gothorum in Granata aut Hiſpania Filiam *Gubertinam* ſeu *Ubertinam* conjugem habuit. Pervenit *Rhadagaſus*, ut videtur, ad ſummam Senectutem, obiit enim anno circiter 640. aut ultra.

Viſilaus IV. Herulorum & Obotritorum Rex XX.

Rhadagaſi Filius fuit *Viſilaus* ſeu *Witzlaff* IV. non II. uti Auctor Cap. XXIV. perperam eum vocat. Hic præter *Rhadagaſtum* Fratrem, (qui a Patre ſuo Rugiam regendam acceperat, Uxoremque habuit *Amoniam*, Weſt-Gothorum Regis *Gundomiri* anno 629. demortui Filiam) alios quoque habuit Fratres, quorum tamen nomina Auctores tacent, inter quos per Pacta Fraterna Pomeraniam a Terra Megapolitana tunc ſeparatam ac disjunctam fuiſſe ajunt. Sorores habuit unam *Haricam* Sarmatarum ſeu Polonorum Principi cuidam nuptam, alteram *Bertradam* Friſiorum Regi poſtea locatam. De Conjuge ejus variant Auctores. Quidam enim *Petruſſam*, *Oriberti* ſeu *Ariberti* II. vulgo *Horprechts* ſeu *Ehrenbert* Regis Lombardorum in Italia in fuga anno 721. aqua ſuffocati Filiam fuiſſe affirmant. Aſt longe gravior controverſia eſt de *Viſilai* ſucceſſore ejusque Filio *Aritberto* & *Bilungo*, quorum hunc *Viſilai* Filium; Illum in præſenti Capite *Viſilai* ex *Radagaſo* Patruelem; in ſubſequenti autem Cap. XXV. ejusdem Germanum nominat; quæ aperte ſibi contradictoria, quomodo recte explicari, ac ſalva veritate Hiſtorica inter ſe conciliari poterunt, non capio. In illo autem vel omnes, *Solinus* in Chronico Holſatiæ, *Bucelinus in Stemmatographia Part* I. *pag.* 68. *Auctor Anonymus in Genealogia Illuſtriſſimorum Ducum ac Principum Megapolitanorum* infra in calce Annalium a me ſimul adnexa, nec non Cl. Hiſtoricus noſtri Aevi *Hübnerus in Tabulis Genealog. Part.* I. *Tab.* 102. conveniunt, *Aritbertum* Filium *Viſilai* IV. minime autem Fratrem, nec ex Fratre *Radagaſto* Nepotem fuiſſe, *Billungum* contra *Aritberti* non *Viſilai* Filium exſtitiſſe citati Auctores etiam cum Cl. *Mylio in Chronico Germanico Ducum Megapolenſium* ſæpius adducto, atque in fine Annalium quoque adjecto, adfirmant. Sed hanc litem ego aliis dirimendam relinquo; *In rebus* namque *Hiſtoricis magnæ eſt ſtultitiæ pertinaciter adſerere, quæ ignores*, recte ſcribit celeberrimus ſuo tempore Hiſtoricus ac Botanicus *Carolus Cluſius in Deſcriptione Galliæ Belgicæ p. m.* 15. Mortuus eſt *Viſilaus* anno circiter 690.

Aritbertus I. Rex Herulorum ac Obotritorum XXI.

Pergo nunc ad Cap. XXV. Auctoris noſtri, in quo *Aritbertum* vel *Oritbertum* I. vulgo *Ehrenbert* recenſet; Hunc *Radagaſi* Filium & *Viſilai* Germanum fuiſſe ſcribit, quem tamen cum pluribus *Viſilai* Filium & *Rhadagaſi* Nepotem fuiſſe exiſtimo, quæ probabilior & verior ſententia eſt, etiam ob temporum vel Annorum computationem, ſi enim *Aritbertus* ab Auctore noſtro adductus ille ipſe fuiſſet, qui ſub *Carolo Magno* (Anno 810. ut *Mylius* in Chronico ſæpius cit. ſcribit, atque ab eo propterea in præmium ſororem ſuam *Beccam* ſ. *Bertham* in conjugem acceperit) militavit, a quo Uxoris ejus Sororem Reginam meruit, certe *Aritbertus* vitam ſuam ultra ducentos annos protraxiſſet, ac ultra centum & viginti annos regnaſſet, quod fidem omnem ſuperat. Dein etiam contra *Mylium* jam cit. nec non contra *Wolffgangum Lazium*, qui innumeras fere ſorores *Carolo M.* affinxit, notandum; Imperatorem *Carolum M.* unicam tantum habuiſſe ſororem non *Bertham* ac *Beccam* ſed *Gislam* dictam, quæ Filium habuit *Rolandum* illum ſat famoſiſſimum, Comitem littoris Britannici a *Carolo* M. Avunculo ſuo conſtitutum, in reditu belli illius contra Hiſpanos feliciter peracti, in ſummis Pyrenæi montis apicibus *Ronceval* dictis, anno 778. cum multis aliis celeberrimis Militiæ Præfectis per inſidias a Vaſconibus ſarcinas Militum invadentibus ac prædantibus ex ſecunda acie, cum ingenti Imperatoris mœrore ac dolore necatus fuit: Soror autem ipſius *Caroli* M. Ducis *Rolandi* Mater, ſequenti etiam anno ſc. 779. mortua eſt. Vid. omnino elegans *Diſſert.* celeb. *Thulemarii de ſororibus Caroli* M. Sciendum itaque *Mareſchalcum* noſtrum, & qui eum ſequuti ſunt, M. *Andream Mylium in Chron. Mecklenb.* ſub nomine *Caſparis Calovii Lipſiæ anno* 1599. edito, *Solinum*, *Bucelinum* & alios, graviſſimum hic errorem hiſtoricum commiſiſſe, dum omnes ab *Aritberti* I. Filiis *Aritberto* II. & *Billungo* I. deſcendentes Poſteros in ſextam usque progeniem, adducere neglexerint, ac omnino prætermiſerint, quam quidem lacunam ſat magnam hiſtoricam nunc quidem explere atque ex aliis reſarcire iterum conabor. *Aritbertus* itaque I. ſeu *Oritbertus*, *Viſilai* IV. Filius Patri in Regimine ſucceſſit, conjugem duxerat *Wundamam* Regis Sarmatarum aut Poloniæ Filiam, ex qua genuit *Aritbertum* II. & *Billungum* I. Moritur anno poſt Chr. N. 724.

Aritbertus II. Herulorum ac Obotritorum Rex XXII.

724. Quem in Regimine excepit Filius *Aritbertus* II, qui conjugii Sociam ſibi elegit Filiam *Alradi* ſeu *Alfredi* Regis Nordhumberlandiæ anno 705. demortui, Filiam, & fuiſſe illum *Aritbertum* credo, qui teſte Auctore noſtro Cap. XXV. ſub *Carolo* M. Imperatore militavit, a quo poſtea, mortua prima uxore, conjugis ſuæ IV^tæ *Faſtradæ* ſ. *Feſtradt* ſororem Regis Siciliæ Filiam, *Hildegardam* Reginam meruerit. Quanquam veritati vix conſentaneum eſt, quod *Carolus* ille M. tanquam Chriſtianiſſimus Imperator, tamen cœcum hunc Ethnicum tam arcto adfinitatis vinculo ſibi devinxerit, hincque etiam Celeb. *Hübnerus* in *Tabulis ſuis genealogicis* l. c. addit: *Ihre Schweſter (der Hildegardis) ſoll die Kayſerin Faſtrada geweſen ſeyn;* uti enim recte *Cranzius Metropol Lib. I. Cap. 13. pag. 12.* ſcribit: „ Wandali præſertim Obotriti, „ etſi fœdere juncti Francorum Regi *Carolo* eſ- „ ſent, tamen non ſunt paſſi audire verbum de „ nova Religione, & *Cap. 42.* ferocem hanc gentem divini verbi mentionem ne admiſiſſe quidem credit, ut non Pontificis (Archiepiſcopi Hamburgenſis I. ſ. *Anſgarii* anno 833. a *Ludovico Pio* Imperatore conſtituti) diſſimulatione, ſed omnimoda gentis contradictione omiſſam prædicationem pene certus putet. Illud tamen minime negari poterit, licet Tributarii fuerint *Carolo* M. omnes trans Albim ad mare Balthicum habitantes Heneti, Heruli, ſeu Venedi, Obotriti, Rugi, Suevi, Wilſi, Wagrii, Leidiſii, Tolenſi & alii, uno nomine ſub *Slavis* comprehenſi; attamen amici erant *Carolo*, quibus etiam partem Saxoniæ inferioris ad Albim, quam Saxones antea inhabitaverant, poſſidere ac cum tota inſimul Wagria incolendam conceſſit, & eorum omnium, in primis Obotritorum auxilio ſemper uſus eſt adverſus ſæpius rebellantes Saxones eo melius refrenandos, de quorum ipſis a *Carolo* trans Albim ſitis Saxonum olim terris inhabitandum conceſſis præter *Gundlingium Period. II. th. 35. & 36. Collegii MSS. über deſſen gedruckten Abriſs zu ſeiner Reichs-Hiſtorie*, etiam celeb. *Henricus Meibomius in Hiſtoria Bardevici p. 10.* paucis his verbis adnotavit: „ Abotritis *Karolus* eam Saxoniæ par- „ tem, quæ trans Albim eſt, inhabitandam de- „ derat, veteribus colonis in Franciam migrare „ juſſis. Quod autem minime hic prætereundem, *Aritbertus* noſter Herulorum ſeu Wendorum Obetritorum, Vandalorum ac Sarmatarum aut Polonorum Rex ille eſt, a cujus Deſcendentibus gradu XXIX. in linea æquali fœminea deſcendit hodierni Ducis Mecklenburgenſis Regentis *Caroli Leopoldi* Conjux, Duciſſa *Catharina*, nata Filia Magnæ Moſcoviæ Ducis *Ivani Alexiewizii* Regentis hodie Monarchæ ſ. Imperatricis Moſcoviæ Germana, ipſeque Conjux ejus Dux Regens *Carolus Leopoldus*, ex *Aritberti* noſtri Fratris *Bitungi* I. Venedorum & Obotritorum Reguli ſtirpe gradu etiam XXIX. Huic ſuæ conjugi cognatione conjunctus fuit; uti hoc indubitatis Hiſtoriæ argumentis probatum publice fecit B. nunc Dn. *Thomas* Gymnaſii Guſtrovienſis quondam Sub-Rector longe doctiſſimus ac meritiſſimus, in editis ſuis hac de re *Tabulis Genealogicis, & Demonſtrationibus* illis adjectis *hiſtoricis* nec non Dn. *Georgius Fridericus Stiebers*, *in ſeiner Hiſtoriſchen Unterſuchung des hohen Alterthums, Verwandſchafft und Urſprungs des Groſs-Cziriſchen und Durchl. Mecklenburgiſchen Hauſes.* Qui contrariam quidem fovit ſententiam, cui tamen longe ſolidioribus argumentis ex Hiſtoria Patria petitis ſe oppoſuit ac reſpondit ipſe B. *Dn. Thomas*. Cæterum de Morte, quando *Aritbertus* obierit, inter ſe variant Auctores. Quidam eum ſaltem per XXIII. annos Imperium tenuiſſe, ſicque anno poſt Chr. N. 747. e vita migraſſe ſcribunt; Auctor noſter annos XXXVI. eum regnaſſe, ſicque anno 760. vitam cum morte commutaſſe notat, cujus etiam ſententiæ fuit Cl. *Hübnerus* l. ſupra cit. *Daſs er nemlich um die Zeit regieret habe, da Carolus* M. *die Sachſen bekehret hat.* *Bucelinus* contra in *Stemmatographia* l. ſæpius cit. anno 789. demortuum eum fuiſſe ſcribit, ita ut ultra LXV. annos imperaverit, quæ quidem *Bucelini* ſententia ideo etiam aliis verior eſſe videtur, quod tempora *Caroli* M. ejusque Regiminis annos attingat, ſub quo tamen militaſſe noſtrum *Aritbertum* omnes uno ore affirmant. *Carolus* autem M. imperare cœpit anno 766. pervenitque ad annum 814. quo vitam cum ſceptro depoſuit; longe tamen probabilius eſt, *Aritbertum* durante adhuc bello *Caroli* M. cum Saxonibus anno jam 772. inchoatum, anno IV. ab imperio *Caroli* M. DCCLXXIII. animam ſuam efflaſſe, ſicque annos fere XLIX. regnaſſe.

Viſilaus V. Herulorum ac Obotritorum Rex XXIII.

Patri in Regimine Obotritorum ac Herulorum ſucceſſit aut cum Patre ſimul regnavit Filius ejus *Viſilaus* V. ſeu *Witzlaff*, qui ab *Eginhardo in vita Caroli* M. per transpoſitionem duarum litterarum l. & tz, *Wilza* dicitur, de cujus *Carolo* M. cum ſuis copiis auxilium ferentis ad locum *Liuni*, ubi nunc Cœnobium *Lüne* prope Lüneburgum cum Saxonibus habita pugna infelici & morte, ita *Henricus Meibomius in Hiſtor. Bardevici pag. 9.* „ Apud Abo- „ dritos (nonnulli Obodridos ſive Obotritos „ vocant) cum imperio tum temporis (intellige „ circa annum Chriſti 736.) erat *Wilzan*, qui „ Monacho Egolismenſi (Monachus Angohle- „ me in Cœnobio S. Eparchi) in vita *Caroli* M. „ eſt *Wiautzin*; Is militarat *Karolo* M. contra „ Wiltzos Sclavos (Pomeraniæ ſimul cum Wa- „ gris & Leidiſis incolis, qui & Welatabi vo- „ cantur, item Circipani h. e. Wolgaſtenſes, Sun- „ denſes, Deminenſes, Wilnacenſes, *Bangerto Not. ad Helmontium pag 11.* Maris autem Balthici accolas fuiſſe & ad Albim pertigiſſe ex *Eginhardo* & *Annal. Caroli* M. apparet) „ ab „ eo tempore in Sociis Regni Francici habitus. „ Cum autem commoverent ſe, qui verſus ſe- „ ptentrionem habitant Saxones, *Karolus* cum „ exercitu deſcendit Bardevicum, ſuosque fœ- „ deratos Abodritos cum copiis auxiliaribus „ adeſſe ſibi mandavit *Wilzan* Regulus e veſti- „ gio itineri ſe accingebat, comparatisque na- „ vigiis in eo erat, ut oppoſitum flumen Albis „ transmitteret. Saxones de molitionibus ad- „ ventuque hoſtis commonefacti, in utraque „ ripa

„ripa insidias instruxerant, quas ille a fronte pa-„riter & tergo videns, cum nec recedere, nec „progredi tuto posset, in ipso alveo fluminis „interemtus est. Injuriam tam atrocem, so-„cio & amico illatam *Karolus* acerbe ultus est, „cæsis in hostico pugnatorum MXXX. ut scri-„bit Monachus *Egolismensis*. Idem Locum, „ubi *Witzan* occubuit, vocat Luini, qui *An-„nalibus Fuldensibus* Liuni, *Regionni* Hiliuni: „estque sine dubio Lüne prope Lüneburgum, „ubi hodie illustre Cœnobium Monialium. „Cædes *Witzanis* incidit in annum DCCXCV. „(alii anno 784. factum esse volunt, Populos „namque illos e Slavicis Nationibus, Wilsos „anno DCCXXCIX. a *Carolo* una expeditio-ne fractos fuisse celeb. *Werlhofius specim. II. Notitiæ S. R. Imperü enucleatæ Lib. I. cap. II. th. 216.* testatur, immo *Cranzius Lib II. Metropol. Cap. 4. Carolum M.* anno Imperii ejus X. qui fuit An. p. C. N. 778. a Wilsis debellatum fuis-„se scribit) *Poëta Anonymus in vita Caroli M.* „Historiam hanc recitans Bardonwick, sic enim „scribit, ut supra etiam meminimus, nobilem „vicum indigitat. *Witzanis* nomen videtur a „lumine sumtum, nam *Emsero* teste, *Witz*, He-„neta lingua est *Lumen*. Hæc *Meibomius*.

Witzanem seu Witzlavum V. excipit Filius *Thrasico*, (*Annal. Fuldens. Caroli M.* & *Regino-ni* ad annum 809. *Trasico* dicitur) qui & *Thra-sco*, *Thrasich* oder *Dröseke* scribitur, Obotri-torum & Henetorum Regulus XXIV, fidissi-mus *Caroli M.* Socius & Confœderatus, (Obo-triti namque, sub quibus Mecklenburgenses & Suerinenses *Bangerto* ad *Helmontium* passim ve-niunt, constanter Francis, simulque *Carolo* M. adhæsere) cum populatus Wilsos, Smeldingis & aliis, qui ab eo desciverant, ad obsequium redactis, Danicis insidiis in urbe Rerich, vel Reich, obtruncatus periit anno DCCCIX. te-ste celeb. *Werlhofio l. c. th. 238.* Hujus frater *Godolaibus* seu *Gotzlaff*, Princeps Herulorum & Obotritorum, in bello illo, quod Rex Da-niæ *Godefridus* seu *Gottfried* teste iterum *Werl-hofio l. c. th. 235.* adversus *Carolum* M. ejusque Socios Obotritos, terris suis vicinos, adjutus, simul a Wilsis, Linonibus, & Smeldingis Sla-vicis Nationibus, qui a Francis & Obotritis desciverant anno 808. susceperat, inque hoc duas populi hujus partes sibi vectigales fece-rat, (ubi tamen & ipse multis damnis affectus fuit) a laudato Rege Daniæ in prælio captus, ac suspendio vitam finire coactus est anno ante Fratris Regis *Trasiconis* obtruncationem, sc. 808. *Trasiconi* deinde in regimine successit Rex Obotritorum & Henetorum XXV. *Schlaomir* Frater ejus Germanus, qui per XII. annos re-gnans, tandem obiit anno 821. innubus.

Thrasico Herulo-rum & Ob-otritorum Rex XXIV.

Schlaomir, Herulorum & Heneto-rum ac Ob-otritorum Rex XXV.

Quamdiu *Carolus M.* vixit, populi omnes Trans-Albini, *Slavi* communi nomine dicti, subjecti erant Imperatori & Imperio Romano-Germanico, cui & annuatim certum tributum conferebant. Inprimis autem, uti jam supra dixi, illorum pars nobilior, Obotriti & Heru-li, Amici semper Francorum & *Caroli M.* ac fidissimi ejusdem in bellis variis cum Saxoni-bus præsertim, sæpius rebellantibus, suis vicinis, habitis, socii erant & confœderati; sed hoc fortissimo ac victoriosissimo Cæsare anno 814. Regiminis sui XLVIII. demortuo, sub ejus Filio & in imperio Romano-Germanico succes-sore *Ludovico Pio*, (cui vel mage lituus seu Pe-dum Episcopale, quam sceptrum Imperiale de-bebat) qui præsens, ut Pater, Bellis non ade-rat, sed domi in Gynæceo potius apud dile-ctissimam suam *Juditham* senescebat, omnes septentrionales Populi & inter hos primum Obotriti nostri ab eo desciscebant, ac sine tri-buto, liberi nunc vivere laborabant, id quod potissimum sub Rege Obotritorum & Heru-lorum *Schlaomirio*, ejusque successore suo ex Fratre *Thrasico* Nepote *Ceodrao* Rege XXVI. contigisse, Historici enarrant, qui postquam jugum seu subjectionem Imperii vivente adhuc Imperatore *Ludovico Pio* a se plane dejecisset, sicque per annos XXI. Regno suo præfuisset, tan-dem obiit anno 830. relinquens Filium GOTZO-MIZILONEM, quem *Lambertus Schafnaburgen-sis* Abbas Hirschfeldensis, in *Historia sua a Mundo Condito ad sua usque* tempora produ-cta *Goslimadum* vocat, vulgo *Goslomitzel*, Re-gem XXVII. eumque Regni sui XIV. ab Impe-ratore *Lothario* I. Filio *Ludovici Pii* anno 844. in prælio occisum fuisse scribit. Hujus dein Filius superstes *Tabemutzel*, post Parentem He-rulis ac Obotritis suis Regulus XXVIII. præ-fuit annos XVII. mortuus enim est, anno post. Ch. N. DCCCLXI. cum quo universa simul *Aritberti* II. Regia Familia expiravit. Revertor itaque ad *Aritberti* I. Filium alterum, *Aritberti* II. Germanum, Regum Obotritorum ac Hene-torum, Ducum postea Mecklenburgensium, Propagatorem felicissimum *Biliginum* sive *Bi-lungum I. Billung* seu *Bilecke* dictum, cujus no-men ac totam Familiam ad usque Atnepotem suum *Billungum* IV. plane etiam conticuit ac præteriit Auctor noster, una cum *Christiano So-lino* & *Mylio* in *Chronicis Holsaticis* ac *Meck-lenburgicis*. Nec Clariss. *Hübnerus* quidquam de his in *Tabulis* suis *Genealogicis* sæpius jam cit. adnotavit, ut propterea hic de ista *Billun-gi I.* Familia nunc quoque aliquid adducere mihi allubescat.

Ceodraus Herulorum ac Obotri-torum Rex XXVI.

Gotzomizi-lo, Herulo-rum ac Obotrito-rum Rex XXVII.

Trabemu-tzilus Heru-lorum & Obotrito-rum Reg XXVIII.

Billungus ergo I. hujus nominis *Aritberti I.* Filius, Herulorum ac Obotritorum Regulus seu Princeps, Conjugem habuit, *Hildegardam*, Re-gis Burgundiæ Filiam, qui præter tres Filias, unum genuit cum illa Filium *Billungum II.* Ipse autem Pater *Billungus* vitam finiit anno 763. *Billungus II.* Filius Conjugem duxerat *Geutam* s. *Juttam*. Regis Suecorum Filiam, ex qua præter tres Filias, *Ugniam*, Regi *Ethel-waldo* vel *Edwarden*, in Anglia nuptam; *Adol-lam*, Regi cuidam Schottlandiæ; & *Wendulam* Duci *Richardo* Armericensi locatam; unicum Flium *Misislaum II.* produxit. *Billungus II.* Pa-rens ejus obiit anno 798. regiminis sui XXXV. *Misislaus* autem II. tantum XIII. annos regna-vit, mortuus enim anno 811. atque ex conjuge sua *Antonia* Magnæ Russiæ Regis Filia reliquit duos Filios, *Radagasum* s. *Radagast* III. qui Pa-tri successit, & *Billungum III.* qui in divisione inter se & Fratrem instituta, accepit Regnum

de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.

Rugiæ, ac Conjugem habuit *Marinam* Regis Longobardorum Filiam, ex qua tamen nullos suscepit liberos. Sorores autem hic *Billungus* habuit IV. *Orinatriam* Regi *Erichio* in Finmarchia desponsatam; *Amalasuntam* cujus Conjux ignoratur; *Sybillam* cujus item Conjuges non occurrunt, & denique *Heilwigam* Principi *Gottschalco* in Hollandia, Regis *Erici*, *Orinatriæ* conjugis Germano, nuptam. *Rhadagasus III.* Filius, *Misilai II.* Primogenitus, Patri suo in Regimine succedens, per annos XXIX. Regimen tenuit, anno namque 840. diem suum obiit-supremum, relinquens ex Conjuge sua N. Regis Suevorum Filia, Filios duos *Mistewoum I.* & *Wisilaum* vel *Visilaum VI.* vulgo *Witzlaff*, qui Patruo suo *Billungo III.* ἄπαις. demortuo in regimine Regni Rugiæ successit, qui & ipse sine Liberis postea decessit: *Mistewous* autem I. ejus Germanus, Obotritorum ac Herulorum Regulus, qui extincta anno 861. uti jam supra dixi, in *Trabemuzello* vel *Trabemuzilo* Rege Obotritorum & Herulorum XXVIII, universa *Aritberti* II. Abavi sui ex *Billungo I.* Germani, Stirpe, suo Consanguineo, in Regimine solus Rex Herulorum & Obotritorum XXIX. successit, atque summatim imperio per XXV. annos præfuit, decessit enim anno 865. relinquens ex Conjuge sua Regis Frislandiæ & Saxoniæ quoque Ducis Filia, Filios, *Aritbertum* III. Patri quidem in Regimine successorem ordine XXX. Regem, qui & XXIII. annos sceptra paterna tenuit, ac anno 888. demortuus est; cujus tamen ex Regis cujusdam Sarmatarum seu Poloniæ Filia prognati Liberi omnes ante Patrem in pueritia demortui sunt. Alter Filiorum *Misislaus* III. vulgo *Misislaff* fuit, post Fratrem suum natu majorem, Rex Henetorum, Werlorum & Obotritorum XXXI. qui duas habuit conjuges, unam Gothorum seu Sueciæ Regis Filiam, quæ peperit *Mistewoum* II. & *Misisdimum*, ambos in pueritia demortuos, nec non Filias *Orinam*, Regi Finlandio nuptum, & *Odiram* primum Regi Danorum, eo autem demortuo Regi Suevorum elocatam; Altera Conjux fuit *Erissa* seu *Eriss*, Principis *Plussonis von Plusso*, Filia, ex qua natus fuit *Billungus* IV. Ipse autem *Misislaus* Pater, postquam per annos circiter XL. regnasset, ad plures abiit, circa an. circiter 930.

Mistewous I. Herulorum & Obotritorum Rex XXIX.

Aritbertus III. Herulorum & Obotritorum Rex XXX.

Misislaus III. Rex Henetorum, Werlorum & Obotritorum XXXI.

Mistevojus, cognom. Billungus IV. Herulorum & Obotritorum Rex XXXII.

Venio nunc ad illum Regem *Billungum* Nomine IV. cujus Auctor *Cap. XXVI Lib.* I. meminit, quemque *Visilai* IV. Filium & *Aritberti* successorem perperam ibi nominat, in quo etiam errore *Mylium* in Chron. Ducum Mecklenb. *Solinum* in der Hollsteinischen Chronick; *Bucelinum* in sua Stemmatrograph. & supra adductos Genealogicos Scriptores alios hæsisse, ibidem dixi, eosque jam a me hactenus ad supplendam Historiam recensitis Regibus Venedorum, Herulorum ac Obotritorum satis superque refutavi. Cum hoc igitur *Billungo* Herulorum ac Vandalorum Rege potentissimo, qui adhuc longa serie subsequuntur, omnium reliquorum Herulorum Regum ac Principum, nunc Ducum Mecklenburgensium Historias, Auctor non solum noster jure meritoque indivulso nexu nunc quoque persequitur, sed & ipse gravissimus suo tempore Historicus *Albertus Cranzius* ab eo, tanquam Primo antiquissimæ hujus Regiæ Stirpis, Rege Obetritorum Christiano, Wandalicæ Gentis, & inter hos Herulorum ac Obetritorum Historiam exorditur, quem & *Andreas* noster *Mylius* sequutus est, in suo jam sæpius allegato, a me autem in fine horum *Annalium* auctius adnexo, olim sub nomine *Casparis Calovii* an„ no 1600. Lipsiæ edito Chronico, von Ankunfft „ und Herkommen, tapferen Thaten, Heyra„ then, tödlichen Abgängen und Begräbnis„ sen, der Durchleuchtigen, Hochgebohrnen „ Fürsten und Herren, der Hertzogen zu Meck„ lenburg löbl. Vorfahren. Clarissimus Historicus *Hübnerus* in seinen *Genealogischen Tabellen Part. I. Tab. 192.* vocat hunc Regem MISTEVOJUM mit dem Zunahmen *Billung. Christianus Solinus in seiner Holsteinischen Chronic* nominat eundem, einen Herren in Wagerland, Mecklenburg, Pommern, Preussen und Ratzeburg, quem etiam *Mistevojum* s. *Musteboym* nostrum, cum multis suorum *Henrico I.* Cæsari, *Aucupi* dicto, in habita cum Hungaris ad Urbem Mœrseburg anno 933. gravissima ac truculentissima pugna, simul auxilio profectum fuisse, masculeq; pugnasse, *Cyriacus Spangenbergius in Chronico Saxonico* testatur. Hic Rex *Billungus* duas habuit Conjuges, *Medeam* unam Ethnicam, Principis Sarmatarum seu Poloniæ Filiam, ex qua tres Filios *Misilaum* IV. Parenti successorem, *Nacconem* & *Sedericum* produxit. *Naccon* a Cæsare *Ottone I.* captus in prælio cum Venedis & Danis habito circa an. 950. & quod excurrit; *Sedericus* Princeps Venedorum & Obetritorum habuit Conjugem *Wildradam* Regis Thuringiæ Filiam, ex qua genuit iterum Filium ejusdem nominis, qui a Duce *Bernhardo II.* Saxonico *Bernhardi I.* Filio, *Hermanni Billingi* Nepote anno 1021. in prælio captus, magno æris pondere a Popularibus suis soluto, libertati iterum restitutus fuit. Hi omnes postea quieti, sub tributo Saxonibus servierunt, teste *Cranzio Vandal. Lib. I. cap. 40.* Altera Conjux Christiana fuit viri nobilis *Wagonis* III. Episcopi Altenburgensis soror, Virgo pulcherrima ac speciosa, cum qua genuit *Juditham*, nuptam Comiti *Udoni* I. Stolbergensi, nec non *Hodicam*, quam Pontifex Avunculus Monasterio Virginum a Patre in Urbe Megapoli condito, contraditam, & sacris litteris eruditam, Abbatissam præfecit Virginibus in eadem Magnopoli, cum tamen nec dum legitimos perveniset ad annos. Eam tamen postea *Misislaus* Frater Consanguineus post mortem Patris Monasterio Virginum extraxit, ac *Bogislao* Polonorum Duci, (postea ab *Ottone* III. Imperatore in *Primum Polonorum Regem* anno 1000. uti Scriptores rerum Polonicarum somniant, creato) junxit conjugio, ut habet *Cranzius l. c.* qui Rex mortuus est 1025. Conf. de *Billungo* pluribus ipse *Cranzius* l. c. *cap. 38. & 39.* Qui cum jam male Christianus videretur, defecit moriens ad annum Christi nongentesimum octuagesimum. teste eodem *cap. 40.*

Cap. XXVII. de *Billungi* successore ejus Filio *Misislao* IV. agit Auctor. Regulus hic Herulo-

Misislaus IV. Herulorum ac

Obotritorum Rex XXXIII.

rulorum ac Obetritorum XXXIII, Hostis Christianorum acerrimus fuit, qui Christum palam confessus, clam persequebatur juxta *Cranzium l. c. cap. 40.* Obiit anno DCCCCXCIX. Regem autem hunc ad summum senium perveniſſe, atque ad XCIX. annos vitæ suæ ætatem produxisse, idem etiam *Cranzius l. c. cap. 41.* scriptum reliquit. De hujus Filia *Giſela* variant Auctores. Qui cum Auctore nostro *lib. III. cap. XXVI.* sentiunt. *Anonymus in Genealogia Illustrissimorum Ducum ac Principum Megapolitanorum*, in fine Annalium horum adnexa, ut & *Chronicon veteris Saxoniæ* a *Joh. Pomario* continuatum & editum; *Giſelam* hanc Wendam seu Henetam, primum Marchionem Saxoniæ *Brunonem* II. Imperatoris *Henrici Aucupis* Pro-Nepotem, eo autem anno 1006. demortuo; dein *Ernestum* I. Ducem Sueviæ; quo ab *Alberone* Comite feram in venatione sagitta appetente, improviso sagitta an. 1015. necato, tandem an. 1018 *Conradum Salicum* Imperatorem Conjugem habuisse scribunt: At noviſſimi Scriptores, inter quos *Gundl. in Chron. MSS sæpius cit. Period. IV. th. 471-475.* nec non celeb. *Hübnerus* in *Tabulis suis Genealogicis Part. I. Tab. 26. 27. 123. & 149. Brunonis* Saxonici, *Ernesti* I, Suevi & *Conradi* Salici conjugem *Giselam*, Suevam fuisse adserunt, *Hermanni* sc. II. Ducis Sueviæ Filiam, quam cum *Gerberga* Regis Burgundiæ Filia, genuerat.

Mistevojus III. cognomin. Gigas fortissimus, Herulorum ac Obotritorum Rex XXXIV.

De *Mistevojo* III. Filio *Misislai* ac simul cum Fratre *Mizzudrago*, *Mizidrago* vel *Muzzadrago* in regimine successore agit Auctor Cap. seq. XXIIX. Copiosius autem *Cranzius l. c. cap. 41. & 42.* In bello namque illo Italico, quod Imperator *Henricus II.* Cognom. *Sanctus* vel *Claudus* adversus Græcos in Apulia & Calabria præsertim anno 1022. susceperat, ut gratiam apud *Bernhardum II. Bernhardi I.* Filium *Hermanni Billingii* Nepotem, Ducem Saxoniæ, iniret, cum mille equitibus se *Bernhardo* quoque adjunxerat, quibus cum se quoque masculè gesserat, *Mistevojus* noster, germanice *Meſteſchwein*, Cognom. *Gigas fortissimus* der starcke Rieſe; ab eo hinc in præmium jam ante initum bellum Conjugem promissam Filiam suam (*Cranzius l. c.* Neptem, Recentiores, Sororem *Bernhardi* Ducis *Mechtildam* nomine, quam & quidam viduam *Arnoldi* Ducis Flandriæ vocant, fuisse scribunt) exposcit. Eam vero cum instinctu *Theodorici* Marchionis Brandenburgici, postea denegasset Dux *Bernhardus*; omnes hinc Slavos & Obotritos cum *Mistevojo* nostro ejusque Fratre *Muzzadrago* fidem Christianam abjeciſſe, ac truculentissimam illam litteris proditam Christianorum persequutionem ac bellum longe diuturnum atque sat gravissimum exarsisse, scribunt. Et quidem Frater ejus *Muzzadragus* Princeps Henetorum & Rugianorum in Majorum Religione Ethnica, tanquam Hostis Christianorum truculentissimus consenuit: *Mistevojus* autem noster qui & *Meſtibous* dicitur, ultimis suæ ætatis annis iterum in viam rectam rediit, quem cum more omnium a se crudeliſſime hactenus in Christianos actorum serio pœnituisset, Christi gremio se iterum adsociavit, unde a suis perſequutionem expertus, & Patria pulsus, ad Bardorum vicum hodie *Bardewicum* concessit, ubi fidelis consenuit ac vitam suam tandem finiit anno 1025. Post negatam, uti jam supra dixi, Ducis Saxoniæ *Bernhardi* Sororem; *Margaretham*, non Filiam, nec Neptem, potius cognatam, *Henrici Aucupis* Cæsaris conjugem indeptum fuisse ferunt, ex qua tres Filios produxit, de quibus mox dicam. Interim ad statum tunc in terra Herulorum ac Obotritorum valde tristissimum longeque miserrimum ex *Cranzio l. c. cap. 41. 42. & 44.* adhuc bene notandum; „Omnes Wandalos (potius Veneros) qui intra Albim & Oderam habitarunt, „ac per annos LXX. & amplius, Christianitatem coluerunt, omnium *Ottonum* Trium Imperatorum tempore, hoc modo se abscidisse „a corpore Christi & Ecclesia, cui antea fuerant conjuncti. Facta autem hæc sunt tempore *Libentii* Archi-Episcopi Hamburgensis, „sub Duce *Bernhardo*, *Bennonis* Filio, qui populum hunc graviter adflixit. Hic enim animosus Juvenis, parum memor avitæ humilitatis & Imperatoriæ in Domum ejus largitatis, rebelles animos *Henrico* Imperatori (cognom. *Sancto*, *Ottoni* III. succedenti) est ausus „ostentare. Hinc Wandali (Veneti) rebus a „Duce turbatis, de sua quoque libertate cogitarunt, quod tributis gravarentur *Bernhardus* enim Dux omnes Saxoniæ Ecclesias terruit atque turbavit, illas præsertim, quæ in „rebellione ejus ad Imperatorem, illius malitiæ noluerunt subscribere. Accessit his, quod „idem Dux gentem Vinnulorum per avaritiam „crudeliter opprimens, ad necessitatem paganismi coëgit. Eo enim tempore Wandalorum (Venetorum) dominio potiti sunt *Theodoricus* Marchio Brandenburgensis & Dux „Saxoniæ, *Bernhardus*, illo quidem Orientalem, isto Occidentalem premente Wandalorum (Venetorum) sub tributo Provinciam: „quorum ignavia, nescio an improbitas coëgit Wandalos (Henetos seu Venetos) fieri „Christianæ fidei desertores. Rudes in Christi fide gentilium populos, quos optimi quondam Principes cum summa lenitate foverant, „temperantes rigorem iis, quorum insistebant „saluti; isti vero tanta crudelitate insequuti „sunt, ut excusso tandem servitutis jugo, libertatem suam armis defendere cogerentur. Hæc *Cranzius*. Idem hoc de *Bernhardi* duro in Venetos Imperio seq. verbis confirmat *Gundlingius in MSS. sæpius cit. Period. IV. th. 428. Berno f. Bernhardus*, *Hermanni Billigens* Nepos tractirte die Slaven hart, daſs ſie den Christlichen Glauben wieder fahren lieſſen. und ihren *Radegaſt* wieder verehrten. Er nahm auch den Biſchoffen ihre Güter und ergriff die Waffen wieder den Kayſer; als er aber ſahe, daſs es übel ablauffen würde, hing er ſich an *Meinewerck*, auf deſſen Vorſpruch er ſich dem Kayſer ſubmittirte. Occaſione itaque contemtus Principis *Miſtiwoi* abjecta eſt in Wandalia (potius Wendia) Christiana Religio, nec antea receperunt Christianiſmum, quam armis *Henrici Leonis* Ducis Saxoniæ (qui po-

de Weſtphalen Monum. ined. Rer. Germ.

tentia Reges æquavit) a terra & mari; preſſuris *Waldomari I.* Danorum Regis, adigerentur, recte ſcribit idem *Cranzius l. c. cap. 44.* in fine. Conf. eundem *Lib. V. Vand. Cap. 44.* in primis autem *Lib. VI. Cap. 27. Metropol.*

Anadrogus Herulorum & Obotritorum Rex XXXV.

Sed pergo ad Cap. XXIX. Auctoris, ubi de *Anadrogo*, ſeu *Anadracho*, *Miſtevoji* Filio agit. Hic cum Fratre ſuo *Gneo* vel *Gneve*, abſente Duce *Gottſcalco* apud Fratrem *Canutum* M. Regem Daniæ & Angliæ, adminiſtrationem Regni Daniæ in ſe ſuſcepit. Conjugem habuit *Ewenam* Polonicam, ex qua *Nicolotum* Filium produxit, qui Juvenis obiit. Dein cum *Conradus*, non *Suevus* (uti *Cranzius* ſcribit *Lib. II Cap. 46.*) ſed *Salicus* Imperator inſolentiam Wandalorum a Chriſto & imperio deficientium armis compeſceret, ad Chriſtianiſmum tamen eos reducere iterum non valeret, & quidem ob avaritiam Ducis Saxoniæ, qui tributis inhiabat, in hoc bello *Anadragus* a Cæſareanis occiſus fuit anno 1025. vel ultra. Clar. Hiſtoricus *Hübnerus in Tabulis Genealog. Part. I. Tab. 192. & 197. Gneum* non habet adnotatum inter Regis *Miſtævi* Filios, ſed ejus loco adhuc recenſuit *Ratiborum* ſc. Principem Wendorum & *Bugislaum*, qui in Pomeraniam ſe contulit, ibique genuit *Semborium* ſeu *Swantiborum*, Ducem Pomeraniæ I. qui anno 1056. ſub *Henrico* IV. Imperatore Regnum Pomeraniam manu regia gubernavit, feliciſſimus Familiæ Ducalis in Pomerania Propagator Chriſtianus, cujus ex *Wartislao* Filio Nepos, *Bugislaus III.* inter Chriſtianos ab Imperatore *Friderico I. Barbaroſſa* S. R. I. Dux I. anno 1181. creatus eſt, qui graviſſima cum *Henrico Leone* Saxone & Danis bella geſſit. *Udo* autem ſ. *Otto* poſt necem Fratris ſui *Anadragi* iterum Regulus Herulorum ac Obotritorum XXXVI. anno 1025. Regnum Paternum occupavit, graviſſimus Chriſtianorum perſequutor (*ein Tyrann und harter Verfolger der Chriſten*, uti eum nominat *Chriſtianus Solinus in der Hollſteiniſchen Chronick*) male Chriſtianus, unde etiam pro crudelitate ſua a quodam Saxonum transfuga (*einem Edelmann in Hollſtein* ſcribit *Solinus l. c.*) improviſe confoſſus eſt, non ut Auctor noſter *Cap. XXX.* ſcribit anno 1025, ſed an. 1032. poſtquam per VII. annos tyrannice regnaſſet. Conjugem habuit *Marinam* ſeu *Mariam*, Cimbrorum ſ. Daniæ Regis *Canuti* M. Filiam, qui *Canutus* quinque Regnis præerat; Daniæ, Suediæ, Norwegiæ, Angliæ, Scotiæ, ac Imperatori *Conrado Salico*, (ex Filios ejus *Henrico* III. Socer) Comes erat in Italiam, teſte *Cranzio in Metropol. Lib. IV. Cap. 18.* Ex hac ſua Conjuge Rex *Udo* vidit *Godeſcalcum*, & Filiam *Gruildam* Wendorum cuidam viro *Pluſſoni* nuptam. Cæterum hic *Udo* ſeu *Otto* non ſolum *Venetorum* ſeu Herulorum ac Obotritorum Rex, ſed etiam Dominus Marchionatus Brandenburgici fuit. Vixit ſub *Conrado Salico* Imperatore. Eo autem tempore Virtute *Canuti* Regis illius Danorum potentiſſimi & Ducis *Bernhardi* pax firma trans Albim erat, cum etiam Cæſar *Conradus* (Salicus) Winulos bello domuiſſet, teſte *Cranzio Metropol. Lib. IV. Cap. II.* Cumque per totum regnum pax conſtans erat, Principes (tunc) Wandalorum (Wendorum) *Anatrog*, *Gneus*, *& Ratibor*, pacifice ad Hamburg (Metropolitanam Eccleſiam noviter iterum inſtauratam) venientes, Duci (*Bernhardo* Saxoniæ) & Præſuli (*Bezelino* cognom. *Alebrando*) militabant, uti idem *Cranzius* ſcribit *l. c. Cap. 22.* Interim de *Ratiboro* Wendorum Principe, Regis *Miſtevoi* Filio, ex *Cranzio* l. c. *Cap. 24.* adhuc ſequentia adnoto: „Hunc ſc. Wan„dalorum (aut potius Vendorum) Ducem „cæſum eſſe in acie a Danis, quum præda„tum abiiſſet cum expedita manu in Jutiam. „Erat Vir Chriſtianus, magnæ in ſua gente „autoritatis. Habuit octo Filios, inſignis „Nobilitatis Juvenes; qui omnes in ultionem „Patris adſurgentes, ad unum perierunt uni„verſi. Nam *Magnus* Rex Daniæ, Filius D. „*Olai*, a Normannia rediens Heidubam (h. e. „Sleſwicum) adpulit, & reverſus ex Jutia, „Wandalos (Henetos ſ. Vendos) Prædato„res in campeſtribus Heidubæ excepit, & „quindecim millibus occiſis, compoſita res „eſt, & rediit tranquillitas omni tempore *Ma„gni* Regis. Hæc ibi *Cranzius*. Idem repetit Auctor *Lib. II. Wandal. Cap. 47.* fere in fine his verbis: „*Magnus* (Rex Daniæ) duobus regnis „ inſignis, monuit expeditionem in Wanda„los (Winulos) itinere terreſtri, ex Jutia du„cens per Holſatiam in Wandaliam. Oc„currit illi magno agmine Princeps Winulo„rum *Ratibor* & manu conſerta cum Danis, „cadit in acie Ductor. Filii autem ejus, quos „ille octo reliquerat, omnes ad arma validos, „bella cum Danis renovant, & ipſi omnes ad „internecionem cæduntur. Contigit hoc cum Winulis bellum, tempore Reguli Obotritorum *Godſcalci*, qui, etſi ille jam in Patria ſua ageret, tamen quia in Principatu nonageret, Rex Daniæ *Magnus*, (nam in certos Pagos, *Gauen*, quos hodie forſan *Aemter* dixeris cum *Conringio Exerc. de Civib. Imp.* §. 15. Populorum veterum Dominatus & Regna tunc erant diviſa) permiſit, rem ſuo marte decurrere, nec ſuæ vicis eſſe dicebat, ſe rebus ad ſe non ſpectantibus cum magna partium multitudine immiſcere, igitur ad omnia quietus exitum demorabatur, ut habet idem *Cranzius* l. c.

Udoſ. Otto. Herulorum & Obotritorum Rex XXXVI.

In Cap. ſubſequenti XXX. Auctor noſter de *Godeſcalco* ſeu *Gottſchalck* Filio *Udonis* vel *Ottonis* Tyranni, Rege Obotritorum ſeu Mecklenburgenſium ac Henetorum XXXVII. agit. Hic *Godeſcalcus* in juventute ſua baptizatus, per idem tempus, cum Pater ipſius a Saxone transfuga eſſet interfectus, Lüneburgi in Monaſterio Ducis *Bernhardi* litterarum ſtudiis innutriebatur, *Godeſcalco* Gothorum Epiſcopo ejusdem cœnobii curam agente. Is Juvenis comperta morte Parentis ita furore commotus, ut rejectis cum fide Chriſtiana litteris, arma corriperet, Albique tranſmiſſo, in Regionem patriam tranſierit ac Winulis ſe conjunxerit, quorum fretus auxilio, irruptionem fecit in Holſatiam, ad Sturmariorum Provinciam, qui Thietmarſi dicuntur, ibi omnia

Godeſcalcus, Herulorum & Obotritorum Rex XXXVII.

omnia devaſtavit, ac multa millia Saxonum in Patris proſtravit vindictam. Tantas autem ſtrages fecit Chriſtianæ plebi, ut crudelitas omnem modum exceſſerit, nihilque ejus manus effugerit. Mox tamen pœnitentia actus, in via invenit pauperem quendam Holſatum, per quem Popularibus ſuis pacis conditiones offerri juſſit & tunc ſe ſtatim turbam latronum dimittere velle promiſit. In itinere autem a Duce Saxoniæ *Bernhardo* paulo poſt demortuo captus, in vincula more latronis eſt conjectus Regulus *Godeſcalcus*, poſtea tamen Virum eum fortem & ad arma ſtrenuum, ſibi utilem futurum, judicans *Bernhardus*, certior etiam factus, *Godeſcalcum* cum Holſatis in gratiam rediiſſe; fœdus cum illo pepigit, & honorificis donationibusa ſe dimiſit. Poſthac abiit *Godeſcalcus* in Daniam ad *Canutum II, Magnum* dictum, apud quem variis bellorum laborumque exercitiis in Norwegiam & Angliam Virtutis ſibi decus acquiſivit, tantoque abs Rege in honore habitus eſt, ut ipſi *Syritham*, ſuæ ex Sorore Nepotis Regis *Sueonis Eſthritii* II. Filiam, poſt prioris Conjugis *Symbullæ* Regis Poloniæ *Miſislai II.* Filiæ obitum, Conjugem in matrimonium iterum dederit, eum ſemper magnis in rebus gerendis adhibuerit, ſuumque inter Regii Corporis cuſtodes fideliſſimum Virum habuerit. Poſt mortem dein *Canuti* Regis & Filiorum ejus, qui Patri non diu ſuperſtites fuerunt, ex Dania iterum cum Conjuge in Patriam ſolemni pompa reverſus eſt, atque ex ea abegit injuſte poſſidentes. Adepto rerum regimine omnem lapidem movit, ut collapſam Religioonem Chriſtianam reſtauraret, atque aliunde Verbi divini Præcones vocavit, ab anno 1058. Ædibus ſacris iterum per Slaviam excitatis, præter Aldenburgenſem novo etiam Epiſcopatu in Melcklenburgenſi Urbe conſtituto, cui *Johannes* quidam ſenex, Scotia peregrinationis amore egreſſus primus Præſul datus fuit, qui multa Slavorum millia ſacro fonte lavit. Angebat enim gentis ſuæ Principem, Virum prudentia & fortitudine prædicandum, quod, dum in adoleſcentia ſua Patris necem ſevere vindicaſſet in Saxones, popularibus ſuis hinc occaſionem præbuerit a Religione reſiliendi, redeundique ad Paganiſmum, dum arbitrarentur, religionem & tributa paribus incedere paſſibus, utrumque abjecerunt, ſunt verba *Cranzii Lib. IV. Metrop. Cap. 24.* Accepta autem in Uxorem Filia Regis Danorum, Wandalos (Wendos) ſuos ita perdomuit, ut eum quaſi Regem timentes, offerrent tributa, & pacem ſubjectione peterent, unde Civitas Hamburg pacem habuit, & Wandalia (Wendia) Sacerdotibus Eccleſiisque plena fuit totoque tempore, quo *Godeſcalcus* ſupervixit, Chriſtianam fidem omnes devote coluerunt. Præter ſingulas namque Urbes Lubic, Aldenburg, Racisburg, Leontium & alias; in ſola Magnopoli Obotritorum Civitate, tres DEO ſervientium dicuntur fuiſſe congregationes, unde gratulabatur Archi-Epiſcopus Bremenſis de novella plantatione Eccleſiarum, de ſuis Epiſcopis & Presbyteris miſit viros ad *Godeſcalcum* Principem ſapientes, qui rudes in Chriſtianiſmo populos confortarent, teſte eod. *Cranzio Cap. 39. l. c.* Verum hæc in Terris atque Eccleſiis Pax non diu duravit apud Gentes immanitate barbaras. Dum enim ipſe *Godeſcalcus* pro ſua ſin populo authoritate inſtantiſſime egerit, ut fideles firmarentur, & infideles converterentur, jamque proſperatis, ut videbatu, rebus, majorem in modum fides refloreſceret in ea gente, ſubito exaſit conjuratio male potentum in caput *Godeſcalci* & in Civitate Leontio (nunc Lenz vocant) ad ripam Albis opprimitur, pro Chriſto cæſus ad aram, cum ſacerdote *Ippone* ſeu *Poppone* VII. Idus Junii h. e. die 7. Jun. cum aliis multis tam Clericis quam Laicis, qui diverſis pro Chriſto ſuppliciis interemti, tranſierunt ad regna melioris mundi, anno 1066. Regni *Henrici IV.* Imperatoris anno octavo, cum Hamburgenſi Eccleſiæ præeſſet *Adalbertus*. Conjux *Godſcalci* Regis Danorum Filia, apud Mecklenburg. cum cæteris Chriſtianis mulieribus cæſa, diu nuda per ignominiam eſt dimiſſa, ut habet idem Auctor l. c. cap. 43, Totam autem de *Godeſcalco* Rege Hiſtoriam ejusque graviſimum, quod pro Chriſti fide ſuſtinere debuit, ſupplicium, pluribus enarrat, idem Hiſtoricus ſuo tempore graviſſimus, *Wandaliar. L. II. cap. 46. et 47.* nec non *Lib. III. cap. 1. 2. et 5.* ubi *Johannis* Epiſcopi novi Civitatis Magnopolenſis (quem Wendi quadriennio poſt adeptum Epiſcopatum manibus ac pedibus IV. Idus Novemb. h. e. die 10. Nov. truncatum, crudeli ſupplicio affecerunt) ut & *Anſueri* Præſulis Raceburgenſis Martyria pluribus deſcribuntur. Ab eo tempore omnes Wandali (Wendi) facta generali conſpiratione ad paganiſmum denuo ſunt relapſi, occiſis omnibus, qui perſtitiſſent in fide. Dux *Ordulphus*, Filius *Bernhardi II.* Saxonis in vanum ſæpe contra hos dimicans per annos XII, quibus Patri ſuperſtes rebus præerat, nullam unquam potuit ex illis conſequi victoriam, totiesque victus a Wandalis (Wendis) etiam a ſuis eſt deriſus, ita ſcribente eodem *Cranzio Lib. III. Wandal. Cap. V.*

Buthue, Herulorum ac Obotritorum Rex XXXVIII.

Cap. XXXIII. Auctor noſter de *Buthue* Regis *Godeſcalci* ex priore conjuge *Symbulla* nato Filio Seniore agit, qui cum Fratre ſuo Conſanguineo *Henrico* poſt necem Patris longe crudeliſſimam jure quidem legitimo Patri ſuccedere volebat, ſed ab impiis Wendis Popularibus ſuis plus quam Vatiniano odio *Godeſcalci* Familiam omnesque illos, qui Chriſtianum Nomen profitebantur, proſequentibus, non diu poſt Principatu ſuo expulſus fuit, unde ad Bardos primum, dein ad Ducem Saxoniæ *Magnum*, natum ex Filia Danorum Regis, *Ordulphi* Filium, qui tum forte Luneburgi in Arce ab Abavo ejus communita, commorabatur, confugit, cujus auxilium & reſtitutionem in Principatum ſuum precibus ab eo expetiit maximis. Qua de re Cl. *Henricus Meibomius in Hiſtoria Bardevici p. 12.* ita ſcribit: „Temporibus *Magni, Hermanni Billingi I.* Du„cis Saxoniæ Abnepote *Buthue, Gotſcalci*, Abo-

„tritorum Reguli, ob Christianæ Religionis „professionem propagationemque a suis tru„cidati, Filius, adversarium suum *Cruconem* „(Stadensis & *Cranzius*, ut & Auctor noster, „*Critonem*) *Grimi* Filium, per vim Principa„tum adeptum, bello aggressurus, Copias auxi„liares a *Magno* Duce Saxoniæ petit & impe„trat. Erant hæ ex Holsatis, Ditmarsis, Stor„mariis & Bardis: verum quod *Buthue* non „satis caute ageret, nec bene monenti morem „gereret, interveniente proditione, contra da„tam fidem a Barbaris inermis cum fortissimis „quibusque ex Bardis contrucidatur anno „MLXVII. ut *Albertus Stadensis* ex *Helmoldo* „*Buzovienſe* (scribit). Hactenus *Meibomius*. Atque sic periit *Buthue* cum Bardorum fortissimis, invaluitque *Crito* & prosperatum est opus in manibus ejus, obtinuitque Dominium in universa terra Obotritorum, & adtritæ sunt ex illo die vires Saxonum, & omnis Nordalbingia serviit homini sub tributo Holsati, Stormari, Thietmarsi. Ita finit Historiam de *Buthue* nostro, quam a *Cap. VI.* ad *IX.* inclusive *Wandal. Lib. III.* pluribus adduxit celeb. Historicus *Albertus Cranzius*. Conjux autem *Buthue*, quam Auctor noster, & quidam alii *Idam*, Rugianam fuisse scribunt, *Hildegarda* potius fuit, Ducis Saxoniæ & Lüneburgensis Filia. Misera autem & deplorata in terris Herulorum ac Obotritorum tunc rerum facies fuit per LXXX. iisque amplius annos durans, Wendis cunctis ad Paganismum relabentibus, quæ ethnica cœcitas ac barbaries ad *Henrici* usque Obetritorum Reguli, Filii *Godescalci* auspicia, vertente Seculo XII. pertracta fuit, qui Christianissimus Princeps *Henricus*, nihil prius atque antiquius habuit, quam ut rebelles omnes & imperio suo subjiceret, & sub mansuetissimum Christi jugum pariter redigeret, sicuti hoc historica veritate asserit Rerum patriarum indagator indefessus celeb. Dn. *Thomas Analect. Gustrov. Period. I. §. X. p. m. 25.* Cæterum de *Critone*, s. *Crucone Grimi* Filio, Rugiano, Percussore *Buthue*, Obotritorum, Wagriorum, & magnæ partis reliquæ Wandaliæ (potius Wendiæ) Principe, verius Tyranno, Persequutore item Christiani nominis acerrimo, præter A. nostrum in Cap. sequ. XXXIII. ejusdemque Regimine, Rebus gestis ac nece, pluribus agit jam sæpius laudatus Historicus *Crantzius Lib. III. Wandal. Cap. XVIII. & XIX.* Conf. idem Auctor *Lib. V. Metropol. Cap. III. & XXXIV.* Scil. *Crito* ille Tyrannus, a Dano Doryphoro instinctu *Henrici* postea Reguli, securi percussus fuit anno circiter 1105. Regiminis sui tyrannici XXXIIX.

Henricus, Herulorum & Obotritorum Rex XXXIX.

Pergo ad *Henricum* Regem seu potius Regulum Obotritorum ac Herulorum XXXIX. cujus vitam & res gestas Auctor noster more suo h. e. Laconice *Cap. XXXIV.* describit, qui, quomodo post suum e Dania in Terram Patriam Henetorum adventum, primum urbem *Aldenburgum* adhuc sub paganismo degentem occupaverit, & omnem Provinciam Henetorum maritimam percusserit, indeque Tyranno ac Terrarum suarum injustissimo usurpatori, *Critoni* illi Christiani nominis infensissimo hosti atque truculentissimo Persequutori, terrorem incusserit, eo vero ope atque instinctu *Slavinæ* uxoris ejus propriæ cæso, cum illa nuptias contraxerit, ac tunc Regnum suum occupaverit, in illo Christianismum introduxerit, *Magno* Saxoniæ Duci se subjecerit, ejusque ope Orientales & Occidentales Wandalos (potius Henetos s. Slavos) sibi subjugaverit, Latrunculos item omnes exterminaverit, & Pacem non suis solum terris, sed etiam Holsatis, ac vicinis Populis constituerit, summatim enarrat *Cranzius Lib. V. Metrop. Cap. 34. & Lib. VI. Cap. 4.* Copiosius autem & omnibus numeris absolutam de *Henrico* hoc Regulo Historiam sistit idem *Auctor Lib. III. Wandal. a Cap. XX. ad XXXVIII.* inclusive. Hujus quoque *Henrici* Cl. *Meibomius in Hist. Bardevici* sæpius jam alleg. *pag. 13.* his verbis meminit: „Paulo ante „obitum *Magni Billingii* Saxonum Ducis (mortuus namque est Dux *Magnus* in decrepita Senectute anno 1106. teste *Cranzio Libr. VII. Me„tropol. Cap. 5.*) alter. *Godscalci* Abotriti Filius „Henricus, ex Dania ubi apud suos (quippe „qui *Syritha Suenonis Esthritii* Filii natus est; hactenus exulaverat, ad suos rediens, de „*Crucone* ex ditione Paterna pellendo cogita„bat. Quem cum hominem vaferrimum insi„diosumque experiretur, ipse iisdem artibus „usus, insidiis circumventum trucidari cura„vit. Hoc modo Majorum suorum Ditione „potitus est, sed quod Christianus esset, & „*Magno* Saxoniæ Duci juramentum fidelitatis „præstitisset, Slavorum quorundam odia invi„diamque incurrit, factaque conjuratione bello „petitur. Enituit tum fides Ducis *Magni*, qui „etsi annis gravis, laboribusque exhaustus, cum „Cliente in Slavos progressus, feliciter & pro„spere pugnavit, hostibus partim cæsis partim „fugatis. Interfuere huic expeditioni *Vardi* „magno numero, clademque superiori bello „acceptam probe ulti sunt. Ita *Meibomius*. Cæterum bellum sat gravissimum ac pugnam admirandam & vix credibilem cum Ranis seu Rugianis, non procul ab illo loco habuit Rex noster *Henricus* Obotritus, ubi postea anno 1217, in propugnaculum terræ suæ adversus Slavorum h. e. Henetorum seu Wendorum aut Venedorum (sub quibus & Obotriti seu Mecklenburgenses & Suerinenses Wagrii, h. e. Lubicenses atque Holsati; Polabi, h. e. Raceburgenses; Kissini, sive Rotzstochienses; Gutzovienses & Gryphiswaldenses; Circipani, i. e. Wolgastenses, Sundenses, Deminenses, Wilsnacenses; Lutetii, h. e. Stargardii; Tollenses, h. e. Neobrandenburgenses; Redarii, i. e. Stolpenses & Anclamenses, secundum *Bangertum in Notis ad Helmoldum pag. 11.* &c. comprehendebantur) nec non in Rugianorum invasiones, ad Oceani sinum Orientalem, Codanum *Plinio*, *Tacito* Suevicum, vulgo *die Ost-See* Mare Balthicum quoque dictum, Castrum cum firma Turri seu Pharo altissimo ædificavit Terrarum Holsatorum tunc Comes ac Dominus *Albertus* I. Schauenburgensis, quod castellum sat munitum cum Pharo, certa pecuniæ summa

Comi-

Comiti ſoluta, dein Imperialis Liberæ Civitatis ac Reipubl. Lubicenſis Ditioni ac poteſtati annexum, ut in poſterum certum ibi atque ſecurum pro navibus haberet celeberrimum illud Emporium, atque adhucdum Hanſeaticarum Civitatum Caput, eodem etiam in loco Oppidulum, duplici quidem foſſa ac vallo altiſſimo cinctum exſtruxit, quod, cum ibi Fluvii illius, a pago illo Holſatorum *Travenau* in quo oritur, *Travam* dicti, atque ab uno latere celeberrimæ jam dictæ Wagriæ Civitati Lubicæ alluentis, incurvato autem curſu ſuo ac quaſi ſerpentino ductu per quatuor hinc milliaria naves vectorias penes oppidulum jam dictum (natale ſolum meum) in mare illud Balthicum abducentis, quaſi Oſtium claudatur, atque a Mari ibi abſorbeatur, *Travæ* hinc *Oſtium*, vulgo *Travenemunde* nomen indiderunt. De iſto autem ſecundo ibidem prælio cum Rugianis commiſſo, M. *Theodorus Engelhuſius in Chronico ſuo Slavorum a Cl. Madero Anno 1671. Helmſtadii* edito *p. 215.* ita ſcribit: „*Henricus* (non, ut perperam a bono hoc Monacho nom. V. Romanor. Imper. vocatur, ſed Rex Obotri-„torum) dum quadam die eſſet in Civitate „*Lübecke* (quam a Patre ſuo *Godeſcalco* primum inſtauratam ac *Bute* dictam, ab illo autem poſtea amplificatam, *Coloniam Luconiorum magnam*, vulgo *Lubicum*, lingua Vandalorum gentili, quod *Amiculam* ſignificat, dici maluit. Vid. Auctorem h. l. nec non Cap. XXXIIX. vetuſtiſſimo Geographo *Ptolomæo* ſub nomine *Treva* innotuit) „improviſus ſupervenit exerci-„tus Ravarum i. e. Slavorum, Rugianorum, quos „auxiliante Deo Chriſtiani vicerunt, feceruntque tumulum magnum, (potius ſeptem tumulos ſeu colles ſat magnos & acclives, qui adhuc hodie ibi viſuntur) „de corporibus Pa-„ganorum, qui usque hodie dicuntur *Rauen-„berg* (montes Ranarum, *die Rugen- oder Rhu-„nen-Berge*) ſtatuentes, ut die Kalend. Augu-„ſti celebretur annis ibi ſingulis illius recorda-„tio perpetua. Hæc *Engelhuſius.* Eandem cum Ranis pugnam quoque *Henricus Wolterus in Chronico Bremenſi* enarrat his verbis: „Amici „*Critonis* in Travenam venerunt cum multis „navibus catervatim irruentes, & aſcenderunt „caſtrum & civitatem Lubecenſem. Cum ve-„ro *Henricus* Rex vidiſſet periculum immi-„nens Civitati & Caſtro, in eadem nocte de-„ceſſit inde cum duobus fidelibus ſuis, & cum „Holſatis, & Stormariis, & Detmarſis, & Nord-„albingis venit illuc, & Rujanos ac Slavos „multos occidit: quidam ſubmerſi ſunt in „Travena, quidam capti, quidam truncati. „Et de mortuis quaſi Mons magnus collectus „eſt, & dicitur Rovenberg. Obiit tandem potentiſſimus ac religioſiſſimus Rex *Henricus* anno quidem 1122. ſecundum *Cranzium*, *Bucelinum* & alios. Clariſſ. autem *Frider. Thomas Analect. Guſtrov. Period. I. §. 13. p m. 31.* annum ejus emortualem 1127. ponit. Conjux fuit *Slavina* Ducis Pomeraniæ *Suantiborii* ſeu *Schnautiburs* Filia, Tyranni *Critonis* vidua, quam alii *Magni* Saxoniæ Ducis Sororem (qui tamen nullam habuit ſororem, at vero *Henrico* de maternis lineis, cognatione conjunctus fuit. *Magni* enim Mater fuit *Bertrada* ſeu *Hertken*, Regis Norwegiæ *S. Olai*, ultimi ſuæ ſtirpis, Filia, cui *Magnus*, Rex Daniæ in Norwegiæ Regno ſucceſſit, Regis autem *Magni* Daniæ & Norwegiæ Filia *Gyſela*, Ducis Saxoniæ *Magni* Mater fuit) alii Filiam Danicam (uti vult *Bucelinus in Stemmatographia Regum ac Principum Herulorum ac Vandalorum Part. I. p. 68*) faciunt. Sed Auctoris noſtri ſententia, ut probabilior, mihi hac in re magis arridet, cui & Cl. *Hubnerus in Tabulis Genealog. l. c.* adſentit. Reliquit *Henricus* Rex præter illos, quos Auctor noſter adducit, adhuc *Baldomarum*, *ſeu Waldemarum* & *Miſtiwoum* Filios. De *Gotofrido* ejus Filio nihil invenio adnotatum. De *Miſtiwoo* altero ejus Filio refert *Albertus Cranzius Wandal. Lib.* III. *Cap. 32.* Quod, dum *Henricus* Pater obſidionem Oppidi Havelbergi urgeret, iſte *Miſtiwous* juvenis impiger, adverſus laicos ſuæ gentis populos (*Ligones* etiam appellatos) tumultuantes rebelles arma ſumſerit, adſumtisque ducentis ex Holſatis armigeris una cum trecentis Wandalorum agminibus expeditioribus, per invias paludes & loca nemoroſa improviſus in rebellantium Pagos irruerit &c. magnamque jumentorum prædam egerit, hisque eductis, Indigenæ conglobata omni qua poterant multitudine, ad locorum anguſtias egreſſuris ſe objecerint, atque inde ad prælium perventum fuerit, in quo *Miſtiwojus* cum ſuis victor evaſerit, hoſtium plurimis cæſis, nonnullis etiam captis, inter quos Gentis ejus Princeps fuerat, ita ut omnes cum ingenti prædâ Filius *Miſtiwojus* ad Patrem *Henricum* cum manu ſua in Caſtra abduxerit. Periiſſe tamen poſtea hunc *Miſtiwojum*, in prælio Patre adhuc vivente, prope *Ruppin* Oppidum Comitatus ejusdem nominis Marchionis nunc Brandenburgenſis, alibi accepi. De altero Filio *Henrici*, qui fuit *Baldomarus* ſ. *Waldemarus* idem *Cranzius* l. c. „ſic ſcribit: Alter Henrici Filius *Waldemarus* „æmulatione fraternæ victoriæ incitus, quum „forte tributis exigendis immineret gravior, „quam illi ſc. Rugiani, quibus nempe im-„perandis a Patre Dux Præfectus erat, ferrent, „Rugianus populus infrenis & jugi impatiens, „eum exactorem oppreſſit. Cujus Filii ſui necem quam graviter ultus Rex *Henricus*, utque pacem ab eo quatuor millibus & quadringentis Marcis mercati fuerint Rugiani, pluribus ibidem enarrat idem Auctor *cap. 23. ad 26.* Interim de reliquis ejus Filiis duobus adhuc ſuperſtitibus *Zwenteplogo ſeu Zwentepolch* & *Canuto*; quomodo hic, ſi non conſilio Fratris, tamen conniventia ejus, in oppido Lutkenborg anno 1129. oppreſſus: Ille vero ſolus nunc, quod ambierat, Paternum Principatum tenens, Lubicæ ſedem ſuam elegerit, ac cum Holſatis & Stormariis, nec non *Adolpho* Comite Holſatiæ, belli ſociis ſuis, Urbem Werlo occupaverit, ac Kiſſinæ urbem ſimiliter ad obedientiam reduxerit, ſed non diu poſt, eodem, quo Frater ejus loco, dolo *Daſanis* præpotentis in Holſatia viri, anno 1130. ſecundum *Bucelinum* l. c. & Cl. *Thomam* l. c. ſecundum alios autem

1133.

1133. jure talionis etiam interfectus fuerit; præter Auctorem noſtrum Cap. XXXV. pluribus enarrat idem *Cranzius* l.c. *Cap. 27. 28. 31. & 32.* ubi etiam necem ſucceſſoris ſui Filii *Zvinici* ſeu *Zwinecke*, cujus Auctor noſter *Cap. XXXVI.* meminit, qui anno 1133. non autem 1135. apud Erteneborg, hodie *Altenborg*, (qui eſt vicus magnus in Ducatu Lüneburgenſi ad Albis fluvii ripam e regione Leoburgenſi ſitus, ob portones pro hominibus, jumentis ac mercibus transportandis ibi conſtitutos, ſat notus) etiam interfectus fuit, adducit. Conf. eundem *Lib. VI. Metropol. Cap. XIV.* Extincta Regis *Henrici* Progenie, *Canutum* Ducem Sleſvicenſem, Filium Regis Daniæ *Erici* ſucceſſiſſe, Auctor noſter Cap. XXXVII. ſcribit. Fuit hic *Canutus* Danicus, Regis *Henrici* demortui Conſobrinus, Mater enim *Henrici* ſoror *Erici* Regis Danorum erat, quem Patrem *Canutus* habebat, cum quo, tanquam Viro ad omnia integerrimo, *Henricus* Obotritorum Rex ex habito in præſentia exercitus utriusque colloquio, de Bello finiendo, quod ob denegatam ſibi a Matre Danica provenientem in Regno Daniæ Hæreditatis portionem cum *Canuti* Patruo, Rege Daniæ *Nicolao* geſſerat, in eam ſententiam convenit, ut *Kanutus* dependens *Henrico* argentum ac numerans, ejus ut in Dania ab Rege ſuæ partis accipiat hæreditariam portionem; quam ob rem tantam inter ſe familiaritatem iniere, quanta in Germanis Fratribus ſincerior eſſe haud potuit, quæ etiam ad amborum mortem duravit: Et hæc etiam nimia illorum familiaritas in cauſa fuit, quod huic *Kanuto* poſtea *Henricus* Rex, cum jam ſeneſceret, & Filiorum ſuorum imperandi inertiam proſpiceret, Ditionem ſuam omnem, ſi quid illi humanitus contingeret, commendaverit, rogaveritque etiam & obſecraverit, ut ſe præmortuo, ſibi *Kanutus* deſumat in Gentem ſuam gubernacula, quod quidem primum recuſans *Kanutus*, ſed *Henrici* inſtantiſſimis obſecrationibus exoratus tandem facturum ſpopondit, quod ex æquo bonoque ſit, præſertim cum *Henricus* apud *Lotharium* Imperatorem etiam procuraverit, ut Wandaliam univerſam, (ſub quo omnes Slavi ac Wendi trans-Albini comprehendebantur) quæ jam dudum ſub *Ottonibus*, (immo jam tempore *Caroli* M.) in ditionem Imperii conceſſerat, interpoſita ſua auctoritate Imperatoria permittat *Kanuto* adminiſtrandam, quod & factum eſt. Quid? quod *Lotharius* Imperator, perpenſis *Kanuti* natalibus & majori Virtute, Coronam ei quoque regiam impoſuit, ac *Regem Obotritorum* appellavit. Ita quamdiu ſuperfuere Liberi ex *Henrico* amici & Propinqui Conſanguinitate functus eſt munere *Canutus*, conſilio & auxilio illis non defuit, ubi autem anno 1135, in *Suinicone* Nepote, univerſa *Henrici* ſoboles (quam de proximo perituram vivens jam diu ante prædixerat *Henricus*) defecit; pleno hinc jure, ex rationibus jam adductis, Principatus hic Herulorum ac Obotritorum in *Kanutum*, Virum integritate & virtutibus inſignem, Danis formidabilem ac Cæſari *Lothario* in præcipuis habitum, a quo (uti jam dixi) etiam Coronam Regni ultro acceperat, pervenit, non autem muneribus Imperatorem corrumpentem, aut tyrannice dominantem, ut ſcribit Auctor noſter, ſed potius tantum Juſtitiæ & veritatis cultorem, ut, teſte *Cranzio*, (cui & jam de eo adducta debeo) *Wandal. Lib.* III. *Cap. 32.* pro his rebus neminem vereretur, nulli ignoſceret, ita quidem rigoroſe, ut, cum inter latrocinantes & tranſeuntibus inſidiantes in Merica ditionis ſuæ captos, ac ultimo ſupplicio condemnandos, e medio damnatorum grege quidam proclamaret, eſſe ſe de Principis *Canuti* cognatione, jure ſanguinis impunitatem & vitam depoſcens; *Cognato*, dixerit, *noſtro, ut honoratior ſit, ſublimiorem parate crucem.* Fecit etiam Rex *Canutus* cum fortiſſimis Viris in Holſatia conjunctus incurſiones in Terras contumacium Henetorum ac Slavorum, occidens & proſternens omnes adverſarios, interque eos *Pribislaum* Fratrem Fratruelem *Henrici* Principis, *Buthue* Filium, qui poſt Filios *Henrici* ad Principatum anhelabat cum Fratre ſuo *Nicoloto* I. ſeu *Nicolao*, majore terræ, qui adverſus *Kanutum* etiam cornu erexerat, dedignatus, alienigenam dominari in terris patriis. In utroſque hos itaque *Canutus* exercitum duxit, diviſis copiis, utrique conflictatus, ambos in prælio cepit ſecumque duxit in Sleſvicum, manicis etiam ferreis adſtringens, quoad usque vadibus & pecunia redemti pacem diſcerent & facere imperata. Aſt hic Vir optimus, & Dux fortiſſimus *Kanutus*, eo quod regium Titulum Obotritorum ab Imperatore *Lothario* acceperat, exoſus hinc Patruo ſuo Regi Daniæ *Nicolao*, qui ad Colloquium eum in Provincia Sleſvici inviſens, eum videret, Nepotem hunc ſuum in faſtu regio ſibi non adſurgere, nec offerri ex more gentis oſculum, diſſimulata injuria, ſurgens cœpit tranſire ad *Kanutum* oblaturus ei ſalutationem per oſculum, cui ille mox occurſans ex medio, ſeſe per omnia viſus eſt Patruo & dignitate & loco coæquare, lethale hinc in ſe derivavit odium, præſertim a *Magno, Nicolai* Danorum Regis Filio, a quo perfidioſe poſtea inermis ad colloquium inter armatos invitatus fuit, cumque ad locum inſidiis paratum acceſſiſſet, in præſentia armatorum ſtricto enſe *Magnus* caput *Kanuti* feriit, eumque ſic necavit, Rex, ob edita poſt mortem miracula varia, poſt Patruum æque *Kanutum* Daniæ Regem etiam inter Sanctos numeratus. Truncatus autem fuit hic S. *Canutus* anno 1134. teſte *Cranzio Lib.* VI. *Metropol. Cap. 15.* vel anno 1136. ſecundum *Chytræum Chron. Saxon. Lib.* IV. *pag. 125.* Conf. *Anonymi Chron Danor.* ſeu *Chronologiam Rerum Danicarum ab A. Chriſti* MXXVIII. ad Ann. MCCLXXXII. ab *Arna Magnæo* anno 1695. Lipſ. edit. ubi tamen contra ſupputationem Chronologicam, *S. Kanutum* anno jam 1130. in Sylva Haraldſtathæ a *Magno* Filio *Nicolai* Regis, Martyrizatum fuiſſe ſcribit, *p. m. 15. ſeqq.* poſtquam per biennium Regnum Obotritorum ſolus tenuiſſet. Interim de hoc Rege *Canuto* præter ea, quæ de illo in *Hiſtoria* ſua *Eccleſiaſtica, Metropolis* dicta *Lib.* VI. *Cap.* 14. *& 15.* paucis adduxit laud. *Cranzius* longe prolixius de eodem egit *Lib.* III. *Wandal. a cap. 27. ad 34.* incluſive, idem Hiſtoricus graviſſimus.

Canutus Danus Rex Herulorum ac Obotritorum XL.

In

In Capite XXXVIII. de *Pribislao* I. Filio *Buthes*, qui *Canuto* necato, cum Fratre suo *Nicoloto* successerunt, in Principatu Wandaliæ (potius Wenliæ) agit Auctor noster, Rex hic a suis declaratus in Wagria ac terra Polaborum, (Oldenburgenses nempe ac Raceburgenses) regnavit, ac in urbe Lubica sedem suam elegit; Contra Frater *Nicolotus II.* qui & *Nicolaus* dicitur, Obetritis s. Mecklenburgensibus præfuit, utrique Ethnici & Christianorum hostes infensissimi, qui gentem etiam suam ob vicinorum Saxonum superbiam & intolerabilem tributorum exactionem ad Paganismum reduxerunt, unde multiplex illis diebus per universam Slavorum & Henetorum terram superstitio invaluit, quam pluribus enarrat *Cranzius Wandal lib. III. cap. 37.* ubi etiam varia supplicii ac mortis genera Christianis ab hac gente (cui crudelitas omnis ingenita, saturari nescia, impatiens otii, vexans Regionum proxima terra marique) illata recenset. Atque hic quidem Paganismus in Terris Wendorum tunc omnium gravissimus fuit, qui occiso per martyrii gloriam, uti supra dixi, *Gotscalco* gentis suæ Principe, h. e. ab anno Chr. MLXVI. initium suum cepit, ad annum usque MCXLIX. Sicque per annos octoginta quatuor, ad usque regiminis annos *Pribislai* nostri & Fratris *Nicolai* fere duravit, tunc enim Slavi, Obetriti sc. & Confines, vel plurimi cum suis Principibus sacra Christiana adhuc maxime aversati sunt, & cursum Evangelii prædicati impediverunt. De hoc Rege *Pribislao* egit *Cranzius lib.* III. *Wandal. cap. 39. 40. lib.* IV. *cap. 29.* Quando mortuus fuerit Regulus *Pribislaus* non certo liquet. *Bucelinus in sua Stemmatograph.* sæpius citat. annum obitus ejus non addit. Potiores Genealogistæ, inter quos etiam potissimum numerandus est *Anonymus* ille in *Genealogia illustriss. Ducum ac Principum Megapolit.* in calce quoque Annalium subjuncta, quo cum & *Hübnerus in Tabulis suis Genealogicis*, nec non *Calovius* s. *Mylius in Chron. germanico Ducum Megapol.* sentiunt, obitum ejus ponunt in annum 1142. sicque per VII. tantum annos regnasse eum volunt. Sed Cl. Historicus rerum suarum Patriarum B. Dn. *Thomas Analect. Gustrov. Period.* I. §. XVI. *Pribislaum* cum Fratre *Nicolao* initio belli sic dicti Sacri una parte Exercitus cruce signati ad Slavos, Obotritos sc. & Confines subjugandos & convertendos, Duce potissimum *Henrico* Saxone cognom. *Leone* destinati atque anno 1148. suscepti, sicque per vicennale fere tempus continuati, Obotritorum sceptra adhuc simul tenuisse scribit: eum tamen non diu post in vivis esse desiisse ex historia ejus haud dubitanter concludere licet. Captus autem a Rugianis *Pribislaus*, supremum diem captivus obiit, teste *Tobia Pfannero Libro de Præcipuis Germaniæ Principium Gentibus cap. VI. p. m. 208* Conjugem habuit *Petrissam* Regis Norwegiæ *Heraldi* II. Filiam, ex qua tamen nullos liberos suscepit. Fuit Rex Obotritorum & Wagriorum XLI.

Nicolotus Herulor. Obo-

De hujus Fratre *Nicoloto* s. Nicolao II. cujus Fata Auctor noster Cap. XXXIX. breviter de-

de Westphalen Monum ined. Rer. Germ.

scripsit, quique eo demortuo, ipsi in Regimine Rex Obotritorum XLII successit, multa collegit ac reliquit, jam sæpius cit. Historicus longe celeberrimus *Albertus Cranzius Wandal. lib. III. cap. 33. 37. lib. IV. c. 1. 3. 13. 25. 33 34. & 35.* Hic *Nicolotus* Rex Obotritorum ac Slavorum certe potentissimus cum Filiis suis eodem *Cranzio lib. VI. Metropol. Cap. 39.* teste, adhuc servierunt Idolis, neque vel precibus vel armis hactenus, ut fidem Christianam amplecterentur, commoveri poterant. Unde tandem *Henricus* Dux Saxoniæ, *Leo* dictus, cum *Alberto Urso* Marchione Brandenburgensi, terram eorum hostiliter invasit, atque hunc Regem *Nicolotum* s. *Nicolaum* per suos loricatos milites oppressit, ac lancea, vel ense bellico magno ac lato in bellis tunc usitato perfodit. „Ita periit, concludit *Cranzius* suam de *Nicolao* nostro Historiam, *Wandal. lib. IV. cap. 35* „vir Nobilis & „fortis, dum fortius quam cautius pugnat. „Caput ejus defectum & ab omnibus recogni„tum, defertur in castra Ducis. Atque sic, quod intenderat Dux *Henricus Leo*, hujus *Nicoloti* Regis Obotritorum morte, totius tunc Megapolis potitus fuit. Factum hoc die 25. Maji, anno circiter 1161. aut potius 1162. non autem, ut quidam scribunt, 1159. multo minus 1158. ut voluit *Bucelinus*, id quod temporum rationi prorsus repugnat. Cæterum Conjugem habuit *Nicolotus* Rex, *Ameliam* Regis Sueciæ Filiam.

tritorum Rex XLII.

Pribislaus II Herulorum, Obotritor. &c. Rex XLIII. & ultimus.

In Cap. tandem XL. auctor noster XLIII. & ultimum Herulorum, Vagirorum, Circipænorum, Polaborum, Obetritarum, Cissinorum, Vandalorumque ac Slaviæ totius Regem (hanc enim epigraphen Corpus ejus Doberanum translatum accepit teste Auctore nostro h. l. & *Petro Lindebergio Chron. Rostoch. lib. II. c. 1.* in fine) *Pribislaum II.* ejusque fata describit. „Hic enim, (ut statum horum temporum verbis *Cl. Thomæ Analect. Gustrov. Period. 1. §. XVI.* describam) „cum Fratre suo *Wertislao* post ob„truncationem Parentis, *Henrico Leoni* Gvel„pho Duci multum adhuc facessiverunt negogii, donec tandem omnibus suis terris exuti „ & victi, manus victori dare cogerentur, amis„sa vel regia dignitate, & avitæ possessionis ma„gna parte. Insuper etiam in hoc vicennali „fere eoque longe funestissimo bello Obetriti „adeo fuerunt obtriti deletique, ut incolis ac „civibus pene vacaret terra. Hinc factum est, „ut & *Henricus Leo* præstantioribus virtute mi„litibus suis Venedorum terram divideret pos„sidendam, & frequenter factis quasi agmini„bus confluerent e Saxonia Westphaliaq; Teu„tonici homines ad colendam terram spatio„sam, fertilem frumenti, commodam pascuo„rum ubertate, abundantem pisce & carne & „omnibus bonis: qui agros, vicos urbes fami„liis suis oppleverunt, & ritibus non solum „Christianis, sed & moribus legibusque Teu„tonicis omnia ubique imbuerunt, abrogato pe„nitus Slavismo, nec ullo Venedorum amplius „ad ullam sive publici muneris dignitatem si„ve societatis civilis partem admisso. (Unde etiam in Ducatu Mecklenburgensi in rustica

illa ac plebeja gente adhuc dum obtinens ſervitus duriſſima ac graviſſima plus quam Romana, venit deducenda) „Et hujus quidem „exciſæ gentis Slavicæ & Venedæ in omni„bus Provinciis Mecklenburgicis nulla amplius „veſtigia ſuperſunt, ſed omnis terra Megapo„litana Teutonum facta, Saxonumque per *Hen„ricum* illum *Leonem* ſuosque ibi relictos Ad„miniſtratores fideles (dum ſc. *Guncelino* poſtea ab eo conſtituto Suerinenſi Comiti Arcem Ilow,& Suerinum regendum (am) commiſit *Ludolphum* ex Advocatis Brunſwicenſibus Arci Kiſſin præfecit; *Ludolpho de Peina* oppidum Malchow; *Henrico autem de Seatem* urbem Megapolin conceſſit,) colonia, & novam plane „Reipubl. formam ac Politiam induit. Atque „ab hoc etiam Seculo XII. quo hæc mutata re„rum facies in Megapoli contigit, derivanda „eſt Nobilitatis hodie ibidem Equeſtriumque „Familiarum & Feudorum in plerisque Origo, „nec altius ob gentis olim illiteratæ barbariem, „repetere licebit gentilitios Avorum Proavo„rumque natales. Sola autem Sereniſſ. Prin„cipum Mecklenb. Domus hanc habet præ„rogativam, ut vel omnium in Europa Prin„cipum altiſſime aſcendere in Stemmate Ge„nealogico, & haud interrupto ſanguinis regii „nexu, ultra ſeſqui mille annos Majores ſuos „recordari poſſit. Hactenus quidem Cl. *Thomas* l. c. auctoritate utens biga virorum Hiſtoricorum celebrium fide omnino digniſſimorum *Helmold. Chron Slavor. lib. I. cap. 87. & lib. II. cap. 5. 14. ac Cranz. Vandal. lib. VII. cap. 10.* Qui quidem *Cranzius* de Nobilitate Mecklenburgica ibidem addit, „manſiſſe illam cum Prin„cipibus antiquæ originis in ditionibus ſuis, in „paternis prædiis & poſſeſſionibus; de multi„tudine tamen iſta ſat magna Nobilium illorum „pauciores tamen e Wendorum Proſapia or„torum, uti v. g. ſunt: *Gammii, Prizeburii, Basſevicii, Molckii, Negendanckii, Levizovii, Molzanii, Veereggii, Bützovii, Deſſinii, Bülovii, Grabovii &c.* „adhuc hodie ſuperſunt, eorumque memoria non ſeculo XII. altius erit repetenda. Sed ad rem. Rex *Pribislaus* ac Frater ejus *Werslaus* ſeu *Vratislaus* comperta Patris *Nicoloti* morte, arcem ſuam Werlo igne deſtruxerunt, ac ſua bona cum pretioſa ſupellectile navibus impoſuere, ipſi autem cum promtiſſimis in nemora ſe condiderunt, poſtea tamen per amicorum quorundam interpoſitionem in Ducis *Henrici Leonis* gratiam iterum rediere, qui eis arcem Werlo cum ſubjecta terra fruendam conceſſit, reliquam autem Terram Obotritorum ſuis diviſit Fidelibus belli Sociis ſupra jam adductis. Aſt *Pribislaus* ejusque Frater, cum abſente Duce *Henrico* Saxone non contenti eſſent terra Kiſſinorum, ſed ad recuperandam terram Obotritorum Provinciam iterum adſpirarent, *Werslaus* in Arce Werlo obſeſſus, a miſſili vulnus accepit: Tandem ex interceſſione Comitis *Adolphi* ſervata vitæ & membrorum incolumitate, accepta fide, egreditur de munitione cum Nobilibus, ad genua coram Duce provolutis & veniam deprecantibus, Brunſuicum fuit abductus, quem manicis ferreis adſtrinxit, ceteros autem per cuſtodias juſſit diſſipari; cujus quidem Fratris ſui liberationem fruſtra per nuncios tentavit *Pribislaus*, qui levia hactenus prælia multa cum Comitis *Adolphi* copiis confecerat, ac C. ex Holſatis viros aliquando proſtraverat. Pacem tamen hac conditione a Duce accepit, ut niſi ob multiplicem ſuam perfidiam obſides præberet, nulla pacifcenti fides haberetur, qua de cauſa cum concaptivis ex capto obſes manſit *Werslaus*, qui vero in vinculis Brunſuici agens, per fidiſſimos non ceſſavit *Pribislaum* Fratrem ſtimulare, ut ad eum iterum liberandum arma caperet, copiisque clam coactis in Megapolim duceret, quam urbem Obetritorum primariam obſeſſam cepit, omnesque in ea Theutonicos obtruncavit ſine diſcrimine ſexus & ætatis: Malacho etiam & Cuſſin occupavit, Ilow autem cum ſuis armatis hoſtem præveniens, ſervavit Comes *Gunzelinus* de Zwerino. Unde ira inflammatus *Henricus* Dux, conflato grandi exercitu, atque valida claſſe a mari a *Waldemaro* Rege Daniæ & *Alberti* Marchionis copiis adjutus, prope urbem Malacho in conſpectu hoſtium mandavit *Werslaum* Principem, *Pribislai* Fratrem, una cum duobus Nobilibus (ut communis fama tulit) de Pritzbühren & Gammen, ſuſpendio in oculis Fratris necari, eo, quod Germanum ſtimulaſſet ad rebellionem, quodque in pactis noviſſimis eſſet comprehenſum, ſi præſtitam fidem Wendi violarent, *Henricus* Dux pro arbitrio abuteretur obſidibus. Accidit autem hæc mors infamis *Werslai* vel *Wratislai* anno 1164. relicto Filio unico *Nicoloto* ſ. *Nicolao* III. Principe Wendorum ac Domino Rotzſtochii, qui conjugem habens *Annam* Electoris Brandenburgenſis *Alberti* II. Filiam non in iſto prælio contra Graſſatores, qui Monaſterium Doberanum vaſtarant ac incenderant anno 1179. cum ſuis periit, ut Auctor noſter falſo h. l. ſcribit (nam *Cranzio Wandal. lib. VI. cap. 24. teſte*, quocum etiam conſentit *Petrus Lindeberg. Chron. Roſtoch. lib. II. cap. 11. p. m. 44.* ejus quidem agmen pro multitudine hoſtium tunc interceptum fuit, ac pene ad internecionem cæſum, ipſe autem Princeps tunc non interiit in acie, at vix tamen in urbem dilapſus eſt) ſed in prælio Daslenſi contra Comitem *Adolphum a Dipenholtz* cecidit, ſecundum *Lindebergium* l. c. anno 1184. aliis 1195. aut ſecundum *Hübnerum in Tabulis Genealog. Part. I. Tab. 192.* & Cl. *Thomam in Analect. Guſtrow. Period. I. §. 1. p. m. 45.* anno 1200, nullo poſt ſe Hærede relicto, de quo pluribus legi meretur ipſe *Cranzius l. c. Lib. V. cap. 8. item lib. jam cit. VI. cap. 24. & 38.* Ceterum de *Pribislao* noſtro Rege, quomodo ille poſt mortem Fratris ignominioſam obſeſſus in urbe Demin, maſcule ſe defenderit, oppugnatores in fugam abegerit, *Adolphum* Holſatiæ & *Reinaldum* Thietmarſiæ Comites cum multis ſuorum necaverit, poſtea incenſo oppido Demin ad *Caſimarum & Bugislaum* Duces Pomeranorum conſanguineos ſuos atque ejusdem Nationis, aufugerit, ab eisque hoſpitaliter habitus, & a latrociniis abſtinere ſerio admonitus fuerit, eum tamen multis

præ-

præliis a Patria Provincia expulsum Dux Saxoniæ *Henricus Leo* tandem iterum in gratiam admiserit, eique omnem hæreditatem paternam reddiderit, nempe Obotritorum terram, excepto Zwerino cum attinentiis ejus, Rotzstochium oppidum vallo cinxerit, Monasterium Dobberanense Ordinis Cistertiensis anno 1170. exædificaverit ac multis prædiis ditaverit; cum ipso *Henrico Leone* postea in Terram sanctam peregrinatus fuerit: hæc omnia, præter ea, quæ de eo jam supra recensui, pluribus adducit ac describit laudatus *Cranzius Vandal. lib. V. cap. 1. 3. 4. 5. 6. 7. & 8.* nec non *lib. VI. cap. 28.* Mortuus autem est Rex *Pribislaus* cum Lüneburgi in Ludo s. certamine Equestri cum equo excussus & fracta hinc cervice expiraverit Kalend. Octobr. non 1179. uti scribit *Cranzius l. c. lib. VI. cap. 24. & Bucelinus in Stemmatograph.* cit. neque etiam anno 1215, ut habet Auctor noster, quem errorem Chronologicum gravissimum in illo jam notavit sæpius laudatus Dn. *Thomas Analect. Gustrov. Period. II. §. 1. p. m. 44.* multo minus 1205. secundum *Genealogiam Ducum Mecklenburgensium* a Duce *Udalrico* in Templo Cathedrali Gustroviæ lapidi marmoreo incisam, aut secundum alios 1225. sed potius 1178. testibus *Anonymo* Annalibus his adnexo in *Genealogia Illustriss. Ducum ac Principum Megapolitanorum;* laudato Cl. *Thoma l. c.* nec non celeb. *Hübnero in Tabulis Genealog.* sæpius cit. *Tab. 192. & 193.* Tres *Pribislaus* noster habuit Conjuges. I. *Petronellam,* Regis supra adducti *S. Canuti* Wendorum & Obotritorum a *Lothario* Cæsare constituti, nec non Ducis Slesvicensis a Patrui sui Filio *Magno* anno 1134. necati, & Conjugis *Ingeburgæ* Filiam, *Waldemari I.* Regis Danorum anno 1182. demortui sororem, ex qua vidit *Canutum* Ducem Wendorum, qui ἄπαις mortuus Ottenseæ in Dania anno 1183. II. fuit *Voislava* Regis Norwegiæ *Burewini* Filia, quæ illi peperit Filium *Henricum Burevinum* I. Seniorem, Primum Obetritorum atque Wendorum Principem, uti vocatur *lib. VI. cap. 38. & lib. VII. cap. 3. Wandal. a Cranzio.* „Cum enim „*Pribislaus II.* per iniquam belli fortunam de „loco regio dimotus, propositas a victore „conditiones acciperet, temporique cederet, „seu necessitati pareret, quod semper sapien„tis est habitum, abstinuerunt tandem & ipse „& posteri ejus vel sua sponte ab invidendo „Regum Titulo, satis habentes si vel Princi„pes generatim, vel Domini speciatim ratio„ne hujus illiusve Territorii appellarentur. Un„de posteaquam Terrarum nova divisio a Fra„truelibus facta fuit, alii *Mecklenburgensium* „alii *Werliorum* s. *Wendorum*, alii *Rostochiensium* „alii *Richenbergensium* seu *Parchimensium* Do„mini cœperunt appellari, nec secus in Diplo„matibus subscripserunt, salvo interim commu„ni PRINCIPIS prærogativa ac Titulo pro„miscue ipsis tributo, donec tandem *Mecklen„burgensium Domini* anno 1348. Ducalem Im„perii Romano-Germanici Principum digni„tatem obtinerent, & in memoriam auctæ Ma„jestatis Regiæ Corona insignirentur a *Carolo de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.* „IV. Imperatore in Stemmate gentilitio. Ita egregie de Principum eo tempore Mecklenburgensium Titulis adsumtis disserit sæpius laudatus Cl. Dn. *Thomas Analect. Gustrov. Period. II. §. 1. in Notis p. 47.* quo loco etiam adhuc de Domini Titulo perdocte commentatur. Mortua autem est *Voisclava* Regis nostri ultimi, Principis autem I. Wendorum *Pribislai,* Conjux altera anno 1172. tuncque ad senium vergens, Tertiam superinduxit conjugem *Mechtildam,* Ducis Poloniæ *Boleslai Crispi* Filiam, ex qua nullam vidit sobolem. Interim de *Pribislao* nostro & Fratruele ejus *Nicoloto* quoque videre est *Lindebergius Chron. Rostoch.* lib. II. cap. 1. & 2.

Cap. XLI. Auctor noster recenset quædam de *Pribislai* Filio successore *Henrico Burevino* I. Hic Regio Titulo plane abstinuit, atque se Principem aut etiam Dominum Slaviæ vel Magnopolensem, Fürsten oder auch Herren zu Wenden oder Mecklenburg vocari maluit seque etiam in Diplomatibus ita subscripsit: Divisit autem ille cum Patruele suo *Nicoloto* omnem Ditionem suam Paternam anno 1179. ita, ut primum *Nicolotus* Meclenburgensium, *Burevinus* autem Rostochiensium Dominus fieret; ast cum forte ista sua divisione non contenti essent, ac alter alterum intestinis disfidiis & excursionibus invaderet, ac Regiones utrasque misere depopularentur, ambo hinc a vicinis consanguineis Principibus anno 1182. capti ac in vincula conjecti sunt. Sed Rex Daniæ *Canutus*, qui *Burevinum* nostrum tenebat, anno 1183. arbiter factus inter disfidentes captivitate jam solutos, litem ita diremit, ut *Nicoloto* Rotzstochium cum tractu Kisfinorum, *Burevino* vero Ilow & Magnopolis (ea est terra Obetritorum) proveniret, & uterque de manu Regis Terram suam recognosceret. In quam rem dedere obsides XXIV. inter quos erat *Burevini* Filius, teste *Cranzio Wandal. lib. III. cap. XXIV.* Conf. idem Auctor *cap. 38. & lib. VII. cap. XVI.* inprimis autem Cl. *Thomas Analect. Gustrov. Per. II. § 1.* per totum, ubi & Auctorem in anno Fundationis Monasterii Campi solis refutavit. Istius namque fundatio non an. 1225. sed 1211. facta est, & translatum hoc Monasterium postea fuit in alium locum prope Wismariam 1219. Primam Conjugem *Burevinus* I. habuit *Mechtildam,* non uti Auctor noster l. c. & *Cranzius* memoria lapsus *lib. VII Wandal. cap. 16. Mylius in Chron. Germanico Ducum Meclenburg.* nec non *Genealog Ducum Mecklenb.* a Duce *Udalrico* in Templo Cathedrali Gustroviæ marmori incisa; Regis Poloniæ Filiam, sed potius *Henrici Leonis* Saxoniæ Ducis Filiam naturalem, uti jam ante rectius scripserat *Wandal. lib. VI. cap. 24.* laud. *Cranzius*, quocum & sentit *Bucelinus* in *Stemmatograph.* nec non Cl. *Hübnerus in Tabulis Geneal. Part. I. Tab. 193. Anton. Albitius in Genealog. Principum Megapolensium, Pomarius* in der alten Sächsischen Chronic *pag. m. 265.* & alii. Conjux hæc Mater facta est *Henrici II, Nicolai,* & Filiæ *Catharinæ* ab Avo suo materno *Henrico Leone,* Comiti Oldenburgensi *Johanni* IV. Filio *Johannis* III. Comitis zu Wildeshausen, & Eilmari II. Comitis

Henricus, cogn. Burevinus II. Herulorum Dominus I.

Oldenburg. Nepoti locatæ. Ea autem anno 1191. demortua, Alteram duxit *Adelheidam* Ducis Poloniæ *Lesci V.* Cognom. *Albi* non autem *Casimiri* II. ejus Patris, uti scribit *Albinus Genealog.* Filia, cum qua in sterili vixit conjugio *Burevinus* noster, Filiosque suos supervixit, pervenit namque ad annum XXVIII. post mille ducentos, ad VI. Calend. Februar. die scil. 27. Januar. placide obiens, nam adhuc interfuit cum copiis suis auxiliaribus gravissimo illi prælio, quod Lubicenses pro conservanda sua libertate cum Rege Danorum *Waldemaro* II. anno 1227. die 22. Julii ipso die S. Mariæ Magdalenæ sacro, prope pagum Bornehovede, ante Suentinefeld dictum, in terra Holsatorum felici sydere. habuere, teste *Cranzio Wandal. lib. VII. cap. XVI.* ut vel inde minime anno 1227. Filiis adhuc *Henrico* & *Nicolao* superstitibus decessisse *Burevinum* nostrum, appareat, quemadmodum Auctor noster h. l. scriptum reliquit, ut & B. *Lindebergius l. c. cap. 3.* qui propterea *Cranzium* ac si Pater *Burevinus* senior, Filios suos non supervixisset, erroris falso arguit. Ita quoque notandus est error Chronologicus gravissimus, qui in *Tabula illa Genealogica Ducum Meclenburgens.* a *Pribislao* ultimo Vendorum Rege ad Duces *Johannem Albertum* I. & Adolphum | Fridericum I. Fratres germanos producta & typis exscripta occurrit, quæ annum Burevini I. Senioris 1225. posuit. Ceterum Privilegium illud, quod dato singulari hac de re octavo Kal. Julii anno ab incarnatione Domini MCCXVIII. Indictione V. Epacta XI. Concurrente VI. Diplomate, *Lubecensis* Civitatis Juris beneficio novo suo Oppido Rostock nunc & semper frui concesserit Dominus Magnopolensis (ut se vocat) *Burevinus* noster, adducam suo tempore in *Antiquitatibus Rotzstochienſibus*, s. de Urbe & *Academia Rotzstochienſi Historia* B. mei Genitoris, quam primum etiam, ut spero, edenda.

Henricus II. Junior, cogn. Burevinus, Herulorum (et Rotzstochienſium) Dominus II.

In Cap. XLII. concludit Auctor Lib. II cum *Henrico* II. Juniore Burevini I. Senioris Filio ac successore, ejusque alterius Filii *Nicoloti* vel tribus saltem verbis simul meminit. Et quidem quod ad hunc *Nicolaum* s. *Nicolotum* hujus nominis IV. attinet, pauca etiam de hoc apud Auctores occurrunt notanda, nisi quod in Divisione terrarum a *Burevino* I. Patre adhuc vivente, ejusque arbitrio anno 1219. susceptа (id qod frustra contra veritatem historicam negat *Lindebergius*. l. jam supra cit. cum & Filios hos suos supervixit, ut Nepotum adhuc Tutelam in se suscipere debuerit teste *Cranzio* Lib. VII. cap. 16.) Territorium Meclenburgense (*das Land zu Mecklenburg*) *Henricus Burevinus* II. Frater *Nicolai* Tractum Herulanum s. Orientalem Kissinorum Ditionem (*das Land zu Wenden oder Werle worinn auch Rostock liegt*) acceperit, unde *Henricus* noster *Burevinus* II. Herulorum atque Rotzstochiensium (*zu Werle und Rostock*) *Nicolaus* vero Frater ejus, se Dominum Meclenburgensium (*Herren zu Mecklenburg*) scripserint. Et quidem *Nicolaus* hic Gadebusii sedem suam postea elegit, ubi corruente veteri Domo, anno 1228. Patre suo ut dixi adhuc vivente, oppressus sine prole periit, minime confundendus, uti *Calovius* s. potius *Mylius in Chron german. Ducum Mecklenb.* in Vita *Henrici* nostri *Burevini II.* (exemplari typis exscripto, non autem in MSSto illo aucto & continuato, quod possideo & Annalibus his adnexui) in vita *Henrici* nostri *Burevini II.* fecit, cum *Nicoloto V.* nostri *Henrici Burevini* II. Junioris Filio, qui Rebellionem exædificavit, & Malchovium munivit &c. de quo paulo post ad Lib. III. Cap. I. Auctoris nostri dicam. *Henricus* autem *Burevinus II. Junior*, de quo nunc potissimum sermo est, post Ditionem Kissinorum Orientalem a Patre acceptam excisa jam atque a Regis *Nicoloti* II. Filiis *Pribislao* II. & *Wertislao* igne penitus deleta inclyta & perantiquæ Herulorum Colonia, Urbe sc *Herula* ac *Werla* seu *Werl* vix VIII. mille pass. intervallo Gustrovia distante inferius autem ad Varni cum Nebula permisti ripam prope pagum Wicsse sylvas inter & paludes sita, atque a *Lindeberg. Chron Rostoch. Lib. I. Cap. VIII. p. m. 34 & 35.* pluribus descripta, sedem ille sic suam Gustroviæ elegit, quam non instauravit solum ac *Aula Principali* primum condecoravit, sed eam quoque Jure Civitatis Teutonicæ h. e. Juribus Suerinensibus a Clariss. Dn. *Thoma Analectis Juis Gustrov. Period II. §. 2. in notis* insertis anno 1220. donavit: insuper etiam fundata in ea atque suis impensis ac reditibus anno 1226. exædificanda S. Basilica Aede seu Templo Cathedrali S. Cæciliæ dicato (cujus tamen vix inceptæ ædificationi eodem adhuc anno die 5. Junii, immortuus est) exornavit. Atque sic etiam *Henricus* noster *Burevinus* biennium ante Parentem suum *Burevinum* I. Seniorem intempestivo fato abreptus demum anno 1228. in Templo illo Cathedrali Gustrovienſi a se exstrui quidem incepto, sed Posteritati suæ ad consummandum relicto tumulatus fuit, superstitibus ex *Sophia* Conjuge Regis Suecorum Caroli I. (rectius VI.) Filia, quatuor Filiis & tribus Filiabus, *Sophia* a Fratre suo *Johanne Theologo*, Regi cuidam Cypro adhuc Parisiis studiorum caussa commoranti desponsata; *Magdalena*, ab eodem Fratre suo Principi cuidam Marsilienſi locata; & *Margaretha*, Comiti Suerinensi *Gunzelino* III. nupta. In *Tabula Genealog. Ducum Mecklenburg.* in dicta Aede sacra Cæciliana, quam Dux *Ulricus* marmori ibidem incisam anno 1574. curavit, huic *Henrico Burevino II.* adhuc duæ Conjuges affinguntur nempe altera Principissa Saxoniæ, & tertia Comitissa Rupinensis, de quibus tamen cum nostro Auctore reliqui Rerum Meclenburgensium scriptores omnes ac Genealogistæ tacent. Ceterum de nostro *Henrico Burevino II.* adhuc pluribus omnino vid. sæpius laudatus Cl. *Dn. Thomas. l. c. §. II. & III.* ubi tamen p. *m. 55.* in eo graviter erravit, *Nicolotum III.* ab *Nicoloto IV.* Avi ex Fratre Nepotem, a Fratre non distinguens; *Nicolotus* namque *III.* Filius *Wratislai* suspensi in prælio Daslensi jam anno 1200. perierat, uti jam supra ad Cap. XL. Auctoris dixi; ast nostri *Henrici Burevini II.* Frater *Nicolotus s. Nicolaus IV.* utique ipsi supervixit cum uti

uti paulo ante ex *Cranzio* & ipso etiam Dn. *Thoma* adduxi, anno 1228 Gadebusi ex domus ruina ἄπαις perierit. Ita etiam præter IV. Filios infra cum Auctore nostro adducendos, in suo *Chron. MSto M. Andreas Mylius* nostro *Henrico Burevino* II. adhuc VII. alios, *Nicolotum, Christophorum, Balthasarem Laurentium, Henricum, Bernhardum et Wilhelmum* Filios affinxit, qui tamen potius ad *Nicoloti V.* Posteros pertinent, atque in Lib. III. Auctoris nostri omnes occurrunt. Atque hæc quidem ad A. nostri Librum II. nunc dixisse sufficiant.

Mitto nunc *Henrici* nostri Filios reliquos atque cum Auctore nostro in Lib nunc sequ. III. illius Filium *Nicolotum f. Nicolaum V.* atque ab eo descendentes omnes in quintam usque progeniem per singula Libri hujus capita ordine considerabo, quidque in cujusque illorum vita vel in Genealogicis vel Geographicis aut Historicis minus dextre ab Auctore nostro litteris mandatum fuisse invenerim, ex fide dignissimis Scriptoribus aliis breviter adnotabo. Sit ergo cum A. nostro Cap. I. de *Nicoloto V.* Herulorum ac Wendorum Domino. Hic in divisione Terrarum avitarum a se & Fratribus suis denuo anno 1234. instituta, sorte obtinuit omnem Herulorum atque Wendorum (*das Land zu Werle oder Wenden*) uberam frugum Provinciam, quæ teste *Cranzio Wandal. Lib. VII. Cap. 42.* ex omnibus latissi- „marum Nationum Provinciis sola verum & „antiquum nomen retinuit, ut *Wandalia* dicere- „tur. Oppidis non contemnendis plena, Gu- „strov, Plawe, Malchin cum ceteris, Ex hac itaque sua per sortem accepta Provincia salutatus est Herulorum Dominus I. (*Herr von Werle oder Wenden*) cum omni posteritate. Multa hic *Nicolaus* bella gessit cum Marchionibus Brandenburgensibus conterminis præsertim de Finibus. Timor Dei & circum- „spectio solicita tutum illum præstare inter ar- „dua videbantur. Mores, & verba futilia, „quæ nullum præ se ferre pondus viderentur: Sed erat prudens & virilis in cœpta „constantia. Ludicra & levia & inania videbantur, quæ dixit; sed in exitu apparebat „prudens consilium, scribit idem *Cranzius l. c. Cap. 35.* Illudque ibidem probat ex *Nicolai* nostri cum Marchionibus aliquando de Finibus controversis instituta tractatione, quibus callido joco supervenit. Sicque de eo per- „git: Joculares nonnunquam prætulisse levi- „tates videbatur, sed non degeneravit exitus „a sapienti providentia. Stabat aliquando „in conspectu Marchionum, ad similes caus- „sas de Finibus contrectandas, & quum pa- „trare sibi responsa non viderentur, detracto „pileo, *Ecce*, inquit, *Calvus Wandalus*, rursus re- „posito, *Ecce audacissimus miles*, Cachinno ex- „cipitur a Magnatibus, sed tam illius jocos „quam aliorum gravitatem reverebantur. „Legimus ironem *Socratem*, *Æsopum* fabula- „torem, sed inerat rebus ludicris summa pru- „dentia. Hæc *Cranzius*. Præter felicissimam ac sumtuosissimam Templi Cathedralis Gustrovensis a Genitore cœptam absolutionem, urbes etiam alias instauravit & munivit, Röbelam sc. Gnojam, & Malchinum, teste *Marescalco* nostro in *Chron. Rhytm. lib. 2. c. 1.* sic etiam urbem Gustroviam in qua Aulam suam quoque habuit, anno 1248, & meliorem & ampliorem reddidit, *Tertiam* insuper *Jurisdictionis partem in excessibus corrigendis, multisque irrogandis Gustrovienſibus suis ad Civitatis usum peculiari privilegio* anno 1270. concessit, adducto a Cl. *Thoma in Notis lit. δ. Analect. Gustrov. Period. II.* §. 4. ubi & multa ad *Nicolai* nostri historiam omnino facientia de eo recenset. Conf. *Cranzius lib cit. cap. 16. 35. & 42.* Naturæ debitum hic Princeps optimus reddidit anno 1277. d. 7. Maji annos LXXXIII. natus, LI. Regiminis. Conjux fuit *Juditha* Ducis I. Anhaltini *Henrici* I. ut quidam volunt, Filia.

Nicolotus V. Herulorum et Wendorum Dominus I.

In Cap. II. Auctor noster initium facit a *Nicoloti* Filiis, ejusque Filium *Johannem* I. Cognom. *Pacificum*, Dominum Herulorum & de Werla primum describit. Mortuo namque illius Parente paulo ante laudato *Nicoloto V.* Herulorum Domino, ad illius Filios IV. superstites Hæreditatis jure devoluta est summa rerum, omnisque tractus Herulanus (*das Land zu Werle*) seu Principatus Venedorum, qui abs cæteris hujus Terræ Provinciis sejunctus mansit quoad floruit illustris hæc Familia in *Nicoloti* dicti Nepotibus ac Posteris, teste ipso Dn. *Thoma Analect. Gustrov. Per* II. §. VI. statim ab initio, qui & sequentia huc facientia eod. l. subjungit: „Pacata Gustroviæ fuisse omnia, „quoad *Henricus* Senior Cognomento *Modestus* cum Fratre suo, nostro *Johanne Pacifico* „conjunctim rebus præfuerit: Hoc autem „(*Johanne I.*) anno 1289. ad superos transla- „to, & *Henrico* Fratre superstite ad secundas „vel tertias nuptias transgresso, hujus (*Hen- „rici*) Filios, ante diem patrios in anno; inquirere cœpisse: In cujus rei veritatem ipse Dn. *Thomas* ex Auctoris nostri *Annalium* horum Lib. *præsentis cap.* III. ejusque *Chronic. Rhytm. lib.* II. *cap. 3. Thomæ Kanzovii Chronic. Pomeran.* MSC. nec non ipsius etiam *Kranzii Wandal. lib.* VII. *cap. 43.* verba propria ibidem adduxit. Hic *Johannes* I. Conjugem habuit *Sophiam* Comitis Ruppinensis & Lindovienſis Filiam, ex qua VI Filios, (nam *Henningum* Filium, quoque ejus neglexit Auctor noster) produxit, de quibus postea suo loco dicam. Cæterum de Fratribus *Johannis* nostri I. præter *Henricum* Senior. cognom. *Modestum*, de quo ad Cap. III. Auctoris nostri quædam addam, *Bernhardus* quidam nomine, Monachus Dominicanus fuit, ac Patri suo non diu supervixit, siquidem in juventute mortuus est anno 1286. Doberani postea apud Majores suos ac prope Patrem tumulatus; cui biennio post alter Filiorum *Nicoloti* & Frater *Johannis* I, *Hennings* dictus, qui castra secutus etiam in juventute obiit anno 1288. in cœlibatu: Una autem Sororum *Johannis* nostri *Hedwig*, Conjux fuit *Johannis* II. Marchionis ac Electoris Brandenburg Prenzloviæ obiit 1277. in Cœnobio ab ea ibidem fundato, ter-

Johannes I. Pacificus, Dominus Herulorum et de Werla. II.

ræ mandata. Altera Soror *Juditha* Patrui ſui *Johannis* Theologi Filio, Principi *Alberto* locata fuit, quocum in ſterili vixit Conjugio. Quod vero ad Filios proprios *Johannis* noſtri attinet, de *Nicoloto* & *Johanne* Cap. IV. & VII. hujus Libri ipſe Auctor noſter agit; *Guntherus* Canonicus Magdeburgenſis obiit 1313: *Henningus* caſtra ſequutus, vitam in Cœlibatu clauſit: *Bernhardus* autem & *Henricus* ambo Ordinis S. Dominici, Monachi in Cœnobio Röbelenſi conſenuerunt.

Henricus Modeſtus, Dominus Herulorum et de Werla in Guſtrov. III.

Alter Filiorum *Nicoloti V. Johannis* I. Germanus, fuit *Henricus* Senior cognom. *Modeſtus*, cujus meminit Auctor noſter *cap. III.* Hic etiam fuit *Dominus de Werla in Guſtrow Tutor Dominii Rotzſtoch*, a Principe *Nicolao* Puero de Rotzſtoch ſuo ex Patruo *Woldemaro* Nepote, cujus Tutorem egit, ita dictus. Tres ille habuit conjuges, unam *Helenam* Principis Rugiæ *Jaromari* Filiam: qua demortua; alteram Duxit *Mechtildam*, Ducis *Johannis* Lüneburgenſis, *Ottonis* Pueri, Filii *Wihelmi* Nepotis, Filiam, ex qua nullam ſobolem vidit; Aſt cum & tertiam poſt mortem *Mechtildis* ſuperinduxiſſet conjugem *Anaſtaſiam* Ducis Pomeraniæ Filiam, exque ea produxiſſet unicum Filium *Barnimum*, qui dein Abbas Colbacenſis & Præpoſitus Camminenſis factus eſt; Filii ejus *Henricus* & *Nicolaus* ex primo Conjugio producti partim ad tertium Parenti s conjugium contractum exacerbati, partim ejusdem longioris vitæ & regiminis pertæſi, cum & inſolentiores quoque eſſent, eosque crebrius ſuper inſolentia increpaſſet Pater, nec permiſerit uſibus eorum plenos ſumtus, ſtringeretque frena libidinis, ut paternis monitis ad frugaliorem vitam redirent: improbi Juvenes peſſimo conſilio, Patrem in venatione (ſc. ad Salas Rugiorum *beym Rugianiſchen Dorff Sale in Pommern*) agentem, ſumtis armis oppreſſerunt, quo maturius ad Principatum rerumque adminiſtrationem pervenirent. (Factum hoc anno 1291. VIII. Idus Octobr. np. die 6. Oct.) Speraruntque rem atrociſſimam aut occultari poſſe, aut caſibus venationis (qui varii ſunt) imputari. Sed Principes vicini Magnopolenſes rem exemplo & facinore pernicioſiſſimam non paſſi tranſire inultam, propinquos ſuos armis terra ejecerunt, uti hactenus adductus *Cranzius* refert *lib.* VII. *Wandal. cap. 43.* additque, mirum eſſe, quomodo res una diverſis narrationibus texatur, ſicque ex *Annalibus Magnopolenſium*, utpote quibus fides in ea re major ſit habenda, rem geſtam aliter enarrat; non quod Fratres illi parricidæ ad Patruum ſuum *Nicolaum* Parchumenſem fugati, & ab eo & Duce *Alberto* Saxonico contra Fratrueles ſuos de Megapoli armis defenſi, hique ab illis in pugna devicti, ac trecenti tunc ex Megapolenſium ſatellitio capti fuerint; ſed potius quod *Nicolotus* VI. Dominus de Werla in Guſtrow, (de quo mox in ſequ. Cap. IV. Auctoris plura dicam) Parricidarum Frater Patruelis, vindicaverit in illis hanc nefandam cædem, & occupaverit quasdam eorundem munitiones, in eoque luctamine etiam *Nicolaus* alter ex Parricidis iſtis perierit. (adeoque non doloris impatientia vitam finierit, uti Auctor noſter h. l. ſcribit) His rebus dein (pergit *Cranzius*) ob proprium commodum, ut ab his terris velut ad prædam expoſitis, etiam partem aliquam detraheret, ſe quoque immiſcuiſſe *Henricum* Megapolenſem (*Leonem*) *Nicoloti* VI. ex Patruo magno Nepotem; & hinc poſtea opera *Wislai* Rugiani Principis & *Bugislavi* Stetinenſis Ducis Rotzſtochii (an. ſc. 1292. tempore quadrageſimali) conveniſſe omnes, Parricidii auctore *Henrico* ſua repoſcente, *Nicolao* indignum eum ſucceſſione parricidam dicente; in eaque contentione illos diſceſſiſſe re infecta, & *Nicolaum* clauſa licet Civitate elapſum, noctu perveniſſe in Guſtrow, ab eoque qui eum ſequutus fuerat Rugianum Principem Pacis ſequeſtrem (ſc. ut ad compoſitionem eum perſuaderet) velut hoſtem, captum fuiſſe (dum die Mercurii poſt Dominicam *Invocavit* ipſo quadrageſimali tempore rebus ſacris intereſſet in Templo: ut ergo *Wislaus* non ab *Henrico* parricida cui favebat, ex mente Auctoris noſtri, ſed ab *Nicoloto* cædis vindice Guſtroviæ captus, Parchimumque in cuſtodiam abductus fuerit, recte hic a *Cranzio* Pomeranicisque Scriptoribus & a Cl. *Thoma l. c. §. 6. in Not. lit. β.* adductis, dicitur) inde *Cranzius refert:* congreſſos *Nicolaum* & *Henricum* Megapolenſem (Leonem) de Ditione Parricidæ luctantes, prælio Victorem *Nicolaum* multos cepiſſe, exercitumque circumtuliſſe; *Henricum* Magnopolenſem, *Henrici* parricidæ partes tueri viſum, ſuorum tamen commodorum non oblitum, multa etiam loca occupaſſe, & fraude Clerici, Oppidum Warne, cujus Clavium formas cera expreſſas illis tradiderat, cum altero *Henrico* Parricida cepiſſe; *Nicolaum* vero per lacum ex Rabele & Plaue & Ruſſum a terra oppugnantem, captis qui inerant præſidio; Oppidum expugnaſſe, ipſos poſtea inter ſe iterum conciliatos, *Nicolaum* & *Henricum* Magnopolenſem Terram Parricidæ inter ſe partitos eſſe, Parricidam contra ut dignum fuit, in tenuitate ſine prole, (perpetuum exulem) permanſiſſe. Atque hæc quidem ex *Cranzio* quocum ſentit & Celeb. *Thomas* l. jam citato, ob fidem hac in re hiſtoricam longe probabiliorem, in primis etiam, cum *Annales Pomeranici* ſemper bonæ fidei, *Cranzio* adſtipulentur. Cæterum Parricidarum ſoror unica *Rixa* dicta, Duci Brunſuicenſi *Alberto Pingui* nupta fuit.

Nicolotus VI. Dominus Herulorum et de Werla Guſtrow.

Sequitur Cap. IV. *Nicolotus* VI. Dominus de Werla in Guſtrow, qui præter Filium *Johannem* III. (de quo mox Cap. V.) ex *Rixa* ſua Conjuge *Henrici* ſeu *Erici* - - - - Regis Daniæ Filia, (quam ſoſtri loco Regi a militiis, ſibi vix quadriennem promeruit ſponſam, ad annos usque pubertatis in Cœnobio Dobbertinenſi educatam) anno 1313. demortua, etiam produxit *Nicolaum* in pueritia denatum: *Henningum* Dominum de Werla in Stavenhagen, quam cum omnibus pertinentiis in dotem cum Conjuge ſua *Mechtilda* jure hæreditario accepit a ſocero ſuo *Ottone I.* Duce Pomeranico Steti-

Stetinensi. Mortuum 1338. sine prole. Filiæ illius *Sophia* Duci *Erico* Suecorum desponsata. Vid. *Arnold. Vitt. Part.* II. *Chron. pag.* 127. *seqq.* Altera *Rixa* Principi *Erico* Suecorum quidem desponsata, sed Comiti *Gerhardo* I. Comiti Holsatiæ Rensburgensi locata; Denique Tertia *Margaretha* nupta fuit Duci *Rudolpho* Saxo-Lauenburgensi, Filio *Adolphi.* Cæterum *Nicolotus* noster strenuus ille & justissimus de nece Patrui sui vindex, quod priori in Capite ex *Cranzio* pluribus adduxi, non solum de Gustrovia Urbe sua aulica sede, bene meritus, sed bellorum etiam, quæ cum Marchicis, Rugianis, ac Pomeranis gessit, gloria clarus, vivere tandem desiit, anno 1316. die 12. Octobr. Dobberani sepultus. Plura de ejus beneficiis in Gustrovienses collatis commemorat sæpius laud. Dn. *Thomas l.c.* §. 7.

Johannes III. s. Janus Junior, Dominus Herulorum & de Werla & Goldberg. V.

In Cap. V. Auctor noster *Johannem* III. seu *Janum Juniorem* Filium *Nicoloti VI.* Dominum de Werla & Goldberg, paucis describit, neque etiam de ejus rebus gestis, ullibi aliquid adnotatum legitur. De Conjuge ipsius *Matilda* s. *Mechtilda* variant Auctores inter se. *Marescalcus* noster h. l. quocum & *Tabula Genealogica Ducum Mecklenburgensium Gustroviæ* in Templo Cathedrali erecta facit, *Ottonis* Stetinensis in Pomerania Ducis Filiam fuisse scribit. *Auctor Anonymus Tabularum Genealogicarum Regum ac Principum Megapolitanorum* a me nunc simul publicatarum, hunc *Ottonem* Ducem facit Lüneburgensem. At *Mechtildis*, quam anno 1314. domum duxit *Johannes*, Pater non fuit *Otto* sed *Barninus* II. Sidinorum Pomeraniæ Dux, qui in adulterio comprehensus, anno 1295. necatus fuit, uti recte annotavit Cl. *Hübnerus Tabul. Geneal. Part.* I. *Tab.* 193. & 197. De *Nicoloto* Filio nostri *Johannis* III. ad *Cap.* VI. Auctoris quædam addam. Alter autem Filiorum *Johannes* IV. Dominus de Werla habuit ille Conjugem *Richardin.* (*Hübnerus l.c. Mechtildam* iterum nominat) - - - - Ducis Lüneburg. Filiam ante illum 1346. vita functam, ipse autem *Johannes* IV. biennio post sine prole anno 1348. ante Patrem obiit. Ex Filiabus ejus *Sophia* Comitem Lindaviæ *Albertum* Conjugem habuit; *Elisabetha* Abbatissa Cœnobii Dobbertinensis fuit; Tertia autem *Margaretha*, quam *Hübnerus* l. c. *Mechtildam* dicit, Comiti *Ottoni* Suerinensi circa annum 1356. sine liberis demortuo, locata est. Ipse autem Pater *Johannes* III. animam efflavit non 1326. sed 1351. teste *Hübnero* & *Cl. Thoma ll cc.*

Nicolotus VII. Dominus Herulorum & de Werla in Goldberg. VI.

Pergo cum Auctore nostro ad *Cap.* VI. in quo de *Nicoloto* VII. Filio *Johannis* III. agit. Hic Dominus de Werla in Goldberg Conjugem habuit *Agnesam* Comitis *Ulrici* senioris Ruppinorum & Lindaviæ Filiam, ex qua propullulare vidit duos Filios, *Johannem* V. *Knese. Janecke* dictum, itidem Dominum de Werla in Goldberg, quem Auctor noster allegat, in flosculo adhuc ætate sine prole anno 1376. demortuum; item *Henningum* in Stavenhagen ifidem in juventute anno 1362. extinctum, qui ad annum usque 1357. Tutorem habuit *Nicolaum*, *Johannis* II. Senioris Filium Dominum de Werla & Werdenhagen Cogn. *Balbum.* Fili auna *Agnes* I. *Agneta* nupsit *Johanni* IV. *Bernhardi* Filio, Domino de Werla in Waren. Minime autem improlis, nec etiam *Bernhardi* Conjux, ut Auctor noster scribit, sed altera Filia *Matilda*, ut recte adnotat Auctor noster, Duci *Laurentio* Domino de Werla in Gustrow, conjugii vinculo adsociata fuit. Obiit tandem *Nicolaus* Pater 1354.

Johannes II. Senior, Dominus Herulorum & de Werla. VII.

Cap. VII. *Johannes* II. sic dictus *Senior*, Filius *Johannis* I. *Pacifici*, *Nicoloti* autem VI. Germanus, ab Auctore nostro describitur. Hic Fratri suo *Nicoloto* VI. post ejus obitum in Regimine successit, Princeps non minus manu fortis quam bello strenuus, magis tamen Marchioni Brandenburgico quam *Henrico Leoni* Meclenburgico amicus; amicissimus autem Gustrovienfibus suis. Nam anno 1323. Civitatem (illorum) multis cultissimi agri jugeribus impertivit, juvit, locupletavit, permittendo plenam eisdem potestatem emendi vel potius redimendi integram villam *Glevin* cum Molendino omnibusque huc pertinentibus aquis, sylvis, agris, pratis, pascuis &c. ab Abbate & Conventu Monasterii Lapidis s. Michaëlis (*des Münsters zu dem Michel-Stein an dem Stiffte zu Halberstadt*) Ordinis Cistertiensis in Halberstadt, qui olim 1292. a Principe *Nicoloto* s. *Nicolao* (Fratre suo) prædictam Villam donationis jure abstulerant: cessitque *Johannes* Princeps noster omni exceptione ac jure, quod in villam istam *Glevin* vel a se vel a successoribus suis prætendi unquam posset. Sicuti hæc omnia de *Johanne* nostro exhibita Gustrovienfibus beneficia enarrat Cel. Dn. *Thomas Rerum Gustrov. Period. II.* §. *IIX.* Multa insuper etiam Dominus noster *Johannes* Senior, verbis *Cranzii Lib. VII. Cap.* 42. egit cum Judæis in mirabili Sacramento, quod primum anno 1325. commiserunt in oppidulo Cracone, dum effractis Ecclesiæ foribus & sacratis inde postibus, furati sint tremendum Christi Sacramentum in pyxide, multis, more Romanæ Ecclesiæ, sacratis ad causam infirmorum hostiis, quasdam punctionibus torserint, alias scissuris lacerarint in contumeliam Christi, cæteras conculcarint, sparserintque publico itinere, ut Christianorum pedibus etiam calcarentur; unde postea re patefacta, jussu Domini *Johannis*, omnes in Provincia noxii Judæi exquisitis suppliciis fracti, rotis necati fuere; dein etiam cum anno 1330. in urbe Gustrow iterum venerabile Christi Sacramentum a Christiana muliere coëmtum in synagoga sua punxerint, & fodiendo vitro tecto peploque involuta Hostia quatuor locis cruenta postea inventa, ex ejusdem Domini *Johannis* mandato Judæi conscii cum Christiana muliere, quæ hostiam illis vendiderat, vivi concremati fuerint; cujus in loco (quo sc. reperta fuerat Hostia excarnificata, quoque antea steterat synagoga Judæorum) non magis sacrilegii Judaici, quam miraculi Christiani monumentum aliquod posituri, quomodo e vestigio Fanum Sanctissimi Cruoris *des heil. Bluts-Kirche* exstruendum curarit. Princeps noster, eoque Delubro post CLXX. circiter

citer annos (nempe cIↃ IↃ III. die XXVIII. menſis Junii in ipſa vigilia Petri ac Pauli cum toto Oppido, præterquam Arce Ducali & Baſilica Cæciliana, quæque hujus ambitu continentur ac quinquaginta fere aliis domiciliis ad forum Caprarium (*am Ziegen Marckte*) relictis, teſte *Dn. Thoma l. c. Period. III. §. IV.*) funditus deflagrato, Venerabile illud in ſacram D. Cæciliæ ædem translatum, atque ad tempora usque clarioris Evangelii lucis ac veritatis iisdem hic, quibus antea illic ceremoniis expoſitum, atque a ſuperſtitioſis adoratum fuerit; Omnia hæc etiam pluribus ex *Cranzii Wandal. Lib. VIII. cap. 8.* contractius autem ex *Auctoris* noſtri *cap.* præſenti *VII.* ejusque *Chron. Rhytm. Lib. II. cap. 14.* iterum adducit idem Cl. Dn. *Thomas l. c. §. IX & X.* Mortuus eſt Princeps noſter religioſiſſimus, non, uti *Cranzius* perperam ſcripſit *Lib. VII. Wandal. Cap XLII.* anno cIↃCCCXVI, ſed cIↃCCCXXXVII. d. XXVII. Auguſt. tumulatus poſtea in Dobberan. Majorum ſuorum conditorio communi. Qui in Epiſtola quadam anno 1318. die S. Clementis Martyris Guſtroviæ data, in qua - - - - Feudum ſuum obtulit, ſe ſcripſit: *Johann Herr thↄ Wenden in dem Underlande und Werle h. e. Slaviæ inferioris & Werle Dominum.* Ex conjuge autem ſua *Mechtilda* Duciſſa Luneburgenſi, non autem *Barnini* II. Ducis Pomeraniæ (uti *Anonymus in Genealog. Ducum ac Principum Megapolitanor.* ſcribit) Filia, ante eum defuncta, ac in Röbel ſepulta, vidit duos Filios *Nicolotum & Bernhardum*, de quibus mox *Cap. VIII. & XII.* duas etiam Filias; alteram *Sophiam*, Ducis Pomeraniæ citerioris *Barnini* IV. Conjugem, anno 1364. peſte ablatam, alteram - - - - - Virginem Veſtalem Cœnobii Dobertinenſis. Cæterum de bello, quod una cum Marchione Brandenburgenſi adverſus Patrui ſui Magni ex Filio Nepotem *Henricum* Megapolenſem cognom. *Leonem* de recuperanda iterum ditione Stargardienſi infeliciter Dominus noſter *Johannes* Senior geſſit, in quo ab *Henrico* captus noſter, & in redemtionem ſuam urbem Malchin ipſi dimittere, ejusque caſtra poſtea ſequi debuerit; ex inito tamen anno poſt. 1320. Viſimariæ Principum conventu, facta reconciliatione & pace, acceptaque a Marchione in præmium ſimul Lübz & Wredenhagen. *Henricus* ille *Leo* tunc quoque *Johannem* noſtrum ſibi perpetuo jure devinciens, illi arcem Wredenhagen dederit; poſtea vero ob mortem *Wislai* Principis Rugiæ ſine Liberis decedentis, iterum ob illius terræ Dominium inter ſe diſſidentes, Rex Daniæ, Dux Pomeraniæ de Wolgaſto, Dominus Megapolenſis & Princeps noſter *Johannes* de Werle gladio illam terram partiti fuerint. Deinde etiam poſt annum 1327. & quod excurrit, idem *Henricus Leo* Magnopolis Dominus, bellum in Dominum noſtrum *Johannem* renovaverit, ac inito prælio ad contermina pagi Frederſtorp, noſtrum *Johannem* iterum in fugam converterit, coëgeritque malis in eum plurimis, ut domi quietus maneret. Omnia hæc enarrat *Cranzius Wandal. Lib. VIII. Cap. IV. & XI.*

Accedo nunc cum Auctore noſtro in Cap. VIII. ad Domini *Johannis* noſtri Senioris Filium *Nicolotum* VIII. Dominum de Werla & Wredenhagen, Cogn. *Balbum*, qui memorabili ac illuſtri cœtui Principum inferioris Saxoniæ anno 1338. Lubicæ ab Archi-Epiſcopo Bremenſi. Brandenburgenſis, Swerinenſis, Raceburgenſis, Lubicenſis & Halberſtadienſis Epiſcopis, Brandenburgenſi Marchione, de Btunſwico, de Lüneburgo, de Pomeranica, de Saxoniæ Ducibus, de Holſatia, de Zwerino comitibus, Dominis item de Magnopoli & Werla, publicæ tranquillitatis cauſſa & propter exſtirpandos latrunculos inſtituto, ſimul interfuit, & pax tunc jurata eſt in ſex usque annos. In hoc autem tam celebri conventu *Nicolotus* noſter matrimonium contraxit cum *Agneta* Domini Meclenburgici *Henrici Leonis* conſanguinei ſui Filia, prior namque conjux ejus *Agneta* Comitis *Johannis* Holſatiæ Filia, improlis jam deceſſerat. Hic *Nicolotus* ex hac ſua conjugali conjunctione arctius cum Mecklenburgicis Principibus iniit vinculum, indeque anno 1344. ac deinceps pacta ſua confraternitatis & renovarunt invicem & conſtabiliverunt, teſte Cl. *Thoma Analect. Guſtrov. Period.* II. §. XI. Bellum dein *Nicolaus* noſter geſſit cum Ducibus Pomeraniæ Stetinenſibus, qui clam miſſis ſatellitibus Oppidum Grimme proditione occupavere. Verum ille *Albertum* Ducem Magnopolenſem Propinquum ſuum in auxilium advocans, oppidum hoc iterum recuperavit, & quæ inerat valida militum Pomeranorum Ducum manus, partim capta, partim incendio oppreſſa, pauci eorum elapſi manus victrices evaſerunt. Primarium vero ejus Oppidi virum, cujus proditione oppidum hoc in poteſtatem Stetinenſium hoſtium pervenerat, in conſpectu omnium juſſit concremari, uti ſcribit *Cranzius l. c. cap. 24* Ex *Agneta* ſua Meclenburgenſi reliquit Filios *Laurentium* (de quo mox dicam) & *Johannem V.* Dominum de Werla, qui ex Conjuge ſua *Euphemia*, Ducis *Henrici* Meclenburg. cognom. *Suſpenſoris* Filia, nullam procreans ſobolem, non diu ſupervixit, ſed anno 1377. vitam ſuam cum morte commutavit: Filia autem *Nicoloti* noſtri unica *Catharina* Duci Saxoniæ & Bergerdorff *Alberto* locata fuit. In fata tandem conceſſit *Nicolotus* noſter anno. 1360. Guſtroviæ, cum ultra XX. annos ſuis laudabiliter præfuiſſet.

Nicolotus VIII. cognom. Balbus. Dominus Herulorum, de Werla & Wredenhagen VIII.

In Cap. IX. Auctor noſter Dominum *Laurentium* paulo adducti *Nicoloti Balbi* Filium deſcribit. Hic pacis ſtudioſiſſimus cum Marchionibus Brandenburgenſibus, ſuisque Conſanguineis Principibus Meclenburgenſibus immutabilem coluit amicitiam & ſocietatem, qui teſte Cl. *Thoma l. c. pag. 92.* Goldbergenſem atque Parchimenſem diſtrictum, aliquantiſper ſeparatis Dominis uſum anno 1376 ad ſe ſuosque poſtliminio reduxit, decedentibus ſine virili ſexu Principibus conſanguineis, cum & conjugem habuit *Mechtildam*, *Nicoloti VII.* Domini de Werla in Goldberg, Patrui ſui Magni ex Filio *Johanne III.* Nepotis Filiam, cujus Fratres *Henningus* & *Johannes Gneus Janicus* dictus

Laurentius, Dominus Herulorum et de Werla in Guſtrow. IX.

dictus, (ergo *Mechtilda* illa, non Filia, uti perperam Auctor noster h. l. scribit, sed Soror hujus *Gnei Janici* fuit, teste etiam *Genealogia Ducum Meclenburgensium* quæ in Templo Cathedrali Gustroviæ marmori insculpta conspicitur) in juvenili ætate sine prole decedentes, hinc ad nostrum *Laurentium* Districtus ille Goldbergensis Testamento pervenit. Minime autem *Laurentius* noster adhuc aliam duxit conjugem etiam *Mechtildam* dictam, *Johannis* I. Ducis Meclenb. Auctoris Familiæ Stargard. *Henrici Leonis* Domini Meclenb. Stargard. & Rostoch. Neptem, uti vult Auctor *Anonymus Genealogiæ Illustriss. Ducum ac Principum Megapolit.* in calce horum Annalium simul adjectæ, utpote qui nullam habuit Filiam ita nominatam; potius noster *Laurentius* omnium Auctorum consensu, saltem unicam conjugem jam dictam habuit *Mechtildam s. Mathildam, Nicoloti VII.* Goldbergensis Principis Filiam *Gnei Janici* seu *Johannis* V. sororem, ex qua IV. Virilis sexus Liberos produxit. *Balthasarem* & *Johannem*, de quibus Cap. mox seqq. X. & XI. Auctoris; *Nicolotum* vix crepundiis egressum ex hac vita migrantem teste Auctore nostro & Dn. *Thoma l. c. p. 94.* Quartum autem *Wilhelmum* de quo ad Cap. XVI. Auctoris. Filias item duas: *Euphemiam* & *Agnetam.* Illam adhuc innuptam, hanc autem Deo a Patre dicatam in Cœnobio Malchovienſi demortuas. Cæterum *Laurentius* noster Dominus de Werla in Gustrow, postquam demortuo Parenti suo in regimine successisset, erga Gustrovienses suos in primis se benignissimum gessit; dato siquidem hac de re peculiari Diplomate anno 1375. pro MDCCC. Marc. Lubicensum denariorum veteris villæ Glicu, quam olim Pater ejus *Nicolotus* a Nobili quodam *Henrico Gamme* Hæreditario, in Insula Schwerin emtionis jure sibi olim acquisiverat, possessionem omnem illis vendidit cum omnibus eidem pertinentibus emolumentis, agris, pascuis, Sylvis, paludibus, jurisdictionibus, libere ac perpetuo eadem uti, frui, eandemque in quemcunque usum suum convertere, prouti hoc pluribus adducit sæpius laudatus Cel. Dn. *Thomas l. c. p. 92. & 93.* Ipse autem Dominus *Laurentius* tandem ætate gravis obiit A. 1393. XVII. Kal. Oct. (16. Septembr.) eod. Dn. *Thoma* ibidem adtestante, cum quo etiam sentit *Bucelinus in Stemmatogr.* nec non *Antonius Albitius in Genealog. Principum Megapolensium.*

Laurentium in *Cap. X.* Auctoris excipit Filius *Baldassar* s. *Balthasar I.* Wendorum Princeps & Dominus de Werla. Hic auctore *Cranzio Wandaliæ lib. IX.* in fine *cap. 40. et ult.* nescio quid caussæ in Cives Lubicenses prætendens, cum expeditis militibus ingressus eorum Claustra s. Præsidia ad agros & immunitates urbium, pecora Lubic nsium abegit, Villamque Wislo incendens, nemine persequente prædam feliciter abduxit. Alio tempore idem *Balthasar* assumens in societatem *Bernaim* Ducem de Wolgasto cum quadringentis lanceis ab aliquo Lubicensium quondam stipendiario ob improbitatem dimisso, per avia cum suis ductus, annisi sunt urbem Lubicam occupare, qui tamen ad signum campanæ statim armati, Principis multis ex itinere amissis, manus insequentium Civium vix evadentes, re infecta redierunt ad suos, teste iterum eodem *Cranzio lib. X. Wandal. cap. 4.* Lubicenses autem binis vicibus sibi hanc a *Balthasaro* nostro illatam injuriam, quodque & propinqua urbis vastaverat, & jumenta etiam illorum abegerat, armis vindicantes, ex consensu Principis *Ulrici* Stargardiæ, in oppido Sterneberg ad tempus accepto castra sua metantur, ex quo ad oppidum usque Parchim *Balthasari* subjectum cum agmine suo procedunt, jumenta hinc abigunt, prædam per agros omnes convectant, igne & ferro cuncta fœdantes: Locum etiam ob ubertatem glebæ & villarum frequentiam *Hortum Rosarum* dictum, simili vastitate deformant. Tandem & in oppidum Gustrow agmina sua convertunt, illudque obsidione cingere tentant. Videns hoc *Balthasar* malis suorum commotus, per amicos subornatos, cum Lubicensibus de Pacis conditionibus egit, eaque impetrata, ac rebus omnibus ad liquidum compositis, Lubecenses victorem in Urbem exercitum suum reduxerunt, referente hæc iterum *Cranzio l. c. cap. 10.* Contigit hæc Gustrovienſis obsidio anno 1403. ex quo *Balthasarem* Lubicenses, ut *Marescalcus* noster scribit, ad Pacem tunc brevi haud compulisse, satis eluceſcit. Conferatur de hoc *Balthasaris* cum Lubicensibus bello Poeta Seculo XVI. florens, *M. Henricus Aquilonipolensis de Primordiis Urbis Lubicanæ lib. II. cap. XII. et XIII.* nec non *Janus Bocerus lib.* II. *de Orig. & Rebus gestis Ducum Mecleb.* ap. Cl. *Thomam l. c.* §. 12. Injuriam autem hanc, quam sibi hinc intulerat Dux Stargardiensis *Ulricus*, quod aditum in terras Vandalicas Lubicensibus patefecisset, nec non instinctu *Diederici* de *Quitzowen* arcem suam Wredenhagen vi atque armis eripuisset, minime concoquens *Balthasar* noster, brevi spatio interjecto, inita cum Marchionibus Brandenburgensibus societate, (cujus Electoris & Marchionis *Friderici* I. Dominio se suumque Principatum subjecerat, illique propterea die Severi 1415. homagium præstiterat) anno 1414. bellum Stargardiensibus & Meclenburg. fœdere junctis indixit, in hoc atrociter utrinque pugnatum est varia sorte inter dimicantes, aliquot cæsis, aliis etiam captis, donec *Balthasaris* Patruelis ac Socius, Princeps *Christophorus* de Werla in Waren, qui in fronte aciei semper stabat fortissimeque pugnabat, ab hostibus caperetur, ac magno redemtus pretio pacem acceleraret, quæ etiam communi amicorum interventu ita tandem anno 1416. subsequuta est, ut compensarentur captivi, & ab utraque parte relaxarentur, nec non simultatibus omnibus ac discordiis sepositis per reliquum vitæ tempus concordes inter se ac invicem amici victitarent: prout hæc omnia pluribus adducit sæpius laudatus *Cranzius l. c. cap. XXII.* Atque sic firma demum fuit inter domum Wandalicam, Stargardiensem & Meclenburgensem amicitia, cum testimonio & ver-

Baldassar s. Balthasar I. Venedorum Princeps et Dominus de Werla in Gustrow X.

bis ipsissimis Cl. Dn. *Thomæ l. c. p. 98. & 99.* anno „1418. mutuis invicem pactis ac fœderibus fra„ternis conglutinati Principes Consanguinei „in futurum, si quid humani forte cuiquam eve„nisset, de rebus ac regionibus suis prospexerint „atque præcaverint sibi, ne quid ad alienos de„volveretur Dominos. Consopitis itaque omnibus, quæ ab Lubicensibus adhuc remanserant, offensis atque diffidiis, bellicosissimus noster Princeps ad domum perpetuæ mansionis & quietis abiit, abreptus in peste illa, quæ tunc in aliquibus Saxoniæ Inferioris locis gravissime sæviebat, die quidem 5. Apr. anno 1421. Gustroviæ elatus, ac in æde S. Cæciliana tumulatus, qui e tribus suis conjugibus (quarum prima fuit *Agnes* Ducis *Wartislai* VI. Pomeraniæ Filia; Altera *Euphemia*, Ducis *Magni* I. Lineæ Meclenburgensis Filia, quam anno 1397. demum duxit; & Tertia, hæres unica Sleswicæ & Holsatiæ *Heilwiga* vel *Hedwiga*, ex *Gerhardo* Comite Holsatiæ & Duce Sleswicensi prognata) nullam tamen neque masculam, neque fœmellam vidit sobolem.

Johannes VIII. Princeps Venedorum & Dominus de Werla XI.

Sequitur *Cap. XI.* Auctoris *Balthasaris* Frater *Johannes* VIII. Princeps Venedorum & Dominus de Werla; de quo tamen quid effecerit, nullibi aliquid inveni adnotatum, nisi quod Conjugem habuerit *Catharinam* Ducis Saxoniæ Lauenburgensis *Erici* IV. Filiam, sororem germanam *Erici* V. Ducis inferioris Saxoniæ, quæ postea eo demortuo, anno 1417. Duci *Johanni* II. cognom. *Adolescenti* Fundatori Academiæ Rotzstochiensis locata fuit, teste *Alberto Cranzio Lib. X. Wandal. cap. XXV.*

Bernhardus, Princeps Venedorum & Dominus de Werla in Röbel XII.

Ergo ad *Cap. XII.* Auctoris de *Bernhardo* procedo, qui fuit Filius *Johannis* II. Senioris, Principis religiosissimi, ejusque conjugis *Mechtildæ* Lüneburgicæ, *Nicoloti* VIII. cogn. *Balbi* germanus. Hic ut Frater ejus Gustroviæ, sic ille in urbe Röbel Sedem suam elegit, duxitque conjugem *Elisabetham* Comitis Holsatiæ *Johannis* Filiam, Germanam conjugis fraternæ, ex qua produxit præter *Mirislavam* monialem Eldenaviensem, *Mettam* s. *Mathildam* conjugio Duci Meclenburgensi, *Henrico* cognom. *Suspensori*, sociatam, unicum saltem Filium *Johannem* VII. Dominum de Werla & in Waren; nam de *Mizilao* quem alterum ejus Filium facit Auctor noster, & *Cranzius*, *Hübnerus*, *Bucelinus* & alii Genealogistæ tacent. Noster autem *Bernhardus* obiit anno 1378.

Johannes VII. Dominus Herulorum de Werla in Waren XIII.

Cap. XIII. Auctor noster *Bernhardi* Filium *Johannem* VII. Dominum de Werla in Waren recenset, de quo præter ea, quæ de eo Auctor noster adducit, nihil habeo, quod addam, nisi ut etiam notem errorem a Cl. *Thoma l. c. pag. 105.* jam observatum, sc. Auctorem nostrum *Guilielmum* facere etiam Filium nostri *Johannis* VII. Herulani Principis, Nepotem *Bernhardi* & *Johannis* II. *Senioris* in Gustrow, Pronepotem; qui tamen *Laurentii* Filius fuit, & Johannis II. ex Filio *Nicoloto* VIII. cognom. *Balbo* Pronepos: pro qua sententia militat *primum* gravissimi suo tempore Historici *Alberti Cranzii* auctoritas, quem, judice viro κατάτω ac Medico insigni *Henrico* illo *Meibomio*, in sua ad *Saxoniæ Inferioris* inprimis *Historiam introductione* longe eruditissima m. p. *72. & 104.* ex proposito falsa scripsisse convinci haud potest, majoremque fidem, quo propius ad sua accedit tempora eum mereri *pag. 73.* statuit. Hic enim *Cranzius* in sua de *Rebus Wandalicis Historia* non uno, sed tribus in locis, scil. *Lib. VII. Cap. 42. Lib. IX. Cap. 40 & Lib. X. Cap. 25.* indubitanter adfirmat, Principem *Wilhelmum* fuisse *Laurentii* filium & *Balthasaris* Fratrem. *Deinde* etiam confirmat hoc *Auctor Anonymus Genealog. Illustriss. Ducum ac Principum Megapolitan.* in fine Annalium adnexæ; *Porro* cum eo facit Cl. *Johann. Fridericus Chemnitius* primum Cancellariæ Gustrovensis Secretarius, postea vero in Judicio Provinciali Parchimensi Protonotarius, in *Epitome Genealogico - Historica* MSS. in qua adcurata diligentia e Diplomatibus Tabulisque Archivorum sedulo omnia contexuisse ipse Dn. *Thomas* l. jam cit. adfirmat. Consentit item Cl. *Hübnerus* in *Tabulis* suis *Genealog.* jam sæpius adductis, *Part.* I. *Tab. 193.* Denique a Cl. *Thoma l. alleg.* citatur Diploma ex Archivo Civitatis Gustrovensis, quod Principes illi *Balthasar* atque *Wilhelmus* An. 1418, Civitati illi impertiverunt, ubi iidem *Fratres* (non *Patrueles*) salutantur, hoc modo: Wir *Balthasar* und *Wilhelm* Bruder von Gottes Gnaden Herren zu Werle, bezeugen und bekennen offenbar in diesem Briefe. Ut itaque ad hunc Auctoris nostri errorem Genealogicum satis superque manifestum refellendum ulterioribus testimoniis opus non sit. Præterea etiam hic alterum errorem genealogicum Auctoris nostri de Filia *Johannis* nostri *Agneta*, quam Vestæ in Malacha Herulorum ibidem Cœnobio sese dicasse scribit, observo; Ista enim etiam *Laurentii* Filia, *Balthasaris* autem *Johannis* & *Wilhelmi* soror fuit, uti jam supra ad *Cap. IX.* Auctoris in vita *Laurentii* indigitavi. Ad Conjugem autem nostri *Johannis* quod adtinet, habuit ille *Agnetam* Filiam *Nicoloti* VII. Domini de Werla & in Goldberg, *Johannis* V. s. *Gnei Janici* Sororem Patruelis sui Principis *Laurentii* Costæ Germanam. Obiit tantem Princeps noster, frugalis admodum & diligens rei suæ familiaris Administrator, ex propinato, ut Auctor noster habet, veneno Anno 1400. relictis Filiis *Nicoloto*, *Christophoro* de quibus in *Capp.* mox seqq. *Vviano* s. *Vincentio* qui in pueritia obiit, & unica Filia *Mirislavia* seu *Mishava*, sive ut Auctor noster illlam vocat, *Misiclava* Abbatissa Quedlinburg.

Nicolotus IX. Dominus Herulorum de Werla. XIV.

Accedo nunc cum Auctore nostro in Cap. XIV. ad *Johanis* nostri Filium Primogenitum *Nicolotum* sc. *IX*, quem Auctor noster Adolescentem pientissimum, supraque ætatem prudentem, ac parsimoniæ studiosissimum fuisse, laudat: Ex Conjuge sua *Sophia* Ducis Pomeraniæ Wolgastæ *Bugislai VI.* Filia, sustulisse Filiam *Juditham*, Duci Megapolæo *Henrico* postea nuptam, scribit, qua de vero Auctores reliqui omnes silent, nullosque ex hac Conjuge produxis-

duxisse liberos asserunt. Ita etiam ipse Auctor noster in sequentibus *Henricorum* Megapolæorum Vitis, nullius *Juditha*æ illorum unquam conjugis meminit, id quod paucis, tanquam rem subleste plane fidei hic adnotare placuit. Mortuus autem est *Nicolotus* non uti Auctor noster scribit, 1406. sed potius 1408. teste B. *Thoma in Tabula Genealogica omnium Principum Wendorum l. c. p. 106. inserta.* Cl. item *Hübnero* & aliis.

Christophorus, Princeps Venedorum, Dominus Herulorum de Werla in Waren XV.

Sed ad Cap. XV, in quo Auctor noster de Duce *Christophoro Nicoloti* germano, pauca adducit. Princeps hic bellicosissimus, (quem captum fuisse in bello, quod Patruelis ejus, *Balthasar*, Princeps Venedorum I. & Dominus de Werla ab anno 1414. ad 1416. cum Stargardiensibus ac Mecklenburgensibus Principibus gessit, jam supra ad *Cap. X.* Auctoris ex *Cranzio* dixi) in prælio quodam suorum perfidia cecidit anno 1425. in finibus Marchicis (bey Meyenburg den 25. Aug.) cum adversus *Johannem* Marchionem Brandenburg. Principes illi Venedorum & de Werla illatam sibi ex diffidatione injuriam justis armis vindicatum irent, teste Cl. *Thoma l. c. §. XIII. pag 99. & 100.* Rem gestam sic plenius enarrat *Cranzius Wandal. lib. „XI. cap. IV* Magno, scribit, molimine *Chri„stophorus & Wilhelmus* Domini Wandalorum, „duxere in Prigniffam, quæ est juris Marchio„num pervenereque ad vicina Oppidi Wi„stock, ibi prædas convectabant, omnibus in „circuitu evastatis. *Johannes, Friderici* Mar„chionis Filius, venientibus se oppositi, & in „vicino oppidi Prisswalk congrediuntur. Bel„latum est utrinque strenue: cecidit in acie „fortiter pugnans *Christophorus* Princeps de „Warne. Erat ex Capitaneis Magnopolen„sium, qui turpi fuga cum quadraginta lan„ceis (h. e. 200. equitibus, uti alibi hanc com„putationem facit ipse *Cranzius*) desertor fa„ctus est Principum suorum, venissetque in „manus hostium *Wilhelmus*, nisi *Henricus* Vir „fortis, pro suo Domino se objectasset pericu„lo, captus, ut ille evaderet. *Johannes* quoque „de A. Vir militaris, & jam Consul Rostock„censis ibi capitur. Intercepti cum commea„tibus septingenti currus; tantus fuit gerendi „belli commeatus, tanta in dies provisio. Hac „Victoria primum insignitur *Johannes* Junior „Marchio. referens ex hoste spolia multa. Hactenus *Cranzius*. Cæterum *Christophorus* noster Conjugem habuit - - Comitis Lindaviensis & Ruppinensis Filiam, ex qua produxisse Filium *Johannem*, ante Patrem in juvenili ætate demortuum, & Filiam *Juditham* Cl. *Thomas in Tab. Genealog.* supra cit. nec non *Auctor Anonymus Genealogiæ Illustriss. Ducum ac Principum Megapolit.* scribunt. Notandum autem adhuc ex Cl. *Thoma l. c pag. 99.* Duces Mecklenburgenses cum viderent Principes Herulanos Agnatos suos adhuc improles, anno 1421. universum *Principatum Venedorum* omnesque ejus clientes, ac Cives eventualiter (jure sc. pacti mutui ac fœderis fraterni der Erb-Verbrüderschafft anno 1418 inter se invicem erecti, uti jam supra in vita Principis *Balthasaris* dixi) in leges suas atque fidem jurare jusserunt, volentibus idem & consentientibus (tunc adhuc viventibus) *Balthasare, Wilhelmo* & *Christophoro*, Herulorum Dominis. Verum ex illa Vandalica Stirpe tam ramosa, post necem Principis *Christophori* Varnensis, unicus tantum anno 1425. restitit *Wilhelmus* Princeps Venedorum & Dominus de Werla in Gustrow, in quo tum omnis propagandæ Domus avitæ spes unica consistebat, de quo nunc quædam adhuc ad *Caput* subsequens *Auctoris nostri XVI.* & ultimum (nam quos adhuc in sqq. Capp. ad Finem Libri hujus III. de *Vandalorum in Hispania & Africa Regibus* adnectit Auctor, de iis jam supra ad *Librum I. Annalium* nostri *Auctoris* abundantissime disserui) dicturus sum.

Wilhelmus, Venedorum Princeps & Dominus de Werla, in Gustrow, XVI. & ultimus.

Scilicet in hoc Cap. XVI *Marescalcus* noster Ultimi Venedorum Principis & Domini de Werla in Gustrow *Guilielmi* vitam & res gestas describit. Princeps hic non *Johannis VII.* Filius, *Nicoloti IX.* & *Christophori* Germanus, sed *Laurentii* Filius natu minimus, *Balthasaris* autem & *Johannis* VIII. Germanus fuit, uti ad *Cap. XIII.* in vita *Johannis* VII. indubitatis argumentis illud satis probatum dedi, a prima sua pueritia litteris dicatus, iisque in Academia Pragensi *Johannis* illius *Husii* temporibus initiatus ac probe innutritus fuit, ita quidem, ut domum rediens, inter Canonicos Collegii ad Ædem D. Ceciliæ Gustroviæ fundati fuerit receptus; quod quidem Collegium ideo ibidem a majoribus erat institutum, sacris item litteris ac bonis artibus consecratum, ut asceterium esset virtutis, quo juventus in studio pietatis ac eruditionis Christianæ exerceretur, sicuti verum hujus Collegii usum detegit ac describit sæpius jam adductus Dn. *Thomas Analect. Gustrov. Period. III. §. IX. p. m. 141.* In hoc autem celeberrimo Collegio ad *Præpositi* dignitatem tandem etiam anno 1401. Princeps noster *Wilhemus* evectus est, cui quidem insigni admodum Ecclesiastico muneri, (quod plerumque Nobili, nonnunquam etiam Illustri genere nato delatum fuit, ipse autem Præpositus cum Clero suo Camminensi Pomeranorum Diœcesi subjectus fuit, eo quod Pomerani primum Christianismum in Ducatu Megapolitano Gustroviæ inprimis plantassent) ille per totos XX. annos summa cum laude ac honore Collegii sui, præfuit. Tandem vero ubi Fratres vidit sine prole morientes, sicque inclinantem valde ac labentem, penitusq; hinc emorientem Familiam suam perillustrissim. & vetustissimam, aliorum etiam persuasionibus commotus est vitam monasticam dimittere ac de Familia propaganda cogitare. Impetrata itaque pro more istius seculi a Pontifice Romano venia, conjugium iniit, atque ad Rempubl. anno 1421. post obitum Fratris sui *Laurentii* accessit, quam nunc solus administravit, amans pacem & otium, postquam in funesto illo cum Marchionibus Brandenburgensibus gesto bello Patruelem suum Principem *Christophorum* suorum perfidia in prælio amiserat, ipse autem hostium manus haud evasisset, nisi cum captivitate Equitis sui

fortiſſimi *Henrici Moltzanii* adhuc ægre conſervatus fuiſſet, uti jam ſupra in vita *Chriſtophori* ex *Cranzio* adduxi. Rebus itaque omnibus anno 1427. compoſitis, quantum potuit, paci ſervivit, omnem rixam ac cædem publicam, quantum in ſe fuit poſitum, a tota Meclenburgica terra averruncavit, quemadmodum Rotzſtochienſibus graviſſimum illud periculum, excidium certiſſimum ac plane ferale exitium, quod illorum cervicibus ab ipſis Dominis ſuis cum *Ottone* Brunſwicenſi ac Lüneburgenſi, *Erico* Inferioris Saxoniæ Duce, *Hermanno* Epiſcopo Zwerinenſi & *Johanne* Comite de Hoja, conjunctis, anno 1430. certo certius imminebat, funeſta eorum inſidiantium conſilia detexit, quo magna ſanguinis in urbe iſta effuſio, ejusque ſubverſio impedita fuit, ut inſidiatores hinc infectis rebus diſceſſerint, & civitas illa in ipſo articulo a cædibus ac rapinis liberata fuerit, teſte *Cranzio Wandal. lib. XI. cap. XXI.* & *Lindeberg. Chron. Roſtoch lib. III. cap. V.* qui tamen *Lindebergius* in eo caſtigandus, quod *Wilhelmum* noſtrum, qui dudum jam Canonicis renunciaverat, adhuc *Præpoſitum Guſtrovienſem* & *Ducem Stargardiæ* appellaverit, cum *Princeps* ſemper *Venedorum ac Dominus Herulorm* fuit. conf. B. *Thomam l. c. p.99.ſqq.* Cæterum Princeps noſter *Wilhelmus* ut Familiam ſuam jam ad incitas redactam eo melius ac felicius propagaret, duas ille ſucceſſu temporis duxit Conjuges, primam quidem *Annam* principis *Alberti* Anhaldini Filiam, qua ſine Prole defuncta, alteram ſibi elegit conjugii ſociam, *Sophiam*, Ducis *Uratislai* VIII. Pomeraniæ Natam, e quo ſecundo ſuo conjugio quidem produxit Filiam venuſtiſſimam *Catharinam* poſtea *Ulrico* Stargardienſium Principi locatam: aſt cum Maſculam prolem non reliquerit, inclyta hæc *Principum Venedorum Familia* quæ ultra CC annos indeſinenter floruerat, nunc tandem morte *Wilhelmi* noſtri Principis non potuit non deficere. Incidit autem feralis ille caſus in ipſum annum 1436. fuitque dies VII. Sept. Principi tanto emortualis, minime autem fuit annus 1430. uti *Mareſcalcus* noſter & qui eum ſequuntur, affirmat, ſatis propterea refutatus a Cl. *Thoma. l. c. § 14. p. 104. Wilhelmus* autem noſter, eo quod funeſta inſidiantium conſilia Rotzſtochienſibus detexerat, graviſſimam inde reprehenſionem incurrit a *Concilio Baſilienſi* anno 1432. inchoato, utpote a quo anno 1436. ingenti pecunia mulctatus fuit, paulo autem poſt irrogatam mulctam, ſine dubio ex mœrore (ita putat Cl. *Thomas l c.*) mortuus eſt. Elatus fuit *Wilhelmus* maxima pompa funeris, galea cum ſcuto & reliquis inſignibus, more in iis ſolito, una cum Principe in Templo Cathedrali Guſtroviæ ſepulta, cujus mortem & inſignem tunc ubique fere rerum commutationem inſolitas tunc exortas tempeſtates, ventos ſcil. vehementiſſimos, fluminum intumeſcentias, nives profundiſſimas, frigus intenſum ac inſolitum portendiſſe quodam modo *Cranzius* exiſtimat *l. XI. Vandal c. 39.* Pervenit autem ille Principatus Venedorum ad Agnatos Duces Meclenburgenſes & Stargardiæ, non tam ſucceſſione hæreditaria, quam *ex pacto confraternitatis* inter Domum Vandalicam & Meclenburgicam anno 1418. inito, uti ſupra in vita *Balthaſaris* pluribus jam dixi. Oppoſuere ſe quidem primum huic Meclenburgenſium Principum ſucceſſioni atque opimæ illi hæreditati Marchiones Brandenburgenſes, eo quod, uti in vita *Balthaſaris* jam ſupra dixi, ille in odium Principum Meclenburgenſium, Marchioni Brandenb. & Electori *Friderico I.* ſe ultro cum ſuo Principatu ſubjecerat, ac anno 1415. die Severi ipſi ſolemne homagium præſtiterat: Imperator tamen *Sigiſmundus* hanc controverſiam dijudicavit, atque in gratiam Ducum Meclenburgenſium illam feliciter auctoritate ſua Cæſarea diremit. Concludo interim hanc *Wilhelmi* Principis Venedorum ac Domini de Werla Ultimi Hiſtoriam, ac ſimul totum Auctoris Librum III. Verſibus nitidiſſimi olim Poëtæ Meclenburgenſis *Jani Boceri* ex illius *Lib.* II. *de Origine & Rebus geſtis Ducum Meclenb.* ab Cl. *Thoma* l. c. etiam adductis, ubi de *Wilhelmo* noſtro ita olim cecinit:

Cum fera tempeſtas, ſimilem cui nulla tulerunt
Secula, ferales fecit in orbe metus.
Ventorum rabie celſis cum turribus urbes,
Heroum fortes & cecidere Domus,
Et tumidi paſſim volventes omnia ſecum
Aggeribus ruptis proſiluere lacus.
Ultimus occubuit generoſi ſanguinis Hæres
Stemmata Vandalicæ qui tulit alta Domus
Regibus a magnis multos dominata per annos,
Hic cum ſtirpe ſua deficiente cadit.

Pergo cum Auctore noſtro ad *lib. IV. cap. I.* de *Burvino* ſeu *Henrico Burevino* III. Huic Tertio *Henrici Burevini* II. Principis Kiſſinorum, ſeu Domini de Werla & Roſtock, Filio, in partitione illa altera terrarum avitarum inter Fratres an. 1234. vel 1235 ſuſcepta, obvenit ſorte *Tractus Roſtochienſis*, unde ſe poſtea *Dominum de Roſtock*, ſcripſit, qui poſtea, *Lindebergio Chron. Rotzſtoch. Lib. II. cap. IV.* atteſtante, Templa condidit, ac *duo oppida urbis Rotzſtochienſis, Varni brachio & Magiſtratibus antea disjuncta, in unum Reip. corpus* anno 1262. Natali urbis centeſimo, coagmentavit, dato Civitati hac de re peculiari Privilegio de anno 1262. XIV. Kal. Julii, ab *Henrico* Magnopolenſis, Stargardiæ & Roſtochii Domino, anno 1335. Sabbato proximo poſt feſtum S. Jacobi Civitati iterum confirmato, ſuo aliquando tempore *Antiquitatibus Rotzſtochienſibus* B. Genitoris inſerendo: inſuper & Urbi conceſſum ab Avo ſuo *Burevino I. Jus Lubicenſe* non ſolum confirmavit, ſed etiam CCCCL. Marcis denariorum ipſi vendidit *Sylvam cum fundo* (die Roſtocker Heyde) inſuper etiam *Piſcaturam liberam Fluminis Varni a ponte aquatico S. Petri Eccleſiæ, ad usque oppidulum Warnemunde in mare usque quantum pro intemperie aëris audent attentare piſcatores:* datis hac de re urbi Litteris privilegiatis peculiaribus de Anno 1252. VII. Calend. April. Conjuges habuit duas, Alteram *Sophiam* - - Regis Sueciæ, improlem; *Margaretham* alteram *Erici* VI. Regis Danorum Filiam

Henricus Burevinus III. Dominus de Roſtock I.

Filiam sibi anno 1242. copulatam, ex qua vidit Filios *Ericum, Henricum,* & *Woldemarum,* nec non *Johannem* teste *Privilegio de uno consilio Civitatis, Rotzstochiensibus* anno 1262. concesso. *Ericus* & *Henricus* Patrem in ætate provecta cæcitate percussum, contemsere, non abstinentes injuriis, quapropter etiam juxta Scripturæ comminationem, non erant longævi super terram, & sine prole demortui sunt *teste Cranzio Vandal. Lib.* VII. *cap. 36.* minime autem Patrem oculis privarunt, uti Auctor noster scribit. Obiit autem *Burevinus* noster, non 1260. sed 1277. testibus Dn. *Thoma in Catalogo Genealog. Analectis Gustrovienf.* annexo, Cl. *Hubnero* in *Tabulis Genealog.* nec non *Auctore Anonymo in Genealog. Ducum ac Principum Megapolitan.*

Woldemarus, Dominus de Rotzstock II.

Patri *Henrico Burevino* III. in Regimine successit Filius *Woldemarus* Dominus de Rotzstock, de quo agit Cap. II. Auctoris nostri. Hic pari erga Rotzstochienses affectione & Clementia ac Parens ejus, præditus fuit, quibus *Castrum* suum *Hundesborgh*, ita vendidit, ne a *portu Warnemunde, ex parte utriusque fluvii Warnoviæ, ædificetur aliquod Castrum, seu munitio per spatium milliaris.* sub dato Rostock Anno MCCLXXVIII. XII. Kal. Januar. cujus Privilegium ipsis postea sub dato Warnemunde anno 1325. innovavit *Henricus* Magnopolensis Stargardiæ & Rostock Dominus, suo tempore etiam a me producendum. Ita etiam *Woldemarus* peculiari Diplomate Civitati Rotzstock de anno MCCLXVI. sexto Kal. Novemb. concessit *Castrum ad Portam Bramau, a Patre ejus inchoatum, penitus destruendum, nec a se, nec a posteris suis amplius construendum* confirmatum iterum ab *Henrico* Magnopol. Stargardiæ & Rostock Domino, sub dato Warnemunde anno 1325. Sabbatho proximo post Festum Sancti Jacobi Apostoli. Deinde *Woldemarus* tranquille quidem & quiete in hoc suo habitans dominatu vixit, quia vero Nobilibus suis & Aulicis nimis indulgebat, atque pro arbitrio agere permittebat, multi hinc tumultus & cædes in Urbe tunc exorti, extra mœnia autem ubique invasiones ac deprædationes auditæ fuerunt. De quo *Woldemaro* etiam sequentia scribit sæpius laudatus *Cranzius in eod. Cap. 36. l. c.* „Habitabat hic, inquit, „& dominatus est quiete & tranquille in Ro„stockio. Pervenit ad illum Daniæ Regina Ma„tertera ejus *Margaretha,* Matris ejus soror, & „in viduitate diu Deo serviens, Monasterium „Fratrum Minorum extruens cum Nepote, „eodem anno obdormiverunt in Christo post „mille ducentos LXXXI, sepulti in Dobran „in Majorum suorum sepulchris. Hæc ibidem *Cranzius.* Atque hæc quidem Regina fundavit etiam eodem tempore Cœnobium S. Crucis Rotzstochii pro Virginibus Vestalibus, testantibus inscriptionibus, quæ adhuc hodie in ejusdem Cœnobii Templo ibidem leguntur sequentibus: Anno MCCLXX. iss dit Kloster tho GOttes Ehr gestifftet von *Margreten* Königin von Dennemarcken tho ehre Gedächtniss tho blieben bet tho ewigen tiden. GOtt bewar es vor aller Ungelück. Et iterum: Biddet Gnade alle tid vor diese Königin ut Dennemarck, de dit Kloster gestifftet hefft tho de Ehre des hilligen Chreutzes, dat er de lewe GOtt gnedig und barmhertig sie, ere Jahre tidss iss S. Martens. Abends, do se starb anno 1270. Aft hæc Regina *Margaretha* Danica, non fuit Matertera *Waldemari* nostri, Domini de Rostock, quarum potius sorores secundum *Hübnerum Tab. Geneal. Part. I. Tab. 85. Sophia* & *Juditha* fuere, prima *Waldemaro* Regi Sueciæ desponsata, altera *Jutha* s. *Juditha* ab eodem Rege Sueciæ stuprata: quomodo ergo hic locus *Cranzii* cum adducta Genealogia *Hübneri* conciliandus sit, non video, sed aliis decidendum relinquo. Moritur tandem *Waldemarus* noster anno 1281. secundum *Cranzium l. c. cap. 36. & 42.* secundum *Auctorem* nostrum 1282. die 13. Nov. quocum & sentiunt Dn. *Thomas,* Auctor *Anonymus Genealog. Mecklenb. Hübnerus* & alii, minime autem anno 1287. ut habet *Auctor Genealogiæ der Fürsten und Herren zu Mecklenburg* typis exscripta, nec non *Albitius in Genealogia Principum Megapolensium,* eo enim anno Conjux ejus *Agnetha* Comitissa Holsatica, teste *Hubnero,* demortua est.

Nicolotus s. Nicolaus, Cognom. Puer, Dominus de Rotzstock III.

Sequitur Cap. III. *Baldomari*, seu *Woldemari* Filius, *Nicolotus* seu *Nicolaus* Cognom. *Puer, das Kind zu Rostock.*; ita dictus, quia *Puer* diu agebat sub Tutoribus. Accessit & altera caussa, quod *pueriliter* inter conjugia variabat; ex tribus namque Sponsis, - - - - - Filia Comitis de Lindau & Ruppin postea Regi Norwegiæ nupta; Filia *Alberti* Marchionis Brandenburgensis & Landsberg. *Anna* conjugis *Henrici Leonis* Principis Megapolensis *Beatricis* Sorore, postea *Primislao* II. Regi Poloniæ locata; & Filia Ducis Stetinensis *Bogislai* IV. *Margaretha,* solam hanc Tertiam accepit conjugem, quæ illi ac terræ suæ fuit multorum caussa laborum (nam ob repudiatam Principissam Brandenburgicam anno 1298. in se derivavit bellum gravissimum, pluribus a *Lindebergio l. c. Cap. V.* adductum) sed & ibi *pueriliter* rem gerebat, quia cum se *Erico* Danorum Regi subjecisset ad protectionem, postea *pueriliter* recessit ab eo, bellum intentans in eum, infeliciter cum suis Rostochiensibus, ut habet *Cranzius l. c. Cap. 36.* Ex sua autem conjuge *Margaretha* Pomeranica saltem unicam Filiam produxit *Elisabetham* Comiti Oldenburgensi & Delmenhorstano, *Christiano* 1317. desponsatam. Ipse autem *Nicolaus Puer* pervenit ad annum 1314. teste lapidis Sepulchralis inscriptione, Rotzstochii in Choro Templi s. Johannis visi, (in quo Templo etiamdum ejusdem Effigies conspicitur) hoc modo: *Anno 1314. die Catharinæ obiit* Nicolaus, *Nobilis Dominus Rotzstocensis, Orate pro eo.* Atque sic cum hoc *Nicolao* stirps *Burevini* III. Dominorum de Rostock defecit, & rediit ad *Henricum Leonem* in Megapolim. Notandum adhuc de *Nicoloto,* illum anno MCCLXXXVI, in die Cinerum civitati Rotzstoch vendidisse „Villam suam Wenedeschen Wick cum omni „utilitate, proprietate, judicio, cum pratis ad„jacentibus, Vallem castri insuper cum prato „adjacente & ad Dammonem Molendinorum

„aſcendente, cum aliis etiam paſcuis, pratis „& aquis, infra dictos terminos conſtitutis, „cum campis eorum & paſcuis, Pratum inſu„per equorum apud Warnemunde, Molendi„num proximo Cœmeterio Judæorum, cum „Piſcina, & omnibus proventibus, cum omni „utilitate libere perpetuo poſſidendum. Quam *Nicoloti* venditionem poſtea *Henricus* Dux Megapolenſis, Stargardiæ & Roſtock peculiari privilegio, ſub dato Warnemünde anno 1325. poſt Feſtum S. Jacobi Apoſtoli, denuo confirmavit, ſuo tempore integre communicandum.

Atque ſic cum hoc *Nicolao* cogn. *Puero de Rotzſtock* hic cum Auctore noſtro ſubſiſtere ac Lib. IV. ſuorum *Annalium* claudere etiam poſſem, niſi adhuc reſtaret *Henrici Burevini* II. f. *Junioris*, quartus ſtipes, quem fundarat ejusdem Filius natu minimus ſeu quartus, nomine *Pribislaus* cum ſua Familia a *Mareſcalco* noſtro ſub finem *Lib. II. Cap. 42.* non quidem plane intermiſſus, paucis tamen ſaltem adductus. Hujus itaque quæ de illo vel ſolum apud *Cranzium Wandal Lib. VIII. c. XLII.* leguntur, huic quoque Capiti ut adtexam, ſicque imperfecte propoſita Auctoris ſuppleam, ac quantum fieri poteſt omnibus numeris abſolutam Familiæ Ducalis antiquiſſimæ ſiſtam deſcriptionem, jubet & promiſſi mei ratio & ipſa Lex Annalium. Ita autem de illo ibidem *Cranzius*: Henricus (ſc. *Burevinus* II. Junior *Pribislai* II. ultimi Regis Herulorum, Obetritorum & Wendorum I. in hac gente Chriſtiani Principis Nepos *Burevini* I. *Senioris* Filius, de quo ſermo fuit) „ex Uxore *Sophia*, Filia Regis Sue„ciæ (Caroli I.) ſuſtulit Filios, *Johannem, Ni„colaum, Burevinum*, PRIBISLAUM, Diviſores „Terrarum in quatuor Principatus (ſc. ultima etiam vice anno 1234. aut 1235. inter Fratres ipſos ſorte diviſarum) „non æquos tamen. „Nam Senior *Johannes* accepit Magnopolim, „a quo eſt Succeſſio Principum hodie floren„tium. *Nicolaus* accepit in Guſtrow Princi„patum Wandaliæ; (rectius Henetorum ſive Werlorum) „*Burevinus* Dominatum Roſtock„cenſem, *Pribislaus* Richenberge cum Oppi„do Parchim & conjacentibus. Ex his eſt „quadrifaria partitio: cæterum Stargardenſis „Principatus poſtea acceſſit. Et poſt multa in eodem Capite: „Quartus ſtipitis Filius erat „Pribislaus, qui accepit Richenberg, & Par„chim cum pertinentiis. Is reliquit Pribislaum. „Prædia partim pignorata, partim divendita, „redegerunt illum in pauperiem; ideo cum „Uxore conceſſit in Pomeraniam ad Socerum, „ubi in Arce permiſſa, ſine Liberis obiit in „paupertate, & agglutinatur Portio ejus Wan„daliæ. - - Sed quoniam pauca de duobus Pri„bislais leguntur, ea ipſa huic narrationi con„texamus. Reſedit in Patre nonnihil Genti„litii erroris, nam imaginem D. Mariæ in Cly„peo pictam deferens, pro Numine venera„tus eſt. *Rodolphus* Zuerinenſis Epiſcopus Ar„cem in Bulzow extruxit: *Pribislaus* diurnum „opus noctu juſſit demoliri. Quumque nec „ſic Epiſcopus a communitione ceſſaret, eun„tem per Provinciam cepit Epiſcopum, in „æquo conſtituens militem Seculi ac Pontifi„cem, nec dimiſit, niſi ære ſuo redemtum mi„litariter. Epiſcopus ſerviebat tempori. Quum„que in longum duraret controverſia contem„ſit reconciliationem *Pribislaus*. Nunciatur „Epiſcopi Præfecto, Viro militari, inermem „tendere *Pribislaum* per vicina loca. Aggreſ„ſum armis capit, reddens vici vicem: ut ſe „captivitate laxaret, dimiſit Patruelibus (ſc. Principibus Venedorum ſ. Dominis de Werla, & præſertim *Nicoloto* VI. tunc Guſtroviæ regnante) „accepta pecunia, Parchim, Plave, „Goldberge, nec remanſit in ejus Dominio „aliquid, præter Oppidum Sterneberge cum „pertinentiis, quod poſtea dimiſit *Henrico* „(*Leoni*) de Magnopoli. Ita ſe exuit omni „Principatu, non ſano capite. Filius Patri co- *Pribislaus IV. Dominus de Richenberg & Parchim (de Wollin dictus de Wandalia) II.*
„gnominis, accepit uxorem Filiam *Meſtini* Du„cis Pomeraniæ, & in dotem dedit Pater Filiæ „Oppidum Bolgardæ, quæ fuit omnis poſſeſ„ſio Patris ac Filii, in qua defecerunt, in pau„perie ſine prole morientes. Hæc *Cranzius*. Dominium autem illud ſeu Provincia cum Urbe Monte divite, vulgo *Reichenberg*, quam cum urbibus ac Præfecturis ſuis Aliſto ſeu Parchim, Plave, *Goldberg*, & *Sterneberg* in diviſione terrarum patriarum ſorte acceperat *Pribislaus* noſter, non procul a ſtagno Suerinenſi, prope Critzow, Domum, Equitum Megapolenſium de *Bülowen* & cujus rudera adhuc hodie ibidem viſuntur, ſita fuit, a qua (ut ex Documentis ac Diplomatibus vetuſtiſſimis adhuc videre eſt) Dominum de Reichenberg & Parchim, *Herrn zu Reichenberg und Parchimb* ſe dixit & ſcripſit. Peucinum autem ſeu Bucephaleam vulgo *Butzow*, Epiſcopæ Suerinenſis ad Varnæ & Nebulæ confluentem, Oppidum, quod tunc *Rudolphus I.* Epiſcopus Suerinenſis ædificare cœperat, *Pribislaus* incendio iterum delere juſſit anno 1256. ejusque reædificationi omnibus modis ſe oppoſuit. Agro tandem Paterno vel plane ſe exuens, teſte *Cranzio l. jam* adducto fere inops obiit anno 1262. d. 1. Aug. Ex Conjuge ſua *Trebislava*, Pomeranica, uti illam vocat Cl. *Hubnerus in Tabul. Genealog. Tab. 193.* quam tamen alii Duciſſam Poloniæ vocant, produxit unicum Filium etiam *Pribislaum* IV. dictum, Dominum de Parchim, qui anno 1270. Comitibus Zwerinenſibus, *Gunzelino* & *Helmoldo* publicis litteris reſignavit omne ſuum jus ac uſurpationem, quæ ſibi adhuc in Dominatus omnes paternos ac Urbem etiam Parchimum reſtabant jure hæreditatis vendicandi, pro cujus reſignatione iſti Comites Filiam ſuam unicam - - - - quam ex *Meſlovina* Filiam *Meſlovini* II. Ducis Pomeraniæ Ulterioris produxerat, in Aulam ſuam receperunt, ſuſtentarunt, & vel tandem elocare promiſerunt. Ipſe autem *Pribislaus* Junior cum Patre & Conjuge ſua in Pomeraniam ad Socerum conceſſit, illisque dedit Urbem Wollin (Belgardam ſcribit *Cranzius*) in Ducatu Stargardenſi non procul a Greifenhagen ſitam, inhabitandam, unde ſe in Litteris, *Dominum de Wollin, dictum de Wandalia* (*Herr in Wollin, genand von Wenden*) vocavit, ibique tandem vitam in egeſtate etiam finiit anno 1315.

Pribislaus III. Dominus de Reichenberg & Parchim I.

Hæc

Johannes I. Cogn. Theologus Knees-Janike dictus, Dominus Meclenburgenſium, ſeu Megapolenſis I.

Hæc ad Lib. IV. *Mareſcalci* adnotaſſe ſufficiant. Inſequor nunc iterum preſſo pede hunc Auctorem *in Lib. V.* in quo Familiam *Johannis Theologi* ſeu *Dominorum Meclenburgenſium Herren zu Mecklenburg* pertractat, cujus *Caput I. de Johanne* cognom. *Seniore* agit. *Johannes* hic Patris *Henrici Burevini* Junioris ſeu II. Filius primogenitus, quia Lutetiæ Pariſiorum, per XX. totos annos ibi ſubſiſtens, Supremam Theologiæ Lauream meruerat, *Theologus* hinc; irriſione autem popularium ſuorum litteras contemnentium *Knees-Janike*, *Herr Johann κατ' ἐξοχὴν* appellatus fuit. In prima cum Fratribus ſuis anno 1230. inſtituta Terrarum avitarum diviſione, ille cum Fratre ſuo Juniore *Pribislao* Diſtrictum Meclenburgenſem obtinuit, & reliqui ejus Fratres *Nicolaus* & *Burevinus*, Diſtrictum Rotzſtochienſum acceperunt, unde in Litteris ſe vocarunt: *Johannes* & *Pribislaus* de Magnopoli; *Nicolaus* & *Henricus* (Burevinus) *de Roſtock, Fratres et Domini:* Sed in ultima illa anno 1235. inter ſe iterum ſuſcepta diviſione terrarum Patriarum ſorte partientium, noſter *Johannes* Senior Meclenburgenſe; *Nicolotus* Guſtrovienſe; *Henricus Burevinus III.* Roſtochienſe, *Pribislaus* autem Richenbergenſe ſeu Parchimenſe Territorium ſibi & Poſteritati vindicarunt; donec tandem poſt longum temporis intervallum Fratrum Poſteritas exſpirans ac deficiens, tota hæc terra ac Ducatus poſtea Meclenburgicus, ſub *Johannis* noſtri Trinepotis *Henrici* cognom. *Pinguis*, regimine iterum in unum quaſi conglutinatus ac coadunitus fuit. Anno 1260. in Urbe Viſmaria, caſtrum novum in Campo Textorio (Weberkamp) ex deſtructo ab eo veteris Caſtelli Urbis prope adjacentis vetuſtiſſimæ Megapolis (Mickelenburg) iterum ædificare juſſit, quo anno etiam Lubicenſes a telonio de mercibus per totum ſuum Ducatum de mari & terra, in & revehendis liberavit, quibus ſociatus, cum Filio ſuo *Henrico* Arcem *Dartzow* anno 1261. evertit. Illisque anno 1262. Privilegium dedit, ut huic adluenti rivo ad piſcationem uterentur ad aliquot milliaria a mari, ſupra Oppidulum memoratum, quodque nemo in perpetuum firmaret arcem ad præſidium, ad ejus rivi utrinque ripas & ad certos limites ſc. Oppidum Griviſmölen. Confer de *Johanne* hoc Seniore *Alberti Cranzii Vandal. lib. VII. cap. 16. et 42.* Cæterum ille *Codicem Sacrorum Bibliorum integrum* ſua ipſius manu deſcriptum, conſecravit donavitque Monaſterio Doberanenſi ad pios uſus. Moritur tandem 1264. die 1. Auguſti Gadebuſi tumulatus. Ex Filiis ejus *Nicolaus* Canonicus Suerinenſis, Hamburgenſis & Magdeburgenſis fuit, qui per Famulum ſuum ſuo in Canonicatu Collegæ *Mr. Mauritio* Suerini oculos eruere ac linguam exſcindere juſſit. Mortuus 1289, VI. Id. Junii Doberani tumulatus; *Hermannus* Præpoſitus Suerinenſis & Canonicus Lubicenſis fuit. *Albertus*, Conjugem duxit *Juditham* Patrui ſui *Nicoloti* IV. Filiam, improlis obiit 1265. Quoniam autem Auctor noſter expeditionis bellicæ *Johannis* noſtri ſenioris cum Filio *Henrico* adverſus Lemovios, qui ſunt Livones, mentionem hic injicit, in quorum medio hoſtium conflictu Filius ejus *Henricus* tunc captivam accepit Infantem vix triennem; eam ſecum Rigam, ubi cum Conjuge & duobus Filiis, *Henrico* cognom. poſtea *Leone*, & Johanne, ibi prognatis, vixit, in Chriſtianæ Religionis Articulis fundamentalibus inſtitui, tandem Sacro Baptiſmatis fonte initiari ac *Catharinæ* nomen imponere juſſit, quam in Filiam adoptatam dein in Ducatum Patrium Meclenburgenſem iterum cum Familia tota circa annum 1270. remigrans, Deo dicatam, Conventualibus Virginibus Veſtalibus in Cœnobio Rhenenſi adſociavit, cujus in gratiam, inque Filiæ ſuæ adoptivæ meliorem ſuſtentationem ipſi Cœnobio donavit villam Parpurth (Parpund) uti videre eſt ex Diplomate, quod ex Archivo Suerinenſi productum, *Singularibus Mecklenburgicis cap. II. §. VII.* inſeruit Clar. *Lochnerus*, quod hoc eſt:

„ In nomine Sancte & individue Trinita-
„tis. Mutantur tempora, tranſmigrant homi-
„nes, evaneſcit memoria, ſed vivit robur te-
„ſtium & literarum, & per eam diutius
„ actiones. Verum laudabilis fidelium ino-
„levit conſuetudo, actiones emergentes lite-
„rarum remedio aut teſtium vocibus perhen-
„nare. Hujus rei gratia Nos *Henricus* Dei
„gratia Dominus Megapolenſis, tam futuris
„quam preſentibus notum eſſe volumus, quod
„ cum in peregrinationem verſus Lyvoniam
„ profecti eſſemus, ſub vexillo beate Virgi-
„nis militantes, inter mediam ſtragem pagano-
„rum ancillulam quandam multum tenere
„ætatis utpote triennem ex ore gladii rapui-
„mus, & obtento ſibi baptismi Sacramento,
„adoptavimus eam nobis in filiam, nobiſcum
„ipſam in terminos noſtros traducentes; Ne
„ igitur contagione ſeculi lubrica eam contin-
„geret maculari, & ut ſaluti ſue plenius con-
„ ſuleremus, miſimus ipſam in Clauſtrum *Rene*,
„ut inter Virgines imbuta celeſtibus diſcipli-
„nis, virgo Virgini perpetuo deſerviret. Ut
„ igitur ex ejusdem ancille introitu Clauſtrum
„Rene ſolatium acciperet non gravamen;
„quicquid habuimus in Villa *Parpurth* cum
„quatuor manſis in terminis ſuis in longum
„ & in latum ſufficienter, ut modo diſtentis,
„ cum omni proventu, ſicut nos poſſedimus,
„conferimus Renenſi Eccleſie perpetuo poſ-
„ſidendum, excepto majori judicio, de
„ quo tertiam partem eidem Clauſtro damus,
„nobis duas partes reſiduas reſervantes. De
„ his autem reditibus ſex marce denario-
„roum in inveſtitura dicte puelle, & cetera ne-
„ceſſaria quam diu vixerit, per annos ſingu-
„los convertentur. Teſtes vero hujus dona-
„tionis ſunt Helmodus de Pleſſe, Alverius
„ de Barnekow Conradus Dotenberg, Bene-
„dictus de Rodenbeck, Hermannus Storrn,
„ Hinricus Preen, Caſtellani Wiſmarie, Lu-
„dolfus Molzan, Bernhardus de Guſtrow, Ul-
„ricus de Blutcker, Nicolaus de Ekerenfor-
„de, milites Caſtelliani in Godebuz. Acta
„ſunt hec Anno Domini M.CC. LXX. Hin-
„rico in Rene Præpoſito fideliter procuran-
„te. Datum in Wiſmaria per manus Gode-

ſcalci

„ſcalci Notarii in die beatorum militum Kilia-
„ni & ſociorum ejus VIII. Idus Julii.

Johannes II. Jun. Dominus Megapolenſis II.

In Cap II. Auctoris *Johannes* Junior, Dominus Megapolenſis, *Johannis Theologi* Filius inducitur, qui in abſentia Fratris ſui *Henrici* ſic dicti *Hieroſolymitani*, domi relictis Filiis impuberibus ac Conjugi, multas turbas faceſſivit, dum Principes illos aliquando cum Matre Raceburgum ad ſororem inviſendam tendentes, in via prope Rehnam rhedam illorum invadens, captivos certo abduxiſſet, niſi a Matre & tunc præſentibus ex Gynecæo Mulieribus ſub veſtibus ſuis oblongis occultati; ſic ſervati fuiſſent. Ita etiam alio tempore, Oppidum Grebismolam vi occupare intendit, ſed a conſtituto in abſentia Ducis Ducatus Adminiſtratore, ab Urbibus Rotzſtochio & Wiſmaria ſimul adjuto, habita cum illo prope pagum Grambow anno 1292. acerrima pugna, magna ſua cum contumelia & damno fugatus, & ab obſidione Oppidi illius repulſus fuit, teſtante *Calovio* vel potius *Mylio in Chronico Meclenb. germanico* Annalibus his in fine annexo. Mortuus tandem eſt hic *Johannes* noſter Gadebuſii vivens anno 1299. ſecundum laudat. *Mylium in Chron.* Auctorem *Anonymum in Genealog. Ducum ac Principum Megapol. Tabul. Genealog. Megapolit.* Templi Baſilici Guſtroviæ; *Genealog. Ducum Meclenburg. a Pribislao* ultimo Herulorum ac Obetritorum Rege ad Duces ac Fratres Meclenb. *Adolphum Fridericum et Joh. Albertum* productam ac typis exſcriptam; nec non *Antonium Aibitium in Genealogia Principum Meclenburgenſium*: verum ſecundum Cl. *Thomam in Genealog. Meclenburg. Analectis* ſuis *Guſtrovienſ.* annexa, *Johannes* noſter jam anno 1292. demortuus fuit, quocum etiam conſentit Cl. *Hübnerus in Tab. Geneal.* ſæp. cit. Qui ex Conjuge ſua Comitiſſa Ravensburgenſi omnium Auctorum conſenſu, reliquit quidem Filium *Johannem*, non tamen illum, qui ex mente Auctoris noſtri, conjugatus aqua periit, quem Fratris ſui *Henrici Hieroſolymitani* Filium fuiſſe omnes confirmant; ſed noſtri potius Filius *Johannes* etiam dictus, III. ordine, plane adhuc Juvenis cœlebs obiit.

Henricus, cogn. Hieroſolymitanus, Dominus Megapolenſis III.

Ad Cap. III. Auctoris de *Henrico Hieroſolymitano* obſervo, produxiſſe illum ex conjuge ſua duos Filios *Henricum* cogn. *Leonem*, de quo in *Cap. IV. Jequ.* Auctor noſter agit & *Johannem* ab Auctore noſtro, uti jam dixi, *Johanni* Gadebuſenſi ejus Fratri perperam adſcriptum, qui anno 1265. in lucem editus pro ingenti Fratris gloria omnino fingitur. Iſte autem Nobilis Princeps *Henrici* adhuc captivi Filius *Johannes IV. de Magnopoli* anno 1290. Conjugem accepit *Helenam* Filiam *Wenzlai* ſeu *Viſilai* I. (Witzlaff) Ruginarum & Sidinorum Ducis, quæ Matrem habuit de ſanguine Ducum Brunſwickcenſium. Nuptiæ cum magno tripudio celebratæ in Oppido Sterneberg, teſte *Cranzio*, *Wandal. Lib. VII. cap. 40.* Hic quidem eodem *Cranzio* auctore *l. c. cap. 42.* prolem non reliquit, ſunt tamen alii, qui eum ex hac ſua conjuge unicam Filiam *Luidgardam* Abbatiſſam poſtea cœnobii Rhenenſis produxiſſe volunt. Verum hoc conjugium perbreve fuit, ipſe enim in venatione ad inſulam Pole prope Wiſmariam navi tendens, ſuborto turbine navi cum ſuis ſubmerſus eſt, unico a venationibus ſervo *Hans Gude* ſaltem excepto, qui ut *Mylius in Chron. cit.* habet, a duobus moloſſis brachio ejus alligatis ſervatus fuit. Factum hoc eſſe anno 1289. *Hübnerus* quidem, B. *Thomas* & alii volunt; quod ſi tamen, quæ ex *Cranzio* de anno ejus nuptiali adduxi, vera ſunt, qui rationes non video, quare in dubium hac in re *Cranzius* vocari poſſit, Dominus hic *Johannes* de Megapoli ſi non anno 1299. ut Auctor noſter ſcribit, tamen minimum eodem quo conjugium ſuum iniit anno ſc. 1290. aut 91. aqua periit. Altera Filiarum ejus *Anna*, Comiti *Johanni* III. Cogn. *Largo* Femariæ nupta fuit, altera autem *Luidgarda* a conjuge ſuo *Premislao II.* Polonorum Rege, nefario modo enſe transfoſſa, a famulitio ſuo poſtea ſuſpendio necata fuit, anno 1282. Interim de *Henrici* noſtri *Hieroſolymitani* ab anno 1276. ad Ann. 1301. ſicque per ſex & viginti totos annos, Alcayri in carcere cum Famulo ſuo *Martino Bleyero* detenti, a *Soldano* autem, ibidem ſui ac Parris bombardarum in obſidione Rigenſi olim Miniſtro Moliroris Gadebuſenſis Filio, binis vicibus ex carcere tandem feliciter iterum liberato, ac ſuis reddito, præter *Mylium in Chron. cit.* evolvi omnino meretur *Cranzius Wandal. Lib. VII. Cap. 34. & 45.* Obiit *Henricus* Wiſmariæ die 2. Jan. 1302.

Henricus, Jun. cognom. Leo, Dominus Megapolenſis IV.

In Cap. tandem. IV. & ultimo Auctor, vitam Filiis *Henrici Hieroſolymitani*, *Henrici* cognom. *Leonis* Ducis Megapolæi deſcribit. Qui adhuc Juvenis, cum Fratre ſuo *Johanne* in bello illo, quod anno 1283. de finibus cum Marchionibus præſertim Brandenburgenſibus geſſit, eos inter oppida Gadebuſch & Greveſmolam prælio ſuperavit multoſque captivos abduxit, qua victoria Principatum Stargardenſem partim in pretium liberationis captivorum, partim ex ſtipendio, quod a *Rudolpho* Imperatore ex militia in bello Bohemico meruerat, ſoluto, partim etiam in dotem ab *Alberto* Marchione Brandenburgenſi, cujus Filiam *Beatricem* anno poſtea 1290. acceperat conjugem, ſolemnibus peractis in Oppido Novo Brandenburg, teſte eodem *Cranzio Wandal. lib. VII. cap. 40.* Megapolenſi terræ adjecit, effecitque, ut ab eo die a jure ſuo memorati Principatus diſcederent Brandenburgici Marchiones teſte *Cranzio lib. VII. Wandal. cap. 39.* qui & longe plura lectu omnino digniſſima, ibid. Lib. VIII. Cap. 4. 5. 6. 7. 11. 12. 15. adducit, in cujus præſertim Cap. XII. ſingularem *Henrici Leonis* calliditatem deſcribit, qua Regem Daniæ *Chriſtophorum* circumvenit, ſeque ex manibus ejus clam, idque feliciter ſubduxit. Adultior factus, Patre adhuc abſente in captivitate illa diuturna Ægyptiaca, ante abitum Parentis ſui cum *Ludolpho IX.* Rege Galliæ ad expeditionem bellicam in Aſia contra Soldanum Ægypti anno 1276. ſuſceptam in ſua abſentia conſtitutis Regiminis Conſiliariis & Adminiſtratoribus *Diederico von Ortzen* & *Heine Strahlendorff* anno 1290. imperii ſui regimen aggreſſus eſt, in quo univerſo ſuo regimine, nil

nil nisi magna & heroica facta susceptit & effecit, idque præsertim in bello Bohemico, partes sumens *Alberti* Austriaci, satis superque demonstravit omnibus fortitudinem suam, ac plus quam leoninam animi constantiam & magnitudinem palam ostendit, unde etiam ab illo tempore cognomen *Leonis* jure meritoque deportavit. Qui & rebelles Wismarienses ad officium redegit, & urbem Rotzstochium e manibus Regis Daniæ iterum eripuit sibique subjugavit, uti hoc pluribus enarrat *Petrus Lindebergius Chron. Rostoch. Lib. II. Cap. VI. VII. VIII. & IX.* Hic est ille *Henricus* Magnopolensis & Stargardiæ Dominus, qui Civitati Rotzstochiensi anno 1323. Sabbatho post Octavas Corporis Christi, Privilegium dedit super concessum *Jus Lubecense, de Moneta, de Molendinariis, item, de non extruenda munitione infra Rostock & Warnemunde, aut alias circa fluvium Warnow ad spatium unius milliaris.* Ille est, qui Patrui sui Magni *Henrici Burevini* Junioris Filii Concessionem ac Privilegium Civitati Rotzstockcensi, *ut unum Consilium sit totius Civitatis & Judicium quod prius erat in duo divisum* anno 1262. XIV. Kal. Julii datum, ann. 1325. Sabbatho proximo post Festum S. Jacobi in Villa Warnemünde iterum confirmavit. Est, qui eidem Civitati confirmavit Privilegium *Woldemari de Venditione Castri Hundesborgh* item: *ne a Portu Warnemünde ex parte utriusque ripæ fluvii Warnoviæ ædificetur aliquod castrum seu munitio, per spatium milliaris,* sub dato Warnemünde Anno 1325. Idem etiam eodem anno confirmavit Civitati Rotzstockcensi Privilegium *Nicolai* Domicelli de Rotzstock, *de venditione villæ Wenedeschenwyck.* Confirmavit denique noster *Henricus Leo* Privilegium *Woldemari* Domini de Rotzstock Civitati eidem concessum *de Castro ad Portam Bramau diruendo ac destruendo* sub dato Warnemünde anno eod. 1325. Omnia hæc & singula Privilegia & Confirmationes suo tempore & loco publicæ luci daturus sum. Cæterum, quæ hic de *Sanguine Christi* a Cardinale *Pelagio* dono accepto, atque ab *Henrico* Comite Suerinensi secum domum abducto ac in jaspide incluso, Templo Cathedrali Suerinensi consecrato adducit Auctor, ejus falsitatem detectam, ac multis argumentis refutatam inseram infra *Lib. VIII. Cap IV.* ubi de *Johanne Alberto* I. Duce Megapolæo cognom. *Docto*, qui hunc fictum Christi Sanguinem anno 1588. abrogavit, copiosissime agam. Quæ autem de illo ipso Comite *Henrico* enarrat, quomodo a Rege *Waldemaro* ob constupratam ab eo in absentia sua Conjugem illius fidei commendatam, vindictam sumserit, quamvis sat gravem, tamen promeritam, sequentibus verbis enarrat Cl. *Hübnerus Qu Histor. Polit. Tom. III. p. 799. seqq* „Redux a sacra peregrinatione *Henri-*„*cus* Comes (Suerinensis) ultionem meditatur, „& doloris sensum dissimulans, ad gratias Regi „Dano agendas, contendit, in Fionia tunc „commoranti. Liberat ante omnia Regis ani-„mum a doli irarumque suspicione multis „blanditiis; donec secure secum agentem, at-„que ad epulas in ora maritima sub tentorio „paratas, invitatum, ubi vino somnoque sepul-„tus est, capit cum Filio, & trajiciens mare „ad penates suos abducit. Erat annus 1223. „quo hæc accidebant *Waldemaro*, neque ante „tertium ab hoc annum captivitate solveba-„tur, cum stipulatus esset 45000. marcas ar-„genteas, Filios obsides dedisset duos, juravisset-„que, hæc se omnia nunquam vindicaturum. Hæc ibi *Hübnerus*. Addo nunc de morte *Henrici Leonis* ex *Cranzii Wandal. Lib. VIII. Cap. 7.* sequentia: „Propinquabant *Henrici* Magno-„polensis novissima tempora. Ubi sensit ur-„geri se ad mortem, ut omnia vitæ tempora „fortiter ac strenue peregit, volebat ultima „non negligere, ubi æternitatis inest ratio. Igi-„tur vocatis proximis, pro Testamentis ordi-„navit construi Monasterium S. Claræ in curia „sua Oppido Rebenisse, cui Prædia ad suffi-„cientiam delegavit. Monasterio Dobran in „sepultura Patrum suorum se condi jussit, le-„gans monile, licitatum ad quadringentas ar-„genti marcas; dextrarium quoque suum, „centum argenti marcarum pretio æstimatum. „Jussit aboleri idem *Henricus* impositionem ru-„ricolis inolitam (canum fruges vocant, *das* „*Hunde-Korn*) & quievit cum Patribus suis; Febri scil. quartana consumtus Sternebergæ anno 1329. ætatis LXVIII. natus enim erat anno 1262. qui fortissimus Heros præter Dynastiam Stargardiensem perpetuo jure, quod jam supra dixi, sibi ac Posteris vindicatam, etiam *Rotzstochiensem Dominatum*, exstincto 1314. *Nicolao* ultimo Rotzstochiensium Domicello, sua quoque virtute Domui suæ Meclenburgicæ adquisivit atque inseruit. Tantum *de Dominis Megapolæis* ad Lib. V. Auctoris.

Johannes I. s. Junior, Dux Sargatiorum I.

In Lib. VI. qui nunc sequitur, Auctor noster Duces Sargatiorum in sex Capitibus describit, quorum Ducatus per *Johannem* Filium relictum *Henrici Leonis* (hunc Stargardiensem Districtum partim bello, partim Dote, partim etiam pecunia sibi adquisitum, suoque Ducatui, uti in vita ejus dixi, associatum) Primum Stargardiensem Ducem fundatus, atque in Tertiam usque Progeniem conservatus fuit. Cum enim Pater *Johannis*, Dominus *Henricus Leo* circa trigentesimum post mille annos in fata concederet, atque ex *Anna* Conjuge Saxoniæ Electoris *Alberti* II. Conjugis *Agnetæ* Cæsaris *Rudolphi* Habspurgici Filiæ Filia, Ducis autem *Rudolphi* I. postea etiam Electoris, sorore anno 1315. domum ducta anno autem 1327. iterum morte amissa, hunc *Johannem* nostrum & *Albertum* (*Henricus* namque tertius Filius in pueritia ante Patrem anno 1321. die 22. April. Wismariæ decesserat) adhuc parvulos, cum tribus Filiabus, *Anna*, Comiti Holsatiæ *Henrico* II. Ferreo, nupta; *Beatrice*, Abbatissa Ribnicensi; & *Agneta*, *Nicoloto* cogn. *Balbo* Domino de Werla in Wredenhagen locata (quarta namque Filiarum *Anastasia* in tenerrima adhuc ætate demortua erat) reliquisset. Ille moriens urbium suarum primariis Rotzstochii atque Wismariæ Præsidiis commendavit, ut Tutelam Filiorum horum impuberum suorum Principum

de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.

fide credita implerent, quoad usque adulti, nossent rebus ipsi suis præesse atque prospicere, teste *Cranzio Wandal. Lib. VIII. Cap. 15.* nec non *Lindeberg. Chron. Rostoch. Lib. II. Cap. X.* Fratres hi *Johannes* & *Albertus* post impetratos legitimos Regiminis annos, Patrias suas terras ita inter se partiti sunt, ut *Alberto* Ducatus proprie dictus Meclenburgicus, *Johanni* autem nostro a Parente suo primum acquisita terra Stargardiensis, cum Præfectura & Oppido Sternebergensi in divisione obvenerit: Ambo hi quum primum *Karolus* IV. in Romanorum Regem esset assumtus, solemni comitatu (utor verbis *Cranzii Wandal. Lib. VIII. cap. 22.*) Curiam Regis, quam tum Pragæ in Bohemia soverat, adierunt. Aucti sunt a Rege Ducali dignitate, ut *Duces* in reliquum *Magnopolenses* & scriberentur & essent, multis Congentilium suorum Ducibus potentiores.. Idem confirmat Cl. *Lindebergius Chron. Rostoch. Lib. II. c. VIII.* addens, Cæsarem utrumque de Dominis Megapolæis Pragæ in Ducem sublimasse, ac in Imperii Principes, minime detracta ex insignibus dignitate Regia, quæ etiamnum in avitæ excellentiæ memoriam, in Corona regia Capiti bubalo bovisque superimposita durat, inaurasse. Factum hoc Pragæ 1349. die 8. Jul. in Comitiis a Cæsare ibidem institutis. Alii anno 1348. hanc inaugurationem factam esse scribunt uti etiam *Pfannerus de Præcipuis Germaniæ Principum Gentilibus Cap. VI. p m. 211. & 214.* voluit. De hoc Dominis Meclenburgensibus a Cæsare collato Jure Teutonicæ Civitatis, sic etiam disserit Celeb. olim Historicus *Gundlingius in Colleg. MSS. seines gedruckten Abriss zur Reichs-Historie Period. VII. th. 485. & 486.* Als *Carl* IV. wieder nach Teutschland kam, machte er die Mecklenburger zu Hertzogen: es waren die Domini de Werla. Weil sie sich Dominos geschrieben, so zweiffeln etliche, ob sie Fürsten gewesen? welches ein unnöthiger Zweiffel ist, denn wir wissen ex *Helmoldo*, dass sie Könige gewesen, aber *Henricus Leo* brachte sie herunter, und schrieben sie sich hernach Dominos de Werla, (ast non omnes, sed una tantum stirps Familiæ Principum Obetritorum ita dicta fuit, uti ex supra adductis dudum constat. Vid. *Schurtzfl. de Rebus Mecklenburg.* Ratio, warum er die Dominos de Werla (rectius Dominos de Stargardia & Megapoli) zu Hertzogen gemacht, war, weil sie seine Partey gegen *Ludovicum Bavarum* gehalten. Als *Wallenstein* zum Hertzogen von Mecklenburg gemacht worden, haben sie eine Deduction gemacht, die sehr rar ist, worinnen *Caroli* IV. Diploma zu finden, es stehet sonderlich drinnen; weil sie olim Könige gewesen, so solten sie eine Krone führen, welche sie auch im Wappen haben, weil *Carolus* IV. gemeint, sie wären Reges Obotritorum gewesen. Hæc *Gundlingius.* Idem repetit *M. Joh Pomarius in der alten Sächsischen und Niederländischen Chronic p. m 383.* cum addito: dass er der Kayser diesen zweyen, als Hertzog *Albrechten* und Hertzog *Hansen* Gebrüder, das Schwerdt gegeben, *die Witwen und Wäysen zu beschirmen.* id quod etiam enarrat *Mylius in Chron. germanico Mecklenburgico.* Ducali itaque sic Titulo atque honore a Cæsare condecorati Fratres hi Germani *Albertus* & *Johannes*; domum redeuntes, unusquisque Terris suis contentus, regnavit quiete, qui quidem *Johannes* (nam de *Alberto* I. Fratre ejus seq. Lib. VII. cum Auctore necessaria dicam) Ducatum Stargardiæ, ut jam dixi, in divisione per sortem solus imperitandum accepit, tamen retinuit etiam Titulum Ducatus Megapolensis, a quo tempore Fratres sequenti Titulo conjunctim usi: *Duces Meclenburgenses, Terrarum Rotzstockii & Stargardiæ Domini*; Terra namque Herulorum seu Werla, ab eo tempore ultra annos XCVII. adhuc a propriis suis Dominis ad mortem usque ultimi *Wilhelmi* Principis Venedorum & Domini de Werla in Gustrow, qui incidit in annum 1436, regebatur, & Comitatus Suerinensis nondum adhuc etiam vacabat, deque illo Comitatu in Feudum ab eo sumendum, *Albertus* Frater *Johannis*, cum ultimo Comite *Ottone* tum adhuc certabat, uti suo tempore dicam. Cæterum *Johannes* noster, ex altera sua Conjuge *Agnetha*, Comitissa Lindaviæ & Ruppinensi, quæ fuit Filia Comitis *Ulrici* Senioris; præter *Johannem* in Cap. mox II. ab Auctore descriptum, *Rudolphum* etiam procreavit Filium, qui primum Scarensis in Suecia, dein vero Episcopus Suerinensis ordine XIX. electus est anno 1388, præfuitque Ecclesiæ suæ per annos XXVII, teste *Cranzio* nostro *Metropol. Lib. X. cap. 41.* nec non *Bernh. Hederico in Chron. Suerino* postquam ob schisma Episcopatus cæso D. *Johanne Jungen* septem annis vacasset. De hoc Episcopo idem *Cranzius Wandal. Lib. IX. cap. 34.* sic scribit: „Circa hoc tempus „(circa annum circiter 1397.) in Zwerinensi „Ecclesia non mediocris erat tumultus. *Ro-*„*dolphus* enim Episcopus, Dominorum de Star-„gardia Frater, a Capitulo suo, omni adminis-„trationis honore in temporalibus & spirituabus destituitur, arce Ecclesiæ Butzow exui-„tur, sola illi curia permittitur in Zwerino, „præbendali portione illum munerantes, & „nihil præterea permisere. Qui ei rei præerat „ex Canonicis unus, ab *Alberto* Rege capitur, „carceri mancipatur; & jam severius in eum „aliquid cogitabatur, quasi Domini sui prodi-„torem. Sed ille felici fato vinculis utcunque „elabitur, evanescens ex omnium oculis. Inte-„rim Fratres destituti Pontificis ex una, & *Eri-*„*cus* Dux inferioris Saxoniæ, & *Albertus* Comes „Holsatiæ Diœcesin ingressi, omnia Canoni-„corum prædia vastant, diripiunt, incendunt, „abductis etiam colonis. Ea merces fuit præ-„cipitis in Pontificem consilii. Principum enim „Filii utroque gladio pugnantes, sunt ceteris „formidabiliores, nec impune tanguntur. Ne-„mo tamen dubitat, magnas tum perpulisse „causas Capitulum in illud consilium. Hæc *Cranzius*, qui tamen causam, quare ita cum Episcopo suo processerit, non addit. Mortuus tandem est *Rudolphus* anno 1414. aut 1415. secundum *Hedericum* l. c. Filius quartus *Albertus* Episcopus Dorpati in Livonia fuit, post annum inter-

interiit teſte *Cranzio Wandal lib. VII. c. 42.* De Filio autem Tertio *Ulrico* Auctor noſter. Cap. IV. agit. Filiarum prima *Conſtantia* Abatiſſa Ribnicenſis facta ann. 1376. altera *Agnetha* Duci Pomeraniæ Stetinenſi *Ottoni* II. elocata, ubi errorem Genealogicum in *Hübneri Tabul. Geneal. Part. I. Tab. 197.* notamus, quo loco ejusdem *Ottonis* II. Ducis Pomeraniæ conjugem *Hedwigam*, dicit fuiſſe *Johannis* III. Stargard. Ducis Filiam, qui tamen præter unicum Filium *Johannem* nullam habuit Filiam. Tertia autem Filiarum *Johannis* noſtri *Euphemia* Domini de Werla *Johannis* VI. conjux fuiſſe dicitur. Tandem hic *Johannes* I. Dux Meclenburg. & Stargardiæ vitam cum morte commutavit Anno 1370. aut ſecundum *Thomam* & *Hübnerum* 1377.

Johannes II. Johannis Filius, Sargatiorum Dux II.

In Cap. II. *Johannem* II. Ducem Sargatiorum Auctor adducit, Filium *Johannis* I. jam deſcripti, qui ut *Cranzius* habet *Wandal. lib. IX. cap. 25.* magnis viribus adnxius eſt, ut captum *Albertum* Sueciæ Regem ſuum Patruelem vinculis exueret; unde primum tentavit, ut Regni Proceres Regi conciliaret, ſed nihil profecit; hinc armis ſcopum ſuum aſſequi tentavit; verum prima ejus expedito infelix fuit. In mari namque navigante *Johanne* noſtro II. Sæva eſt exorta tempeſtas, quæ quosdam ſuorum inprofundum abripuit, alios compulit in portus hoſtiles, ut manibus eorum concedere cogerentur, ut vix ipſe Ductor cum paucis curſum retro legens, in pacata pervenerit. Sed ſequenti anno idem *Johannes* expeditione iterum inſtituta, Filios ſecum duxit in hoſtem *Johannem* III. & *Ulricum* (qui tamen potius Frater ejus, quam Filius fuit, unicum namque Filium hunc *Johannem* ex conjuge ſua *Vegetilla* vel *Wageheila* aut *Wilheida* ſorore *Jagail* & *Stirgail* Ducum Letuaniæ, genuit, in quo ſtirps illa ſtetit, teſte eodem *Cranzio lib. cit. cap. 40.*) Aderant quoque ipſi pro Rege nativo Principe ſuo etiam Cives Rotzſtochienſes & Wiſmarienſes magno numero auxilio, omni niſu contendentes, ut captivitate Rex laxaretur. Populantur hinc inſulas Bornholm & Gothlandiam prædisque in navem convectis, iter in Sueciam continuant, Stockholmiam ſolam in fide Regis permanentem veniunt, quam Dani duobus præſidiis jam oppugnabant, quorum alterum illi adgreſſi, facile expugnant, alterum vero in rupe extructum, ſi oppugnatione ſua continuaſſent, perfacile illud fame in ditionem perpuliſſent. Sed Dux *Johannes* noſter Danorum in præſidio illo degentium, atque ad vincti Regis relaxationem multa pollicentium verbis fictis nimium fidens, cum nimis ad reditum feſtinaret, ante formidatas ex tempore tempeſtates, rem magno molimine cœptam & magna momenta habituram, turpiter evaneſcere permiſit, ut habet idem *Cranzius l. c.* Cæterum hic *Johannes* cum Fratre ſuo *Ulrico* Duces & ipſi Magnopolenſes Stargardiæ Dominatu contenti, aſſiduo bella ad latera Marchiæ detonabant, vexantes vexatique, quod exemplo ſequenti demonſtrat idem idem *Cranzius* l. c. cap. 40. „ Eſt oppidum Prinslavia, ſcribit, cujus Cives ad arma ſatis prompti, provocavere ſæpius vicinos quam ipſi excitarentur. „ Quocirca Principis memorati expedito ſuorum agmine duxerunt in illos. Sed veteri uſi ſtratagemate, ad fallendos urbicos præcipites, pauci ſe oſtendunt, qui pecora abigerent, majori agmine ad inſidias collato. „ Cives ubi abacta pecora audiunt, non ferentes injuriam, mutuo ſe hortantur hoſtes inſequi, ut recepta præda etiam prædatores „ invadant, facile ſe illis numero & virtute „ ſperant ſuperiores, conjectato numero, quem „ oculis illi cernebant. Effunduntur portis, „ hoſtem inſequentes, Illi non multum pro„ perarunt, expectantes, ut cæteri effuſius ſe„ quantur ex Oppido, ita protraxere ad locum „ inſidiarum. Inde exorti qui latuere, oppi„ danos invadunt, ad unum capiunt omnes, „ mox homagium ab ipſis ſumunt in agro, cum„ que illis ingrediuntur Oppidum. Ibi exactio„ ne per ſingula Civium Capita inſtituta LX. „ millia Sexagenarum de groſſis Bohemiæ ex„ torquent. Sed quoniam æs promptum non „ erat, obſides ſumſere ex primoribus, quos „ ipſi delegerunt. Ita *Cranzius*. De bello interim *Johannis* & *Ulrici* Fratrum Stargardiæ, quod cum Conſanguineo ſuo Domino *Balthaſare*, de Werla Domino, ſat grave geſſerunt, ſupra in vita ipſius *Balthaſaris* ex *Cranzii Wandal. lib. X. cap. 22* jam egi. Captus tandem fuit hic *Johannes* II. Dux Stargardiæ referente *Cranzio l. c. cap. 30* hoc modo: „ Quum Marchiam „ Brandenburgenſem ſub *Sigiſmundo* (Cæſare) „ teneret *Jodocus* Moraviæ Princeps, commen„ davit illam abiens *Johanni* & *Ulrico* Fratribus „ Stargardiæ Principibus. Marchiæ Proceres, „ quum inviderent tranſeuntem *Johannem*, „ quum ad *Jodocum* Marchionem proficiſcere„ tur, capiunt, & in arce Plawe ſeptem annis ca„ ptum detinent, donec magno ſe lueret ære. Hunc quidem exercitu contracto, peditum equitumque, atque in Marchiam Brandenburgenſem ducto, una cum *Erico* Saxoniæ Infer. Duce e vinculis iterum Marchionis ſolvere intentabant *Johannes*, Ducis *Magni* Filius, cogn. *Adoleſcens*, & *Albertus* IV. Regis Sueciæ *Alberti* II. Filius Duces Magnopolenſes, ſed in hac expeditione nihil efficere valuiſſe idem *Cranzius* ibidem enarrat. Poſt magnam tamen, ut ex *Cranzio* jam adduxi, æris proprii ſolutionem ex ſeptennali captivitate iterum ſolutus noſter, domum rediit, ſed paulo poſt vitam cum morte commutavit, non ut Auctor noſter ſcribit 1407. ſed 1418. uti habent *Thomas* & *Hübnerus*.

Johannes III. Dux Sargatiorum III.

Hujus Filius unicus *Johannes* III. cujus Auctor cap. III. meminit, cum in eosdem pugnaret hoſtes, (Marchiones Brandenburgicos) capitur etiam ad villam Koblanke, & in captivitate permanſit annos IX. ad tempora *Johannis*, qui *Friderici* Marchionis Filius erat, a quo non parva auri mole accepta, Dux noſter Stargardiæ iterum e captivitate laxatus fuit, teſte eodem *Cranzio l. c.* Domum rediens anno 1430. Conjugem duxit *Lutrudim* Ducis Aſcaniorum Lineæ Cöthenſis Fundatoris *Alberti IV Claudi* Filiam, ex qua unicum tantum genuit Filium

itidem *Johannem* IV. qui XV. annorum Adolescens anno 1455. animam suam efflavit, ipse autem Pater ejus *Johannes* III. anno 1440. febrili ardore consumtus decessit.

Udalricus I. Sargatiorum Dux IV.

Ad Cap. IV. Auctoris de *Ulrico* I. Fratre *Johannis* II. Duce itidem Stargardiensi præter ea, quæ de illo ad cap. II. in vita laudati Ducis *Johannis* jam dixi, adhuc ex *Cranzii Wandal. Lib. X. cap.* VII. notandum: Illum adsiduis conflictationibus ursisse Marchiam, quod multa, quæ suæ Ditionis crederentur, Marchiones possiderent, Urbem hinc Vredeland & oppidum Struzenburgum oppugnasse & expilatas incendio deleviſſe. Tandem tamen hic Princeps optimus, in armis promptissimus, & ad victoriam felicissimus, qui sæpe parva manu, majores copias fudit, ac hostium agminibus sæpe inclusus, tamen elapsus, cui magnitudini animi dexteritas comes erat, cum armis vinci non posset, fraude tandem suorum (ut fama tulit) toxico periit anno 1417. eodem *Cranzio teste Wandal. lib. X. cap. 26.*

Henricus, cogn. Macer, Sargatiorum Dux V.

Pergo ad Cap. V. Auctoris, ubi de *Henrico* Sargatiorum Duce, qui fuit Filius *Udalrici* I. vel tribus saltem verbis agit. Placet ergo, ut, quæ de eo adhuc dicenda restant, ex *Cranzio* suppleam. Ita enim ille gravissimus Historicus *lib. XII. Wandal. cap. 15.* de eo scribit: „*Hen-*„*ricus* Dominus Stargardiæ (ad differentiam consanguinei sui *Henrici Pinguis* Ducis Megapolensis, *Henricus Macer* dictus s. Senior) qui „se quoque ex pacto in se Principum, Magnopolensem Ducem in Titulo præferebat, Prin„ceps ad arma industrius, & qui in armis plu„rimum esset versatus, tantum experimenti „de labore contraxit, ut noctibus quam fre„quenter inambulans, stellarum situm & or„dinem annotabat, ut tempora cum horis de„cerneret, cæterum ad res civiles tam impe„ritus, ut currentem monetam non discerne„ret. Nihil enim tam angusti animi reputa„bat, quam amare divitias. Sederat aliquan„do Dispensator rerum ejus, & jactiles num„mos ex cupro ad numerum levi comparatos, „longo ante se ordine calculans habuit. Dux „ipse jam æris indigus, quum putaret aureos, „acervat in unum. *Hos*, inquit, *interim meis* „*usibus desumo, tu alios require.* Movit ad „stantibus risum, quum Dispensator diceret, „*non esse illos usui ad comparandum. sed solum* „*calculandum*, projiciens abiit. Hic (*Henri*„*cus* Dux) aliquando in Lubicenses contraxit „nonnihil irarum; movit in septa eorum per „Magnopolim, præsidium, quod Vredeborg „vocant, in flammas vertit. Duxere illum duo „ex iis, qui pridem stipendia Lubicæ feciſſent, „sed per culpam ejecti ministerio, nunc hosti „se applicuere, ostendentes quæ prædia pin„guiora, unde exitus. Itaque prædis undique „coacervatis abiere. Comitabantur illum (quod „sciebatur) ex non longinquis Megapolensis „militiæ vires. Lubicensium duo Præfecti, ex „ipsa urbe alter, alter ex Molne junctis copiis „ex intervallo ingressi eorum prædia, qui in„tersuere, parem egere prædam, mansiones „multorum subverterunt. Hæc *Cranzius*. Cæterum hic *Henricus Macer* seu *Senior*, duas habuit conjuges; Primam *Ingeburgam* vel *Engelburgam* Ducis Pomeraniæ *Bogislai* VIII. Filiam; qua demortua, alteram duxit *Margaretham* Ducis Brunsuicensis & Luneburgensis *Friderici Pii* Filiam, anno 1452. ductam, ex qua tamen nullam vidit sobolem. Ipse autem Dux *Henricus* obiit anno 1466.

Udalricus II. Sargatiorum Dux VI.

Tandem in Cap. VI. & ultimo hujus Libri Auctor noster ex *Henrici Macri* conjuge *Engelburga* productum Filium unicum *Ulricum* II. recenset. Ultimus hic Stargardiæ Dux, vere pius & devotissimus, sorores habuit duas, *Margaretham* unam, quam *Hübnerus in Tabul. Gen.* præteriit, (sororem tamen nostri *Ulrici* fuisse, ex litteris ipsius *Ulrici* wegen der Forderung wider die Hertzogen zu Pommern datis, atque in Archivis Meclenburg. adhuc exstantibus satis cognoscitur) Ducis Erici II Pomeraniæ conjugem; alteram *Magdalenam*, perperam ab *Hübnero Tab. cit. Ulrici* nostri Filiam dictam, primum *Wratislavo* X. Duci Pomeraniæ an. 1475. elocatam; deinde vero anno 1487. Comiti *Burchardo V. de Barby* conjugii vinculo adsociatam, Magdeburgi tandem anno 1533. die 13. Apr. demortuam. Nostri autem *Ulrici* Filiæ, (Filios namque ex conjuge sua *Catharina* ultimi Herulorum ac Vandalorum Domini *Wilhelmi* Filia unica, nunquam produxit) *Engelburga* una, anno 1489. Comiti *Eberwino* Benheimensi nupta, anno 1509. demortua est; altera *Elisabetha*, Priorissa Cœnobii Rehnensis fuit. Pater tandem Dux *Ulricus* noster II. Lineæ Stargardiensis ultimus, vitam, & quidem, ut Auctor noster vult, non sine suspicione propinati veneni, cum morte deposuit anno 1471. qui moriens dixisse fertur:

O Gott! wie hat man gekämpfft und gerannt
Um vier Bretter und ein Leingewandt.

teste Cl. *Thoma Rer. Gustrov. Period. III. ad §.* XVI. in Notis. Sed ad Finem tandem cum Auctore nostro propero, atque in illius nunc *Annalium Herulorum ac Vandalorum lib. VII.* & ultimo X. *Ducum* qui adhuc restant *Meclenburgensium καθ' ἐξοχήν* sic appellatorum Vitas percurram breviter, minus recte in illis scripta corrigam, quos exorsus sum, *Annales* etiam hos pertexam, & qui dudum Præfaminis mei limites transgressus, sic tandem colophonem *Mareſcalci* mei *Redivivi emendati ac continuati* feliciter imponam.

Albertus I. S. R. Imperii Princeps ac Dux Megapolensis I. Princeps Vandalorum, Comes Suerinensis, Rostochii & Stargardiæ Dominus.

Exorditur autem hunc Librum suum VII. & Ultimum in Cap. I. Auctor noster ab *Alberto* Domini Megapolensis *Henrici Leonis* Filio primogenito. Hic, quod in vita Fratris *Johannis* supra paucis jam tetigi, ex ultima Parentis voluntate una cum Fratre suo tutelæ urbium Rostochii & Vismariæ Primoribus, donec ad virilem ætatem vergerent ambo, & rebus suis præesse ipsimet valerent, commendatus ac concreditus fuit. Ad viriles itaque annos perveniens *Albertus* noster, prior etiam Conjugem duxit anno 1321. vel secundum *Hübnerum in Tabul. Genealog. 1336. Eupheniam* sc. Regis *Erici* a Fratre suo *Birgero* postea anno 1317. in captivitate inedia necati Filiam, *Magni* II. cognom.

Schmecks,

Schmecks, post Patrem Regis Norici, sororem & sacrum hoc suum nuptiale in urbe Rotzstochio, quam amabat unice, beneficiis ornabat abunde, multa cum solemnitate & Civium omnium conspiratione, quod Decessoribus (verba sunt *Lindebergii Chron. Rost. Lib. II. cap. 8.*) „fuerat negatum celebravit. Ipse tum Guber„nacula apprehendens, prudenter & fortiter ut habet *Cranzius Lib. VIII. cap. 15.* terram suam gubernavit, sive ut *Lindebergius l.c.* ejus laudes breviter exprimit: „Heros fuit sapiens, „fortis & bellicosus, finitimisque omnibus cha„rus, & Genitori etiam impendio callidior. Hic, eodem *Cranzio l. c cap. 21.* teste, legatione Regis Sueciæ *Magni* Leviri sui functus in Thuringiam (ad Cæsarem sc. *Ludovicum*) ut nuptias conciliaret, a Gunthero Comite de Schwartzenborg cum omni suo capitur comitatu, ob controversiam, ut credebatur, de veteribus Patrum simultatibus. Sed cum ad Romanorum Regem eo itinere transiret, suæ putavit Rex integritatis, ut incolumem præstaret & liberum. Tentavit hoc litteris & nunciis, quæ ubi nihil peregerant, explevit armis, ut laxatus in sua rediret. Sed *Marescalcus* noster h. l. & *Mylius in Chron. german. Mectenb. Albertum* nostrum ope Cancellarii sui ex mandato Cæsaris iterum liberatum fuisse, ac Marchionem Brandenburgensem jussu Cæsaris a Comite postea redhostimentum iterum sumsisse sat grave, scribunt. Liber sic factus, & legatione tamen illa feliciter apud Cæsarem coram defuncta, ad Affinem suum anno 1341. incolumis rediit *Albertus*: qui (ut cum *Lindebergio l.c.* iterum loquar) primus cum „Fratre *Johanne* Ducis Titulum Familiæ seu „Domui suæ intulit, sub *Carolo IV.* Rom. Im„peratore & Bojorum Rege, qui utrumque „de Dominis Magnopoleis Pragæ (anno 1349. die 8. Julii) „in Ducem sublimavit ac in Imperii „Principem, minime detracta ex insignibus di„gnitate regia, quæ etiamnum in avitæ excel„lentiæ memoriam, in corona regia capiti bu„bali bovisque superimposita durat, inaugu„ravit. Reversi sic Duces ac Principes Imperii R. Germ. *Albertus* & *Johannes* in Terram suam, cum ultimo Comite Suerinensi *Ottone*, bellum de Comitatu suo gessit, quem *Henricus Leo* Saxo, ante ducentos & quod excurrit annos, abstulisset Tritavo suo *Pribislao* ultimo Herulorum Obetritorum ac Vandalorum Regi, ac *Gunthero* cuidam e commilitionibus suis donasset, qui dein Primus Suerinensium Comes factus est. De hoc ergo Comitatu Marioneo seu Suerinensi pro aucta nunc sua a Cæsare dignitate, Feudi Dominus a Comitibus voluit recognosci, cujus desiderium tamen ex longa aliquot seculorum habita possessione, cum denegaret Comes, jure belli hunc Comitatum, ad Megapolensium Provinciam reducere tentavit *Albertus*, eaque de re Oppidum cum Arce Wittenburgum oppugnans cepit. Et ne scrupulus restaret, quominus ipse ac Posteri ejus pacifice hunc Comitatum possiderent, mortuo *Ottone* Comite Suerineo Cogn. *Rosa* ultimo sine hærede masculo, quod reliquum fuit, armis occupare aggressus est, atque præsidium adversus oppidum & arcem Suerin, ut impediret ingressum & egressum, firmavit; frustra tamen, cum Dux oppidum hoc cum arce obsideret; Tractatibus tandem res omnis ita composita fuit, ut Dux Fratri Comitis *Ottonis* adhuc unico, *Johanni de Tekeneborg* (Tecklenburg) Comiti, ingentem pecuniam solvat, hacque ille juri suo Duci *Alberto* nostro cedat, verum ob justam Duci nostro in Comitem motam querelam, expromissum æs ad plenum non fuit solutum, teste *Cranzio l.c. c. 33.* Mansit tamen Dux noster in Possessione Comitatus Suerinensis etiam ex jure proximioris affinitatis, utpote, cujus ultimi Comitis *Ottonis* Filiam unicam, *Rixam* seu *Richardin* Comitatus ex asse Hæredem, Filio suo *Alberto* Regi postea Sueciæ, in matrimonium dederat. Ita Suerini, Comitibus Suerinensibus extinctis cepit residere 1356. Tituloque ad Posteros postea propagato usus: ALBERTUS *Dei gratia Dux Megapolensis. Princeps Vandalorum, Comes Suerinensis, Rostochii & Stargardiæ Dominus.* Quomodo postea *Albertus* I. Dux noster, Regem Daniæ *Woldemarum* III. insulam Pole prope Wismariam deprædantem, cum expedito agmine fugarit, compulerit que in naves redire, multis ante vel in ipsa trepidatione demersis, vel in congressione gladio cæsis; latrones dein in solo Raceburgensi bello feliciter persequutus, Lubicam Civitatem singulari affectu foverit, cum *Ludovico* cognom. *Romulo* Marchione Brandenburgensi postea Electore, manum conferens, supra quadringentes ex agmine Marchionis victor ceperit, cum Rege Danorum Marchioni auxilio venienti, ante Oppidum Berlin ab eo obsessum, confligere se paraverit, sed interventu Leviri sui *Magni* Regis Sueciæ, res ita finita fuerit, ut Marchio remittat jus omne in Terra Stargardiæ, Filiam (*Ingelburgam* s. *Engelburgam*) accipiat *Alberti* Ducis indotatam; dos autem sit redemtio quadringentorum ab *Alberto* nostro captorum, cum oppido Lenze (Leontio) donativa propter nuptias (*vitalia* vulgo dicta) sint Oppida Werben, Zehusen, Palberge & Arensborg. Porro: quomodo postea cum Lubicensibus latronum latibula, Dusow, Lassow, Radewin, Domnize, Meyenborg & Muggenborg, everterit, ac criminum reos statim in vicinis arboribus appendi jusserit; insuper etiam adversus vicinos Pomeraniæ Duces de Finibus Ditionum certans, victor noster emicuerit, Ducibus & Mareschallo eorum *Wedekindo de Bugenhagen* cum multis militaribus in prælio captis *Magnum* etiam Marchionem Brandenburgensem eodem tempore, Albi transmisso, Terram ejus ripariam evastantem, retro ad naves coëgerit, multos merserit, aliis captis, *Magno* vix cum paucis elabente, sicque tum duabus victoriis clarus extiterit; omnia hæc præter *Marescalcum* nostrum, etiam pluribus enarrat idem *Cranzius l c. cap. 22. 24. 26. 31. 33 & 41.* Sed addo adhuc sermonem ultimum (quem cantionem cygneam *Cicero* dicit) quem moriens ad Filios adhuc habuit noster *Albertus* Dux, adductum a *Cranzio Lib. IX. Wandal. cap. 5.* his verbis: *Al*„*bertus* per ea tempora Dux Primus Megapo„len-

„lensis, princeps insignis, & victoriosus, jam „gravis annis, quum intelligeret adesse finem „vitæ, vocatis Filiis *Henrico* atque *Magno* „(nam *Albertus* tertius jam Rex in Suecia rem „gerebat) *Videtis*, inquit, *Filii, cursum meum „satis laboriosum; per multa ego bella pacem vo-„bis conquisivi a vicinis Principibus; Vos partam „servate, justitiam ad omnes implete, quæ sit vo-„bis pro muro, itinera publica (quod in vobis est) „secura sint, Urbium vicinarum intelligentiam „ne contemnatis, nam subditæ parebunt ad æqua „omnia. Facile hostium eritis victores, si cu-„piditatem, ambitionem & cætera in vobis vitia „viceritis.* Atque sic tandem mortuus est *Albertus* I. Dux laudatissimus anno 1379. secundum Dn. *Thomam*, aut secundum Auctorem nostrum, Dn. *Hübnerum* & multos alios Genealogistas anno 1380. die quidem 19. Febr. Dobberani sepultus. Priori sua conjuge *Euphemia* Suecica anno 1360. elata, grandævus alteram 1378. duxit *Adelheidam* Comitis Hoensteinii *Adolphi* Filiam, ex qua unicum produxit Filium *Albertum* in infantia demortuum. Ex priore conjuge præter Filios *Henricum* cognom. *Suspensorem*, de quo mox, *Albertum* II. postea Regem Sueciæ, de quo in Cap. III. Auctoris, & *Magnum* I. de quo in Cap. IV. & Filiam *Ingelburgam* quam Marchioni & Electori Brandeburgensi *Ludovico* Romano denuptam fuisse, paulo ante dixi; adhuc unam habuit Filiam *Annam* Comiti Holsatiæ *Adolpho* VII. elocatam.

Henricus, Sen. cogn. Suspensor, Dux Megapolensis II. &c.

Morte itaque *Adolphi* I. Patris insequuta, *Henricus* senior gubernacula subit, Princeps memorabilis, paternæ virtutis imitator strenuus, uti eum vocat *Cranzius Wandal. Lib. IX. cap. V.* Hic *Henricus* pro zelo justitiæ, cogn. *Suspensor* dictus, eo quod omnes inventos latrones captos, sine omni venia statim suspendio necaret, adducitur ab Auctore nostro in Cap. nunc sequ. II. a celeb. *Cranzio l. c. cap. VIII.* adducitur, cujus ibi verba hic quoque apponere placet. „Obierat per idem tempus (1382. secundum Cl. *Thomam*, *Hübnerum* quibus & *Cranzius* noster propius accedit, non autem secundum Auctorem nostrum 1400.) „*Henricus* Megapolensis Dux, *Alberti* I. Ducis „Filius, Princeps optimo ad justitiam zelo, „qui tanto insectatus est odio publicorum iti-„nerum latrones, ut nulli deferens nobilitati, „quotquot ejus culpæ deprehendit affines, „nullius usus ministerio, nec expectata ad ex-„purgandam conscientiam opportunitate (di-„ctitans, ut apud DEUM pœniteat, meliori „nunc moriturus exitu, quam si in conflictu a „mercatoribus cæsus periisset) ipse suis mani-„bus alligavit jugulandos. Unde improbi du-„cto cognomine, Ducem illum Jugulatorem „sive Suspensorem adpellavere, quod illi in „contumeliam, boni omnes eum verterunt in „gloriam. Hæc *Cranzius*. Hunc ergo Ducem *Henricum* Principem, omnium ætatis suæ justissimum, iniquitatis aliorumque flagitiorum vindicem acerrimum, veneranda illa antiquitas, non tam elegantiæ illo tempore, in scribendo, quam candoris in sentiendo studiosissima, in quodam Epitaphio, in Cœnobio Dobberanensi erecto, his, meram animi simplicitatem spirantibus versiculis, posteritati commendavit:

„Forte Scholis didicit, male doctos quomodo vicit,
„Pax & Justitia fuit ejus Philosophia.
„Per quam purgata, stetit ejus publica strata,
„Non obdormivit ablativos ubi scivit;
„Investigavit, suspendit, vel gladiavit.

Hæc *Hübnerus Quæst. Histor. Civil. Lib. VI. p. 556 Laurentius* item *a Bodock*, Orator Academ. Rotzstoch. publicus Ordinarius, in *Panegyrico* quo Dux Mecklenb. Gustrovienſis, *Gustavus Adolphus* die Homagii anno 1654, qui erat XXX. August. nomine Academiæ Rotzstochiensis publice exceptus & honoratus fuit. Cæterum hunc *Henricum* duas habuisse Conjuges volunt; unam *Ingelburgam* s. *Engelburgam* Regis Daniæ Waldemari III. Filiam anno 1246. natam, Feria I. Paschatos denuptam 1362. Feria I. Pentecost. Hafniæ; secundum clariss. *Hübnerum in Tab. Geneal. 85. Part. I.* anno 1400. denatam, ex ex qua reliquit *Albertum* III. bonum Principem & regno dignum (erat enim verus Regni Daniæ hæres) nisi *Margaretha*, altera ejus Regis Filia, relicta Regis Norwegiæ jam vidua, regnandi avida, *Albertum* excluſisset. Sed neque diu erat in rebus humanis *Albertus*. teste *Cranzio l c. Cap. IIX.* mortuus namque est anno 1387. teste Cl. *Thoma*, *Hübnero* & aliis, minime vero ut Auctor noster scribit 1370, cum ex Conjuge sua *Agnetha* s. *Elisabetha*, uti ab *Hübnero* vocatur, *Nicolai* Comitis Rensburgensis Holsatiæ Filia, nullam prolem produxisset. Præter hunc *Albertum* III. etiam genuit *Mariam*, Duci Pomeraniæ *Wartislavo* VII. nuptam, Matrem Erici I. vel X. Pomeraniæ Ducis in Regem Daniæ electi 1412, sed iterum remoti 1439. (*Chytræus Chron. Saxon. Lib. IV. pag. 126.* ultro *Ericum* Regna Sueciæ Daniæ & Norwegiæ reliquisse, inque Pomeraniam rediisse scribit) & 1459. demortui, cum ex conjuge sua *Philippa* Regis Angliæ *Henrici* IV. Filia, nullam protulisset sobolem. Altera *Henrici* nostri Filia *Euphemia* Conjux fuit *Johannis* IV. Domini de Werla. Tertia autem Filia *Engelburga* Abbatissa in Cœnobio Ribnicensi vixit. Alteram *Henrici* Conjugem fuisse dicunt *Mettam* seu *Machtildam* Principis *Bernhardi de Werla* Filiam, ex qua tamen nullos produxit liberos, sicque *Henrici* nostri stirps defecit.

Albertus II. Rex Sueciæ, Dux Megapolensis III. &c.

Sequitur in Cap. III. *Albertus II.* Dux Megapolensis, *Alberti I.* Filius II. qui anno 1363. in Regem Sueciæ electus, (cum sc. *Henricum* Comitem Holsatiæ impetrare non possent Proceres Sueciæ, ab eo ad *Albertum* I. Magnopolensem Ducem missi sunt, ut unum ex tribus ejus Filiis, quem mallent, optione proposita deligerent, quod essent illi nati Sorore *Magni* Regis Sueciæ. Illi vero ad *Albertum* trium per ætatem medium inclinarunt, quem etiam Pater suus provexit in Regnum, teste *Cranzio Wandal. Lib. VIII. cap. 38.*) Conjugem *Richardin* primam (quam falso postea *Ingeburgam* vocat A. noster) anno 1380. in Scandinavia amisit, Stockholmiæ postea sepultam. Anno dein

1388.

1388. (*Cranzius* annum 1389. ponit) in bello a Regina Daniæ *Margaretha* captus, per annos VII. in custodia Hafniæ detentus, ac magno labore magnoque æris pretio soluto iterum 1394. liberatus, (vid. *Lindeberg. Chron. Rostoch. lib. II. Cap. XII.*) tandem in Ducatu suo patrio Meclenburgensi vitam cum morte deposuit anno 1412. M. Aprili, (quo in anno mense Octobr. etiam *Margaretha* Regina Daniæ obiit) ejusque Epitaphium Gadebusi, ubi mortuus & sepultus, adhuc hodie in Sacello regio ibi legitur, hoc modo: Anno Dn. M. CCCCXII, - - - Obiit Albertus Dei gratia Suecorum, Gothorum. - - - Reliqua ob defractas & ablatas laminas orichalceas de lapide sepulchrali, non amplius legi possunt. De magno illo Principum conventu, quem *Albertus* noster, jam Sueciæ Rex, circa annum 1386. Wismariæ coram instituit, cui ex Principibus *Wenzeslaus* Dux Saxoniæ & Luneburgæ, *Bugislaus* Dux de Wolgasto, *Ericus* Inferioris Saxoniæ Dux, *Nicolaus & Adulphus* Holsatorum, *Otto* de Hoja, *Gunterus* de Rupin, Comites: *Laurentius* Comes Wandalorum (Dominus de Werla) omnis effusa Nobilitas, milites, militares, vicinarum Urbium honesti Cives, Principum, Nobilium, Militum, Militarium virorum conjuges simul interfuerunt, cujus solemnitas ab *Alberto* Rege instituta, octo continuatis diebus perduravit in omnis generis lætitia, agit *Cranzius* ibid. *lib.* IX. *cap. 19.* Ita etiam *cap.* seq. *20.* idem Auctor adducit Conventum Oratorum ab eodem nostro *Alberto* Rege Sueciæ, Daniæ Regina *Margaretha* & multorum aliorum Principum, Comitum, Urbium &c. Legatorum sequ. 1387. annum, Lubicam ablegatorum, in quo potissimum tractarunt de communi terrarum pace per mare quoque servanda, ut persequutio communi odio fieret in publicorum itinerum latrones. De caussa belli *Alberti* nostri cum *Magaretha* Danica, habita anno 1389. pugna & captivitate cum Filio septennali, nec non difficili eorum liberatione, idem scribit *l. c. cap. 22. & 25.* De controversia, quam post reditum in Ducatum suum ex longa captivitate cum Lubicensibus, de violatione terrarum suarum habuit eodem *lib. cap. 26.* agit. Idem Rex Sueciæ ac Dux Magnopolensis, cum videret, per absentiam suam, quum esset in regno, disturbata multa fuisse, quæ vel in ipso Principatus corpore, vel in propinquis Dominiis fuerant, in deterius prolapsa; eam itaque ob rem convenit in Oppido Parlberge *Wilhelmum* Misnensem, tunc jam Brandenburgensem Marchionem, simulque & Wandalicarum Urbium Oratores adfuerunt, colloquiumque inter eos de pace publica habitum, eo collimavit, „ut „pax publica ubique vigeret, itinera omnia „secura servarentur, communi odio infecta„ti ab omnibus prædones, darent improbita„tis suæ justas pœnas, uti idem *Cranzius l. c. cap. 33. & 38.* hæc omnia annotavit, ubi simul quoque agit de altero *Alberti* nostri Suerini in Bacchanalibus in præsentia multorum Principum vicinorum eorumque Conjugum, regales nuptias mirifice honestantium, cum *Magni Torquati* Ducis Lüneburg. Filia *Henrici & Bernhardi* sorore (quam *Elisabetham* minus recte vocat, nullam enim Dux *Magnus* habuit Filiam ita vocatam) *Helena* secundum *Bucelinum, Albitium & Hübnerum*; *Agnetha* autem ab Auctore nostro, *Mylio*, Auctore *Anonymo Genealog. Ducum Megapolit.* in calce annex. nec non in *Genealogia Ducum Mecklenb. Gustroviæ in Templo Cathedrali* lapidi marmoreo insculpta, dicta, Vidua, (sc *Bogislai* VI. Ducis Pomeran.) inito conjugio; quo etiam tempore, & Filio suo prioris Conjugii *Erico* Filiam *Bugislai* VI. Pomeraniæ (*Sophiam*) conjugii vinculo adsociavit, eodem *Cranzio* ibid. auctore. De hujus autem *Erici* morte in sequ. cap. *34.* idem *Cranzius* sic scribit: „*Ericus* „*Alberti* Sueciæ Regis Filius, spes unica Re„gni) quod de sanguine Regum illorum per „Matrem Patremque prodiret) non diu post „initas nuptias quam in Gothlandia (quæ ad„huc *Alberto* Patti parebat) ageret, diem clau„sit extremum. Visus est tum Rex animo „recuperandi Regni concidisse, jam vetulus, „jam laborum pertæsus. *Margaretha* Regina „ad eum nuncium defuncti *Erici* erecta, nihil „intermisit, quod ad firmandos in fide Regni „Proceres pertineret. Incidit autem *Erici* mors, qui peste sine sobole obiit, in annum 1397. cujus Soror Germana *Richardis*, Duci Görlizensi ac Lüzelburgensi in Moravia *Johanni*, Fratri Imperatoris *Sigismundi* elocata fuit. Ex altero Conjugio *Albertus* noster II. Rex Sueciæ genuit unicum saltem Filium *Albertum* IV. qui Patri supervixit atque cum Fratruele suo *Johanne*, Ducis *Magni* I. Patris sui *Alberti* Regis Germani Filio, ex æquo Megapolensem Ducatum divisit, sed maritimas Urbes Rotzstochium atque Wismariam pro indivisis tenuerunt, ut habet *Cranzius lib. X Wandal cap. 10.* Hic *Albertus* IV. cum Fratruele suo Duce *Johanne* cogn *Adolescente*, controversias inter Senatum & Cives in Urbibus Wismaria & Rotzstochio exortas non solum feliciter composuerunt, uti *Cranzius lib. X. cap. 25.* & *Lindebergius Chron. Rostoch. lib.* II. *cap.* XVI. pluribus enarrant: Bellum quoque conjunctis viribus & armis adversus Marchionem Brandenburgensem pro liberando ex vinculis *Johanne* II. Duce Stargardiæ gesserunt, uti hoc supra in vita *Johannis* ex *Cranzii lib. X. cap. XXX.* jam adduxi: Verum etiam hi Duces an. cIↃ CCCCXIX. ex concessione *Martini* V. Pontificis Rom. in urbe Rotzstochio, Palladium, Publicam Academiam seu Gymnasium Litterarum XII. quidem Novembris die, conjunctim constituerunt, fundarunt ac introduxerunt, Ecclesias Magistris distribuendas permiserunt, Senatus Urbis constituit etiam suis Professoribus stipendia annua, multa quoque ex vicinis contulere non pauca, in Dotem ejusdem Palladii privilegiati, teste eod. *Cranzio* l. jam cit. ac præter *Lindebergium Chron. Rostoch. Lib III. cap.* I. De Academiæ Rotzstochiensis Erectione, Dotatione, immunitatibus, variisque illius vicissitudinibus, Statutis, Legibus &c. peculiarem Historiam Libris VI. com-

pre-

prehenſam jam dudum conſcripſit B. meus Genitor, quæ a me auctior & emendatior reviſa, ac ad finem perducta cum DEO tandem aliquando in lucem prodibit. Poſt mortem Fratruelis ſui Ducis *Johannis* ipſe *Albertus* noſter IV. relictorum parvulorum Filiorum *Henrici* & *Johannis* Tutor factus eſt, rerumque gubernacula anno 1423. accepit; ſed ea non diu tenuit, ſubtractus ex hac luce ſine liberis. Nam cum eo tempore *Fridericus* Marchio Brandenburgenſis in Parlberg cum *Alberto* noſtro Duce Magnopolenſe de diuturno inter eos bello pacando colloquium haberet, eo quod militares finem non facerent deprædationum adſuetarum, ſolus cum ſolo negotia pacis pertractavit, & convenit inter ambos, ut *Fridericus* duas Arces Domze & Gorloſe, quas ex Magnopoli per bellum acceperat, de benignitate redderet, Filiamque parvulam illi (*Alberto* noſtro) Conjugem deſponderet; ſed *Albertus* noſter vix exacto anno a die deſponſatæ ſibi impuberis puellæ (*Margarethæ* ſc. *Friderici* I. Marchionis ac Electoris Brandenburgenſis, Burggravii Norimbergenſ. VI. quam *Ludovico Gibboſo*, Bojoariæ Duci, Comiti in Greiſpach, genito ex *Anna Borbonia*, invito licet Patre ab eo in torum aſcitam, junctam fuiſſe, alii ſcribunt; Sed *Johannes Cernitius* Electoralis Archivi Berolinenſis quondam chartophylax, *Alberto* noſtro IV, Duci Megapolenſi, Sueciæ & Norwegiæ juſto Hæredi, deſponſatam fuiſſe, recte memorat. Eam poſtea viduam *Martino a Waldenfels*, Comiti Palatino nupſiſſe, ac anno 1465. demortuam fuiſſe, *Johannes Martinus Rauſcher*, Eloquentiæ Prof. Tubing. Ordinarius in Stemmate *Mariæ Eleonoræ*, Suecorum Auguſtæ atque anno 1633. publice hac de re habita ac edita Oratione cum annexo Stemmate Brandenburgico, pag. 59. atteſtatur) diem ſuum obiit. Intacta puella poſtea rediit in paternam domum. Commiſerat autem *Albertus* moriens Terram & tutelam Nepotum ex Fratre, Gubernatoribus Urbium Rotzſtockii & Wismariæ, non ut adminiſtrarent Principatum, ſed ut Conſiliis & auxiliis foverent Parvulos. Mater autem Parvulorum Duciſſa *Catharina Matthiam Axkowen* Militem, virum ad omnia fortem, præfecit rebus gerendis, & ejus ductu atque miniſterio, cuncta pro imperio ipſa gerebat: Mulier prudens, & quæ æquaret, multosque ſuperaret virtute, uti hæc omnia adducit laud. *Cranzius* in fine *Libr. X. Wandal. cap. 40.* & *Libr. XI. cap. 1.* ſtatim ab initio. Sed de hoc *Alberto* IV. etiam egi in *Antiquitatibus Rotzſtochienſibus*; ſive *Hiſtoria Urbis Eccleſiæ & Academiæ Rotzſtochienſis* B. mei Genitoris *Lib.* II. *Cap.* I *De Fundatoribus, Ampliatoribus, Reſtauratoribus, Dotatoribus & Conſervatoribus Academiæ Rotzſtoch.* Atque hæc de Liberis *Alberti* II. Regis Sueciæ & Ducis Megapolenſis, in quibus & ejus linea defecit, venitque Ducatus ad *Magni* Fratris ſui Filios, de quibus in ſequentibus. Adhuc de Privilegio ab *Alberto* noſtro dato *Fœminis Nobilibus, ut contra Leges Auguſtales, non extantibus Maſculis, hæreditatis ſucceſſionem quoque obtineant*, notamus; hac de re ante plures annos, anno ſc. 1701. in Academia Rotzſtoch. ſub Præſidio. D. *Joh. Caſp. Müllери* JCti, publicam conſcripſiſſe ac habuiſſe *Diſſertationem de Virgine Nobili Mecklenburgica ejusque jure circa Feudum, Erhard. Dethlef de Lautzow* Equit. Mecklenb. in qua præſertim *Cap.* II §. 4. hanc materiam pertractat: junge huic etiam *D. Engelbrechti Diſſertationem de Singularibus Feudorum Mecklenburg. Juribus; nec non Petrum Tornovium in Tract. de Feudis Mecklenb.* in primis *Sect. II. §. 28. pag. 217.* Ita quoque heic caſtigandus eſt Auctor noſter de Tertio *Alberti noſtri* II. cum Ducis Pomeraniæ Filia in ſenectute contracto conjugio, de quo tamen matrimonio apud cæteros Rerum Mecklenburg. Auctores & Genealogiſtas altum eſt ſilentium; neque etiam ex Auctoris mente, & qui cum illo ſentiunt, *Mylius*, Tabulæ *Genealogicæ Tübingenſes* & alii, *Albertus* hoc anno 1394. vitam ſuam clauſit, ex carcere ſuo ſeptennali tunc nondum liberatus minime etiam anno 1407. ut *Cranzius Wandal. Lib. X. cap. 10.* ſcribit rebus exceſſit humanis, ſed quem ſupra notavi, anno 1412. diem ſuum in bona ſenectute obiit ſupremum, teſte *Thoma, Hübnero* & ipſo Lapide ſepulchrali Gadebuſi adhuc extante. Tantum de *Alberto* II. ejusque ſtirpe.

Pergo ad Tertium Filiorum *Alberti* Senioris, *Alberti* Regis Suecorum Germanum *Magnum* I. Ducem Megapolæum, de quo ſic ſcribit *Cranzius Wandal. Lib. IX cap. 12.* „*Magnus* „Dux Magnopolenſis, *Alberti* Filius, ea tem- „peſtate rebus præerat in Ducatu ſuo, Prin- „ceps vivacis ingenii, & qui non pateretur aut „diſſimularet ullam injuriæ etiam ſignificatio- „nem, non modo irrogationem. Multos ipſe „prævenerat male ſibi cupientes, unde fa- „ctum eſt, ut neque ſubditis populis, neque „vicinis Principibus ſatis charus eſſet: cujus „tamen temporibus nihil memorabile pera- „ctum referunt Annales. Non malum hercle! „ſignum, neque obſcurum de virtute Princi- „pis teſtimonium, qui tranquillitatem tempo- „rum ſuorum promereretur; neque enim fieri „poterat, ut inquieto ſub Principe quietus eſ- „ſet rerum ſtatus. Sed ille non diu rebus præ- „fuit, paucis exitum ejus complorantibus, hæ- „rebat enim mentibus omnium memoria Fra- „tris *Henrici* & Patris Amborum *Alberti* quæ „collata *Magno*, minus illum fecit eſſe ſpecta- „bilem. Succeſſitque Principatui *Albertus*, „Filius *Henrici*, ejus, quem cognominavere „*Suſpenſorem* (de quo tamen ſupra in vita Patris *Henrici* ad Cap. II. Auctoris jam dixi) „Nam alius interim *Albertus* in Suecia tum „maxime rebus floruit: & *Magnus* Filium re- „liquit *Johannem*. Hæc *Cranzius*; qui etiam eodem Lib. Cap. antecedente 8. in fine adhuc de eo addit: „*Magnus Henrici* (Suſpenſoris) „& *Alberti* Regis (Sueciæ) Germanus, Fratri „morienti ſuccedens in ditione, ex uxore (quæ „fuit Soror Principum de Rugia & Wolgaſto) „ſuſtulit Filium *Johannem* ſpem generis. Nam „ex eo ſunt moderni Principes per *Henricum* „*Johannis* Filium. *Magnus* autem cum *Alberto* „de Lüneburgo Duce, profectus devotionis gratia

Magnus I. Dux Magopolenſis IV.

„gratia Aquisgranum, quum inde rediret, fe-
„bre correptus, rebus excessit, ad annum Chri-
„sti LXXXV. post mille trecentos. Cæterum de nomine Conjugis & anno emortuali *Magni* Ducis, variant Auctores. *Genealogia Ducum Megapolitanorum Anonymi* in fine Annalium annexa, quocum facit & *Genealogia*, quæ visitur in Templo Cathedrali Gustroviæ, ut & alia *Germanica* typis expressa, Conjugem Ducis *Magni Ilsaben*, seu *Elisabetham* vocant; sed *Mylius in Chron. german. Albizius in Genealog. Principum Megapolens. Bucelinus* in Stemmatographia, nec non ipse Cl. *Hübnerus* in Tab. Geneal. *Agnetham* illam vocant, Ducis *Barnimi* IV. Pomeraniæ Filiam, ipsi anno 1362. conjugii vinculo adsociatam. De anno autem emortuali variant etiam scriptores. *Cranzius* enim & Auctor noster annum 1385. statuunt, reliqui autem omnes anno eum 1384. die 21. Sept. Aquisgrani demortuum fuisse scribunt, quocum & *Hübnerus* & Cl. *Thomas* sentiunt. Præter *Johannem* Filium, mox in Cap. V. ab Auctore adductum, Filias quoque duas habuit, *Euphemiam* unam, Principi Venedorum & Domino de Werla *Balthasaro* denuptam; Alteram *Hedwigam* Conjugem postea Pomeraniæ *Ottonis* II. quam tamen Cl. *Hübnerus* Ducis *Johannis* III. Stargardiæ gnatam fuisse scribit.

Johannes II. cogn. Adolescens, Dux Megapolensis V. &c.

Progredior ad Cap. V. Auctoris, in quo mentionem injicit Filii *Magni* I. qui fuit *Johannes* II. Cognom. *Adolescens*. Hic spes generis, uti a *Cranzio* vocatur, *Wendal. Lib. IX. cap. 8.* ille fuit, qui uti in *Alberti* IV. vita jam supra dixi, una cum Fratruele suo illo *Alberto* tumultus plebis contra Magistratum, tam Rotzstochii, quam Wismariæ compescere studuerunt, primum Wismariam petentes, ubi dum responsa parant, a murmurante & tumultuante plebe per urbem discurrente, arma circumferente, ac incertis clamoribus omnia perturbante, in periclitationem cum suis incidere metuentes intermittentes quæ ceperant, sed stratis jumentis Wismaria excedunt, brevi tamen redierunt, ac turbas tam in illa Urbe, quam Rotzstochio feliciter sedarunt, teste eod. *Cranzio Lib. X. cap. 14. & 25.* nec non *Lindeberg. Chron. Rost. Lib. II. cap. 16.* Deinde etiam idem *Johannes* noster una cum eodem suo Fratruele non solum in Marchionem Brandenburgensem ad liberandum Consanguineum suum *Johannem* II. Ducem Stargardiæ, Filium Patrui sui magni, arma, quamvis tunc incassum, movit, sed etiam cum illo anno 1419. Academiam Rotzstochiensem simul fundavit, teste eod. *Cranzio l. c. cap. 30.* & *Lindeberg. Chron. Rostoch. Lib. III. Cap. I.* pluribusque hoc enarrat B. meus Genitor, in peculiari *de Academia, Ecclesia & Urbe Rotzstochio* conscripta *Historia*, propediem cum Deo edenda. Verum hic *Johannes* II. post multa egregia tanto Principe digna facta, non diu in vivis fuit, sed Suerini in arce diem suum obiit supremum, non, ut Auctor noster anno 1422. sed 1423. teste *Cranzio Wandal. Lib. XI. cap. 40.* Dn. *Thoma, Hübnero* & aliis, relinquens ex altera sibi anno 1417. desponsata conjuge *Catharina* Ducis Infer. Saxoniæ *Erici* IV. Filia, vidua vero *Johannis* VIII. Domini de Werla,

de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.

Muliere prudente, non æquante solum, sed multos etiam virtute superante, (quali elogio illam exornat idem *Cranzius Lib. XI. Cap. I.* in principio) produxit, Filios III. *Henricum, Magnum*, & *Johannem*, ex quibus *Magnus* II. adhuc in Pueritia obiit, reliqui duo, ab Auctore nostro in seq. Capit. adducti. Quod autem adhuc notamus, Dux noster *Johannes* II. post captivitatem *Alberti* II. adhuc viventis in *Regem Sueciæ* a Proceribus quidem anno 1423. electus fuit, verum ante coronationem eodem anno demortuus est. Meminit etiam hujus *Johannis* B. meus Parens in supra adducta *Historia de Urbe, Ecclesia & Academia Rotzstoch. Lib. II cap. I.*

Johannes III. Dux Megapolensis VI. &c.

Sequitur in Cap. VI. Auctoris, Filius ejus Johannes III. Dux Mecklenburgensis, qui quoad vixit, (vixit autem in annum usque 1443, quo peste obiit, unica tantum ut Auctor *Anonymus Genealogiæ Ducum Megapolens.* vult, ex *Anna* Conjuge *Casimiri* VI. Ducis Pomeraniæ Filia, anno 1436. sibi adsociata, relicta Filia *Anna*, Duci *Wratislavio* VI. Pomeraniæ postea elocata) simul cum Fratre suo Ducatui laudabiliter præfuit, ac conjunctim subscripserunt novo Regimini Vandalico, nec non Principatum hunc indivisim administrandum susceperunt, quo tempore etiam vixerunt *Johannes* & *Henricus* Duces Stargardienses Fratrueles. Inciderunt autem hi Principes in turbulentissima Ducatus sui tempora; Rotzstochii siquidem ita sæviit civilis tempestas, ut & fulmine Basiliensis Concilii percuterentur Cives, & ipsius *Sigismundi* Imperatoris proscriptione terrerentur, teste *Cranzio Lib. XI. Vandal. cap 32.* & *Lindeberg. Lib. III. Cap. VI.* Deinde etiam ubique fere *Diffidatio* uti vocant, grassabatur, quod malum illis temporibus ita invaluerat in his oris, ut ad latrocinia ac rapinas omnem patefaceret fenestram, indeque publica tranquillitas & commercia nimium disturbarentur: cui malo & civitates & Principes omnibus modis se opposuerunt, institutis propterea in oppidis suis primariis, anno circiter 1457. armorum officinis, unde quotiescunque postularet necessitas, manipulum militarem deligerent, & adversus ejusmodi latrunculos educerent, quod sub initium regiminis sui præsertim instituisse *Johannem* nostrum atque *Henricum* Fratrem ejus, ex *Cranzii Wandal. Lib. XII. cap. 5.* probat B. Dn. *Thomas Analect. Gustrov Period. III. §. I.*

Henricus cognom. Pinguis s. Crassus, Dux Megapolensis VII. &c.

Post mortem *Johannis* III. *Henricus* in *Cap. seqq. VII.* ab Auctore adductus, solus Ducatus Megapolensis Regimen in se suscepit. Dux hic cognom. *Pinguis* s. *Crassus*, a corporis sui nimia obesitate ita dictus, teste Cl. *Thoma l. c.* §. 2. laudatur etiam ob virtutem militarem, quod hostibus, quos strenue repressit, plerumque fuerit formidabilis; non levem tamen exinde famæ suæ maculam inussit, quod Purpuratis suis nimium indulserit, & satis magnifice vixerit, cujus inde mansuetudinem, indulgentiam, & magnificentiam etiam, valde reprehendit Auctor noster h. l. Satellitum autem suorum insolentiam nimiam ac deprædationem ægre admodum tulere præsertim Lubicenses, qua de re cum Duce eorum aliquando multis verbis

conquesti sunt, referente *Cranzio Wand. lib. XII. c. 35.* De bello, quod Marchioni Brandenburgensi *Friderico* sociatus noster, adversus Duces Pomeraniæ gessit, idem *Cranzius l. c. cap. 39.* & *Libro XIII. cap. 2.* agit. Cum anno 1436. ultimus Venedorum Princeps ac Dominus de Werla *Wilhelmus* diem suum clauderet extremum, sola post se Filia relicta pervenit tunc ille Principatus ad Duces Magnopolenses & Stargardiæ, non tam successione hæreditaria, quam placito inter se Principum cui & imperatoria confirmatio accessit. Ita enim inter se litteris Principes memorati firmaverunt, quod dum Principatus aliquis ex tribus sine masculo hærede manserit, ad alios devolvatur. Inque eam rem jussere Domini trium Principatuum, suos quique militares singulis Principibus suum præstare homagium. Atque ex ratione Principatus etiam Stargardiensis ultimo Stargardiensium Duce *Ulrico II.* etiam sine mascula prole anno 1471. demortuo, ad nostrum pervenit *Henricum* Ducem, qui solus omnium tunc supererat, atque exinde etiam judice Cl. *Thoma l.c.* § 2. vere *Pinguis* dici merebatur quoniam huic uni id, quod nescio an ulli unquam aliiMecklenburgensium Principi contigit, ut cæteris emorientibusDominis, solus superstes & ex asse Hæres rerum omnium potiretur, sc. *Hertzog über gantz Mecklenburg*, ab anno 1471. in annum usque 1477.(minime autem uti *Mareschalcus* noster scribit 1491.) quo & ipsum die 19. Martii ex hac vita migrare oportuit, teste etiam *Mylio* in *Chron. German. Hübnero* & reliquis Genealogistis omnibus, relictis ex conjuge *Dorothea* Marchionis & Electoris Brandenburgensis *Friderici I.* Filia, anno 1420 nata ipsi anno 1427. desponsata, *Ulrico* in Pueritia defuncto; *Alberto V. Johanne, Magno III.* & *Balthasare* Filiis; *Catharina* vero, *Anna* & *Elisabetha* (quæ Virgines, hæc quidem Anno 1496. Abbatissa Ribnicensis, illa autem 1464. die 7. Sept. mortuæ) Filiabus. Ipsa autem Conjux ejus demortua est Gadebusi anno 1491. die 19. Mart. cujus cippo ibidem posito, sequentia inscripta leguntur:

Ao. Dni. MCCCCLXXXXI. in Profesto Fabiani O! (i. e. obiit) Dorotea. Van Gades Gnaden gebarene Marggrävinne to Brandenborch *Hrigh Hinrics* Hertoges to Mecklenborg nalaten Wedewe to *Rene* am Closter &c. &c.

Gott wes Gnädig my armen Sünderin.

Quod ad Filium *Henrici* nostri, *Albertum V.* adtinet, natus ille fuit anno 1438. post mortem Parentis sui ipsi in Divisione Terrarum cum Fratribus qui superstites fuerunt, *Magno III.* & *Balthasare* (*Johannes* namque IV. tertius Filiorum *Henrici*, anno 1439. in lucem editus, jam ante Patrem, Curiæ Varisscorum in Franconia (zu Hoff in Vogtland) peste obierat anno 1474. secundum *Thomam, Hübnerum* & alios, vel 1475. ut habet *Bucelinus* & *Albitius*; desponsatus *Sophiæ* Ducis Pomeraniæ *Erici* II. Filiæ) anno 1480. veteris Vandaliæ seu potius Venedorum Provincia apanagio loci tradita atque attributa fuit, quo Principatu ipse etiam contentus Fratres suos de Megapoli curare permisit, teste *Cranzio Wandal. lib. XIII. cap. 28.* ubi etiam de Controversia illa, quam noster Dux *Albertus* cum Hamburgensi Capitulo, (ob quendam ex militaribus suis, quem Decanus Ecclesiæ istius, ex quadam coram nostro Principe pendente caussa, excommunicasset, deque ea re aliquoties ad Capitulum scripsisset, quæ tamen nunquam producta ac resignata fuerant) aliquando habuit, eamque ob rem valida manu omnem prædam ex prædiis Ecclesiæ Canonicorum Hamburgensium in pecoribus, veste, pecunia & omni supellectili, abduxerit, quædam adducit. Domicilium autem sibi *Albertus* noster Gustroviam delegit, quam antea vivo adhuc parente jam cœperat una cum Fratre *Johanne* (paulo ante adducto) frequentare, ibique etiam anno 1482. Conjugem sibi adjunxit *Catharinam* ultimi Ruppinorum ac Lindaviorum Comitis *Wichmanni* Filiam, sed præmaturo abreptus fato, sequenti namque statim anno 1483. ex angina suffocatus, nulla relicta prole Gustrovienssium spem atque expectationem minuit, cujus pie defuncti exuviæ in æde ibi Cæciliana juxta Majores suos humatæ sunt, *referente Cl. Thoma l. c. §. 2. pag. CXI.* Hic est ille Dux *Albertus* qui cum Fratribus suis *Magno* & *Balthasare* Ducibus etiam Meclenburgensibus, Principibus Wandaliæ, Comitibus Suerinensibus, Terrarum Rotzstockii & Stargardiæ Dominis,(prout Titulus Privilegii habet) sub dato Wismariæ die Assumtionis Mariæ, anno 1482. Civitati Rotzstochiensi concessit *Privilegium exemtionis omnium* onerum, vectigalium ac venationum, (beschütten, verbidden, vordegedingen, beschermen unde entfreyen, unde verbaten en hirmede also der Landbede, der Tollenrechtigheide, Freyheide olde Wanheyde unde Bruckinge der Jagt) quibus omnibus, data certa pecuniæ summa Civitas Rostockiensis tunc liberata in perpetuum fuit; quod Privilegium, una cum illis: *de Malefactoribus capiendis in via Regali* sub dato Barckentin, die S. *Ambrosii* Episcopi, anno 1469. item dass die Bürger der Stadt Rostock ausserhalb der Stadt Rostock nicht zu recht gezogen werden solten, sub dato Rostock am Montage in der Heyl. Creutz-Woche 1462. eidem Civitati ab eorum Parente *Henrico* nostro *Pingui*, concessis Privilegiis, suo tempore & loco in *Histor. de Urbe Ecclesia & Academia B. mei Genitoris* adducam.

Ordo me nunc deducit ad *Henrici Pinguis* in Cap. VIII. Auctoris descriptum *Magnum* III. Filium ordine quartum. Mundum hic *Magnus* ingressus est Suerini 1441. insigni Princeps ingenio & animo, qui dudum mortuo Patre & majoribus natu Fratribus, ut dixi, rem omnem in ditione sua gubernavit anno sc. 1483. mortuo sc. Fratre ætate se majore *Alberto V.* auctior etiam Titulis, quam omnes, si a Patre ipsius discesseris, Patres ejus, quod Wandaliam & Stargardiam, Principatus non parvos, paternæ Dirioni conjunxerit. Collectam pecuniæ ex Ditione sua triformi Megapoli, Vandalia & Stargardia ad res imminentes eo melius peragendas fieri fecit: Rotzstochienses, qui contributionem negabant, habito hac de re Wismariæ conventu, cui & vicinarum urbium con-

Magnus III. Dux Megapolensis VIII. &c.

consulares Oratores interfuere, eo redegit, ut ingenti persoluta pecunia Principi suo se morigeros exhiberent, testimonio *Cranzii Wandal. lib XIII. cap. 26.* qui & controversiam Ducis *Magni* cum Lubicensibus ob captum quendam virum militarem magni nominis, sed ignavum hominem *cap. 27. 28. 29.* cum Rotzstochiensibus, ob constituendum in illorum Urbe Canonicorum Collegium & alias res adversus Ducem suum susceptas, *cap. 39. 40. eod. Libro. cap. I. Libri XIV.* de infelici in dicta urbe a Duce *Magno* Templi Parochialis D. Jacobi, in Ecclesiam Collegiatam anno 1487. erectione ibid. *cap. 6. 7. 8.* excitata propterea a Civibus seditione & cæde novi Præpositi *cap. 9.* ejectione duorum Proconsulum a Civibus *cap. 10.* susceptа hinc anno 1487. a Duce urbis obsidione *cap. 11. & 14.* subsequuta demum anno quinto pace: Judæorum item ob malitiam cum consecrata Hostia in Oppido Sternebergæ principatus Stargardiæ perpetratam, partim deflagratione, partim cum uxoribus & liberis e tota Megapoli anno 1492. facta ejectione, nec non Presbyteri illius *Petri Dens*, qui Hostiam sacratam Judæis vendiderat, ante Urbem Rotzstochium, crudeli in monte Calvariæ, ignitis per viam forcipibus tracti supplicio, ejusque in ignem viventis injectione. *Cap. 17.* Rotzstochiensium ob denuo denegatum Principibus urbis suæ ingressum in supplici facta deprecatione *cap. 19.* copiose describit: de quibus omnibus, præsertim Rotzstochiensium tumultuariis ac seditiosis susceptis multa etiam congessit atque a *cap. VIII. ad XV. lib. III. Chron.* suo *Rostoch.* inseruit *Petrus Lindebergius.* De Rotzstochiensibus autem istis, eorumque inquieto atque ad tumultus, seditionem & pugnam proniori animo, quod tamen ipsis semper male cessit, tunc circumferebantur versus hi sequentes:

Rotzstochienses
Sunt velut enses;
Semper acuti:
Prælia poscunt,
Sed male noscunt
Ensibus uti.

Cæterum de rariſſima illa Ducis nostri *Magni* III. cum Fratre suo Germano *Balthasare* (de quo in sequ. *cap. IX.* Auctoris dicam) concordia, affirmat Cl. *Thomas l. c. §. 3.* tantam in his Principibus animorum conjunctionem fuisse, ut videretur una mens, una voluntas in duobus; quorum & una Domus fuit, unum contubernium perpetuo. Rebus Meclenburgensibus ita præfuerunt, ut terræ manerent indivisæ, omnisque populus uno conjungeretur vinculo, Germani uterque germanas duxere conjuges, eodem Patre *Erico II.* Duce Pomeranorum genitas; quarum una *Magni* nostri Conjux *Sophia*, antea Fratris sui *Johannis* ante contractas nuptias demortui, sponsa erat, ipsi Stetini anno 1476. copulata; altera *Margaretha* fuit Duci *Balthasaro* anno 1491. associata. Sub horum itaque Fratrum *Magni* atque *Balthasaris* regimine, si Rotzstochiensium tunc internis discordiis ac civilibus bellis afflictam Rempubl. excipias, concors passim fuit longeque felicissimus Reipublicæ Meclenburgicæ status,& *Magnus* noster, quod *Chytræus Chron. Saxon. lib. I. pag. m. 46 edit. Lipsi. in fol 1593.* impressæ, de eo adnotat, præter auctos tellure Nepotes Stemmata quoque junxit avitis, quia præmortuis omnibus Agnatis ex Familia Ducum Vandaliæ, Stargardiæ, & Megapolitanæ, solo Fratre *Balthasare* excepto, cujus tamen sterile conjugium erat, solus procreatis tribus Filiis (*Henrico, Erico* & *Alberto*) Familiam Ducum Megapolitanorum propagavit. Et de *Henrico* quidem Primogenito *Magni* nostri Filio, cognom. *Pacifico*, seu *Patre Patriæ* ac *Alberto VI.* cognom. *Pulchro*, statim in principio *libr. VIII. cap. 1. & 2. Marescalci* nostri *continuati*, copiose egit Parens meus post busta colendissimus: de *Erico* altero *Magni* nostri Filio in *cap. X.* & ultimo, quædam congessit Auctor noster, quibus & mea isti tunc capiti addam. E Filiabus quatuor *Sophia*, Anno *1499.* die 23. Octobr. *Johanni*, Cognomine *Constanti*, Electori Saxoniæ desponsata, anno autem 1500 elocata fuit, peperitque Filium *Johannem Fridericum Magnanimum* itidem Electorem, ob Religionem Evangel an. 1547. die 24. April. captum, ac eodem anno die 19. Maji Electoratu privatum. Mortua est *Sophia* die 12. Jul. 1503. Altera Filiarum *Anna*, Landgravio Hassiæ *Wilhelmo, Philippi* illius *Magnanimi* Patri, anno 1500. nupsit, demortua anno 1525. d. 6. Maji. Tertia *Catharina* Duci Saxoniæ *Mauritii* & *Augusti* Electorum Patri, *Henrico Pio* 1512. copulata fuit, mortua 1561. d. 6. Jun. ætatis LXXXIV. nata namque erat 1477. Quarta autem Filiarum *Dorothea* vitam monasticam amplexa, Abbatissa Ribbenicensis, anno 1537. vitam suam cœlibem finiit, *Magnus* autem Dux noster dum argenteam Monetam Meclenburgicam in pondere & valore Lubicensi æquare constituit, priusquam impleret, rebus humanis excessit, anno 1503. die XXII. Novemb. anno ætatis LXII. comploratus a multis, quod jam publica commoda in primis curarit, tumulatus in Dobran, vocato Wismariæ magno Principum Cœtu & omnis ordinis militaris magnitudine, teste *Cranzio Lib. XIV. cap. 32.* ubi & ejus funeralia describit, atque *Laudationem*, quam in eum habuit publicam *funebrem cap. sequ. 33.* simul inseruit. Nec longum tempus in medio, & Domina *Sophia* conjux relicta Domini *Magni*, Germana Soror *Bogislai X.* cogn. *Magni*, Ducis Pomeraniæ, Fœmina prudens, & multis clara virtutibus, virum sequitur per viam universæ carnis. (anno sc. 1504. d. 1. Apr.) Gravis Fœmina, in qua posita erat spes concordiæ Filiorum & Patrui. Tumulatur Wismariæ (quod optavit) apud Fratres Prædicatores, teste eodem *Cranzio l. c. cap. ult. 35. in Fine Libr. XIV.* & totius *Histor. Vandalicæ.* Plura autem de hoc *Magno* Duce congessit *Chytræus Chron. Saxon. Lib. I. ap. 43.* usque *ad 46.* nec non B. meus Parens in *Historia* sua *Rotzstoch.* jam sæpius cit. *Lib. II. cap. I.* Cæterum ridicula sunt, quæ de nostro *Magno III.* Duce recenset *Auctor Chronicæ Slavorum* his verbis: „An. 1482. Dux Magnopolensis *Magnus*, nescio, „quo spiritu ductus, usurpavit officium Bar„bitonsorum, præscindens multorum capil„los: quod & sui attentare cum exteris volen„tes, sæpius sauciati, & aliquando occisi sunt.

Balthasar, Dux Megapolensis IX &c.

Quintus denique & ultimus Filiorum *Henrici Pinguis* fuit *Balthasar*, in Cap. IX. Auctoris descriptus, qui anno 1442. ex Matre *Dorothea* Filia Electoris Brandenburgensis *Friderici*, cum aliis suis Fratribus ac Sororibus supra jam adductis, Suerini in lucem editus fuit. Hic in Juventute sua Litteris optime innutritus, ac studiorum gratia in Academiam Rotzstochianam ab Avo suo *Johanne* II. & *Alberto* IV. *Johannis* Patruele', noviter fundatam a Parentibus suis ablegatus, atque in Rectoratu æstivali M. *Henrici Schöne* D. Theol. & Prof. P. in Album Academiæ publicum relatus fuit, in eaque ultra VI. annorum spatium studiorum caussa commoratus est. Ubi & tribus vicibus, primum quidem eodem adventus sui an. 1467. per semestre hybernum; deinde anno 1470. iterum per hyemem; & denique tertium ann. 1473. per semestre æstivum; Academiæ Rectorem Magnificentissimum egit, testante hoc *Lindebergio Chron. Rostoch. Lib. V. cap. 10.* & de quo etiam in B. mei Parentis *Historia Urbis, Ecclesiæ, & Academiæ Rotzstoch. Lib. IV. cap. III. Sect. I. §. 39. §. 42. & §. 45.* ubi de *Rectoribus Academiæ Rotzstoch.* imprimis autem *Lib. II. Cap. II. de Cancellariatu & Cancellariis Academiæ Rotzstoch.* §. 10. pluribus dixi. Anno 1470. Dux *Balthasar* noster in Coadjutorem Episcopatus Suerinensis constitutus, illi non diu tamen præfuit, cum illi spes de locupletiori Hildesimensi Episcopatu anno mox seq. 1471. affulsit, quo tamen Præsulatu cum a Capitulo & Ecclesiæ Ministerialibus turpiter esset privatus, auctore *Cranzio Metrop. L. XII. c. 9.* diu cum istis bellum gessit. Ast cum optatum exitum, Episcopatu hoc tandem aliquando quiete frui, non videret, sed ad infinitum sibi esse contendendum armis cerneret, simulque ob corpus præstantissimum ad uxoriam vitam inclinabat, dimissa post triennale bellum anno 1474. Ecclesia Hildesimensi, assumto tamen eodem anno post mortem Antecessoris sui *Werneri Wolmers* Episcopatu Suerinensi, M. *Bernhardo Hederico in Chron. Schwerin.* teste, eo tempore Palæstinam petiit, Eques Auratus rediit, Gallætiam *D.* præsertim *Jacobi* Templum, & ipsam etiam urbem Romam religionis causa vidit ac salutavit, ubi vota, quibus se obligarat, dissolvit, atque anno 1479. vel 1480. post mortem Primogenitorum Fratrum *Ulrici, Johannis & Alberti*, Episcopatus Suerinensis Administrationem deseruit, cui in V. usque annum, ejusdem *Hederici* testimonio præfuerat, sicque ab Ecclesiastico ad Politicum regimen, a Cœlibatu ad Conjugium animum convertit, accipiens Conjugem, Fraternæ Uxoris Germanam sororem Ducissam *Margaretham* Pomeraniæ Ducis Erici II. Filiam, uti paulo ante in vita Fratris *Magni* III. dixi, sicque cum Fratre laudato *Magno* communibus auspiciis Ducatum gubernavit, ita quidem, ut cum eo indivisim Ducatui Megapolensi præfuerit, & utriusque nomine & auctoritate singula Reipubl. negotia peragerentur, quanquam soli *Magno* Fratri administrationem reliquerit, ipse interim quietus in una Domo & contubernio perpetuo cum Fratre Wismariæ vixerit, donec Frater *Magnus* anno 1503. ad vitam meliorem morte placida & quieta delatus, tunc ipse cum suo ex Fratre Nepote Duce *Henrico* cognom. *Pacifico*, subditis suis summa cum laude imperavit in quartum usque annum 1507. quo die 7. Martii mortalitatem Wismariæ exuit, anno ætatis LXV. nullis ex conjuge sua hæredibus relictis. Quo de etiam legi ac conferri potest *Schediasma Historico-Litterario-Politicum* Theologi hodierni Rotzstochiensis Academiæ longe celeberrimi *D. Francisci Alberti Æpini* Præceptoris olim mei fidelissimi, *de Rectoribus Academiæ Rotzstochianæ Magnificentissimis atque Illustribus Sect. I. §. 2. & 3.* Ipsa autem ejus conjux mortalitatem exuit die 18. Augusti Anno 1526.

Henricus cogn. Pacificus, Dux Megapolensis X. &c.

In ultimo tandem Cap X. Auctoris nostri, *Henricus* noster cogn. *Pacificus*, ejusque Frater *Ericus* Dux Megapolensis inducitur. De *Henrico* nihil habeo quod addam, utpote de quo jam satis egi in Parentis mei B. M. *Marescalco continuato*, seu *Annalium Herulorum ac Vandalorum lib. VIII.* statim *in 1. cap.* Sed de Duce *Erico* Ducis *Magni* altero Filio, adhuc quædam addam. In lucem autem noster Dux *Ericus* editus est anno 1483. Matre *Sophia* (non autem *Dorothea*, uti in supra adduct. *Schediasm. §. 5. Sect. I. D. Æpinus* scribit) *Erici* II. Ducis Pomeraniæ Filia, qui litteris egregie imbutus sub auspicium seculi XVI. ingenio prudentiaque clarus, primum Rotzstochii publice optimarum artium studiis operam navavit sedulam, tanto quidem cum labore, fervore ac studio, ut in Academia hac sua patria Rotzstochio (cujus musarum sedem sub rectoratu hyemali *M. Arnoldi Segebergii* LL. D. & Prof. anno 1493. ingressus est) Anno 1499. per totum anni decursum fasces Academiæ Rectoris tenuerit, & deinde etiam anno 1502. per æstatem etiam Rectorem egerit Magnificentissimum. Ex hac dein patria Academia in Wittebergensem Academiam studiorum caussa profectus est, ubi cum aliquantisper substitisset, etiam in antiquissimam Italiæ Academiam Bononiam se contulit, ex qua domum rediens, cum Imperator *Maximilianus* I. Comitia Imperii publica anno 1507. Constantiæ ad lacum Podamicum celebraret, ad illa quoque Comitia cum Saxoniæ Ducibus *Friderico* Electore & *Georgio* noster quoque Princeps *Ericus* abiit. Ex quibus tamen ille reversus, mentagra primum correptus, phthisi tandem præmaturo eheu! fato abreptus est anno 1508. die 20. Decemb. teste *Chytræo Chronic. Saxon. lib. VI. p. 176. & 177.* ætatis XXV. & quidem in arce Suerinensi, Doberani vero tumulatus. vid. *D. Æpinum in Schediasm. cit. Sect. I. §. 4. & 5.* B. meum Parentem in cit. *Historia Acad. Rotzstoch. MSS. lib. IV. cap. III. Sect. I. §. 62. Dn. Thomas l. c. Period. III. §. 26.* in Notis. litt. A. p. m. 215.

Epilogus.

Habes sic L. B. in *Marscalci* nostri *Annalium* Libros, ANIMADVERSIONES meas quales quales GENEALOGICO-CHRONOLOGICO-HISTORICAS, non quidem nitido atque elegantiore stilo, quali vel *Ciceronem*, *Cæsarem*, *Salustium* aut *Senecam*, suos composuisse Libros scimus; nec etiam a gravissimo quodam Histo-

§. 15. Versehen uns dem allen nach, es werden nunmehr alle Recht-liebende unpassionirte Menschen aus diesem rechtmässigen Bericht die widerrechtliche unbefugte Zunöthigung, so dem ietztregierenden Fürsten und Herrn bisher widerfahren, gnugsam erkennen, dem Rechten einen beyfälligen Favor und Gunst erzeigen, und es dafür halten, dass die Römische Kayserl. Maj. weder in einem oder im andern Punct, sey male informirt und übel hintergangen worden; Dann eben die Nachrichtung, darauf sich Ihr. Fürstlichen Gnaden Ur-Anherr, Graf Johann zu Gehmen, bey der Protestation wider den Oldeslohischen Vertrag und Cession, und bey Vindicirung der Fürstenthum Schleswig und Holstein beruffen, eben die Nachrichtung, darauf sich Hochgedachter Graf, samt seinen ältern Brüdern, Grafen Anthoni, auf dem Reichs-Tage zu Worms anno 1521. bey Handhabung der freyen unmittelbahren Grafschafft Holstein gesteuret; Eben die Nachrichtung, so Ihr. Fürstl. Gnaden Anherr, Graf Jost, auf dem Reichs-Tage zu Speyer anno 1529. bey Manutention des Gräflichen Holsteinischen Tituls eingewendet: Eben die Nachrichtung, wie Ihr. Fürstl. Gnaden Herr Vater, Graf Otto, bey der Churfürstl. Gnaden zu Cöln, und dem Hochlöblichen Niederländischen Westphälischen Krayss, an. 1544. hat thun und übergeben lassen; Eben die Nachrichtung die Hochgedachter Graf Otto der Römischen Kayserlichen Majestät, Kayser Maximilian dem Andern, anno 1569. bey Restitution des Müntz-Regals allerunterthänigst hat vor- und anbringen lassen; Eben die Nachrichtung, darauf der itzige Fürst und Herr, bey Reassumption des Fürsten-Tituls Hochgebohrn, vor vielen Jahren sich gegründet; Eben, sagen wir, dieselbige Nachrichtung ist der ietztregierenden Römischen Kayserl. Majest. bey Restitution und Erhöhung des Fürsten-Standes allerunterthänigst referiret und vorgebracht worden. Wer nun eines unter diesen Exempeln zu widerfechten sich bemühet, der muss zugleich die andern alle umstossen; Und wer die Restitution des Fürsten-Standes will negiren, das ist für ungründig, unpassirlich und verwerflich halten, der wird zugleich nachgeben und bekennen müssen, dass auch Kayser Maximilians des Andern Diploma über die Restitution, des Müntz-Regals und Ihr. Fürstl. Gnaden Reassumption des Tituls Hochgebohrn müssen wiederum rescindiret, cassiret, annulliret und aufgehoben werden, als die alle über einen Leist geschlagen, und auf eine einhellige gantz gleichförmige nunmehr præscribirte und verjährte, und in diesem weitläufftig deducirte Nachrichtung fundiret und gegründet worden. Wir wollen aber unsers Theils nicht dafür halten, dass Ihr. Fürstlich. Gnaden VorEltern und Vorfahren, welcher hochvernünfftige Discretion und Bescheidenheit der gantzen Welt wohl bekannt ist, sich sollen so weit in facto veritatis vergriffen, und der Römischen Kayserlichen Majest. falsi tituli figmenta vorgebracht, oder auch dass so viel hochansehnliche, vortreffliche berühmte, erfahrne und beständige Männer, deren oben hin und wieder gedacht wird, sich sollen so gröblich verstossen und so übel gefehlet haben, dass sie ohne bessere Erkündigung und Nachforschung gleichsam per generalem & communissimam opinionem affirmiret und geschrieben, dass die Grafen zu Holstein-Schawenburg seyen Fürstmässige Grafen gewesen, bey welcher Conclusion und Beschluss wir es für diesmahl wollen bewenden lassen, und das übrige Gott und dem Rechten befohlen haben.

XII.

XII.

HENRICI BANGERTI
ORIGINES LUBECENSES
SIVE
RERUM LUBECENSIUM
COMMENTARIUS EX SCHEDIS AUTOGRAPHIS AUTORIS ERUTUS Anno 1727.

HENETORUM PRINCIPUM GENEALOGIA.

Mislaus. Midbertus horum 2 incerta succeſſio.

Billungus (IV) (Latom. f. 71. a.)

Mislaus II. Naco. Sidericus

Miſtivojus. Misdraus.

Udo. Anatrogus. Cineus.

Gottſchalcus.

Buthue. Henricus.

Crito Lutitiorum & Rugianorum Princeps ex alia familia.

Suentepolchus. Waldemarus, Miſtivojus, Godfridus. Kanutus habet Moreſch.

Sueno ſive Suinine
Kanutus Erici, Regis Daniæ, filius.

Pribislaus Wagriorum Princeps.

Niclotus Obetritorum Princeps.

Pribislaus Borvinnus ſeu Henricus.

Wertislaus. Niclotus ſeu Nicolaus.

(Arn. Lubec. 4. 4.)

Lubeca Vandalicarum caput.

LUBECÆ, quæ *Vandalicarum* civitatum caput semper extitit, initia & incrementa descripturus altius aliquanto res repetenda est, ut a qvibus gentibus ipsa primum condita sit, appareat; Ter, qvantum ex historiarum monumentis constat, loca hæc ad *mare Balthicum* suos mutarunt incolas. Nam primum qvidem *Vandali* illa tenuerunt: post illos *Venedi* & *Wendi*: & his oppressis noviſſime *Saxones*.

Vandali autochthones & primi incolæ earum locorum.

§. 1. Primo omnium *Vandali* oram *Balthici maris* longe lateqve inhabitasse, veterum scriptorum testimoniis liquet. Et qvidem primos generis auctores, huc non ita diu post diluvium intrasse, historia filiorum & nepotum *Noæ* haud obscure indicat. Ex *Aschenacis* familia, qvæ *Japhetum* avum habuit, *Suevus* Princeps ortus, qui omnem tractum *maris Balthici* ab *Albi* ad extremam oram *Europæ* usqve tenuit. Hujus filius *Vandalus* præcipue terras inter *Travam* & *Vistulam* coluit, & *Vandalis* nomen dedit.

Quis non ignoti.

Vandali igitur *harum terrarum indigenæ* censendi sunt: qvorum primi conditores, ex qvo mortalium genus terrarum orbem post aqvarum eluvionem habitare iterum cœpit eos tenuerunt. Ideo nec antiqvis scriptoribus ignoti illi fuerunt: *Vandalos* in Pannonia ab *Imp. M. Antonino* extinctos *Jul. Capitolinus* commemorat; Eosdem ab *Aureliano* in triumpho cum ceteris victis ductos *Fl. Vopiscus* auctor est. Idem tempore *Probi Imp. Vandalos* per totum orbem pedibus & navigando vagatos, nec parum molestiæ, Romanæ intulisse gloriæ, adserit. *Vandalorum* magnam coloniam circa *Constantini M.* tempora, auspiciis *Wismari* Regis ab Oceano versus meridiem profectam, & a *Geberico Gothorum Rege* magno prælio superatam *Jornandes* memoriæ prodidit. Cranzius antiqvi scriptoris testimonio *Vandalos* cum *Scalco* Rege suo ab *Helgone Daniæ Rege*, qui annos sexcentos ante natum Christum, regno præfuit, victos esse commemorat,

Vandali fuere a Germania.

§. 2. *Vandalos* hos non *Sarmatas*, nec *Scythas*, sed *Germanos* fuisse, primum antiqvorum authorum testimonio constat: deinde *idioma* eorum *Germanicum*, qvo usi sunt, probat. Ex qvo scriptoribus antiqvis *Germani* innotuerunt *Vandali* illis semper annumerati sunt. *Plinius*, quem Vespasiani temporibus floruisse constat, cum qvinqve genera Germanorum recenset, *Vindelos* seu *Vandalos* primos facit: hosqve in *Burgundiones*, *Varinos*, *Carinos* & *Guttones* dispescit. Hi populi omnes quondam ad mare nostrum habitavere. Et *Burgundiones* qvidem *Poloniam*: *Varini* Mechlenburgum: *Carini* Pomeraniam occidentalem: *Guttones* autem Pomeraniam & Prussiam Regiomontum usqve incoluisse videntur. *Plinio*, ut æqualis, ita ὁμόψηφος in hoc argumento *Tacitus*, historiæ scriptor verus atqve acutus, uti *Marsos*, *Gambrivios*, *Suevos*, sic & *Vandalos* antiqvissimos Germaniæ populos facit, tamqve vetustam hanc indicat jam tum habitam fuisse appellationem, ut unum ex ipsius Dei *Tuitonis* filiis eo nomine appellatum fuisse quidam tradiderint. Qvid? quod *Methodius*, martyr, epistolam, a *Vandalis* ad *Constantinum Imp.* scriptam, produxit qua illi se Germanos esse publice profitentur. Lingua etiam eadem cum cæteris Germanis usos esse diserte testatur *Procopius*. Et liqvido vel ex Regum ipsorum appellationibus propriis constat. Cui enim obscurum, *Theuderici*, *Segerici*, *Geberici*, *Alarici*, *Genserici*, *Hunerici* nomina & infinita alia ex *Germanicæ linguæ* incunabulis originem aperte præ se ferre.

Eorum nomina & sedes.

§. 3. Uti vero fieri adsolet, ut populorum nomina propria a diversarum linguarum & ætatum scriptoribus una atque altera litera immutentur: Sic & hi populi diversis autoribus *Vandali*, *Vandalii*, *Vanduli*, *Vandeli*, *Vindili*, *Vinuli*, *Winili* & *Winuli*, Græcis *Bandili* dicuntur. Inqvietus hic populus & ad arma strenuus semper fuit. Sicut enim omnibus Germanicæ nationis populis pigrum & iners videbatur, sudore acquirere, qvod possis sangvine parare: sic *Vandali* summam laudem semper in armis qvæsivere. Qvoties enim omnis Germania in fœdus *contra Romanos ante Christum natum* aut postea, ut contra *Jul. Cæsarem*, *Domitianum*, *M. Antoninum*, *Valentinianum* & cæteros coiret, *Vandalos* magno numero interfuisse certum est. Quin etiam ipsi *Vandalorum Reges ante* & *post Christum natum* freqventer in *Romanorum provincias*, magnos duxerunt exercitus. Nec unqvam *Vandali* a *Gothicis* expeditionibus, qvas illi susceperunt freqventissimas, excludendi sunt: cum *Gothi* illorum pars fuerint: sive igitur *Gothi* versus orientem expeditione susceptа, *Constantinopolitanos Imperatores* urserunt: sive versus meridiem superato *Danubio*, aut *Albi*, & *Rheno*, *meridionales & occidentales Imperii Romani* partes laceraruntt, *Vandalia* suos, qvos semper habebat strenuos & qvietis impatientes milites magno numero addidit.

Fortuna belli & fata.

Crebris his *Vandalorum* in *provincias Romanas* expeditionibus factum est, ut ipsorum sedes colonis tandem exhaustæ & vacuæ redditæ sint, novisqve advenis eas occupandi potestatem fecerint. Ex multis unam atqve alteram expeditionem adduxisse nobis sufficiat. In bello *Marcomannico* contra *M. Antoninum*, quod gerebatur, quodque tantum erat, qvantum nulla memoria fuerat, adeo

ut *Punicis* conferretur, *Vandali* cum maximis copiis aderant. Insignis autem inprimis & memorabilis est expeditio, quam *Wismarus*, Rex ipsorum potentissimus, ætate *Constantini M.* cum innumerabili suorum multitudine susciepiebat. Cui versus austrum profecto *Gebericus Ostro-Gothorum Rex* occurrit, eumqve gravissimo prælio, quo multa *Vandalorum* millia fusa, superatum trucidavit. Qui tum prælio superfuerunt a *Constantino* Hungariam XL. annos obtinuere, eidemqve contra hostes, qvorum tunc Imperator plurimos habebat, militarunt. *Rhadagastus* (*Rhadagisus* nonnullis dictus,) *Vandalorum Rex*, qvem ab *Anthyrio XIV.* nonnulli numerant, assumtis *Gothis*, *Sarmatis* & *Germanis*, ad ducenta millia militum collegit, & in Italiam irrupit. Cum hoc *Stilico Honorii Dux* congressus copias ejus fudit, ipsum in fuga captum occidit, *Rhadagastum* occisum *Obotriti* pro numine habere cœperunt, & aureo idolo ipsi sacrato divinis honoribus illum ad *Ottonis M.* tempora in tribus urbibus, coluerunt. *Rhadagasto* perempto nondum qviescendum sibi *Vandali* rati, novam eamqve ingentem expeditionem sub *Carolo Rege* ineunt, & assumtis in belli societatem *Alanis*, *Svevis*, *Qvadis*, *Marcomannis*, *Herulis*, *Turcilingis*, *Alemannis* & *Saxonibus* cum trecentis vel, ut nonnulli scribunt, qvadringentis millibus in Galliam transeunt, eamqve totam hoc anno & seqventi vastant. *Caroco Rege* apud *Arelatum* interfecto *Godegisitum* in *Gallliis Regem* creant, Anno tertio *Hispanias* invadunt; Hic ubi socii illorum *Alani* a *Wallia Gothorum Rege* Anno 418. obtriti essent, Regem etiam suum *Gundericum*, (qui An. 419. a dæmone correptus periit) amisissent, tandem Anno 427. *Duce Genserico* in Africam trajecerunt, ibiqve regno condito dalmperium usqve *Justiniani*, qvi per *Belisarium* eos tandem delevit, substituerunt.

Venedi die Wenden succedunt Vandalis.

§. 4. Cum igitur alii atqve alii, numerosissimos ex *Germania*, præsertim a *Balthico* littore in *Romanorum provincias* eduxissent exercitus, non poterat aliter evenire, qvam ut regiones vacuæ atqve desertæ, aut ab exiguis tantum incolarum cœtibus habitatæ, advenis aliis sedes ibidem occupandi facultatem negare haud possent. Nudatæ itaqve incolis terræ ac tantum non in quibusdam locis, inter *Vistulam* præsertim & *Albim*, penitus desertæ, fertiles autem & copia rerum ac commeatu omni abundantes, facile peregrinos hospites invitabant. Erant enim illæ, ut diximus, crebris *Vandalorum*, *Gothorum*, *Herulorum*, *Suevonum*, *Longobardorum* expeditionibus ita evacuatæ, ut occupari nullo negotio ab iis possent. Eratqve in eo proclivis, qvod nullæ *Germanorum* populis: ut *Tacitus* loquitur, urbes habitarentur, & ne qvidem suus inter se junctas paterentur sedes, sed colerent discreti ac diversi; vicos locarent non connexis & cohærentibus ædificiis. Habebat præterea gens in more positum, ut qvoties in bellum prodibat, uxores & liberos secum traherent, qui tanqvam in proximo pignora sanctissimi cuiqve testes essent. Certe acies quasdam a feminis eorum jam inclinatas & labantes restitutas esse, idem autor commemorat. Incolebat tum inter eorum sedes gentes *Sarmaticas* amplissime *Venedorum* natio *per Livoniam*, *Prussiam* & finitimas terras immensis spatiis diffusa: quod vel inde liquet, cum a septentrionibus *Finnos*, a meridie *Bastarnas* longe lateque dissitos, attigerint; Hi populi græcis & latinis scriptoribus *Venedi*, *Venedæ*, *Vinedæ* & *Vinidi*: item *Veneti* & *Slavi* dicuntur.

Qvas sedes igitur *Vandali*, *Gothi*, *Suevi* & reliqui ad *Sinum Codanum* populi reliquerant, has vacuas vicini *Sarmatæ*, & horum prima & maxima pars teste *Ptolomæo Venedi* ex *Livonia*, *Prussia* & *Russia*, *Lituania*, & vicinis terris progressi cupide intraverunt & omnem hanc oram *maris Balthici* a *Vistula* ad *Albim* primum complevere, seqve cum superstitibus *Vandalis*, qvorum multitudinem aliqvam in qvibusdam locis relictam esse dubitari non potest, ita permiscuerunt, ut facile in habitu & moribus, alter alteri conformaretur. Et quia *Vandalorum* sedes occupaverunt, nomen qvoqve eorundem in eos transiit, ut vulgo *Vandali* dicerentur, uti alios qvoqve populos illarum gentium appellatos legimus, in qvarum sedes succesisse.

Hos *Ptolomæus* jam sua ætate, i. e. circa annum Christi 170. totum *sinum Vendicum*, qui hodie *Cunensis* dicitur, occupasse testatur *Tacitus*, qui circa annum salutis humanæ LXX. scripsit; Venedos illos vocat & inter *Finnos* & *Bastarnos* collocat. *Plinius* ejusdem ævi scriptor clarissimus, terras illas ad *Vistulam* usque fluvium a *Sarmatis*, *Venedis*, *Scyris* & *Hirris* sua ætate habitatas, memoriæ tradidit. Hanc *Venedorum* in *Vandalorum* sedes successionem gravissimo suo docti viri afferunt testimonio. Inter hos

Philippus Melanchthon. *in chronic. Carion. lib. 1. p. 34. & lib. 3. p. 245. it. comment. in Tacit. German. l. 4. & 5.*

Andreas Althamerus *Comment. in Tacit. German. p. 103. sequ.*

Bilibaldus Pirckhaimerus *Comment. in Tacit. p. 94.*

Martinus Cromerus *Chronic. Poloniæ lib. 1. c. 5. seq.*

David Chytræus *in Vandalia P. 1.*

Mi-

Michael Beutherus *Animadverſ. hiſt. cap. 1. p. 20. ſeq. & ad Tacit. c. 11. p. 51. & c. 22. p. 210.*

Philippus Cluverius *German. antiqu. lib. 3. c. 44. p. 191.*

Petrus Lindeberg *in chronic. Roſtoch. lib. 1. c. 2.*

Joh. Lampadius *in Mellific. hiſt. part. 3. c. 20.*

Joachimus Vagetius *in Geograph. p. 146.*

Jo. Matthias a Sudetis *de origine Bohemorum & Slavonum p. 2.*

An vero hi *Venedi* iidem ſint cum illis, qui *Homero* & *Apollonio* ἐνετῆσι: *Herodoto* ἐνετοὶ: *Livio Heneti* dicuntur; Item, unde primum prodierint, an ex *Sarmatia Aſiatica*, an ex *Paphlagonia*, an vero aliunde, nunc non inqvirimus. Sufficit nobis graviſſimorum autorum conſenſu conſtare, ad littus *Livonicum* & *Pruſſicum* eos hæſiſſe, cum *Vandali* crebris ſuis expeditionibus terras ſuas colonis ita denudarent. Unde eidem mari *ſinus Venedici* nomen impoſuere.

Venedorum cum Vandalis confuſio Crantzii.

Non igitur *Venedi* cum *Vandalis* confundendi: qvod *Crantzius* & alii perperam fecerunt; Illi enim *Sarmati*, hi *Germani* fuerunt, ratione, loco, lingua & moribus ab illis diſcreti. Cum vero *Venedi* non uno tempore, ſed paulatim, nec cum impetu & magnis exercitibus, ſed parte una populi poſt alteram introducta in *Vandalorum* ſedes ſubintraverint; ideo nec tempus adventus illorum definiri certe poteſt. Imperante *Valentiniano III.* poſt *Vandalorum* diſceſſum, immigrationis hujus initium factum veriſimile eſt. Progreſſi in *Germaniam*, inprimis in *Pomeraniam* & *Mechlenburgium* effuſi, longe lateqve dominari cœperunt, & occupatas ſedes annos qvingentos tenuerunt. Tum vero nova plane rerum facies in *Vandalia* introducta eſt, abolitis prioribus vocabulis, novis vocari cœperunt. Hæc nova locorum & populorum nomina, tanqvam in tabella adjicere hic placuit, qvod eorum in ſubſequenti narratione mentio ſubinde facienda.

iſti inprimis in Pomerania & Mecklenb. commorati.

1. Pomerani.	1. Pomerani.
2. Lebuſii, Stoderanii & Wilini.	2. Berolinenſes, Brandenburgenſes.
3. Brizani.	3. Prignitienſes, Perlebergenſes.
4. Havelani & Haveldi *ab Havela fluv. ita dicti.*	4. Havelbergenſes.
5. Sidini.	5. Stedinenſes.
6. Circipani, *cis Penin fluv.*	6. Wolgaſtenſes, Sundenſes, Deminenſes.
7. Kiſſini.	7. Gutzgovienſes, Grypswaldenſes.
8. Ridarii *(Rhodani & Riadari.)*	8. Stolpenſes, Anclamenſes.
9. Tollenſes, *qvi ad Tollenſee ſ. lacum.*	9. Neobrandenburgenſes.
10. Warnavi, Narini, Heruli, Werli, Wendi.	10. Roſtochenſes, Butzovienſes, Guſtrovienſes.
11. Obotriti.	11. Mechlenburgenſes.
12. Polabi (Polavi.)	12. Raceburgenſes.
13. Wagrii.	13. Lubecenſes, Altenburgenſes, Plœnenſes.
14. Rani.	14, Rugiani.
15. Lingones (Linii.)	15. Luneburgenſes.
16. Sorabi (Serbi) *ad confluentem Albis & Salæ.*	16. Serveſtani, Luſati, Miſnienſes, Lipſienſes.
17. Winuli.	17. Magdeburgenſes, Halberſtadienſes.

Hos omnes *Helmoldus* ſua ætate, circa ann. Chr. 1148. & Adamus *Bremenſis* annis centum eo ſuperior. Item autor qui 1168. *Chronicon Slavicum* ſcripſit, uno nomine *Winitos* & *Winulos*, i. e. *Wendos*, appellant.

Venedi vires sumunt nova regna condunt & contra Imp. Romanos bella gerunt.

§. 5. Innumera hæc multitudo in *Vandalorum* sedes inundans majores sumebat vires ex mutuis *Francorum*, *Suevorum*, *Saxonum* & *Thuringorum*, qvibus isti se mutuo atterebant, bellis domesticis. Nec parum roboris illis inde natum, qvod seculo V. *Angli*, magna pars *Germanorum* a mari Balthico, *Hengisto duce*, ad *Britanniam* incolendam emigrassent. His rebus effectum est, ut *Venedi* brevi tempore in novis sedibus magis magisqve confirmati, plerisqve vicinis jam fierent formidabiles, & terris ad mare Balthicum non contenti, non modo totius fere *Europæ* partem *mediam* occuparent, & in *Juyricum* usqve se diffunderent, sed etiam nova regna condere inciperent. Nam circa annum 550. *Lechus* Slavus Polonia occupata regnum in ea constituit. Nec ita diu post *Zechus* Dux ex eadem gente *Bohemiæ* regnum auspicatus est. *Saxones*, qvia viciniores, frequentibus illorum incursibus ita vexati fuere, ut cum *Longobardi* seculo VI. in *Italiam* cum familiis integris transirent, hi se illis jungerent. Quorum tamen supercilium fastidientes post annos XII. ad antiqvam patriam reversi sunt.

Eqvidem pugnatum contra *Slavos* sæpius est: sed ipsi aut victores ex prælio discesserunt, aut victi populo post fortius insurrexerunt. Qvanqvam enim *Thassilo Bavarorum* Dux Ao. 1195. magna de iis in *Bohemia* potiretur victoria, tamen ipsi reparato exercitu, *Cagano* Avarum Regi se jungentes, cum eodem vicinas terras fœde depopulati sunt. Elati igitur prosperis rerum successibus inqvetissimi homines & optimis iisdemqve amplissimis terris non contenti, longius etiam seculo VIII. & sequentibus in *Romani Imperii* fines summis viribus progredi tentarunt. Hinc vero perpetua & molestissima bella, singuli Imperatores a *Carolo M.* usqve ad *Fridericum Barbarossam* & *Henricum Leonem*, ultra annos trecentos contra istam gesserunt gentem.

De Slavis Obotritis & Wagriis.

§. 6. Sed ceteris *Slavis* missis factis, de *Obotritis* & *Wagriis* & *Arilberto* eorum *Regulo* succincte &, quantum proposito nostro inserviat, dicemus. Primo quidem qvia ab horum Regalis seu Principibus *Lubeca vetus* condita & inhabitata diu est: Deinde qvia *tam* Lubeca *vetus quam nova*, in horum Principatu, in solo *Vandalio* sita, & tandem cum eadem opera majorum nostrorum in his terris conditionem earumque ad Christianam fidem conversionem descripturi simus.

Heruli iidem communi vocabulo appellati, (die Werlen) *Werlam* seu *Herulam* urbem in *Rostochiensium* terra, haud ita procul a *Varna* amne sitam, a suo dixerunt nomine. Erant iidem *Wagriorum* Principes, qvi & *Obotritorum*. Magna eorum in his oris Balthicis fuit potentia, magni Principatus. *Polaborum* & *Obotritorum* terras amplissimas, & partem *anterioris Pomeraniæ*, nonnulli etjam ipsorum usqve ad *Vistulam* fluvium tenebant.

De Aribert Regulo.

Primus, qvi ex illis Principibus nobis innotuit, Aritbertus est; Hunc cum *Carolo M.* juncta amicitia & affinitas clarum fecere. *Beccam* enim sororem *Carolus* ei nuptum elocaverat. Primus etiam, qvi contempta superstitione Christianam fidem fuscepto baptismo amplexus est. *Aritberti* majores curiosa vetustas abolevit: originem ipsum ab antiqvis Principibus ducere, & ordine XXIV. esse quidam prodidere; quorum assertionem in dubium relinqvimus.

Regiæ ipsorum.

Aldenburgum & *Lubeca vetus* in *Wagriis*, *Mecklenburgium* & *Werla* in *Obotritis* regiæ ipsorum fuere. Ex his illi multis seculis bellum contra *Danos* & *Saxones* gesserunt, & ampliſſimos dominationis suæ terminos, mascule tutati sunt. *Wagria* tum non angulus ille circa *Aldenburgum*, qvi hodie illo nomine venit, sed totus ille tractus ad mare Balthicum a *Femaria* insula *Lubecam* usqve ab *Holsatia*, *Suala* & *Suentino* fluviis distinctus, qvi nostra ætate non contemnendam *Holsatiæ* partem constituit. Diutissime *Wagria* sub iisdem Dominis perstitit. Ut non dicam de prioribus VIII. seculis *Caroli M.* ætate, cum *Holsatia* & *Stormaria* Christianis ducibus subderentur, *Wagria* adhuc ad *Conradum* III. annos plures, qvam trecentos Principibus, qvi *Wagriorum* & *Obotritorum* Reguli dicti fuere, paruit,

Wagriæ aquæ termi & princip

De idolomania Wagrirum & Obtritorum Carolum

§. 7. *Wagria* autem & ceteræ omnes ad *mare Balthicum* regiones crassissimis superstitionum tenebris usqve ad ætatem *Caroli M.* permansere: Ipsius opera obscura qvædam lux in his oris accensa qvidem, sed paulo post, ipso e rebus humanis sublato, extincta iterum est. Qvanqvam enim *Aritbertus* Regulus, sacro Baptismatis fonte ablutus est, gens tamen ipsa a cultu dæmonum avelli nondum potuit, sed mordicus idolomaniam suam usqve ad *Ottonis M.* imperium defendit. Sed uti in plurimas gens *Slavorum* divisa nationes, ita varia admodum colebant illi *Numina*. Ex his illa breviter hoc loco describere operæ pretium fuerit, qvæ nostris in locis a profana gente, magna superstitione culta sunt, ut nos fœditate immanis idololatriæ adducti animis immensum Dei nostri agnoscamus & deprædicemus beneficium, qvi tandem majores nostros ex cimmeriis istis paganismi tenebris liberatos in clarissima Evangelii luce locavit, & dispulsa impiæ superstitionis caligine animos illorum, beata veri Dei cognitione illustravit.

Præcipua ex illis Numinibus tria sunt:

Prono, Siwa & Radegastus.

Prono qvi & *Prove* dictus fuit *Wagriorum* idolum virili forma in columna stabat, corona caput redimitus, oblongis & erectis auribus,

bus, altero pede tintinnabulo insistens, ocreis etiam indutus, dextra ferrum rubrum & vexillum tenens. Hic in nemore prope Aldenburgum in *Wagria*, magna superstitiosissimi populi veneratione, cultus fuit. Etiam in *Lubeca veteri* aliqvod ejus idolum ad cultum stetisse nonnulli commemorant.

Siwa Raceburgensium Dea, utraqve manu in tergum rejecta stabat, altera uvam cum viridi folio, pomum aureum altera tenens. Ea *Venus Solaborum* fuit, & uti nonnulli autumant, in eodem monte culta fuit, in qvo postea *ab Henrico Leone* templum cathedrale conditum. Ibidem & lacus ei dicatus fuit, qvem in eodem monte fuisse verisimile est.

Radegastus Mecklenburgensium Deus præcipua qvadam religione a cœca gente colebatur. Totus hic stabat aureus in urbe *Rhetra*. Capillis capitis avicula dispassis alis inhærebat. Pectori Bucephali caput nigrum gentis insignia additum, qvod dextra fulciebat. Sinistra bipennem ostentabat. Fanum idoli in medio lacu situm non nisi uno ponte adiri poterat.

§. 8. Cum *Carolus* Saxones vel vi ad *Christianorum Sacra* pertrahere studeret, multi eorum ad *Slavos* confugerunt. Hi tum *Ostphali* dici cœperunt, communeqve contra Christianos fœdus inierunt. *Aritbertus* jam Christianus factus *Witzanem* Ducem cum *Obotritorum* aliqva manu *Carolo* ad bellum contra *Wilsos* auxilio misit *Carolus* ut *Aritbertum* affinem magis sibi devinciret, *Saxoniæ* partem qvæ trans Albim est, & ex qva ille incolas in *Franciam* transtulerat, dono dedit: *Obotriti* igitur, cum autoritate *Reguli Jui*, tum metu armorum *Caroli*, sive etiam qvod ejus beneficio terras qvasdam tenerent, sive etiam qvod crederent, potentia Caroli fretos vicinis Saxonibus se eo molestiores esse posse, *Francis* se aliqvandiu junxerunt. Cum vero *Witzan* denuo a *Carolo* contra *Saxones*, qvi versus septentrionem habitabant, ad ferenda auxilia vocaretur, & jam in eo esset, ut Albim trajiceret, a Saxonibus, qvi re comperta ab utraqve fluminis ripa insidias collocarant, in ipso fluminis alveo interemptus est. Tum Slavorum multos fidem Christianam suscepisse constat: Qvos ut in ea Carolus confirmavit, ceteros autem, qvi idolorum cultui adhuc erant dediti, faciliore negotio converteret; Hamburgi extructo templo Heridagum sanctum virum Episcopum introduxit, eodemqve consilio Archi-Episcopum ibidem constituere, cui Danos, Suecos & Slavos subjiceret, in animo habebat. Sed morte *Heridagi* Presbyteri & regni occupatione bellis etiam Godofredi Danorum Regis, qvi *Frisios*, *Nordalbingos*, *Obotritos* & alios Slavorum populos tributarios sibi fecerat, præpeditus, *Ludovico Pio* filio id negotii relinqvere coactus fuit, qvod Ao. 833. demum perfecit, Ansgario primo ibi constituto Episcopo. Monachos idem Corbejenses in Rugiam insulam misit, qvorum pia opera Evangelium inibi prædicatum templumqve Jesu Christo Servatori & S. Vito, Corbejensis cœnobii patrono, dicatum est. Anno 808. Godofridus denuo *Obotritos* bello aggressus est, Carolus autem Imp. ipsis filium Carolum cum aliqva militum manu auxilio misit. Erant enim & jam fœdere juncti. Propterea qvanqvam multa mala antea ipsis intulisset, tamen hoc anno masculo animo eum exceperunt, ut cum insigni copiarum suarum detrimento ad sua reverteretur. At post excessum *Caroli*, avita *Francorum* virtute qvasi consenescente & filiis Caroli miseris bellis civilibus mutuo se lacerantibus *Slavi* iterum insurgebant, & longe ateqve imperium cum in alias provincias, tum præcipue in Saxoniam proferebant, ut vel sermo ille *Henetus* in agro Luneburgico ad Albim, apud colonos etiam nunc usitatus, indicio est. Sic novum *Ludovici Pii* regnum non tantum alii Slavi hostiliter statim adorti, fines imperii misere vastarunt sed & *Obotriti* nostri Ceadrogo & Slaomero ducibus ab Imperatore, cui hactenus paruerant, defecerunt, & *Normannis*, qvi tum etiam barbara feritate in Romanum imperium sæviebant, se junxerunt. Hoc tamen bello *Imperator* per *Saxones*, qvi illud gerendum susceperant, eos vicit, qvi Slaomirum captum, ad ipsum *Aquisgrani* tum degentem adduxerunt. *Lotharius I. Obotritos* & *Rugianos* sibi rebellantes Rege illorum *Gestimulo* occiso ad officium redegit. Potentissimus Germaniæ Rex *Ludovicus* Lotharii Imp. filius, uti contra cæteros *Slavos* freqventer dimicavit, sic & A. Ch. 844. *Obotritos* defectionem molientes perdomuit, & Gozzomuile Principe illorum perempto terram imperio suo subjecit. Post annos octo deducto in eosdem exercitu Ducem illorum Tahamuzidem rebellantem compescuit & filium obsidem dare coegit.

Lothario. Ludovico. 844. 862.

Arnolpho Romanum moderante imperium, *Obotriti* iterum dedere turbas, &, qvem Imperator iis opponebat exercitum, ita repulerunt, ut is re infecta recedere cogeretur.

889. Arnulpho.

Imperante vero *Ludovico* IV. *Obotriti* & *Sorabi Ottoni Saxoniæ* Duci rebellabant. Hic senio confectus bellum id *Henrico* filio demandabat, qvi post ad Imperatoriæ dignitatis apicem evectus est. Tum *Slavi Henrico* impares, *Hungaros* in auxilium vocant, & *Sueviam*, *Lotharingiam*, *Galliam*, *Hassiam*, *Thuringiam*, *Saxoniam*, *Magdeburgum*, & *Bremam* vastant.

906. Ludovico IV.

Fortius autem repressit *Slavos Henricus* auceps, qvam ullus Impp. aut Regum ante ipsum. Uti enim illi ultro bellum inferre

925. Henrico Aucupe.

hactenus soliti fuerant, sic nunc idem sibi ab *Aucupe* illatum repellere, necesse habebant. Ipse enim sexto imperii sui anno tirones suos in ipsos eduxit, *Brandenburgum* iis eripuit, & *Obotritos*, *Wilsos*, & Slavo labios tributarios fecit.

929. Qvarto autem post anno, cum Imperator alibi in finibus imperii tutandis occupatus esset, universa natio Slavica, autore Micislao vel Meslao *Obotritorum* & *Wagriorum* Regulo deficit, *Hamburgum* funditus evertit & vicina loca summa immanitate depopulatur. Imperator misso *Bernhardo*, *Duce Luneburgensi* ad *mare balthicum* illorum ad centum & viginti millia peremit, ibidemqve post *marchionatum Slesvicensem* instituit; Tum vero *Obotriti*, *Wilsi*, *Sloderani*, & *Hanetani*, non tributum modo se iterum pensuros, sed & sacrum baptismi lavacrum suscepturos polliciti sunt.

a qvo deficiunt & immaniter agunt.

a Bernhardo Luneb. com. pescuntur.

Marchionatus Slesvicensis.

Christianismus introductus.

Error aliorum notatur.

(Non me fugit, esse qvi Billungum statim post *Aritbertum* ponant; sed obstat & temporum supputatio & rerum gestarum series. *Aritbertus* enim *Caroli M. Billungus Ottonis I.* tempestate vixerunt. Res item gestæ a Mislao, ætatibus *Aritberti* & *Billungi* interjectæ sunt.)

934. Iidem *Obotriti* tamen post annos qvatuor nihil ægrius qvam Christianam religionem ferentes, Præfectos & Episcopos suos trucidant, & jure cæsos *Henrico* probare non dubitant.

De Conversione sub Ottone M.

§. 9. Carolum & Ottonem, qvorum uterqve a rebus, qvas cum immortali nominis gloria gessere, Magni nomen adepti sunt, a præpotenti Deo convertendis gentibus a Dæmonum cultu ad *Christi* fidem destinatos non immerito dixerimus. Nam ut ille *Saxones* gentem effrænem & bellicosissimam tandem *Christi* jugo submisit: Ita hic magnis bellis gestis, *Obotritos* & *Wagrios* tandem seculo a salute humana reparata decimo *Christo* adduxit. Miserrima gens, cum jam tot secula clarissima *Evangelii* lux Asiæ magnam partem & *Europam* fere totam illustrasset, ipsa adhuc plusqvam cimmeriis involuta tenebris Dæmones seqvebatur, contemto, immo contumaciter repulso æterno salutis nuntio. O inscrutabilia judicia Dei. Sed gratis animis prædicemus Dei benignitatem, qvi tandem præfractæ gentis misertus gratia sua divina efferos animos emollivit, & cœcitate ereptos atqve luce Evangelii illuminatos Christi regno adseruit.

Obotritorum & Wagriorum.

941. Anno qvinto imperii Ottonis tota gens adhuc superstitione diabolica vicinos suos injuriis plurimis lacessebat. Augebat illorum ferociam Tancwerdus, Ottonis frater, qvi ad qvos confugerat *Marchionatum Brandenburgensem* inprimis, cui tum Gero præerat, funditus diripiebat. *Obotriti* præ cæteris vetustæ superstitionis & avitæ libertatis tenacissimi iterum ab imperio Romano deficiunt, & *Ottonis* Ducem Haucam cum toto exercitu magno prælio superatum interimunt. Ergo Imperator ipse contra eos profectus in ordinem illos redigit & imperio Romano iterum jungit.

947 Haraldus Dan. rex fit. Haraldus Danorum Rex arcem Slesvicensem expugnatam evertit & trucidato Imperatoris Præfecto Marchionatum disturbat; Imperator contumeliam non ferendam ratus, Regem bello aggressus, gravi prælio vicit & religionem Christianam suscipere coëgit. Jam tandem aditum apertum sibi ad *Slavorum* conversionem parabat Imperator. Receperant Dani fidem Christi: parebant Imperatori *Wagriorum* & *Obotritorum* Reguli victricibus ejus armis perdomiti: Ergo & doctrina cælestis, qvæ in vicinam *Holsatiam* & *Stormariam* jam inde a *Carolo M.* introducta fuerat, ut etiam in finitimis locis, quæ ad huc tenebris ignorantiæ premebantur, longe lateqve propagaretur, Aldenburgi in *Wagria* Episcopatum primus instituit, qvi cum ille ipse sit, qvi Lubecam postea translatus est, Episcopos in progressu orationis enumerabimus, ut eadem opera, qvæ surgentis in his mundi partibus Christianismi conditio fuerit & progressus, doceamus.

De Episcopatu Aldenburgensi. §. 10. Aldenburgum *Slavorum* lingua Stargardia, id est vetus urbs dicta, amplum illis temporibus & propter loci naturam & portus commoditatem opulentum admodum emporium & *Slavorum* Principum multo tempore regia fuit. Nam hos omnium qvondam *Obotritorum* fortissimorum & longe remotiorum populorum dominium habentes in illa habitasse, atqve ex eadem *Danis* & *Saxonibus* freqventer bella intulisse, aut ab illis illata propulsasse, veteres testantur annales. Qvod enim in fronte totius *Wandaliæ* posita *Danos* ab altera parte, ab altera Saxones vicinos, libertati suæ imminentes, haberet & primos bellorum impetus aut ipsa prima inferret, aut aliis inferentibus exciperet ferociissimos semper & rei militaris peritissimos alebat milites.

Marco Episcopus Marco primus ibi ab Imperatore Episcopus constitutus est, cum jam *Adelgadus Hamburgensis* & *Bremensis* Ecclesiæ esset Episcopus. Huic *Holsatiam* omnem, *Wagriam* & *Slesvicum*, Obotritorum item terras usqve ad *Penim* fluvium & *Deminum* urbem subjecit. Fluctuavit eqvidem religionis Christianæ status in his locis & vehementer sæpe ab hoc tempore usqve ad *Henrici Leonis* ætatem a *Slavis* concussus, sed tamen nunqvam penitus iterum excisus est. Qvoties actum prorsus de illo videbatur; toties infinita

ta Dei bonitate qvasi ex cineribus excitatus iterum & confirmatus est, uti in progressu orationis docebimus.

Mislaus Obotritorum Princeps, qvi jam aulam Aldenburgo *Mechlenburgum* transtulerat, a Seliburo *Wagriorum* Principe bello petitur; Aliæ etiam *Slavorum* nationes inter se colliduntur. Imperator Otto & Gero Marchio hac occasione utendum rati, *Rethram* metropolin ipsorum inter Tollensem & Penim fluvium sitam cum *Rhadagasto* aureo idolo evertunt, atqve eos ita atterunt, ut toto Imperatoris tempore movere nihil possint, sed & in obseqvio Imperatoris & fide Christiana persisterent. Summa enim Dei miserantis bonitate religio Christiana tunc per totam *Slaviam* prope introducta est. Cum enim tunc temporis Slavia omnis, qvæ Oceano Albiqve includitur, in octodecim divisa esset pagos, omnes illi, exceptis tantum tribus, ad fidem Christi conversi sunt. In qva ut optimus & prudentissimus Imperator conversos *Slavos* magis confirmaret & ferum atqve rapinis & latrociniis adsvetum hominum genus ad mansuetiorem vita cultum traduceret, ex Episcopum *Italiæ* consilio plures episcopatus constituit. *Hamburgensi* autem *Archiepiscopo* Aldenburgensem, Sleswicensem & Ripensem subjecit. Episcoporum istorum summa erat in convertendis Slavis industria. Æternis digna est encomiis pia Imperatoris liberalitas, qvam tunc in ornandis Episcopis & excitandis per *Wagriam* & *Sleswicensem* episcopatum templis & cœnobiis munifice exseruit. Ipsius enim regia munificentia Episcopi *Aldenburgenses* tantis opibus instructi & ditati sunt, qvæ ipsis non modo apud gentis Regulos eximiam pararunt auctoritatem; sed qvibus etiam multis ædibus sacris exstructis Episcopatum exornarunt. Certe *Marco* Episcopus annis XIX. qvibus præfuit Wagriorum, Obotritorum & Kissinorum, i. e. *Holsatorum*, *Mechlenburgensium* & *Pomeranorum* occidentalium terras ad *Penim* fluvium usqve templis, sacerdotibus & monachis complevit, Aldenburgi templum *Joanni Baptistæ* sacrum condidit, & omnem populum in his terris usqve ad Deminum urbem sacro baptismatis fonte abluisse scribitur.

Marcone defuncto *Slesvicensis* ecclesia curæ Episcopi *Aldenburgensis* subtracta & peculiari Episcopo ab *Ottone* Imp. commissa est. Qvi autem *Marconem* excepit Edwardus ab Adelgado Archiepiscopo *Bremensi* consecratus, multos etiam *Slavorum* Christo adduxit & totam *Wagriam* & *Obotritorum* regionem ædibus sacris & sacrorum cœtuum claustris exornavit. Et ut nulla in parte in convertendis *Slavis* occidentalibus *Edvvardus* deerat; sic *Albertus* Archiepiscopus *Magdeburgensis* cum Suffraganeis suis *Brandenburgensi* & *Havelbergensi* in ceteris versus meridiem Christo adducendis summo labore contendebat, annosqve XIV Episcopatum administrabat.

Pulchre succedebant initia Christianissimi toto trium *Ottonum* tempore in *Slavorum* provinciis: nisi qvod *Ottone II.* in *Apulia* contra *Saracenos* occupato pars illorum conglomerati veteres injurias, ut putabant, ulturi *Brandenburgum* & *Havelbergam* capiunt, Episcopum utriusqve loci occidunt & multa atrocissime patrant. Capit arma, & Mislaus a Christo pariter & ab Imperatore Romano *Ottone II.* deficit, *Hamburgum* expugnat, *Adeldagum* Præsulem ejicit, templum incendit, ferro & igne finitima qvæqve vastat. Giselarius Præsul *Magdeburgensis* & Germaniæ aliqvot Principes parato jussu Imp. exercitu *Brandenburgum* recipiunt, *Obotritos* ingenti pugna XXX. millibus ipsorum in acie occisis vincunt.

Slavi rebelles coercentur.

§. 11. Mislao, *Ottonis III.* tempore successit filius Billungus. *Holsatis* ille, *Stormarsiensibus*, *Ditmarsis*, *Wagriis*, *Obotritis*, *Polabis* & *Pomeranis* a *Visurgi* ad *Vistulam* usqve imperavit. (a) Regia ipsius Mechlenburgum, urbs ea ætate amplissima & florentissima. Priore conjuge defuncta; ex qva Mislavum, Sedericum & Nacconem susceperat, baptismo etiam a Wagone Episcopo III. *Aldenburgensi* initiatus est, ejusdemqve sororem matrimonio sibi junxit.

De Billungo primo Wagriorum & Obotritorum principe Christiano.

Wago epis. Aldenb.

(a) Nic. Mareschalc. *II.* 26. Kranz. *Vandal. II.* 38. & 40. Metropol. *III.* 37.

Wago hic nobili genere inter suos natus (b) Episcopus A. D. 986. factus religionis amore flagrans summa sollicitudine curæ suæ commissam Ecclesiam regebat, nec alio consilio in nuptias ororis (cui *Christianæ* nomen) cum *Billungo* tandem consentiebat, qvam qvod Regulum affinitate illa inductum in fide Christiana constantius perseveraturum, Ecclesiæ nascenti per terras suas locum daturum & reditus, qvos *Wagrii* & *Obotriti* dari jussi erant, haud invitum concessurum speraret.

(b) Latomus fol. 88.

Nec parvam primordia spem afferebant. 986.
Billungus enim ipsius hortatu cœnobium virginum in urbe *Mechlenburgo* dedicavit, & Hodicam filiam ex Wagonis sorore susceptam antistitem virginem in illo constituit (c); At non ita diu post filiorum Mislavi inprimis instinctu, incommodare plurimum Episcopo cœpit. *Decimarum* qvæ tum Episcopo *Aldenburgensi* per *Obotritorum* terram ex *Ottonis I.* instituto dabantur, remissionem insidiosa oratione a *Wagone* affine obtinuit: cum uxore etiam divortio facto multis novam Ecclesiam impediviti: & nisi Bennonis *Saxoniæ* Ducis obstitisset autoritas, *Slavi* aviditate pristinæ libertatis omne studium Christianæ

religionis abjeciſſent (d). Nam *Ottone II.* & *III.* bello *Italico* occupatis, ipſe ut potuit, eam apud *Slavos* nudantem ſuſtentavit. Poſt *Wagonem* Epiſcopatum Ezico adeptus eſt, cui ordo ſacer etiam ab *Adeldago* Archi-Epiſcopo *Hamburgenſi* collatus eſt. (e).

(c) Mareſch. *II. 26.* Jo. Peterſen *Holſat. Chron. Kerckring. c. 2.*

(d) Krantz. *Vand. II. 39.* qvi Billungum 980. mortuum c. 40. dicit, qvod 986. factum Latomus *fol. 90. a.* & Micrælius in geneal. Pomer. affirmant.

(e) Adamus Bremenſ. *II. c. 17. p. 25.* Krantz. *Vand. II. 39.*

De Miſlao. §. 12. Miſlaus *Billungi* filius, ferocis ingeii homo, idololatriæ ab incunabulis deditus *Rhetram* regiam denuo inſtauratam incolens palam *Chriſtum* profitebatur, fraudibus & dolis initia *Chriſtianiſmi* exſtinguere ſtudebat (f). Aperte enim *Romani* Imp. & *Saxoniæ* Ducis potentiam veritus ſævire in *Chriſtianam* religionem colentes non audabat (g) Hodicam ſororem ſuam a *Billungo* patre & *Wagone* avunculo, virginum cœnobio *Mechlenburgi* præfectam, e cœnobio extractam Boleslao *Pomeranorum* Principi inceſtis nuptiis ſacravit; Ceteras virgines ſacras aut militibus nuptum dedit, aut ad *Rugianos* & *Wilſos* tranſmiſit & cœnobium ipſum evertit. Vehementer iſta ſævitia Eccleſiæ incrementa ſufflaminata ſunt. Pax tamen politica, qvamdiu ipſe ſuperſtes fuit, ſervata eſt. Anno autem 999. ſalutis humanæ ex vita exceſſit. (h)

999.

(f) Krantz. *Vand. II. 40.* Micrælius *Pomer. p. 195. Chron. Kerck.* f. 2. & 25.

(g) Helmoldus *Chron. Slav. I. 15.* Krantz. *Vandal. II. 40.*

(h) Albertus *Stadenſ. A. 984. f. 110. b.* Krantz. *Vand. II. c. 41.* Latomus *ad ann. 999.*

De Miſtivojo. 1000. §. 13. Poſt *Miſlaum* Miſtivojus filius vir fortiſſimus, *Wagriis* & *Obotritis* imperavit. Hujus ætate, fanum Radegaſti, qvod Rhetræ erat, magno hominum confluxu freqventatum iterum eſt: (i) *Miſtivojus* autem & *Misdraus* frater ejus, non alieni prorſus a Chriſtiana religione prioribus præſertim temporibus fuiſſe videntur, qvia non modo Henrico II. Imp. amico utebantur, ſed & cum Bernhardo *Saxoniæ* & *Luneburgi* Duce magna eis intercedebat familiaritas. Factum inde eſt, ut *Miſtivojus* poſt defunctam *Margaretam* primam ſuam conjugem *Henrici Aucupis* neptem *Mechtildem Bernhardi* ſive filiam ſive ſororem, ſive neptem, ſive conjugem ſibi expeteret (k). Dux in nuptias conſenſit. Qvem ut *Miſtivojus* arctius ſibi obſeqvio devinciret, ipſum & *Henricum* Imp. in *Italiam* ad bellum *Saracenicum* cum mille eqvitibus, qvi maximam partem in iſta expeditione perierunt, ſecutus eſt. At cum domi reverſus deſponſam virginem ſibi dari vellet; ibi vero Theodoricus *Marchio*, ſublati animi homo, qvi atrocibus injuriis *Slavos* hactenus affecerat, indignum eſſe dicebat; puellam clariſſimo genere natam & ſibi ſanguinis propinqvitate junctam Vandalico cani nubere (l). (Non exprobrans qvidem ei, qvod *paganus* eſſet; Chriſtianam enim religionem, qvamqvam animo non ſatis ſincero amplexus fuiſſe videtur; ſed qvod *Vandalus* natione eſſet; *Vandalos* enim *Saxones* tunc vulgo contemnebant). Contumelia hac & cæteris injuriis, qvas avari *Saxoniæ* Principes & horum Præfecti ſub religionis propagandæ ſpecie *Slavis* multas & graves inferebant, (& qvibus ſucceſſus religionis inter iſtos inſigniter, ut ſæpe ſcriptores (m) iſtus ætatis conqveruntur, præpeditus hactenus fuerat); *Miſtivojus* commotus abjecta Chriſtianæ religionis profeſſione, ſe ut validum canem latraturum & morſus ingentes illaturum reſpondit. Dicit & in regiam ſuam Rhetram reverſus undiqve qvantas poteſt copias, etiam ex orientalibus *Slavis* contraxit & *Bernhardo* Duce bellis contra *Cæſarem* implicito, Nordalbingiam omnem ferro & igne depopulatus, in ſacerdotes Chriſtianos fœdis cædibus graſſatus, & ædes ſacras per ſummum furorem demolitus eſt (n). Præcipue *Slavorum* rabies *Aldenburgi*, qvæ tum populoſiſſima urbs *Chriſtianorum* erat, deſæviit. Ibi namqve cæteris pecudum more obtruncatis LX. Presbyteri ad triumphum ſervati & miſerrimis modis excruciati ſunt, cutem de capite in formam crucis diſſectam eis de raxerunt, cranium ferro aperuerunt, & ita manibus a tergo revinctis nudos eqvis alligatos IV. Nonas Junii per ſingulas *Slavorum* civitates raptarunt, donec inter exqviſitiſſimos cruciatus deficerent. Reliqvos Chriſtianos immani & nefanda ſævitia pecudum inſtar mactarunt; *Hamburgum* urbem diripuerunt, & in ſacri ordinis viros, & feminas immaniter ſævierunt. Hinc *Marchionatum* ingreſſi *Theodoricum* prælio ſuperatum ditione exuerunt, & *Brandenburgum* expugnarunt. Tandem *Marchionem* Magdeburgenſes receperunt, & ad vitæ ſubſidia canonicatum contulerunt. *Miſtivojus* autem *Slavos* omnes, qvi intra *Albim* & *Oderam* incolunt & jam LXX. annos toto *Ottonum* tempore in fide Chriſtiana perſtiterant, ad *paganiſmum* reduxit. *Obotriti* imprimis ipſo autore templa omnia diruerunt & ad priorem idololatriam cupide relapſi ſunt. In ſumma tandem ſenecta *Miſtivojus* apoſtaſiæ & crudelitatis pœnitentia ductus fidem Chriſti, qvem ſcelerate abjuraverat & impie perſecutus fuerat, pie & religioſe denuo amplexus eſt. Eo nomine cum a *Slavis* ſuis terra ejiceretur, ad *Bardos* (a qvibus *Bardovvicum* denominatum) confugit, ibidemqve pie conſenuit atqve Anno 1025. mortuus eſt. (o)

(i) Jo. Peterſen *in chron. Holſat.*

(k) Krantz. *Vand. II. c. 41. Saxon. IV. 34.* Cal-

34. Calvisius *ad ann. 1023.* Marescha lcus *II. 28.* Adamus Brem. *p. 29.* dicit fuisse neptem.

(l) Adamus Brem. *dicit hæc. sibi narrata a Svenone Rega p. 29.*

(m) *Adam. Br. p. 29. 36. 45.* Helmoldus II. 15. Latomus f. 94. a. b.

(n) Chron. *Slavor. c. XI. p. 207.* Kranz. *Vand. II. 42.* & Metrop. *III. 2.* Albertus Stad. *ad ann. 1001. f. 112.* b.

(o) Kranz. *Vand. II. 12. Saxon. IV. 34. Chronic. latin. MS.*

§. 14. Tres *Mistivojus* filios, Anatrogum, Gneum & Udonem seu *Othonem* reliqvit. Hi tempore Conradi II. *Marchiæ & Meeblenburgo* præfuerunt, & jussu Ducis *Bernhardi Bennoni* Episcopo *Aldenburgensi*, decimas solverunt (p). At *Anatrogus* qvidem & Gneus, *Vinulis*, *Polabis* atqve *Obotritis* imperabant, non a paganismo recedebant; *Udo* autem *Wagriorum* Princeps præ ceteris crudeli ingenio Christianæ religionis timorem præ se ferebat, qvam ex animo oderat. Ab Unwano tamen Archiepiscopo *Hamburgensi* una cum Kanuto Daniæ Rege nonnunqvam ad colloqvium de ecclesiæ commodis promovendis vocatus est (q). In bellis gerendis terra mariqve eum magna felicitate usum esse memoriæ proditum est. 1026. Udonc.

(p) Adam. Br. *II. 47. p. 34.* Krantz. *Vand. II. 44. Metrop. IV. 11.* Albert. Stad. *ad. a. 1032.*

(q) Adam. Br. *II. 42. p. 33. Histor. Archiepisc. Brem. pag. 85.* Kranz. *Metrop. IV. 8.* Albert. Stad. *1027.* Erasm. Sarcerius *de veteri Lubeca f. 24.*

§. 15. Cum *Udonem* Saxo qvidam transfuga, &, ut qvidam prodidere, servus ejus per insidias Anno 1032. interemisset (r); Godschalcus filius ejus, qvi suscepto baptismo tum in cœnobio *Luneburgensi*, qvod olim *Henricus Billungus* D. *Michaeli* sacrum in monte cum arce *Luneburgo* ædificaverat, in bonis literis & Christiana religione informabatur, comperta patris nece ad ultionem se statim parat & abjectis tam religionis qvam literarum studiis ad *Winithos* seu *Winulos* gentis suæ profectus copiis undiqve contractis Travam trajicit, & Nordalbingiam ingressus, omnium sanguine patri parentaturus infinitam in *Saxonibus* Christianis, qvod a *Saxone* patrem interemptum audisset, stragem edidit; solis illis furorem declinantibus, qvi in arcem *Itzeboam* & *Bockelnburgum* confugerant. Templa pleraqve temerata, agri omnes ita exusti & vastati erant, ut ipsa solitudo Godscalco per *Holsatiam* cum prædatorum turba oberranti, horrorem incuteret. Ergo religione devinctus tangitur, latrones dimittit & cum *Nord-* Godschal. primo Vendo a Lubecæ 1032.

(r) Krantz. *Vand. II. 44. Saxon. IV. 38.* Tratziger *Chron. p. 24.* Helmoldus *l. 19. Ad. Br. II. 47. chron. latin. MS. I. 6.*

(s) Krantz. *Vandal. II. 46. 47. metrop. IV. 11. chron. Latin. MS. f. 7.*

(t) Adam. *Br. p 37.* Krantz. *metrop. IV. 24.*

(u) Adam. *Br. p. 34.* Maresch. *II. 31 chronic. Latin. Mf.* assent. *Kanuti filium eum accepisse uxorem.* Pontanus *has nuptias refert ad* ann. 1058.

Albingis pacem & amicitiam init (s). Dux *Bernhardus* præsidio militari jam destitutum, & propter pacem factam secure agentem tanqvam latronum Ducem capit & in vincula conjicit. Cum animo tamen reputans, esse virum bello egregium, & cujus opera uti olim ipse posset, præmiis etiam affectum & fœdere sibi unitum demisit, (t) *Godscalcum* redeuntem terra sua excludebat Ratibor; qvi interim *Wagriæ* Principatum invaserat, Christianam religionem professus & magnæ inter Barbaros potestatis. In *Daniam* igitur Godscalcus delatus *Kanuto* primum Regi in *Norwegia* militat. Tanta ibi viri enituit prudentia & fortitudo, ut Rex eum cum *Suenone*, suo ex sorore nepote, in *Angliam* ad bellum mitteret. Hic iterum clarus facinoribus editis ita *Suenonem*, paulo post Regem, sibi devinxit, ut Syritham filiam ei nuptum daret. (u)

Anatrogus, Gneus & Ratibor interim *Slavis*, *Obotritis* & *Wagriis* imperabant. Hic a Bezelino *Archi-Episcopo*, & Bernhardo *Saxoniæ* Duce, sæpius *Hamburgum* ad colloqvium evocati prolixe operam suam in promovendis ecclesiæ commodis & in compescendis *Slavis* suis promiserat, isdemqve circa annum 1039. contra hostes cum copiis suis militarunt. 1039. (x) Insignis tunc doctrina cælestis propter Principum amicitias in *Slavos* fecisset progressus, nisi *Saxoniæ* Ducis obstitisset avaritia. Godscalcus jam ex *Britannia* qvoqve reversus a *Dania*, aliqvandiu per *Ratiborem* Principatu suo destitutus, qviete agebat. Nam Ratibor ita potentiam suam auxerat, ut ipsum *Daniæ* Regem bello lacesseret. Tribus enim vicibus tunc *Slavi* hostiles irruptiones in *Jutiam* fecere. Cumqve prima expeditione Pater: altera octo filii: ertia XV. millia *Slavorum* in prælio apud *Slesvicum* gesto periissent, pacem fecerunt (y). Jam *Godscalcus* non diutius cunctandum ratus *Danorum* auxiliis ejicit *Wagria*, qvi adhuc dominium ejus per vim tenebant. Tum vero optimus Princeps omnem suam curam, cogitationem & operam, in Christiana religione in terras suas reducenda ponebat. Quanto immanius antea furor ejus in Christianos grassatus fuerat, tanto impensius nunc illis favebat eorundemqve sacra apud *Wagrios*, *Polabos*, *Obotritos*, *Lingones*, *Warnavos* *Kissinos* & *Ciripanos*, conqvilitis undiqve piis & religio- Ratibor infestat Daniam.

sis doctoribus, *templis* etiam, coenobiis partim reparatis, partim novis conditis, promovere studebat (z) Excruciabat viri religiosi animum, vetus in ulciscenda nece paterna exercita crudelitas. Haud raro ipse conciones sacras ad populum habens, ea, qvæ a Sacerdotibus ignota *Slavis* dicebantur, lingva Slavica disertius explanabat, Slavosqve omnes toto illo Episcopatus Aldenburgensis tractu usqve ad *Penim* fluvium ad baptismum suscipiendum & Christianam fidem implen-
1035. dam, qvam post excessum Ottonis III. abjecerant, reduxit. *Lubecæ* inprimis, *Aldenburgi*, *Leontii*, *Racesburgi* & *Mechlenburgi* multa religiosa ipsius pietate excitata sunt templa & cœnobia.

(x) Adam. Br. *p. 36.* Histor. *Archi-Episc. Brem p. 87.* Kranz. *metr. IV. 22.* Albert Stad. *ad ann. 1039.*

(y) Solin. *in Chron. Holst. p. 97.* Adam. Br. *p. 37.* Albertus Stad. *ad A. 1042.* Kranz. *Vand. III. 1. Metrop. IV. 24.*

(z) Adam. Br. *p. 44.* Histor. *Archi Episc. Br. p. 93.* Maresch. *II. 31.* Albert. Stad. *ad Ann. 1058.* Kranz. *Metrop.* IV. 24.

Episcopatum *Aldenburgensem* hac tempestate regebat Abelinus nonus a *Marcone* primo Episcopo. Nova tunc lux oblata iterum his terris videbatur. Nam & aurea pax post tot bellorum turbas postliminio reducta est, & res ecclesiasticæ efflorescere iterum summo cum piorum gaudio cœpere. Godscalcus Regulus prudentia & fortitudine singulari nec minore pietate conspicuus, affinitate etiam Regis *Daniæ* fretus, *Vandalos* suos ita in officio continuit, ut & tributa penderent & Christianæ religionis statuta sancte colerent. Adelheido etiam Archi-Episcopo familiariter usus est, & solvendorum votorum causa freqventer Hamburgum commeavit. (a)

(a) Adamus Brem. *p. 44.* Histor. *Archi-Episc. Brem. p. 93.* Kranz. Vandal. *libr. II. 47. Metrop. IV. 39.*

De Lubeca Veteri.

§. 16. Jam tandem ad Lubecam veterem devenimus, cujus gratia magnam partem prior nobis instituta fuit oratio. Godscalci pietas aut initia prima urbi dedit, aut, qvod magis credo, ut posteris illa innotesceret, in causa fuit. Altum enim apud scriptores veteres de Lubeca silentium est, donec ad Godscalci principatum descenditur. In Godscalci pietate commemoranda omnes primo Lubecæ mentionem injiciunt, ut modo diximus, scriptores rerum Saxonicarum & Slavicarum antiqvi. Lubecæ a religiosissimo Principe cœnobia ædificata fuisse, Adamus Bremensis, Helmoldus & Albertus Stadensis, locupletes in primis testes in hoc argumento, literis prodiderunt, Nec vero dubitare fas est, Lubecam tum extitisse, cum a scriptoribus, qvibus semper tantum a doctis tributum est, qvid Lubecæ in instaurando cultu divino pietate Godscalci effectum sit, diserte commemoretur. Imo non desunt, qvi antiqviorem multo originem Lubecæ tribuunt. Qvorum adsertionem uti mihi non confirmandam sumo, sic nec temere rejiciendam puto, qvod illi commentarios suos ex antiqvissimis Principum tabulariis se concinnasse testantur.

Testimonia Adami Bremensis. Helmoldi.

Prima igitur *Lubecæ veteris*, qvæ ad Swartou sita fuit, fundamenta aut ab ipso *Godschalco* circa Ann. 1040. aut etiam ab aliqvo superiorum Principum jacta; postea vero, uti fieri amat, a seqventibus Principibus magis atqve magis amplificata & munita fuit.

I. Nonnulli illam ab Henrico demum *Godscalci* filio conditam esse asserunt.

Helmoldus *L. 1. 57.* Herm. de Lerbecke *in chron. Schaumb. p. 13.* Kranzius *Vandal. IV. 1.* & *Saxon. L. VI. 10.*

II. Alii ad Godschalcum hoc referunt.

Henninges *in tab. Geneal. p. 292.* Jo Petersen *in Chron. Holsat. p. 30.* Georg Fabricius Chemnit. *rerum Saxon. ad ann. 1041.*

III. Qvidam etiam illam ante tempora Godschalci extitisse affirmant.

Ex his autor *Chronici Lubecensis* MS. *libr. I. c. 1.* ita scribit: *Incertum est, si* Godschalcus *Princeps, in fine Christianissimus, eam* (Lubecam veterem) *fundaverit, cujus tempore* Lubeca *jam erat, sed ante eum nulla ipsius memoria invenitur.* Chronici becensis M.

Et Cap. II. *Qvapropter, si qvis in annalibus scriptum offenderit,* Henricum *constituisse* Lubecam, *de firmatione accipiat, non autem de primæva fundatione.* Idem *libr. I. c. 9.* repetit: Erasmus Sarcerius *ante hos annos centum, & qvod excurrit, Scholæ* Lubecensis *moderator* in sua de *Lubeca Veteri* oratione hæc habet: *Graviter errant, qvi* Godschalcum *primum ejus fundatorem faciunt, cum* Lubecam *ante illum fuisse certo constet, vel ex anteceſſoribus* Godschalci, *cujus etiam avus,* Mistivojus *nomine,* veteri Lubecæ *præfuisse legatur. Hoc tamen non negamus, sub* Godschalco, *famosissimo & fortissimo Vandalo, primo* veterem Lubecam *clare innotuisse & ante eum perexiguam ejus memoriam extitisse.* Et paulo post: *Godschalcus cœnobia in usum juventutis instituta, tum prorsus collapsa restituit.* Item Reimarus Kock *in chronico MS.* affirmat: Nicolaus Mareschalcus, Henrici Ducis Mechlenburgici Consiliarius, qvi se historiam suam ex monumentis fidelissimis majorum hujus Principis transscripsisse Reimari Kockii. Mareschalc

se confirmat, *Annal. L. II. c. 38.* ita commentatur: *Urbs ea præsignis etiamnum sub Imperio Romano venerationis inter* Travam & Bagnisum *amnes, qvi ambo* Χάλεσος *Chalusus* Cl. Ptolomæo, *loco amœnissimo sita est* Livoniorum *caput: A piscatoribus proditur temporibus antiqvissimis portu eo habitata; unde* Romanis *olim nota.* *A* Godschalco *deinde* Herulorum *seu* Obotritorum *Rege restaurata, qvi & arcem & lararium ibi primus excitavit*, Bute *est nuncupata, sive a* Bute *filio, sive ad imitationem* βέτη *qvæ* Sauromatarum *ad* Mæotida, *teste* Cl. Ptolomæo, *caput, aut denique in honorem amasii Veneris, qvi* Bute. *At* Henricus, *qvi* Butes *germanus idemqve Regis*, Godscalci filius, *coloniam Livoniorum magnam dixit, vulgus* Lubecam, lingva Vandalorum *gentili, qvod* amiculum *significat.* Et *libr. II. c. 34.* Henricus *arcem fere habitavit* Butes, *qvam* coloniam Livoniorum magnam *dici maluit.*

§. 17. Qvæ hactenus attulimus de Lubeca veteri, qvæ ad rivum *Swartou* sita fuit, intelligi volumus. Schwarte Ove nigrum fluentem sonat, aqva enim fluvii a solo nigro, per qvod brevi meatu in *Travam* excurrit, nigricare videtur, ac fortasse non immerito qværitur: *Qvisnam omnium primus locus Lubecæ veteris fuerit?* isne, de qvo hactenus locuti sumus, an ille, qvem nunc habitamus. Nihil forte a vero alienum statuerimus, si hanc ipsam, qvam nunc incolimus, & *Swartonoviana* illa antiqviorem esse dicamus. An enim antiqvam illam annos centum & qvadraginta stetisse, an vero putabimus, antea, i. e. mille a Christo nato annis, locum hunc, qvem nunc habitamus, sive portum sive alia vitæ humanæ commoda spectes, aptissimum nullis habitatoribus, tempore *Vandalorum & Slavorum* Principum cultum fuisse? Et ne conjecturis niti videamur, *Autor Chronici. 1385. exarati*, qvi fide publica scripsit, bis in eodem loco affirmat, Lubecam omnium primo hic intra *Travam* & *Wackenissam* sitam fuisse, & porro hoc ipsum ex *antiqvo Chronico* se transscripsisse testatur. Verba Codicis judicavi digna qvæ ad scriberem cum etiam compendio enarrent, qvoties *Lubeca* locum mutaverit?

By des Keisers Henrickes Tyden, de de Veerde was an den Namen, da ward begrepen unde gebouhwet, de eerlicke Stadt Lübeeke, de in deseme Jahr lach by de Schwartowo, dat noch olde Lübeecke heet. God beware se an ewighen daghen. Wen se dar wart gebowet, oder wo langhe se dar lagte, dessen beschryven neue Cronicken: Mer in eene Historien hebbe ick gelesen, dat se in menigher Gehgend hefft ghelegen, unde esoversettet, von der enem Ghegend to der andern. Erst wart se begrepen in der Stede, dar se noch ligt, darna wart se oversettet by der Swartowe, dat noch olde Lübeecke heet. Darna wort se op de erste Städe gebouhet; Wedder darna wart se verstöret, un wart do gesetet over de Wackenisse, un het da de Löven Stadt. Da bleff se eene korte Wyle, entweder willen der Keisere, wente de Schepe kunden nit by deme Overn belanden; Aldüss stand se in Wandelbahrigkeit, edder dorch de Vienden Verfolghinge willen, de se verstödden, edder dorch Waters Noth, dat et tho sehr op klogete tho Verderff der Stadt; edder dorch Vüres willen, dar de Stadt in vergingk. Aldus hefft de Stad an vele Orden gewehsen, von Anbeghinne eer ersten Begrypinghe. Mar God hefft angesehn eer Innigheit in sine Love, Rechtfertigkeit in eeren minnen Gude, dat Gewerke gewehsen hefft in dee Stadt, unde hefft de Stadt opholden, und von aller Anvechtinge beschermet. Huic Marescalcum supra laudatum addo: *Qvi eo portu, ad qvem ipsa nunc jacet, Romanis olim cognitam fuisse scribit.* Non contemnenda præterea est *Cl. Cluveri* sententia asserentis Trevam *Ptolomæi*, qvi A. Christi LXX. scripsit: *Lubeaam nostram esse a* Trava *flumine facile unius litteræ immutatione ita dictam* Libr. III. Germ. antiq. C. XXVII. p. 106. Qvo loco eidem *Cluvero* Manonis prima *Ptolomæi* hodie *Hamburgum* est: Manonis altera *Wismaria:*

Utut vero non insignis urbs fuerit, tamen ut locum commodissimum primo millenario habitatum fuisse dubitari non potest; sic credere licet, aut bellis factum ut loco mutato ad rivum Swartou sedem transferret, exinde tam *Cimbros*, qvam *Critonem* occasionem arcem & urbem ibi fundandi cepisse, ut postea narrabimus. Qvod vero parum certi, hac de re literarum monumentis traditum ad nos pervenit, non sola in causa est monachorum istius ætatis in annotandis rebus gestis socordia, sed vel inprimis gravia urbis incendia, qvibus ipsa qvatuor vicibus consumta est. Qvis enim ambigat, tota urbe conflagrante multa antiqvitatis monumenta simul eodem fato interiisse? Qvicqvid autem ejus sit, nos nunc usitatas appellationes retinebimus, ut illam, qvæ olim ad rivum Swartow Henilorum Principum regia fuit, Lubecam veterem; hanc, qvam nunc incolimus, novam dicamus.

§. 18. Qvisqvis autem Obotritorum Principum prima urbis fundamenta posuerit, certe nullus *Poloniæ* Rex posuit; uti frustra *Polonorum* scriptores gloriantur. Alexander Guagninus rer. Polon. Tom. I. p. 52. Visimirum Poloniæ Regem, superato Swarto Danorum Rege in hæc loca progressum, Lubecam, Wismariam & Dantiscum condidisse scribit. Jodocus Ludovicus Decius, libro de *Sigismundi Regis temporibus Tom. II. pag. 312. edit. Pistorii* scribit: *Est ad Balthei maris sinum* Lubecum *Imperii Romani* opibus *armisqve pol-* An Poloniæ Rex urbem condiderit.

lens oppidum. Hoc, a Polonorum qvondam majoribus (ut vetuſtates eorum habent) *conditum*, Buccovecium *fuit appellatum.* Martinus Cromerus Epiſcopus, *ab aliqvo filiorum aut poſterorum* Leſci III. *extructam eſſe* affirmat. *libr. II. Reipubl. Polon. p. 24.*

Omnia hæc teſtimonia domeſtica ſunt, deinde nullius antiqvi ſcriptoris teſtimonio confirmata, tertio *Helmoldus* ab *Henrico* Principe conditam adſerit. Qvod qvanqvam nos de urbis munitione & amplificatione intelligendum ſtatuimus, tamen ſi ab aliqvo extero Rege urbs primum condi cœpta eſſet, *Helmoldum* iſtud latere non potuiſſet; Faciunt qvarto Polonorum & Obotritorum, qvamvis utraqve gens Slavica eſſet, ſemper diſtincta regna & terræ. Habuere Obotriti & Wagrii jam inde ab antiqviſſimis ſeculis longe ante jacta urbis Lubecæ fundamenta ſuos regulos, viros fortiſſimos & terrarum ſuarum defenſores acerrimos. Ab his urbes & arces antiqvas terra ipſorum, ut Mechlenburgum, Herulam, Kiſſinum, Rhetram, Gloam & alias ædificatas eſſe, qvis dubitet? Nec tandem, ſi Rex aliqvis Poloniæ cum exercitu irruptionem in has terras aliqvando fecit, ſtatim urbes ibi condere vel voluit vel potuit. Slavum ergo Principem urbem condidiſſe certum eſt. Polonum eum fuiſſe nondum commonſtratum eſt. Videlicet omnis Polonus, Slavus eſt; at non Slavus omnis Polonus.

De Nominibus urbis.

§. 19. Nomina urbis unde ſumta ſint vix *Oedipo conjectore* liqvet. *Buten* eam *Godſchalcum* a filio *Bathue* nuncupaſſe putamus, præſertim cum olim non infreqvens fuerit, a filiorum nominibus, urbis nomina indere. At cur *Henricus* Princeps *Livoniorum coloniam magnam* dixerit ἐπέχω.

Qvid autem de ipſo Lubecæ nomine? Sunt *primo*, qvi ex germanico idiomate componant, qvod *Lobeck* angulus laudis. Alluſit huc *Conradus Celtes* primus Germanorum Poëta coronatus his verſibus:

Inde urbs clara nitet, de lumine nomine dicta,
Et Lobicum *Codani fama decusque ſui.*

Angulus *hæc* laudis, *dicta eſt urbs nomine priſco*
Angulum in hunc fertur fluvius Travenna *per æquor.*

Idem ſtatuit Franc. Irenicus *in German. ſua libr. XII. fol. 216.* & *Æneas Silvius.*

II. Alii ad Lubam qvendam inter piſcatores primarium, qvi loco a ſuo nomine nomen dederit, referunt, ab eodemqve majus civitatis eſſe ſigillum, *piſcatorem ſcaphæ cum remo inſidentem*, qvo Senatus in rebus majoris momenti confirmandis utitur.

III. A Lubemaro *Rugiano* ſive *Vandalico* Principe, qvi urbem aliqvandiu in poteſtate habuit, nonnulli nuncupatam autumant.

IV. Qvi *Vandalicam* vocem eſſe contendunt, propius ad rem accedere videntur. Eſt enim omnino veriſimile, gentem, quæ eam condidit, nomen eidem impoſuiſſe. Qvi vero ex *Slavica* lingva originem vocis acerſunt, iterum diverſo modo interpretantur. Nonnullis enim, ut *Nicolao Mareſchalco*, amiculam ſeu *amaſiam* ſignificat. Aliis amœnum, *lieblich*, *frölich*, ut *Hermanno Cornero* & ante *H. Rheb. in MS. pag. 25. 26. 41.* Cæteris tandem *Coronam* aut *capitis ornamentum*, ut Bocero *H. Rheb. p. 41.*; Ubi inepti ſunt, qvi *coronam* urbem dictam putant, qvod ceterarum urbium *Vandalicarum* corona & decus ſemper fuerit. Qvanqvam enim hoc de nova Lubeca vere affirmatur, tamen de veteri nullo jure dici potuit, a qva tamen hoc nomen ad novam devenit. Nec enim illa ceteris urbibus præeminebat, & erant illius ætate aliæ *Vandalicæ* urbes multo illuſtriores, ut vel Winetæ vel Julini exemplo omnibus conſtat.

§. 20. Adelbertus Archiepiſcopus *Bremenſis*, lætus de felici eccleſiæ ſucceſſu, Epiſcopos & Presbyteros ad *Godſchalcum* Principem miſit, qvi rudem populum capita fidei Chriſtianæ docerent, nec *Archiepiſcopi* honore contentus *Patriarchatum* animo affectabat. Hoc conſilio Epiſcopatum *Aldenburgenſem* non reqviſito Imperatoris Henrici III. conſenſu in tres diviſit epiſcopatus, *Aldenburgenſem*, *Mechlenburgenſem* & *Raceburgenſem.* Et *Aldenburgenſi* qvidem Eizonem *Epiſcopum*, *Mechlenburgenſi* Joannem *Scotum* natione, *Raceburgenſi* Ariſtonem, qvi *Hieroſolymis* venerat, præfecit. Joannes ille, cujus modo noſtra meminit oratio, ab *Adelberto* ad *Godſchalcum* Principem miſſus comiter ab illo exceptus & diu cum eodem commoratus eſt, multaqve Slavorum millia, ſacri baptiſmi lavacro tinxit. Aldenburgenſis dividitur

(b) Hiſtoria *Archiepiſc. Brem. p. 93.* Albert. Stadenſ. *ad ann. 1058. f. 128. qvod Crumdyck ad ann. 1051. refert.* Meibom. *in not. ad* Lerbecke *p. 53.* Krantz Vandal. *III. 3.* Metropol. *IV. 40. & 43.* V. 4. & *18. chron.* Kerck. *fol. 3.*

§. 21. Ægerrime ferebant Slavi, Principem ſuum tanto ſtudio Chriſtianam fovere religionem: nulla tamen de cauſa tantopere oderant, qvam qvod Duces Saxoniæ intolerabilia tributa ab ipſis exigerent. Ergo ut *Miſti-* Slavi Godſchalcum interemunt

Mistivojum tandem propter religionis confessionem in exilium egerant; sic nunc Godschalcum eadem de causa crudelissime interficiunt (c). Infantia enim Imperatoris Henr. IV. mors, Bernhardi Ducis Saxoniæ, qvi A. 1062. obierat, & filiorum ejus Adolfi & Hermanni de Ducatu contentiones, Slavos in Christianos non parum armabant.

(c) Adamus *Brem. p. 53.* Helmold. *I. 22. & 24.* Albertus *Stad. hoc anno.* Histor. *Archiepisc.* Br. *p. 95.* Chronici Slav. *c. 14. p. 208.* Krumdyck *h. anno.* Krantz. *Vandal. III. 4. & 5.* Metrop. IV. *43. & 44.* Marescholc. *II. 31.* refert ad ann. 1040. Micræles *Syntagm. 1393.*

Slavi ergo magno tumultu 1066. VI. Idus Junii excitato *Godschalcum* Regem suum cum *Eppone* Presbytero & multis aliis piis & sancti ordinis viris *Leontii* occidunt; *Epponem* ipsum super altari immolant; *Anselverum* monachum Raceburgi ipsis Idibus Julii lapidant; summa immanitate per regionem Mechlenburgicam grassantur: Joannem Episcopum Mechlenburgensem ferro jam confectum triumpho servant; Hunc igitur summo ludibrio per singulas Slavorum urbes tractum, manibus tandem & pedibus truncatum IV. Idus Novembr. in urbe *Rhetra* ad *Penim* fluvium mactant, corpus minutatim concisum abjiciunt, caput conto præfixum & in summam contumeliam circumlatum Radegasto idolo immolant. *Godschalci* interemti uxorem Syritham, Daniæ Regis filiam, ex qva ille *Henricum* filium susceperat, nudam *Mechlenburgi*, in qva urbe maritus ejus tres ædes sacras erexerat, virgis cædunt, & in ceteras Christianas matronas insignem petulantiam exercent. 1066.

Postea Slavi *Travam* transgressi in *Holsatia* & *Stormaria* nihil ad summam crudelitatem reliqvi fecerunt, idqve propterea, qvod *Godschalcus* Regulus Lubecæ in Wagria sæpe commoratus fuisset: Slesvicum urbem opulentam exscindunt, *Hamburgum* cum arce, a *Bernhardo* Duce ad Alstriam olim condita, diruunt: cruces in templis in Servatoris contumeliam truncant, & omnes ad paganismum relabuntur occisis etiam ipsis gentilibus suis, qvi deficere a fide Christiana noluissent. Ab hoc tempore Ecclesia Aldenburgensis LXXXIV. annos episcopo caruit. Et jam qvidem tertia vice Slavi a Christiana fide defecerunt, ad qvam primum a *Carolo Magno*, deinde ab *Ottone Magno* & tertio a *Godschalco* adducti fuerunt.

Critone secundo Lubecæ terris Domino.

§. 22. *Godschalci* filii *Butbue* & *Henricus*, ille qvidem ex *Symbulla* Vandalica *uxore*, hic ex Regis Danici filia susceptus patris pietatem secuti, religionem Christianam summo studio amplectebantur. *Butbue* etiam natu maximus paternum Principatum apud *Wagrios* & *Obotritos* suscipiebat. Sed *Godschalci* necem egregie assertum iri rebantur, & ultionem paternæ cædis a filiis metuentes, populo contra eosdem concitato *Critonem* (Cruconem aliis dictum) *Lutetiorum* principem, *Grimi* filium, & *Suantalon* Pomeranorum Ducis generum, (nam filiam ejus *Slavinam* uxorem habebat) crudelis ingenii virum & fidei Christianæ hostem infensissimum, ex *Rugia* evocatum, Principem constituunt. Tum Henricus qvidem, qvod Danica matre natus esset, ad Danos profugit, *Butbue* vero *Bardovicum* ad *Ordolphum* Saxoniæ Principem, propter fidem a Patre *Godschalco* Saxonibus sancte semper servatam, opem illorum in adversis implorans, se contulit (d). Ab Ordolpho reductus qvidem ad suos est: Sed qvod patre Christiano natus, ipse qvoqve Christianus esset, & inter Saxones fideles socios haberet, patriæ proditor ab iis judicatus aliqvandiu ægre apud eos toleratur, verum ad Principatum admissus non est. Denuo igitur ab illis pulsus ad *Magnum* qvintum Saxoniæ inferioris ex Billingiana familia Ducem confugit, ejusdemqve ope implorata, auxilia Bardovicensium & Nordalbingorum obtinet. Descendit cum sexcentis e Bardovico, assumtis Ducis militibus. Cum his arcem *Plænensem* ingreditur; Sed anteqvam Nord-Albingi Saxones adventarent, a Critone numeroso exercitu obsessus, & exploratoris perfidia hostibus proditus, cum omnibus militibus se dedere coactus, scelerate occisus est.

(d) Albert. Stad. *f. 131.* Kranz. Vand. III. *5. & 6. V. 33. Chron. latin. MS. I. 20.* Danckvverth *topogr. Holsat. p. 202.*

Post *Butbuen* peremptum Crito *Lubecæ*, *Wagriorum*, *Obotritorum* & *Rugianorum* Dominus factus, etiam *Holsatos*, *Stormaros* & *Dithmarsos* vectigales sibi fecit & multa insolentissime patravit. *Hamburgum* Anno 1072. bis diripuit & ultra annos XII. gravissima Christianos persecutione afflixit, ut plures qvam sexcentæ familiæ solum verterent & novas sedes ad *silvam Hirciniam* qværerent. 1072.

Crito hic *Magnum* Saxoniæ Ducem perpetuis exercebat bellis. Graviora enim erant tributa, qvæ Dux avarus Slavis imponebat, qvam qvæ ipsi se ferre posse putarent. Hi ergo centies mori præoptantes, qvam ut illa vectigalia onera cum Christiana religione susciperent, truculentissimum virum etiam, ad oppugnandum Ducem & ad persequendum *Christianos*, qvibus possunt modis, animant. Factum inde est, ut donec supereresset Crito, Wagri & Obotriti in cœcis gentilium tenebris persisterent (e):

(e) Herman. Schedel. *de Lubeca.* Helmold. *p. 29.* Marescholc. *annal. II. 32.* deflorat. V. *Chronicon latin. MS. libr. I. c. 11. & 13.* Kranz. Vand. III. *18. & 19.* Saxon. V. *28.* VI. *10.* Metrop. VI. *4. 5. 34. & 45.* ex eo Kock

de Westphalen Monum. in ed. Rer. Germ.

VI. 4. Joh. Peterſen *Chron. Holſat.* Chron. Kerck. *f.* 17. Mich. Henckelman. *oratione de Lubeca 1602. habita.*

Lubecæ novæ primordia.

§. 23. *Henricus* interim Danorum auxiliis fretus, terras Critonis ita crebris infeſtabat incurſionibus, ut ille in Lubeca veteri ſubſiſtere amplius non auderet; ſed arcem & urbem intra *Travam* & *Wackeniſſam* fluvios in loco, cui *Bute* Vandalica lingva tum nomen

1104. erat, An. 1104. exſtruere inciperet, ubi poſtea *Lubeca nova* condita eſt. Ejusdem loci opportunitatem jam olim Dux qvidam *Cimber*, qvi *Vickbodus Vitigo* dictus fuit, obſervaſſe & novæ urbis fundamenta jeciſſe ſcribitur. Verum placuit divino Numini, cujus auſpicio regna & urbes ſurgunt, ut neqve Cimber, neqve Crito Chriſtiani nominis hoſtis opus cœptum perficeret; ſed *Schaumburgicus* ille Heros *Adolfus* religionis Chriſtianæ propagandæ Princeps ſtudioſiſſimus, ut ſuo loco narrabimus: bellorum enim tempeſtatibus non perfectum eſt, qvicqvid vel a Cimbro vel a Rugiano illo Critone ſtrui cœptum eſt. Qvod autem Henricus non ceſſaret, Critonis terras Wagriam inprimis & Aldenburgum oppidum invadere & prædas inde agere, multos etiam Wagriorum & Obotritorum, præcipue vero propinqvos ſuos literis ſcriptis ſibi conciliare atqve ad partes ſuas adjungere; Crito cum

1100. ipſo, qvanqvam inſidioſe pacificatus eſt, admiſſo ipſo in regni partem, conviviis etiam crebris adhibito, revera autem id agens, ut eum fraude illectum & aliqvando bene po-

Crito occiſus. tum e medio tolleret. Qvas inſidias ut tandem Henricus vitaret, inſtinctu ipſius uxoris Slavinæ convivio eum excipit. Exeunti in cœnaculo temulento & incurvo ſeni Danus qvispiam ſecuri uno ictu caput amputat. Hic

1105. exitus Critonis fuit immanis tyranni, qvi ultra annos XII. atrociſſimam in Chriſtianos perſecutionem exercuit; Henricus vidua Critonis matrimonio ſibi juncta toto Principatu potitus eſt. Cædes in arce Plœnenſi peracta eſſe ſcribitur.

Henricus III. Lubecæ veteris Dominus.

§. 24. Facta tamen terrarum diviſione Henricus Wagriam & Mechlenburgum retinuit, tam Holſatos, qvam Stormaros & Dithmarſos fœdere ſibi junxit. Raci, Critonis ſive filio ſive cognato, Rugiam & Wolgaſtum conceſſit, qvi Raceburgo a ſe condito nomen dedit.

Henricus Lubecam veterem & Swartou amnem, qva Crito neglecta, ut diximus, aliam condere ceperat, iterum incoluit, firmavit atqve amplificavit. Cum Magno Saxoniæ Duce conſobrino ſuo (filiabus enim Daniæ Regis geniti erant) amicitia inita, & cum Nord-Albingis, uti jam commemoravimus, fœdere icto terram latronibus purgavit, & Chriſtianam religionem, a Critone his in locis tantum non exſtirpatam, excitare iterum atqve reducere in terras ſuas ſummo opere ſtuduit. (f).

(f) Morck. & Joh. Ruf. Helmold. *p.* 30. *Chron. lat. MS. l.* 14. Kranz. Vandal. *III.* 20. Metrop. *VI.* 4.

Lubecam veterem, qvæ a *Godſchalco* Bute dicta fuerat, ipſe Luconiorum coloniam magnam vocavit. (g)

(g) *Mareſchalcus l. c.*

Id vero Sclavos *orientales*, *Pomeranos*, *Brizanos* & *Havelanos*, præcipue vero eos, qvi e *Critonis* familia erant, male habebat, actum ſcilicet de religione & libertate ſua dicentes, ſi illud tacite permittant, veritos etiam vindictam necis paternæ, ſi Henricus viribus auctis potentiam conſeqvatur. Ergo in illum numeroſum educunt exercitum: Ipſe contra, qvantum poteſt, armatos ex Lubecenſibus, Holſatis, Stormaris & Dithmarſis collegit; aſſumtis etiam auxiliis a Magno Duce imiſſis, hoſtibus in Raceburgenſium agro in campo Smilow occurrit. Pugna atrox editur: Henricus aliqvot millibus hoſtium cæſis victor domum redit (h).

(h) Helmold. *l.* 35. *p.* 30. Mork. *in MS. cod. p.* 34. *a.* Joh. Ruf. *f. 1. b.* Mareſch. *II.* 34. Kranz. Vand. III. 20. Micræl. *p.* 204. Chron. Frank. *p. 1.*

Ex hoc tempore Sclavi Henrico Lubecæ Domino vectigales redditi ſunt.

Lubecæ templum Chriſtianis inter Slavos ſervatum.

Cum æterna civum Lubecæ veteris laude conjunctum eſt, qvod cum hoc tempore toto illo Slaviæ tractu, qvem Wagrii, Obotriti & Kiſſini longe lateqve tenebant, nullum templum Chriſtianæ religionis amplius ſtaret: Lubecæ tamen, qvanqvam in medio Wagrorum & Obotritorum ſita eſſet, Templum contra tot barbarorum incurſiones, & tam ſævas Critonis perſecutiones ſartum tectum ſemper conſervatum fuerit (i). Templis enim omnibus non in Nord-Albingia ſolum, ſed vel inprimis in Slavia per ſeditioſos illos tumultus, qvi annis ſuperioribus, præſertim cIↃLXVI. excitati a Slavis erant, dejectis & concrematis, in Slavia unum hoc Lubecenſe templum non ſine ſingulari ſupremi Numinis gratia impias illorum manus effugerat (k). Cum enim Henricus Princeps ipſe religioni Chriſtianæ addictus eſſet & in Lubeca veteri arcem haberet, in qva cum aulico ſuo comitatu plurimum ſubſiſtebat, templum etiam hoc contra Slavorum furorem, qvanqvam non ſine ſummo ſuo & civium periculo tuebatur, & ſacerdotibus conſtitutis cultum divinum in eo peragendum curabat. Qvanqvam autem Henricus Princeps, poſt victoriam Smilovienſem templa iterum per Nord-Albingiam ædificabat, tamen tanta Slavorum erat pervicacia tantumqve Chriſtiani nominis odium, ut religioſiſſimo Principi ne nunc qvidem templa per terras ſuas condere permitterent. Nam cum poſt XX. annos Vicelinus primum Lubecam perveniret, nondum ullum præter illud, qvod Lu-

Lubecæ erat templum, in Slavia extabat (l).

(i) *E regione urbis trans flumen in monte ad arcem situm templum fuit.* Albertus Stad. *ad ann. 1133. fol. 158. At ultra* Travam, *ut sentit* Kranz. *Sax. V. c. 29. & VI. c. 3. an vero ultra vicum* Swartow *haud facile dixerim, cum neqve arcis neqve templi ulla vestigia ne minima qvidem supersint.*

(k) Helmold. *p. 30.* Ruf. *A. 1106.* Morck. *Chron. Slavor. c. 15.* Kranz. *Vandal. III. 20.* Metrop. *VI. 4. & 11.*

(l) *Templa multa alia in* Slavia *superioribus temporibus, in primis* Ottonis M. *& postea regnante* Godschalco *condita fuisse, clare adserit* Helmoldus *libr. I. c. 12. & narravimus nos ad Ann. 960. 970. Destructa igitur illa a* Slavis *a fide deficientibus fuere, ne putemus, præter* Lubecense *templum nullum antea in* Slavia *fuisse.*

Circa initium Principatus Henrici, *Magnus* Saxoniæ inferioris Dux ultimus ex *Billingiana* familia moritur. Ducatus autem Lothario Comiti *Supplinburgensi*, ab Henrico V. Imp. confertur. Ita *Henricus* cum *Slavis* suis, qvibus præerat, *Lotharium* Ducem Dominum accepit (m).

(m) Mork. Herman. de Lerbecke *p. 8.* Krantz. *Saxon. V. 25.* Metrop. *VI. 5.*

Slavi *Brizani* latrociniis adsveti, prædas ex *Stormaria* non procul *Hamburgo* agebant. Godofridus, qvem Magnus *Saxoniæ* Dux Comitem *Holsatiæ* & *Stormariæ* post *Ottonis* fratris sui mortem fecerat, dum ipsos insequitur, ab illis per insidias interimitur. Comitatus eodem anno a Lothario jam Saxoniæ Duce, post Imperatore, Adolpho *Schaumburgensi* tributus est. Hic Comes magnam cum Henrico Principe non sine insigni ecclesiæ emolumento amicitiam coluit (n).

(n) Helmold. *I. 35. p. 31. & 37.* Mork. Hermann. de Lerbeke chron. Schaumb. *p. 8.* Jo. Ruff. *ao. 1106.* Krantz. Sax. *V. 26.* Vand. *III. 21.* Metrop. *VI. 5.* chron. Lat. MS. *I. 14.*

§. 24. Erat Lubeca vetus Principum *Slavorum* regia & propugnaculum, ex qvo illi varia bella gesserunt (o) nec non emporium nobile, qvod a multis mercatoribus illuc confluentibus & partim ibi negotiantibus, partim etiam sedem fortunarum suarum collocantibus, tempore Henrici freqventatum est. Ægerrime hoc ferebant ceteræ urbes maritimæ, *Julinum*, *Deminum*, *Wolgastum* & aliæ; inprimis autem *Rugiani* & *Critonis* propinqvi. Nam hi vel dominandi libidine, vel ut *Critonis* gentilis sui cædem vindicarent, vel qvod *Lubecæ* incrementis res suas minui putarent, vel qvod *Henricum* Regulum Saxonum socerum & Christianum esse, iniqvissimo animo ferrent, vel deniqve qvod *Lubecæ* eum commorari scirent, iteratis expeditionibus Lubecam terra mariqve adorti sunt, arcemqve a Critone olim conditam & munimenta novæ Lubecæ excitata disturbarunt, ne illa *Henricus* absolvere atqve ex eisdem tueri terras suas posset. Cumqve ingressi magna classe *Travam Race* Duce gravi obsidione etiam Lubecam veterem cingerent, Henricus, urbe & arce militiæ suæ magistro viro fortissimo commendatis, noctu cum duobus comitibus elapsus Adolfo Holsatiæ Comite in auxilium evocato ipsis calendis Augusti ex improviso iterum adest. Exspectabant *Rugiani* eodem tempore suorum auxiliares copias: Id cum forte per exploratores innotuisset, Henricus cum suis eadem via ab ostio *Travæ* procedit, qva *Rugiani*, qvi subsidio mittebantur, venturi putabantur. Qvi ergo in castris hærebant, suos milites se conspicari rati, castris effusi, ut erant inermes & palantes iis occurrunt, suos qvisqve cum gaudio excepturi. In incautos Henricus & prope agminibus suorum militum concluso subito arma expedit. Magna tunc apud arcem *Lubecensem* in *Rugianos* edita strages est. Qvi cædi superfuerunt, ad naves confugerunt; Qvorum tamen magna pars aqvis mersa & ita totus pene exercitus hostilis fusus est (p).

(o) Helmold. *p. 31.* Krantz. Vand. *II. 22.*

(p) Helmold. *p. 31.* Jo. Ruf. *ad ann. 1106.* Mork. Chron. Slavor. *c. 15.* Maresch. *I. 34.* deflorat. *libr. V. p.* esse refert ad *Ann. 1109.* Eodem ref. Chron. *Ann. 1158.* Krantz. Vand. *III. 22. Chron. lat. MS. I. 14. Chron.* Kerckr. *f. 6. & 22.* Micræl. *p. 205.*

Sancit pius Princeps, ut dies ille qvotannis apud *Lubecenses* sanctus habeatur. Occisorum corpora tanto numero per campos strata jacebant, ut ingenti fossa facta illa tumularet; unde editior locus in formam collis exsurgens, in monumentum victoriæ Ranberg, i. e. Ranorum seu Rugianorum mons sive tumulus longo post tempore dictus est (q).

(q) *Ante urbis portam* Maresch. H. Rheb. *p. 13. & 29.* Helmold. *libr. I. c. 36. p. 91.*

Hac victoria Henricus *Rugianorum, Wagriorum, Polaborum, Obotritorum, Kissinorum, Circipanorum, Lutitiorum, Pomeranorum* omniumqve *Slavorum* ab *Albi* usqve ad *Poloniam* Rex factus est. *Brizani* qvidem & Stoderani jugum ejus excutere tentarunt: Sed ipse contractis Nord-Albingiæ copiis Havelbergam obsedit, ad deditionem eos compulit & acceptis obsidibus imperata facere coëgit (r). Fitqve Rex Slavorum cet.

(r) Helmold. *p. 32.* Mork. Kranz. *Vandal. III. 23.*

Crebris his Henrici victoriis & civium commerciis, qvæ terra mariqve exercebant, civitas circa annum 1117. civibus & opibus insigniter aucta scribitur. 1117.

§. 26. Qvanqvam autem summa Principis in Christiana religione in terras suas introVicelinus Lubecam venit.

troducenda esset assiduitas & labor; parum tamen propter extremam *Sclavorum* pertinaciam hactenus in tam bene proposito profecerat. Ex qvo enim Slavi occiso *Godschalco* ad pagnanismum relapsi erant, omnia iterum fœdissimæ idololatriæ immersa fuerunt. Nulla templa apud eos, nulli sacerdotes Christiani, nisi apud solam *Lubecam veterem* superarant (s). Hic templum unum reliqvum erat, in qvo pius Princeps sacrorum administrationem sacri ordinis viris committebat. Hic igitur ipse libenter versari, hic cultui divino vacare; hic Slavis ad fidem convertendis operam dare solebat. Civitatis incolæ Principis sui exemplum secuti Christianam religionem & ejus sacerdotes summo favore complectebantur, ut vel ex solo Vicelini doctoris exemplo liqvet.

(s) Herman. Lerbeck. *p. 8.* Albert. Stadens. *f. 15.*

(t) Helmold. *p. 37.* Kranz. *Saxon. V. 29.* Metrop. *VI. 11.*

Hic sub Friderico Archiepiscopo Bremensi ludimagistrum egerat (u): Inde post annos aliqvot in Galliam delatus Anshelmum toto triennio docentem audiverat. Reversus & a Nortberdo Archiepiscopo Magdeburgensi sacerdotis dignitate ornatus, cum de Henrici Principis in extirpanda gentis suæ idololatria studio inaudivisset, Adalberonem Archiepiscopum Hamburgensem seu Bremensem adit, ab eoqve se ad Slavos convertendos mitti petit (u). Accepta potestate & assumtis Presbyteris Rodolpho Hildesheimensi & Ludolpho Verdensi Canonico Henricum Regulum Lubecæ convenit, ab eodemqve haud ægre (ut erat vir religionis Christianæ amantissimus,) facultatem prædicandi Evangelii per provincias ipsius obtinet. Magno in pretio viros Princeps habuit ipsisqve templum illud, qvod diximus, permisit, ut inibi contra Slavorum insidias & vim tuti consisterent. Magna erat virorum in religione Christiana docenda industria atqve assiduitas. Ex templo hoc qvotidie ipsi in Slavorum terras excurrentes, plurimos ex ista gente Christo adducebant, Principe ipso, cujus ætas jam in senium vergebat, pro viribus annitente, ut vetere idololatria abolita Christianis sacris mentes suorum imbuerentur. (x)

(u) Albert. Stad. *f. 157.* b. Helmold. *p. 39. I. penult. MS. fol. 44.* Hermann. de Lerb. *p. 9.* Diploma *Adalberonis* vide in Diplomatario Bordisholmensi. *Adde* Staphorst. *Hist. Eccl. Hamb. P. I. p. 536. 539.*

(x) Helmold. *p. 40.* Chron. Slavor. *c. 16.* Reim. Kock. Kranz. *Metrop. VI. 4. & 13.*

Non parum adjumenti piis Henrici studiis a Lotharii Romani Imp. autoritate & potentia accedebat. Hoc enim ad gubernacula Imperii admoto non modo per universam Saxoniam & Germaniam nova lux oriri cœpit; sed & *Slavorum* populi in Wagria & in Obotritorum terra, abjecta rebellandi libidine, qvievere *Lotharii* potentiam reveriti & exemplum Henrici Principis sui omnium optimi secuti. Hic etiam Adolphum Holsatiæ Comitem multis amicitiæ muneribus colebat singulariqve benevolentia complectebatur.

Vicelinus & socii ejus læti tanta Reguli & Lubecensium liberalitate & adjuvandi promptitudine domum remeant rem domesticam disposituri. Sed cum in eo essent, ut itineri ad Slavos se iterum accingerent, ecce nuntius tristissimus de Henrici Principis morte derepente allatus moram piis Vicelini studiis injicit. (y)

(y) *Gesta circa annum 1125. Qvod autem* Historia Archi-Episcoporum Bremensium *p. 100.* Vicelinum *anno 1133.* Lubecam *appulisse affirmat, id aut de reditu* Vicelini *in* Holsatiam, *de qvo paulo post dicemus, intelligendum aut ἀνιςορησίαν esse putamus.*

§. 26. Sed ad Henrici Principis res gestas, a qvibus narratio de *Vicelino* nos paulum abduxit, revertamur, audiamusqve qvæ bella contra Danos gesserit: eadem enim opera, qva ratione Principatus post eum ad Kanutum Danum pervenerit, intelligemus. Henrici adversus nos

Ericus bonus Daniæ Rex iter *Hierosolymitanum* ingressus, regnum & *Canutum* filium impuberem in fidem Nicolai fratris commiserat. Cum Ericum redeuntem in itinere cum conjuge fata sustulissent, Nicolaus regnum detinuerat, & Ann. 1107. regnare cœperat. Nicolai filius *Magnus* & Erici filius Kanutus in aula una educati aliqvandiu sunt. Kanutus ubi adoleviſſet, insidias Nicolai patrui metuens ad Lotharium Saxoniæ Ducem confugit. Nicolaus Rex etiam Henrico Lubecæ veteris domino fororis suæ filio patrimonium debitum denegabat. Henricus ad injuriam ulciscendam multis copiis Ducatum Slesvicensem invadit (z). Rex ultionem parans navali exercitu *Travam* ingressus copias Lubecæ veteri admovet, eamqve expugnat. Inde eqves ipsius *Wagriam* omnem prædabundus pervagatur. Hos Henricus ex insidiis adortus multis cæsis in montem confugere compulit. Postero die denuo pugnam conserere ausos majori clade affecit. Reliqvi ad naves fugientes maximam partem ab insequente hoste paludibus & *Trava* amne mersi sunt. Henricus victoria hac potentior factus adjunctis sibi Holsatis, Stormaris & Dithmarsis crebro ex Ducatu Slesvicensi & Jutia prædas egit & loca ea ita infesta reddidit, ut nemo esset, qvi præfecturam eorum suscipere deinde vellet.

(z) Ruff. *ad ann. 1157.* Albertus Stad. *f. 158. a.* Helmold. *p. 41. Chron. lat. MS. I. 15.* Kranz. Vand. III. 27. *vide inprimis* Pontanum *libr. V. p. 207.* & Svaningium.

§. 27.

§. 27. Kanutus interim ex Lotharii aula domum reversus, & a patruo Ducatui Slesvicensi præfectus est. Qvanqvam Kanutus & Henricus consobrini essent, Henricus tamen non destitit *Jutiam* bello infestare & cum Kanuto sæpe prælio congredi. Ita alter alterius terras crebro depopulatus est. Inter qvæ factum aliqvando est, ut Kanutus *Henricum* insequens ita ipsum urgeret, ut in præsidium suum *Lubecam veterem* fugere necesse haberet & vix ejus impetum sustineret. Postremo amico colloqvio, in qvo osculum utrinqve delibatum est perpetuum amicitiæ pignus, finem bello his conditionibus imposuere. (a) *Ut* Kanutus Henrico *summam certam pecuniæ probæreditaria portione penderet* & Henricus *omni jure in* Daniæ *provincias renuntiaret.* Ex qvo tam firma pax & arcta amicitia subsecuta est, ut alter alterum in germani fratris loco usqve ad utriusqve mortem haberet, & Henricus Kanutum, Kanuti & Zwentepolchi filiorum suorum tutorem & provinciarum administratorem, si qvid humanitas sibi accidisset, consensu & auctoritate Lotharii tum Ducis, post Imperatoris (b) constitueret.

(a) Kranz. *Vand. III. 28.* Metrop. *VI. 14.* Petersen *in chron. Holsat. p. 33. m. 128.*

(b) Lotharius, *ut Dux, potuit tutelam confirmare, qvia Dux* Saxonibus & Slavis *præerat.* Lotharius *enim A. 1125. demum Imperator factus est.*

Ægre id oneris imponi sibi Kanutus passus est, grave esse dicens, veros successores, etiam sangvine sibi junctos, non statim ad hæreditatem paternam admittere, nec illos qvieturos, nec primates regni æqvo animo alienigenæ Domini imperium passuros. Sed Henrici precibus victus, qvi jam grandis natu, filiorum suorum prævidebat inertiam & de imperio paterno contentionem; suscepturum se provinciarum illius administrationem promisit, donec filiis ad imperium maturis tradere eam cum consensu Imperatoris posset.

Henricus igitur filiis & terris suis, fidei & tutelæ Kanuti commissis non diu superstes fuit, sed paulo post rebus humanis excessit; qvi fortior an felicior fuerit, merito dubites. Certe si Critonis tyranni cædem excipias, omnes justi & probi Principis partes implevit. (c)

(c) Marescalc. *II. 34. scribit ipsum 1096. obiisse.* Kranz. Vand. III. *82. habet annum 1122. In utroqve errorem chronologicum esse oportet; siqvidem verum est,* Vicelinum *An. 1125. ad* Henricum *Lubecam appulisse, qvod tot MSS. Codicum fide constat.*

Hic temporibus evenit, ut Adalberoni *Bremensium* Archiepiscopo iter in *Holsatiam* esset. *Meldorpium* delatus in conventu procerum illius loci ab *Holsatis* rogatus est, ut *Vicelinum* Presbyterum, cujus jam diu vitæ integritas & in prædicando Evangelio incredibilis labor cognitus sibi atqve perspectus esset, ipsis concederet, cujus opera *Holsati* in religione susceptа magis atqve magis confirmarentur: vicini autem *Wagrii* ab idolorum cultu liberarentur. Dat locum Præsul piis precibus & Vicelinum Falderæ (qvæ postea Novum Monasterium dicta est,) Presbyterum facit. Tunc illius & sacrorum in veri Dei cultu, inter *Holsatos* & *Wagrios* suscitando & propagando per multos annos eximia enituit pietas atqve industria. (d)

(d) Chron. Ruffi Helmold. *pag. 40.* Kranz. *Saxon. V. 29.* Metrop. *VI. 13.* Albert. Stadens. *f. 157.* b.

Qvatuor *Henrico* filii fuerant: *Mistivojus* maximus natu avi nomen referens, acer & impiger juvenis, qvi patre *Havelbergam* olim obsidente clam parva cum manu egressus irruptione in *Slavos*, qvi *Ligones* dicebantur, facta insignem de iis victoriam obtinuit.

Proximus natu *Waldemarus* Rugianis devictis Procurator datus, ab iis, cum tributa exigeret, interfectus est.

Zventepolchus & Kanutus post fata patris soli superstites mansere. (e)

(e) Kranz. *Vand. III. 23 29.*

Horum nomine Kanutus *Lubecæ, Wagriæ, & Obotritorum* imperium suscepit. Re bus omnibus per has terras recte dispositis Lotharium jam Imperatorem *Bardevvici* tunc hærentem, adit (in cujus aula Nicolai patrui sævitiam fugiens adolescens aliqvandiu versatus fuerat) provinciarum ejus fidei commissarum statum expositurus, deqve iisdem deinceps administrandis cum illo deliberaturus. Kanutus Rex Obotritorum constitutus. 1126.

Lotharius virum regiis natalibus & virtute clarissimum, terris etiam præpotentem, Regem Obotritorum facit (f), splendide etiam auctum Romanum imperium videbatur, si Regibus, qvos sibi adjunxisset, imperaret. Nam & *Ottonis II.* virtute *Polonorum*, & *Henrici IV.* industria *Bohemorum* regna accesserant. Magnam ea res *Kanuto* apud *Nicolaum* & *Magnum* creavit invidiam. Ipse interim nullam partem optimi Principis in ditionibus suis administrandis omittens, frequenter easdem obibat & summa fide curabat, ut illas legitimis hæredibus aliqvando non deteriores restitueret.

(f) Kranz. *Vandal. III. 29. & 30.* Ruff. *in chron.*

Illi interim maturi imperio facti, dum Kanutus in Ducatu Slesvicensi variis negotiis detinetur, gubernationem rerum per principatus suos capessunt.

Religiosissimi Principis filii, qvod religionis essent contemtores, *Vicelino* & sociis suis templum, qvod pater ei concesserat, iterum

claudunt. Nec tamen ideo *Vicelinus* & collegæ in *Holsatis* docendis segniores fuere, sed cœnobio *Faldere* condito nHolsatiam & *Wagriam* exiverunt & plurimos Christo adduxerunt (g).

(g) Petersen *t. 2. in Chron. Holsat. p. 34.*

Kanutus interim & Zventepolchus imprudentes & temerarii juvenes per absentiam Kanuti inter se digladiantes motu intestino turbare *Nord-Albingiam* cœpere.

Zventepolchus natu major sibi soli usurpare imperium cogitans, Kanuto, qvo poterat pacto, incommodabat: tandemqve Holsatorum ope in Plœnensi arce eum obsidebat. Kanutus exposita obsidentibus innocentia sua, ista qvidem vice liberatus est: at non diu post in oppido *Lutgenburgo* obtruncatus putabatur a multis, cædem non sine fratris consilio peractam (h).

(h) Helmold. *p. 41.* Chron. Ruffi. Chron. *Slavor. c. 15.* Maresch alc. *II. 35.* Kranz. *Vandal. III. 31.* Saxon. *V. 29.*

Sventepolchus qvintus Lubecæ veteris Dominus.

§. 28. Jam *Zventepolchus* solus permissu Kanuti tutoris Lubecæ Dominus, sublato æmulo fratre, bello statim contra Obotritos & Kissinos implicatus fuit. Hi Kanuti imperium, cui fidem dederant, *Zventepolchi* dominio præferentes, jussa amplius facere detrectabant: Cum tamen Kanutus in eas terras hactenus imperium usurpasset, non animo istas a legitimis Dominis transferendi, sed eas contra hostes tuendi & hæredibus suo tempore optima fide restituendi; *Zventepolchus*, *Adolpho* Comite, in societatem belli vocato, cum Holsatis & Stormaris primum *Werlam* seu *Herulam* Obotritorum, deinde Kissinum Kissinorum urbem, hebdomadibus qvinqve obsessam expugnat & victor *Lubecam* redit (i).

(i) Maresch alc. *II. 35.* Albert. Stad. *fol. 157.* Kranz. *loc. cit. metrop VI. 14.*

religionis Christ. successus.

Zventepolchus, cum *Obotritos* & *Kisinos* rebelles ope *Adolphi I.* Comitis domuisset, æqvior inde christianis factus, *Vicelino* iterum inter *Wagrios* Evangelii prædicandi potestatem fecit. Prosperis tunc *Vicelinus* & magnis in convertendis *Wagriis* utebatur successibus. Id cum pererebuisset, adjungunt se ei *Ludolphus*, *Eppo*, *Lutmundus* & *Volqvardus* sacerdotes. Qvorum Ludolphum & Volqvardum *Lubecam* misit: ipse cum ceteris *Falderæ* domicilio fixo *Holsatos* & *Wagrios* docuit. Qvos *Lubecam* ablegaverat, a civibus religionis divinæ amore flagrantibus comiter excepti & a Zventepolcho in templo, qvod in colle e regione urbis trans flumen situm erat, tanqvam in tuta statione collocati, summa industria doctrinam cœlestem Lubecæ *urbis* incolis & finitimis annuntiarunt. (k)

(k) Helmold. *p. 41.* Kranz. *Vandal. III. 32.* Saxon. *VI. 3.* Maresch alc. *II. 35.*

Zventepolcho imperante *Rugiani Godeschalci* Principis familiæ hostes infensissimi, multis copiis Lubecam urbem, tunc navibus nullis instructam, & arcem adorti expugnarunt & utramqve demoliti sunt. Sacerdotes relicto templo in vicinum nemus confugerunt, & inde fuga *Falderam* ad *Vicelinum* se contulerunt (l).

(l) Helmold. *I. c.* Krantz. *Vand. III. 39.* Chron. Ruff. Albert Stad. *f. 158. a.* Krantz. *Metrop. VI. 14.* Chr. Mork. *circa ann. 1125. factum esse dicit.*

§. 29. Zventepolchus non longe post a *Dasone* qvodam *Holsato* interemtus est.

Sveno sex Lubecæ veteris Domi-

Successit filius Sveno, qvi & *Svinico* dicitur, in principatum ad breve tempus. Nam in ipso non ita diu post *Erthneburgi* occiso, *Henrici* nobilissimi Principis stirps omnino desiit (m).

(m) Helmold. *libr. I. c. 48.* Krantz. *Vand. III. 32.* Chron. Ruff.

Kanutus I nus, septi Lubecæ v ris. Dominus qve Vand rum dicti

§. 30. Jam totus Principatus ad Kanutum Danum, morum probitate & fortitudine clarissimum virum, ab Imp. *Lothario*, in cujus aula adolescens diu hæserat, præcipuo qvodam honore cultum & regio diademate ornatum devolvitur. Qvi titulum *Vandalorum Regis*, posteris peperit, & *Lubecæ*, *Wagriæ* & *Obotritorum* Dominus factus est (n).

(n) Alb. Stadens. *f. 158. b.* Krantz. *Vand. III. 30. 32. 36.* Saxon. *VI. 2.* Maresch alcus ait, *accepisse eum Principatum A. 1135. Alia causa tituli est* ap Krantz. *Vand. VI. 24.*

Potitus imperio revocat *Ludolphum* & *Volquardum* Lubecam, & docendi munus pristinum eisdem committit.

Supererant autem duo *Slavici* sangvinis Principes; alter Pribislaus *Henrici* patruelis *Buthue* filius, & Nicolotus, major terræ appellatus, qvem *Pribislai* fratrem fuisse nonnulli prodidere (o) Ægerrime hi ferebant exterum Principem Wagriorum & Obotritorum usurpare imperium. Hi igitur facile sibi gentilium animos conciliant, & copiis illorum instructi pro avitis terris recuperandis *Kanuto* bellum faciunt. Ipse eos *Holsatorum* ope in prælio captos & *Slesvicum* ductos in vincula conjicit, donec omni suo juri in *Wagriorum* & *Obotritorum*, terras renuntiarent & obedienter imperata se facturos pollicerentur.

(o) Pribislaus *Henrici Bruder Sohn.* Ruff. Pribislaus & Nicolotus *Bute Regis filii.* Maresch alc. *II. 38.*

Kanutus *Lubecæ* cum aula sua subsistens urbem opibus augebat; templum, qvod ab *Hen-*

Henrico Principe aut extructum aut amplius factum olim erat, *Ludolpho* Presbytero & aliis religiosis viris præsentibus *Faldera* evocatis dedicabat. *Falderam* etiam crebro commeans *Vicelini* hospitio & amicitia usus est, sæpeqve pollicitus, pro virili se veri Dei cultum inter *Slavos* promoturum, si felici in illis subigendis successu uteretur (p). Qvos ut facilius perdomare posset, propugnaculum exstruendum sibi contra eos putabat, qvod monti *Segebergo*, tunc *Albergo* dicto, imponere cœpit (q)

egeberga arx xstructa.

(p) Chron. Ruff. *1126.* Helmold. *p. 42.* Krantz. *Vand. III. 33.* & Saxon. *VI. 3.*

(q) Joh. Ruff. *ann. 1126.* Albert. *Stadens. f. 158. b.*

1130. Sed o spes fallaces! Kanutus enim Ao. 1130. VII. Id. Januarii, a Magno *Nicolai* Regis filio, qvi *Sveciæ* regnum postea adeptus est, sub specie amici colloqvii ex itinere in *Daniam* revocatus, prope Ringstadium in in Sielandia interficitur (r).

anutus interficitur.

(r) Svaningii *chronolog. chron.* Mork. Joh. Ruff. Krantz. *Vandal. III. 34.* Metrop. *VI. 15. refert ad annum 1134.* Meibomius *contra in* Lerbek. *p. 48. ad ann. 1122.*

Etiam Adolphus I. Comes, ubi annos XXV. *Holsatiæ* præfuisset, vita excessit. Adolpho filio, viro docto & facundo *Lubecæ* novæ fundatore, in decus & splendorem nobilissimæ familiæ relicto. (s)

dolphus C. mo-

(s) Herm. de Lerbek. *p. 10.* Kranz. *Saxon. VI. 3.* Chron. Ruff. Traziger *in chron. Hamburg. pag. 35. Anno 1137. mortuum esse dicit* sed { accepit comitatum 1106, mortuus est 1131. } interfuit anni XXV.

Ericus, Kanuti frater, *Lotharium* Imp. ad cædis ultionem evocat. Hic Adolpho II. assumto *Slesvicum* usqve cum exercitu progreditur: at propter validum a *Nicolao* & *Magno* oppositum exercitum parum effectum est. (t)

(t) Chron. MS. Iat. *I. c. 18.* Herm. de Lerbek. *p. 10.* Mareschalc. *II. 37.* Joh. Ruff. Albert. Stad. *f. 159.* a. Kranz. *Vand. III. 36.* Saxon. *VI. 3.*

§. 31. Morte *Kanuti Pribislaus* & *Nicolotus* rerum potiti sunt. Hi cum ad provincias gubernandas accessissent, apud *Lubecenses* qvidem *Wagrios* & *Polabos* Pribislaus, apud *Obotritos* & *Kissinos Nicolotus* omnia vicissim fœdissimæ idololatriæ involverunt; qvod vanissimi homines opinarentur, priora mala se passos, qvia superiores Reguli Christianam religionem amplexi *Saxoniæque* Principum socii & amici fuissent. (u)

(u) Chron. Slav. *c. 18.* Joh. Ruff. & Albert. Stad. *l. c.* Kranz. *Vand. III. 37.* Saxon. *VI. 4.*

Idola eorum.

Aldenburgensium Numen *Prono* suo restituebatur loco, additis ei imaginibus suis, fluminibus, diebus festis, sacrificiis & cæteris solennitatibus; *Plœnenses* Podagam, *Polabi* Deam *Sivvam* (x), *Obotriti* Radegastum veteri ritu & superstitione colebant, *Rugiani* Svantevitum suum tanto venerationis cultu prosecuti sunt, ut singulis annis Christianum hominem immolarent: præter hos bonum aliqvem Deum, a qvo felices rerum successus essent, Belbochum i. e. *album & bonum Deum* dictum, & alium malum, a qvo dira immitterentur mortalibus, Zernebochum ab ipsis nuncupatum, venerati sunt.

(x) Chron. *Slavor. legit Prone.* MS. Helmoldi *f. 48.* b. *Sivvam & Sivve.* Helmold. *I. p. 68. & 43.* Adam. Brem. *p. 23.*

Pribislaus & *Nicolotus* rati nihil ad conciliandos & retinendos hominum animos esse potentius, qvam religionis opinionem, populo non antiqvo modo colendi, sed & novas superstitiones excogitandi summam faciebant licentiam.

Vicelinus occurrit.

Vicilinus, cujus in cultu divino apud *Lubecenses* & *Holsatos* conservando summa erat industria & pietas, actum de novella ecclesia videbat, nisi mature grassanti per Slaviam idololatriæ fortiter occurreretur. Ergo Lotharium Imp. Bardevici tunc hærentem adit, & exposito diligenter periculo, qvod religioni Christianæ in his partibus, nisi Imperator mature illud propellat, a Slavis immineret, consilium ei arcis intra Albim & Travam excitandæ suggerit, ex qva coërceri Slavorum ferocia posset, ut & religionem Christianam æqviori animo admittant & ad tributa pendenda cogi sine difficultate possint. (y).

(y) Albert. Stad *f. 160. a.* Herman. Lerbeck. *p. 11.* Kranz. *Saxon. VI. 4.* Metrop. *VI. 15.*

1134. Segebergam arcem Lotharius Imp. perficit,

Placet Imperatori religionis propagandæ studiosissimo consilium; descendit ipse in Holsatiam & loco lustrato arcem Segebergam, cujus fundamenta Kanutus Danus jam ante jecerat, condit, validoqve præsidio firmat. Ut autem & religionis rationem haberet, cujus gratia potissimum totum iter susceperat, cœnobium ibidem fundat, & ejus, ut & Lubecensis ecclesiæ, curam Vicelino denuo committit. Pribislao etiam ad se vocato in mandatis dat, abjecto seditionis & rebellionis studio deinceps pacem colat & Vicelino, qvibus modis possit, in Lubecensi & Segebergensi ecclesia augenda & confirmanda inserviat. (z).

ibidem cœnobium ut & Lubecæ.

(z) Helmold. *I. c. 54.* Lerbek. *p. 11.* Chron. Slavor. *C. 18. p. 211.* Kranz. Vand. III. *35. 38.* Jo. Ruff. & Mork. *referunt ad annum 1135.*

Cœnobium anno tertio post perfectum est. Tabula Imp. de fundatione cœnobii Segebergensis, qvod religioni in Wagria & Holsatia propagandæ pius Imperator novæ arci adjunxit, cum lucem aliqvam iis, qvæ de Vicelino Lubecensium Apostolo hactenus di-

cta nobis sunt, afferre possint, hic apponere illis placuit (a).

(a) Meibomius ad Herm. Lerbek. p. 49.

In nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, LOTHARIUS divinæ ordinationis clementia, Romanorum Imp. Augustus.

Notum esse volumus omnibus fidelibus tam præsentibus, qvam futuris, qvod nos pro persecutione paganorum in christianos castrum in Slavia *construximus, quod a modernis vocatur* Sigeburg, *ab antiqvis* Aelberg, *Et ante castrum fecimus ecclesiam in honorem* Dei *&* Virginis Mariæ *&* B. Joannis Evangelistæ *pro fide catholica ibi propaganda. Ordinationem vero supra totam ecclesiam commisimus fideli nostro fratri* Vicelino, *viro religioso & bonæ conversationis, cujus vitam in bonis operibus probatam cognovimus, suisqve successoribus, qvos sanior pars elegerit, fratrum ipsi servientium concedimus, pro remedio animæ nostræ & dilectæ conjugis nostræ* Righdem, *omnem terram, qvæ est in occidentali parte castri, usqve ad fluvium* Travene *ex utraqve parte viæ cum silva in meridionali plaga adjacente, cum sex pagis. Et ut hæc omnia rata & inconvulsa permaneant, impressione sigilli nostri signari præcepimus.*

Testes fuerunt, Adelbertus *Archiepiscopus Bremensis*, Tithmarus *Verdensis*; *Marchio*, Albertus Fridericus *Comes Palatinus*, Sigfridus *Comes de Hamburg*, Adolphus *Comes*, Conradus *Comes*, *Comes* Sigfridus *de Ertelenburg*; Bernhardus *Vice-Dominus*, Ludolphus de Waletigeroda, Ludolphus *Advocatus*, *Præpositus* Bernico, *Præpositus* Hardamannus, *Præpositus* Sudhardus, *ceteriqve plures, tam liberi, qvam ministri alii.* Data ab incarnatione Domini 1137. 16. Cal. Aprilis Anno vero regni nostri XII. imperii V. Actum Bardevvick in Christi nomine feliciter. Amen.

Pribislaus fit Christianus.

Pribislaus ipse tandem indefesso Vicelini studio ad Christi fidem conversus, relictis idolis baptismum, in qvo pro ipso Albertus Ursus Marchio fidejussit, non sine ecclesiæ insigni emolumento suscepit (b).

(b) Chron. MS. lat. *I, 20.*

Vicelini in promovenda religione studium.

Curas & cogitationes omnes in eo Vicelinus habebat defixas, ut in ecclesiis fidei suæ commissis multos Christo lucraretur. *Pribislao* igitur *Christianis* jam reconciliato amico usus est Lotharii Imp. virtute fretus, redintegrare Christianorum sacra destructis idolis enixus est, & viros doctos laborum & periculorum patientissimos conqvisivit. Ex qvibus *Ludolphum, Hermannum* & *Brunonem* Lubecæ *Lublmundum* & alios *Segebergi* sacerdotes constituit.

1134. Henricus perbus Sa

Lotharius Gertrudem filiam *Henrico Superbo Bavariæ* Duci uxorem & *Saxoniæ* Ducatum in dotem dedit. (c)

(c) Albert. Stad. *f. 160. a.* Kranz. Vand. III. *38.* Metrop. VI. *16.* Jo. Ruff. Kranz. *Saxon. VI. 1.* Herm. Lerbek. *p. 11. & 50.*

1138. hinc Albe Marchio

Conradus autem Imp. qvadriennio post Ducatum illum Alberto Marchioni contulit, qvod hic æqve Magni Saxoniæ Ducis nepos esset, ac ille; deinde qvod iniqvum videretur, *Henricum* duos simul Ducatus, eosqve amplissimos, imperio suo tenere. (d)

(d) Albert. Stad. *f. 150. b. & 160. 6.* Kranz. Vand. III. *38.* Saxon. V. *34.* VI. *8.*

Henricus anno seqventi *Albertum* pellit qvidem; sed tamen XIII. cal. Octobr. mœrore animi moritur. (e)

(e) Alb. Stad. Meibom. *in* Lerbeck. *p. 50.* Jo. Ruff. Kranz. *Saxon. VI. 10.*

1139. Adolphe fatiam re qventi su dit Henri Com. Bav

Adolphus *Holsatiæ* Comes, qvod fidem *Lothario* & hujus conjugi datam violare nollet & Bavari partes hactenus secutus esset, solum vertere ab *Alberto* coactus est. Comitatus autem de eo statim *Henrico* Comite de *Bajevvide* attributus est (f)

(f) Jo. Ruff. Lerbek. *p. 11.* Kranz. Vand. III. *38.* Chron. *MS. lat. I. 20.* Jo. Ruff. *ait:* Henricum de Balewide *fuisse ex familia de* Ottemunde, *qvæ nunc est Comitum* de Schwartzburg. *At Codex MS.* Helmoldi & Herm. de Lerbeke *pag. 11. vocant eum* Henr. de Bardewick.

Per *Adolphi* absentiam *Vicelini* piis conatibus non parva mora adjecta est.

Pribisla vadit H tiam.

Pribislaus in his turbis ex urbe *Lubeca* cum suis in *Holsatiam* eruptionem fecit, non animo qvidem religionem Christianam! delendi, nam hanc domi fovebat, sed aut odio tributorum, aut animo *Segebergum*, qvod *Lotharius* iis ademerat, recuperandi. Suburbia & *cœnobium* ibi *novum* demolitur, *Saxones* præsidiarios pellit, & multa supplicia Christianis infert. *Lubecenses* Sacerdotes, *Ludolphus* & hujus collegæ, hac vice qvidem extra periculi aleam constituti erant, nisi qvod qvotidie supplicia *Saxonum* Christianorum usurpare oculis non sine ingenti animi mœrore cogerentur. *Vicelini* autem laboribus insigne impedimentum hac irruptione allatum est. Cum igitur aliud non posset, precibus & lacrymis cum iis, qvos sacrorum laborum socios habebat, ecclesiam Deo commendabat (g).

(g) Jo. Ruff. Chron. Mork. Kranz. Vand. III. *39.* Sa-

39. Saxon. VI. 9. Metrop. VI. 16. Abert. Stad. f. 161. a.

Non ita diu poſt Race ex Critonis familia, *Pribislaum* Lubecæ oppugnaturus, cum magna armatorum manu ad oppugnandam Lubecam advenit. Duæ enim familiæ, altera *Critonis*, *Henrici* altera de principatu *Lubecæ* jam dudum bellis geſtis contenderant. Saluti *Pribislao* tum erat, qvod peregre abeſſet. Arcem ergo & reliqvias urbis *Rugiani* penitus demoliuntur. Ita funditus exciſa urbs eſt, qvæ hactenus ultra integrum ſeculum Principum *Henetorum* regia & propugnaculum nec non emporium ſatis celebre fuerat (h).

(h) Helmold. I. 56. Albert. Stad. f. 161. a. Mareſchalc. II. 38. defloral. I. 5. Chron. Slavor. c. 19. Kranz. Vand. III. 39. Saxon. VI. 9. Chron. latin. MS. I. 21. Chron. Kerkr. f. 4. 7.

Cum *Lubeca* veteri everſa ceſſavit etiam *Wandalorum* per *Wagriam* dominium, breviqve ita *Slavi Wagrii* attriti ſunt, ut novis nationibus introducendis locum fecerint.

Rugiani etiam totam *Pribislai* regionem diripiebant, & ingenti præda onuſti recedebant. Sacerdotes ſe iterum fuga *Falderam* ad *Vicelinum* ſubduxerunt, ibidemqve Deo precibus & jejuniis inſervientes piis gemitibus eundem ſollicitabant, non pateretur, diaboli furore & horum hominum fævitia tolli prorſus novæ eccleſiæ opus, qvam ipſe tandem pro immenſa ſua miſericordia in oris his *Balthicis* excitare cœpiſſet. Cumqve tunc *Nord-Albingia* omnis, *Saxonia* item & *Dania* bellorum motibus concuterentur, Vicelinus ſumma ope, cura ac ſollicitudine in cohortandis hominibus adnitebatur, ſpem omnem & fiduciam in Deo ponerent, jejuniis & ſupplicationibus & ſancte emendandæ vitæ propoſito iratum Numen ſibi propitiarent.

Hyeme etiam, qvæ ſeqvebatur, *Henricus de Badevide* cum *Holſatis* ſuis *Pribislai* regionem ingreſſus urbes & arces expugnavit, præſidiarios ejus *Plœnæ* occidit, & magnam prædam abigit.

Pribislaus interim aut *Brandenburgum* ad *Slavos orientales* commigraverat, aut, uti nonnulli opinantur, rebus humanis exceſſerat. Qvis enim credat occupatæ per vim terræ patriæ otioſum ſpectatorem fuiſſe & non potius, uti erat vir ad bella ſtrenuus, *Rugianis* & *Henrico* Comiti ſe maſcule oppoſuiſſe, ſi tum adhuc ſuperfuiſſet (i).

(i) Jo. Ruff. Helmold. I. 57. Kranz. *Saxon.* VI. 9. Vand. III. 40. Mareſchalc. II. 38. Chron. lat. MS. I. 20. It. Rheb. *pag.* 56. Chron. Kerkr. f. 36. Albert. Stad. *fol.* 161. a.

Dum hæc aguntur, *Henricus*, *Leo* Alberto *Saxonia* deturbato, etiam Adolphum II. *Holſatiæ* Comitem ſecum reduxit. *Adolphus* igitur *Henricum a Badevvide* vi ejecit & ſua recuperavit. *Wagria* ſe depelli inprimis ægre patiebatur *Henricus*, qvod illam bello acqviſitam jure ſe tenere putaret. *Hamburgenſem* ergo & *Segebergenſem* arces, cum cedere cogeretur, incendio conſumit. *Henrici Leonis* autem arbitrio cauſa ita compoſita eſt: ut Adolphus *Holſatiam & Stormariam*, jam olim a *Lothario* nondum Imperatore ipſi tributas, obtineret; Henricus autem Polaborum terram & arcem Raceburgum poſſideret (k). Hamb. & Segeb. arces exuruntur.

(k) Albert. Stad. *fol.* 162. a. Jo. Ruff. Lerbek. p. 12. Kranz. Sax. VI. 10.

Adolphus jam univerſa *Wagria* usqve ad *Wackeniſſam* lacum potitus, Slavorum ſedes continua bellorum fævitia colonis, qvi partim per acies ceciderant, partim ad gentiles ſuos confugerant exhauſtas, inductis *Germanis*, quos ex *Friſiis Hollandis*, *Flandris*, & *Weſtphalis* advocabat, complevit (l). Arcem etiam & cœnobium *Segebergenſe* a *Pribislao* primum, deinde ab *Henrico a Badevvide*, cum ille cedere inde juberetur, incenſa reædificat. Wagriam colonis replet.

(l) Jo. Ruff. *chron. Slavor. c.* 20. Lerbek. *c.* 12. Kranz. Vand. III. 40. Saxon. VI. 10.

Vicelino prædia omnia, qvæ *Lotharius* Imp. ad cœnobium ædificandum & ad ſubſidia vitæ monachorum qvondam deſtinaverat, reddit (m).

(m) Albert. Stad. *f.* 162. a. Kranz. Vand. IV. 1. Diploma Lotharii vide in Diplomatario Bordisholmenſi & apud Staphorſt. *Hiſtor. Eccleſ. Hamb. P. I. p.* 527.

§. 32. Cæterum terras ſuas hoſtili ſemper injuriæ expoſitas videbat, niſi propugnaculo condito, ex qvo ipſe hoſtium, *Obotritorum* inprimis, vim repelleret. Urbi igitur exſtruendæ, animum adjicit. Rudera urbis & arcis, a *Critone* olim vel ab antiqviore aliqvo Principe conditæ, tum autem ab hoſtibus Principum Lubecenſium e Critonis proſapia deſcendentibus deſolatæ, inter *Travam* & *Wackeniſſam* in loco inſulæ ſpeciem præbente, reperit; loco lingva *Heneta* Bucæ nomen erat. Natura loci commoda inprimis ad urbem muniendam & ad negotiationes maritimas exercendas videbatur. Diruta etiam erat ſuperiori anno *Lubeca vetus* & *Pribislaus* ex his locis exceſſerat aut naturæ debitum perſolverat (n). Lubeca nova conditur ab Adolpho II.

(n) Jo. Ruff. Albert. Stad. *f.* 162. a. Lerbek. *c.* 12. Kranz Vand. IV. 1. Sax. VI. 10.

Adolphus ergo anno ſalutis clɔ CXL., *Conrado III. Romanorum Imperatore*, urbem in illo loco ædificare incipit, qvam a veteri urbe *Lubecam* dicit (o). Illa lætis auſpiciis incrementa ſumſit, & ſummo Dei munere, brevi tempore ita crevit, ut virtutis ſuæ famam per Chriſtianum orbem late diffunderet. Nam & veteris Lubecæ cives in eam commigrabant, & novi coloni undiqve ex finitimis urbi- 1140.

bus & regnis magna freqventia confluebant, & commerciis insigniter eam locupletabant. Ornatur urbs ædificiis, & primum (ut sunt tenuia magnarum rerum initia) plancis circumdatur, præsertim, qvod majores ejus partes jam ante amnibus præmunirentur.

(o) Herm. Lerbek. *refert ad A. 1156. alii ad A. 1142. conf.* Kranz. *Metropol. 6. 17.*

Postqvam enim singulari Dei munere & Principum qvorundam pietate & fortitudine Slavorum natio divini Numinis contemptrix in Wagria & Mecklenburgica terra deleta aut inde exacta esset, summæ huic felicitati & illud accessit decus, ut jam sub Saxonum Imperio, in ejectorum sedibus amplæ urbes exstruerentur, qvæ cœlestis doctrinæ semina primæ reciperent & foverent, atqve ex qvibus in vicina loca feliciter propagarentur, antiqvissimis illis ad mare Balthicum urbibus, *Vineta, Julino, Werla, Mecklenburgo, Aldenburgo*, partim jam deletis, partim ad oppidulorum vel etiam villarum rusticarum vilitatem recidentibus.

Amicitiis etiam potentiam suam firmandam Adolphus ratus, per legatos cum Nicloto, Obotritorum Principe, fœdus iniit, & potentiores terræ ita muneribus sibi conciliavit, ut haberet sibi obseqventissimos, nec verendum magnopere ei esset, ne a vicinis novi operis turbarentur initia. (p)

(p) Herm. Lerbek. *p. 13.* Kranzii Wand. *4. 1.* Saxon. *6. 10.* Helm. I. *p. 47.* Bellefort *Cosmogr. l. 4.* Pomarii *Sachsen-Chronica p. 264.*

A. 1147. Sed ut sunt illustrium urbium difficilia initia, gravi clade post annos paucos affecti sunt cives. Tres tunc exercitus jussu Imperatoris Conradi & S. Bernhardi Monachi pia cohortatione a Germanis magno apparatu conscribebantur, qvorum primus in Palæstinam, alter contra Saracenos in Hispaniam mittebatur, tertius Sclavis, Obotritis & Lutitiis subjugandis, & ad religionem Christianam adducendis destinabatur. Milites omnes in vestibus & armis hac crucis *nota* ŏ *signati* incedebant. Niclotus comperto, adversum se Germanorum missum iri exercitum, haud segniter ad bellum necessaria præparat, & Bobino arce firmata, Adolphum per legatos initi fœderis commonet, & ad colloqvium evocat. Adolphus offensam Imperatoris & Germaniæ Principum veritus, & satis esse putans, si qviesceret, atqve in hoc bello medius esset, colloqvium & suppetias non sine gravi causa denegat. Ibi vero Niclotus ansam sibi in novam urbem grassandi, suppeditatam censet. Ipso igitur die, qvi Johanni & Paulo Apostolis sacer est, cum classe magna Travam ingressus, Lubecam, in qva, eodem die propter nundinas anniversarias etiam exteri multi versabantur, absente Comite invadit, ultra CCC viros vino somnoqve sepultos occidit. Rudolphum sacerdotem ad arcem urbis confugere volentem multis vulneribus milites confodiunt, naves Lubecensium mercibus onustas incendunt: arcem biduum summo conatu frustra oppugnant: duæ eqvitum turmæ Travam transgressæ novos ab Adolpho in Holsatiam & Wagriam adductos colonos spoliant & obtruncant. Adolpho milites ad defensionem convocante, ipsi cum præda ingenti & captivorum multitudine navibus imposita ad sua remeant. (q)

Niclotus Lubecam & Wagr. invadit hostiliter.

(q) Kranz. Wand. *4. 3.* Helm. *l. 63.* Chron. Sclav. *c. 20.* Lerbek. *p. 14.*

Fama hujus rei permoti sacræ expeditionis milites, qvos Adalberus, Archiepiscopus Bremensis, Henricus Dux Saxoniæ, Conradus Dux de Salingia, Albertus Marchio & alii ducebant, in Slavorum regionem descendunt, & Danorum auxiliis aucti, Robinum arcem, & Deminum urbem, qvod Dani eam Lutitiorum receptaculum esse qvererentur, Svantiborii Pomeranorum Principis præsidiis firmatam, obsident; Verum nihil tanta expeditione dignum gestum est, nam obsessis fortiter se defensantibus, hi non satis inter se concordes intempestivius pacificari coacti sunt. Adolphus igitur intelligens, frustra se Nicloto obniti, amicitiam cum ipso & cum cæteris Slavis orientalibus integrat, & captivos pecunia ab ipsis redimit (r).

Cum eo Adolphus frustra defensionem parare parat tur.

(r) Kranz. W. *4. 3. & 4.* Helm. *I. 66.*

Post hæc mala Lubeca denuo recreata, opibus & potentia crescere iterum mirum in modum cœpit. Novis enim colonis ex maritimis & Saxonicis civitatibus undiqve confluentibus aucta, multas vicinas urbes multis post se parasangis reliqvit, ut satis cerneres, qvam potens urbs illa olim futura esset. *Vicelinus* etiam summa cura atqve animi contentione damna Ecclesiæ suæ per has turbas illata sarciebat, spoliatos fovebat, &, ut poterat, ex suis angustiis illorum venustatem sustentabant, imprimisqve solatio ex divinis literis depromto animos eorum adversum mala confirmabat.

Lubecæ incrementa.

Sed & alia difficultas paulo post novi urbi objecta est. Bello inter Kanutum & Svenonem de Daniæ regno orto, qvod Adolphus Comes Kanutum seqveretur, Sveno cives Lubecenses in Dania negotiantes detinuit, in Wagriam cum exercitu irruit, Aldenburgum succendit, Segebergi suburbana conremavit, & finitima qvæqve diripuit. Adolphus, cum ipso in Holsatia prælio congressus, qvanqvam a Kanuto desertus (nam hunc Sveno stratagemate ab Adolpho abstraxerat) victoria qvidem potitur; sed Sveno in Daniam regressus, viribus prævalens, Kanutum regno pellit. Adolphum tamen post etiam in gratiam recipit, & Lubecensibus negotiandi iterum in Dania libertatem concedit (s).

Bellum Daniæ regni inter Kanutum & Svenonem Wagriæ flum.

(s) Helm. *I. c. 67. 68. Chr. Slav. c. 21.* Lerbek *p. 14. & 16.* Kranz. *Wand. 4. 5. & 7. Chron. Holsat.* Petr.

A. 1148.

A. 1148. Hartwicus, Archi-Episcopus Hamburgensis, qvod post tam diuturnas bellorum turbas quies terris Slavicis reddita esset, & Archi-Episcopatus Bremensis, seu Hamburgensis suffraganeos nullos haberet, consensu & opera Henrici Leonis Episcopatum Aldenburgensem, Raceburgensem & Mecklenburgensem instaurare magno studio adgreditur (t).

(t) Helm. *l.* 70. Joh. Ruff. Krantz. W. 4. 8.

1149. Et Aldenburgensi qvidem Episcopatui, qvi jam annos 84. Antistite caruerat, Vicelinum, qvi hactenus qvinqve & viginti annos in Holsatia Evangelium docuerat, Episcopum in ordine illo undecimum dedit (u).

(u) Chron. Slav. *c.* 22. Carmen de Vicelino. Krantz. *W.* 4. 8. & 9. Saxon. *6.* 12. Johann Ruff & Mork. *referunt ad A.* 1148. Krummend. *ad A.* 1153. Nos cum Alberto Stad. & Joh. Petræo *in Chronico Holsat. ad A.* 1149. *qvia* Helmoldus *diserte testatur, ipsum Episcopatum tenuisse annos V. & hebdomadas IX. jobisse autem* 11. *Idus Decembr. A.* 1154. *Factus ergo est Episcopus in Octobri A.* 1149.

Inauguratio Vicelini cum non fieret auctoritate Henrici Leonis, grave impedimentum optimi viri in instauranda Ecclesia solertiæ injectum est. Nam decimæ Ducis jussu ipsi denegatæ sunt, & amicitia, qvæ hactenus inter Episcopum & Comitem non vulgaris intercesserat, non parum labefactata. Imperator enim Duci jus & auctoritatem Episcopatus per Slavorum ab ipso domitorum provincias instaurandi & fundandi attribuerat. Cum autem Vicelinus postea a Duce confirmationem, qvam investituram vocant, Luneburgi recepisset, Dux statim ei villam Bosau ad lacum Plœnensem in Holsatia, Comes autem partem decimarum concesserunt. Sequenti anno Episcopatui Mecklenburgensi Emehardus ab Henrico & Archi-Episcopo præfectus est. Qvo minus vero & Raceburgensi statim aliqvis daretur, bella Ducis in causa erant (x).

(x) Krantz. *W.* 4. 9. Saxon. *6.* 19. Joh. Ruff. Mork. Lerbek. *p.* 16. Krantz. *W.* 4. 12. Saxon. *6.* 15. Metrop. *6.* 28.

Vicelinus, qvod ipsi Lubecensis Ecclesiæ cura commissa esset, Lubecæ statim sacellum cum altari dicavit. Hujus sacelli nomen qvanqvam ab Helmoldo expressum non est, dubitari tamen non potest, qvin vetus illud sit, qvod postea a Geroldo, jussu Henrici Leonis, aut de integro reparatum aut accessione aliqva amplificatum, & propter editiorem locum *S. Johannis templum in arena vel in monte* vocatum est; cujus rudera & parietes in nostram usqve ætatem superfuere (y)

(y) Chr. Kerk. *refert, Vicelinum templum hoc anno* 1147. *adjecta nova aliqva structura auxisse f.* 37. Helm. *p.* 56. Krantz. *W.* 4. 11. Rheb. *p.* 44.

Uti offensio Suenonis Dani, & Nicloti insignem urbis initiis injecerat moram: sic reconciliatio eorum & arctior cum Adolpho redintegrata amicitia magna eisdem addebat incrementa, breviqve tempore commerciorum freqventia reparata & pensata damna sunt, qvæ bellis & principum offensionibus non parva illata erant, ut jam opibus & potentia nulli vicinarum cedere videretur. Urbis accessiones novæ.

Dux in Bavariam movens, Adolpho curam aulæ suæ demandaverat. In hac regenda ille summa integritate & industria usus est. Hinc tanta Viro nata est auctoritas, ut non modo Slavorum Principes eum venerarentur, sed & Daniæ Reges in pretio ipsum haberent. Cum igitur Niclotus Luneburgi ab Henrici Leonis Conjuge auxilia contra rebelles suos Krilinos & Circipanos peteret, illa Adolphum ad auxilia Nicolto adducenda destinabat. Cumqve is feliciter rem gessisset, firmior etiam amicitia inter illos coaluit, freqventerqve Lubecæ & Travemundæ conventu habito, de rebus ad utriusqve regionem pertinentibus amice collocuti sunt. Mirum dictu! qvantopere tum Ecclesia Dei per universam Wagriam creverit qvantaqve incrementa Lubeca per id tempus sumserit. Nam & ex Pomeraniæ civitatibus, Julino, Demino & ceteris, propter hostiles Danorum incursiones, plurimi mercatores mutato loco Lubecæ sedem fortunarum collocabant, ut Urbs ad invidiam usqve ædificiis, navibus, mercibus, divitiis & dignitate aucta sit. Vicelinus interim cum Aldenburgi sedes Episcopalis nondum reparata esset, ad villam Bosau in Holsatia sub fago habitabat, donec domum ibi & templum B. Petro sacrum extrueret (z). Exauctoritate & amicitia Adolphi cum Nicloto incrementa insignia itemqve religionis.

(z) Helm. *p.* 58. Krantz. *W.* 4. 13.

A. 1151. Ceteris mussitantibus, solum Henricus Leo Bardewicum suum, totius Saxoniæ antiqvissimum idemqve opulentissimum emporium, opibus & civibus exhauriri conqverebatur, cum propter Lubecensis portus commoditatem Bardewico neglecto mercatus omnis Lubecam transferatur: salinis item suis Luneburgicis insigne detrimentum ex salinis provenire, qvas Comes & Lubecenses Oldesloæ aperuissent. Pensandæ isti jacturæ mediam Lubecam, cum dimidia parte salinarum Oldesloensium concedi sibi petebat; Qvod nisi obtineret, se exteros mercatores omnes aditu & usu urbis, & invectionem atqve exportationem merciumi prohibiturum, nec cuiqvam iter tutum per terras suas ad urbem commeandi permissurum, idqve eo majori jure postulare se putabat, qvod ipse esset Adolpho feudi Dominus. Denegat Adolphus Duci utrumqve. Ibi vero Dux mercatum omnem Bardewicum transfert, mercatores Hinc Adolphi cum Henr. Leone lis. 1151.

Lubecenſes impediens, ne in Saxoniam merces exportarent, extraneos autem prohibens, ne Lubecam commerciorum gratia freqventarent: Salinarum autem meatus inducta aqva fluviali corrumpit, novæqve urbi gravia damna infert. (aa).

(aa) Helm. *p. 61.* Lerbek *p. 18.* Joh. Ruff. *A. 151.* Krantz. *W. 4. 2. 18.* Metrop. *6. 45.* Kochi Chron. Chron. Kerk. *f. 8. & 38.*

1152. Friderici Imp. de componenda inter Daniæ Reges itemqve Saxoniæ Duces pace irritus conatus.

A. 1152. Fridericus Imperator Mersburgi in Saxonia conventu Principum indicto, Kanuti & Suenonis Daniæ Regum, controverſiam componebat. Henricum Leonem & Albertum Urſum de Saxoniæ Ducatu litem redintegrantes, ut ibidem conciliaret, ſummo adnitebatur ſtudio. Verum parva Friderici in initio Imperii autoritas, Principum animos, qvorum qvisqve ſuis opibus & potentia fretus altero contemto nulla in re cedere volebat, componere non poterat. Intererat autem conventui & *Vicelinus* Epiſcopus de juribus & prædiis Eccleſiæ ſuæ, qvæ Imperatores olim dederant, recuperandis cum Friderico Imperatore agens. Sed & hic qvo minus aliqvid efficeret, Henrici Leonis & Archi-Epiſcopi contentiones de jure inveſtituræ obſtiterunt. Domum reverſus Dithmarum Sacerdotem ſibi amiciſſimum, & individuum legationis ad Slavos comitem fato functum reperit. Multa adverſa objecta tum ſeni, nullum, qvod fortius ipſum adfligeret, qvam tam fidi ſocii obitus (bb).

Vicelini æruminæ.

(bb) Alb. Stad. *f. 188. b.* Krantz. *W. 4. 14. & 18.*

Bruno Eccleſiæ Boſov. præfectus

Progreſſus tamen ad villam Boſau templum & domum, ut diximus, ædificavit. Cumqve omnes verbo divino ad res adverſas fortite gerendas & ferendas confirmaſſet (nam Slavorum ſeu Wendorum incurſionibus incolæ Chriſti ani vehementer adhuc divexabantur) *Brunonem* iſti Eccleſiæ præficit, & Falderam remeat. Hinc intra diem ſeptimum gravi membrorum paralyſi correptus eſt, cum qva annos duos & dimidium usqve ad pium ex hac vita excessum miſere colluctatus eſt.

1154. Aldenburgepiſcopatus reditibus auctus.

A. 1154. Dux Vicelino jam reconciliatus, nihil prætermittendum putabat, qvod ad ornandum Epiſcopatum Aldenburgenſem pertinere videretur. Henricus Comes Raceburgenſis, *Everhardo* Epiſcopo Raceburgenſi inſulam Polaborum habitandam, cum trecentis manſis & decimis concedebat. Eadem liberalitate Dux uſus, ab Adolpho Holſatiæ Comite trecentos manſos obtinebat, qvas Epiſcopatui Aldenburgenſi loco dotis offerebat (cc).

(cc) Joh. Ruff. *A. 1154.* Krantz. *W. 4. 15. cui Evermodus dicitur Raceburgenſis Epiſcopus* Herm. Lerbek. *p. 18.* Helm. *p. 61.*

(Manſus autem veteribus fundus erat, unde qvis ſe & familiam ſuam tueri ſatis commode poſſet.)

Mors Vicelini

Hoc anno, cum Dux Imperatorem Fridericum in Italiam ſecutus eſſet, Vicelinus Epiſcopus 2. Idus Decembr. diem obiit, & Falderæ, poſtqvam Epiſcopatum rexiſſet annos V. hebdomades IX. ſepultus eſt. Vir religioſiſſimus, idemqve laborioſiſſimus, Wendorum in his locis Apoſtolus; qvibus ipſe ſummis cum vitæ periculis & incredibili labore Chriſtum annos 30. annuntiavit, idola evertit, templa & ædes ſacras exſtruxit: Wendorum atroces perſecutiones, Archi-Epiſcopi, Ducis, Comitis, terræ Procerum graviſſimas offenſas infracto & conſtanti animo pertulit: tandemqve propter tot annorum continuos labores ſpiritu & viribus deficientibus paralyſi tactus, eademqve, ut narravimus, biennium cum dimidio graviter afflictus, animam Chriſto Redemptori reddidit (dd).

(dd) Helm. *p. 62.* Joh. Ruff. Chron Mork. Krantz. *W. 4. 15. 18. 21.* Saxon. *6. 15.* Metrop. *6. 38.*

§. 33. Ducis Conjux marito abſente *Geroldum*, Ducis ſacerdotem, Suevum origine, Canonicum Brunsvicenſem, Virum in divinis literis exercitatum & vitæ probitate conſpicuum, Wagriis & Holſatis commendabat, & cum *Ludolpho* Præpoſito Caſalino eundem ad eos mittebat. Cum hoc Geroldus Wagriam ingreſſus a Clericis & populo magno conſenſu Epiſcopus electus eſt. Conjugis autem commendationem Dux ipſe ſcriptis ad Clericos literis confirmarat. Nitebatur contra *Hartwicus* Archi-Epiſcopus & Epiſcopatum in alium transferre maximopere ſtudebat. Geroldus igitur nulla interjecta mora ad Ducem in Italiam contendit, & ab ipſo Papa Adriano inauguratur Anno 1155. De Geroldo Epiſcopo

Hoc anno nonnulli Epiſcopatum Aldenburgo Lubecam translatum eſſe commemorant. Qvorum error inde eſt, qvia tum Geroldus, qvi poſtea primus Lubecenſis Epiſcopus factus eſt ad Epiſcopatum introductus eſt. Facit hoc Franc. Irenicus Exeg. Germ. l. 3. c. 41.

Monume Eccleæ. C dralis Lu

Annum mortis Vicelini exprimit Albertus Stadenſis (f. 188. b.); confirmat ſcriptura eundem, qvæ in lapide ſuperliminari templi Cathedralis his verbis inſculpta: *Anno Domini MCLIIII. Henricus Leo, Bawarie & Saxonie Dux, tum temporis hujus Civitatis Dominus, & hujus Eccleſiæ fundator, Geraldum primum Epiſcopum Lubecenſem hic introduxit.* Hic Leo tum temporis Lubecæ Dominus fuiſſe dicitur, qvia dominium harum terrarum, in qvibus Lubeca ſita, ſibi vendicabat, & Adolpho feudi Dominus erat. Qvod præterea lapis dicit, Geroldum hoc anno primum Epiſcopum hic introductum, cum contra libri veteres editi & inediti aſſerant, Aldenburgum eum miſſum eſſe, & a. demum 1163. Epiſcopatum Lubecam translatum eſſe, non pugnare intelligemus, ſi attendamus, etiam Lubecæ Evangelium prædicandi & ſacra faciendi poteſtatem eum accepiſſe, cum tota Wagria Epiſcopatui ejus tributa eſſet, & Vicelino qvoqve ejus anteceſſori cura Eccleſiæ Lubecenſis demandata fu-

fuiſſet. Autor Chronici Slavici c. XXV. pag. 218. dubitat, cum inqvit: Sedit annis qvatuor. Neſcio, an ſimul in Oldenburg & Lubeck IV. annis ſedit, an ſolum in Lubeck.

Anno 1155. Geroldus Roma reverſus Aldenburgum ad Epiſcopatum ſuum ſe contulit, inter ceteros itineris comites *Helmoldum* habens, Presbyterum Boſavienſem, qvi Slavorum Chronica conſcripſit, & cujus ductum in hac hiſtoria ſæpe ſecuti ſumus. Qvo cum veniſſent, lautiſſimo qvidem a Pribislao, gentis Principe, excepti ſunt convivio, idqve pro more gentis, rapinas & furta in hoſpites prolixa libertate effundere gaudentis: ſed in urbe deſerta, incolis & mœnibus nudata, nihil præter unum ſacellum cum altari, a Vicelino olim exſtructum repererunt. Populus autem totus idolorum cultui iterum deditus erat. Tum Epiſcopus cum Conrado fratre ſuo, Abbate Riddaggeshuſano, Helmoldo & ceteris, qvos circum ſe habebat, Epiſcopatum ſuum luſtrans, & in lucum Prononi Deo ſacrum incidens, ſocios ad dejiciendum idolum & exſcindendum lucum animat. Illi cum Epiſcopo plenum periculoſæ pietatis opus animoſe adgrediuntur, & idolum cum Iuconon ſine ſummo vitæ discrimine evertunt. Proximo die Dominico Geroldus populum ex univerſa Wagria Lubecam ad mercatum pro more confluentem, ipſo *Pribislao* principe etiam præſente, oratione gravi habita, eundem ab immani ſuperſtitione, a prædis & rapinis, atqve a Chriſtianorum perſecutione ſerio dehorratus eſt. Ibi Pribislaus templa a ſuis ædificari poſſe propter immodicas Ducis & Comitis exactiones negavit, qvæ ſi mitigarentur, & ipſi non deteriori, qvam Saxones, in pendendis tributis eſſent conditione, haud ægre ſe cum illis Chriſtianam religionem recepturum, ædes ſacras erecturum, & decimas promte perſoluturum (a).

(a) Helm. *p. 67. p. 181. 185. Chron. Slav. c. 24. 25.* Kranz. *W. 4. 22. 24. Sacras has conciones Geroldum in templo B. Johannis in arena habuiſſe, nonnulli haut abs re opinantur. Sacellum enim, a Vicelino qvondam dicatum, hoc ipſum templum eſſe, veroſimile eſt, de qvo ad A. 1149. diximus.* Joh. Ruff. *ad A. 1155.*

Dux a Geroldo freqventer de reſtituendis Epiſcopatui reditibus ſolicitatus, cum Adolpho Brunſvicum evocato, egit, ut ne, qvæ alendo Epiſcopo & ſacerdotibus olim donata eſſent, detineret amplius. Adolphus Ducis auctoritate adductus, Eutinum & Gamelam cum agris & prædiis eo pertinentibus, & præter villam Boſau, nunc etiam *Godesfeldam* & *Wobetzam*, domum item in ipſa urbe Aldenburgo, loco trecentorum fundorum, Epiſcopo attribuit. Tum Epiſcopus Julinum ædificiis auxit domo ſibi inibi ædificata, Falderenſis vero Cœnobii, a Vicelino olim fundati, reditus fruſtra ab Hartwico Archi-Epiſcopo, qvos ille ad Hamburgenſem transtulerat Eccleſiam, repetebat (b).

(b) Helm. *p. 187.* Kranz. *W. 4. 25.* ubi adjacentis prædii mentionem facit it. in Metrop. *6. 38.*

A. 1156. Geroldus, Pronone Aldenburgenſium idolo deſtructo, Brunonem illuc Sacerdotem miſit, & novum templum D. Joanni Baptiſtæ ſacrum anno XC. poſt prioris excidium condidit. Tum & Suſelæ, Lutkenburgi & Ratekoviæ templa extructa ſunt. Plœnæ etiam Pogoga idolum ipſius opera dejectum & combuſtum eſt, omnisqve idololatria vetus tandem abrogata eſt, qvam qvidam Slavorum ita mordicus tuebantur, ut eam deſerere ab Adolpho juſſi ultro terras avitas mutarent (c). 1156. Templa variis locis exſtructa.

(c) Helmold. *pag. 188.* Lerbek. *pag. 19.* Kranz. *W. 4. 25. & 30.* Chron. Slav. *c. 25.* Chron. Petr. *p. 42.*

Annos ſexdecim urbs ſteterat, cum incendio tota abſumta eſt. Conclamatum jam iterum de Lubeca videbatur, qvod a civibus, qvorum opes incendio illo erant ad incitas redactæ, igne deleta urbs reædificari, potentiſſimo Duce opus pro virili impedituro, non poſſe videbatur. Cives igitur in his rerum anguſtiis conſtituti, miſſis qvatuor civitatis ſuæ rectoribus cum octo civibus ad Comitem ſupplices petunt, ut Leoni arcam exuſtæ urbis concedat. Qvod, niſi faciat, ſibi, loco deſerto, cum familiis ſuis, alio commigrandum eſſe. At cum nec hac ratione exorari Comes poſſet, & opibus omnibus exuti cives ſub erectis tuguriolis cum uxoribus & liberis durare amplius non poſſent, Ducem adeunt, eidemqve conqveruntur, magna ſe rerum penuria preſſos fuiſſe, ex qvo ille mercium diſtrahendarum jus Lubecæ urbi abſtulerit, ſubſtitiſſe tamen, ſpe ductos prioris libertatis qvondam recuperandæ, ſumtibus etiam in ædificia expenſis retentos adhuc eſſe: nunc ædibus incendio conſumtis, cum nulla cauſa ſit, cur diutius manerent, petere ſe, concederet ipſe & deſignaret locum in terra ſua, ubi novam urbem conſtruant. Cum ergo denuo Dux a Comite fruſtra contendiſſet, ut inſulam & portum exuſtæ urbis cum arce ſibi traderet, ipſe vocatis civibus Lubecenſibus urbem ædificare in ſua terra ad Wakeniſiam in loco, uti creditur, ubi nunc Herenburgum ſitum, haut procul Lubeca in agro tamen Raceburgenſi cœpit, qvam a ſuo nomine Leonis urbem (*Leuenſtadt*) indigitabat. Qvod autem locus ille portum incommodum admodum haberet, nec muniri urbs contra Slavorum impetum poſſet, cives de ædificandi propoſito deſtiterunt, & Dux mutato conſilio tertio Comitem multis pollicitationibus adortus eſt. Qvid tandem faceret Comes, multo ipſo potentia Lubeca exuſta.

inferior? Cives etiam exustæ Lubecæ ad Ducem se applicuisse, ab eodemqve, qvo minus Lubecam instaurarent, eos prohiberi cernebat. Grave præterea erat, tanto studio petenti denegare, qvod contra potentiorem tueri non poterat. Imperat cum rogat potentior (d).

(d) Helm. *p. 197. seq.* Joh. Ruff. *ad Ann. 1156.* Chron. Slav. *c. 26.* Kranz. *W. 4. 30.* Saxon. *6. 26.* Chr. Kerk. *f. 38. seq.* Rheb. *pag. 60.* Maresc allus Thurius *L. 5. refert ad An. 1158.* Chr. Franck. *f. 3.* Lerbek. *pag. 19.* Mork. *&c.* Bonnus *in Chron. Lubec. habet 1158.* Reber *habet Anno. 1157.* Chron. *MS. P. I. p. 21.* Pomar. *Sachsen-Chronick p. 272.* Chron. Slav. *c. 26. qvod tamen facit 5. domos superstites.*

Lubeca pervenit in potestatem Henrici Leonis. 1158.

§. 34. Comes igitur victus sive precibus sive minis Leonis anno 1158 insulam illi, portum & arcem tradit, omniqve juri suo in locum istum renunciat. Tum Dux abjecto Leuenstadii ædificandi studio curam omnem & operam ad Lubecam ex cineribus iterum excitandam confert, & brevi admodum tempore in eodem loco, ubi steterat, reædificatam ita ædificiis publicis & privatis ornat, & immunitatibus auget, ut inter urbes finitimas tantum efferret caput,

reædificatur & egregie augetur.

quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Agros enim omnes, jura & immunitates, qvas Adolphus Duci cum insula & arce resignarat, Dux novæ urbi suæ reddidit, in eaqve ornanda & amplificanda summum adhibuit studium & diligentiam; commerciorum libertate imprimis opes civitatis adauxit. Uti enim antea per ipsum nullis peregrinis aut extraneis fas erat, Lubecam ad mercaturam faciendam intrare, ita nunc missis ad Danos, Norvegos, Suedos & Russos literis, copiam omnibus liberrime Lubecæ negotiandi, aut etiam urbem incolendi faciebat. Itinera pariter tuta contra solita Wandalorum latrocinia omnibus negotiatoribus præstitit. A Waldemaro qvoqve Daniæ Rege, Lubecensibus merces suas in Daniam importandi & cum regni incolis negotiandi potestatem obtinuit. Parum enim profuisset, exteris Lubecæ jus commerciorum permitti, nisi idem & Lubecensibus in vicinis regnis acqvisitum fuisset. Convenere etiam freqventer Rex & Dux ad Eidoram fluvium, & de commodis terrarum utriusqve per commerciorum usum augendis & confirmandis colloqvio habito, immunitates ac privilegia utrinqve data confirmarunt. Hac liberalitate Ducis cives adducti, domos iterum suas commerciorum rationi adaptatas strenuo ædificant. Nec minus laboratum ab iis est, ut mœnibus urbem jam includerent, & portarum turribus firmarent, scientibus, qvod undiqve hostes jam haberent, & deinceps, si civitas, uti cœperat, opibus & viribus crescret, propter invidiam habituri essent. Prorsus singularis autem illorum pietas in novis ædibus sacris per urbem excitandis observata est. Nec dubitari potest, Geroldum Episcopum, ad qvem cura hæc pertinebat, monendo & cohortando pietatem civium & religionis studium pro virili confirmasse & adauxisse:

Difficile dictu est, qvanta incrementa tum allata urbi sint. Certe opibus firma, copiis locuples, gloria ampla effecta est.

Henricus proficiscitur Imp. secuti suorum prospicit.

Eodem anno Dux assumto Adolpho Comite Fridericum Imperatorem in Italiam comitaturus Waldemaro Regi ad Eidoram occurrit. Contendit ibi Rex a Duce, ut Slavis, qvi jam tributarii Leonis erant, ipse ante discessum imperet, ne per absentiam ejus Daniam crebris istis suis incursionibus, qvibus hactenus, fatigent. Dux inde digressus, vocato Niclote, cujus Obotriti tum nondum Christo nomen dederant, (Krantz. Wandal. 4. 31.) & Slavis in Wagria residuis severe interminatus est, ne se absente qvicqvam contra Waldemarum Regem aut Saxones molirentur. Hi jurejurando promissioni fidem faciebant, se qvieturos navesqve omnes, qvascunqve haberent, uti imperatum illis erat, Lubecam ad usqve reditum Ducis, perducturos (e).

(e) Krantz. *W. 4. 33.* Maresc hallus 2. *39.* H. Rheb. *p. 67.*

1159. Nicloti dia.

A. 1159. Vix decesserat Leo, cum Niclotus, navibus vetustis solum tratidis, exercitum ex Wagriis & Obotritis contra qvam abeunti Duci sancte promiserat, contrahit, atqve irruptionibus Waldemarum Regem, amicum & socium Ducis crebro lacessit, Danus contra justissima incitatus indignatione qvomodo par pari referret, statim dispicit, jamqve non in Nicloti modo terras cum armata manu irruiturus, sed Ducis etiam provincias, Holsatiam, adeoqve ipsos Lubecenses invasurus erat, & damna illata ulcisci parabat, nisi Geroldus exacerbatum illius animum mitigasset, & causam in Ducis reditum differri petiisset (f).

(f) Helm. *p. 86.* Crantz. *W. 4. 34.*

1160. hujusqve scriptionumqve Lubeca panda

A. 1160. Rex Duci reverso Altenburgum ad Albim obviam procedit, Slavos violatæ pacis graviter accusat non minus Lubecenses & Holsati vim & hostiles irruptiones a Nicloto factas conqveruntur. Dux Niclotum ad causam dicendam aliqvoties evocatum & tergiversantem proscribit, vocatisqve ad arma sociis debellare constituit. Niclotus intellecto, exosum se factum Duci, atqve arma adversum se parari, stratagemate Lubecam per Pribislaum & Wertislaum, filios intercipere conatur. Et successisset consilium, nisi *Athelo* sacerdos pontem pendulum Wakenissæ versus austrum tum temporis impositum, in cujus medium jam hostis processerat, levasset, & insi-

insidias hostium, ad urbis defensionem vocatis civibus exclusisset. Dux igitur urbem diligentius munit, & arcem majoribus præsidiis firmat (g).

(g) Helm. *I. 86.* §. *10. p. 199.* Joh. Ruff. Mork. Chr. Slav. *c. 27.* Maresch. *2. 39. Ad quam urbis partem hæc porta fuerit, quæris? Dicam verbo, quod sentio. Primum ex Helmoldo liquet versus austrum fuisse. Frustra ergo eam a porta Arcis, usque ad portam Hoxteranam quæsiveris, quia illa pars urbis Orienti objecta est. In eo ipso igitur loco, ubi nunc porta molendinorum est, & hanc fuisse putandum est. At inquis: In Saxoniam ducit hæc porta: hostes autem non ex Saxonia, verum ex Mechlenburgensi terra advenere. Facile illi equis Wacenissam amnem, cum multis in locis Vadosum, quia aquæ illius nondum tum propter molastructuras ita superstagnarunt, transiire potuerunt.*

Hear. Leo de Albertus ursus Slavos aterunt.

Hæc Obotritorum Principum pacis publicæ violatio commovebat tandem Henricum Leonem, & Albertum Ursum, Marchionem Brandenburgensem, ut de exscindendis plane ac delendis Slavis deqve novis calonis per terras suas in loca eorum reducendis, agitarent consilia. Leo, qui Obotritorum contumaciam contundendam sibi sumserat, hoc ipso anno, messis tempore, in eorum terras exercitum eduxit, & magnam agris vastitatem intulit.

1162.

Nec postea desiit expeditionibus in agros illorum susceptis, eos infestari, donec plane attrivit. Nam & anno seculi hujus sexagesimo secundo iterum terram ipsorum magno cum exercitu ingreditur, Niclotus ut hosti solitudinem faciat, qvicqvid usui esse potest, corrumpit ipse, Iloviam, Mecklenburgum, Suerinum & Izobinum, castella sua, cremat sola Werla servata arce ad Varnum sita munitissima, unde qvotidie in hostilem exercitum invadebat. Sed cum incautius eorum cohortem, qvi frumentatum exierant, adoritur, ab his interficitur. Tum filii Prebislaus & Wertislaus, cum hostis vires suasqve pensarent, etiam Werlam succendunt, atqve in vasta nemora recedunt. Dux igitur totam Obotritorum regionem sibi subjugat, Suerinum instaurat, & Guncelinum, virum militia clarum eum præsidio ibi collocat, qvi familiæ Comitum Suerinensium primus conditor extirit. Nicloti filiis tamen postea reconciliatis Werlam cum terra reddit (Helm. l. I. c. 92. p. 209. arci Küstiner Ludolfum Brunsvicensem, Malcoviæ Ludolphum Peinensem, ceteris arcibus alios militiæ suæ præfectos dat rectores. Urbis & arcis Mecklenburgi custodiam Henrico cuidam Nobili de Scaten mandavit, qvi ex Flandria novam coloniam adduxit, eidemqve in urbe Mecklenburgo & in vicinia sedes attribuit. Dux ipse introductis & confirmatis Episcopis Geroldo Aldenburgensi, Everhardo Raceburgensi, Bernone Meckienburgensi, Germanos & imprimis Saxones e vicinis locis evocatos, in ejectorum Slavorum sedibus collocavit. Et ipsa soli fertilitas faciebat, ut brevi tempore magna multitudo colonorum ad novas sedes occupandas, conflueret (h).

Niclotus exditur, præficiuntur alii arcibus.

Alii colomi in ducuntur.

(h) Helm. I. *p. 73. 201. 202.* Krantz. Saxon. *6. 14. refert ad A. 1160.* Chron. Slav. *c. 28.* Maresch allus *2. 39.* Krantz. Wandal *4. 35. 36.* Alb. Stad. *p. 191. b.*

En vero Tibi jam tertium genus hominum in Wagria, in Polaborum & Obotritorum terris, in Marchionatu item Brandenburgensi, & parte anterioris Pomeraniæ, Saxones videlicet & Germanos. Uti enim Leo ex Obotritorum terris Slavis exactis Germanos introduxit; sic Albertus Marchio, cui Slavia Orientalis suberat, Brizanos, Stoderanos, ceterosqve Slavos ad Havelam & Albim usqve ad saltum Bohemicum incolentes paulatim delevit, & Hollandos, Flandros, Frisios ac Westphalos in eorum reduxit loca, abolitaqve idololatria & constitutis Episcopis atqve sacerdotibus verum Dei cultum introduxit, Henricus autem Comes Raceburgensis magna populi multitudine ex Westphalia vocata Polaborum terram replevit (i).

(i) Krantz. Wandal. *4. 37.* Helm. *I. 91.*

Episcopatus Aldenburgensis Lubecam transfertur.

§. 35. Crebro a Slavis direptus erat Episcopatus Aldenburgensis; reditus per motus bellicos intercepti, & alio translati, urbs ipsa afflicta & domus eversæ. Agit ergo Episcopus cum Duce de illo alio transferendo, & facile ab ipso propter singularem, qvo Dux surgentem suam urbem complectebatur, favorem obtinet, ut Episcopatus sedem in ipsa Lubeca constitueret, qvod illa & populosior & contra Slavorum hostiles insultus munitior, ad ceteros item vitæ humanæ usus multo esset accommodatior. Dux igitur, Comes & Episcopus statim egregio & sancto se accingunt operi. Conveniunt Lubecæ designaturi locum, & acturi de rebus omnibus, qvæ ad Ecclesiam Metropolitanam constituendam reqviri viderentur. Tum Dux ipsi Oratorio & domibus Canonicorum ædificandis areas designavit. Canonicis, qvorum XII. esse voluit, & Præposito annuos reditus constituit. Villas & decimas qvasdam in agro Lubecensi, duas item marcas monetæ Lubecensis, cuilibet Canonico de vectigali annis singulis solvendas adsignavit. Ceteraqve omnia eodem pertinentia Ducis & Comitis liberalitate, itemqve singulari Episcopi cura ordinata, & publicis tabulis confirmata sunt. Athelo propter servatam a se, uti narravimus, urbem, primus Præpositus introductus est. Tabulæ fundationis in Ecclesia Lubecensi repositæ sunt, qvas incuria custodum, aut in-

cendiis, qvibus aliqvoties magna urbi damna illata sunt, periisse videri potest (k).

(k) *Operæ pretium facturum me autumo, si tanqvam in tabella h. l. insigniores Episcopatus Aldenburgensis mutationes adnotem. Fundatus ille est ab Ottone M. anno salutis nongentesimo qvinqvagesimo secundo* (Helm. *p. 31.*) *Cum stetisset annos sex & centum, ab Adelberto Archi-Episcopo Hamburgensi, Patriachæ honores affectante, discerptus & in tres partes divisus est Episcopatus, Eizone ibi constituto Episcopo, anno æræ Christianæ millesimo qvinqvagesimo octavo* (Helm. *p. 62.*) *Octennium inde fluxerat, cum a Slavis fidem Christianam impie abjicientibus, eversus plane est. Id factum A. C. millesimo sexagesimo sexto. Post barbaricum illum furorem caruit locus Episcopo annos qvatuor & octoginta; post qvos pietate Hartvici Archi-Episcopi restauratur, Vicelinum, illum Holsaticæ gentis Apostolum, accepit Episcopum* (Helm. *p. 157.*) *Inter divisionem ab Adalberto &, restaurationem ab Hartvico factam interjacent anni nonaginta. Ab eo tempore Aldenburgi relictus, donec hoc anno a Geroldo Lubecam translatus est (nempe* 1190. *)*

1190.

Templum S. Johannis reædificatum.

Geroldus acceptus templum statim *Johannis Evangelistæ* in monte, a Vicelino olim inchoatum, perfecit, aut potius novum plane extruxit. Cum enim solidi & egregii operis monimenta illa rudera fuerint, ædificii a Geroldo, uti vidimus, loco, etiam in diplomate (quod ad A. 1175. subjiciemus) se ex fundamentis illud erexisse asserat, verisimile est, prius illud Vicelini ædificium humilius destructum prorsus esse, & novum eodem in loco a Geroldo ædificatum (l).

(l) Reimarus Kok *& alii recentiores annalium collectores* Geroldum *accessionem adjunxisse ad Vicelini templum affirmant.*

Templum Mariæ exstructum.

Præcipuum urbis *Virgini Mariæ* templum sacrum, hoc tempore etiam a Geroldo conditum esse, ex iis, quæ statim dicemus, veri admodum simile est. Verum ea forma atqve amplitudine statim extructum esse, qva nunc conspicitur, non abs re quis ambigat. Nonnulli scriptores diserte asserunt, ipsius Geroldi auspiciis templum hoc statim esse exædificatum. Alii Geroldum templi hujus reditus fratribus suis seu canonicis in stipendii augmentum concessisse tradunt, satis scilicet innuentes, illud jam ea ætate extitisse. Certe Imperator Fridericus I. in tabulis privilegiorum, qvas A. 1188. 13. Kal. Octobr. civitati liberaliter impertiit, patronatum simul Parochialis Ecclesiæ B. Mariæ concessit. Ut tum eam jam stetisse, dubitare non licear. Crediderim tamen cum autore Chronici Lubecensis anonymo, vetus illud ædificum hujus templi jam olim periisse seu incendio absumtum, seu cupiditate magnificentius exstruendi a civibus dejectum, atqve cum opes civitatis crescerent, splendidum illud atqve amplissimum templum, qvod nunc urbem ornat, illius loco substructum fuisse. Certe turrium illæ eminentes moles demum anno salutis humanæ supra millesimum trecentesimo qvarto conditæ sunt, ut suo loco commemorabimus. Affirmat enim Krummendick Episcopus in Chronico suo, citato Chron. Slavor. c. 33. p. 219. Geroldum Episcopum templum B. Virginis fratribus seu Canonicis suis, cum reditibus omnibus in stipendii augmentum concessisse; Jo. Petersen in Chron. Holsat. pag. 43. scribit: ipsum Geroldum templum hoc condidisse. Adde autorem Appendicis libri de temporibus mundi, qvi A. C. 1492. vixit, qviqve Geroldum antistitem summam Ecclesiam dicas se scribit. Autor Chron. Latini MS. non dubitat, diu ante templum illud stetisse, cum lib. 2. c. 14. ita commentatur: *Beatæ Virginis Ecclesia, qvæ forensis dicta est, temporibus erat Vicelini: qvi in ea sæpe prædicavit. Nam cum esset Civitas floreſcens, priusqvam sedes ab Aldenburgo transferretur, necesse erit, ut nemo in ea dubitet Ecclesiam extitisse. Periit tamen vetus ædificium Ecclesiæ prioris B. Virginis, Geroldus vero non longe post Ecclesiam Divi Johannis constitutam obiit in Domino.* Sentit ergo, auctor, stetisse jam a primordiis urbis templum istud ad forum (unde forensis Ecclesia dicta est); sed collapsum esse vetus istud ædificium, aut incendio absumtum, aut studio dejectum, & egregium atqve amplissimum templum, qvod nunc urbem ornat, illius loco substructum esse. Anno 1188. Imperator Barbarossa jus patronatus in hoc templo civitati attribuit, diplomatis autem verba hæc sunt:

„ Insuper oportunitatibus eorum „
„ acqviescentes, omnia jura, qvæ „
„ primus loci fundator, Henri- „
„ cus, qvondam Dux Saxoniæ, eis „
„ concessit, & privilegio suo fir- „
„ mavit, nos etiam ipsis conces- „
„ simus, Patronatum videlicet pa- „
„ rochialis Ecclesiæ B. Mariæ, ut „
„ mortuo sacerdote cives, qvem „
„ voluerint, vice patroni sibi sa- „
„ cerdotem eligant & Episcopo „
„ repræsentent. „

Inferiorem præterea urbis partem, qvam templo & Canonicorum ædibus exstruendis *Leo* assignavit, non incultam modo, sed & silvis horridam antea fuisse, non modo vetus illa pictura & adscripti versus in templo illo docent, sed etiam *Leo* in tabulis suis, qvas

qvas ad A. 1175. subjiciemus, exsertis verbis confirmat, cum illorum indicio constet, cur *Leo* istum inprimis locum templo condendo elegerit, & qva de causa Episcopis Lubecensibus flava crux in rubro campo pro insignibus data sit:

Fama fidem fecit, qvod Carolus arbiter orbis,
Qui merito Magni nomen & omen habet,
Vandalicis olim cum venaretur in oris,
Altipedem cervum ceperit artis ope.
Illius circumdedit aurea vincula collum,
In qvibus annorum mentio facta fuit.
Post qvadringentos venit Leo Martius annos,
Qvem tota agnovit Saxoniæ ora Ducem.
Cernit ubi hic cervum in præsentem tempore certo
Et vicibus certis ire redire locum,
Comprendi jubet & torqvem considerat inter
Cornuaqve augustam conspicit esse crucem.
Motus ob hoc novitate rei cathedrale pio ausu
Hic templum ædificat muneribusqve beat,
Præsulibusqve crucem dat sancta insignia flavam,
Qvæ rubeo in campo conspicienda venit.
Hæc ubi cognosti, mirari desine Lector,
Cur faciem cervi templa novata ferant.

Summum item Ducis studium in nova sua urbe prædiis, silvis, fluminibus & villis augenda & locupletanda tum enituit. Nam præter ea, qvæ Anno 1158. Adolphus Duci, & Dux civitati dederat, jam plures agri & villæ Ducis liberalitate accedunt.

ites urbis. Fines ergo Lubecensium descripsit, & diplomate dato fixos esse jussit ab urbe versus Orientem ad Stopenissam, & inde ad Radagastum fluvios: versus Austrum in stagnum Raceburgense, & supra illud Raceburgum usqve: versus Occidentem per Stockenissam fluvium, usqve ad stagnum Molnense, denique per Travam Oldesloam usqve: versus Septentrionem autem per eundem fluvium, usqve in mare.

ma Regiminis. §. 36. Nec minor cura Ducis in Magistratibus civitatis constituendis eluxit. Cum enim illa hactenus per solos qvatuor Consules administrata fuisset, jussit his deinceps senatores ex populo lectos, adjungi. Hos vult esse viros bonos, legitimo thoro prognatos, liberos & ingenuos, nulli Principi obnoxios, bona inter suos fama, libera matre genitos, non sacerdotum filios, nullius unqvam perjurii convictos, non opificio addictos. Senatori item, qvi biennium in senatu onus regendæ reipublicæ exantlasset, tertio an. gratiam laborum fecit, nisi precibus ad eosdem continuandos retineatur. Sanxit etiam, ut senatus ter singulis annis, primo die Lunæ post Dominicam Qvasimodogeniti, deinde post diem Remigii & denuo post festum 3. Regum, in foro sub dio justitium remittat. Qvod institutum amplissimus hujus urbis Magistratus in hunc usqve diem servat (m).

(m) De 4. Rectoribus, qvi hactenus urbi præfuerant, ita Christ. Rusti: *Dorn vvaren nahtem nicht de Burmestern, de helden dat Ding tho rechte, alß in eenem Dorpe. Un umme dat de Hertsach de grote Thosokinge, de dar waß, und dat de Stadt sick seere beterde, des leghete he daran groten Flit, dat se bleven by Eeren und by Gude. He sette, dat man scolde vort mehr Rathmenne darkesen, wyse vrame Lüde.*

Sed juvat ipsum Henr. Leonis de eligendis Senatoribus statutum e veteri membrana adponere:

Herr Henric *von Gades Gnaden, Hertog tho Beyern und tho Brunswick, unde tho Sassen, kündiget allen denen, de düsse Schrifft ansèet, unde höret lesen, dat se ewig schöle sin,*

le ſin, unde ſpreckt düß. Dat ſe witlick alles wema, dat wi andachtig ſin, tho der Ere unde tho den Vramen unſer trouen Borger van Lübeke, unde der Stadt, unde Brodam ſettet, unde bedet, dat man dat veſte holde. Küſt man jenem in den Rath, de ſchal 2. Jahr beſitten den Rath. Dat drütten Jahrs ſchal he fri ſin des Rades, man mochte dan mit Bede van ehme hebben, dat he söa dem Rad. Wie ſettet ock, dat men nemene tr. in den Rath, bene ſie echt van vryer Bort, unde nemannes egen unde ock nen Ammet hebbe van Heeren, unde ock ſi van gudene Rüchte, unde van ener vryen Moder gebarn, de neemans egen ſy, unde nicht ſy geſtlicker Lüde, offte Papen-Söne, unde the hebbe ton facht egen binnen der Muren, ende de nicht upgedreven ſy in ſinen Ede, unde de ſine Naringe mit Hendwarck nicht gewunnen hebbe. Unde uppe dat düſſe Settinge ſtede blive, ſo hebbe wy deſe Schrifft met unſe Inſeegele &c.

4. primi Coſſ. Primi autem qvatuor Conſules, viri prudentia inſignes, ac rerum uſu conſpicui fuiſſe ſcribuntur;

Henricus de Eitheneburg *Saxo.*
Garwinus de Scottorp. *Lundinenſis:*
Berwinus Olde, *civis e veteri Lubeca;*
Johannes de Caſtello, *Rugianus.*

Qvod opifices omnes a ſenatu exclu. ſit, non niſi magna de urbe hac ſibi ſe polliceri, ſatis aperto præ ſe tulit, præſertim ſi attendas, ipſum non tantum in urbe ſua hæreditaria Brunſvico, ſed & in ceteris ſuorum Ducatuum urbibus cives opificiis honeſtis addictos ab illis honoribus non removiſſe.

Rebus omnibus in hunc modum compoſitis, Pribislaus & Wertislaus, fratres, Kiſſinorum & Circipœnorum terris, qvas Leonis beneficio retinuerant, non contenti, Obotritorum regionem, bello per Leonem ipſis ademptam, iterum adfectarunt, irruptionibus crebris Ducis Præfectos, inter qvos ille terram diviſerat, fatigantes. Dux igitur contra ipſos profectus Wertislaum in caſtello Werla dies aliqvot obſeſſum ad deditionem cogit, & Brunſvicum in cuſtodiam abducit. Pribislao autem pacis conditiones præſcribit, & Werlam Lubemaro, qvi Nicloto frater erat, committit. Henricus Pribislai Wertislai natus infr.

Anno ſeqventi Stadæ Dux cum Hartwico Archi-Epiſcopo egit, ut ille Oratorium novum Lubecæ dedicaret. Hic igitur Lubecam contendens, in tranſitu templum Falderenſe a Vicelino olim fundatum dedicat, ac mutato nomine *Novum monaſterium* vocat. Lubecæ vero præſentibus Duce, Epiſcopo & Comite aliisqve primariis viris Oratorium conſecrat. His rebus peractis Geroldus non diu poſt, cum Epiſcopatum qvadriennium ſumma cura adminiſtraſſet, e vita exceſſit, & in medio baſilicæ, qvam ipſe fundaverat, ſepultus eſt, ex qvo poſtea tamen in novum chorum templi Cathedralis, ab Epiſcopo Henrico de Bokholte conditum, translatus eſt, ibi ſub cœrulei coloris lapide conditus jacet (n). 1164. Neumün. Geroldus ritur.

(n) Verba Krummendikii hæc ſunt: *Sepultus eſt in medio baſilicæ Lubecenſis, qvam ipſe fundaverat, & hodie ad novum chorum translatus, ſub parvo qviescens lapide blavio ſtatim infra cancellos. At qvodnam templum Baſilicæ nomine hic intelligendum? puto templum Johannis Evangeliſtæ in monte; illud enim ab ipſo conditum eſſe certo conſtat. Nam templum Matri Dei ſacrum ſemper aut B. Virginis aut Eccleſia forenſis ab iſtius ætatis ſcriptoribus vocatur. Nec Oratorium, qvod qvidem tunc ædificatum & inauguratum erat, unqvam ita appellarunt. Nec demum ipſum templum Cathedrale, qvia illud Ann. 1170. demum exſtrui cœptum eſt. Ceterum circa res hoc anno memoratas legi merentur* Helmold. *p. 77. c. 92. p. 209.* Lerbek. *p. 20. 21.* Kranzii *Wand. 5. 1.* Saxon. *6. 19.* Helmold. *c. 93. pag. 211. Metropol.* Kranz. *6. 38. Chron. Kerck. f. 41. ubi ita:* Geroldus iſt erſt begraben zu S. Johannis auf dem Berge, *adde notas* Bangerti *in* Helmold. *Chron. pag. 214.* Staphorſt in der Hamburgiſchen Kirchen-Hiſtorie *P. I. p. 572. Geroldum Ann. 1162. vita functum eſſe contra* Bangertum *aſſerit, autoritate* Lucæ Brandis de Scaſſ & Kranzii *Metrop. VI. 38. nititur, cum qvo conſentit* Reimer Rock *in Chron. Lubec. MSo. ad A. 1162.*

§. 37.

radus fit scopus.

§. 37. Dux, cum moreretur Geroldus, in Bavariam concesserat; Inde reversus Canonicis Lubecensibus Luneburgium ad se evocatis, Conradum Geroldi fratrem, hactenus Abbatem Riddageshusanum Archi Episcopo & Canonicis mussitantibus, constituit. Recepit tamen Conradus Stadæ sacrum ordinem ab Archi-Episcopo. Vir literis egregie excultus & disertus, qui reditus templi D. Petri Canonicis pro augendo salario contulisse à nonnullis memoratur. (o)

(o) Helm. 2. 1. Krantz. W. 5. 2. Metrop. 6. 43. Petersens Chr. Holf. p. 158.

bislai vio. tia 1164. pressa.

Wertislaus in vinculis suæ sortis oblitus fratrem ad rebellionem excitat. Pribislaus ope Casimiri & Bugislai, Pomeraniæ Ducum, fretus, à Duce deficit, Meklenburgum XIV Kal. Martii occupat, colonos eo deductos ad unum omnes obtruncat, conjuges & liberos captos abducit, arcem solo æquat (hoc non addit Crantz W. 5. 3. habet autem Marescallus Ann. 2. 40.) Malcoviam & Cuslinum deditione capit. Imperator & Papa edictis sanxerant, ut illius essent Slavorum terræ, qui illis pulsis eas primus occupasset, aut ad fidem Christianam illos adduxisset. Henrico Leoni autem Imperator præ ceteris Jus Episcopatus per domitorum Slavorum provincias fundandi & confirmandi, quamquam non sine gravi Romani Pontificis offensa, tribuerat. Eodem igitur anno Dux ex Bavaria reversus, & Albertus Ursus, cum Waldemaro, Danorum Rege numeroso admodum exercitu instructi, contra eum profecturi, Adolfum Holsatiæ, Reinholdum Dithmarsiæ, Christianum Oldenburgi, & Guncelinum Suerini Comites cum armata manu præmittunt. Dux ubi Slavorum fines attigisset, Wertislaum, non inultæ perfidiæ documentum futurum prope urbem Malcoviam suspendit. Eos qui præmissi erant, quod negligentius excubias agerent Pomeraniæ Principes & Primislaus ad Deminum urbem adorti, prælio vincunt, in quo Adolphus, Lubecæ fundator, & Reinholdus, primus Dithmarsiæ devictæ Comes, a Leone constitutus cadunt. Saxones tamen ducibus Guncelino & Christiano sumto iterum animo hostem palantem & castra diripientem iterum adgressi, superant. Supervenit Dux, & Adolphum amicum sibi & clarum militia virum interemtum luget. Mœstum tamen relevavit hostium cædes: nam ultra 2500 ceciderant. Reliqui succenso Domino in Pomeraniam retrocessere. Corpus Adolphi jussu Ducis Mindam delatum monumento patrio in templo Cathedrali infertur. Hac expeditione non modo Pomeraniæ Principes ad sua se recipere coacti sunt, totaque Lutitiorum terrâ misere vastatâ, sed etiam Obotriti, Kissini & Circipani domiti & penitus attriti sunt, totumque Obotritorum regnum cum maxima nobilitatis parte interiit, & omnis ille tractus, ab Eidora fluvio, Suerinum usque, Saxonum est facta colonia. Reliquiæ autem Slavorum propter agrorum desolationem partim ad Pomeranos, partim ad Danos confugerunt, a quibus inter Polonos, Sorabos & Bohemos divenditi sunt.

de Westphal. Monum. inedit. Rer. Germ

Pribislaus ad Pomeraniæ Duces, sanguine sibi junctos iterum commigravit. At Leone Brunsvicum ad Imperatoris Constantinopolitani Legatos audiendos revocato, ipse Deminum, (*Mecklenburgum & alias urbes atque arces ope Ducum recuperare instaurat. Sed cum iisdem invitis, quod Leonis offensam timerent, ex urbe Demino irruptiones in Guncelini Suerinensis & Bernhardi Raceburgensis Comitis terras faceret, persuaserunt ei, ut pacem a Leone peteret. Non tantum ergo in gratiam recipitur, sed etiam Pomeraniæ Ducum intercessione Obotritorum terram integram, excepto solo Suerino, quod Guncelino relictum,*) recuperat: baptismum etiam postea a Bartholdo Abbate Luneburgensi, suscipit, dedicationi templorum Suerinensis & Raceburgensis interest, & A. 1171. a Duce Comes itineris sacri in Syriam assumitur. (p)

Pribislaus terras recuperat & baptizatur.

(p) Videatur Helm. 2. 4. 5. 6. p. 224. seqq. qui tamen ea, quæ parenthesi inclusa & alio typo expressa sunt, non habet. Helmodo adduntur Krantzius in Wandal. 5. 5. & 23. 5. 6. 7. 8. Metrop. 6. 39. Alb. Stadensis f. 192. Marschallus 2. 4. Lerbec. p. 22. Henr. Aquilonip. de Comit. Schawenb. c. 3. Micræl. p. 251. item p. 248. Pomeraniæ & denique Reimari Koks Chronicon dialecto Saxoniæ inferioris conscriptum.

Post Adolphi cædem Mathildis vidua ejus, cum Adolpho III. filio Holsatiam gubernandam suscepit. Sed paulo post propter surgentes Ducibellorum motus, Dux Adolpho adhuc puero Henricum de Orlemunde, Thuringum, tutorem & Holsatiæ ceterarumque terrarum ejus administratorem dedit. Henrico huic, Viro otii impatienti, & in armis strenuo, Mathildis nupsit, ut Adolpho filio patrimonium conservaret. In hoc secundo ejus conjugio Albertus de Orlemunde natus est, cui Waldemarus Rex Holsatiam & ceteras provincias tutandas dabat, cum Adolphum expulisset. (q)

(q) Helm. 2, 7. Krantz Wand. 5. 8. Saxon. 6. 21. Joh. Petersen p. 44.

Interea Ducis fortuna & felicitas facile malevolorum, ita uti fieri amat, oculos & voculas incurrebat. Imprimis fœdere cum Waldemaro, Daniæ Rege, facto vehementer potentiam suam auxerat. Invidia inde & livor aliorum Principum in eum exarsit. Sed auctoritate Imperatoris, quo adhuc amico tum Leo utebatur, repressi sunt. At cum non ita diu post Imperator quarta vice in Italiam movisset, ibi vero erupere invidia & simultas in atrox bellum. Nam a. 1164. ex Episcopis quidem Reinholdus Colonienſis, Wigmannus Magdeburgensis, Hermannus Hildesheimensis, Hartwicus Bremensis, &, quod mireris, Conradus Lubecensis. Ex principibus autem Albertus Marchio Brandenb. Ludovicus Landgravius Thuringiæ ac Christianus Comes Oldenburgensis in perniciem ejus conspirarunt. Leo autem recepto prius, uti diximus, Pribislao in gratiam, numerosum cogit exercitum, terras illorum ferro atque incendiis vastat, & urbes occupatas, inter quas & Brema, recipit. (r)

Henr. L. cum Pribislao hostibus fortiter occurrit. 1164.

(r) Helm.

(r) Helm. 2. 7. p. 86. Krantz. Wand. 5. 8. & 9. Saxon. 6. 20. 21. 27.

Conradus Episcopus Hamburgi apud Archi-Episcopum delitescebat. Vocatus a Duce, & ob male servatam fidem objurgatus, atque de juramento Duci præstando appellatus ad Wichmannum Præsulem Magdeburgensem confugit, & bienium apud ipsum subsitit. (s)

1166. (s) Krantz. Wand. 5. 9. 10.

Regis Dan. & Henr. D. de subigendis Slavis consilia.

Rex Daniæ & Henricus Dux de Slavis reliquis subjugandis, & præda æqualiter dividenda in colloquio ad Eidoram fluvium inter se societatem ineunt. Imperator ut primum ex Italia rediit, Comitiis Bambergæ indictis causam Ducis & adversariorum ejus componit. Ibi & Conrado Episcopo Lubecensi redeundi ad ecclesiam suam potestas facta est. Ut ergo paulo ante Raceburgensis & Mecklenburgensis, sic jam & Conradus Lubecensis confirmationem Episcopatus sui, quam investituram vocant, ab ipso suscipit. Hi tres enim Episcopatus ipsius eximia pietate & insigni liberalitate instaurati erant, Conradus redux, ad exemplum Geroldi, Canonicis suis reditus templi, D. Petro dicati, contulit. (t)

1167. Imp. lites ducis cum adversariis componit & Episcopos confirmat.

(t) Krantz. Wand. 5. 11. Metrop. 6. 39. Saxon. 6. 25. Chr. Kirckr. p. 47. Chron. Holsat. Petræi p. 43. Alb. Stad. ad A. 1668. Helmold 2. 11. Krummendik & alii. MSta Chronica passim.

1168. Waldemarus, Daniæ Rex, Casimiro & Bugislao, Pomeraniæ Principibus, & copiis Henrici Leonis cujus nomine Pribislaus Mecklenburgensium Princeps expeditioni intererat, assumtis Rugiam ingreditur, Suantevitum numun genti profanæ religiosissimum in Arcona urbe destruit, præda magna coacta & præstantioribus insulæ vriis obsidibus acceptis, redit Hac expeditione Rugiani tributarii facti sunt, & ad Christianam religionem adducti sunt. (u)

Suantevitus idolum Rugianora destructum, Rugianis tributa imposita.

(u) Helm. 2. 12. 13. Mork. Joh. Rust. Krantz. Wand. 5. 11. Micrælii Pomeran. p. 254.

Inter cetera Slavorum numina Suantevitus, quasi Jupiter quidam in his locis tum cultus fuit, cui vectigal pendere omnes finitimi necesse habebant, cuique quotannis Christiana hostia semel atque iterum litabatur. Corruptum nomen est ex *Sancto Vito*. Emissi enim olim a Ludovico II. Anno 875. ex Corbejensi cœnobio viri religiosi ad Slavos Christo adducendos, & in Rugiam delati, templum inibi honori Sancti Viti, qui Corbejæ patronus est, condiderunt. Rugiani post ea ad idolorum relapsi cultum, pro Deo hunc habere & divinis colere honoribus cœperunt, depravatoque nomine Suantevitum dixere. Tanta est vecordia & ad superstitionem proclivitas mortalium (w.)

(w) Helmoldus l. 6. Krantz Metrop. 3. 1.

Slavi Daniam infestant.

Rex Duci partem prædæ & obsidum Rugianorum, uti pactum inter illos erat, petenti, eam denegat. Dux igitur Slavis Daniam deprædandi licentiam dedit. Slavi repagulis a Duce hactenus sibi positis soluti, magnis impetu Daniam direpturi, erumpunt.

Non sic aggribus ruptis, cum spumeus amnis
Exit, oppositasque evicit gurgite moles,
Fertur in arva furens cumulo, camposque per omnes
Cum stabulis armenta trahit.

§. 38. Tanta certe onusti præda reversi sunt, ut Mecklenburgi uno die 700 Danos venales proscripserint. Rex Danus damnis suorum compulsus ad Eidoram cum Duce colloquio habito eidem dimidiam prædam & partem obsidum tradit, tributique a devicta gente solvendi alteram partem resignat; Firmatur redingrata hæc amicitia nuptiis inter Kanutum, Regis filium, & Rixam, Ducis e primo matrimonio filiam. (x)

R. Dan. & Sax. exp. in Vanda

(x) Helm. 2. 13. p. 91. Krantz. Wand. 5. 19. & 25. qui A 1168. desponsationem factam vult, cum quo consentit Pontanus p. 248. seq. Fabric. Chemnic. A. 1170.

Pribislaus Obotrirotrum Princeps, abjecto omni rebellionis studio, conquievit, & Rostochium in formam oppidi condere coepit. Nam hactenus arcem tantum cum casulis quibusdam Wandali in eo loco habuerant. Sed & *Doberanum Cœnobium*, Ordinis Cisterciensis eodem anno Princeps, Christianæ religionis amore flagrans, ædificare cum æterna nominis sui fama adgressus est. (y)

1170. Rostochii conditur.

(y) Mareschallus l. 2. 40. fundationem hujus Coenobii refert ad A. 1164. III. Kal. Maj.

Waldemarus Rex & Dux Henricus denuo apud Eidoram convenere & quid de Wandalis facto opus sit, consultarunt. Rex Julinum, Dux Deminum expugnare constituit. (z)

(z) Krantz. Wand. 5. 35.

Rex ergo hoc anno magna cum classe per Suevum fluvium subvectus, Julinum capit, diripit, incendit, nec resurgere unquam & pristinum decus recuperare potuit, quod jam Saxones nova oppida in littore Balthico conderent, præsertim autem *Lubeca* singulari Dei munere tantis augeretur incrementis, ut non modo novas illas Saxonicas, sed & veteres Wandaliæ civitates, olim clarissimas, ipsa nunc quasi obscuraret. (aa)

Julinum destruitur.

(aa) Krantz. Wand. 5. 39. Micrælii Pomer. f. 145.

Majori utebatur Rex felicitate in *Julino*, quam Dux in *Demino* expugnando. Cum enim Dux in urbe hac obsidenda diu defatigatus fuisset, re infecta discedere necesse habuit, præsertim cum etiam turbis ab Uldarico Episcopo Halberstadensi eodem tempore motis, propere avocaretur. Wagriis interim & Holsatis Henricus de Orlamunde Adolphi III. tutor præerat. (bb)

Deminus tra oppidum.

(bb) Kranzt. Wand. 5. 39.

Pribislaus in Coenobii Doberani templo sepultus est, & lapide sepulcrali hæc inscripta: Pribislaus, Dei gratia, Herulorum, Vagirorum, Circipoenorum, Polaborum, Obotritarum, Cissinorum Vandalorumque Rex, teste Mareschallo. 2. 40. Satietas bellorum jam etiam optimum Ducem ceperat. Ergo rebus omnibus per Wandaliam & Saxoniam compositis, ædibus sacris condendis, Lubecensi imprimis & Raceburgensi, & itineri sacro peragendo animum adjicit. Hoc igitur anno Lubecæ *templum Cathedrale*, quod vocant, opus insigne & magnificum ædificare incipit.

Pribislai taphium.

1170. Templum thedrale L. becæ struit. f. Angeur.

Dux

1171. Dux anno sequenti Idibus Januarii Pribislao Obotritorum Principe, Conrado Episcopo, Henrico Abbate Brunsvicensi, multisque aliis primariæ dignitatis viris assumtis, votivum iter in Palæstinam ingreditur. Episcopus, cum jam annos sex Episcopatum rexisset, in Oriente mortuus & Tyri sepultus. Dux anno altero incolumis redit, & omnium bonorum applausu & congratulatione excipitur. (cc)

(cc) Krantz. Wand. 5. 41. Arnold. Lub. 2. 3. p. 94. Krantz Sax. 6. 32. Meibomius ad Helmold p. 98. qui Episcopum Anno 1172. XVI. Kal. Aug. mortuum vult.

§. 39. Canonici Lubecenses a Duce, Kalendis Augusti domum reverso, Henricum Abbatem Brunsvicensem sibi Episcopum dari multis precibus contendunt. Annuit Dux tam honestæ petitioni. Episcopus ab ipso vocatur, præsente eodem a Walone Havelbergensi, (quidam habent Halberstadensi) Bernone Mecklenburgensi, & Evermodo Raceburgensi Episcopo consecratur. Vir singularis in divinis literis scientiæ, cujus præclarum specimen CPoli in disputatione de processione Spiritus S. contra Græcos Theologos ediderat, despicientia item sui insignis, & in concionibus sacris ad populum habendis acer atque industrius. (dd)

Henricus Epi opus factus. 1172.

(dd) Arnold. 2. 8. Krantz. Sax. 6. 34. Metrop. 7. 2. Arnold. 2. 5. Krantz. Sax. 6. 31. Eruditionem Henrici Episcopi h. t. insolitam plane deprædicat Auctor Continuat. Chron. Sclav. ap. Lindebrong. c. 33. Sunt qui eum non Abbatem, sed scholæ Brunsvicens. Rectorem fuisse volunt. Vide Staphorst P. I p. 580. sqq.

Denique quod Chron. Saxon. vetus ait Ducem coepisse A. 1170 templum Cathedrale amplificare, non pugnat cum eo, quod Arnoldus Lub. ipsum hoc tempore primum lapidem istius templi posuisse scribit. Nam Oratorium jam antea stabat, quod A. 1163 ædificatum erat. Id auxisse Leo dicitur, cum ipsius templi ampla structura ejus opera accessit. Dux templo Cathedrali prædia, villas & decimus addidit; voluitque, ut totius Wagriæ summum templum esset, ad quod, tanquam ad commune quoddam oraculum, omnes Slavi confluerent. Templo hoc absoluto, etiam in æde Joannis Evangelistæ (de qua ad A. 1163 diximus) prædiis & villis ornanda & locupletanda Ducis se pia exeruit liberalitas. His, quæ de utroque templo narravimus, cum non parum lucis ex tabulis Leonis de Capella S. Johannis Evangelistæ, accedere possit, subjiciendas illas putavimus.

f. quæ su- ad a. 1170.

Diploma Henrici Ducis ecclesiæ S. Joh. Lubec. datum.

Ego Henricus, Bavariæ & Saxoniæ Dux. Omnibus tam præsentibus quam futuris in perpetuum. Ei, qui nostram semper salutem auget & gloriam, gratias semper agere, & ejus quantum per nos fieri potest, cultui ampliando convenit indesinenter intendere. Ea propter cum Lubecensem insulam, de altis nemoribus nuper erutam, receptioni navium aptam & idoneam providissemus, & in ea Ecclesiam in honorem S. Ioannis Baptistæ & Nicolai Confessoris, ad quam ejusdem insulæ cives & totius Wagneriæ populi, quasi ad sedem Episcopalem, respectum habere deberent, Deo favente instituissemus, augendæ adhuc religionis gratia Capellam etiam in vicino contra septentrionem in honorem S. Joannis Evangelistæ e fundamentis ereximus & dedicari fecimus, eam redditibus ad opus sacerdotis, in ea deservituri, hujusmodi dotavimus, tribus videlicet mansis ad orientem jam dictæ insulæ juxta alveum Wakenitze, earumque decimatoribus, itemque theloniæ in Oldeslo decimatione, quam ad duas Mcc. argenti æstimamus, quarumunam in Purificatione, alteram in Nativitate B. Virginis persolvi debere statuimus: similiter omnium decimationum per universam provinciam Radekowe medietatem, quæ nostris hactenus solebat aggregari granariis, venerabili Domino Henrico jam dictæ Lubecensis Ecclesiæ Episcopo consentiente & autoritatem præstante eidem erunt. Acta hæc sunt Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXV.

de Westphal. Monum. inedit. Rer. Germ.

§. 40. Nondum quadraginta annos urbs steterat, quando navigiis suis commerciorum gratia longe dissitas provincias & regna borealia frequentaret. Jacebat longo tractu ad sinum Venedicum Livonia antiquæ Sarmatarum superstitioni tota dedita. Cives Lubecenses & Bremenses mercaturam ibi facientes humanitate conversationis efferos & indomitos animos paulatim ad religionem Christianam flexere. Mox Meinardum, sacerdotem Segebergensem, secum illuc duxere, qui celeriter varia gentis idiomata addidicit, &, qua potuit, fide atque industria, semina Christianæ religionis inter istos sparsit. Cumque Dei gratia opus prospere succederet, anno 1186. Archi-Episcopi auctoritate huic Meinardo Episcopi dignitas confertur, templa per universam Livoniam surgunt, & brevitempere Meinardi & successorum ejus summis laboribus gens crudelis mitescit & fera colla jugo Christi submittit. (ee)

1176. Livoni conversi. Meinardus eorum Episcopus I.

(ee) Krantz. Wand. 6. 10. Reimar. Kok in Chron.

1177. Cœnobium S. Joh. Lubecæ strictum.

Henricus Episcopus coenobium Joanni Evangelistæ sacrum Lubecæ condidit, Monachis Benedictini ordinis introductis, quos Brunsvico ex cœnobio Divæ Iliæ dicato, in quo ipse Abbas fuerat, evocavit, iisdemque alendis decimas atque villas contulit. Imperator cum multis præcibus ab Henrico Leone non obtineret, ut esset itineris Italici comes, graviter Duci succensuit, quæ offensa ipsi ilias malorum fuit. (ff)

Imp. Henrico succenset.

(ff) Arnold. Lub. p. 105. Joh. Rust. Krantz Wand. 5. 41. Joh. Petersen in Chron. Holsat. Arnoldus Lub. c. 20. p. 104. expeditionem illam Italicam ante conditum monasterium Johanniticum narrat, & videtur ad A. 1175. referre.

1178. Facilius inimicos, quam adjutores magnorum virorum afflictæ fortunæ inveniunt, præsertim si isti, penes quos tota rerum summa est, etiam abalienati esse videantur. Nullo negotio Leo jam opprimi posse nemini non videbatur, cum etiam Imperator gravissime ei succenseret. Hildericus Antistes Halber-

ſtadenſis, cui Landſtenium arcem deſtruxerat, bello eum petit, & auxiliis Wigmanni, Archi-Epiſcopi Magdeburgenſis aperto prælio cum ipſo confligit. Interim Philippus, Antiſtes Colonienſis, cum milite, nonniſi rapinas agere juſſo, impetum in Weſtphaliam facit, & Quernhamelam usque progreſſus, in miſellam agreſtium turbam crudeliter ſævit. Imperatori ex Italia redeunti Epiſcopi & Principes plurimi Spiram usque occurrunt, & graviſſimas, de perturbato a Leone Saxoniæ ſtatu, querelas ad eum deferendo efficiunt, ut
1179. Imperator Leoni Wormatiæ diem dicat. Cum non compareret, denuo Imperator ipſum Magdeburgum, & paulo poſt Goslariam ad dicendam cauſam evocat. Imperator ter vo-
1180. catum nec unquam ſe ſiſtentem, Wurtzburgi
Henr. Leo proſcribitur. ad diem Petro & Paulo Apoſtolis ſacrum, conventu Principum indicto, III. Idus Julii damnat, proſcribit, & omnes ei provincias, arces & urbes, Brunſvico & Luneburgo exceptis, adimit. Et Ducatum quidem Saxoniæ Bernhardo Comiti Anhaltino, Alberti Marchionis filio, maternum genus ab Eilica, Magni Saxoniæ Ducis, filia ducenti: ducatum vero Bavariæ, Ottoni Comiti Palatino Wittelsbachio, ſignifero ſuo; hic ſibi in fen- Weſtphaliam & Angriam Philippo, Præſuli
ſis fortiter ob- Colonienſi; ditiones ultra Danubium Henri-
viam it. co, Auſtriæ Duci; Palatinatum Saxoniæ Hermanno Thuringiæ Landgravio confert. Henricus anathemati ſubjectus non illos modo, qui jam olim ipſi inviderant, ſed & ceteros alioqui amicos, nunc experitur inimiciſſimos. Animoſe tamen Principibus & Epiſcopis, qui terras ejus occupare ſatagebant, ſe opponit. Philippum Archiep. Colonienſem prælio vincit. Thuringiam ingreſſus Northuſium & Mühlnhuſium, urbes Imperii occupat & incendit. Inde in Haſſiam deſcendens Imperatoris exercitum & Ludovicum atque Hermannum Landgravios ſibi habet obvios, cum quibus prælio inito ambos capit. Bernhardum Ducem novum alio prælio ſuperat, tunc cum victore exercitu progreſſus Halberſtadium expugnat, & Hildericum Epiſcopum captum ſecum trahit. (gg)

(gg) Gothofr. Monachus ad A. 1180. Krantz Wand. 6. 12. Saxon. 6. 39. Tratzigeri Chron. p. 39.

Adolphum ſibi auxilian- In prælio contra Colonienſem Ducis partes juverat Adolphus III. Poſt victoriam Dux
tem deim Holſatia ejicit. Adolphum, de præda lites moventem, Holſatia, cum matre (nam maritus ejus poſterior anno 1178. mortuus fuerat) ejicit. Hic Schawenburgum ad avitam patriam concedit & Imperatoris Romani opem implorat. Interim & Bernhardus, Comes Raceburgenſis,
Bernhardum comitem Race. vinculis conſtringit. perfidiæ & proditionis crimen apud Ducem, tunc natalem Domini Luneburgi celebrantem, incurrit. Dequo cum ſe digne purgare non
Raceburgum Gadebuſchum diruit. poſſet, Dux ipſum in vinculis detinet, & exercitum ad expugnandum Raceburgum educit, Comitem ipſum ſecum trahens. Ibi navibus Lubecenſium adjutus Raceburgum capit, & Comitem Gadebuſchum dimittit. Sed & ibi nova contra Ducem cum moliretur, denuo eum propellit, & Gadebuſchum demolitur. Waldemaro Regi ad Eidoram occurrit, & ſocialia arma ab ipſo poſtulat, & hac vice pontem tranſit, in cujus medio antea Regem expectare ſemper ſolitus fuerat. Rex primum Duci graviter exprobratus, multum ipſum Eccleſiæ & Epiſcopis incommodare, ceteros Germaniæ Principes nec genere nec dignitate inferiores alto ſupercilio præ ſe contemnere, pacta vetera callide pro ſe interpretari: deinde cauſas ei exponebat, quare nunc quidem ſubſidio ipſi venire non poſſit. Dux igitur etiam iſta ſpe dejectus, hoc unum a Rege contendit, premat conſilium denegati auxilii, ne alii etiam deficiendi cauſam inde capiant. Ita tunc diſceſſum eſt duobus. Inde Lubecam
ſui defe- propter hoſtium multitudinem Lubecam con-
nem mur. cedit, eamque ad perferendam obſidionem, quam imminere videbat, ſummo ſtudio munit. (hh).

A Rege D ipſi dene tur auxili

(hh) Arnoldus 2. 33. Krantz. Sax. 6. 42. Wandal. 6. 12. Kheb. p. 103.

§. 41. Æſtate proxima Imperator Leoni 1182.
Imp. Re Dan. con Hernicu licitat. imminens expeditionem ingentem contra ipſum parat, ſimul miſſis ad Waldemarum Regem oratoribus, illum, ne Duci ſuppetias ferat, dehortatur; pereosdem, ut fœdus ſecum ineat, & ut illi confirmando duobus ſuis filiis totidem Regis filiæ deſponde-antur, & ut Rex ad Lubecam urbem ſibi occurrat, diligenter petit. Leo audito Cæſarem adventare, Lubecam commeatu & valido præſidio Equitum firmatam Simoni Teckelburgenſi & Bernhardo Oldenburgenſi, Bernhardo de Wel e, Comit bus, duobusque rei militaris peritiſſimis & fortiſſimis viris, Marquardo Holſato & Emich von der Walde committit, & die Petro & Paulo Apoſtolis ſacro Raceburgum ſe confert. Hinc cum mane diſceſſiſſet, Raceburgenſes ab ipſo deficiunt. Ipſe ne Cæſariano exercitui in manus incidat, primo Bardevicum, quo ab ingratis civibus excludebatur, deinde Stadam properat. Imperator, cum quo Rex Alemanniæ, Rex Hungariæ, Rex Bohemiæ, multique Principes & Epiſcopi erant, caſtra ad urbem movet, miraturque urbem tam novam audere obſidionis tam gravis diſcrimen ſubire: obſidionem auget claſſis Danica, à Waldemaro Rege adducta, qui in caſtris ad Lubecam filiam (Krantzius & Kock habent filias) Imperatoris filio, Sueviæ Duci, deſpondet. Pomeraniæ etiam Principes Caſimirum & Bugislaum, ne Duci auxilio venirent, ad ſe in caſtra evocatos Imperator Ducum titulo inſignivit, & Principes Imperii Romani fecit. Lubecenſus obſidionem aliquamdiu fortiter ferebant, ut etiam Imperator ipſe civium magnanimitatem in urbe nova & plancis tantum munita defendenda non parum miraretur. Ceterum ut maximo exercitu circumſideri urbem, & omnia ſibi in dies arctiora viderunt eſſe, Epiſcopo ſuo ad Imperatorem miſſo ſignificant, Duci juramenti religione ſe obſtrictos pro urbe defendenda hactenus pugnaſſe, & pro fide ſtrenue mori paratos eſſe; vinci ſe poſſe, fidem violare non poſſe; petere tamen, ut liceat conſilium Ducis, Stadæ commorantis per legatos miſſos exquirere. Qui, ſi indeditio-

Lubeca ſa ab Imp eiisque a ſe Danica

tionem consentiret, se eam absque mora facturos, sin antequam legati reverterentur urbem oppugnare pergeret, pro fide Duci servanda vitam se forti animo impensuros. Delectatus plurimum imperator responso & erga Ducem fide, precibus locum dedit. Lubecensium legati accepta publica fide Ducem adeunt, præsentem suam conditionem exponunt, seque divino Numine & fortitudine civium fretos annum integrum Duci contra obsidentes urbem defensuros, si intra illud tempus cum auxiliariis copiis certo adfuturus sit. Tempori inserviendum ratus, & urbis exitium metuens Dux prudentissimus, laudata senatus fidelitate & civium fortitudine, legatis Guncelinum Comitem adjungit, et ad tradendam Urbem eos remittit. Senatus autem et cives antequam apertis portis Imperatorem intromitterent, prius cum eodem, ut ne quid de juribus & immunitatibus suis, in silvis, pascuis, fluminibus aliisve rebus, primum ab Adolpho, deinde a Duce concessis & confirmatis, mutetur aut imminuatur diligenter agunt. Promittit Imperator, se non illa modo confirmaturum, sed & nova additurum. Ingreditur ergo Imperator urbem A. 1182. (sive ut volunt alii 1181. sive ut vult Mork. 1180. & a senatu populoque Lubecensi magno cum plausu excipitur. Ille omnia vetera eis privilegia confirmat, & Lubecam Romani Imperii urbem facit. Adolphum III. Imperator etiam reduxit, eidemque non terras modo suas restituit, sed & mediam partem omnium proventuum urbis, quod illa a patre ipsius condita esset, adsignavit. Abbati etiam cœnobii, ab Henrico Episcopo conditi, Johanni Evangelistæ sacri, agros et villas attribuit. (ii)

beca Imperatori sese de-

1182. dericus barossa Lubecam reditur, & ecam S. R. bem facit.

(ii) Alb. Stad. f. 107. a. Krantz. Wand. 6. 13. 14. 15. Saxon. 6. 42. 43. Metrop. 7. 7. 2. Lerbek. p. 20. Chron. Scharp. Aquilonip. de Lub. c. 7. Meier p. 267. Saxon. Gramm. l. 28. p. 330. Chron. Joh. Rusti & Mork. Maresehall. L. V. Curt. IV. 2. 7. III. 8. IV. 1. 16.

Apud recedentem Fridericum Barbarossam Imperatorem Dux per legatos obtinuit, ut data fide publica liceat in colloquium venire; Per Albim igitur Erteneburgum subvectus, & ad Imperatorem admissus, frustra iram ejus lenire conatus est. Causa ejus in conventu Principum Quedlinburgi agitata est, & agitari cœpta. Hic cum Bernhardi Ducis, adversarii ejus, prævaluisset auctoritas, alius conventus ad diem Martini Erphordiæ indicitur. Ibi Imperator Ducem supplicem sibi factum in sua restituisset, nisi Principum dissensu præpeditus fuisset. Bene tamen sperare jusso suadet, secedat aliquantisper e Romani Imperii finibus, donec deferbuerit illud odium, quod tam multi tamque potentes Principes in eum conceperint: Brunsvicensem tamen & Luneburgensem Ducatum sibi retineat. Dux autem, qui & præteritæ fortunæ fastigium capere, & præsentis jugum pati poterat, triennium abjurato Romano Imperio, cum conjuge & liberis circa ferias Paschatos ad Richardum Angliæ Regem socerum suum commigrat. Per absentiam Leonis multa in Saxonia insolenter & perperam fiebant. Bernhardus enim,

nr. I. Impetoris recontionem bit; obnitur princi-

1182. enr. Leo in gliam fece-

cui Ducatus commissus erat, non valebat ea vel autoritate vel potentia, qua aut exteros hostes terrere, aut vicinos Principes cohibere posset. Castellum etiam Erteneburgum dejiciebat, & ex saxis ejus arcem Lauenburgensem in altera Albis ripa construebat. Præter novas autem exactiones trajectum Albis in alium locum, eumque Lubecensibus incommodum admodum transferebat. Hi illam mutationem Imperatori statim conquesti obtinent, ut trajectus in antiquum locum restituatur (kk).

(kk) Krantz. Saxon. 6. 44. dicit id factum An. 1181. At Joh. Rust. & Mork. & Fabric. referunt ad An. 1182. confer etiam Curt. 3. 12. 25. Lerbek. p. 20. Curt. 4. 2. 18. Richrdum Angliæ Regem alii dicunt Leonis affinem, ut Fabricius, alii socerum, ut Krantzius l. c.

Henricus Episcopus III. Kal. Decemb. vita excessit, & in choro cœnobii D. Johannis, uti ipse expetierat, tumulatus est. Canonici Imperatorem Fridericum I. de successore constituendo sollicitant. Perturbatæ illo tempore res Canonicorum virum juris Civilis peritum requirere videbantur. Dat ergo Conradum II. Cancellarium suum, virum literatum, & qui dicendo multum valeret. Hic quanquam a Sigfrido Archi-Episcopo Bremensi confirmatus fuit, (accepit enim Pontificalem investituram in castris Imperatoris juxta Arnoldum 3. 6. 3.) nunquam tamen consecratus est. Cum enim inter ipsum & Adolphum Comitem de Eutinensi advocatia (verbum istius seculi usurpo) & aliis de rebus contentiones incidissent, res suas convasavit, & ad Archi-Episcopum profectus renuntiat Episcopatui, Lubecensibus etiam se non reversurum literis significavit. (ll).

1183. Henricus Ep. obit.

Conradus II. Jctus fit Episc.

(ll) Arnold. Lub. 3. 3. Krantz. Wand. 6. 25. Metrop. 7. 9.

§. 42. Adolphus Comes in terras suas reductus multos ex nobilitate quiantea, a Leonis partibus steterant, pellebat; Hi partim ad Daniæ Regem, partim ad Slesvici Ducem fuga dilapsi, Comiti turbas dedere. (mm)

Adolphus reductus in Holf. sibi infestos persequitur.

(mm) Krantz. Saxon. 6. 44.

Bernhardus Saxoniæ Dux, pacis impatiens, dum potentia Ottonis, Marchionis Brandenburgensis, & Sigfridi Archi-Episcopi, fratrum suorum fretus, Adolpho Lubecam & Oldesloam, quod eæ Leonis quondam fuissent, eripere, Bernhardo item, Comiti Raceburgensi, & Guncelino Suerinensi adimere quædam parat, horum arma inse concitat. Illi igitur junctis copiis Lauenburgum novam urbem ipsius & Iloviam arcem solo æquant. (nn)

Bernh. D. Sax. compescitur.

(nn) Chron. Krummond. Chronic. Petræi & Krantz. Sax. l. 6. 45. Arnold. Lub. 3. 1. & 3. 4.

Conradus, qui abdicaverat se Episcopatu, satis concedit, Canonicis Lubecensibus in electione Episcopi discordantibus, Hartwicus Archi-Episcopus Lubecam ingressus, negotio se immiscet. Tandem omnium suffragio Theodoricus, Præpositus Segebergensis, vir egregie doctus, & insigni pietate, eligitur. Homo vitæ privatæ, in qua precibus & cultui divino crebrius vacare poterat, amantior, ægre

1184.

Theodoricus fit Episcopus.

gre tandem, perſuadentibus Archi Epiſcopo & Comite Adolpho Epiſcopatum ſuſcepit, eundemque annos XXIII. magna rexit prudentia. Adolphus etiam, qui anteceſſorem ejus Conradum litibus ſuis propuliſſe dicebatur, Theodorico humaniter excepto, omnia tribuit, quæ veteri inſtituto alendo Epiſcopo data fuerant. (oo)

(oo) Bonnus. Chron. Petræi, Krantz. Wand. 6. 25. Arnold. Lub. 3. 13. Krummendik refert ad annum 1188.

1186. Cœnobium Reinfeld.

(Cœnobium Reinfeldenſe in Epiſcopatu Lubecenſi ædificare cœptum, & 5. annis perfectum eſt. Conventus Principum Moguntiæ ab Imperatore habitus eſt, ad quem XL. millia Equeſtris ordinis convenerunt Interfuit & Henricus Leo, nuper ex Anglia, decurſis exilii annis, in Saxoniam reverſus) Henricus Leo Brunſvicum ſe contulit, & cum Imperatore per legatos, ut ſua ſibi reſtituantur, egit. (pp)

Conventus Imp. Moguntiæ Henricus exilio redux ſua repetit.

(pp) Krantz. Saxon. 6. 42.

Adolphus civitati Lubec. iniquior.

Adolphus Comes, quo æquior novo Epiſcopo erat, tanto Lubecenſibus infenſior extitit. Nam media proventuum urbis parte non contentus, urbem ſibi uſurpare totam ſtudet, novas exactiones ei imponit, caſtellum ad Travæ oſtium (nam vetus Imperatore Lubecam obſidente a Slavis exuſtum fuerat,) ædificat, & vectigal a navibus portum intrantibus & exeuntibus exigit. His illud denegantibus incommodat ipſe, quantum poteſt. Prædia, ſaltus & flumina omnia, quæ pater ejus Duci, hic vero civitati dederat, ad ſe rapere iterum conatur, irruptionibus factis, pecora, jumenta & homines captos abducit, cives Hamburgi & Oldesloæ negotiantes detinet, merces illorum loco vectigalium jure ſe retinere dictitans. Lubecenſibus ad privilegia a Leone & Imperatore conceſſa provocantibus regerit, Imperatorem nullas novas immunitates eis dediſſe, ſed veteres tantum confirmaſſe. Negari autem non poſſe, ipſos eodem in loco ad Traoſtium Leoni vectigal ſolviſſe, cujus jus cum jam totum ad ſe devenerit idem vectigal ſummo jure ſibi deberi. Lubecenſes duntaxat ad tempus Leoni, portus & terras a latronibus purganti & bella ſumtibus maximis gerenti vectigal illud penſum eſſe, nequaquam vero inde immunitates ſuas in perpetuum conceſſas minui debere, reſpondent. (qq)

(qq) Rheb. p. 117.

Bernh. Com. Raceb. cum ea contentio. 1187.

Nec Bernhardus Comes Raceburgenſis, illa tempeſtate quievit, ſed acri contentione cum Lubecenſibus de limitibus diſceptare cœpit. Delata igitur cauſa ad Imperatorem eſt. Hic augendæ & ornandæ quam minuendæ urbis ſtudioſior, anno 1187. Comite utroque vocato & Lubecenſibus, totam controverſiam de limitibus, de vectigalibus & reditibus ita compoſuit, ut privilegia urbis nulla ex parte minuerentur. Adolphus enim coram Imperatore donationes omnes prædiorum, ſilvarum & fluminum a patre ſuo & Duce unquam factas, ratas habuit. Vectigal tamen (quia media pars redituum ab ipſo Imperatore ei adſignata fuerat) trecentis argenti marcis, prædiorum autem & paſcuorum, Travæ item uſum, a Travæmunda Oldesloam usque ducentis marcis a Comite redemreunt. (rr)

Lites cum utroque compositæ nuntur per Imp.

(rr) Traziger. Krantz. Saxon. 6. 53. Arnold. Lub. 3. 19. Krantz. Wand. 6. 26. Joh Ruff.

Hic Imperator terminos agri Lubecenſis, ab Henrico Leone A. 1163. fixos, novo diplomate confirmat, & quidem Comite Raceburgenſi conſentiente ſancit, ut illi ab urbe *verſus Oriemtem* usque ad fluvium *Stubbeniſſam*, & ex illo usque in *Radegaſtum* fluvium exeant; Verſus meridiem autem ab urbe usque ad ſtagnum Raceburgenſe, & ſupra ſtagnum illud, Raceburgum usque: ab urbe item verſus Occidentem per fluvium Stekeniſſam, & per hunc fluvium usque ad *Molnenſe ſtagnum* protendantur. Cum Adolphi vero conſenſu hos terminos Imperator per Holſatiam, Oldesloam usque extendebat, & *ab utraque Travæ ripa* ad duo milliaria uſum nemorum concedebat, excepto nemore, quod cœnobio B. Virginis adſignatum erat: Piſcandi jus etiam Lubecenſibus ab Oldesloa usque in mare liberum eſſe jubebat. Inſuper omnia jura (ſunt verba privilegii,) quæ primus loci fundator Henricus, quondam Dux Saxoniæ eis conceſſit & privilegio ſuo firmavit, Imperator itidem ipſis attribuit, & datis literis communivit. Teſtes diplomati ſubſcripti ſunt, Conradus Moguntinus Archi-Epiſcopus, Wigmannus Magdeburgenſis Archi-Epiſcopus, alliique Epiſcopi, Duces, Marchiones & Comites. Ex ipſa urbe autem Gyſelbertus de Warendorp, Wolder Soſatienſis, Bernhardus de Erteneburch: Wyzo, Eyko, Egenolphus, Godefridus de Scottorp, Sifridus Struve, Luthertus, Berengerus, Eſico de Bardewic. Perſcriptum eſt in caſtello Liznich XIII. Cal. Octob. anno MCLXXXVIII. Indictione VII.

1188. Lubec. privilegia & jura confirmata

(ss) Imperator voto obligatus ad expeditionem ſacram ſe parabat; Ne per abſentiam ſuam res Imperii perturbarentur, Henricum Leonem, qui jam poſt finitum exilium, Brunſvici aliquamdiu iterum ſubſtiterat, & Bernhardum Ducem conciliare ſtudet; quumque Leo conſentire in omnia Imperatoris & Bernhardi poſtulata non poſſet, & Imperator Leonem de rebellione præ ceteris ſuſpectum haberet, alterum ei indixit exilium. Leo tempori cedendum ratus, denuo in Angliam commigravit. (tt)

Leonis iterum exilium

(ss) Ipſum Diploma, quod ſenatus Lubecenſis in Apologia contra der Zünfte Gegenbericht de A. 1668. vocat exorbitans, antiquis & incultis ſeculis conceſſum privilegium, hoc eſt:

In nomine Sancte & Individue Trinitatis. *Fredericus* divina favente Clementia Romanorum Imperator, Auguſtus. Dignitatis noſtre ratio depoſcit, ut quotiens ortam inter fideles noſtros diſcordiam intelligimus, noſtra eam meditatione precidamus ne, qui unius parent voluntati, eos contingat per diſſenſionum fomenta diſtrahi. Cum igitur fideles noſtri *Comes Adolphus de Scowenburg* & Comes *Bernhardus de Raceburg*, cauſam agerent adverſus *Burgenſes noſtros de Lubene*, ſuper terminis & uſu finium ſuorum;

Charta Friderici I. de a. 1188. HENRICUS *quondam*

rum; Nos partes in præsentia nostra constitutas diligenter audivimus, & intellecta litis materia, pro bono pacis inter eos fideliter conservando, predictos Comites reverentia Veritatis ut rata pacti conventione eo induximus, quod uterque jus, quod ipse petebat, *in manu nostra resignavit*, & nos illud *consensu eorum* predictæ Civitatis habitatoribus tradidimus sine aliqua deinceps perturbatione possidendum. Sint igitur hi termini usibus ejusdem civitatis, nostro autoritatis dono assignati. A Civitate versus Orientem usque ad flumen *Stubenitze* (*) & Srubenitze supra usque *in Radegast* (**) A civitate contra meridiem usque ad *Stagnum Racehurgense*; Et stagnum supra usque ad Racesburg. A Civitate ad Occidentem usque ad flumen *Cikenitze*, *& Cikenitze* supra usque *ad stagnum Müllne*. Intra hos terminos habebunt omnes civitatem nostram Lubeke inhabitantes, cujuscunque fuerint conditionis, omnimodum usum, viis & inviis, cultis & incultis, aquis & piscibus, silvis & pascuis, sive navibus sive plaustris opus sit ad exportandum. Hec a Comite *Bernhardo de Racesburg* nobis resignata Civibus nostris donavimus. Similiter Comes *Adolfus* in manu nostra resignavit, & nos ipsis Civibus nostris tradidimus usus & commoditates terminorum subscriptorum: a Civitate sursum usque ad villam *Oldislo*, ita quod in utraque parte fluvii *Travene* ad duo milliaria usum habeant nemoris, tam in lignis, quam in pratis & pascuis, excepto nemore, quod est assignatum *Cenobio beate Marie*. Insuper licebit Civibus & eorum piscatoribus piscari per omnia a supra dicta Villa Osdislo usque in mare præter septa Comitis Adolfi, sicut tempore Ducis Henrici facere consueverunt. Habebunt & omnimodum usum silvarum *Darischovv & Cluitz & Brotne*, ut tam igni necessaria, quam navibus, sive domibus, aut aliis ædificiis Civitatis sue utilia ligna in eis succidant, absque dolo, ne videlicet idoneas & utiles sibi naves, passim & sine necessitate vendant, & alias fabricent, vel ligna deferant aliis vendenda nationibus. Præterea pascent porcos suos, pecora quoque seu jumenta per totam terram Comitis Adolfi, ita tamen, quod porci seu pecora possint ipso die redire a pastu in marchiam, unde exierint. Insuper oportunitatibus eorum acquiescentes, omnia Jura, quæ primus loci fundator *HENRICUS quondam Dux Saxoniæ* eis concessit & privilegio suo firmavit, nos etiam ipsis concessimus, patronatum videlicet Ecclesiæ Beate Marie, ut mortuo sacerdote Cives, quem voluerint, vice patroni sibi sacerdotem eligant & Episcopo representent. Ad hæc & cum mercibus libere eant suis, & redeant *per totum Ducatum Saxonie*, absque *hansa* (***) *& absque theloneo*, præter *Ertenehurch*, ubi quinque denarios de plaustro solvent: hoc addentes, quot plaustra illuc trans duxerint, pro quibus theloneum supra dictum dederunt, si infra annum & diem redierint, tot plaustra inde sine theloneo reducent. Et quicunque ipsorum supra causa quacunque conveniatur, per omnes Imperii nostri fines & per Ducatum, coram loci illius judice se expurgabit *absque captione* (****) secundum jura jam dicte Civitatis. Præterea omnia Civitatis Decreta Consules judicabunt; Quicquid inde receperint, duas partes *Civitati*, tertiam *Judici* exhibebunt. Pro pace alicui confirmanda lucrum, quod inde provenit, medium solvatur Civibus, reliquum judici. Siquis autem quæstus emerserit per causam Actoris, tertiam partem judex, tertiam Actor, tertiam Civitas habebit. Insuper quicquid lucri provenit de judicio, Civitati debetur medietas, & alia Judici. Et si quispiam mortuus ibi fuerit, & forte heredem non habuerit, omnem hereditatem & supellectilem ipsius annum & diem integraliter in domo, in qua moritur, reservandum censuimus, nisi forte aliquis ei proximus intra tempus denunciatum adveniat, qui hec Jure Civitatis obtineat; si vero intra tempus istud nullus proximorum suorum venerit; quecunque hereditavit, *Regie potestati solvantur*: *RUTENI GOTI*, *NORMANNI*, *&* cetere *gentes Orientales* absque theloneo & absque hansa ad Civitatem sæpius dictam veniant & recedant, item Mercatores cujuscunque Regni, cujuscunque Civitatis huc veniant, vendant & emant libere, tamen theloneum debitum solvant, de fercone quatuor denarios, de mille marcis non amplius. Si quis vero trans fretare voluerit, quodcunque var habuerit, de quolibet det quindecim denarios, & si nullum habuerit, & comedit proprium panem, det quinque denarios; & quodcunque var habuerit, pro quibus theloneum dederit, si redierit infra annum & diem, de tot liber erit. Argentum quoque in eadem Civitate siquis cambire voluerit, in quocunque loco se ei oportunitas obtulerit, *libere cambiat*; si non id ante domum monete fecerit. Consules autem hanc de nostra denatione prerogativam habeant, ut totiens *in anno monetam examinent*, quotiens velint, & si monetarius offenderit, emendet. Insuper confirmamus eis speciali dono, ut nulla persona, alta vel humilis, Civitatem prefatam intra vel extra in terminis suis, edificiis seu munibionibus preoccupet. Sed siquis *Marchiam suam*, quocunque modo obstruxerit, in terra aut in aqua, autoritate nostra freti, evellant & *Marchiam suam expediant*; Quicunque etiam spatia Civitatis per occupationem edificiorum usurpaverit, si pulsatus fuerit, LX. solidos componet; Cives vero jam dicte Civitatis nullam expeditionem ibunt, sed Civitatem suam defensabunt. Item, si aliquis de ipsa Civitate alicubi pulsatus fuerit, de sua libertate, ubicunque pulsetur, ibi sola manu libertatem suam obtineat. Si quisquam extraneorum superveniens aliquem Civem de sua libertate pulsaverit, Civis vicinior est ad obtinendam su-

ſuam libertatem ſola manu, quam extraneus ad ipſum convincendum. Si vero quiſpiam, de terra ipſorum aliquem de libertate pulſaverit, & pulſatus probare poterit, quod annum & diem in Civitate ſine pulſatione ſubſtiterit, pulſatus evadit. Et quoniam jus predictorum Civium noſtrorum in nullo diminui per nos volumus, ſed in omnibus, prout oportunum eſſe viderimus, augmentare, noſtra autoritate inſuper addentes concedimus eis, ut usque ad locum, ad quem *in inundatione* aſcendit fluvius, qui *Travene* dicitur, eadem, qua & intra Civitatem, fruuntur per omnia juſtitia & libertate, usque ad terminos pontis, etiam eadem, qua in Civitate, ut diximus, eos uti volumus juſtitia & libertate. His omnibus dilectis Burgenſibus noſtris conceſſis & collatis, ſingulari quadam gratia ipſis adhuc concedimus, ut quicquid intra Civitatem ſui juris poſtea emendare voluerint, ſine tamen *prejudicio noſtri Judicis*, emendare non obmittant. Ut igitur hoc noſtræ conceſſionis Privilegium ipſius noſtre Civitatis incolis ratum & inconcuſſum in perpetuum permaneat, hanc eis chartam noſtre imaginis impreſſione roboratam donari mandavimus. Imperiali ſtatuentes autoritate, ut nulla omnino perſona, alta vel humilis, Eccleſiaſtica vel ſecularis, hoc noſtræ Majeſtatis beneficium corrumpere audeat aut ei quolibet modo contraire. Quod qui facere preſumſerit, quingentas auri libras pro pœna componat, mediam partem fiſco noſtro, reliquam vero incolis Civitatis perſolvendam. Hujus rei teſtes ſunt *Conradus Moguntinenſis Archi-Epiſcopus*, *Wichmannus Magdeburgenſis* Archi-Epiſcopus, *Hartwicus Bremenſis* Archi-Epiſcopus, *Adelbogus Hildenſemenſis* Epiſcopus, *Bartoldus Nuemburgenſis* Epiſcopus, *Martinus Miſnenſis* Epiſcopus, *Bernardus Dux Saxonie*, *Otto Marchio Miſnenſis*, *Marchio Dedo*. *Cornadus Præpoſitus Goslarienſis*, *Burchardus Burggravius* Magdeburg. *Gevehardus* frater ejus. *Comes Segebodo de Scartveld*, Comes *Burchardus de Waltingerode*, Hugo *de Warda*, Timo *de Colditz*, Hermannus Advocatus *de Lubeke*, Godefridus *de Stadorp*, Sifridus *Stuve*, Lutbertus *Berengerus*, Cnuto *de Bardewick*, & alii quam plures.

Ego Johannes Imperialis Cancellarius, in vice Conradi Moguntini Archi-Epiſcopi Germanie Archi-Cancellarii recognovi. Acta hæc ſunt anno Dominice Incarnationis 1188. Indictione ſeptima, Regnante Domino Frederico, Romanorum Imperatore Auguſto, Anno Regni ejus 37. Imperii vero 35. Datum apud Caſtrum Lizenize 13 Cal. Octobr.

(*) Hodie Stepnitz. (**) Fluvium prope Gadebuſum. (***) ſeu penſitatione intuitu commercii vel mercium exſolvi ſolita. MEIERUS de Reb. Flandr. anno 1164. ita: ab omni telonio & hanſa, quam vocant, fecit liberos. Et ad 1127. Quisquis eorum ad terram Imperatoriam pro negotiatione ſua perreperint a nemine eorum Hanſam perſolvere cogantur. In- Hanſa quid
de apud Anglos Hanſel dicitur primus rei fructus, & honſel ſtrena quod docet SKINNERUS in Lex. h. v. Pertinet huc Hanſæ feudum, vulgo Ans-Lehn, ea quidem conditione apud Germanos conceſſum, ut annua penſio Domino præſtetur, inſtar juris emphyteutici, notante SCHILTERO: Antiquit. Teut. T. III. p. 52. (****) Quam plures accipiunt pro detentione, Arreſto vel Warandia, ideo quod in antiquis diplomatibus captio dicatur JURICAPIUM item VARE, WARA, WARENDA ſeu Evictio. Facere huc videtur Diploma Friderici II. Confirmati
quod JOH. MICH. HEINECCIUS antiquitati- Friderici II
bus Goslar. L. 2. p. 219. inſeruit. Præcepimus 1226.
vero, ut omne jus absque CAPTIONE, quod vulgo Vare dicitur, obſervetur, tam de extraneis quam de Burgenſibus; & antiquæ leges Goslarienſes apud LEIBNITIUM T. 3. Script. Brunſv. p. 522. item Literæ Imperatoris RUDOLPHI I. civitati Argentoratenſi datæ apud WENCKERUM apparat. Archiv. p. 185. Alii vero hoc vocabulum varie interpretantur nunc jurisdictionem, nunc obſtagium, judicium, placitum, exactionem, tributum. De quo argumento alibi.

Confirmatio hujus Privilegii facta a Friderico II. Rom. Imp.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis.

Fridericus II. Divina favente clementia Rom. Imperator, ſemper Auguſtus, Hieruſalem & Siciliæ Rex. Præclara noſtrorum obſequia manifeſtis indiciis operum comprobata, tanto debemus liberius munificentiæ Noſtræ gratia prævenire, quanto Celſitudini Noſtræ grata exhibuit pariter & accepta. Nolumus eos a mercede repellere, a quibus ſervitia accepimus fructuoſa, nec bene meritos ſine condignæ retributionis viciſſitudine præterire. Univerſis igitur Imperii noſtri fidelibus, tam præſentibus quam futuris volumus eſſe notum, quod fideles noſtri Burgenſes de Lubeke quoddam privilegium eis a Domino quondam Imperatore Friderico avo noſtro memoriæ recolendæ, indultum, per Johannem filium Volckwardi, Canonicum Lubecenſem, Guilelmum filium Bartoldi, & Johannem dictum de Brema, Burgenſes Lubecenſes, fideles noſtros, Celſitudini Noſtræ præſentarunt, humiliter ſupplicantes, ut privilegium ipſum, & ea, quæ continentur in ipſo ſibi ſuisque ſucceſſoribus confirmare de Noſtra gratia dignaremur. Cujus privilegii tenor talis eſt:

Fridericus divina favente Clementia Rom. Imperator &c.

Sequitur totum privilegium Friderici II Rom. Imperatoris.

Nos autem prædictorum Lubecenſium fidelium noſtrum devotis ſupplicationibus benignius inclinati, conſiderantes quidem ipſorum devotionem & fidem, quam ad Noſtram habere Celſitudinem dignoſcuntur, nec non grata & accepta ſervitia, quæ progenitoribus Noſtris & Nobis devote ſemper exhibuerunt, & quæ culmini noſtro poterunt de bono in melius inantea exhibere. Prædictum privilegium, & quæ continentur in ipſo, ſicut ſupe- Captio, quid?

perius ſcriptum eſt, jam dictis Burgenſibus Fidelibus Noſtris, & eorum Succeſſoribus in perpetuum de noſtra gratia confirmamus. Acta hæc ſunt Anno Domini incarnationis 1226. Menſe Maji 14.

(tt) Alb. Stad. A. 1189. Krantz. Sax. 7. 1. Meib. Bardevic. p. 18. Krantz. Metrop. 7. 8. qui unum ſaltem iter Leonis facit.

1189. expeditio Paleſtinam. Rebus ita conſtitutis Imperator cum innumerabili exercitu, in quo & multi Lubecenſes, in Palæſtinam adſumto Adolpho Comite, ad recuperandam Hieroſolymam movit. Adolphus matrem, uxorem, liberos & provincias ſuas Adolpho a Daſſel, affini ſuo committebat. (Duxit autem Adolphus III. Alheidam, Borchardi Comitis de Daſſel filiam.) Cum ergo Alheida fuerit Adolphi a Daſſel ſoror germana (ut ipſe Krantzius ſcribit Wand. lib. 6. 29.) Adolphus a Daſſal fuit Adolphi III. affinis, non autem avunculus, ut vult Krantzius l. c. (uu)

(uu) Albert. Stad. A. 1189. Krantzii Saxon 7. 1. Petræi Chronicon anno 1188. Krantzii Metrop. 7. 14.) Annus expeditionis primum certus eſt ex deſcriptione Tagenonis, Decan. Patavienſis, qui ipſe itineris comes fuit. Extat narratio ejus Appendice Marq. Freheri ad Tom. I. Script. German. p. 6. deinde ex eo, quia autore Trazigero p. 40. adhuc inedito, Imperator ante diſceſſum Anno 1189. Hamburgenſibus privilegia dedit.

Nulla ſecula de Lubecenſium in hac expeditione pia liberalitate & religioſa pietate conticeſcent. Multi Germanorum per acies vulnerati, plures inſolito Africæ æſtu ita debilitati erant, ut niſi refocillantium ope ſuſtentarentur, pereundum eſſet quam plurimis. Ibi vero quorundam Lubecenſium & Bremenſium, qui expeditioni intererant, animos ea incendit religio, ut miniſteria ſua, ut facultates, & pene vitam ipſam impenderunt ægrotis. Nam in tentoria ex navium velis facta, illos comportarunt, diebus atque noctibus præſto fuerunt, & quibuscunque poterant modis, manum auxiliatricem adhibuerunt. Facile tam pia ſtudia, illo præſertim ævo, inveniebant æmulos. Nam brevi tempore tam multi milites, nobiles & gregarii, idem vitæ inſtitutum amplectebantur, ut peculiarem ſocietatem, quam Ordinem fratrum Teutonicorum Sanctæ Mariæ vocabant, facerent. Eum Fridericus II. per Papam Cœleſtinum III. confirmandum curavit. Hic poſtea magnam Pruſſiæ partem, & totam pene Livoniam tenuit, donec tandem Albertus Brandenburgenſis XXXIV. magiſter Ordinis, pace cum Sigismundo Rege Poloniæ facta, Anno 1525. 8. April. Ordinem in Ducatum Pruſſiæ commutavit. (ww)

(ww) Krantz. Wand. 6. 28. Saxon. 7. 16. 17. Metropol. 7. 9. & 14. narrat Ordinem ortum in expeditione Henricii VI. adde Rehb. p. 118. Reim. Kok. Franc. Iernic. Exeg. Germ. 5. 47. 48. Alex. Gaguinus de reb. Polon. p. 56. edit. Piſtorii. Nidd. aſſerit a Clemente III. Anno 1191. at Calviſius ex Centuriat. Magdeburgenſ. Ordinem in expeditione Henricii VI. ortum, & ab Innocentio III. anno 1201. 22. April. confirmatum eſſe narrat. Mareſcalcus Defloral. l. 5. p. 10. in expeditione Barbaroſſæ ortum & a Cœleſtino confirmatum ſcribit.

§. 43. Henricus Leo, qui publicæ pacis & quietis cauſa ex Imperii finibus ad tempus conceſſerat, cum videret, vicinos vultures etiam parvis avitarum poſſeſſionum reliquiis inhiare, imo quædam impune ab ipſis invadi & diripi, non amplius ferens injurias, cum etiam Anglus ſororius Danus gener, Reges potentiſſimi, eum incitarent, ex Anglia in fine Septembris revertitur, & primum Hartwici II. Archi-Epiſcopi ope Comitatum Stadenſem, qui tunc Adolphi erat, occupat: mox opera nobilium quorundam Hamburgo, Itzehoa & Plœna in poteſtatem ſuam redactis, Adolphum a Daſſel, Adolphi item Comitis matrem & uxorem pellit. Hi Lubecam confugerunt, ipſe Holſatiam, Stormariam, & Wagriam univerſam occupat. Inde cum exercitu, in quo Bernhardum Raceburgenſem, Helmoldum Suerinenſem, Bernhardum Welpenſem Comites habebat, progreſſus, & in ſpem recuperandi Ducatus Saxoniæ erectus, totum exercitum Bardevico, urbi ſuæ hæreditariæ, quæ valido Bernhardi Ducis munita erat præſidio admovet. Accedenti non introitus modo negatur, ſed & Princeps optimus per ſummam contumeliam illuditur. Efferatus igitur Leo (nollem factum) die XXIIX. Octobr. qui Simoni & Judæ Apoſtolis ſacer eſt, urbem, quæ mille annos ante Chriſtum natum ſteterat, (Meibom. de Bardevic. p. 3.) delet & ſolo æquat. Inde copias circa diem feſtum Martini ad Lubecam obſidendam ducit. Intellexerant cives, quid de Bardevico actum eſſet, ab Imperatore etiam longe extra fines Imperii verſante auxilia ſperari non poſſe. Leonis ergo vires ſuasque penſantes, per legatos obviam miſſos, paciſcuntur, ut Aldolpho de Daſſel & Adolphi Comitis matri & uxori, ceteris etiam, qui ex Adolphi miniſtris reliqui in urbe erant, incolumibus abire liceat, urbemque ei dedunt. (xx)

Lubeca in poteſtatem Leonis iterum pervenit.

idemque ſuas poſſeſſiones repetit.

Bardevicum reſiſtens ſolo æquat.

Lubeca ipſi traditur.

(xx) Krantzius in Saxon. 7. 2. qui falſo refert ad A. 1188. Notijſunt verſus. Dux poſt M. poſt. C. poſt octoginta novemque Bardewick deſtruxit, Simonis ſol quando reluxit. adde Lerbeck. p. 24. Trazigerum in Chron. Curt. 8. 2. 29. Aquilonip. de Læto cap. XI. Curt. 7. 11. 26.

Progreſſus cum exercitu Dux Lauenburgum, novam arcem a Bernhardo Duce conditam, obſidet; Obſeſſi libertatem diſcedendi pacti, cum nondum integrum menſem obſidionem toleraviſſent, Leoni ſe permiſerunt.

1190. infelix cum Adolpho Holſ. pugna. Adolphus de Daſſel collecta aliqua ex Holſatis, Stormariis & Wagriis militum manu Lubecam inquietabat. Contra hunc ex urbe Dux Bernhardum Raceburgenſem, Helmodum Suerinenſem Comites, & Jordanum Dapiferum (Spieſsträger) emiit; Hiinfelici pugna cum Adolpho congreſſi cum ſuis partim in Trava amne ſubmerſi, partim capti ſunt. (yy)

(yy) Krantz. W. 6. 30. Sax. 7. 2. Chron. Peterſ. p. 49. Aquilonip. c. 13.

Conditiones Henrico L. ab Imp. præſcriptæ. Ægerrime ferebat Henricus VI. Rex Romanorum, Leonem ex Anglia reverſum, Adolphi in Palæſtina adhuc commorantis terras & ur-

de Weſtphal. Monum. inedit. Rer. Germ.

& urbes occupare. Dux autem Imperatore in conventu Fuldæ indicto urgente tandem in has conditiones consensit, ut Adolpho Holsatiam & ceteras, quas occuparat, terras redderet, Lubecam retineret quidem, sed mediam reditum partem Adolpho etiam concederet: Lotharium filium obsidem daret, Lowenburgum demoliretur, & muros Brunsvici quatuor in partibus dejiceret. (zz)

Holsatia cedit Adolpho.

(zz) Krantz. Sax. 7. 3

§. 44. Adolphus Comes cum Tyrum venisset, occupatæ a Leone Holsatiæ & Lubecæ nuntium accipit. Domum ergo propere reversus, in compositione Henrici VI, præsertim cum adveniens tota Holsatia excluderetur, non acquievit. A Bernhardo autem Saxoniæ Duce, & Ottone Marchione Brandenburgensi, Bernhardi fratre Ertenburgum reductis, assumto Bernhardo II. Comite Raceburgensi (nam hic Adolphum sequebatur, cum Bernhardus pater Ducis partes tueretur) Lubecam, quam Dux Luitgardo van Bergen tutandam commiserat (teste Chron. Scharp. & H. Rheb. p. 130.) obsidet. Et Bernhardus quidem a parte australi; Adolphus ab occidentali castra locabant. Facile tolerabant Lubecenses obsidionem, donec etiam Travam palis in terram alte defixis obstruerent. Sed &, durante obsidione, Adolphus ad Kanutum, Daniæ Regem, profectus, cum illo egit, ut sibi potius quam Lubecensibus auxilio veniret. (aaa)

Lubeca obsidetur,

(aaa) Krantz. Wand. 6. 31. Saxon. 7. 4. Chronic. A. 1158.

Leo subveniendum urbi ratus, cum manu valida Conradum de Rothen, qui nomine Ducis tunc Stadam præsidio tenebat, & Bernhardum seniorem, Comitem Raceburgensem, ad solvendam obsidionem mittit. Hi ab illa parte, qua Bernhardus junior ipsam obsidebat, Herenburgum versus, inito cum hostibus prælio eos ab obsidione depellunt. Diffugiunt hostes, & maximam partem cum Bernhardo juniore intra Raceburgum se recipiunt, cives erumpunt & castra diripiunt. Bernhardus senior post disiectos hostes CCCC. Equites præsidium in urbem ducit. Altero igitur die sperata eadem victoria, etiam Holsatos, qui ab altera parte urbis ad fluvium Swartow castra locaverunt, & jam Danorum auxiliis aucti erant, adorti repelluntur. Hinc animus additur Bernhardo Juniori, ut rediret, & urbem a parte australi iterum obsideret. Multitudo hominum & jumentorum in urbe statim annonæ caritatem fecit. Ideo Ducis Equites, quo minus graves essent civibus, & quia magno usui in urbe defendenda non erant, noctu urbem egressi ad Ducem tendunt. Hos Bernhardus Comes insequitur, & prælio apud Boitzenburgum vincit. Erant inter captivos nonnulli cives Stadenses. His Adolphus Comes incolumitatem promittit, si ipsorum opera Stadam capiat. Illi conditione ista accepta liberi dimissi domum remeant (Krantz. Sax. 7. 4. Wittenburgum ponit.) Comitem deinde per Suingam fluvium copias adducentem conspicati, obviam ei procedunt & urbem potestati ipsius permittunt. Inter hæc Archi-Episcopus Bremensis a civibus suis ejectus, Theodoricum Episcop. Lubecensem, a communione Ecclesiæ excludit. Bremenses, quod viderent, Episcopum excommunicationem non meruisse, pro bruto fulmine eam habent. Lubecenses audita Stadæ occupatione, & ipsi, quid agendum sit, consultant, scinditur incertum studia in contraria vulgus, in alia omnia abeuntibus sententiis. Quidam enim Danorum Regi, urbem tradendam putabant, ut liberi negotiandi in Dania potestatem obtinerent: Alii Ottoni Marchioni, Imperatoris Vicario, permittendam censebant, ne ab Imperatore proscriberentur. Ceteri, ne, dum a Rege aut a Marchione frustra expectarentur auxilia, multi in urbe fame, quæ propter diuturnam obsidionem invaluerat, perirent, si Comes privilegia urbis priora omnia rata habeat, & Ducis milites, qui in urbe essent, inviolatos dimittat, urbem ei aperiri suadent. Horum sententia obtinuit. Ergo Comes, ubi prius literis suis hæc omnia confirmasset, Anno 1192. urbem intrat. (bbb)

cui subvenit Leo.

Stada capitur ab Adolpho.

Lubeca ab Adolpho iterum capta

(bbb) Arnold. Lub. 4. 12. Krantz. Wand. 6. 33. Sax. 7. 5. Chron. Anni 1158. A. Rheb. p. 130.

1192. Adolphus jam Holsatiæ, Stormariæ, Wagriæ & Schauemburgi Comes, rebus tam prospere gestis, animosior factus, ut Danis par pari referret, (nam Waldemarus Dux Slesvicensis, Regis frater, ipso absente Holsatiam vastaverat) & ut Imperatori, qui Dano propter turbatas nuptias, & propter denegatam Romano Imperio obedientiam, infensus erat, gratificatur, Waldemaro Archi-Episcopo Bremensi, Kanuti Regis filio (Krantz. Sax. 7. 5. & 7. & Petræi Chron. Holsat. dicunt fuisse Episcopum Slesvicensem) at jam cum Kanuto Rege de regno Daniæ bellum gerenti, se junxit. Eidoram transgressus, Slesvicum usque cædibus & rapinis replevit. Ottoni etiam Marchioni contra Kanutum pro Rugia, Mecklenburgica terra, & Rostochio obtinendis, bellum moventi, copias suas junxit, & continentem terram, quæ Jarimaro Rugiæ Principi suberat, ingressus ferro & igni populatur. Hæc res Adolpho causa iteratæ expulsionis & amissæ Lubecæ fuit. Nam Daniæ Rex tot offensionibus exacerbatus, Comitem Holsatia pellere statuit. Hostili igitur exercitu eam ingreditur. Comes frustra adventu Marchionis expectato, pacem hac vice a Rege pecunia redimit. (ccc)

idem Dan invadit, terra sua pu fus pacem demit.

(ccc) Arnold. Lub. 3. 8. Krantz. Saxon. 7. 5. Arnold. Lub. 6. 10. item 4. 17. Krantz. Saxon. 7. 18. ait id anno 1201. factum esse.

At cum Comes postea non quiesceret, verum cum Adolpho de Dassel Lauenburgum expugnaret, & Ditmarsos, qui tunc Danorum imperio suberant, invaderet manerentque Regi veteres injuriæ alta mente repostæ, multi etiam Noblies Holsati ab Adolpho, quod Henrici Leonis partes olim secuti essent, terra pulsi ad Regem & Waldemarum confugerent, & ultionem peterent, Rex Duci id bellum demandabat. Cives etiam Lubecenses in Scania negotiantes, quod Adolpho jam parerent, cum navibus & mercibus detinebat.

novi ipsius motus.

§. 45.

1197. becensium CC ultro in peditionem, ram cum p. proficiatur.

§. 45. Insignis illa Lubecensium fuit pietas, quod Imperatori Henrico VI. iter Hierosolymitanum indicenti, ex una Lubeca CCCC viri fortes se obtulerint, qui sanctæ crucis signo suscepto ad sacrum iter se devovebant. Etsi enim cum insigni damno Argonautarum Christianorum conjuncta fuit ista expeditio, deprædicanda tamen pia & religiosa optimorum virorum voluntas, qui non suo quodam consilio neque spe prædæ adducti iter periculosissimum ingredi decrevere, sed Christo Servatori pietatem suam, Pontifici, cui se debere putabant, obedientiam, & Christianis in oriente miseris modis a Saracenico milite afflictis officium justumque debitum persolvere voluerunt. (ddd)

(ddd) Meibom in Lerb. p. 59. Arnold. Lub. 5. I. Krantz. Saxon. 7. 9. & Chron. Petræi habent A. 1197. conferatur etiam Arnold. Lub. 6. 13. Krantz. Wand. 6. 38. Saxon. 7. 19. Chron. Petr. p. 51. Tratzigeri Chron. p. 42. Maresehalus libr. Defloral. 5. pag. gii. Chron. Ann. 1158.

Adolphus Comes jam iterata vice, & Conradus Episcopus quondam Lubecensis, nomine Imperatoris eidem expeditioni intererant.

aldemarus lolphum lo superat. 1201.

§. 46. Waldemarus valido exercitu Holsatiam intrat, Adolphum congredi ausum prælio vincit. Itzehoam & Plœnam captas dirimit: Segebergum & Travemundam aliqua parte copiarum obsidet. Ea fortuna usus eodem anno denuo instaurato exercitu circa diem Simoni & Judæ sacrum redit, & ab Hamburgensibus cum honore suscipitur: (Adolphus autem Hamburgo Stadium discesserat) Lauenburgum quidem expngnare non potest, at Raceburgum, Witteburgum & Gadebuschum de ditione capit. Jure enim se has terras occupare dictitabat, quia a Kanuto Rege Veneti domiti & ad Christianam fidem adducti essent. Cum exercitum ex Mecklenburgica terra reduceret, Lubecæ obsidendæ eum admovit, quod urbs jam Adolphi Comitis esset. (eee)

(eee) Arnold. Lub. 6. 13. Krantz. wand. 6. 38. Saxon. 7. 19. Chron. Petræi p. 52. Tratzig. p. 42. Maresch. Destor. lib. 5. p. yii Chron. Anni 1158.

Lubecenses in præruptum & anceps adducti periculum, quod vicinas urbes, etiam munitiores. & propugnacula omnia esse in potestate Ducis, & nec ab Adolpho Comite, qui secesserat, nec a Philippo, Romano Imperatore, qui bello contra Ottonem, Henrici L. filium, detinebatur, juvari se posse cerneret, nec alia ratione Cives suos in Scania detentos liberari nunc posse, Duci, nomine Regis, jura & privilegia omnia ab Imperatore, Henrico Leone, aut Comite unquam data, prius litreris confirmanti urbem dedunt. Hoc pacto Anno 1201. Lubeca in Danorum potestatem, sub qua annos XXV. permansit, invita pervenit. Adolphus terris suis ejectus, Stadæ comparato exercitu Holsatiam recuperare statuit, Hamburgenses ejecto Waldemari præsidio ipsum intra mœnia recipiunt. Ex Hamburgo igitur, Segebergo, Travæmunda & Lauenburgo, quæ adhuc præsidiis tenebat, se terras suas sibi interim vindicare posse spe-

becam in potesta- a redigit. 1201.

rat. Waldemarus comperto Adolphum Hamburgi jam subsistere, media hyeme ipsum in urbe obsessum, Albi jam glacie obducto fugere non valentem capit & vinculis constrictum Slesvicum abducit. (fff) Adolphus sua recuperare studens capitur Hamb.

(fff) Krantz Metrop. 7. 27. Alb. Stad. An. 1201. Krantz. Saxon. 7. 20. Arnold. 6. 13. Reyman. lib. 2. p. 14. Pomar Sächsisch. Chron. c. X. Petersen Chron Holst. p. 182. Arngr. Jons append. rer. Island. Helmold. c. 36.

Lætus imprimis erat Kanutus Rex, quod Lubecam, ex qua omnes terras intra mare Balthicum & Albim tueri posse se credebat, in potestatem suam redegisset; Ergo ipse proxima æstate Lubecam magna pompa intrat, & ab omnibus cum applausu excipitur. Tum, & qui Travæmundæ a Comite præfecti erant, illam Regi offerunt. Admoto etiam ad Mœlnam urbem exercitu acceptis obsidibus in Daniam iterum regressus est. Dux autem ad cetera loca occupanda relictus Segebergum magno molimine expugnat. Ibi audito de fratris morte nuntio, qui pridie Id. Novembr. 1201. vitam cum morte commutaverat, in Daniam properat, atque omnium consensu Rex coronatur. (ggg) Waldemarus Segeberga expugnata Lubecam intrat.

(ggg) Krantz. Wand. 7. 1. Saxon. 7. 20. qui tamen c. 21. dicit esse factum Anno 1202. Joh. Ruff. Arnold. l. 6. 15. 17. Reben. Chron. lat. p. 72.

In Majo anni sequentis 1202. novus Rex cum magno exercitu iterum in Holsatiam progreditur magnifice Augusto mense Lubecam ingreditur ibidemque Rex Danorum, Slavorum & Nordalbingiæ Dominus salutatur. Inde denuo exercitum Lauemburgo expugnando adhibet, indignum ratus, cum omnia cis Albim in sua potestate haberet, unius arcis obstaculo cursum victoriæ suæ impediri. Diu frustra obsidet; pertæso tandem diuturnæ obsidionis, & promittenti, se Adolphum Comitem dimissurum arx traditur. Adolphus jam XL. annos natus, duobus filiis & aliquot amicis suis datis obsidibus, dedito etiam Lauemburgo, Schawenburgum se contulit, ibidemque donec Rex a Comite Suerinensi caperetur, & Lubecenses, a Danis liberarentur, substitit. Waldemarus (2) Rex Holsatiam, Lauenburgum Raceburgum & reliquas cis Albim terras, Alberto de Orlamunde, Adolphi pulsi fratri uterino committebat. Rex in regnum reversus terminos agri Lubecensis, a Duce & Friderico I. positos, jura item & immunitates civitatis, quibus ipsa hactenus usa fuerat, confirmat. Perscriptum privilegium in castello Orthburge VI. Kal. Decembr. Anno MCCII. (hhh) 1202. Rex Dan. Salv. & Nord. Albin. giæ salutatur. Lauenburgum capit. Adolphus liberatur. 1204. Lubec. privilegia a Waldem. confirmata.

(hhh) Arnold. Lub. 6. 17. Joh. Ruff. Krantz. Sax. 7. 12. 27. 39. Arngrim. Jonæ Append. rer Island. post lit. B. 3.

§. 47. Philippus Imperator, cum Ottone reconciliatus, Lubecam & Hamburgum, quas urbes Dani per istos Imperii motus ceperant, recuperare statuit. Ast ubi contractis copiis in eo esset, ut expeditionem susciperet, nefarie ab Ottone Wittelsbacchio, Bambergæ in lectulo suo interficitur. (iii) 1208. Philippus Imp. Lubecam recuperare studet, occidi tur.

(iii) Arnold Lub. 7. 14. Krantz. Sax 7. 28.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Lubeca exusta 1209.

Lubeca denuo ita tota conflagravit, ut quinque solum domus incendium effugerent, quæ in hunc usque diem isti plateæ nomen dederunt. Ita uno die iterum perit, quicquid jam tot annorum decursu tantis laboribus & infinitis sumtibus paratum erat. Unus dies consumtis civium mercibus & ceteris facultatibus ad incitas redigit, qui omnes urbes Vandalicas opibus & potentia longe anteibant. Tanto malo accedebat & illud, quod ab insolenti Danorum milite, qui urbem tenebat, inhumanius cives tractarentur; cujus tanta erat insolentia atque importunitas, ut duces non modo iniquissima populo tributa imponerent, sed & cum urbs reædificaretur, plateas a se denominarent. Bonni Chron. 2.30. Cbron. Slav. Anno 1209. Krantz. W.7.6.

Sunda ædificatur.

Rex Waldemarus & Jarimarus Rugianorum Princeps Stralsundaum ædificant. (Krantz. Wand. 7. 4. Pomar. Chron. Sax. p. 304.)

1210. Theodorico episc.

Theodoricus Lubecensium Episcopus mortuus est.

1211. succedit Bartholdus.

Bartholdus, Episcopus sextus, e Canonicis electus est. Hic ædificiorum exstruendorum, quam concionum sacrarum ad populum habendarum studiosior fuisse perhibetur. Domum, quam hucusque Episcopi in loco, ubi quondam Lubeca vetus steterat, possederant, Lubecensibus cum omni Jurisdictione concessit. Privilegium scriptum est A. 1225. Idem privilegium confirmavit Johannes Episcopus novo prvilegio scripto id. Mart. 1234. (kkk)

(kkk) Mork. & Ruff. Alb. Stad. ad h. a. Krummendikio audit sextus, Petræo quintus. Krantz. Metrop. 7. 32. Chronicon. Anni 1158.

1215. Hamburgum ab Imp. Danis subtrahitur.

Otto IV. Imperator, cum Ottone Marchione Brandenburgensi (quem Chronicon Anni 1158. Albertum vocat) & Waldemaro Archi-Episcopo Bremensi, Hamburgenses obdet. Hi Danorum pertæsi Imperatori se dedunt. (lll)

(lll) Alb. Stad. ad h. a. Krantz Sax. 7. 36. Wand. 7. 4. Joh. Ruffus Maresc. Deflor. l. 5. p. gij. refert ad Annum 1218.

1216, iterum a Danis occupatur & Alberto Com. Orlam. traditur, qui eam urbem privilegiis ornat.

Rex Daniæ (*) Hamburgum urbem obsidet & deditione capit, eandemque 1218. Alberto Comiti de Orlamunde, cujus in ea urbe expugnanda opera usus fuerat, perpetuo possidendam tradit. In hujus potestate usque ad prælium incampo Bornhœveda commissum permansit. Multas tunc Albertus Hamburgensibus impertivit immunitates, ut eo majoribus auspiciis incrementa urbs sumeret. Jus etiam *Lubecense* & *Saxonicæ* apud eos introduxit, quo usque ad A. 1292. usi sunt. Multi ex Holsatica nobilitate, Danorum pressi insolenti imperio relictis sedibus in Wilstermarsiam concesserant. Hi ab Adolpho III. tandem circa hoc tempus obtinuerunt, ut filium suum ad ipsos mitteret, pollicitusque se illi in recuperandis avitis possessionibus promte adfuturos. (mmm)

(*) Waldemarus, cui Fridericus II. Imperator & Alexander Pontifex Lubecam captam confirmarunt. Charta Friderici II. hæc est:

In Nomine sanctæ & individuæ Trinitatis.

Friderici II. diploma a. 1214. quo Waldemarum confirmat Lubecam captam.

Ego Fridericus, divina favente gratia Romanorum Rex semper Augustus & Rex Siciliæ &c. notum facio. Quoniam omnis gloria Majestatis Augustæ ad augendam universalis ecclesiæ pacem modis omnibus elaborare tenetur; idcirco nobis divina largiente gratia & clementia ad paternum atque Romanum imperium ascendentibus primum & potissimum consilium fuit cum vicinis pacem firmare Regibus, ut sponsa Christi ecclesia, pro cujus defensione gladio utimur, ipsorum cooperatione in diebus nostris tranquilla semper pace lætetur. Hujus rei gratia cum dilecto Nobis Domino Waldemaro Danorum rege Christianissimo perpetuas atque inviolabiles firmavimus amicitias, eique de consilio & consensu Principum Romani Imperii pro pace sui regni custodienda & hostibus nostri Imperii coërcendis omnes terminos ultra Eidoram & Albiam, Romano attinentes imperio, quos Rex Canatus multis provocatus injuriis cum fratre suo jam dicto Waldemaro Rege armis obtinuit & possedit, & quicquid in Slavia Rex Canutus comparatum paterno suoque labore tenuit, regno ipsius addimus. Illudque præsentis privilegii nostri autoritate & sigillorum principalium impressione confirmamus. Nullus ergo successorum nostrorum vel Principum Romani Imperii super prædictis, eo quod aliquando Imperio subjecti fuerint, memoratum, Dominum Waldemarum Regem dilectissimum armis vel quærimoniis infestet & inquietet, quia solum in istis, sed etiam in omni causa & necessitate contra omnem personam salva sedis Apostolicæ reverentia, sic ei semper adesse statuimus, sicut eum nos & nostris negotiis affuturum non dubitamus. Hujus rei testes sunt: Sigfridus Moguntinus Archi-Episcopus & sedes Apostolicæ legatus, Theodoricus Trevirensis Archi-Episcopus, Amedeus Bisintinus Archi-Episcopus, Conradus Metensis & Spirensis Episcopus & Imperialis aulæ Cancelarius, Otto Wurtzeburgensis Episcopus, Otthecarus Rex Boëmiæ, Ludovicus Dux Bavariæ, Ludolphus Dux Austriæ, Theodoricus Marchio Misnensis & Orientalis Marchio, Thebaldus Dux Lotharingiæ, Otto Dux de Meran, Albertus Comes de Eberstein. Datum apud Mecias Anno Domini Incarnationis MCCXIIII. per manus Domini Conradi Metensis & Spirensis Episcopi, Imperialis Aulæ Cancellarii.

Alexandri papæ ejusdem confirmatio.

Pontificis confirmatio.

Alexander Episcopus, servus servorum Dei, charissimo in Christo filio, Regi Danorum salutem & Apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem probare consensum & vota, qui a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Cum igitur quondam Fridericus, tunc Rex Siciliæ, in Romanorum Imperatorem electus de assensu principum Teutoniæ pro pace ac concordia inter imperi-

imperium & regnum Daniæ inviolabiliter observanda, & hostibus Imperii coërcendis omnes terminos ultra Eidoram & Albiam imperium contingentes, quos inditæ recordationis Canutus Rex frater tuus provocatus injuriis & tu cum eo pariter acquisivistis. Et quicquid in Slavia item frater Tuus acquisitum paterno suoque labore tenuit, regno Tuo addiderit, sicut per Avthenticum instrumentum inde confectum evidenter apparet. Nos Tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem rege de consilio eorundem principum & assensu pro bono pacis super his proinde factum, ratum habentes, id auctoritate Apostolica confirmamus & præsentis scripti patronico præmunimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contra ire. Si quis autem attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anagniæ IIII. Kalend. Julii Pontificatus nostri An. IIdo, in cujus rei testimonium sigilla nostra præsentibus sunt appensa.

(mmm) Aquilon. de Comit. Schawenb. c. 7. Chron. Schaw. p. 46. Krantz. W. 7. 4.

1217. §. 48. Jussu Waldemari Regis, Arx Regis & urbs Lubeca mœnibus & turribus muniuntur idque in gravi annonæ gravitate, quæ integrum bieninum urbem affligebat. Albertus etiam Comes ex auctoritate Regis Travæmundam condit, & turrin magnam ad eam ædificat. Henricus, Episcopus Raceburgensis, consilio habito cum Henrico Bur. Principe Mecklenburgensi & filiis ejus, Lubecensius & omnibus aliis vectigal, quod Dartsoviæ pontem transituris solvendum erat, liberaliter remisit. Diploma datum Schönenbergæ A. 1219. Episcopatus ipsius anno quarto.

1220. Borewinus I. Princeps Mecklenburgensium, abominabiles atque detestabiles (ut loquitur in diplomate) præcessoribus suis a paganismo retentas consuetudines abrogaturus, privilegio Lubecensibus dato promittit, nullius naufragi bona ad litora terrarum suarum dejecta, diripi ab incolis debere; Perscriptum in Bukowe IV. Non. Aug. 1220. (nnn)

(nnn) Privileg. Lat. f. 155. German. lib. 4. f. 16. a.

Post aliquot annos Lubeca ad Romanum Imperium rediit. Res ita gesta est: Henricus, Comes Suerinensis, Guncelini filius, Nobilem quendam Johannem Gans ex arce Grabow propter delicta quædam ejecerat. Hic ad Daniæ Regem, imperium tunc in terras cis Albim sitas sibi arrogantem, confugerat. Rex Comiti, ut Nobilem recipiat, severe demandat, & detrectanti per Albertum de Orlemunde, terras ejus armis & igni vastat, Suerinum & Boitzenburgum eripit. Comitem nondum impetrata facientem, anno 1223. in Daniam ad causæ cognitionem vocat, & dat fidem impune venturum. Ergo se Regi sistit. Graviores tum ipsi conditiones proponuntur, quam quas accipere posset. Dispicit igitur, quo pacto inde salvus evadat. Venando Rex & filius Waldemarus, qui etiam

A. 1218. Slesvici Rex coronatus erat, defatigati & in somnum resoluti dum jacent, custodibus aut dilapsis aut vino obrutis, Comes VI. Maii cum suis tentorium intrat, & Regem utrumque injectis vestibus, ut clamorem edere non possent, arreptum, in navem, ad hanc rem non procul paratam, trahit, regisaque naves, ne se insequantur, perforat. Tum secundo vento ad littus Germanicum delatus Regis captor primum Leontium, deinde Dannebergum, postremo Suerinum in custodiam ducit. Et quanquam anno altero, circa diem Michaëli sacrum, Henricus Rex Romanus, Friderici II. filius, Bardevicum usque descenderet, eodemque Engelbertus Archi-Episcopus Colonienfis & alii Principes venirent, & diu multumque cum Comite de liberandis Regibus agerent; tamen Comes bienium eos in custodia detinuit, donec XLV. millibus marcarum argenti se redimerent. (ooo)

dum Waldemarus R. cum filio a Com. Suerin captivus detinetur.

1224.

(ooo) Krantz. Saxon. 7. 38. item 7. 27. & Chron. Petr. qui dicunt Johannem Gans & Comitem Henricum fratres fuisse. conf. etiam Krantz. Wand. 7. 3. Alb. Stad. A. 1223. nec non Morkera & Joh. Ruffum, qui in nocte S. Johannis factum volunt. Chronicon Anni 1158. ex antiquo libro causam refert ita: Darumme dat de Konig des Graven sine Moder geunehret hedde, dewile dat de Grafe tho dem hilligen Grave was. Adde Aquilon. de Comit. Schowenb. c. 8. nec non Krantz. Metrop. 7. 40. Morkerk. & Lerberk. L. millia marcarum fuisse λύτρον volunt.

Ægre Lubecenses Danorum jugum ferebant. Dum igitur capti tenerentur Reges, Henricus Comes Suerinensis, Borewnus, Dominus de Werla i. e. Princeps Mecklenburgensium, Gerhardus Archi-Episcopus Bremensis & Lubecenses de Danorum jugo excutiendo fœdus ineunt, & Adolphum Comitem cum filio ad recuperandas patrias possessiones vocant; Adolphus horum auxiliis Holsatiam, Stormariam & Wagriam recipit. Albertum Comitem copias suas opponentem in prælio capit, & Suerini eidem cum Regibus custodiæ mancipat.

Adolphus Holsatiam recipit.

1225. Cœnobium Catharinianum primum ædificari cœptum esse auctor Chronici, jussu Thomæ Morkerke scripti, ex ejusdem privilegiis scriptis narrat. Anno nimirum ante obitum D. Francisci.

Cœnobium Cathar. Lubec. structum.

Adolphus, Comes Holsatiæ Hamburgum obsidet: arcem ab Alberto exstructam diruit, & urbem deditione capit.

Adolphus Hamburgum capit.

§. 49. Lubecenses cum viderent Holsatos armis libertatem sibi asseruisse, & ipsi ejus cupiditate ducti, missis ad Imperatorem Fridericum II. in Italiam Legatis, urbem, quæ ante annos viginti & quinque ab Imperio Romano vi avulsa, Danis hactenus paruerit, servitute gravissima eximi, in numerum Imperialium urbium recipi, & contra Danos auxilia sibi mitti petunt. Rex interim numerato lytro suo, quinquaginta millibus marcarum (*) & tribus filiis obsidibus datis liberatur, & omni jure in terras Adolphi & Comitum renunciat. Imperator haud gravatim tam honestæ petitioni locum relinquit. No-

1226. Waldem. R. liberalis.

vo diplomate (quo illud, quod a Friderico I. datum fuerat, ad verbum repetit) terminos agri Lubecenſis, jura item & immunitates urbis confirmat. Teſtes ſubſcripti ſunt: Albertus Magdeburgenſis & Lando Reginus Archi-Epiſcopus, Curenſis Epiſcopus & Abbas S. Galli & alii Epiſcopi. Item Albertus Dux Saxoniæ, Reinaldus Dux Spoleti, H. Magiſter domus Sanctæ Mariæ Teutonicorum in Irla & alii. Acta hæc Parmæ MCCXXVI. menſe Majo, quartæ decimæ indictionis. In Junio autem ejusdem anni, indictione XIV. alio diplomate (**) Lubecam urbem Imperii declarat, & non modo privilegia priora omnia urbis confirmat, ſed novis etiam egregie exornatam ſibi & Imperio obſtringit Teſtes diplomati iidem ſubſcripti, qui priori, quod in Majo datum fuerat. Imperator ſimul vicinis Principibus, Gerhardo, Archi-Epiſcopo Bremenſi, Alberto I. Duci Saxoniæ, Comiti Adolpho Holſatiæ, Henrico Comiti Suerinenſi, & Burwino Henetorum Principi dat in mandatis, ut Lubecenſibus contra Danis adſint, ſicubi opus fuerit. Supprimunt mandatum Cæſareum Principes & Lubecenſes donec cives cuſtodibus arcis partim e medio ſublatis, partim, qui arma non opponerent, libere dimiſſis, arcem ipſam penitus demoliti eſſent. Rex de arce dejecta certior factus, Adolphi & Lubecenſium defectionem ulturus, cum immenſo exercitu per Jutiam in Holſatiam tendit. Dithmarſos etiam, licet invitos, ſibi jungit. Lubecenſes Principum fœderatorum opem implorant. Horum quisque alius alia de cauſa jam ante Regi infenſus erat. Archi-Epiſcopus Comitatum Stadenſem, Dithmarſiam & Kedingiam, Albertus omnem terram cis Albim, Adolphus Holſatiam ereptam ſibi querebantur. Suerini & Raceburgi. Comites & Burewinus etiam indigne ferebant, terras ſuas vaſtatas eſſe; Hi omnes jam ad avitas poſſeſſiones poſtlimio reverſi de terris ſuis defendendis, & auxiliis, ut Imperator ſingulos per literas juſſerat, Lubecam mittendis, fœdus ineunt. Otto Dux Brunſvicenſis & Luneburgenſis, Henrici Leonis ex filio Wilhelmo nepos, matre natus Helena, Waldemari R. ſorore, avunculo ſuo laturus ſuppetias, Regi etiam cum non contemnenda manu adeſt. Dithmarſi copiis Regiis juncti, Danicum imperium ægre tolerantes, intellecto, tam multos potentes Principes Lubecenſium partes ſequi, Adolpho Comiti per internuntios ſignificant, ſi antiquam ſibi libertatem redditurus, & contra Danos auxilio adfuturus ſit, in ipſo prælio Danorum aciem ſe deſerturos, & in ipſos arma converſuros eſſe. Signum fore in ipſo conflictu clypeorum inverſionem. (***)

Adolphum & Lubecenſes iterum oppugnat.

perfidia Dithmarſorum in Danos.

(*) Quinquaginta millia marcas narrant Morkerk. & Joh. Ruffus. Sed Lerbec. p. 28. habet quinque millia marcarum. At Meibomius in Comment. p. 61. habet L. millia, citat & Stadenſem, ſed Stadenſis habet: Rex evindatus pro ſexaginta talentis, XLV. millia anno 1225. exceptis clenodiis, quæ III. mill. &c. Addantur Aquilonip. de Com. Schaw. c. 9. Krantz. Sax. 7. 41. Chron. Franck. & Mareſc. Deſlor. l. 5. p. gii.

(**) Quod integrum ita ſonat. In nomine S. & individuo Trinitatis. Fridericus.

In Nomine S. & individuæ Trinitatis.

Diploma Friderici II. a. 1226 quo Lubeca declaratur imperialis.

Fridericus II. divina fav. clementia Rom. Imperator ſemper Auguſtus, Hieruſalem & Siciliæ Rex. Quotiens imperialis excellentia majeſtatis in ſubditos & fideles ſuos manus ſuæ liberalitatis extendit, & eos, tanquam bene meritos, condigne retributionis muneribus recompenſat, totiens eos in conſtantia fidei pure corroborat, & tam ipſorum quam aliorum fidelium ad ejus obſequia fortiter obligat voluntates. Ea propter notum fieri volumus univerſis Imperii fidelibus, tam præſentibus quam futuris, quod Nos habentes præ oculis fidem puram & devotionem ſinceram quam univerſi Burgenſes Lubicenſes fideles Noſtri erga Noſtram habemus Celſitudinem laudabiliter dignoſcuntur; diligentius etiam advertentes, preclara ſatis & accepta ſervitia, que Nobis & Imperio fideliter ſemper, exhibere curarunt, & quæ in antea poterunt de bono in melius exhibere; Volentes ipſos, tanquam bene meritos liberali munificentia prevenire, Concedimus firmiter ſtatuentes, ut predicta Civitas Lubicenſis libera ſemper ſit, videlicet ſpecialis Civitas & Locus Imperii, & ad dominium Imperiale ſpecialiter pertinens, nullo unquam tempore ab ipſo ſpeciali dominio ſeparanda. Statuentes etiam, ut, quandocunque ad Regimen Civitatis ejusdem aliquis Rector ab Imperio ſtatuetur, nulla ad hoc officium ſtatuatur perſona, niſi fuerit de convicinis locis & conterminis Civitatis ipſius; Ita quod Caſtellum, quod Travemunde dicitur, ab eodem Rectore ſimiliter gubernetur. Preterea terminos Civitatis ipſius ſub noſtro felici tempore dilatare & ampliare volentes, Concedimus & adjicimus terminis ejusdem, ut teneat ipſa Civitas a modo a rivo Padeluche usque in Travenam, & ſurſum a rivo Padeluche, ſecundum terminos ibi diſtinctos, usque in rivum Crempelſtorpe; & ab eodem rivo Crempelſtorpe usque ad ſiccum allodium, & ab eodem usque in Travenam. Concedimus etiam Burgenſibus ſupra dictis, ut a nullo eorum apud Oldislo theloneum exigatur. Concedimus inſuper eis, ut in ipſa Civitate monetam ſub charactere Noſtri Nominis facere & cudere debeant, que tempore vite noſtre & Hinrici, Romanorum Regis, chariſſimi filii noſtri ſimiliter perdurabit. Et ad hoc ſingulis annis ſexaginta marcas Argenti Curie noſtre exhibebunt. Adveniente autem novo impoſterum ſucceſſore, ſub eodem ſenſu & jure moneta ipſa renovabitur, vite ſue tempore duratura; & ſic deſingulis in ſingulos ſucceſſores noſtros de moneta ipſa ſtatuimus, ut predictum eſt, obſervari. Statuimus inſuper & concedimus eis, ut nec nos, nec aliquis Imperatorum, ſucceſſorem Noſtrorum, ab eis obſides exhigat; ſed de fidelitate ſervanda Imperio, ſolo juramento eorum ſtetur & fides adhibeatur. Omnes inſuper negotiatores fideles, venientes ad

ad Civitatem ipsam, sive per terram, sive per aquam, pro negotiationibus suis salvi semper veniant, & secure recedant, dummodo solvant jus debitum, quod tenentur. Insuper Burgenses Lubicenses predicti euntes quandoque in Angliam, ab illo pravo abusu & exactionis onere quod Colonienses & Thelenses, & eorum socii contra ipsos invenisse dicuntur, omnino absolvimus, illum penitus tollentes abusum; sed illo jure & conditione utantur, quibus Colonienses & Thelenses & eorum socii uti noscuntur. Concedimus etiam eis insulam sitam contra Castrum, Travemunde, que Privole nominatur, jure Civitatis de cetero possidendam, quod Wibelede dicitur. Volumus insuper & firmiter observari precipimus, ut nulla persona, alta vel humilis, Ecclesiastica vel secularis presumat ullo tempore munitionem hedificare, vel Castrum juxta flumen Travene, ab ipsa Civitate superius, usque ad ortum ipsius fluminis, & ab ipsa Civitate inferius usque ad mare; & ex utraque parte usque ad milliaria duo. Districtius inhibentes, ut nullus extraneus Advocatus infra terminos civitatis ejusdem Advocatiam regere, vel justitiam exercere presumat. Ac quoniam Burgensibus predictis ab omnibus pravis & indebitis exactionibus de certo volumus precavere, firmiter prohibemus, ne per totum Ducatum Saxoniæ illa exactio, quæ Umgeld dicitur, tollatur seu exhigatur ab eis; Nullus præterea Princeps, Dominus seu Nobilis adjacentium Provinciarum impedire presumat, quo minus necessaria undecunque ad Civitatem Lubicensem ducantur, sive de Hamenburc, sive de Raceburc, sive de Wittenburc, de Zwerin, sive in de tota terra Buruwini, & ejus filii, & per easdem terras, & in ipsis terris quilibet Burgensis Lubecensis, tam dives quam pauper, absque impedimento emat & vendat. Præterea firmiter inhibemus, ne aliqua persona, magna vel parva, Ecclesiastica vel secularis, persone alicui conductum prebeat in civitatem predictam, quia ipsa cuilibet impetenti eam in jure debeat respondere. Volumus insuper & districte precipimus, ne, quandocunque & ubicunque per Imperium predicti Burgenses naufragium de cetero passi fuerint, quicquid de rebus suis tunc a tanto periculo eripere poterunt, eis penitus dimittatur; omni impedimento & contradictione cessantibus. Concedimus insuper eis fundum extra Travemunde, juxta portum, ubi signum ejusdem portus habetur, Dantes eis potestatem, ut fundo ipso libere utantur ad utilitatem & profectum predictæ civitatis Lubicensis. De habundantiori quoque gratia concedimus & confirmamus eis in perpetuum eorum jura & omnes bonos usus, & bonas consuetudines, quibus tempore Imperatoris Friderici, avi nostri, felicis memorie usque nunc usi fuisse noscuntur. Statuentes & præsentis privilegii autoritate firmiter injungentes, ut nulla omnino persona, parva vel magna, Ecclesiastica vel secularis, jam dictos Burgenses Lubicenses, fideles nostres, de supra scriptis omnibus ausu temerario impedire seu perturbare presumat. Quod qui presumserit in sue temeritatis vindictam, indignationem nostram, & pœnam quingentarum librarum auri puri se noverit incursurum; medietatem Camere nostre, & aliam medietatem passis injuriam persolvendam. Ut autem hec omnia rata semper & illibata permaneant, presens Privilegium fieri, & Sigillo Majestatis nostre cereo jussimus communiri. Hujus rei testes sunt Albertus Magdeburgensis, Mediolan. & Laudo Reginus Archi-Episcopi, Curensis & Abbas S. Galli, Cicensis, Basileensis, Wormatiensis, Hildensemensis; Jacobus Taurinensis; Meinardus Ymolensis & d. Brixiensis Episcopi. Abbas Morbacensis, Abbas Augenensis; h. Magister Domus Sancte Marie Teutonicorum in Jerusalem, L. Landgravius Thoringie, Albertus Dux Saxonie, Reinoldus Dux Spoleti, Comes Symfridridus de Vienna & alii quamplures.

Sigillum Domini Frederici Secundi, Dei gratia Invictissimi Romanorum Imperatoris semper Augusti, Jerusalem & Sicilie Regis.

Acta hæc sunt anno dominice Incarnationis 1226. mense Junii quartædecimæ Indictionis. Imperante Domino nostro Frederico Secundo Dei gratia invictissimo Rom. Imperatore semper Augusto; Jerusalem & Sicilie Rege, Imperii ejus anno sexto Hierusalem primo, regni vero Sicilie anno vicesimo nono feliciter.

(***) Krantz. Saxon. 7. 41. Wandal. 7. 7. qui nomina Principum ubivis fere confundit. addatur Metrop. 7. 13.

§. 50. Lubecenses igitur contracto ex civibus exercitu, eodemque auxiliis Principum fœderatorum aucto, qui omnes & singuli expeditioni, tanquam sua res ageretur, intererant, & summo studio ad bellum necessaria parabant, rati melius hosti occurrere, quam eundem intra fines admittere, ex urbe progrediuntur, universis copiis Adolphum, cui tum etiam ultra XX millia marcarum Lubecensium mutua dedere, præficiunt, & hosti in Holsatiæ campis ad Bornhövedam pugnaturi pro libertate patriæ fortiter occurrunt. Concors & pugnacissimus erat exercitus & ad unum intentus imperium, quanquam ex variis multiplicaretur auxiliis. Ibi prælium acerrime initur, diu ambiguo Marte pugnatur, donec virtute Germanorum militum acies ordinum ita vertitur, ut sole adverso Danorum perstringerentur oculi, & Dithmarsi, uti receperant, a Danis abrupti in ipsos socios pugnarent. Fabula igitur mera est, Mariam Magdalenam in aëre manu levata & benedicente visam esse, ut nugatur Hermannus de Lerbeke in Chron. Schawenb. p. 28. Eandem fabulam his versibus Henricus Aquilonipol. de primordiis urbis Lubecæ proponit cap. 18.

1227. pugna ad Bornhövedam.

Sancta hera præsidio Lubecanis civibus isthic
Magdalena fuit visa profecto nitens.
Obcœcans radiis (veluti solaribus) hostes
Danorum in faciem se opposuisse datur.

Ver-

Verba H. Lerbeke hæc ſunt p. 28.

Anno milleno duo C. ſeptemque viceno
In Fontis capite cecidit gens Danica lite.
Magdala quando pia ſcandit ſuper aſtra Maria,
Hic quoque tam gratus Fratrum fuit ordo locatus
Et datur, O Chriſte! locus aptus Fratribus iſte.

Paſſionale quod A. 1507. Lubecæ excuſum totam hiſtoriam prælii ſeorſim enarrat, hanc autem fabulam magni miraculi loco habet fol. 80. Rex oculo amiſſo altero ægre cum Chriſtophoro filio elabitur. Otto Dux ultimus de familia Leonis capitur, multa millia in prælio cadunt, ceteri diſſipati metu, & qua cuique patebat ad fugam via, erumpunt. Hoc die, qui Mariæ Magdalenæ ſacer eſt, Adolpho Holſatia, Lubecæ libertas, iterum parta eſt, quam Dei ope acquiſitam, ejusdem numine in hunc usque diem ſartam tectam ſervavit. Lubecenſes ut inſigne hoc Dei beneficium non ipſimet ſolum, ſed & poſteri grata mente perpetuo agnoſcerent, ſine mora amplum cœnobium in eodem loco, ubi arx ſita fuerat, D. Mariæ Magdalenæ ſacrum exædificant, monachis ordinis Dominicanorum prædicatorii in illud introductis, & immortali Deo ſupplicationem decernunt, qua pro tanta victoria ſingulis annis, eodem tempore & die univerſa civitas ei gratias agat, & pauperibus ex collatitia pecunia panes triticeos, quorum ſinguli medio nummo veneant, diſtribuunt. (qqq)

En jam nunc ſeptimam viciſſitudinem, qua Lubeca Dominum ſuum intra annos C. mutavit.

(qqq) Alb. Stad. ad A. 1227. Morkerk. refert ad A. 1228. Joh. Ruffus ad. A. 1227. Mareſc. Defloral. l. 5. p. gii refert ad An. 1233. Kranizius in Wandal. 7. 8. diſputat victorem fuiſſe Adolphum IV. addantur Lerbek. p. 28. Aquilonip. de Comit. Schawenb. cap. 10 idem de Lubeca lib. I. c. 19. Chronicon Anni 1158. Crantzius in Metrop. 7. 44. & innumeri alii.

1227. §. 51. Henricus, Comes Suerinenſis, Lubecenſium ſocius vita functus eſt. Guncelinus filius ſucceſſit. Hic Albertum de Orlamunde, poſtquam ei Alberto, Saxoniæ Duci, Lauenburgum tradidiſſet, e cuſtodia liberum dimittit. Eodem anno paulo poſt & Otto Dux Luneburgenſis e captivitate liberatus eſt. (rrr)

(rrr) Morkerk. Joh. Ruffus prior Henrici mortem refert ad A. 1228.

Wismaria condita. Henricus, Comes, Wismariam condidit, colonis e veteri villa ſeu vicino pago, cui idem nomen erat, & e vetuſta urbe Mecklenburgo, ob commodiorem portum, illuc commigrare juſſis. Appellatio villæ ſeu pagi, qui eam forte a Wismaro, Wandalorum Rege, obtinuit, urbi ab ipſo indita eſt. Ao. 1230.

1230. Lubecenſ. privilegia augentur. menſe Januario, Fridericus. Imp. Lubecenſibus molendinum in Wackeniſſa extruendi poteſtatem dedit. Idem Imperator alio diplomate nundinas ei anniverſarias a Pentecoſte usque ad diem feſtum Jacobi celebrandas conceſſit. VI. Idus Septembr. Epiſcopus & Canonici Raceburgenſes ad tollendas de finibus lites hactenus inter ipſos & Lubecenſes agitatas, terminos renovant, quibus ſuus & Lubecenſis ager poſthac diſtinguantur. Bartholdus, Epiſcopus Lubecenſis, exceſſit e vita. Hunc annum obitus ejus pono, primo Chronicis 2. MSSis antiquis, deinde privilegio, quod Johannes, ſucceſſor ejus, de jure in veteri Lubeca cedendo 1130. IV. Id. Mart. (1134. Idib. Mart.) dedit. Nec moveor Chronico Krumendikii, Reimari Kockii Petræi, Bonni, Regkamanni, qui ad Annum 1235. referunt. Bartholdo ſucceſſit Johannes, Epiſcopus Lubecenſis VII. hactenus, ibidem Decanus. De hoc nihil fere memoratu dignum a ſcriptoribus proditum eſt. Ædem ſacram cœnobii Reinfeldenſis anno 1237. dedicavit: perpetuosque Lubecæ reditus pani & vino ad ſacroſanctam Domini Cœnam emendis conſtituit. Adolphus IV. Lubecam urbem, cujus conſilio & opera Holſatiam recuperarat, quod a ſuis majoribus, & in ſua terra condita, quod avo ſuo Adolpho II. ab Henrico Leone erepta, quod denique a Friderico I. patri ſuo Adolpho III. redituum media pars ex urbe aſſignata eſſet, ſibi aſſerere & urſupare ſummo conatu anniti cœpit. Lubecenſes fruſtra ſine motu componere cauſam ſtudent. Comes, viribus impar, cum Waldemaro II. Daniæ Rege (cui jam reconciliatus erat) in perniciem urbis fœdus init. (sss)

Lis de finib. cum Raceb. uitur.

Bartholdus Epiſcopus, obiit.

Johannes Epiſcopus

1233. Adolphus Waldem. adv. Lubc fœdus par

(sss) Krantz. Wand. 7. 12. Joh. Ruff, Krantz. Metrop. 7. 52.

Hi terra marique urbem obſident; Rex magno navali exercitu in Travam præmiſſo, terra etiam majorem cum magno apparatu bellico ipſe adduxit, & caſtris ad rivum Schwartow poſitis turrim ab eadem Travæ parte erexit; qui locus adhuc Daniæ arcis appellationem retinet. Comes in altera aliam turrim exſtruxit. Albertus I. Saxoniæ, Angariæ & Weſtphaliæ Dux, Lubecenſibus Travæmundam donat. Rex intra duas arces Travam catena, quæ palis alte in terram defixis alligata, claudit, auxilia & commeatum omnem Lubecenſibus prohibiturus. Sed catena illa ſtatim navi aliqua Lubecenſi, magno impetu in eam invecta rupta eſt, ſive ea de induſtria ad rem illam parata fuerit, ſive e mari veniens, mercibus onuſta, & rei ignara, ſorte fortuna catenam ſolverit, nam diverſæ ea de re veterum MSS. extant narrationes. Rex, cum hac non ſucceſſiſſet, alia adgreditur rem via. Maximam quam habebat navem ſaxis oneratam, alveo fluminis, ut portum obſtruat, mergit, Tum recedit, rei eventum ſpeculaturus. Lubecenſes erumpunt, & alium meatum, fruſtra Danis & Holſatis ab utraque ripa opus impedientibus, fodiunt: (gegen der Burg über) & accedente fluminis impetu, profundior alveus effectus eſt, quam prior unquam fuerat. Quod ergo una navi Rex non effecerat, plurimis tentandum ratus, retrogreſſus in regnum majorem expeditionem navalem parat; præter ceteras octo magnas

1234. eamque o pugnat

gnas naves hoc consilio ædificat, ut iis in Travam demersis portum totum claudat. (ttt)

(ttt) Regkmann hæc refert ad A. 1230.

1235. Cum his navibus Regem venientem venti ad Femariam insulam rejiciunt. Lubecenses adventu ejus comperto, rati melius in ipso mari cum eo congredi, quam in portum & ad portas admittere naves, quotquot possunt, parant. Sex autem tantum fuisse constat. Has ad muniendum portum educunt; Ibi Rex relicta Femaria Varnum fluvium obsidet, Principum Mecklenburgensium naves, Lubecensibus auxilio forte venturas, impediturus. Lubecenses, commodiori pugna in libero mari, quam in portu suo sperata, insecuti ibi eum adoriuntur. A prima hora diei ad vesperam usque magno animorum ardore dimicatum est. Quinque de majoribus navibus captas statim cremant: ceteras quotquot occupabant, laxatas mari mergunt: maximam, quæ ultra quadringentos viros vehebat, tandem acri pugna etiam expugnant, & Lubecam abducunt, Rege ipso vix evadente. Fuit autem prælium hoc navale majus (ut Chronicon vetus MS. loquitur) quam ullum antea in Balthico mari gestum. Nec postea unquam Rex Lubecenses bello lacessere sustinuit. Lubecenses non satis assertam libertatem suam eo putabant, quod vim vi repulissent, nisi & jure eandem vindicarent. Ergo eodem anno causam ad Imperatorem deferunt. Hic Comitem & ipsos ad causam cognoscendam evocat. Imperator controversiam illorum disceptat, & illi finem imponit. Lubecensibus privilegia vetera renovat & confirmat: unde Lubeca urbs Imperii sit, & perpetuo maneat, denuo sancit. Comes quinque millibus argenti marcis ab Imperatore sibi numeratis, coram eodem & Principibus Imperii omni jurisdictione in urbem & ejus prædia in perpetuum renuntiat. Marcæ autem singulæ valebant XIII asses Anglicanos: Vor jewelcke Marck wurden telt vor drittein Schilling Engels. Imperator vetera jura urbis denuo omnia confirmat, iterato etiam edicto, quo Lubecam Imperii urbem olim constituerat. Imperator Conrado filio Imperium committebat. Hic Lubecensibus immunitatem vectigalium in Rheno ad Werdam ad annos quatuor, dato privilegio, quod Spiræ XXVI. Sept. indictione quinta, scriptum, indulsit.

1236.

1238. §. 52. Monachi Cœnobii, Johanni Evangelistæ sacri, effractis jam honestatis repagulis, in omnem effundebantur libidinem; Johannes Abbas, vir religiosus, frustra effrenem petulantiam coërcere studebat. Fit enim, ut qui semel honestatis terminos egressi sunt, abjecto omni pudore in omne scelus ruant, seque omni genere libidinum & flagitiorum volutent. Ut ergo peccandi materiam subtraheret, de cœnobio in alium locum transferendo consultare cœpit, verum obstitit Monachorum pervicacia urbe cedere nolentium. Accedente autem Episcopi Lubecensis, & Archi-Episcopi Bremensis nec non Alberti Archi-Episcopi Prussiæ, Apostolici Legati auctoritate & consensu, Monachi cœnobio exire, & *Cismariam* in Holsatiam se conferre jussi sunt. Cœnobium Episcopus virginibus sacris ordinis Cistercien-sis concessit. (uuu)

Cismariæ Cœnobii ortus.

(uuu) Krantz. Wand. 7. 13. Joh. Ruff. sub A. 1247. cum quo consentit Reim. Kok. & Chron. Frank. Marcse. Deflor. l. 5. p. At Chron. Scharpenb Parioti templi Cismarienfis hæc insculpta: In dem Jahr Christi MCCXXXVIII. wart dit Closter Cismar gebauwet (MDV) Adjicit Calculum huic anno situm Bonnus in Chronico. Confirmatio Legati Apostolici scripta est VIII. Id. Sept. 1246.

1239 Adolphus IV. religiosum Francisc. ordinem profitetur. Adolphus IV. tandem Johanne & Gerhardo filiis, Abelino, Duci Slesvicensi, genero suo, commendatis & mutato prorsus vitæ genere Monachi Franciscani habitum sumsit. Id in prælio contra Regem Daniæ Deo vovisse a quibusdam scribitur. (www)

(www) Krantz. Wandal. 7. 38. Joh. Ruff. ad h. a. Tratziger refert ad A. 1240. ut Krantzius etiam in Saxon. 8. 7.

Lubec. molendinum Hüxtar. Molendinum extra portam Hüxtariensem ædificatum est. Johannes Episcopus omne jus, quod in isto habebat, Senatui cessit. Scriptum diploma anno 1239. & A. 1246. consentientibus Canonicis novis literis confirmatum.

1240. immunitas a vectigalibus per Comit. Suerin. Guncelinus, Comes Suerinensis, Henrici filius, Lubecensibus immunitatem a vectigalibus per suas terras diplomate promittit, confirmans privilegium a Patre quondam datum.

1241. Arcis porta vallo munita. Rumore de Tartarorum, vel uti nonnulli referunt, Lituanorum navali exercitu divulgato, qui Bachone duce Hungariam, Poloniam & Livoniam depopulati erant, omnium primo ea urbis pars, quæ est ad arcis portam, vallo munita est. Ad impensas promtius conferendas Episcopus cives indulgentiarum nundinis animabat. (xxx)

(xxx) Alb. Stad. ad h. a. Mork & Ruff. ad h. a. Krantz. Wand. 7. 3.

Fœdus c. Hamburg. ad securitatem viæ. Primum fœdus inter Lubecenses & Hamburgenses de itineribus intra utramque urbem, & ab Albi ad mare uque a prædatorum incursu tutis præstandis, initum est.

1242. Regi Waldemaro succedit Ericus, quanquam pater Abelum natu minorem regno destinasset. Ea res magnorum motuum causa fuit.

1244. Johannes, Episcopus Lubecensis, Adolphum IV. sacerdotali dignitate ornat. (Krantz. Wand. 7. 24. Putrop. 8. 10.)

1247. Johanne mortuo episcopatus sexennium vacat. Episcopo Johanne vita devoluto, & in templo Cathedrali sepulto, Episcopatus sexennium propter Canonicorum in suffragiis dissensum, Præsule caruit. Administravit autem illum isto tempore Albertus, qui Riga pulsus, ubi Episcopum egerat. Sexernio isto Lubecæ exacto, in Livoniam iterum a *Papa Innocentio IV. A. 1246.* missus, Revaliæ Episcopus factus est. KRANTZ Wand. 7. 22. Metr. pol. VII. 46. Cujus duplex invenitur juramentum de a. 1247. quod sequitur: Albertus Lubecensis Episcopus, Livoniæ, Estoniæ & Pruciæ Apostolicæ sedis legatus præsentibus protestamur, quod nos venerabili Domino Gerardo II. sanctæ Bremensis Ecclesiæ Archi-Episcopo tanquam suffrageneus Bre-

Duplex juramentum ab Alberto Episcopo sub Gerhardo Archi-Ep. Bremensi præstitum a. 1247.

mensis Ecclesiæ, tactis sanctis Evangeliis duo præstitimus juramenta unum indemnitatis, quod tale est:

Ego Albertus Lubecensis Ecclesiæ Episcopus ab hac hora in antea possessiones & jura Episcopatus Lubecensis non alienabo, sed ea, quæ alienata sunt, bona fide pro posse meo recolligam. Sic me DEUS adjuvet & ista quarta sancta Evangelia IV. Evangelistæ, & ista patrocinia Sanctorum.

Aliud fidelitatis sub ista forma:

Ego Albertus Lubecensis Episcopus Livoniæ & Estoniæ & Pruciæ, Apostolicæ Sedis Legatus ab hac hora in antea fidelis & obediens (in omnibus ero Tibi Gerardo, sanctæ Bremensis Ecclesiæ Archi-Episcopo & successoribus Tuis in Bremensi Sede constitutis; mandatum Tuum, quodcunque mihi ore sive per certam epistolam Tuam manifestaveris, sine malo ingenio adimplebo ad omnem terminum & locum, quem mihi indicaveris, nisi corporis mei infirmitate vel alia aliqua gravi necessitate detentus venire non possum. Hæc omnia per fidem rectam sine omni malo ingenio, observabo Tuis & Tuorum successorum temporibus, quam diu vixero secundum scire meum & posse. Sic me DEUS adjuvet & ista sancta IV. Evangelia & IV. Evangelistæ & ista patrocinia Sanctorum.

Quibus juramentis præstitis, tam dictus noster Archi-Episcopus Bremensis sub religione juramenti præstiti nobis mandavit, & nos etiam voluntarie repromisimus, quod nunquam procurabimus vel efficiemus per nosmet ipsos vel per litteras vel nuncios, quod absolvamur Auctoriate alicujus superioris ab obedientia Bremensis Ecclesiæ, quam diu in Lubecensi Ecclesia præsidemus. Item Domino Archi-Episcopo ac Ecclesiæ Bremensi semper assistemus bona fide in jure suo, specialiter autem contra Hammaburgenses universos & singulos, si eos ad obedientiam & reverentiam sive concordiam Bremensis Ecclesiæ non possumus revocare, & hoc per eos steterit manifeste. Item nunquam ponemus sedem Archi-Episcopalem in nostræ legationi commissis in præjudicium Bremensis Ecclesiæ sine consensu ejusdem Archi-Episcopi supra dicti. Item bona fide laborabimus nostris laboribus & expensis cum nunciis Archi-Episcopi & Ecclesiæ Bremensis ad obtinendam primatiam in provincia nobis commissa. Acta sunt (*) in orientali choro Bremensi anno gratiæ MCCXLVII. in Calend. Decembr.

(*) Addatur STAPHORST in Histor. Eccles. Hamburg. Tom. II.

Lubec. privilegia a Holsatiæ Comitt.

Eodem tempore Johannes & Gerhardus Holsatiæ & Stormariæ Comites, Lubecensibus immunitatem a vectigalibus impertiunt. Krempilidorpium cum Slavica villa, nec non Padeluchum villam cum Slavica villa, cum prædiis & nemoribus adjacentibus: item locum dictum Olden Lubec, cum agro & pascuo, quod est intra Lubecam veterem, & molendinum *Pramece* vendunt: Naufragorum etiam bona diripi ad sua litora non debere diplomate promittunt. Id diploma perscriptum VIII. Kal. Mart. 1247. (yyy)

(yyy) Privileg. lat. f. 184. German. C. 4. f. 25. b.

1248. Albertus altero anno administrationis suæ contendere cœpit cum Johanne & Gerhardo de limitibus Holsatiæ, de decimis per terram Aldenburgensem solvendis; Promisere tandem Comites, se Decimas non amplius detenturos.

1249. §. 53. Ericus Rex, post motus compositos, injuriam, uti rebatur, a Lubecensibus patri illatam, vindicaturus, cives in Scania negotiantes detinet, sperans se hac ratione urbem ad deditionem compulsurum. Lubecenses classem parant, Daniam invadunt, urbem & arcem Hafniensem diruunt, prædaque onusti dum redeunt, Stralsundam urbem adorti, quod illam Erici pater, ad inhibenda Lubecæ commercia condidisset, eademque non modo adhuc pareret Erico, sed etiam terra marique Lubecensibus multum nocuisset, illam diripiunt, cremant, & ditiores cives, qui in expugnatione urbis non ceciderant, captos Lubecam perducunt. Belli Dux erat vir magni imprimis animi Alexander a Saltwedel, qui virtute sua meruit, ut quanquam fratrem Arnoldum senatorem haberet, tamen & ipse sine exemplo & contra vetera statuta in senatum legeretur. Ericus Suecorum Rex hoc anno ad plures abiit. Nobiles & vulgus de novo Rege eligendo dissentiunt. Vulgus tandem Bergerum quendam civem Regem salutat. Hic ergo Regnum invadit, & multis Nobilibus pulsis, Ducis nomine regnum aliquot annos tenet, urbibus etiam maritimis imprimisque Lubecæ negotiandi in Suecia libertatem concedit. (zzz)

Ericum bellum parant Lubecenses adoriuntur Stralsunda cremata.

Erico D. succedit Birgerus Lucenfibus fvens.

(zzz) Mork. Krantz. Wand. 7. 14. Joh. Ruff. Aquilonip. de Lub. l. 2. c. 4.

1251. Lubecæ incendium. Lubeca ipso die Barnabæ sacro, tertium incendio ultra dimidiam partem periit. Ibi vero senatus mandato jussi cives, deinceps tecta omnia non stramine, sed tegulis insternere. Tantas calamitates, crebras vicissitudines urbs primo suo seculo sustinuit; Tantus tamen fortunæ novercantis impetus domus & opes civibus auferre potuit, animi constantiam auferre non potuit. Cum enim jam cives senatus mandato tecta omnia non stramine, sed tegulis insternere jussi essent, statim incendio absumta magno conamine reparant, & meliora etiam restituunt. (1)

(1) Maresc. Defl. l. 5. p. A. t. Chron. A. 1158. Chron. Germ. refertad. A. 1247. Krantz. Wand. 7. 14.

1253. Alexander IV. Pontificatum adeptus est: qui anno III Pontificatus sui diplomate dato omnem excommunicationis sententiam ab Episcopis aut Apostolicæ sedis Legatis latam irritam fore pronunciat, nisi specialiter ab ipso Papa confirmata fuerit. Privilegium scriptum Viterbii IV. Kal. Aug. 1256. (2)

(2) Joh. Ruffus refert ad A. 1254.

Jo-

de Deyst Johannes de Deyst, Monachus Ordinis Minorum, natione Brabantus, Samlandia, ubi Episcopus fuerat, pulsus, ad Episcopatum Lubecensem evectus est. Obtinuit id a Papa Wilhelmus Rex Romanorum, cui a sacris & secretis fuerat. Vir diligens imprimis indulgentiarum Papalium præco fuit. Propter contentiones autem inter ipsum & Johannem atque Gerhardum Comites, obvias, ad Imperatorem & Papam commigravit obtinuitque, ut damna villis suis illata pensare Comites cogerentur. Sexennio exacto ad Wilhelmum Regem profectus ad Rhenum fato functus est. Rexit episcopatum annos VII. (Krantz Metrop. 8. 17.) De moneta cudenda inter Lubecenses & Hamburgenses actum est. Fridericus, Episcopus Raceburgensis diem suum clausit: successit Ulricus a Blüchere. Ad Dassoviam arx sita erat, cujus castellum Johannes, Holsatiæ Comes Nobili cuidam commiserat, hunc piratas foventem Lubecenses apud Comitem accusant. Comes cognita causa Nobilem capite plectit. Johannes de Tralow, hactenus Scholasticus, uti vocabant, Ecclesiæ Lubecensis a Canonicis Episcopus lectus, Stadii ab Archi-Episcopo confirmatus, Lubecæ Presbyter ordinatus, & sequenti die in æde fratrum Minorum consecratus est. Hic in domo Eutinensi lapidea extruenda æs alienum contraxit, quod a successore ejus tandem dissolutum est. Episcopatum in annum XVII. tenuit. Optime ei cum senatu Lubecensi semper convenit, cum Canonicis non item, quorum ille quosdam, stipendiis suis, quæ beneficium vocant, orbatos & privatos coercere studebat. (3)

1254.

1255.

1257.

1260.

de Tralow Episcopus Lubecens.

(3) Chron. Scharp. Anni 1158. Traz. p. 53. Krantz, Wand. 7. 33. Joh. Ruff. Krantz. Metrop. 8. 24. Morkerk. ad An. 1276.

1261. Johannes I. om. nobilem iendam ob latas sibi in- rias Lubecæ truncat.

§. 54. Johannes I. Comes, die Natali Servatoris Lubecam ingreditur, ut ludis, quos Bohurt vocabant, interesset. Nam illi tribus proximis post nativitatem Christi diebus magno hominum concursu equitando, pergræcando & omni luxus genere exercendo frequentabantur. Aderat Eques Burchardus Voth, a Comite obvitam male actam terra pulsus. Hic in ludis istis Comiti insultat, nunc diris convitiis eum infectando, nunc equum in illum in hominum frequentia adigendo. Cum primo altero ve diebus, qui Stephano & Johanni dicati sunt, injurias Equitis magno animo pertulisset, tertio ad iteratas contumelias non amplius se continens, accepto a cubiculario gladio, equo ipsum a templo Jacobino, vel a fossa piscatoria, platea, quæ adhuc idem nomen retinet, ad puteum usque, e regione pharma copolii situm effusis habenis insecutus, uno ictu interimit. Tum Comitem conantem primo per Holsaticam, deinde per Molendinorum portam effugere, cives prohibent. Ergo templum Cathedrale ingressus in turrim ejusdem confugit. Inde per senatores aliquot (nam hoc pedierat) deductus in Curiam est, civibus quibusdam custodia demandata. Tandem Equites quidam a Comite & amicis ejus subornati medio die, cum sub prandii tempus plateæ a frequentia hominum liberæ essent, ad Curiam adequitant. Comes iis conspectis per fenestram mantili se demittit. Et quanquam propter nimiam festinationem lapsu graviter læderetur, equites tamen celeriter ipsum equo, quem hoc consilio adduxerant, impositum citius abducunt, quam vel custodes animadverterent, vel per urbem rumor crebesceret. Comes liberatus statim multa hostili animo in urbem tentabat, illorumque civium opinionem, qui falso suspicati fuerant conniventeMagistratu ipsum elapsum, reipsa confutabat. Nam anno eodem, die D. Olai, comes & frater ejus Gerhardus parato exercitu Ericum, Ducem Slesvicensem, suum ex sorore nepotem, contra Christophorum, Daniæ Regem, juvabant. Dani in prælio, quod in Loheyda committebatur, succubuere. Rex ipse cum matre Margaretha captus Hamburgum adductus est. Comes illa fortuna amplius utendum ratus, cum sociis agrum Lubecensem ingreditur, villas omnes diripit, & incendio fœde consumit, Lubecensibus, quod imparati ad bellum istud inexspectatum esset, non sine ingenti animi dolore damna sua spectantibus. Non poterant tamen Lubecenses injuriam & cladem illatam ignavo animo concoquere. Sequenti igitur æstate, conducto Alberto, Duce Brunsvicensi eidemque toto commisso exercitu, quem mille & sexcenti equites ab ipso adducti augebant, multique Nobiles Holsatiæ, a Comite terra ejecti, in Wagriam progrediuntur, & ad exemplum Comitis villas multas, Plönam item & Aldenburgum urbes & arces incendio consumunt. Chilonii Comitem mensem integrum obsident, non ut urbem expugnent, sed ut ipsum ad pugnam eliciant, vicissim clara incendia circa urbem spectantem. Ipso nec erumpente nec congredi ausо discedunt, & reliqua Holsatiæ vastant. Dux suos per Lubecam urbem, ne noctem quidem cum istis in villa moratus, domum reduxit. Nondum latrociniis supplicio Præfecti istius Darssovienſis medela allata fuit. Penitus causæ malorum tollendæ erant. Propterea Anno sequenti Lubecenses assumto Johanne Theologo (Knese Janike) Duce Meeklenburgensi, Borwini II filio arcem Darssoviam, quæ Holsatiæ Comitum erat, expugnatam demoliuntur. Præfectum arcis Schele a Nunnendorp propter latrones tecto receptos suspendunt. Dux & Nicolaus frater ejus pro opera in dejicienda arce præstita Lubecensibus diplomate promittit, nullam arcem inter Lubecam & Grevesmöhlam ædificatum iri, & piscatum liberium Darssoviam usque. (Privileg. lat. f. 17. Germ. L. 4. f. 17. a. l. 4. f. 39. b.) Soltwedelæ conventus habitus est, in quo Regina Daniæ e custodia dimissa, & causa Comitum Holsatiæ atque Lubecensium composita est. Nobilibus Holsatiæ ad prædia sua redeundi potestas facta est. Gerhardus, Comes, Hamburgensibus priora privilegia confirmat, & Jura Lubecensia eisdem concedit. Lubecam veniebat Guido, Legatus Clementis IV. in Daniam missus, ut Regem, qui Episcopum Lugdunensem captum tenebat, ex com-

1262. Darssovia arx destructa.

1262.

1264. Privilegia Lubec. a Gerhardo Com. confirmata.

communicationis ſententia feriret. Guido in tranſitu de naufragis bonis non diripiendis Lubecenſibus privilegium impertiit. Scriptum illud V. Id. Jan. 1265. & a Papa ipſo confirmatum Viterbii IV. Kal. Maij. 1267.

1267. Wismaria incendio afflicta.

Wismaria poſtridie Aſcenſionis Domini mediam partem noctu flammis abſumta eſt. Cives deinceps ædificia ex latere coctili ſubſtruere juſſi ſunt. Conradus Bernerus, Eques de Moysling, Decanus, lignum crucis noctu ante Paſcha coram altari deponens & in genua procumbens, ſpiritum efflat, antequam lectulo ſuo in templo, in quo tum omnes Canonici dormiebant, inferri a ceteris potuit.

1267.

1273. Lubeca annonæ caritatem tolerat.

Tanta annonæ caritate Lubeca & vicina loca à tempore Quadrageſimæ ad meſſem premebantur, ut multi fame perirent. Siliginis modius quinque aſſibus, hordei tribus, avenæ duobus vendebatur. Cito tamen Dei benignitate laxata eſt illa annonæ caritas, ut ſiliginis modius nummis novem: hordei decem: avenæ autem ſex emeretur. Romani Imperii coronam hoc anno Rudolphus I. Comes Habsburgenſis, Vir magni judicii & decumanæ ſapientiæ conſecutus eſt: at ſequenti anno Lubecenſibus omnia jura & immunitates à Romanis Imperatoribus unquam conceſſas, confirmavit. Factum id VIII Id. Novembr. indict. tertia A. MCCLXXIV. Waldemarus Rex Roma poſt impetratas indulgentias Lubecam veniebat. Hinc in regnum tendens repellebatur à Magno fratre, qui illud per abſentiam ejus occupaverat.

1274. Privilegia a Rudolpho Imp. ſtabilita.

Waldemarus in regnum redux à fratre pellitur.

1276. Lubecæ conflagratio.

§. 55. Lubecca quarta vice tota flammis conſumta eſt. Incendii anno notando verſus hi facti ſunt:

M ducenteno ſexto quoque ſeptuageno
In Viti feſto Lubek perit igne moleſto.

Triſte profecto ſpectaculum, & quod qui animo digne conſideraverit, nunquam ſatis admirabitur, urbem non ſolum ex fatalibus iſtis malis eluctari iterum potuiſſe, ſed etiam caput reliquarum urbium Vandalicarum, quarum nonnullæ opibus & potentia florebant, nec tot malorum procellis agitatæ unquam ſunt, factam eſſe. Scilicet multa ceciderunt, ut altius ſurgerent, quod olim ille invidia percitus eructabat: Romæ ſibi incendia ob hoc unum dolori eſſe, quod ſciret, meliora reſurrectura, quam arſiſſent, id de Lubeca noſtra veriſſimè affirmari potuit. Subſediſſet illa in priſtina humilitate & ruſtica vilitate, niſi purgator ignis renovare ædes, & ex lateribus, calce & cæmento easdem exſtruere cives compuliſſet. Nam denuo edicto ſancitum eſt, ut deinceps non tantum ædificia omnia laterculo coctili inſtruerentur, ſed & tecta eodem lapide contra ignem munirentur. Et tunc quidem Lubeca illa platearum, vicorum & ædificiorum ordine condita eſt, quo nunc eam cernimus: ut videlicet ab Aquilone in Auſtrum duæ per dorſum ejus tendantur longæ plateæ, quarum altera Regia, lata altera dicitur, ex quarum lateribus tanquam coſtæ in animali derivantur vici, hinc ad Travam fluvium, inde ad Wackeniſſam lacum deſcendentes. Borchardus à Sorken, hactenus Canonicus & Cantor Lubecenſis, turbulenti ingenii homo, Epiſcopus factus, octuagenarius quidem, ſed qui tamen dignitatem illam adhuc annos XLI. tenuit & multa contra ſenatum molitus eſt. Ut æs alienum ab anteceſſore conflatum diſſolveret, primo Pontificatus ſui anno in Galliam conceſſit, & pecunia multa collecta reverſus omnibus ſatisfecit. (4)

1276. Bernh. a Sorken Epiſcop. Lubec. fact.

(4) Krantz. Wand. 7. 34. 7. 38. Metrop. 8. 37. Incendium Lubecæ Ioh. Ruffus refert ad A. 1277. Krummendik & Morkerke A. 1276. retinent, quibus aſſentimur.

1278. Motus Lubecenſium ob divitis cujusdam matronæ ſepulturam.

Richborch Stalbuck, matrona dives, moriens, monumento patrio, quod in Cœnobio Cathariniano erat, exuvias corporis ſui inferri putierat. Sacerdotes prædæ inhiantes obnitentibus defunctæ cognatis funus in parœciæ ſuæ templum deferunt, ſtatimque officium Miſſaticum pro defuncta celebrant atque in templo ſuo ſepeliunt. Monachi Cathariniani & defunctæ agnati Bertramus Stalbuk & Sivertus von der Brügge eam ſepulcro eximunt, & in cœnobium deferunt. Sacerdotum cauſam Epiſcopus ſuam facit, & anathematis fulmine propoſito prohibet, ne Monachi funus illud terræ mandent. Hi igitur illud muro templi verſus auſtrum includunt, brutum excommunicationis fulmen non violantes quidem, oportune tamen eludentes, quia corpus non humabant, quod vetiti erant, viſiturque monumentum in hunc usque diem. Origo hæc fuit magnæ controverſiæ, & non parvorum motuum in urbe. Epiſcopus enim, Præpoſitus, Decanus & ceteri Canonici Monachis templi arcis & Cœnobii Cathariniani jus ſepeliendi mortuos in cœnobiis iſtis eripere prorſus ſtudebant. Monachorum cauſam Prior templi arcis, Guardianus ſeu Cuſtos ad D. Catharinæ, ſenatus & cives Lubecenſes tuebantur. Epiſcopus cives non requiſita ſummi Pontificis confirmatione ſacrorum communione ſtatim arcet, Canonicos & ſacerdotes omnes relicta urbe Eutinam commigrare jubet, ut ſacrorum deſiderio civitas eo cupidius ipſos revocet, & Monachorum partes deſerat. Archiepiſcopum Bremenſem etiam ad ſuas partes trahit, qui excommunicationem in Cives renovat & confirmat. Facile tamen Cives Canonicorum & ſacerdotum deſiderium ferebant, quanquam illi quartum in annum Eutinæ ſubſiſterent. Monachis Ordinis prædicatorum ex templo Arcis, & Fratribus ordinis Minorum ex Cœnobio Cathariniano, aliisque ſacerdotibus aliunde vocatis miſſarum ſolennia & cetera ſacra interim celebrantibus. Ut autem ſenatus, Cives, Prior, Guardianus & Monachi Romano Pontifici, quem tunc communi errore pro ſummo Eccleſiæ capite venerabantur, quam inique ſecum ab Epiſcopo ageretur, commonſtrarent, cauſam ad Nicolaum III. deferebant. Pontifex Epiſcopo Caminenſi & Archidiacono ejusdem loci in mandatis dabat, ut illi Epiſcopo Lubecenſi & Archi-

Epi-

Episcopo Bremensi Apostolica auctoritate injungerent, ut excommunicationis mandata a se proposita, ille quidem intra decimum, hic intra decimum quintum diem revocarent, & irrita redderent, nec amplius ejusmodi excommunicationibus civitati molesti essent, Romæ etiam Episcopus intra duorum, Archi-Episcopus intra 3 mensium spatium comparerent, & coram ipso Pontifice, Priori, Gardiano & civibus satisfacerent. Mandatum hoc scriptum Viterbii Anno I. Pontificatus anno 1278. Verum nihil aut parum per hos arbitros effectum est. Nicolaus Pontifex interim rebus humanis excedit. Ideo Jacobus de Columna, Cardinalis S. Mariæ in via lata, cui Pontifex adhuc vivus causam commiserat, eam consensu partium dijudicandam sumit, & his conditionibus pacem facit, ut primo Episcopo, Præposito, Decano, Canonicis, Vicariis, sacerdotibus, & horum omnium ministris ad sua redire liceat, & occupare omnia, quæ ante ortam litem possedissent. Ad hæc Monachis utriusque Cœnobii jus sepulturæ confirmat, & vetera illorum privilegia omnia rata habet. Tertio quæcunque statuta tempore litis alterutra pars contra alteram fecisset, abroganda censet. Et quod caput rei erat, Episcopi anathema Archi-Episcopi auctoritate confirmatum irritum prorsus pronunciat, nec Coenobia illa duo unquam a communione Ecclesiæ illo anathemate exclusa fuisse, licereque civibus in illis conditoria, eadem, qua olim, libertate exstruere. Cumque nominatim quidam ex senatu & primariis civibus ab Episcopo excommunicationi subjecti essent, hos omnes & singulos Cardinalis illa solvit. In his:

1) *Johannes a Bardevvick*
2) *Henricus Steneken*
3) *Johannes Monachus*
4) *N. Wromolt*
5) *Bertramus Stalbuk*
6) *Sivertus von der Brügge*
7) *Henricus Storm*
8) *Aluinus Niger*
9) *Hermannus frater ejusdem*
10) *Henricus von Nestwede*
11) *Hans Goltoge*
12) *Henricus von Iserelon*
13) *Alexander von Soltwedel*
14) *Hildebrandus von Möllen*
15) *Albertus Brun*
16) *Marquardus von Cosfeld*
17) *Marquardus von Bockholt*
18) *Rotherus N.*
19) *Wernerus von Scolle*
20) *Arndius Schotelmund*
21) *Dietericus Winter*
22) *Wilquinus & fratres ejus*
23) *Johannes Tater*
24) *Hans von Dunge*
25) *Elverus Wublenpunt*
26) *Elverus von Stene*
27) *Todorus & frater ejus*
28) *Henricus Goldtoge*
29) *Albertus von Hagen*
30) *Henricus von Revel*
31) *Hans Rubbenest*
32) *Alexander Grêke*
33) *Ludevvig N.*
34) *Bertramus Morenvveg*
35) *Marquardus von Bardevvik*
36) *Gottfridus von den Brile*
37) *Volmarus von Attendom & frater ejus.*
38) *Rudolphus von der Beke*
39) *Wernerus von Quedelenburg*
40) *Christianus filius ejus.*
41) *Calo Marquart*
42) *Borchardus frater ejus.*
43) *Henricus Rode*
44) *Hans von Therne*
45) *Solto N.*
46) *Ditmarus Blike*
47) *Jacobus Goldtoge*
48) *Arndius Cale*
49) *Conradus Vorrat*
50) *Bertramus von Stelle.*
51) *Hans Frise*
52) *Gerhardus von Backholt.*
53) *Alexander & Johannes* } *Scribæ Civitatis*
55) *Gottfridus der Artzt.* (5)

(5) Privileg. German. f. 3. b. f. 7. a. Maresc. Deflor. l. 5. p. At. Joh. Ruff. Morkerk. Krantz. Metrop. refert ad A. 1280. Kock refert ad Annum 1282.

Et quia Bertramum Stalbuk & Sivertum von der Brügge, qui funus ex parœciæ templo in Cœnobium Catharinianum cum Monachis deportarant, arctius ceteris Episcopis excommunicationis vinculo ligarat, ideo Cardinalis etiam peculiariter omnem anathematis vim in eos vibrat diplomate suo enervat. Omnia tandem utrique parti gravissima excommunicationis & duorum millium marcarum argenti pœna proposita servanda demandat. Scriptum diploma Viterbii A 1280. die 27 Octobr. Episcopo Lubecensi & senatus legatis præsentibus. (Privil. German. fol. 15. b.) Cumque Cardinalis in constitutione sua quædam controversiæ capita non determinasset, imprimis quæ oblationes, & bona a morientibus testamento legata concernerent, Martinus Papa A. 1282. novo diplomate, quid de iis fieri debeat, sanxit.

§. 56. Maritimarum urbium cives hoc tempore ab Erico, Norwegiæ Rege multis sunt affecti injuriis, Magistratus harum urbium literis & Legatis frequenter missis frestra illas deprecabantur. Ergo Urbes Anseaticæ fœdus (excepta sola Brema quæ illud detrectabat) ineunt, ne quis mer- 1284. Lites civitatum Anseatic. inpr. Lubecæ cum Erico Norv. R. diuturnitæ.

ees ullas in Norwegiam importet. Tum navibus quibusdam Norwegiam invadunt, & Regi par pari referunt: portum etiam regni navibus nonnullis obsident, commeatumque omnem prohibent. Norwegii fame compulsi pacem expetunt. Ideo Magnus, Rex Sueciæ, Ericus Rex Norwegiæ, & Civitatum Lubecæ, Rostochii, Wismariæ, Stralsundi, Gryphiswaldiæ, Rigæ & Teutonicorum Wisbiæ in Gothlandia mercatum facientium Legati apud Gulbergesheidam in Suecia circa diem festum Johannis Baptistæ de pace tractaturi conveniunt. Cumque diu multumque frustra inter se de conditionibus pacis egissent, tandem Ericus Rex, & civitatum Legati feria tertia post diem festum Petri & Pauli causam omnem Magno Regi dijudicandam his conditionibus submittunt, ut duo ex parte Erici Regis, totidemque ex parte singularum civitatum constituti arbitri lites ortas præsidente Rege Sueciæ, supremo eoque jurato in hac controversia judice, amica compositione dirimant. Quod si intra hoc tempus, & diem Michaeli sacrum tollere materiam litis omnem non possent, Rex solus deinde proximo mense causam omnem dijudicaret. Delecti Judices & Civitatum Legati, inter quos Lubeca missi Johannes Münch & Vromoldus de Vishusen Calmariæ convenere; verum eodem, quo antea succesſu. Solius igitur Regis sententiæ causam committunt, & cum Erico Rege omnes suarum civitatum nomine in eun-
1285 dem compromittunt. Rex igitur Calmariæ civitatum legatis præsentibus, primum merces omnes & bona, mercatoribus Bergæ in Norwegia erepta aut detenta ad unum omnia intra diem festum Johannis Baptistæ restitui debere dominis suis pronuntiavit: deinde pro damno, quod civitates in negotiando passæ essent, farciendo Nordmannis mulctam sex millium marcarum argenti Norwegici (quarum tres nostris singulis æquivalerent) intra annum Tunsbergæ Procuratoribus Civitatum solvendam imponit: Stralsundensibus & Rostochiensibus, qui contra decretum Gulhergesheidæ factum Regni Norwegici incolas captos detinuerant, ut missis legatis veniam facti a Rege humiliter precentur, injungit. Insuper ut homines capti, naves & bona omnia, quæ in conventu Gulhergesheidensi reddi jussa sint, nondum tamen restituta, jam ante diem festum Johannis Baptistæ integra restituantur, jubet. Et ut mercaturæ suus redeat honos, septem dictis civitatibus liberum in toto Norwegiæ regno & in urbibus Norwegicis negotiandi usum decernit. Ad præcavendas autem imposterum omnes bellorum occasiones, sancit, si Norwegici a Teutonicis, aut hi ab illis injuria ulla affecti sint, & causam ad loci magistratum detulerint, ut tum, qui injuriam fecerit, sine tergiversatione, & quidem non minori afficiatur pœna, quam si loci incolam læsisset. Insuper pro perpetua inter Regem & civitates pace & amicitia firmanda, omnia sive ab ipso Rege Erico, sive a prioribus Regibus unquam Civitatibus concessa privilegia rata &
inviolabilia haberi præcipit. Si forte homines male feriati, quod putent, se damnis ab altera parte affectos, prædando & latrocinando pacem factam violaverint, hos gravissima pœna coërcendos statuit. Denique si Rex Daniæ a Norwegiæ Rege affectum se injuria Civitatibus conquestus fuerit, literis scriptis Civitates ipsum ad damna pensanda monere debere: & si arbitrorum sententia Rex Norwegiæ causa cadat, a Civitatibus Regem Daniæ contra Norwegiæ Regem armis juvari posse. Tandem violatoribus pacis pœna XX. millium marcarum argenti puri & ponderis Colonienſis statuitur. Acta hæc sunt Calmariæ Anno 1285. in vigilia omnium Sanctorum. (Privileg. lat. f. 64. Privil. German. f. 17. libr. 2.) Lubecenses eodem anno cum Lubec. fi
Erico VIII. Danorum Rege, Glippingio dicto, cum Erico
fœdus a feriis Pentecostes in octo annos in- Dan.
eunt, auxilia contra illos, a quibus forte altera pars damnis afficiatur, & societatem armorum, donec a Rege Norwegiæ utrique parti pro illatis damnis satisfactum sit, utrinque promittunt. Diploma scriptum Othoniæ die S. Andreæ A. 1285. (Privileg. German. lib. 2. f. 93. a.) Aegerrime ferebat Rex Norwegiæ, Ericum, Daniæ Regem, non tantum cum Lubecensibus tum pacem feciſſe, sed & portuum occludendorum in hoc bello potestatem eis concessisse. Cum igitur Rex Daniæ X. Kal. Decembr. (22. Novemb.) nocte eant diem Cæ- 12
ciliæ a Stigoto Marescallo & Jacobo Hallan- R. Nor
diæ Duce aliisque conjuratis obtruncatus esset, ægre fe
multique sceleris socii profugi terra excede- interfe
rent, Rex Norwegiæ his collectis Helmam in- busRegi
sulam tribuebat. Hic illi valida arce exstru- commoc
cta, cui Helmstedii nomen imposuerunt, insignia damna regno intulerunt. Lubecam se, 12
nex quispiam clam ingressus, primum assum- Pseudo
tis quibusdam deploratæ fidei hominibus, Fri- ricus I
dericum II. qui Lubecam imperii urbem feci- becæ.
set, se esse mentitur nec unquam mortuum se, sed exulem delituisse nugatur. Serpit obscurus rumor; subinde apertius se prodit. Aureos ille montes populo ad se concurrenti pollicetur, si olim ad pristinum Imperii decus redeat. Tandem quidam vesaniæ vœstro perciti etiam egregio equo Imperatorem impositum per urbem spectandum circumvehunt: Consul urbis Heinricus Steinius, vir magno rerum usu pollens, cui ex frequentibus legationibus, quas in aula Friderici obierat, Imperator notissimus erat, hominem vocatum examinat. Ibi vero senex clanculum se subduxit & pravorum hominum cupiditates fefellit. (6)

(6) Krantz. Wand. 7. 39. Traziger p. 68. Joh. Ruffus & Morkerke.

Autor additionum ad Lambertum Schafna- 128
burgensem circa d. festum Michaelis, per Naves
nimiam vim ventorum multa millia homi- haud pr
num in aqua, quæ Lacus vocetur, prope ab urbe
Civitatem Lubecensem, cum navibus misera- mersæ.
biliter submersa esse commemorat. Cum apud alios scriptores altum de hac re sit silentium, cuivis de illa narratione liberum esto judicium. Id tamen non possum, quin addam

haut

haut procul ab ostio Travæ, versus Holsatiam. lacum ingentem a mari in terras excurrere, quem hodie a vicina villa Himmelsdorpensium stagnum (die Himmelsdorper See) vocitant. Verisimile est, naves tempestate e mari actas, & vado litoris, ubi stagnum hoc mare attingit, illisas, cum aliqua hominum multitudine periisse. Efflorescentibus in litore Ballhico urbibus, præ ceteris tamen omnibus Lubeca, merces, quæ ex regnis Borealibus, item ex Borussia & ceteris versus orientem sitis provinciis Lubecæ importatæ, inde Hamburgum, Brunsvicum curribus devectæ longe lateque in Romanum Imperium distrahebantur. Factum autem Principum seu absentia, seu conniventia, sive etiam impotentia, ut eorum nobiles quidam & milites viam publicam obsiderent, mercatores spoliarent, & quosvis alios iter facientes injuriis multis afficerent. In Saxonia inferiori imprimis multa hi tenebant receptacula, ex quibus mirum dictu, quanta civitatibus damna intulerint. Principes igitur Mecklenburgenses, omnesque urbes Wandalicæ cum Lubecensibus de latronibus, a quibus viæ ubique obsidebantur, e medio tollendis, & quos cepissent, statim suspendendis ineunt. Die igitur decollationis Johannis quidam e nobilitate Saxoniæ captus propter latrocinia primus isto supplicio afficitur. Qui nobili sanguinis propinquitate juncti erant, multum propterea urbi incommodabant, Alberto II. Saxoniæ Duce, qui tutoris nomine tunc Saxoniæ inferiori præerat, in partes suas pertracto. Novæ molæ post templum Cathedrale, versus austrum, maximis sumtibus tandem a senatu perfectæ sunt, quæ sequentibus annis μῆλον ἔριδος, uti mox dicetur, fuere. Albertus Dux, qui suorum ex Johanne fratre nepotum, Johannis, Alberti & Erici tutor erat, maximam temporis partem in aula Rudolphi Imperatoris soceri sui, hærebat: terras autem cis Albim Hermannus Ryhe, vir bellandi peritissimus, illius nomine administrabat. Hic prædatorum & latronum patronus, itinera infesta admodum reddebat. Nec quicquam urbes contra se ausuras putabat, cum Albertus Dux Agnesam Imperatoris filiam matrimonio junctam haberet. Lubecenses tamen cum sociis foedus de latronibus tollendis renovant. Principes Mecklenburgenses, validam manum militum Lubecensibus adducunt; Wismaria item & Rostochium suos addunt. Cum hoc exercitu in Ducis regionem movent, & agros depopulantur. Steinburgum arcem etiam condunt, claustrum perdomitæ regionis futurum. Naves insuper milite & instrumentis bellicis oneratas ad Raceburgum arcem occupandam mittunt. Sed antequam arx expugnaretur, pax statuta est. Nam Ottone, Duce Brunsvicensi & Luneburgensi: Adolpho & Gerhardo Comitibus Holsatiæ, & Nicolao Comite Suerinensi arbitris litigantes ab altera quidem parte Henricus, Dominus de Werla, Helmoldus Comes Suerinensis, Johannes & Henricus Domini Mecklenburgenses, Bernhardus & Nicolaus, Comites de Dannenberg, & Lubecenses: ex altera autem parte Hermannus Ryke, Reinbertus de Karlove, & ceteri quidam Ducis vasalli utrinque consensere, ut decem hæ arces & loca munita, Weninga, quæ ab ipso Hermanno ædificata, Walrovia, Klokesdorpium, Karlow, Mustinum, Düssow, Slavesdorp, Burcharsdorp, Linow & Nannendorp funditus everterentur. Quæ ibi statuta sunt literis & subscriptonibus confirmata sunt Düssoviæ XIII. Kal. Febr. (den 20 Januar.) 1291. Lubecenses nulla mora interposita egressi, omnes has arces dejecerunt, quæ tamen pleræque non sine insigni tam ipsius Ducatus quam vicinarum urbium, damno exædificatæ iterum sunt. Adolphus Imperator confirmat Lubecensibus omnia jura & immunitates a superioribus Imperatoribus unquam concessas. Perscripta est hæc privilegiorum confirmatio Bopardiæ VII Id. Junii. Erat jam ante aliquot annos, uti diximus, sumtuosissima illa molarum fabrica a Senatu & populo Lubecensi absoluta. Episcopi & Canonici opus felicius, quam ipsi forte ab initio opinati fuerant, succedere cernentes, nec non emolumenta insignia inde proventura prævidentes, sibi vindicare molas satagebant, quod in sua area ædificata essent. Hinc altera Episcopi hujus cum Senatu contentio exarsit gravissima. Et jam Episcopus secunda vice Lubecenses a sacrorum communione excluſit. (7)

Arces latronum demolitæ reficiuntur.

1293. Adolphus Imp. confirmat Lubec. privil.

propter molas cum Episc. contentio.

(7) Krantz. Metrop. 8. 37. Wandal. 7. 40. Reim. Kock.

Dirutis in Saxoniæ inferioris Ducatu latronum receptaculis, in Mecklenburgensi terra & circa Prignitium colluvies malorum hominum itinera iterum obsidere & viatores deprædari cœpit. Lubecenses Nicolaum Lindow, militiæ præfectum, cum parva militum manu ad eos inquirendos mittunt. Hic exploratoris perfidia hostibus proditus, Luboviæ cum fratre & sedecim Equitibus, ceteris dilabentibus misere obtruncatus est. (8)

1297. Contra latrones expeditio.

(8) Krantzii Wand. 7. 44.

Munitam imprimis arcem Glesinam, ab Hermanno Ryke exstructam, latrones tenebant. Junctis ergo armis Principes & Lubecenses, evertendam eam esse decernunt. Nec mora: obsident illam Johannes & Albertus fratres Saxoniæ Duces: Trium Marchionum Brandenburgensium exercitus, Ottonis Longi, cujus copiarum Præfectus erat Conradus Wulffius, Ottonis cum telo, ut vocabant, & Conradi, Nicolaus & Guncelinus Comites Suerinenses Helmoldi filii, Johannes Princeps a Gadebusch: Henricus junior Princeps Mecklenburgensis, filius Henrici, in Turcia hactenus captivi: Dominus Gans a Potlast & Lubecenses. Arcem Hermannus Ryke junior Johannes a Slavekesdorp & Sivertus a Plöna obtinebant. Hi loco freti frequenter in castra obsidentium excurrebant. Crebra inde velitatio, & neutri parti incruenta. (9)

(9) Privileg. Lat. f. 335.

Capitur tandem Eckhardus Ryke, frater Hermanni, cum tribus aliis militibus. Sagum militare cœruleo colore inclutus erat Rycke, cum caperetur. Id uni ex ceteris captivis indui-

duitur, & omnes tres e conſpectu arcis ſuſpenduntur de arbore, ut Ducis fratrem ſuſpenſum eſſe obſeſſi opinati citius ſe Principum voluntati permitterent. Ryke interim Sueirinum in vincula deductus eſt. Tantum autem aberat, ut obſeſſi illo ſpectaculo ad deditionem moverentur, ut potius efferati omnibus modis in exercitum obſidentium læſæ beluæ inſtar ſævirent, & nobiles plurimos ceterosque quos capiebant, miſerrime obtruncarent. Principes cum viderent, tam infeſtis animis in ſe pugnari, nec pacificationi locum illum dari, & ipſi gratiam omnem captis denegandam decernunt. Ergo judicium in caſtris ſuper ipſis conſtituitur. Albertus Dux Saxoniæ pro tribunali ſedet: Principes ceteri accuſatorum locum ſupplent. Obſeſſi in judicium vocantur. Illis non comparentibus gladius educitur, & clara voce prima, altera & tertia vice latrones vocantur. Tum aqua & igni ipſis interdicitur, & omnes, qui ex ipſis capti fuerint, peſſima morte afficiendos eſſe decernitur. Dum hæc aguntur, ecce domum redit Henricus Senior, Dux Mecklenburgenſis, qui jam annos ſex & viginti a Suldano Babylonico in vinculis habitus fuerat. Hic omnium applauſu in caſtris excipitur. Hermannus Ryke interim cum duobus aliis noctu ex arce egreſſus per obſidentium exercitum nemine animadvertente elabitur. Arx tandem expugnatur. Capti plerique capite truncati aut ſuſpenſi ſunt. Dominus Gans a Potlaſt Johannem a Slavekesdorp ſua manu ſuſpendebat. Tam infeſto in eum erat animo, quod hujus Johannis filius Ryke Dominum Gans antea Wittenborga ex inſidiis in hypocauſto cepiſſet. Hic Ryke a Slavekesdorp cum toto ſuo manipulo e regione arcis expugnatæ ſuſpenſus eſt. Lubecenſes etiam latrociniis & multis ſceleribus infamem militem, cui nomen Wolteblock, cum ſocio ſuo ad eandem arcem ſuſpendebant. Ita diſturbatum eſt latronum receptaculum, ex quo infinita damna Principibus & civitatibus illata fuerant. Non ita diu poſt Henricus, Princeps Mecklenburgenſis, jam ex diuturna captivitate redux, Lubecam venit. Occurrunt ei gratulabundi ſenatores & cives, & magno plauſu optimum Principem excipiunt. Dies aliquot liberaliter tractatum & muneribus ampliſſimis affectum iterum dimiſerunt. Tanta tunc inter Principes & civitates animorum erat conjunctio.

Henricus ſen. D. Meckl. ex Babyl. redux hinc a Lubec. laute excipitur.

atronum ſupicium.

1299. Nova cum Epiſcopo de agris controverſia.

§. 57. Poſt ſopitam de molendinis controverſiam, tertia enata eſt. Agros, paſcua, prata & ſilvas ad vicum Schwartouw, quem locum tunc veterem Lubecam (Olden Lübeck) vocabant, Epiſcopus ſibi & Canonicis ſuis aſſerere cogitabat. In ſenatum, qui ſibi jus iſtorum prædiorum vendicabat, dira anathematis fulmina, Miſſarum ſolennia & ſepulturam Civibus interdicendo, jam tertia vice vibrabat. Hac ſenatus aliquamdiu, ut poterat, ferebat. Cum interim nonnulli ex ima fæce populi, bajuli & id genus hominum, ab Epiſcopi familia ex villa Koldenhove læſi eſſent, illi die Veneris hebdomada Pentecoſtes cemulenti & ebrii concurrunt, villam Epiſcopi diripiunt & ſuccendunt: eodem furore acti urbem iterum ingreſſi domos Canonicorum invadunt, multaque per vim auferunt. Senatores quidam ad compeſcendas turbas miſſi propter frequentiam & furioſam plebeculæ rabiem, fruſtra eam ab inſtituto revocant. Tum Canonicis & ſacerdotibus iterum urbe cedentibus, ſenatus ſacrorum in parœciis adminiſtrationem primum Monachis templi arcis & Cœnobii Cathariniani, deinde poſt ſesqui annum ſacerdotibus aliunde accerſitis committit. (10)

(10) Joh. Ruffus. Morkerke. Krantz. Wand. 7. 44. & 54. Mareſc. Deflor. l. 5. p. exiii. &c. Krummendik ſcribit litem hanc natam eſſe anno 23. Burchardi, incidit ergo in annum 1299. Idem affirmat, tunc altera vice Canonicos eſſe expulſos & Epiſcopum Romam profectum.

Epiſcopus jam plus quam centum annos natus, bona ſua repetere ac perſequi lite & judicio conſtituit, Romam excurrit, apud Bonifacium Papam Lubecenſibus litem intendit, conquerens, ſe & Canonicos ſuos antea quidem cum ſenatu populoque Lubecenſi in Abbatem Reynefeldenſem, Gardianum Cœnobii Cathariniani & Priorem templi arcis arbitros compromiſiſſe, verum hos magis in populi partem propenſos iniquam ſententiam tuliſſe; Imploraſſe poſtea ſe opem Archi-Epiſcopi Bremenſis, a quo Judices dati ſint, quorum ſententia ipſe quidem cum ſuis in integrum reſtitutus ſit, ſed ſenatum non paruiſſe. Deinde neceſſitate ſe compulſum ad extremum remedium ſe progreſſum, ſacrorum uſu civitati interdixiſſe, verum & hoc cives ſusque deque habuiſſe: imo audaciores factos in templum Cathedrale, cum ſacra clauſis valvis ſubmiſſa voce celebrarentur, effractis foribus irrupiſſe, feminam cum ancilla, quæ ſingulari venia Epiſcopi ad ſpectanda ſacra in templum intromiſſæ eſſent, repertas & Canonicorum miniſtros veſtibus nudatos verberibus excepiſſe: ſenatum & populum mortuos in cœmiteriis contempta prorſus excommunicationis auctoritate, ſepeliiſſe, omnia Sacerdotum officia per Monachos & ſuos aliunde vocatos Sacerdotes veteri ſolennitate, cum extremo poteſtatis Eccleſiaſticæ contemptu & irriſione uſurpare: inſuper quosdam de ſuis emiſiſſe, qui Epiſcopi ſegetes corruperint & demeſſuerint, arbores & ſilvas ſuccideriint: in agro Epiſcopi molendina ædificaſſe: intra urbem Epiſcopi & Canonicorum domos a furioſa plebe violari, ſupellectilem auferri, hortos & pomaria everti paſſos eſſe: Canonicis expulſis ſacrarium, in quo ſanctorum reliquiæ, ſigilla, ornatus Miſſaticus, & privilegia aſſervata fuerint, obturaſſe. (Privileg. German. f. 14.) Querelis iſtis refutandis ſenatus & populus coram Pontifice regerebant, delectos arbitros, ubi cauſam ipſi & privilegia antiqua utriusque partis recte intellexiſſent, pro conſcientia juſtam ſententiam præſente utraque parte protuliſſe: dictæ ſententiæ tunc neminem contradixiſſe; Epiſcopum & Canonicos

Epiſc. Rpetit que

nicos falso arbitros prævaricationis apud Archi-Episcopum accusasse, ac temere & sine causa alios judices postulasse: judicibus deinde ab Archi-Episcopo constitutis, & ex favore pro Episcopo pronuntiantibus se actutum contradixisse: illos tamen Episcopum & Canonicos in possessionem omnium honorum, de quibus controversum fuisset, contra omne jus & æquum introduxisse. Pontifex ut diu protractæ liti finem tandem imponeret, sequenti anno Abbatem Luneburgensem & Verdensem, Præpositum item Raceburgensem arbitros constituit, ut illi utramque partem litigantem Raceburgum evocent, causam diligenter cognoscant, & controversiam omnem dirimant. (11)

(11) Bonifacius VIII. factus est Papa 1294. die Nativit. Christi. Constituit arbitros in hac causa anno Pontificatus sexto i. e. 1300.

Diploma scriptum Bonifacii Pontificatus anno VI. Idib. Mart. Episcopus interim quadriennium Romæ subsistebat, ut sua præsentia causam commendaret. Ut autem Lubecensibus interim, quibus modis posset, incommodaret, Ottonem Ducem Luneburgensem in eos concitabat. Otto Dux trecentos Equites in agrum Lubecensem mittit. Hi rapinis atque igni in subjectas villas grassati, vaccarum gregem tandem abigunt. Capitaneus urbis, cui nomen Hane, cum parva manu Equitum & peditum, quam in illa festinatione parare poterat, eos insequitur, civium etiam aliqua multitudine tardius insequente. Ducis milites cum Stubbendorpium veniissent, nuncium de ponte dejecto (qui Krowelsbrugge dicebatur) accipiunt. Ergo necessitatem in virtutem vertunt & confligere statuunt. Capitaneum igitur, antequam cives ei conjungerentur, adorti ipsum & alios quosdam de militibus ipsius occidunt: nec enim ultra centum milites secum trahebat. (12)

(12) Joh. Ruffus. Morkerk. Krantz. Wand. 7. 46. Saxon. 8. 37.

Tum & in cives, qui palantes & diversi sequebantur, impetu facto, plures quam centum interimunt. Nec ipsis incruenta prorsus illa pugna fuit, non paucis e numero suo desideratis. Hoc anno Bernhardus a Cosfeldt, Consul, in foro a sicario, qui cultrum in gula ei adegerat, occiditur. Sicarius die, qui Margrethæ dicatus est, tribus rotis ad tres urbis portas impositus est. Holsatiæ Comites, in bello, quod anno 1289. contra Dithmarsos gesserant, nobiles quosdam propensiori in hostes, quam in suos, animo fuisse intellexerant. Hos igitur nunc sedibus a Comitibus ejectos Albertus Saxoniæ Dux fovebat & auxiliis firmabat. Illi etiam accepta manu aliqua a Mecklenburgensibus, cum octingentis equitibus in Holsatiam irruptionem faciunt, & quinque diebus obvia quæque diripiendo magnam prædam colligunt. Comites cum suis juxta Travam ad villam Lockfeldam, qua his cum præda transeundum erat, occurrunt, & multos cædunt. Lubecenses utrisque ex æquo faventes, ne plus sanguinis funderetur se arbitros offerunt. Neutra pars alteri cedere, sed pugnam expetere videri volebat. Tunc arbitrorum sententia, postquam hi tres dies ultro citroque inter eos commeassent, Holsati prædam ablatam & captos receperunt, & Saxones domum reversi sunt. Cœptæ ædificari turres templi B. Virginis. Et altera quidem, qua Septentrioni obversa est, hoc anno initium sumsit: altera post sexennium. Expressum id versiculis, quorum alter lapidi murali ad fores insculptus:

1304. Turres ad Mariæ templum exstructæ.

Turris principia sunt M tria CCC duo bina.

Alter in sacello versus austrum ad turrim itidem murali lapidi:

Turris principia sunt M tria CCC duo quina.

Male quosdam Holsatiæ nobiles habebat, prædam, quam tenere videbantur, sibi quasi e faucibus Lubecensium arbitrio ereptam, atque ut damna pensarent, multos cives Lubecenses ad Stubbendorp misere interemerunt, aliud crimen causæ prætendentes. Non diu post etiam denuo duce Peltzio quodam conglomerati, Dithmarsis etiam in suas partes pertractis, Holsatiæ agros iterum tota æstate depopulantur, & itinera inter Lubecam & Hamburgum obsident, sed non eodem, quo antea successu. Nam prælio a Gerhardo & Henrico Comitibus vincuntur. Dux Peltzius capitur, equis raptatur & rota crura fractus, aliisque exquisitissimis cruciatibus tortus suspenditur. Ceterorum Holsatorum, qui contra Comites suos conspirarant, villas & domos Comites exurunt & bona publicant. Horum multi cum conjugibus & liberis fuga elapsi a Lubecensibus recepti sunt, quia nec illis Gerhardus Comes servasset, quæ ipsis nuper ad Travam arbitris promiserat. Id ægerimie ferens Comes nec excusationem Lubecensium audiens despiciebat, quo pacto urbi ægre faceret. Ergo non stat pactis & conventis, quibus Lubecensibus promissum erat, Travæmundam muniri non debere, sed turrim Travæmundæ magis firmat; missos, qui ipsum ab instituto dehortarentur, superbe a se rejicit. Res inde ad apertum bellum pervenit. Lubecensium partes Albertus & Ericus, Duces Saxoniæ, fœdere cum ipsis inito, (Conditiones fœderis a Ducibus Saxoniæ cum Lubecensibus initi A. 1306. die Catharinæ conscriptæ sunt. Vid. Privileg. Germ. l. 4. f. 56. b.) & Ericus Daniæ Rex, cujus protectioni se Lubecenses X annos commiserant, misso Waldemaro Slesvici Duce & pulsi Holsatia Nobiles juvabant. Comiti Henricus Dux Mecklenburgensis aderat. Hic castra in Priwalko insula e regione Travæmundæ ad portum Lubecensibus penitus obstruendum metatus est, turrim e regione turris Travæmundensis ibi exstruxit. Lubecenses ubi frustra primum pacis conditiones proposuissent die Divo Nicolao sacro cum armatis urbe exeunt, Oldesloam occupant, ex qua Holsatiam subigant & deprædentur. Multa tum ultro citroque damna hinc inde inferebantur. Gerhardus Comes paulo post diem festum trium Regum

Nobiles Holsati bellum moventes compescuntur.

1306.

Ob quosdam fugientes receptos Lubecensibus cum Comite. Holsat. enascitur dissidium.

cum mille & quadringentis equitibus caſtra in nemore ad villam Suartow, ab altera Travæ parte locat, & non tantum commeatum omnem terra marique urbi intercipit, ſed & omnia Lubecenſium prædia & villas diripit & exurit. Cives naves ſuas adverſus incurſantium impetum muniunt, & cum iſtis, quamquam difficulter, in mare excurrunt & redeunt, nec non ſæpe ex urbe erumpentes cum Comite dimicant: conflictibus crebro repetitis quotidie multi cadunt. Et ut Comes nihil intentatum relinqueret, naves ſaxis oneratas in Travam, tranſitum omnem deſtructurus, demerſit; quibus omnibus tamen impedire non poterat, quo minus naves excurrerent & redirent. Lubecenſes vere primo tempore Quadrageſimæ cum multis copiis egreſſi Mecklenburgenſium novum caſtellum in inſula multo labore tandem expugnant, paulo poſt etiam turrim a Gerhardo exſtructam dejiciunt, ipſique propugnaculum & caſtra ibidem locant, ex quibus tam Holſatorum, quam Mecklenburgenſium auxilia prohibeant & Travæmundam expugnent. (13)

1307.

(13) Krantz. Saxon. 8. 38.

compoſitum per R. Dan.

Ericus Mendridius Daniæ Rex, cui tum cum Sueciæ Rege bellum erat, ut Germanorum militum opera uti poſſet, Femariam progreſſus media æſtate Ducem Saxoniæ, Ducem Sleſvicenſem & Lubecenſes, nec non horum adverſarios, Holſatiæ Comites & Principes Mecklenburgenſes vocatos, his conditionibus conciliavit, ut Nobilibus ad ſua redeundi poteſtas facta ſit, controverſiam vero de Travæmundenſi turri & Priwalko ad Imperatorem Romanum remiſerit. Lubeca igitur Erici Regis fidem & humanitatem in hoc negotio experta ipſum ad decennium protectorem ſumſit. (14)

(14) Krantz. Saxon. 8. 37. 38.

1308. Latrones denuo inſultantes.

Alberto II. Saxoniæ Duce, egregio Principe & juſtitia Patrono fortiſſimo, hoc anno e vivis ſublato & Raceburgi ſepulto prædones Linoviam arcem a Lubecenſibus A 1291. deſtructam, reædificant, mercatores ſpoliant, reluctantes occidunt. Lubecenſes viis publicis, quoad Ericus Rex ſupererat, quiete fruebantur, cum interim vicinæ urbes Roſtochium & Gryphiswaldia tumultibus jactarentur. (15)

(15) Krantz. Saxon. 9. 5.

Excommunicationis vinculo liberari ſtudent Lubecenſes.

Grave civitati erat, tamdiu excommunicationis vinculo teneri. Ideo, ut ne quid in ſe quod ad pacem & animorum conjunctionem redintegrandam pertineret, omitterent, hoc anno pacificationis negotium urgent. Mittunt tres ex ordine ſenatorio viros graves, Johannem Runeſe, Albertum a Bardewyk, & Arndium Papen, cum Johanne Samenkowe ſcriba. Excutiuntur capita controverſiæ, & pax initur. Quia autem nec tum Canonici in urbem redierunt, nec Lubecenſes a Romano Pontifice excommunicatione ſoluti leguntur, ſuſpicari licet, irritum redditum fuiſſe, quicquid hac vice de pace decretum erat. Et quia nec arbitri a Bonifacio conſtituti Epiſcopum & ſenatum Lubecenſem conciliarant; ideo non tantum Lubecenſes non modo excommunicationis vinculo non ſolvuntur, ſed etiam, cum in Cœnobiis adhuc ſacra exercerentur, Clemens V. Pontifex Priori in templo arcis & Gardino ad D. Catharin. propoſito excommunicationis fulmine omni ſacrorum uſu interdicit. Diploma Avinione X Kal. April. anno Pontificatus ejus ſexto perſcriptum eſt. Vid. Privileg. German. f. XV. a. Hoc anno Epiſcopum victorem Roma reducem factum ſcribit Krantz. Wand. 7. 47. Templum Cathedrale Eutinenſe in Epiſcopatu Lubecenſi ædificari cœptum eſt. Henricus VII. Imperator, Lubecenſibus omnes immunitates, jura & privilegia, unquam ab anteceſſoribus ſuis conceſſa, confirmat. Scripta confirmatio Francfurdiæ IX. Kal. Aug. MCCCX. Wiſmarienſium, Roſtochienſium, Stralſundenſium & Gryphiswaldenſium legati, Roſtochii de cauſis quibusdam contra Ericum Regem Daniæ tractaturi, conveniunt. Lubecenſes fœdus contra Regem inire detrectant; quod ipſis magnæ ſaluti fuit. (16)

1309. Templum Ubecenſe ſtruitur.

1310. Henr. VII. per. privilegia. Lubec. firmat.

Quarundam civitatum R. Dan. controverſiæ.

(16) Joh. Ruffus & Morkerk. Krantz. Wand. 7. 49.

Die Michaëli ſacro inter maritimarum urbium negotiatores & Danos in Falſtria tumulti orto, nonnulli occiſi ſunt tabernæ item quædam concrematæ. Rex negotiantium ibi Germanorum bona detinuit. Senatus Lubecenſis per Notarium ad Regem Roſchildum miſſum ſuorum Civium bona repetit. Protectorem enim civitatis tueri potius & contra aliorum injurias defendere oportere civium bona, quam illa nulla de cauſa publicare. Rex Daniæ cum ex notario a Lubecenſibus miſſo cognoviſſet, Lubecenſes non conſenſiſſe in fœdus, quod tum maritimæ quædam urbes contra eum inierant, ipſis collaudatis & admonitis, ne bello ſe immiſceant, omnia ſe redditurum, & damna illata penſaturum pollicetur. Cum autem promiſſa ſervata non eſſent, denuo Lubecenſium legati paulo ante Paſcha res repetitum miſſi ſunt, juſſique interrogare, pro amicisne an pro hoſtibus haberentur? Hi in Cherſoneſum Balthicam delati ceterarum urbium naves bellicas, fines Danorum rapinis & incendiis devaſtantes repererunt. Progreſſi in regnum comiter excipiuntur, omnia redditum iripromittitur, idque omnibus Regni incolis a Rege ſerio præcipitur. Quod autem optimates Regni maximam horum bonorum partem tenerent, ceteri item, qui illa diripuerant, penes ſe eſſe negarent, parum redditum eſt. Varnus Roſtochienſibus a Principe Mecklenburgenſi obſtruitur. Mecklenburgenſis & Marchio Brandenburgenſis nomine Regis Daniæ Roſtochienſibus bellum inferunt: ab utraque parte Varni fluvii robuſtam turrim ædificant, ab una ad alteram Varno pontem imponunt, & portum ſaxis obſtruunt. Cum hi diſceſſiſſent, Roſtochienſes turres illas expugnant & diruunt: ipſi autem aliam eximiæ magnitudinis ædificant, ex qua portum ſuum tueri ſe poſſe ſperabant. Roſtochienſes turrim ſuam, quam ad Warnoviæ ſive Varni oſtium ædificabant, jam perfecerant. Adeſt ſtatim Rex Daniæ

Roſtochiensibus bellum infertur.

1311 quarum Lubecenſes expertus.

1312.

Daniæ, & eam magno molimine tandem expugnat. Vulgus falso suspicatus, deditionem turris non absque senatus collusione esse factam, insurgere, tumultuari, Senatores quosdam per summum furorem urbe pellere, quosdam etiam occidere laborat. Rex aliis quatuor turribus robustis & altis fossis turram occupatam muniebat, ut jam fortissimæ arcis & propugnaculi loco esse posset. (17)

(17) Krantz. Wand. 7. 51. refert ad A. 1313.

1313. Henricus Imperator veneno periit.

1314. Circa festum diem Purificationis Mariæ controversiæ inter senatum & Episcopum Wilhelmus a Bardewyk & Henricus Plesskowe, Senatores Eutinam ad Episcopum missi finem imponunt. Ejectis Canonicis fit in urbem ad bona sua & sacrorum exercitium redeundi potestas: de limitibus inter agrum civitatis & Episcopi res transigitur: villam Koldenhoff reædificandi, sine plancis tamen & muris, Episcopo facultas datur: Clericis, qui absentibus Canonicis sacra administraverant, impunitas promittitur. Ut anathema dictum, Romani Pontificis auctoritate, qui illud ratum habuerat, solveretur, legatos Romam mittendos esse decernitur.

Episcopi lites cum Lubec. componuntur.

Testes Senatores subscripti

1) *Johannes Runese*
2) *Zeghebode Crispin*
3) *Albertus von Bardevvyk.*
4) *Bruno Warendorp*
5) *Johannes Keiser*
6) *Ecbertus Kure*
7) *Gerhardus von Bremen*
8) *Johannes von Ulssen*
9) *Johannes Klenedenst*
10) *Rudolphus von Stene*
11) *Arndius Pape*
12) *Henricus Wroth*
13) *Alvinus Grope*
14) *Albertus von Hastorp*
15) *Henricus von Wittenborg*
16) *Henricus Plesskowe*
17) *Siverthus von Bruthen.*

Statim igitur a senatu quidem Wilhelmus Bardewyk, & Henricus Plesskowe; a Canonicis autem M. Johannes Bule Canonicus & Thesaurarius Romam missi sunt. (18)

(18) Privileg. Germ. lib. 1. f. 8. a. f. 11. a.

1315. Quo cum venissent, Clemens V hebdomade Paschatos fatis concedebat. Johannes II. Wagriæ Comes, elapsus custodia, qua Chilonii detentus fuerat, ad Lubecenses confugit; ab his in Comitatum reductus, etiam Chilonium recepit. (Krantz. Saxon. 8. 40.)

Johannes Wa- C. e custo- a dilapsus.

§. 58. Regis & Marchionis Brandenburgensis amicitia hoc anno 1315 in apertum bellum conversa est. Rex belli summam Henrico Duci Mecklenburgensi affini suo committebat. Hic multos alios gratia & opibus ad partes suas trahebat, ut Ericum Ducem Saxoniæ, Wislaum IV. ultimum Rugianorum Ducem, Gerhardum & Johannem Holsatiæ Comites, Henricum Comitem Suerinensem, & alios potentes Principes. Woldemarus Marchio, qui tum solus totam Marchiam ditione tenebat, licet opibus & viribus valeret, tamen & ipse aliorum auxilia implorabat. Aderat ei Otto, Dux Stetinensis & Wertislaus Dux Wolgastanus, Ottonis ex fratre nepos & Dominus de Werla. Stralsundenses se Wislao Domino suo opponebant: Gryphiswaldenses classem sui Domini instruebant & Regi portum suum permittebant: Rostochienses & Wismarienses gravi bello cum Ducibus suis gesto & viribus exhausti, nullam opem civitatibus ferre poterant, a quibus ipsi ante adjuti fuerant. Protectores (Tutores) Lubecæ tunc erant ipse Rex Daniæ & Marchio: ille a civitate electus, hic ab Imperatore Romano datus. Uterque Lubecensium opem flagitabat. Utrique honeste denegabatur. Ea res postea multum Civitati profuit.

Utrique denegatur auxilia a Lubecens.

1316. Gerhardus III Stormariæ Comes, insidias metuens nobilium suorum Lubecam cum tota aula se contulit, ibidemque quadriennio exacto mortuus est. (19)

Gerhardus III. Storm. C. Lubecæ commoratur.

(19) Krantz. Saxon. 8. 41.

1317. Universa pene Germania tantam annonæ caritatem sensit, ut multi fame perirent. Nullibi tamen frumenta minoris, quam Lubecæ, emebantur. Lubecam ergo tum innumera famelicorum multitudo concurrit, qui civium liberalitate conservati sunt.

In annonæ caritate Lubeca abundat.

Senatus & Episcopi legati, Avinione in Gallia a Papa Johanne XXII. impetrato iterum sacrorum libero usu & exercitio, atque mortuos in cœmeteriis sepeliendi potestate, redeunt, Episcopo Burchardo jam mortuo (Eutinæ enim tempore Quadragesimæ excesserat,) qui jam sacris octodecim integros annos Lubecensibus interdixerat. Absolutionem a Papa factam, Berengarius, Cardinalis Tusculanus literis, Avinione anno 1317 scriptis confirmavit. (20)

Excommunicationis solutio.

(20) Privileg. German. f. 11. a. Joh. Ruffus.

1317. Hinricus a Bockholte, Lubecensis natione, Præpositus, magno consensu Episcopus eligitur. Vir pacis amans, exquisita eruditione instructus, professione Medicus, ita mores suos Canonicis probabat, ut primum Decanum, & ex Decano Præpositum facerent. Utramque vero dignitatem ea integritate gessit, ut hoc anno magno consensu Episcopum crearent, a Capitulo (uti vocant) Bremensi propter Archi-Episcopi absentiam confirmatus, ejusdemque mandato consecratus est. Accusatus propterea ab Archi-Episcopo in aula Pontificis ibidem contra eum causam suam egit, tandemque a Pontifice absolutus est. Romam iturus, Lubeca XIV Januar. discedebat, quo ipso die turris Danica tota dejecta est. Cum Romæ hæreret, Gerhardus, Holsatiæ Comes, Eutinum & alia bona Episcopatus invasit. Obtinuit Episcopus a Papa judices, quibus arbitris Comes centum marcarum reditus perpetuos, & jus Patronatus Ecclesiæ Lütkenburgensis & Plönensis Episcopo concessit. Episcopus etiam templo Cathedrali chorum novum, egregium plane opus, & quod ante LX. annos inceptum quidem, sed derelictum iterum erat, nunc magnifice consummatum adjecit. Domum item Episcopi Lubecæ novam ædificavit.

Henr. a Bockholte Medicus fit præpositus Canonic. deinepiscopus; hinc lis cum Archiep. Brem.

Gerhardus Comes episcopatus invadit bona.

de Westphal. Monum. inedit. Rer. Germ.

Cum annos tres & viginti Episcopatum magna industria rexisset, vitam cum morte commutavit, sepultusque est in medio novo choro ab ipso exstructo. (21)

(21) Krantz. Metrop. 9. 13. Morkerk & Kock referunt ad A. 1317. sed Krummendik & Bonnus ad A. 1316. Morkerk Episcopum per annos 3½, alii per septennium, Romæ commorasse perhibent.

1318. Lubecens. ad Imp. legati in Franconia captivi detinentur.

Jussu Imperatoris Ludovici, Lubecenses legatos duos, alterum ex ordine senatorio, & ex illorum, qui a secretis sunt, numero alterum ad Comitia mittunt. Hos confecto negotio ab Imperatore publica fide data dimissos, Francus aliquis Dynasta captos & arci Jetho inclusos biennium & novem menses detinuit, donec Bartholdus, Comes Hennebergensis, cui hoc ab Imperatore in mandatis datum erat, custodia liberaretur. Ludovicus Imperator confirmat Lubecensibus jura & privilegia ab Antecessoribus communicata. Scripta hæc confirmatio Ratisbonæ III Non. Aug.

Lubec. privilegia ab Imp. Ludov. confirmata.

1320. Inundatio facta.

1318. Die Andreæ Apostolo sacro impellentibus ventis flumina in mare Balthicum exeuntia, ita aucta sunt, ut per exundationes maritimis urbibus ingentia damna illata sint. Lubecæ aquis superstagnantibus non modo merces multæ in domibus ad Travam sitis corruptæ sunt, sed etiam homines multi & pecora in ædibus periere. Nam aquæ pontem Holsaticum supergressæ omnia ædificia ad eam urbis partem, quæ tum depressior multo, quam nunc, erat corripiebat. Tunc enim senatus edicto cives ad evitanda deinceps talia incommoda congestis terris editiores plateas & domorum areas fecerunt. Johannes III. Wagriæ Dominus, cognomento Beneficus, postridie illius diei, qui Thomæ Apostolo dicatus est, cum nobilibus & Consiliariis suis, & senatores quidam Lubecenses Suselæ conveniunt. Hic Comes Lubecensibus Travæmundam villam & trajectum ibidem, item trajectum, qui tunc a Bono viro appellationem habebat, turrim Travæmundæ a Waldemaro Rege quondam exstructam, & locum Bollreneck dictum, cum structura & signo, ibidem pro utilitate cum navigio portum amnis intrantium posito, septem millibus marcarum denarioum vendidit. Pactum ibidem & conventum est, ut turris Waldemari funditus destrueretur, vallum & fossa circa turrim æquarentur; nulla item turris in vicinia, ex qua Lubecensibus incommodi quicquam oriri posset, deinceps unquam exsttueretur. Turrim statim pridie Natalis Domini Lubecenses demoliri coeperunt. Scriptum Suselæ postridie Thomæ 1320. (22)

Joh. III. Wagr. Lubecensibus Travæmundam cum trajectis & turribus vendit.

(22) Morkerk habet 3000. Kock & Ruff. 4000. marc. Penninge, Krantz. Sax. 9. 9. 4000. monetæ marcarum Lub.

Idem Comes civi alicui pro meritis gratiam relaturus locum in Trava prope urbem, qui a salmonum captura nomen habet, cum agris & prædiis quibusdam dedisse commemoratur. A die Andreæ usque ad tempus Quadragesimæ anni sequentis propter penetrabile frigus non flumina & portus solum, sed & mare ipsum ita glacie concretum est, ut Lubeca in Daniam & Borussiam iter per glaciem pateret, inque glacie casulæ extruerentur, in quibus viatores pernoctarent, multæque naves, cum vere glacies solveretur, cum fragmentis ejusdem collisæ perirent. (23)

1322. Frigus maximum; a glacie navibus damna exorta.

(23) Krantz. Wand. 8. 7.

Circa hoc tempus Ludovicus Imperator, filio suo Ludovico, cum Marchionum Brandenburgensium familia in Woldemaro desiisset, Marchionatum dedit. Rex Daniæ Christophorus II. cum magno Comitatu nobilium suorum XIV. Kal. Nov. Travam ingreditur, & in loco, qui ab arce Danica nomen habebat, tentoria figit, Ludovicum Imperatorem præstolaturus, ejusdemque filio Ludovico Marchioni filiam suam desponsurus. Imperator turbis Johannis Papæ detentus, qui Italiam contra eum concitabat, emanet. Rex igitur post dies XIV, ex quo venerat, in Daniam navigat. (24)

1323. Ludovici Marchion. cum Christophoro II. filia nupt. apparantur.

(24) Krantz. Wand 8. 6. Joh. Ruffus ait ingressum Regem des negesten Dages sunte Lucas.

Bartholdus Comes Hennebergensis Ludovicum Marchionem Brandenburgensem tum annos XIX natum (25) in Daniam ad ducendam Margaretham, Christophori Regis filiam perducturus, Lubecam die Andreæ sacro pervenit. Inde in Daniam progreditur. Nuptiarum festivitati inter ceteros multos Principes intererat & Henricus Leo, Princeps Mecklenburgensis. Cum hoc Rex agere cœpit de reddendis arcibus & oppidis, quæ bello Henricus a morte Woldemari Marchionis soceri sui, sibi adseruerat. Sed Mecklenburgensis cum graviores conditiones sibi proponi putaret, spatio deliberandi sumto, mane nave conscensa cum suis discessit.

1324. & perficitur magnum sole te.

R. Dan. Henrico Lne Meckl. transacturi

(25.) Morkerk. habet annos IX. kume van negen Jehren old. Idem de sponsa Joh. Ruffus & Krantzius Wand. 8. 12. affirmant. Sponsus erat Ludovicus, Ludovici Bavari Imperatoris filius, atque adeo primus Marchio ex hac familia. Vide Henning. p. 200. Micrel. Pom. l. 3. §. 21. p. 323.

Hennebergensis in reditu cum Henrico Principe Lubecam revocato causam agendam resumpsit. Tum ipsius opera effectum est, ut Marchio Henrico XX millia marcarum Brandenb. argenti pro restitutione omnium terrarum, urbium & arcium promitteret.

tandem conficit.

(26) Kock in Chron. habet. 70000 Marck Brandenborger Sülver.

Latrones iterum ex Linovia arce & aliis itinera intra Lubecam & Hamburgum infesta reddunt. Johannes Comes Holsatiæ ad eruptiones eorum cohibendas tum arcem Trittow exstruebat. (27)

1326. Latronum petus.

(27) Morkerk. Joh. Ruffus & Chronicon A. 1158.

Rex privilegia Civitatibus antea concessa confirmavit. Idem a suis regno ejectus, eidemque Woldemarus Dux Slesvicensis surrogatus est. Gerhardus III. Holsatiæ Comes Woldemaro XII. annos nato tutor & regni administrator datus est. Rex cum armis amissum regnum recuperare non posset, Lubecam confugiebat, amica compositione reditum in regnum sibi paraturus, Lubecensium arbitrio, Christophorus Rex Gerhardo LXXX millia marcarum argenti promisit, quibus acceptis

1329. Regi Dan. turbato succ dit Walderus: ejus c Christopho R. itemque Com. Holf transactio.

Comes

Comes omni hostili invasione, Waldemarus regno, Ducatu contentus, abstineret. (28)

28. Krantz. Saxon. 9. 11. Joh. Ruffus, qui achtentig dusent Mck. lodiges Silvers fuisse perhibet. adde Kokium & Trazigerum.

Johannes III. Comes Holsatiæ & Stormariæ; Dominus Imbriæ & Lalandiæ novo diplomate testatur, sel Lubecensibus vendidisse trajectum ad domum Boni viri cum nave, domo & agro portitoris, villam Travæmundam cum agris, pascuis, aquis, vectorium item Travæmundæ, ædem sacram Spiritus S. ibidem cum jure Patronatus in eadem, mille marcis, & sexaginta marcis denariorum Lubecensium. Diploma scriptum Lubecæ, Octava Epiphaniæ Domini 1329. Ertmer Crispinus a Johanne a Viffhusen, e militia sacra profugo, apud villam Stockesdorpium occiditur, & lapidea crux in loco homicidii erigitur. Lubeca, Rostochium, Sundium & Gryphiswaldia legatos ad Regem Daniæ pro libertate negotiandi in Norvegia obtinenda mittunt. Ceteris præteritis Lubecensium Oratori soli, non sine ceterorum offensa responsum est, licere ipsis in regno illo, ut antea, negotiari. At Lubecenses, quod sociis denegaretur, nec se accepturos respondent. (29)

(29) Morkerk refert ad A. 1333.

Cum Christophorus Rex anno 1333 rebus humanis exemtus esset, Otto filius bellum contra Holsatos renovavit. At Gerhardus Comes in Jutiam usque ipsi occurrit, prælio victum & captum, primum Segebergam, postea Reinoldsburgum, in custodiam abduxit. Marquardus, Episcopus Raceburgensis, moritur. Succedit Wolradus, qui Stadæ consecratur. Ludovicus Imperator insigni legatione, in qua Johannes, Comes Hennebergensis, Bartholdi filius, ad Lubecenses missa jubet, ut senatus pro virili adnitatur, ut Otto Rex custodia liberetur, & Daniæ regnum legitimo hæredi redd'atur. Summa industria a Lubecensibus frustra adhibita est. Quas enim Comes ferebat conditiones, eas nec captus nec arbitri accipere poterant. Re ergo infecta discessum est. (30)

(30) Morkerk. Joh. Ruffus Krantz. Wand. 8. 17.

Hoc anno templum Catharinianum exstrui cœptum est. Notant hoc incisi lapidi versiculi:

Anno milleno ter CCC quintoque trigeno
Vicesimo primoque die Julii duce Christo
Hunc Præsul primum lapidem ponebat in imo.

Ceti viginti & quatuor pedes longi infra & supra urbem ad molam cuculi, uti tunc vocabatur, capti sunt. (Krantz Wand. 8. 17.) Legati Lubecensium magna privilegia a Magno, Roge Sueciæ, obtinent. Amplissimus Principum & civitatum conventus Lubecæ pro universali pace in his terris statuenda, die Festo trium Regum habitus. Plures quam viginti Principes adfuisse certum est. In his Archi-Episcopus Bremensis, Episcopus Brandenburgensis, Suerinensis, Raceburgensis, Lubecensis & Halberstadiensis, Marchio Brandenburgensis, Ludovicus Dux Brunsvicensis, Duces Luneburgenses, Principes Stetinenses, Wolgastanus, Saxoniæ duo Principes, Comites Holsatiæ, Comes Suerinensis, Dominus de Mecklenburgo & alii multi. Interfuere & civitatum vicinarum legati, Hamburgi imprimis, Wismariæ & Rostochii. Hi fœdus in sex annos religiose servandum cum Lubecensibus pangunt, quo prædones & latrones omnes sine discrimine junctis armis se persecuturos, & e medio sublaturos conjurant. (31)

(31) Krantz. Wand. 8. 19. Joh. Ruffus. Aquilonip. de Lubeca lib. 2. c. 7.

1340. Lubecenses obtinent facultatem cudendæ monetæ aureæ.

Margaretha, Ludovici Marchionis conjux, Christophori Regis filia, mortua est. Bartholdus, Comes Hennebergensis, qui præcipua auctoritate in Imperio Romano Princeps, & Lubecensium Protector (Schutzherr, Vormunder, ut vult Joh. Ruffus) aliquot annos fuerat, eisdem aureos nummos cudendi potestatem ab Imperatore paulo ante mortem suam impetrarat, quam Imperator XXV. Martii hujus anni diplomate dato confirmat, hoc anno, die Viridium (am guden Donnerstag) mortuus est. (32)

(32) Krantz. Wand. 8. 19. Chronicon anni 1158.

Ludov. marchio Lubecam cum aliis principibus convenit.

Post ferias Paschatos Lubecam venit Ludovicus, Marchio Brandenburgensis, literas ferens Ludovici Imperatoris, Patris sui, quibus se a Patre Lubecæ Protectorem constitutum docebat. Lubecenses quanto poterant apparatu, eum exceperunt. Adduxerat secum Woldemarum affinem suum, Christophori Regis filium. Convenerant alii ibidem plures vicini Principes & Comites. In his & Woldemarus Dux Slesvicensis; Ab hoc & ab Johanne Holsatiæ Comitibus obtinet, ut Waldemamarum Regis filium in regnum reducant. (33)

(33) Krantz. Saxon. 9. 16.

1341.

Danus vendit Sueco Scaniam. Tempore Quadragesimæ Henricus Episcopus mortuus, & in novo choro, quem suis sumtibus exstruxerat, sepultus est. Johannes Muel Ecclesiæ Lubecensis Scholasticus a Canonicis electus, a Bremensi Burchardo Suerinensi & Raceburgensi Episcopo, Dominica II. post Pascha consecratus, ipse eodem die novum chorum ab antecessore suo exstructum, in maxima populi frequentia dedicavit. Domum Episcopi Eutinensem primus fossa, inducta aqua, munivit. (34)

1341. Joh. Muel episc.

(34) Krantz. Metrop. 9. 29.

Henr. & Nic. Comites Holsat. Daniam aggressi etiam Lubecenses & Hamburg. infestant.

§. 59. Henricus, ferreus dictus, & Nicolaus, frater ejus, Comites Holsatiæ ad ulciscendam Gerhardi M. Patris sui mortem; nam is hoc anno a Dano quopiam in cubili suo per insidias interfectus fuerat, teste Lerbec. p. 37. Selandiam & Jutiam rapinis & cædibus devastarunt. Holsati successibus his clariores facti multis injuriis Lubecenses & Hamburgenses mercatores affecerunt. Lubecenses injurias primum Henrico & Nicolao Comitibus frustra queruntur. Erent enim in partes nobilium suorum propensiores. Res ad bellum spectabat. Post a Johanne III. Wagriæ Comite, viro pacis amantissimo, qui in hoc bello medius erat, quique ipse paulo ante Trittowiam arcem contra latrocinia, quæ ex Linovia arce, intra Lubecam, Hamburgum, & Luneburgum fiebant, condiderat, certa pecuniæ

cuniæ ſumma obtinet, ut Segebergæ præſidium collocare liceat, quo itinera mercatoribus per illa loca præſtare tuta poſſent. Ducentos adeo equites illuc mittunt, præſidium contra deprædationes & latrocina futuros. (35)

(35) Krantz. Saxon. 9. 13. & 14. 17. Wandal. 8 22. Chronicon anni 1158. Kock, Ruffus aliique.

Henricus & Nicolaus illud iniquo ferentes animo, Johannem Comitem adeunt, & ab eodem poteſtatem præſidia contra Lubecenſium milites in Wagria locandi impetrant. Henricus Comes etiam in Sueciam profectus Regi, cui ſanguine junctus erat, rerum ſuarum ſtatum exponit. Hic illius parrocinio ſuſcepto Lubecenſibus & ceteris civitatibus ſcribit, dolere ſe Henricum Comitem & hujus fratrem injuria affectos eſſe. Albertus Dux Saxoniæ & Johannes Comes Holſatiæ cum Rege Daniæ & Sueciæ & cum Henrico Holſatiæ Comite atque ceteris Holſatis inducias belli usque ad diem Pentecoſtes faciunt. Lubecenſes legatos ad Ludovicum Imperatorem, & hujus filium, Ludovicum, Marchionem, tum Lubecæ, ut diximus, Protectorem, queſtum Holſatorum injurias & auxilia petitum mittunt. Ab his Fridericus a Locken Imperatoris Mareſchallus cum CC equitibus, Bavaris & Suevis auxilio miſſus eſt. Holſati, ubi inaudiiſſent, Lubecenſes defenſionem parare, ipſi, antequam Fridericus adveniſſet, Lubecenſem agrum ingreſſi, incendunt & rapiunt, quicquid poſſunt. Fridericus cum militibus ſuis, qui interim advenerat & cives Lubecenſes atque Hamburgenſes nihil ſegnius agentes Holſatiam totam, usque ad ſilvam Danicam pervagantur, omnia cædibus, incendiis & rapinis vaſtant, imprimisque illorum nobilium arces, qui latrones foverant, diripiunt. Inde Mareſchallus cum milite ſuo in Daniam ad Regem ſe contulit, ut Suecos & Holſatos ad capturam halecum illuc venturos caperet. Sed & Magnus, Sueciæ Rex, quod Comitis Henrici opera frequenter uteretur Lubecenſium cives in regno ſuo negotiantes detinuit, & merces eis abſtulit. Nec mitius cum Suecis Lubecæ negotiantibus actum eſt. Halecis in Scania capiendæ tempus jam advenerat. Cum igitur Lubecenſibus & civitatum ceterarum civibus impune illuc venire non liceret, (nam Suecus eam tum tenebat) Rex Daniæ Hafniam in Seelandiam ipſis veniendi poteſtatem fecit. (36)

1342. quibus occurrerunt Lubecenſes.

R. Sueciæ infenſe cum Lubecenſibus agit; R. Dan. ipſis amicior.

(36) Chron. Holſat. p. 73. Krantz. Saxon. 9. 18. Traziger & alii. Morkerk. dicit, fuiſſe Mareſchallum Daniæ Regis.

Holſati inibi ad portum turrim validam tenebant, ex qua illos incommodare mercatoribus conantes Rex Daniæ turrim milite obſidens prohibebat. Auxilia a Magno Holſatis turrim defenſantibus miſſa Fridericus & Lubecenſes & ceterarum urbium mercatores aggreſſi vincunt; deinde turrim expugnant, multos Suecos & Holſatos cædunt: utrobique magna præda potiuntur. Captos ex Holſatiæ nobilibus Mareſcalcus Lubecam ad ſuum adventum adſervandos miſit. Friderico adhuc in Dania occupato Lubecenſes ex vicinis terris, imprimis ex Saxonia & Mecklenburgo, exercitum contrahunt, eidemque Johannem Principem Mecklenburgenſem ſummum Ducem præficiunt, & Marchionem iterum per legatos de auxiliis ſollicitant. Dum hæc aguntur, Segebergæ incolæ cum Henrico Comite Holſatiæ de tradendo oppido conſpirant. Noctu igitur ipſe cum CC. equitibus intromiſſus Lubecenſium equites, in queis ditiſſimi duo cives, inopinanter oppreſſit, captos abduxit & gravi ære ſe redimere coëgit. Non ita diu poſt Comites, quantas poſſunt, copias cogunt: has Lubecæ admovent, villas circa urbem incendio abſumunt & prioris prædæ ſpecilegia legunt. Summa equidem ope adnitebatur Abbas Reinfeldenſis, conventu habito controverſiam tollere, ſed duriores Holſatorum conditiones civitates accipere non poterant, Poſtridie diei feſti Bartholomæi urbs fere opplebatur Bavaris & Suevis militibus ultro operam ſuam civitati offerentibus nec mercede ſe militaturos, ſed de præda hoſtium victuros profitentibus. Hos Lubecenſes non omnes uſui ſibi fore rati, partem extemplo iterum dimittunt: reliquos ducentis illis equitibus, quos Fridericus adduxerat, jungunt. Sed nec equites illi ſtrenue amplius officio fungebantur, ſed, quoties eundum in hoſtem eſſet, pugnam detrectabant, & quidem ex illis aperte hoſtibus favere videbantur. Ita duo integri menſes ſine inſigni aliquo in hoſtes edito facinore exacti ſunt. Cum bellum & diſſidia ita traherentur, tandem Imperator Gumſcherum, Comitem Schwartzburgenſem, Marchio autem Henricum de Buch Suevum natione cum milite & mandatis miſere, qui primum æquis conditionibus utrique parti propoſitis ſtuderent ſine armis bellum componere: ſed, ſi id fieri non poſſet, armis urbem defenderent. Tentata & repudiata pace ad arma ventum eſt. Verum & ea ab illis, qui miſſi erant, ſegnius tractata, quam rei magnitudo & illorum fides requirebat. Et venere arbitri in ſuſpicionem, magis eos propendere in Holſatos, quam in cives. Ita rurſus multum temporis cum gravi ſumtu civitatis ſine fructu inſumtum eſt; civium enim ſtipendiis interim omnis ille miles alendus erat. (37)

Hoſtibus occurrere pacque obtinere diu fruſtra dent.

Lubecenſes ſuperiores diſcedunt;

iidem male affecti.

(37) Krantz. Saxon. 9. 17. 18.

Comites favore Arbitrorum, quorum Schwartzburgenſis cognatione eos attinebat, fretihorum judicio cauſam ſuam permittebant idem ut Lubecenſibus fieret, exigentes. Hi, quanquam Arbitrorum gratiam magis in alteram partem propendere intelligebant, tamen tandem compromittere in eosdem neceſſe habebant. Horum igitur opera denuo hoc anno 1342. die Dominico ante diem Galli de pace agere cœptum eſt, & tandem inter Comites, Lubecenſes & Hamburgenſes convenit, ut bona fide arma utrinque usque ad d. feſtum trium Regum anni ſequentis 1343. ceſſarent; quo induciarum tempore elapſo Stralſundi conventuros & Comite Schwartzburgenſi ac Henrico Buchenſi arbitris belloſinem impoſitutos. (38)

(38) Krantz. Saxon. 9. 18.

Hennin-

343. Henningus ante tempus constitutum morte abripitur. Conventu igitur Stralsundensi morte ejus impedito, alius Rostochii habendus indicitur. Nec hic, cum civitatum legati advenissent, quicquam actum est, quod Marchionis aulæ magister, cui a Ryschbath nomen erat, destinatus ad hanc pacificationem, emaneret: nam & hic interim obierat. Comites tamen & Civitates inducias factas religiose servabant. Itinera nihilominus omnia per Holsatiam ab iisdem, qui antea ea insederant, iterum ita infesta redduntur, ut non mercatores tantum omnibus bonis spoliati ad incitas redigerentur, sed & integra oppida opibus exhaurenritur. Comites ergo & Civitates denuo Lubecæ conventum agunt. Intersunt, Johannes, Henricus, Nicolaus, Gerhardus Comites Holsatici: Consules itidem duo Hamburgenses. Hic de exscindendis viarum obsessoribus pactio renovatur. Promittunt Comites, incommoda omnia a suis, ex quo pax facta fuerat, civitatibus illata pensaturos; & si deinceps suorum quispiam civitatibus quid auferat, se intra sex hebdomadas restituturos, aut potestatem civitatibus permissuros, vi ablata vi recuperandi. Pacem etiam ratam hanc fore sanciunt, etiamsi familia Krummendikia, Porsfeldia, Blocksfeldia, (*) & qui ex Mushardi familia erant, in eam forte non sint consensuri. Nam hi imprimis damna, quæ a Lubecensium & Hamburgensium militibus passi essent, se his prædis sarcire dicebant. Acta hæc sunt Lubecæ idibus Septembr. quæ D. Luciæ sacræ sunt, anno 1343. Quiescentibus ajam Holsatiæ Commitibus prædatores & itinerum obsessores ab Erico, Saxoniæ inferioris Duce, filio, foveri & mercatoribus insidiari cœperunt. Civitates ab Alberto, Erici patruele, diligenter petunt, medeatur isti malo & avertat dedecus ab illustri Ducum familia. Hic utostendat, quam detestetur Erici factum, cum civitatibus arma jungit, in Erici terram media hyeme invadit, receptacula latronum dejicit & captos de proximis arboribus suspendit. (39)

(39) Krantz. Saxon. 9. 19. 20. qui Albertum Erici fratrem fuisse vult. Morkerk & Ruffus pro Patruele habent. Krantz. Wand. V. 24.

344. 345. Albertus, Dux, post Quadragesimam Lubecæ poste correptus abiit, & Mölnæ sepultus est. Saxoniæ Dux cum cerneret, quanta incommoda non urbibus solum, sed & integris nationibus ab illa prædandi impunitate provenirent, abjecto de ipsis amplius fovendis consilio, arces illorum etiam destruere cogitat. Principatum illo tempore inter prædones tenebant, qui Linoviam arcem habebant. Hanc igitur Dux a Scharpenbergiis nobilibus suis sibi redimit, Darsingensi terra palustri cum arce ad Albim sita eis reddita. Verum cum & hic veterem exercerent quæstum, rogatu Lubecensium & Hamburgensium a Duce Mecklenburgensi & Ottone Duce Luneburgensi terra in autumno pulsi sunt. Wilhelmus, Hollandiæ Comes, Lubecensibus amicus, in Frisia prælians occubuit. Hic suis sumtibus a nobilibus & Frisiis naufragorum bonorum immunitatem impetravit, eandemque urbibus ad mare Balthicum testamento legavit. (40)

(*) alias Bloksberg. nomina tamen reticere. mavult Krantz. Wand 8. 24.

(40) Krantz. Saxon. 9. 22. Reim. Kock & Morkerk habent pro Ottone, Rudolph von Sassen. Morkerk. & Ruffus civitates, immunitates a Wilhelmi Patre impetrasse scribunt.

§. 60. Dux Mecklenburgensis N. (nomen enim ignoratur) cum Euphemia conjuge, Magni Schmech, Sueciæ Regis filia, Lubecam ad Bacchanaliorum festivitatem celebrandam pervenit. Aderat & Rudolphi, Saxoniæ Ducis filius, Henricus, Holsatiæ Comes, cum eo nobiles aliquam multi. Post ludos equestres imprimis peractos, Duce Mecklenburgensi arbitro, lites Holsatiæ Comitum, Henrici & Gerhardi, & senatus Lubecensis amice sopitæ sunt. Woldemarus IV. Daniæ Rex, Lubecam magno comitatu ingressus est. Inde in Borussiam abiit, adversus Lituanos bellaturus. Non multo post nonnulli Holsati, qui in pacem cum Lubecensibus initam non consenserant, valida manu militum collecta novas turbas faciunt. Duces agminis præcipui Marquardus Westensehe, & Henningus Hummersbüttel, Hartvicus Zabel, Detlevus a Zylen, Hermannus a Tralow. Hi non mercatores solum spoliabant, sed & in exitium Comitum suorum, Henrici imprimis, conspirarant. Comes Henricus socios Lubecenses vocat. Cum his copias suas jungit, & Reinoldsburgum, Marquardo oppignoratum vi expugnat, deinde Lakeburgum (41) Marquardi domum hæreditariam occupat.

1346. In Bacchanalibus Lubecæ celebratis controversiæ cum Holf. Comitibus sopiuntur.

Woldemarus IV. R. Dan. nobiles repugnantes coercet.

(41) Morkerk & Traziger cum Chronico Anni 1158. domum vocant Kalnborg. Klingenberg vocat Lakeborch, Krantz. Saxon. 9. 27. & Chron. Holsat. p. 78. dicunt Laren-See. Autographum tamen Kocki pro Lakenborch facit.

Ad Holsatorum exemplum etiam in Saxoniæ Ducatu nonnulli prædæ inhiantes Heinone Brockdorpio & Ludecke Scharpenbergico ducibus conglobati Linoviam arcem, Principi quondam venditam, occupant & ex eo latrocinia maximo cum totius Ducatus & exterorum mercatorum damno exercent. Henricus & Johannes, Comites, Nobilibus potentia inferiores, Hamburgum veniunt, & cum Senatu de hostibus ferro & igni persequendis, deque domo Hogenstegen & Waltorpio exscindendis die Bartholomæi IX. Kal. Sept. pactionem ineunt. Tum Waltorpium primum expugnatur & solo æquatur (Linoviam arcem eodem anno & tempore destructam esse commemorant quidem Traziger & Krantz. Saxon. 9. 28. cum Chronico Anni 1158. sed eam anno 1349. adhuc stetisse certum est) Exinde domus Hogenstegen, Henningii præsidiis firmata, multis copiis obsidetur. Hanc postquam Comites & Hamburgenses diu frustra oppugnassent, Waldemari, Daniæ Regis, arbitrio, obsidio his conditionibus soluta est, ut Henningus acceptis a Comite & Hamburgensibus quinque milibus marcis argenti Lubecensis arcem deserreet, & cum conjuge atque liberis terra excederet. Arx etiam solo æquata, nec unquam postea instaurata est.

nova latrocinia.

1347. quorum patroni in Holf. urgentur.

Eje-

Ejectis ex Holsatia & Saxonia prædonibus, civitates refici, & quasi ex diuturno morbo recreari iterum cœperunt. (42)

(42.) Pro Waltorp. autor Chronici Auni 1158. legit Wolstorp.

1349. Idem fit in Mecklenb. per Lubecenses.

At prædones, qui illis locis excedere jussi teran, nova receptacula in Mecklenburgensium terra quærunt. Decennium jam effluxerat, ex quo pax publica inter vicinos Principes Lubecenses sancita fuerat. Crescentibus igitur denuo prædonum manipulis, Lubecenses decretum de iis tollendis, cum Erico, juniore, Saxoniæ Duce, Johanne juniore, Henrico, Nicolao & Gerhardo, Holsatiæ Comitibus Dominica Invocavit renovant. Ita enim prædones vires sumebant, ut jam Comitibus, Dominis suis, minitari non dubitarent. Lubecenses primum copias suas Hartvico a Ritzorovia (aliis von Stitzerow) Ducis Saxoniæ Præfecto, committunt, qui in arce Bernstorpio familiæ a Zülen hæreditaria expugnata, tredecim prædones repertos supplicio affecit. Eodem anno post diem festum Pentecostem Ducis, Comitum & Lubecensium copiæ iterum eductæ, diebus decem, latronum novem receptacula, Tzeteram, Niendorpium, Borchardsdorpium, Lankium, Nannendorpium, Steinhorstium, Culpinum, Gudovium & Rehburgum expugnaverunt. (43)

(43) Zechere, Mamdorp, Borchardsdorpe, Lanken, Nannendorpe, Stenhorst, Culpin, Gudowe, Rechborg vocant Morkerk & Klingenberg. Autographum Kockii expresse habet Nyendorpe.

Nec multo post Hartvicus a Ritzerovia ex arce Gallino, quæ itidem familiæ Züleniæ hæreditaria erat, & in Wittenburgensi districtu sita, in qua multi latrones latitabant, stratagemate territos fugavit, & arcem sine cædibus occupavit. At ex nulla arce tanta incommoda illata mercatoribus & rusticis, quanta a Scharpenbergiis ex Linovia: Hæc quamdiu staret, nunquam defutoros latrones Lubecenses intelligebant. Convenit ergo inter fœderatos & Lubecenses, ut ad hanc exscindendam singuli certos milites mittant. Hi a die nativitatis Mariæ ad diem Michaëli sacrum arcem obsessam tandem expugnant. Occupatam Lubecenses a nemine, nisi a Civibus suis, & quos illi ad eam rem adsumsissent, dirui volunt. Tanta scilicet illorum intererat, illam dejici. Quare id opera MD militum & virorum solo æquant. Pulsi hinc latrones, ad Albertum Mecklenburgensium Ducem confugiunt. Lubecenses de recepto tali hominum genere cum eo expostulant. Dux undique se jam hostibus premi respondet, quibus alios, quos opponat, non habeat. Prædones interim illi non cessabant multis modis sævire in civitatum mercatores. Lubecenses igitur Hartvicum, a Ritzerow, Henricum Luchow, Ducis Saxoniæ Præfectum, & suum militiæ Magistrum cum civibus suis VIII. Id. Decembr. in regionem Witteborgensem emittunt. Illi intra diem & noctem quatuor firmas arces expugnant. In his primum Nienkerkum, ubi sex latrones repertos occidunt, civem unum vinculis constrictum liberant, & castellum incendunt. Hoc diruto Tessinum adgressi, æque Vulcano tradunt. Inde ad Kamninum movent, ubi tres cives captos solvunt, ex quis duo Lubecenses. Familaiæ Zülen omnes hæ tres arces erant. Kussinum ultimo, quæ familiæ a Stucker erat, evertunt. (44)

Linovia arx diruitur.

aliæ præterea arces.

(44) Krantz. Saxon. 9 27.

Oberrabat hoc anno per Germaniam colluvies hominum, certam vivendi disciplinam professa, & Flagellantium nomine (Geisselbrüderen) dici gestiens. Constabat secta ex utroque hominum sexu. Urbem aliquam ingressi, per plateas bini, mas & femina, incedebant, hymnos quosdam cantillantes, in quibus sicubi passionis Dominicæ verbo mentio fieret, derepente, ubi ubi etiam in platea versarentur, etiam in medium lutum procidebant. In templis vero major ipsorum gesticulatio observata fuit. Pars illorum etiam Lubecam delati intromitti petierunt. Senatus consilio cum Episcopo & aliis doctis habito in urbem non admisit. Clam tamen nonnulli irrepsere. Hos senatus partim custodiæ carnificis commisit, partim a curiosis civibus recepti, ut est mens humana novitatis avida, & in honore habiti sunt. Hermann. de Lerbeke in Chron. Schawenb. p. 35. refert ad A. 1310. juxta veteres versus.

Flagellanti secta Lul prohibetu

Anno milleno trecenteno quoque deno
Secta fuit fira Leyson fractum maledicta.

Sed & ad initium Caroli IV. qui A. 1346. imperare cœpit, eorum meminit. (45)

(45) Krantz. Wand. 8. 28.

Altera jam vice Pontifex Romanus anni jubilæi solennitatem toti Christiano orbi indixerat, & ad eam celebrandam ingens hominum multitudo Romam confluxerat. Ibi vero sævissima pestilentia invadit populum. Hinc cum singuli domum remearent, multi peregrinationis præmium secum domum retulerunt. Furit malum a feriis Pentecostes ad diem Michaëli sacrum per totum Romanum Imperium & vicina Europæ Regna. Lubecæ die, qui D. Laurentio sacer est, intra horas quatuor & viginti bis mille & quingentos mortuos esse certis librorum ineditorum & lapidum scripturis certo constat. MSSum anni 1385 ita describit: In demselben Jare 1350 des Sontags von Pingsten bet tho Sünte Michaëlis Tage, do was so grot sterven der Lüde in allen Düdeschen Landen, dat des gelikes ne was ervaren, und het noch de grote dot, hierumme dat he immer was over vele Landt, ock dat he krechtig was, over vele Lüde, also dat an velen Steden de teynde Minske kume blev levendig. In der Stadt tho Lübek storven by enen naturliken dage S. Laurentii von der eenen Vesper tho der andern XXV hundert Volcks betelt. De Lüde gingen als de doden, und erstorven veele vor engsten und vruchteden.

1350 Roma p per totu Imp. diff eant. Lut etiam gr satur.

Noti sunt versus:

Mille trecenteno Liut tempora dicent.
Dum mors in mundo regnat (regnavit)
pede rotundo.

(adde

(adde Krantz. Wand. 8. 29.)
Una illa æstate undecim senatorii Ordinis viri mali sævitia abrepti sunt, quorum nomina dabimus:

1) *Hermannns von Warendorp*
2) *Marquardus von Kœsfeldt*
3) *Johannes Mollenstrate*
4) *Henricus von Achen*
5) *Tidemannus von Gustrow. Cons.*
6) *Tidemann von Ultzen*
7) *Hermanus von Bullmann*
8) *Amoldus von Bardewyk*
9) *Wadekindus Klingenberg*
10) *Wedekindus von Warendorp*
11) *Godschalck von Velin.*

In rei memoriam versus tum facti sunt:

Pestis regnavit: plebis quoque millia stravit,
Insolitus populus flagellat se seminudus.

Contremult tellus populusque crematur Hebræus Meibom. in Lerbec. 176. Eadem æstate Johannes Mule Episcopus mortuus & in templo Cathedrali humatus est. Successit Bertramus Cremon, hactenus Cantor, Avinione ab ipso Papa die divæ Catharinæ dicato, consecratus est. Rexit Episcopatum annos XXVI. prædia & villas multas in usum Episcopatus coemit.

Huc usque B. Henricus Bangertus; reliqua desiderantur.

XIII.

De præcipuis Rebus gestis
FRISIORUM SEPTENTRIONALIUM
breviter descriptis & iconice adumbratis

Libri Sex
e summis antiquitatum tenebris producti
per
PETRUM SAX
ab
Eydora-Frisium
A.C. MDCLVI.

Dedicatio.

Perquam Magnifico, Illustri atque Eminentissimo, Dn. Johanni Samueli Heisterman a Ziehlberg, JLLmi Cimbrorum & Saxonum Ducis Consiliario Aulico, Eydoranæ & Heveranæ Frisiæ Gubernatori, & Civitatis Tenningensis Judici usquequaque longe dignissimo, viro citra omnem controversiam omnis generis virtutis & eruditionis laude cumulatissimo, paterna avita, proavita & abavita gloria splendidissimo, Fautori, Benefactori & Patrono meo omni obedientiæ & observantiæ cultu multis nominibus æternum prosequendo. Perquam Magnifice, Illustris atque Eminentissime Heros, tam multis magnisque officiis Tuæ perquam illustri atque emin. dign. sum obstrictus, ut ne cogitanda quidem gratia summis tuis erga me meritis possim respondere. Nihil jam dicam de noticia singulari, quæ mihi, cum Magnif. Ampliss. & Consultissimo Viro, Dn. Georgio Heisterman, JCto eximio, oculo, aure, ore, manu, atque adeo ipsa imagine JLLmi Cimbror. & Saxonum, Ducis, Domini & principis mei Clem. fulgentissimo Patruo tuo, cujus memoria nunc est ἐν τῇ εὐλογίᾳ, quondam intercesit, in quo colendo patriam sanctitatem mihi constitui, & ut eum vivum sum complexus, parentis in modum, nec morte quidem ab ejus amore divelli possum: neque id immerito. Nam non solum musas incitare iisque favere, & labores meos constanter & sincere adiuvare, sed etiam in suorum numero me habere, prædicare & nullo non officiorum genere præsto esse voluit; cujus amissione feci jacturam ingentis Paroni. Nihil inquam de iis omnibus inpræsentiarum; sed de tua, salutaris Consiliarie, & Eydoranæ & Heveranæ Frisiæ Gubernator, benignitate & beneficiis in me quam plurimis collocatis aliquid proferendum habeo: ex quo enim in noticiam tuam perveni, plus quam multoties omni genere profusissimæ liberalitatis quam benignissime me excepisti, maximos honores in republica decrevisti & tantum dedisti, quantum nec in mentem optare venerat, nec ulla mea erga Familiæ Heistermannianæ claritatem officia demereri videbantur, ut reapse probare ausim, & vere & ex animo dixerim, Tibi meæ domus potissima incrementa deberi, nec omnino quicquam deest, quod denuo petendum, aut ullo modo præstandum erit. Quo nomine cum quam maxime Tibi, clarissima lux Patriæ, me obligatum fatear & tantum debeam, quantum solvere nunquam possim,

recte & ordine me facturum existimavi, si grati animi monumentum aliquod extaret. Volui igitur hunc librum tuo per omnem hanc terram celebratissimo nomini inscribere, non eum in finem, dum lepido hoc opusculo Te donare contendo, ut quasi Tecum paria facere videri cuperem aut majora beneficia elicerem, sed ut meæ in te, Benigne Mæcenas, observantiæ, fidei & pietatis ἐπιδείγμα, quoddam oculis tuis obversaretue. Quod habui summum pretium, persolvi tibi, nimirum nigellas Cadmi filias cum quibusdam notis, punctis, asteriscis & signis, quæ conservabunt nominis tui memoriam, si non immortalem, saltem diuturnam, sui si qua est merito fiducia forti. Neque dubito, quin hoc meum qualecunque studium in Heistermannianorum a Zielberg gloria ab oblivione vindicanda & ad posteritatem feram tranmittentenda gratum sis habiturus. Vale Heistermanniadarum sigulare decus, Zielbergensium conditor, & inbar excellentissimum, meque veterem prosapiæ Heistermannianæ cultorem devotum ulterius commendatum tibi habe. Datum Coldenbutlii, in ænibus Dranderfummianis Anno Chr. 1657.

Tuæ perquam Magnif. Illust. atque Eminent. Dignitati perstudiosiss. Petrus Sax.

Index librorum & capitum hujus operit.

Liber I. habet sacra & imperialia, quæ omnes & singulos in *Cherjoneso Cimbrica* maritimarum regionum & singularia, quæ ipsos solos *Helgolandicos* concernunt. Cap. 1. De Idolis Frisicis, 2. De piis & sanctis viris. 3. De principibus, & Regibus celebrioribus. 4. De singularibus.

Liber II. continet religiosa & secularia in *Eydenst. Eversch & Uthholm*, *quæ* & ad alios in hac Phrysia Frisones, & singularia, quæ ad ipsos indigenas spectant. Horum 1. De religiosis Frisiorum Apostolis & Christianæ religionis propagatoribus. 2. De secularibus. 3. De singularibus.

Liber III. comprehendit ecclesiastica & profana in *Nordstrandia*, quorum aliqua & ad cæteros in Frisonia nostra, & singularia, quæ ad solos incolas pertinent 1. De Ecclesiasticis. 2. De Profanis 3. De singularibus.

Liber IV. exhibet sacrata, res gestas & singularia in *Fohr. Harda*, quorum aliqua nostris Frisiis cummunia, cætera vero ipsis inhabitatoribus propria. 1. De sacratis. 2. De rebus gestis. 3. De singularibus.

Liber V. complectitut enarrationes rerum in *Harda Sudergosica*, *Nordergosica*, *Bocenianа*, *Cahrana & Widiana*. 1. De Sudergosicis. 2. De Nordergosicis. 3. &. 4. De Bocenianis & Cahranis. 5. De Widianis

Liber VI. agit in universum de Fluminibus navigabilibus, de diluviis, de armis majorum, de monetis & de locis desolatis. 1. De Fluminibus navigabilibus. 2 De diluviis. 3. De armis majorum. 4. De locis desolatis.

Catalogus Authorum quorum opera in hoc opere usus sum.

Abr. Ortelius.
Adamus Bremensis.
Adamus Thraciger.
Aelnothus, Monach. Cantuar.
Albertus Stadensis.
Albertus Crantzius.
Annales Francorum.
Annales Slesvicenses.
Antiquus Codex.
Ant. Althamerus.
Anton. Abb. Stadensis.
Anon. e Biblioth. Pythæi.
Anon. de S. Meinwerco.
Anon. in MSS. Chron. Belg.
Appianus.
Aristoteles.
Arnoldus Abbas.

Balæus.
Beda.
Bodinus.
Broderus Boysen.
Breviarium Slesw.

Casp. Bruschius.
Cappidus Stauriens.
Chron. Holsat.
Clitarchus.
Corn. a Cempis.
Corn. Aurelius.
Claud. Lyschander.
Corn. v. d. Lov.
Contin. Aimoni.

David Chytræus.
Dion.
Dipl. Cæs. Ludovici pii.

Emanuel Meteran.
Eutropius.
Ericus X. Rex Daniæ.

Georgius Bruyck
Gerhardus Mercator
Gregorius IV.

Helmoldus.
Herm. Hamelman.
Henr. Buntingus.

Henr.

Henr. Lindenbruch.
Hieror Hennings.

Jac. Aug. Thuanus.
Jac. Curio.
Joach. Vagetius.
Incerti Authores.
Jon Oven.
Joh. Svvaningius.
Joh. Meursius.
Joh. & Olaus Magni.
Joh. Becanus, Canonic. Ultr.
Joh. Reinboth.
Joh. Ad. Cypræus.
Joh. Pomarius.
Joh. Sarisberiensis.
Joh. Kirchmannus.
Joh. Tritheimius.
Joh. Schultze.
Joh. Petersen.
Jonas Kolding.
Julius Cæsar.
Iver Jons.
Iven.

Dn. Laur. Adsen.
Leo Papa.
Livius.
S. Ludgerus.
L. Ann. Florus.
Lib. Cantic. Dan.

Mart. Chemnitius JCtus
Mart. Hamcon.
S. Marcell.
Matth. Boethius.
Matth. Quadus.
Matth. Pampus.
Matthæus Westmonast.
Matth. Raderus.
Magdeb. Collectores.
Mss. Vulg. Comm. Vetust.
Mss. Chron. Islandic.
Mss. Chron. Dithmars.
Meves Ovens.
Moyses.

Nicolaus Helvaderus.

Olaus Wormius.
Ordericus Vitalis.
Orosius.
Ovidius.

Paulus Aemilius.
Pantaleon Candidus.
Petrus Lindenberg.
Petrus Lambecius.
Petrus Albinus.
de Westphal. Monum. inedit. Rer. Germ.
Petrus de Natalibus.
Plutarchus.
Possidonius.
Polydorus Virgilius.
Plnius.
Ptolomæus.

Rembertus.
Regum aliquot Dan. Geneal. & series Anon. per H. E.
Rudimentum Novitiorum ed. A. 1475. Lubec. per M. Luc. Brandis de Schass.

Saxo Grammat.
Servius.
Schedelius.
Sebast. Schröder.
Sebast. Munsterus.
Sigebertus Bonfinius.
Sibrandus Siccama.
Snurro Sturleson.
Steph. Joh. Stephanius.
Strabo.
Suffr. Petri.
Sueno Aggonis.

Tacitus.
Traditiones maiorum.
Dr. Theod. Danckvverts P. E. E. & V.
Thomas Bozius.

Virgilius.
Vita S. Anscharii a Discip. conscripta & ex vet. MS. Cod. transscripta apud Stephan.
Verzeichniss aller Præposituren, Pastoraten, Städte, Capell-Kirchen, und Capellen, so vormahls dem Bisshofthum Schlesvvig incorporiret gevvesen.

Warnerus in Fasc.
Wilh. Heda, Præpos. Arnhus.
Witechindus.

Votum Authoris.

Initium ab initio *Chersonesi Cimbricæ* sum facturus, Deus ter Optimus maximus largiatur otium, lætitiam & pacem mentis, segreget odium & amorem, ne quid falsi dicam propter aucupium gratiæ, vel veri aliquid subticeam propter metum offensionis; & faciat, ut hæc scripta cedant in ipsius nominis gloriam & posterorum utilitatem.

Præloquium


in præcipuas res Frisiæ minoris gestas.

Facies Frisiæ septentrionalis ante adventum majorum est hæc: Fluviis alveis & æstuariis erat distincta æstu vel modice se attollente

Mare undique & undique cœlum;
Recedente vero, ipsa terra erat uliginosa & quibusdam locis graminea, ramentis, ulva & alga cooperta. Navigiis Stavriæ in Occidentali Frisia solvendo, & littora præterlegendo ante Christum natum annos 310. huc appulerunt. Ad genus vitæ majorum ante circumvallationem Plinii verba quadrant L. 16. c. 11.

Illic misera gens tumulos obtinet altos.

Facies Frisiæ Septentrionalis ante adventum Majorum.



Liber. I.

De præcipuis rebus gestis
FRISIORUM SEPTENTRIONALIUM.

Caput I. de
Sacris in Helgolandia tempore Ethnicismi

Idola Frisica fuerunt *vel domestica PHOSETUM seu Wæda* & a Meda Numine parum differens; *PHOSETA seu Fosta*, vestæ simulacrum, vel *Extranea, Jupiter* & *Vesta* præcipue, Dii Romanorum. *Phosetum, Phoseta* vel *Fosta* in regno Frisico dominabantur, & ibi gentili errore pro Deo habebantur *Corn. a CEMPIS Orig. Fris.* f. 212. 242. & 315. *WALTER* L. 1. *Chron. Fres.* c. 8. *MEYER Mapp. Chorograph. Tab. 14. & 25.* Jovis & Vestæ statuas & delubra destruxit S. Willebrordus Archi-Episcopus Frisiorum A. C. 692. Phosetum & ejus templum dejecit S. Ludgerus Episcopus Monasterienſis, Apostolus Saxonum & Consiliarius Witechindi, A. C. 768. vide *infra* sub N. *Ludgeri.* Eorum destructio. Ipsa idola erant confecta ex ære & cupro, & ad perpetuam hujus rei memoriam in hunc usque diem Trajecti in archivis Templi Divæ virginis Mariæ tria (*) Idolorum Freſicorum (plura enim erant, verbi causa, Freda seu Frea, item Hertha, numina domestica) visuntur, quæ *Corn a Cempis* vidit & in manibus habuit. Et meme

Idola Frisica.

(*) Duorum, Phosetæ quippe & Wedæ, meminit Antonius Heimreich in Chron. Nordfris. L. 1. c. 8. Qui utramque a. 1650. vidit; & in frontispicio, Chron. utriusque imaginem expressit, a quibus figuris tamen paululum differunt præsenies a Saxio laudatæ. Addatur Arnkiel in Relig. Cimbr. c. 12. p. 80.

In collibus istis sine dubio fuerunt exstructa

N. 1. Phoſetum.



Collis.



Sacerdos.



N. 2. Foſta





ta delubra. Deorum gentilium sacerdotes veste talari & capitio cum syrmate oblongo in humeros propendente donati erant. *Wormius* in *Monum Dan.* f. 420. lib. 3. Idola colebantur in scenis seu umbraculis. Effigies eorum e Frisiæ delubrorum collibus quondam erutas, in manibus habemus & addimus N. 1. 2. Audiamus *Virgilium.* Quæritur: Ubinam gentium est, quod describit Virgilius libr. I. Aeneid. quando ita infit:

Explicatio Virgiliani loci de Helgolandia.

Est in secessu longo locus insula portum
Efficit objectu laterum &c.

R. in mari *Cimbrico* est ille. Transeat Grammaticus cum illa figura, quæ dicitur Hirmus: iste jam hic non attenditur. Astrologus, Physicus, Ethicus, Oeconomus & bonus Historicus est Virgilius. Adsit igitur ἰσόρροπος ἰσορροπώτατος Virgilius. Quid causæ, cur hanc descriptionem loci ad Helgolandiam referam? & dicam, quod res est. Caveat autem Lector, ne temere judicet aut inique condemnet. Sed videamus ipsum textum: *Est in secessu longo locus insula* (a) *portum* (b) *Efficit objectu laterum* (c)

Explicatio.

(a) Helgolandia est in *secessu longo*, est *locus*, est *insula*. Aliæ insulæ in toto mari mediterraneo sunt in propinquo respectu Italiæ sitæ, ubi trajectus brevissimus, non 400. milliar. Germ. ut *Helgolandia* est. (b) *Portus* per accessum & recessum maris, ab insula in mare Cimbricum est cavatus & adprime utilis omnibus nautis ad excipiendum naves. (c) *Laterum* uno ad austrum in Eidoram, altero ad Septentrionem in Heveram, uterque per fluxum & refluxum maris. Pergit Virgilius:

Hinc atque (d) *hinc vastæ rupes* (e) *geminique minantur.*
In cœlum scopuli (f), *quorum sub* (g) *vertice late.*
Aequora tuta silent, tum silvis scena (h) *coruscis*
Desuper.

Explicatio.

(d) ab utraque parte in oriente & occidente. (e) *rupes* magnæ divisæ ad orientem in albam, ad occidentem in rubicundam; hæc myricis consita, illa gramine tecta. (f) Duo alti in cœlum *scopuli* (g) *Vertex* latus, ut tuti sint habitatores ab assultibus maris. (h) Habeo hic, quod intendo. *Scena* i. e. tabernaculum sive umbraculum theatrale ibi fuit, in quo *idolum colebatur.* Et ista *scena* erat ex silvis, i. e. ex frondibus desupercoruscis; veterum enim scenæ erant de frondibus structæ Acta sunt hæc ante Christum natum ann. 41.

Porro Virgilius:

Scopulis pendentibus antrum (i) *intus aquæ dulces* (k)
hic fessas non vincula naves
Ulla unco non alligat anchora (l) *morsu.*

Explicatio.

(i) Illa Caverna illud latibulum incutit metum ipsis incolis, etiam constanti viro. Quis vero te, *Virgili*, docuit antrum? Romæ es, & in Sicilia & Campania hæc scribis, & tamen exactam rerum Helgolandicarum cognitionem habes, ac si ibi natus fuisses. (k) per percolationem, ut in scrobe Sapiana. (l) propter loca arenosa & salebrosa,

Et sale tabentes artus in littore ponunt.

Quo mare falsum innuit. Pergit.

Scopulum conscendit.

Videat Lector, quam commode de Helgolandia sequentia in Aeneide dicantur nostra. Quæ omnia firmant illam sententiam, Helgolandiam esse istam insulam, de qua Poeta tam operose agit, & non poetice loquitur. Hæc mea interpretatio stabit, donec aliquis aliam certiorem in medium proferat. Hæ differentiæ specificæ, quas habent, *portus, objectus laterum, rupes, in cælum scopuli, scena, antrum, aquæ dulces & anchora*, non aliam interpretationem admittunt. Non sunt mihi ad manus commentaria doctorum, quibus hunc locum ornatum irem. Solus sum, qui illum ita παραφράττειν mihi præsumsi; si fallor, culpa penes me erit. Itali hanc topothesiam pro figmento habent: ita enim extat in marginalibus Virgil. Romæ scriptis, quæ habeo: *est ficta loci descriptio.* Hic enim locus in Africa nusquam est. Maro autem hujus insulæ Helgolandiæ cognitionem habet. 1. ex *dimensione mundi Strabonis*, quam vidit, 2. ex *fabulis Augusti*, quas habuit, 3. ex *commentariis Cæsaris*, quos legit, 4. ex *relationibus nautarum & mercatorum*, quas audivit, & populos αὐτόπτας nostros: i. e. novum orbem sive Indiam occidentalem magis scivit, quam novit. Ita arbitratur J. Lipsius in quadam Epistola ad Frid. Taubmann, esse intelligendos hosce versus Virgilianos.

Jacet extra sidera tellus
Extra anni solisque vias.

5. Erant acta quæ tunc extabant, ex quibus didicit de Britannis, quod illi penitus toto divisi sint orbe. Cur non de Helgolandia, quæ proxime est ad Britaniam, nulla alia interjacente insula. Manet igitur mea explicatio loci Virgiliani & firmissime adducor, ut credam, Poëtam hac commemoratione putare Helgolandiam.

Explicatur locus Taciti de Helgolandia.

Quomodo vero intelligendus est Tacitus in isto loco, qui extat circa finem libri de situ moribus & populis Germaniæ, & ita se habet?

„Est in insula (a) oceani (b) castum nemus, (c)
„dicatum in eo vehiculum veste contectum (d)
„attingere uni sacerdoti concessum. (e) Is ad-
„esse (f) penetrali. (g) Deam intelligit (h)
„vectamque bubus feminis (i) multa cum ve-
„neratione prosequitur. (k) Læti tunc dies,
„festa loca, quæcunque adventu hospitioque
„dignatur (i) Non bella ineunt, non arma
„sumunt, clausum omne ferrum, pax & quies
„tunc tantum nota, tunc tantum amata, (m)
„donec (n) idem sacerdos (o) satiatam con-
„versatione mortalium (p) Deam templo
„reddat, (q) Mox (r) vehiculum, & vestes (s)

„& ſi credere velis, numen ipſum (t) ſecre„to (u) lacu abluitur (v) ſervi miniſtrant (x) „quos ſtatim ille lacus haurit. (y) Arcanus „hinc terror ſanctaque ignorantia, quid ſit „illud, quod tantum perituri vident. (z) Diu me torſi, quænam ſit illa inſula, quinam oceanus, quodnam caſtum nemus, vehiculum, penetrale, quænam Dea, veneratio, qui læti dies, loca, bella, arma, ferrum, templum Veſtes, ſecretus lacus, ſervi, terror, ignorantia, & illud, quod perituri vident. Lego relegoque, volvo revolvo uocturna & diurna manu *Tacitum*; ſingula verba penitius conſiderans ſum dubius, quænam ſit illa inſula, hæſi aliquamdiu, qua parte oceani ejusmodi ſit collocanda: tandem concedo in hanc ſententiam, ut putem, Helgolandiam eſſe illam ipſam inſulam, de qua Tacitus tot verba facit. Ut vero eo expeditius in hac mea opinioue queam progredi præſuppono: 1. Tacitus uſus eſt tabulis geographicis & chorographicis, quas Romani per ſuos legatos deſcriptas habebant, & ex iis ſibi omnia in memoriam revocare potuit; 2. Fuit in Germania, & bonam partem ejus perluſtrauit, atque non tantum auritus, ſed & oculatus teſtis factus; 3. militavit ſub Veſpaſiano, & cum exercitu Romano ad Amiſeam omnem in Friſia pervenit; 4. inde in oceanum navigatum deſcendit: de ſe enim ita ſcribit, cum ad fluv. Amaſum eſſet, ipſum quin etiam oceanum illa pro illac tentavimus; 5. in nulla alia inſula oceani unquam nemus fuit, quam in Helgolandia; 6. in nulla alia inſula oceani unquam idola culta fuerunt, quam in Helgolandia; 7. omnes inſulæ & Ogiiæ, quæ hodie extant ad oſtium Viſurgis, Amaſi, Lavicæ & Flevi tempore Taciti non inſulæ, ſed continens & terra firma fuit, habent nomina recentia & ſitæ ſunt non in oceano, ſed in ripa Friſiæ occidentalis; 8. inſulæ in oceano hypenboreo & ad polum Arcticum, tum temporis nondum habitari cœptæ ſunt; 9. Poſtquam Tacitus Sennones, Longobardos, Reudignos, Aviones, Anglos, Varinos, Eudoſes, Suardones & Mugthones, populos conterminos deſcripſiſſet, inquit; *Eſt in inſula oceani caſtum nemus.* Sed examinemus, & perpendamus ſingula verba Taciti.

Rationes expoſitionis.

(a) *Eſt in inſula.* Nomen inſulæ propter ignorantiam linguæ Germanicæ Tacitus non expreſſit; a religione tamen ipſi nota fuit, & hodie dicitur Hilliglandia, quæ ab adventu Friſiorum inſula fuit.

(b) *Oceani.* Oceanus ratione locorum varina ſortitur nomina a Calis ad Albim dicitur Germanicus, ab Albi ad caput Schagen Cimbricus, exinde ad polum Arcticum hyperboreus & ſeptentrionalis: hoc loco intelligitur de Cimbrico.

(c) *Caſtum Nemus.* Luci & nemora apud ethnicos diis erant conſectata & religione quadam imbuta ab omnibus fere gentibus. A cultu religionis igitur caſtum dicitur - & quod ibi nemus fuerit, conſonum eſt veritati hic ad oppidum Runghold & Mildam. Sic in *Lundenberg*, *Schobull Weſtervvold* & *Oſtervvold* & aliis locis in Friſia minori, olim nemora & arbusta fuerunt.

Ante biennium cum perquam magnif. illustrem atque eminentiſſimum Dom. Joh. Sam Heiſtermann a Zielberg Conſiliarium Duci Sleswic. & Holſat. nec non præfectum Eydoranæ & Heveranæ Friſiæ, dominum meum munificum, in Helgolandiam comitatus eſſem, & ſolus deambulatum ad perluſtrandum hoc miraculum mundi irem, & forte me verſus orientem converterem, neſcio quid fruticum, radicum, truncorum & virgultorum aliquoties & per intervalla ante oculos mihi quaſi verſabatur; percuſſit illico animum & egomet continuo mecum: at at ibi nemus fuit, de quo apud Tacitum. Hæc non ſunt ſomnia, aut aniles fabulæ & deliramenta ſenilia huic explicationi confirmandæ excogitata. Adfirmate apud omnes dico me talia meis oculis quaſi vidiſſe; nnque jam audeo dicere, quod fato quodam hoc factum, ut arcannm ſcilicet illud magnum, quod jam per annos millenos & quingentos latuit & æterna nocte preſſum erat & vate carebat, in lucem & memoriam hominum revocarem.

(d) *Dicatum in eo vehiculum veſte conſectum.* Illud vehiculum, non eſſeda, non rheda, non currus; ſed carrus, carruca, vel aliquid huic non diſſimile fuit: quia non phaleratis equis ſed duabus vaccis trahebatur.

(e) *Attingere uni ſacerdoti conceſſum.* Singuli Dii, ſingulæ Deæ ſuos habebant ſacerdotes, qui ſacrificiis atque immolationibus præerant; hæc vero Dea unum tantum habuit ſacerdotem, cui non contrectare, ſed modeſte & reverenter Deam attingere conceſſum. Conceſſum, inquam, non illi licuit quod libuit.

(f) *Is adeſſe.* Adeſſe debet Dea iſta: ergo aliquando præſens, aliquando abſens fuit, vel ob famem, iram & invidiam, quando populus illi debitum honorem non exhibuiſſet aut officia denegaſſet; quemadmodum fecit Corochotus nec minus Epilegvanit, (Zemes illi Indici) Regi ſuo yGnamareto.

(g) *Penetrali.* Hinc colligo, quod Delubrum ibi fuerit; penetrale enim interiorem partem templi vel domus ſignificat.

(h) *Deam intelligit.* Jani uxorem Tithæam puto, quæ Veſta dicta, & illam venerats ſunt ad tempora S. Willebrordi, qui Jovis & Veſtæ delubra & ſtatuas evertit; eſtque hæc Dea prima & antiquiſſima Friſiorum Dea.

(i) *Vectamque bubus feminis.* A duabus vaccis in honorem patriæ, cui magis curæ ſemper fuit vaccas, quam boves alere, trahi voluit, & ne laſciua videretur.

(k) *Multa cum veneratione proſequitur* Id eſt, abſtinet ſe a cibo & potu, jejunat, oarat, canit ſuos Areitos, & tempus triſtitia & lachrymis

Obſtipo capite & dejecto lumina vultu
conſumit.

(l)

(l) *Læti tunc dies, festa loca, quæcunque adventu hospitioque dignatur.* Non edunt, bibunt, ludunt aut propter dormiunt, sed quisque pro se sedulo suum facit officium & lætitiam suam circulariter & in orbem inusitatis saltibus & insolitis corporum motionibus coram Dea testatur; & loca illa, quæ sacerdos cum Dea, cum ministris & populo adit, & hic & illic hospitio excipitur, sunt sacrata.

(m) *Non bella ineunt, non arma sumunt, clausum omne ferrum pax & quies tunc tantum nota tunc tantum amata.* Tunc nulla susscipitur deliberatio de bellis, armis aut ferro, nec exoritur clamorque virum clamorque tubarum.

(n) *Donec.* τό donec multum temporis requirit. Erat enim Helgolandia magna & populosa, antequam omnia loca ista amplia & vasta lustrata insulani auditi & cogniti ea sacerdos cum suis a quicusdam hospitio est exceptus; non est pauciſſimorum dierum iter & labor.

(o) *Idem Sacerodos*, scil. adhibitus est ad hunc ritum. In processione reverenter in oratione devote, cum timore in manibus gestata & in penetrale, ubi sedes, deportata Dea.

(p) *Satiatam conversatione mortalium.* Illud non est expressum, an sacerdos populusque Frisicus ex confecto itinere vel ex aere vel aliis quibusdam signis indicium sumserit. In medio relinquam; non aliud principium ad satiandum legi.

(q) *Deam templo reddat.* Nimirum Vestam; non humeris, sed manibus gestatam, quia erat instar puellæ 12. annorum & portatilis, & placide cum summa reverentia & devotione in penetrali restituat depositam.

(r) *Mox.* Post peractos hos labores mora nulla interveniente.

(s) *Vehiculum & vestes.* Illud genus carrucæ, indumenta vehiculi, sacerdotis & servorum.

(t) *Et. si credere velis. Numen ipsum.* Quidni Corneli? cum vehiculum, vestes, nonnunquam & Dea ipsa per tot lutosa & uliginosa loca a vento pulvere & pluvia fuerit commaculata.

(u) *Secreto.* Singulari, speciali & separato.

(v) *Lacu abluitur.* Lacus hic sumitur pro alveo sive fluento. Sic Tacitus supra. Utræque nationes (scilicet. Frisii majores & minores) usque ad oceanum Rheno prætexuntur ambiuntque immensos insuper lacus, X. fluvios, alveos & fluenta; cujusmodi hic & ubique in Frisia septentrionali quam plurima visuntur; Frisii vocant ein Tief: & cum insula Helgolandia semper fuit circumflua, facile aqua hinc inde ingeri potest, unde lacus fieret; hodie nullum ejus vestigium apparet, cum oceanus, nemus, littus, arbustum & omnia oceano æquaverit & in *mare Cimbricum* uniens saltem lacus patet, quem vulgo vocant das Hilliglander Tief.

(x) *Servi ministrant.* Vah sacerdotes ethnicorum habuerunt etiam ministros, qui ipsis fuerunt adminiculo.

(y) *Quos statim ille lacus haurit.* Vehiculum, vestes & numen ipsum mox abluitur, servos, qui ministrant & in aquam vinculati præcipitantur, statim lacus haurit & absorbet; lavatio & mactatio in gratiam Deæ abiecta omni mora perficiuntur.

(z) *Arcanus terror sanctaque ignorantia, quid sit illud, quod tantum perituri vident.* Illudit religionem ethnicorum Tacitus & quidem merito; nihil enim aliud significare videntur ista verba, *terror, sancta ignarantia, perituri.* Dies ille decretorius fert duram sententiam servis.

Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras
Et perituri id vident tantum
Quod pius Aeneas, quod Tullus dives & Ancus.

Ita ego volo explicare istum locum Taciti quem nemo ante me, quod ego sciam, ita tractandum sibi sumsit; primus hanc viam sum ingressus: *Althamero. Lipsio Ferreto, Alciato & Vertranio* visam potius, quam tritam; scripsi, non exscripsi hanc expolicationem, & meo remigio, ut ille ait, rem gessi: an veram lucem antiquitatis & germanam Helgolandiæ notitiam reliquerim, Historici indicabunt. Jam ante testor, me pueris ista non elaborasse, sed doctis, quorum iudicio hæc omnia submitto, sicubi lapsus sum, aut si quid mihi elapsum, quod pugnet cum recta ratione & monumentis historiarum; corrigat unusquisque, qui velit: ego quod potui, id feci, nec impedio, si quis in eodem circo curret ad palmam.

Caput II.

De verepiis & sanctis viris in Helgolandia & finitimis regionibus & insulis Phrisiæ nostræ sub initio Christianismi.

I. S. Willebrordus.

anno Chr. 690.

I. S. Willebrordus.

Archi-Episcopus Frisiorum ordinis Benedicti de stirpe Engisti, ab Egberto ex Britannia A.C. 690. in regnum Frisicum ad Radbodum in Helgolandia, primum huius nominis Regem Phrisonum missus, ubi Jovis & Vestæ delubra destruxit & tres Frisios baptizavit; propter quod Rex Radbodus S. Vigbertum ipso in loco crudelissime interfecit. Mortuus in Gallia A. C. 738. ætatis 81. *Beda* l. 5. c. 11, &. 12. *Paulus Aemilius* l. 1. f. 34. *Suffr. Petri de Ant. & Orig. Frif.* p. 19. 21. *Casp. Bruschb. & Corn. a Cempis* l. 3. c. 8. & Orig. Frif. f. 212. 242. & 299.

S. Suitbertus.

2. Suitbertus.

A. C. 690. Apostolus Phrisiæ, comes & coadiutor S. Willebrordi, ab Egberto in Britannia in regnum Frisicum destinatus. S. *Marcell.* S. *Ludgerus in vita S. Suitberti. Cappidus Stauriens* (*Hist. Eccles. Frif.*) *Suffr. Petri* de *Scriptor. Phrif.* f. 23. 265. & 338.

S. Vig

S. Vigbertus.

3. Vigbertus A. C. 690. Apoſtolus Phriſiorum, aſſiduus itinerum & laborum comes S. Willebrordi. a Radbodo primo huius nominis Rege Friſico A. C. 692. in Foſtelandia, hoc eſt, in Helgolandia crudeliſſime occiſus. *Beda*, Tom. 7. 1. *Angl. Hiſtor. Adam Bremens.* f. 3. *Suffr. Petri* de *ſcript. Friſ.* f. 22.

S. Wulffrannus.

4. Wulframus. A. C. 719. Epiſcopus Senonenſis, cooperator S. Willebrordi in gratiam Phryſarum a Rege Francorum in Friſiam noſtram ablegatus, ubi 5. annos docuit. Radbodus primus hujus nominis Rex Freſorum ab ipſo in ſcrobe Sapiana Helgolandiæ, quæ ad huc ibi conſpicitur, baptizandus erat, ſed retraxit pedem. *Suffr. Petri* de *Scriptor. Friſ.* f. 22. & 24. *Joh. Pomarius Chron. Saxon.* f. 57. *Hamelmannus* in *Chron. Oldenb.* p. 1. c. 2. *Corn. a Cempis* de *Orig Friſ.* f. 193. 194. 255. *Pantaleon Candidus Auſtr.* in *T. C.* f. 67.

S. Ludgerus ſive Luderus.

5. Luderus. A. C. 768. Epiſcopus Monaſterienſis, Apoſtolus Saxonum & Conſiliarius Wittechindi poſt eius converſionem a Carolo Magno conſtitutus tendit in regnum Friſicum A. C. 768. In convertenda Helgolandia ſedulo laboravit vir ſanctus, & brevi temporis ſpatio hoc perfecit. Phoſeti templum evertit. *Albert. Crantzius* l. 1. *metrop. c.* 5. *Joh. Reinboth.* (S.S. Theol. D. Cimb., & Præpoſ) in *Chron. Saxon. infer P. B.* f. 824. *Magdeb. centur.* 845 *Warnerus* in *Faſc.*

S. Anſcharius.

6. Anſcharius. A. C. 833. Archi-Epiſcopus Hamburgenſis natus in civitate Friſiæ Vardena, Monachus Benedictinus Cœnobii Corbeienſis, vitæ ac ſcientiæ laude clarus & omni Saxonum populo acceptus A. C. 833. Archi-Epiſcopus Hamb. ab. Epiſcop. Metenſi præſentibus tribus Archi-Epiſcopis ita conſecratus, ut eſſet Archi-Epiſcopus in gentibus Danorum, Suecorum, Norvegorum, terræ Gronlondiæ, Hallingalandon, Cherſoneſi Cimbricæ omnium regionum maritimarum, quæ tum temporis nullo aggere ad repellendos aſſultus mariis erant circumcinctæ, cum prima circumvallatio eſt facta demum A. C. 987. comprehunduntur igitur ſub hoc generaliori nomine, Islandon Schredevindon & omnium ſeptentrionalium & orientalium nationum, & ut omnes paludes infra ſive iuxta Albim poſitæ cultæ & incultæ ſint infra terminos Hamburgenſis parochiæ & ille & ſucceſſores eius ſint legati in omnibus circumquaque gentibus Danorum, Sueonum, Nordvegorum, Farriæ s. Helgolandiæ (V. *Adam Bremenſ.* f. 3.) Gronslandon, Hallingalandon, Islandon, Schredevindum, Slavorum nec non omnium ſeptentrionalium & orientalium nationum quocunque modo nominatarum conſtituti, Pallium Archi-Epiſcopale & dignitatem ſedis Apoſtolicæ legato ad ſeptentrionales populos accepit Romæ a Papa Gregorio IV. in eccleſia Vaticana ſedis Petri Apoſtoli. In æde prope Sleſvicum, quæ vocatur Heidebuii, publicæ concionatus; ad ripam fluminis Sliæ baptizavit. Danorum & Suecorum regna ipſemet adivit neque fruſtra laboravit; Ericum Regem Daniæ convertit, qui ipſi permiſit in Schliaswich fabricare eccleſiam, quam fecit in honorem ſanctæ genetricis Dei Mariæ. Ex Dania redux prædicavit evangelium de Chriſto in Eyderſtadia & Nordſtrandia & increpavit eos propter fœniſecium & alios die Dominico labores, maleferiatos ignis cælitus dimiſſus perdidit. Mortuus Bremæ A. C. 865. æt. 64. *Diplom. Cæs. Ludovici pii* datum Idib. Maji Ao. 21. imperii ind. 12. Aquisgr. in palat. regio A. C. 834. *Diplom. Gregorii* 4. quod eſt a Papa emiſſ. de *Ord. habendo. Ericus X.* Rex Dam. in *Hiſt. gent. Dan.* f. 64. *Adam. Bremenſ.* l. 1. c. 14. 15. 29. 330. & 331. *Crantzius* in *Saxonia* l. 2. c. 25. & 29. *Suffr. Petri* de *antiquit. & orig. Friſ.* A. 63. *Saxo Grammat. lib.* 9. Rembertus diſcipulus Anſcharii ac in ſedem epiſcopalem ſucceſſor. *Tritheimus* de *viris illuſt. ord. Bened.* l. 4. c. 84. *Vita S. Anſcharii* a diſcip. conſcript. apud *Stephanium* in *notis uber.* in *Sax. Grammat.* f. 193. unde *Albertus Stadenſ.* omnia ſua deſcripſit, ſicut ſolet. *Joh. Ad. Cypræus* in *Annal. Epiſc. Sleſvic.* f. 66. *Joh. Peterſen.* in *Chron. Holſ. Matth. Bœthius* in *Catacl. Nordſtr.* f. 348. *Nic. Helvaderus* in *ſilva Chronol. Circull Balthici.*

Eilbertus Epiſcopus

7. Eilbert. A. C. 866. in Fionia exſtruit cœnobium in Helgolandia A. C. 866. *Adamus Bremenſis* Canonicus f. 3.

S. Urſuiæ navis, veſtigia & cella.

Inſula S. Urſulæ. Hæc hiſtoria de S. Urſula, quæ fuit genere Britanna, Dionoti Cornubienſium Ducis filia ingenio & eruditione clara, a qua Helgolandia apud *Hamelmann* in *Chron. Oldenb.* f. 454. S. Urſulæ inſula vocatur; multis fabuloſa & falſa videtur; quam tamen *Schedelius Chron. mundi*, *Petrus* de *Natalibus* in *vitis ſanctor. Sigebert. Bonfinius vit. Vir. Dec.* 1. l. 6. inprimis vero *Balacus centur.* 1. f. *Anglic.* n. 39. ex Script. Britannis & *Suffrid. Petri* de *ant. & orig. Friſ.* L. 1. f. 38. veram recenſent. *Georg. Bruyck.* Præf. Helgol. in *relat. ad H. Ranz. Vicar. Reg.*

Caput III.

De Principibus & Regibus celebrioribus Friſiæ Cimbricæ.

Jutho Princeps.

Jutho dotis loco obtinet ducatum Sleſvicens. A. 308. ante Chriſtum celebravit nuptias cum Cumera Bœchi Cimbrorum Regis filia, & dotis nomine accepit a ſocero illam Cherſoneſi partem, quæ dicta eſt Juthia, nunc Ducatus Sleſwicenſis. A. 307. ante Chriſtum, bellum geſſit cum Dan primo Danorum Rege, propter dotalem ſuam Juthlandiam, & illum fudit fugavit.



S. Willebrordus.
A. C. 690.

N. 1.



S. Suitbertus.
A. C. 690.

N. 2.



S. Vigbertus.
A. C. 690.

N. 3.



S. Wulffrannus.
A. C. 719.

N. 4.



S. Ludgerus, sive Luderus.
A. C. 768.

N. 5.



S. Anscharius.



Eilbertus.
A. C. 866.

N. 7.









gavitque. *Laurentius Adſen ad A. C. 1639. d. 20. Juni.* A. 300. ante Chr. Princeps Friſidos ſeptentrionalis & maris Imperator a patre Friſone deſignatus; habitavit Helgolandiæ in Foſteburgo, in quo arx erat, & nunc Rodeberga dicitur, ubi magna illa tormenta diſpoſita ſunt. *Suffr. Petri* de *Aut. & Orig. Friſ.* f. 180. 181. 182. 183. 220. 221. 223. 226 & 227. *Joh.* & *Olaus Magnus* Goth. Upſ. qui Juthonem Saxonum Ducem nominant l. 2. c. 2. de *reb. Goth. Corn. a Cempis* de *orig. gent. Friſ.* f. 175 & f. 24. *Mart. Hamcon* de *vir* ill. *Friſ.* f. 69. *Ol. Wormius* Prof. Reg. in *duplici Reg. ſerie Dan. Matth. Boëthius* in *Catachiſmo Nordſtrand.* f. 41.

Ubbo Princeps Friſiæ minoris.

A. 230. ante Chriſtum Filius Juthonis habitavit Helgolandiæ in Foſteburgo, ſuſtulit ex Grytha Geroldi Ducis Saxonum filia Vithonem & Henricum. A. 230. ante Chriſtum bellum intulit Regi Danorum Gramo & multis præliis cum ipſo de Juthlandia conflictatus, quæ jam per mortem filii Humbli ex pacto connubiali inter Juthonem & Humblum inito ad Regnum Daniæ devoluta videbatur *Suffr. Petr.* de *Ant.* & *orig. Friſ.* f. 189. & 190. *Matth. Boëthius* in *Catacl. Nordſtr.* f. 41.

Vitho.

Ante Chriſtum 209. quem *Saxo Gramm.* Freſiorum piritam *Crantzius* Regem Friſiorum nominat, Filius Ubbonis, ex conſilio avi Geroldi ſecundum atavi Friſionis decretum præfectus Eydoranæ Friſiæ iin vindictam fratris ſui Henrici Danos diu piratica infeſtavit; ante oſtium Heveræ claſſe navali a Rege Daniæ Frothone victus, & cum ſuis fuga littus amplexus inter flexuoſos foſſarum ambitus obtruncatus ante Chriſtum 209. Et hæc prima ſubactio a Danis dicitur. *Saxo Gramm.* l. 12. f. 13. *Crantz. in Dan.* f. 21. *Suffr. Petri* de *ant. & orig. Friſ.* l. 2. c. 6. f. 190. 192 & 223. *Matth. Boëthius* in *Catacl. Nordſtr.* f. 21.

Ubbo.

A. C. 260. promptiſſimus miles & Friſicæ gentis athleta; 144. ſagittæ ejus pectus obſederunt, quam lapſis corporis viribus ſolo poplitem daret, 11. vulneravit & 25. interfecit; in bello. Suecico contra Regnerum Regem Sueciæ victus a Hagder, Rolder & Greter, qui ipſum crebreſcentibus jaculis eminus confoderunt. Hoſtibus haud tergo, ſed forti pectore notus, quod Catullus dixit de Achille. *Saxo Grammat.* l. 8. f. 70. & 73. *Albert. Crantz.* in *Dan.* f. 84. *Stephanius in not. in l. 8. Sax. Grammat. Hiſt. Dan.* f. 175.

Radbodus Rex Phryſarum.

A. C. 670. vir bellicoſus, magnitudine corporis conſpicuus, tanta proceritate corporis omnes excellens, ut ab humero ſurſum emineret; Otii & inertiæ impatiens, illiteratus & ſolo idiomate patrio contentus, linguas peregrinas diſcendi non ſtudioſus, ſed Gallicam melius intelligens, quam pronuncians, ſagax admodum & ingenio acer, in Chriſtianos valde impius & crudelis, capite craſſo & ampla facie, oculis prægrandibus duobusque dentibus aliquantum eminentibus extra ordinem, gerebat crines prolixos usque ad humeros utrinque a fronte diſcriminatos, ab adoleſcentia imberbis, & habitu inceſſit Friſonico. Frequentiori ſua præſentia illuſtrabat Helgolandiam & arcem Foſteburgum. A Rege Daniæ Omund, quicum bellum gestit, captus & per integros 5. annos detentus reſtitutus (hac tamen lege, ut annuum tributum penderet) male habebat ſuos Friſios; cum Carolo Martello & Pipino vario marte luctatus. Regnavit annos 50. mortuus & ſepultus Helgolandiæ A. C. 723. Ex illo prognati ſunt Duces & Comites Friſiæ & Nordſtrandiæ, quorum unus genuit Sindacillam, quæ nupſit Wigeberto Duci Saxoniæ Wittechindi filio A. C. 826. cui Illuſtr. & Celſiſſ. Cimbrorum & Saxonum Dux Fridericus, Princeps noſter Clementiſſ. originem ſuam ex ſtirpe paterna debet Tab. Petri Albini Paſt. quond Witzw. MS. *Suffr. Petri* de *ſcript. Friſ.* f. 21. 294. *Joh Pomarius Chron. Saxon.* f. 57. *Nic. Hellvad. in ſilv. Chronol. Circuli Balth.* f. 70. A. C. 1496. 1497. 1498. Bellum inter Fridericum Ducem Slesvic. & Holſat. & civitates Hamburg. Brem. Stad. & occidentales Phryſios, quibus ſingulis Dithmarſi ſuppetias tulerunt, de Helgolandia, in cujus poteſtate & dominio ſit *Jord Nielſen* præfectus Helgolandicus ſtipatus Danis & Utholmicis, cepit Io. urbicos & 130. Dithmarſos. *v. Laur. Adſen in Mſc.*

Radbodus.

Bellum de Helgolandiæ dominio.

Caput. IV.

De ſingularibus in Helgolandia.

Piſces ibiſunt aſelli majores; conchæ, cancri, ſcombri, paſſeres, congri. Aves grues eygni, anates, mergi, alaudæ, colluriones, halcyones, ardeæ, cephi, ruſticolæ majores, lari. Res prodigioſæ: conchæ, candelæ, nuces, rami, argentum rubrum, ova, quæ omnia in loco prope rupem albam, ubi olim arbuſtum fuit, unde Helgolandia Tacito caſtum nemus dicitur, reperiuntur. Quo refero foramen, cujus profunditas non habetur, & lapidem ſub unda latentem. *Georg. Bruyck.* Præf. Helgol.

Liber II.

Caput. I.

De religioſis Friſiorum Apoſtolis & Chriſtianæ religionis propagatoribus.

de Weſtphal. Monum. inedit. Rerr. Germ.

De idolis Friſicis Phoſeto, Jove & Veſta in Helgolandia ſub Ethnicismo cultis, vide ſupra in Helgoland. de ſacris De S. Willebrodo S. Suitberto & S. Vigberto A. C. 690. S. Wulffrano A. C. 719. S. Ludgero

Friſiorum Apoſtoli & Chriſt. religionis propagatores.

A. C. 768. S. Anſchario A. C. 833. Friſiorum Apoſtoli & Chriſtianæ Religionis propagatores in Eyderſtad. Nordſtrand. & adiacentibus inſulis Friſicis ſunt ſequentes.

S. Ægiſtus.

I. S. Aegiſtus.

A. C. 589. primus Apoſtolus Phregiæ. *Varner. Rolewinck* in *Orig. Friſ. Alb. Cruntzius* c. 1. l. 1. *Metrop. Suffr. Petri* de *ſcript. Friſ.* & de *ant. & orig. Friſ.* f. 29. *Cappidus Stauriens. Hiſtor. Eccleſ. Friſ. Beca Canonicus Utraj. Chron. Epiſcop. Ultraj. & Comitum Holſat. Heda* Præpoſ. Arnh. de *Epiſc. Ultrai.*

Venefridus Bonifacius.

2. Venefridus Bonifacius.

A. C. 755. docuit in Friſia noſtra ubi & martyrium paſſus A. C. 755. *Trithemius*; *Suffr. Petri* de *ſcript. Friſ.* f. 27. *Nic. Helvad.* in *ſilv. Chronol. Circ. Balth.* f. 70.

Heraldus Rex Dan. I. Chriſtianus.

3. Haraldus Rex Daniæ.

Ringonis Filius, primus Regnum Daniæ, qui ſacra unda tincti, Chriſto nomen dederunt. A. C. 825. ſemina religionis Chriſtianæ in Cherſoneſo Cimbrica ſparſit, regno propterea privatus, videantur *Ericus X. Rex Dan.* in *hiſt. gent. Dan. Saxo Grammat.* l. 9. f. 158. *Adam. Bremenſ.* l. 1. c. 14. *Broderus Boyſen* in *Chronico Heſvicenſi ab initio Chriſt. relig. ab Heraldo inuecta usque ad* a. 1530. Primam quoque ædem ſacram in regno, nimirum *Slesvici* Deo moliri cœpit.

Wilhadus.

4. Wilhadus.

A. C. 788. Epiſcopus Bremenſis, natione Anglus a Carolo Magno A. C. 788. in Saxoniam borealesque terræ partes ablegatus, & adiit Freſorum fines. *Ioh. Pomarius in Chron. Oldenb. f. 456. Ioh. Ad. Cypræus in Ann. Epiſc. Sleſv.*. f. 2 & 3. *Nicol. Helvad.* in *ſilva Chronol. Circ. Balth.* f. 71. 738. A. C. 1096. ſub Epiſcopo Alberto Dano cœpta ſunt ædificari templa in Eyderſtadia & Nordſtrandia in honorem Dei, ST. Apoſtolorum aliorumque ſanctorum, nominibus ab ipſis ſumtis. *Broderus Boyſen* in *Annal. Epiſc. Slesvic.* f. 137.

S. Canutus.

5. S. Canutus.

A. C. 1128. primus Dux Slesvic. religionem Chriſtianam ſedulo in Eyderſt. & Nordſtr. propagavit a Magno patruele interemtus inque Martyrum ordinem relatus, Ringſtedii a. 1130 ſepultus. *Joh. Ad. Cypræus* in *Annal Epiſc. Slesvic.* f. 131. A. C. 1305. Capitulum Slesvic. reddit rationes omnium præpoſituarum & probat literis & ſigillis inſpectionem eccleſiarum in Cimbrica Cherſoneſo multis annis ante hominum memoriam conſenſu Epiſcopi penes Præpoſitum & Canonicos eſſe, & quod illi habeant in illis locis jus ſuſpendendi, interdiceudi, excommunicandi, viſitandi & procuradiones recipiendi, exceptis quibusdam caſibus. Epiſcopo reſervatis. Habebant & Uthlandici privilegium, quod accuſati non debeant comparere, niſi coram ſynodo & præſente Præpoſito. *Joh. Ad. Cypr.* in *Ann. Epiſc. Slesvic.* f. 304.

Capituli Slesvic. rationes redditæ.

6. Divus Fridericus Rex Daniæ, Chriſtiani I. Filius.

A. C. 1524. 1526, & 1527. ad reformationem in Eyderſtad. & Nordſtrand. rite perficiendam uſus opera DETTLEVI REVENTLOWEN *Cancellarii & Præpoſiti Reinbecenſis*, BALTHASARIS RANTZOVII, Conſiliarii, Præpoſiti Slesvicenſis, Epiſcopi demum Lubecenſis, item JOH. RANZTOWEN, Equitis, *Eberhard Weidenſee. Joh. Vandali, Gerh. Sleverds* & HERMANNI TAST, *Paſt. Huſumenſis, primi Reformatoris* & Theologi Lutherani. Vide HERM. HAMELMANN in *Chron. Oldenb.* f. 237. HIERON. HENINGES *in geneal. Fam. nobilium, precipue Ranzoviorum* f. 22. & 48. ubi de *Detlevo Reventlovio* & *Johanne Rantzovio* agit, cujus & imaginem, ut reliquorum Rantzoviorum, exhibuit. Adde PETRI LINDEBERGII *hypotypoſin arcium Rantzov. p. 65.* BEUTERI *Epitom Vitarum Ranoviorum* in Imaginibus p. 365. *Cytræum* in *Saxonia, Reuſner. Lindenbrogium, Joh. Peterſen in deſcr. Nordſtr.* Nos ex archetypis RANTZOVII *Epiſcopi* & FASTII Imagines producimus.

Fridericus Rex Dani

Caput II.

de ſecularibus in Eyderſtadio, Everſchoppio, & Uthholmio

De Juthone ante C. 308. Ubbone ante C. 230 Vithone ante C. 209. Ubbone ante C. 260. & Radbodo A. C. 719. vide ſupra in Helgolandia de Princip. Regib. celebr. Friſiæ Cimbricæ. A. C. 748. poſtquam Radbodi regnum Galliæ diu exagitaſſent, tandem tertio & ultimo illo Radobodo debillato Carolus Magnus ſine turbis poſt turbas, quas ille dederat maximas, Friſiis jugum ſervitutis abſtuli & altavitam libertatem redonavit, quam adhuc glorioſe tenemus. *Suffr. Petri orig. Friſ. f. 41.* A. C. 769. in ſubjugando Wittechindo, quem captum Carolo Magno tradiderunt A. C. 786. ad compeſcendos Vandalos A. C. 800. in ſubigendis Romanis A. C. 810. ad profligandos Longebardos non erant Phreſi poſt principia *Alb. Crantzius* l. 11. c. 6. & 8. *Suffr. Petri*, de *ant. & orig. Fr. ſ.* f. 324. *Joh. Pomarius* in *Chron. Sax.* f. 42. 55. *Pantalon Candidus* in *T.* C. *f. 65.* Abſente Carolo M. & bello Longobardico implicato Gottricus Rex Daniæ Saxones tributarios fecit & Freſios ſubegit, ſubegit inquam, & 100. ℔ argenti loco tributi impoſuit. Ad hanc pecuniam colligendam extructa eſt domus 240. pedes longa, quæ continebat 12. ſpatia; in extremitate ſedebat Quæſtor, & id æs ſolum in fiſcum colligebat, cujus caſum remotiori auris judicio perſenſiſſet; cujus vero obſcurior ſonus, recipiebatur quidem in fiſcum, ſed nullum ſummæ præſtabat augmentum. Bello exacto Carolus Magnus Saxones & Phreſios ſuos liberare voluit & jus ſuum Marte judice perſequi conſtituit, ſed mortuo Gottrico res inter

Carolus Friſii liberatem reſtituit.

Cui in breve dein aut. antur.

Carolus nes Rom Imp. co tuit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

S. Ægistus Apostolus.
A. C. 589.

N. 1.



Venefridus Bonifacius.

N. 2.



Heraldus R. Dan. 1.
Christiang.

N. 3.



S. Wilhædus.

N. 4.



S. Canutus.
primus Dux Slesvicensis.

N. 5.



Divus Fridericus.
R. D.

N. 6.















Barth. R
Episcopus
N. 1.



Johan
Eps
N. 1




Boye Te
Prefectus Eyd: E
N. 3.



Barth. Ranzovius,
Episcopus Lubecensis.

N. 1.





Johannes Hess.
N. 1 Eps. Suavested:



Magnus Munck.

N. 2.



Boye Tetens
Præfectus Eyd: E: Uthh:

N. 3.



Thomaso Cerboni

N. 4.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf













ter consiliaros Caroli Magni, & Regis Daniæ Hemmingii, A.C. 801. Cal. Maji. transacta est ita, ut in posterum fines imperii Romani & regni Daniæ Eydora & Levensaa terminarentur. Quæ transactio in scripturam redacta, subscripta, juramento & sigillis roborata & postea ab Imperatore Romano Friderico A. C. 1214. & a Papa Alexandro 4. A. C. 1257. confirmata est. Sic diruptio & dilaceratio est facta regni Frisici, sic jure belli & transactionis nostra Frisia, quæ eousque sub occidentali Frisia conprehendebatur, nunc non solum novum nomen, ut sit vocata septentrionalis, minor, Cimbrica Chersonesus maritimarum regionum sortita, sed & regno Daniæ occidentali & orientali Frisia Imperatore Rom. relicta peculiariter inserta & sequutis temporibus ducatui Sleswic. incorporata, in quo ad huc placide quiescit. *Saxo Grammat.* lib. 8. *Adamus Brem.* l. 1. c. 13. *Eginhartus* in *vita Caroli Magni*, *Albert. Stadens. Paulus Aemilius*, *Aimonus* l. 4. c. 90. *Platina* in *vita Leonis*. *Corn. Aurelius* magni illius Erasmi præceptor *Bataviæ l. 2. Annales Francorum* a *Pithæo* editi, *Sibrand. Siccama* JC. emin. in *not.* ad *antiq. leges Fris.* p. 132. *Christ. Cilic.* l. 1. *belli Dithmars.*, *Joh. Ad. Cypræus* in *Ann. Episc. Slesvic.* f. 5. *Nic. Helvader. silv. Chronol. Circ. Balth.* f. 28. *Olaus Wormius* in *Monum. Danic.* l. 1. c. 8. *Steph. Joh. Stephanius* in *not. uber.* f. 186. *Incertus Auth.* l. 1. f. 14. l. 2. f. 19. & 20. l. 3. f. 40. l. 5. f. 76. *Sigebertus Gemblacens.* MSS. *Chron. Island.*

libertatis vindex. Si qua cura tangit ethnicorum manes earum rerum, quæ in hac terra geruntur, non est dubium, quin summo perfundantur gaudio mentes Bocchi Cimbrorum Regis, Geroldi Saxoniæ Ducis, Juthonis Principis Frisidos septentrionalis & maris Imperatoris, Ubbonis Principis Frisiæ minoris, Vithonis Præfecti Eydoranæ Frisiæ & Radbodi Regis Phrysarum, quod Cimbrica Chersoneso, pro qua illi tot bella gesserunt, nos eorum posteri jam

S. Canutus Dux Slesvicens. tranquille fruamur. A. C. 1119. *Sanctus Canutus*, primus Dux Slesvic. & a Rege Daniæ Nicolao investitus & Rex Vandalorum a Lothario Saxone ex legato Henrici Obotrit. inauguratus, unde etiamnum *titulus Vandaliæ* remansit. *Saxo Grammat.* l. 5. c. 28. *Helmold.* c. 50. *Alb. Crantzius*, *Breviar. Slesvic. Lib. Cantic. Dan. Chron. Holsat. Ann. Slesw. Cypræus* in *Annal Episc. Slesv.* f. 133. *Nic. Helvad.* in *Silv. Chronol. Circ. Balth.* f. 105. Et supra L. 2. c. 1. A. C. 1147. Ca-

Eiderstadensium cædes per Suenonem. nuto dicto IVto & Suenone æmulis regni Danici & inter se de successione acerrime digladiantibus tandem in Juthia est superatus Canutus, qui fugit ad Eyderstad. & magnidicis promissis illos illectat, ut unusquisque suam opem & operam conferat ad propulsandum Suenonem, se illis aliquid de consuetæ pensionis onere laxaturum. Eyderstadienses avidi promissionis in gratiam ipsius oppidum ad stagnum Mildanum, in quo ipsum recipiant, condunt, sed intuitu exilis præmii immani se negotio onerant. Sueno cum suis copiis ad recens oppidum pergit, quod circumire non poterat, cæsis virgultis ad transcenden das paludes viam sibi facit. Eyderstadienses moræ impatientes bellandi cupidi occurrunt hosti in patenti campo, & quidem audacius, quam prudentius. Ibi tanta est edita strages, ut corporibus veluti pontibus ad peragrandas paludes uterentur. Canutus se conjicit in fugam, plerique in oppidum se conferunt, quod Sueno indefesso studio oppugnat, dum in eo Canutum latitare putabat. Tandem se dedunt, gratiam exposcunt, quam præter spem adepti; Eyderstadensibus vero obsidibus datis duo millia librarum Suenoni solvendarum mulcta imposita est. *Saxo Grammat. Joh. A. Cypræus* in *Ann. Episc. Slesv. Nic. Helvad.* in *silv. Chron. Circ. Balth.*

Frisiorum concertationes. A. C. 1161. mutuis cædibus & latrociniis inter se grassantur Fresiones nostri. *Laur. Adsen. MSS. Holsat. Joh. Olear.* in *Chron. Hols. MSS. Vulg.* & *MSS. Vetust.* Anno 1240. annua pensio tributi erat pro singulis jugeribus penfiones & multa pro homicido. tres unciæ germ. 3. ℔. pro domo, quæ continebat 18. contignationes, novem unciæ germ. 9 ℔. pro homicidio 4. Marcæ argent. germ. 4. Marck Silbers *Vetust. lib. germ.* A. C. 1252. Rex Daniæ & Dux Slesvic. Abel, re Abel R. Dan. Eiderstadenses. oppugnat frustra. Cain vocandus, & inauditum tributum imperat, quod cum Eyderstadienses persolvere nollent, bellum illis. Infert & ad Eydoram castra metatus, ut data opportunitate trajicere & simul illos ad obedientiam redigere posset: nec consilio audaci defuisset propter metum & terrorem, quem ille ex fama illis incusserat, fortuna; nisi Eyderstadienses *Fratricidii* Fratricida vindicem Deum habuissent. Hi collecta ex suis manu Regem in ipsa regione exspectant; antequam vero ad prælium ventum Deo vota faciunt, si victoria potiti essent, se S. Christianum purissimo auro exornaturos esse. Instructa acie Rex infelici marte pugnat; exercitu enim dispalato pedem referre coactus. Eyderstadii vota persolverunt & S. Christiani statuam inaurarunt. *Iob. Ad. Cypræus* in *Ann. Episc. Slesv. MSS. vulg. Eyderst.*, *MSS. vetust.* A. C. 1253. d. 10. Julii Rex Daniæ & Dux iterum in eos impetum fecit. Slesvicensis Abel iterum duxit exercitum in Eyderstadiam sub tribus signis, & damnum, quod priori anno acceperat, resarcire tentans castra locat in Satir trans Hoyersworth, quæ papilione & tentoriis expansis fossa circum dedit, & aliquod parœcias expugnat, quas prædæ & libidini militum subjicit, & tandem incolis crudeliter mactatis domos eorum incendit & prosternit. Eyderstadienses contra fossam prælongam ducunt, in agro Elwortano & Catingensi, ne Rex ulterius progrederetur & convocatis ex Hardis Frisicis, qui arma ferre possent, unanimiter & per majora concludunt, se potius honeste omnes morituros, quam turpiter privilegia, & libertatem acceptam & a majoribus continua successione per manus ipsis traditam sponte tra-

dituros; & ſtat ſententia ſub 7. vexillis militaribus in Regis caſtra impetum faciendi. Quod cum Rex expertus, dat ſe in fugam; Eyderſtadii ſequuntur & Danos in via 300. occidunt, & cum potentia Dranderſummiana & Butteliana illis ſubveniſſet, & fortiter in Danos invecti totus exercitus Danicus eſt deletus; Rex Abel, cum non haberet, quo fugeret, indicavit oppidum Mildanum regione Eyderſtad. eſſe tutius, & eo tendit; ſed in via juxta oppidum faber quidam lignarius, nomine Weiſel Hummer. Nordſtrandienſis, qui ſe ſub ponte in aquæ ductu occultaverat, a tergo, dum pontem tranſequitaret, adorſus, *Jecuri caput ejus ita diminuit*, ut ſtatim caderet & moreretur. Idque juſtitia Talionis cum Regem *Ericum* Fratrem a. 1250. capite truncari inque Slya ſubmergi juſſerat. CYPRÆUS *Annal. Ep. Sleſv. p. 263.* Ita Phryſæ omnes re bene geſta & bello belle confecto indomiti ad ſuos revertuntur. Interfuerunt huic bello omnes in hac Friſia ſeptentrionali & nomine & lingua Friſii, ſcil. regiones Eyderſtad. Everſchopp. & Utholm, nec non Hardæ Pelworm, Fohr, Wiric, Edom, Beltring. Bocen. & Lundenberg. cum Suder Gos. Norder Gos. Char & Horsbull. Hardis. *Ericus X.* Rex Dan. in *hiſt. gent. Dan. Coſpar Hoier in Beſor. Friſ. Chytræus* in *Saxon.* f. 86. *Broderus Boyſen* in *D. C. Olaus Worm.* in *not.* ad *Regum Dan. ſeriem* f. 16. *J. A. Cypræus.* in *Annal. Epiſc. Sleſvic. Pantaleon Candidus* Auſtr. in *T. Matth. Boëth.* in *Cataclismo Norſtrand. Nic. Helvad.* in *ſilv Chron. Circ. Balth. Jon. Ovens* in *Chron.* A. C. 1374. d. 9. Febr. Woldemarus 3. alias 4. Rex Daniæ & Dux Sleſvic. ex ſtirpe Abelis per ſeditionem electus, rege vero Chriſtophoro reſtituto Ducatum Sleſvic. recipere coactus; ille inquam Woldemarus provinciam Eydoranam & omnem oram maritimam ſubjugavit, graviſſimas exactiones impoſuit, captivos ſecum multos abduxit & omnia privilegia ademit ob denegatum 14. annorum tributum domeſticum. *J. A. Cypræus* in *anual. Epeiſc. Slesvic.* f. 311. & 339. *Mss. vulg. Comm. vetuſt.* A. C. 1389. d. 9. Septembr. Nicolaus Sverſen præfectus arcis Suaveſted. ſive ex mandato ſive ex malitia ſive ex miſeria eo audaciæ & proterviæ prorupit, ut multos Eyderſtad. in carcerem conjiceret & magnam argenti vim plus quam 400. Marck. illis extorqueret. *J. A. Cypræus* in *ann. Epiſc. Sleſvic.* f. 346. A. C. 1395. Epiſcopus Suaveſted. JOHANNES HESS arcem Suaveſted. in Margaretha Danorum Reginæ poteſtatem redigere voluit, ut eo facilius illa Holſatiam invadere poſſet: id Holſati ægre ferunt, cum Eyderſtad. arcem Suaveſted. obſident & expugnant & bello parta bello tueri ſe paratos oſtendunt *J. A. Cypræus* in *annal. Epiſc. Sleſvic.* f. 351. A. C. 1399. Albertus Comes Holſatiæ, Henrici ferrei filius, magnum exercitum in Eyderſt. Everſchopp. & Uthholm. duxit, ibique ferro ab igne populabundus tantisper commoratur, quoad provincialium primores culpam pecunia ſedecim milium marcorum redemere. Quæ vera hujus irruptionis cauſa ſit, ita me veritas amet, ut conjectare non auſim, ſi exædificiis & fundis tributum non perſolverint; ſevero ecaſtor judicio, ſi conſideres A. C. 1391. 1393. & 1395. diluvia. A. C. 1404. Bellum Eyderſt. & reliquorum in Friſia minori Friſonum cum Suaveſted. epiſcopatus hominibus, in quo arx Freſeburgum deleta & Reimer Seeſtett interfectus *Laur. Adſen in Mſc. Holſ. Matth. Boeth. in Cataclismo Nordſtr. f. 65.* An. C. 1408. Circa bacchanalia univerſa provincia Eyderſted. per glaciem ad arcem Svaveſted. invadendam profecta, ſed 80. captis, illorum ingenti ſtetit pretio liberatio. Sequenti æſtate Ericus Rex Daniæ 80. hujus regionis incolas & multa pecora abduxit. *Laur. Adſen* in *Mſc. Holſ.* it *Mſc. Eyderſt. vulg.* A. C. 1410. d. 17. Aug. ſub nomine Regis Daniæ Erici Johann. Scharpenberg, pro quo alii ſubſtitunt. Lüder Kabell, & præcipue MAGNUS MUNCK comitati 8000. Danis præfecturam Tunderenſem, Brettſtad, Huſum, & promontoria Friſica deprædantur, & cum præda Flensburgum tendunt; ſed comes Schowenburgicus Adolphus hanc incuriam ulturus contractis quantocius copiis & collectis armatis 400. & peditibus Friſonicis 700. occurri illis in campo Soldorpiano ad Jorle & hoſtes non modo præda exuit, ſed oſcine felici agmen Danicum intercipit, & pæne ad interncionem cædit. Interfectus enim *Magnus Munck* & cum eo 1400. Dani, capti ſunt 350. inter quos *Johann Scharpenberg*, qui ſolvit pro redemptione decem millia argent. ſeu 10000. Marck. Löthig Silbers, reliquorum captivorum λύτρον erat 60000. Marck. ceteri vero omnes graviter vulnerati domum repetiverunt. Hæc expeditio conſtitit Regi Daniæ 200000. Marck. *Laur. Adſen in Mſc. Holſ. Nic. Helvad.* in *ſilv. Chron. Circ. Balth.* f. 116. A. C. 1413. Suſpenſi ſunt quinque Dithmarſi ſive jure vel injuria ſive minus rite vel recte in Eyderſtadia, inter quos Hebbecken Volckleff, cujus mater modium unciarum argentearum einen Scheffel Weiſſe Pfenning, pro eo condendo in ſepulchrum ſolvere voluit; ſed refragantur Eyderſtadii. Ibi Dithmarſi in Eyderſtadiam trajicere & prædabundi, per triennium rapinis, incendiis, latrociniis & ſacrilegiis crudeliſſime omnia vaſtare & pro libidine graſſari; & quamvis 1500. Dithmarſi ad Borchſand conſerta manu trucidati ſint & reliqui in fugam verſi, viribus tamen redintegratis & copiis collectis ſubinde redeunt & in Eyderſtad. Lundenberg, Huſio & Milſtett direptionibus, ferro & flamma debachantur adeo, ut Lundenberg, et Nordſtrand, in auxilium ſint vocati, & eccleſiaſtici cum ſacramento illis obviam proceſſerunt. Quam miſere hiſce irruptionibus provincia ſit direpta, expilata & vaſtata *MSS. vulg.* loquntur. *Crantzius*; *Laur. Ad-*

Et violenta morte perit.

tributum injuſte exactum

Jo. Heſſ. Epiſc. Suaveſted

Aſb. Comes Holſ. mulctam exigit.

Woldemarus III. R. Dan.

Friſii min. pugnant contra Suaveſt.

Arx Suaveſte invaditu

Danorum violentia repul

Magnus Munc interficitur.

Dithmarſi lenter invadunt Eiderdiam ob 5. gentis ſuæ ſos.

Adſen l. c. *Matth. Bœthius* in *Catacl. Nordſtrand. MSS. vulg. Iver Jonas.* A. C. 1416. Rex Daniæ Ericus terra marique includit Gottorpium, Comes Holſatiæ Henricus arctiſſima obſidione coanguſtat Tunderam in ſpem ductus fore, ut hac ratione Rex obſidionem Gottorpienſem deberet ſolvere, ſed Rex exercitum educit, omnia obvia depopulatur & fit impetus in Comitem Henricum, qui profligatis copiis in fugam ſe conſicit & venit in Eyderſtad. Rex ſequi & aliquot Danorum ibi cæduntur. *Nic. Helvader. in ſilv. Chronol. Circ. Balth. f.* 118. A. C. 1417. Comites Holſatiæ Henricus, Adolphus & Gerhardus ſub pœna incendii mulctant Eyderſtad. tali tempore 200000. Marck. & poſtquam Rex Daniæ Ericus illos debellaſſet & ſub ſuo jugo redegiſſet, homagium de novo ab illis exigunt. *Nic. Helvader. in ſilv. Chronol. circ. Balth. f. 119. Mſc. vet.* A. C. 1442. Ab Adolpho Comite Holſatiæ Eyderſtadii Huſium citantur ad videndum declarari in pœnam 7000. Marck. quod Ebi Wennekens præfectum Eyderſtad., Everſchop, & Utholm. patris ſolo & ſede exturbaſſent & ipſius ædes diruiſſent, & quamvis ille quadriennale exilium ob illorum petulantiam paſſus, tamen in priſtinam dignitatem accepta 500. Marck. mulcta pro illata injuria reſtitutus, & præfectus glorioſus manſit ad extremum vitæ diem *Laur. Adſen; Mſc. vulg. Eyd. Corn. von der Loo.* C. *t. f.* 2. A. C. 1461. præfectus Eyderſt. Everſch. & Uthholm. Jon Jonſen. vir juſtitiæ & recti tenax, Gardingæ in vetuſto foro proditorie eſt occiſus. Authores cædis inſandæ in templo Vollerwicano auxilio interfecti amicorum & ſuccenturiati Nicolai Rahtlowen adminiſtratoris Regii Gottorp ſi illi quid deficerent, deprehenſi & ad ſupplicium tanto facinore condignum rapti. *Laur. Adſen* in MSS. *Holſ. Mſc. vet. Dn. Præf. Mſc. vnlg. Eyderſt. Corn. von der Loo.* A. C. 1500. d. 17. Februarii in expeditionem illam infelicem, quæ a Rege Daniæ Johanne & Duce Sleſw. & Holſat. Friderico in Dithmarſiam ſuſcepta erat, una cum præfecto Eyderſt. multi iverunt ex hiſce regionibus; ſed meritiſſimus *præfectus noſter Boye Tetens* & ceteri omnes deſiderantur. *Chytræus* in *Saxonia* f. 71. *Laur. Adſen Mſc. Dn. præf. Iver Jons* in *Chron. Eyderſt.* A. 1620. *Mſc. vulg. Eyderſt. Corn. von der Loo.* A. C. 1559. in bello Dithmarſico Eyderſtadienſes toto belli tempore ad Eydoram excubias agere & compita obire juſſi ſunt & dum ſemel atque iterum Buſen & Schulpe invadere ſpoliaque ampla referre ſibi præſumunt, ſtratagemate illic a ludimagiſtro Nicolao Simens, hic a 5. ancillis ex conſilio Marci N. illuſi atque fugati ſuni. *Mſc. vet. Dithm.* A. C. 1572. numerabantur in Eyderſtad. Everſchopp. & Uthholm. jugera melioris notæ 11802. 2. minoris 22483 3. minimæ 10429. 3. Summa 44714. 2. pro ſingulis jugeribus promiſſa eſt annua penſio tributi indifferenter 8. fl. quæ tamen promiſſio deinde a provincialibus in tres claſſes eſt diſtributa & in meliorem formam ſalvo jure ſuperioritatis redacta. 11178. 27. A. C. 1574. circa Feſtum Michaelis conſcripti ſunt in hiſce regionibus ad unum omnes, ausque tamen magiſtratu inferiore cujuslibet loci Chilonii fiebat luſtratio. Ibi multi exauthorati Junge Iver im Oldenswortt, quamvis receptus, tamen fugit, ſed non ſine ſuo periculo & maximo damno: reliqui in Gammam Saxoniæ adverſus Magnum Ducem Lawenburg. qui neſcio quid contra Holſatiam moliabatur, progreſſi, & cum ibi per 4. ſeptimanas commorarentur, pax eſt facta inter Adolphum Ducem Sleswic. & Holſatic. & Magnum Ducem Lawenburg. Syvert Poppens in Oldenswortt erat Capitaneus Eyderſtad; ejus ſignifer Ove Peters in Oldenſwortt. Syvert Backens in Tetenbull erat Capitaneus Everſchopp. ejus ſignifer Jacob Ulffs in Oſterhever Henrich von der Ritt erat Capitaneus Utholm.; ejus ſignifer Gonne Jacobs in Lating. A. C. 1604. ignis in ære accenſus & cæſitus dimiſſus recta in domum impuri ſcortatoris cecidit & illam combuſſit. *Inunc obſcanis iterum te pollice factis. Exemplum vide Exod.* 9. v. 23. A. C. 1613. intentabant Vollerwick & Weltt actionem Garding & Catharin Harda de vallo extimo inter ſe proportione Geometrica dividendo, & tanto animorum fervore ferram contentionis trahebant, ut hinc fatalis illa Platonica communio triennalis in reficiendis aggeribus naſceretur. Aggeres leviter tantum erant a fluctibus tacti, & tamen reparatio ſtetit eorumdem 95000. Marck. Lub. Niſi illa ſublata fuiſſet, toti regioni graviſſima damna intuliſſet. *Iver Jons in Chron. deſcr. Eyderſt.* A. C. 1621. horrenda & inaudita depravatio monetarum, quæ tanquam tempeſtas quædam in diverſis locis imperii Romani omnia proſternit, ad nos quoque in Eyderſtadiam promanavit. Cauſæ inſtrumentales & miniſteriales erant Judæi Dominus a Kippenhauſen & Wippersheim, & monetarii. Iſtæ hirudines, ſpongiæ & harpicæ pecuniariæ cum Hippia Athenienſi nummum fecerunt ἀδόκιμον & puritatem pondus & valvationem, quas partes eſſentiales moneta requirit, in ſuo arbitrio & poteſtate habebant. Ex hac nummorum adulteratione univerſis & ſingulis detrimentum quotidie magis magisque natum, adeo ut in his regionibus unius anni ſpatio 21. boni viri in Lating bonis cedere coacti ſunt; & niſi huic incendio, priusquam longinque ſerperet, per libram & alia media obviam itum, tota Europa conflagraſſet *Bodinus* l. 6. *de Republ.* c. 3. *Leo nov.* 52. *Ariſtotel.* l. 2. *Oeconom.* A. C. 1627. deduxit *Thomaſo Cerboni de quo infra L. III. c.* 2. *Italus*, Germanicam linguam non intelligens, legionem ſuam Cæſarianam, quæ decem cohortibus, & ſingulæ cohortes 300. peditibus conſtabant Ger-

Th. Cerboni præf. mit. Cæſar. hiberna.

manis, in hiberna Eyderſt. Everſchopp. & Uthholm. inter hos Fridericus von Maſchowitz Nob. Sax. Subchiliarchus, quem & præter militaris ſcientiæ gloriam formæ pulchritudo commendabat; Johan de Briſigella Brabantinus, vigiliarum magiſter, homo acutiſſimi judicii, Latini, Hiſpan, Gall. & Ital. ſermonis peritus; Aeneas von Saracini Italus Capitan. moribus Italicis imbutus; N. N. Conte de Nagarolla Italus Capit. qui mortuus in caſtris Gluckſtadianis & Wilſtriæ ſepultus; in cujus locum ſucceſſit N. Boree Italus Capit.; Pandulphus von Peſing Lothar. Capit. & diverſoriorum deſignator, at qui vir! Johan Burchold Germ. Cap. quem Weſterhevera in Utholm tenet.

Talos a vortice pulcher adimos. N. Cerboni, Italus Cap. cognatus Thomæ Cerboni & alii. Thomas Trubergk Moravus vicarius, vir proceritate corporis & forma digna tali imperio. Chriſtoph. Fickentee Hala Saxo vicarius, cum ceteris. N. N. Comes de Broglia Italus ſignifer, qui domum & menſam meam præſentia ſua, quamdiu hic fuit, propter commercium linguæ cohoneſtavit; N. Bernſtein Saxo, ſignifer; Henr. Galetti Italus. ſignifer; & reliqui Officiarii ſuperiores & inferiores, digniores & minus digni. Diſceſſit ex hiſce regionibus mala cum gratia d. 10. Jul. A. C. 1629. Et ſtetit nobis illud ſacrum hoſpitalis teſſeræ 384000. Rthl. exceptis caſibus fortuitis quibus cunque; horum enim nulla ratio iniri poteſt.

Invaſio Svecorum. A. C. 1643. d. 28. Dec. irruptio Suecica in has terras, ſub Leonhardo Torſtenſon, occidentali Gothia Sueco, hæreditario in Redſta, Forſtena & Raſigk, Imperatore Regiæ Suecicæ militiæ, Conſiliario confoederatorum, Generali Campi Marſchallo in Germania & Generali Gubernatore Pomeraniæ adminiculantibus illis vere mercurialibus Numinibus Suecicis Arfſet Wittenberg Finno, Forſten Stallhans Sueco, N. Mortaigni Gallo, & Chiliarchis Helm Wrangel Lubec, Erico Hanſen Sueco, N. Würtzburg, N. Hamerſtein, N. Boedker Germanis, &c. Quam acerbitatem a republ. noſtris & privatis commodis Princeps noſter Clement. Fridericus Dux Sleswic. & Holſat. redemit, & huic ſubito exitio ejusmodi remedium invenit.

Danorum expeditio. A. C. 1644. d. 10. Julii tranſivit fluvium Eydoram Fridericus Rex Daniæ, tum temporis Archiepiſcopus Bremenſis, & ſupremus Dux belli, a patre Chriſtiano IV. Rege Daniæ in his locis deſignatus, ratibus & lintribus junctis flumini ejusmodi pontem impoſuit, ut Dithmarſia & Eyderſtadia contineretur.

præfecti ejus militæ. Qui omnia juſſu & nomine Ducis militiæ Danicæ primum peragebant, erant Kay von Alefeld, Nob. Holſ. Generalis Commiſſarius, nunc præfectus Hattersleb. Fridericus von Bawür Nob. Juliacenſis, Generalis Major. Nicolaus von Alefeld Nob. Holſ. Hæreditarius in kl. Nordſee, Generalis major, Henricus von Buchwald Nob. Holſ. Chiliarchus, cujus exercitus nihil fere præter rapinas & direptiones egit; ad Heidam Dithmarſorum captus & fugati ipſius commilitones. In regimine equeſtris ſupremi Ducis militiæ erant Daniel Schleyer Vicarius Ducis; Otto von der Becke Oldelandicus, præfectus equitum; N. Spangenberg, & allii. In regimine equeſtri Bawüriano erant. N. Seeſtett, Major, N. Bruhn, Tribun. equ. N. Stoltenberg. Trib. equ Henrich Seenſtet, T. e. Oſeas Breido Rantzow, T. e. N. Klaw, Hannover. T. e. &c. In equeſtri regimine Alefeldiano erant Bartram Rantzow, Major, Detleff von Alefeld Hæredit. in Haſeldorff & Haſelow, præf. eq. Otto von Alefeld, pr. eq. Zacharias Regel Huſiens, pr. eq. In Legione pedeſtri Alefeldiana erant N. Kardorff Megab. Vicarius Ducis N. Duncker, Mgr. vigiliarum Eler von Hönen Cap. N. Oldeland, Cap. Hans Georg. Cap. N. Aleman, Cap. N. Molſtorff, Cap. & Diverſoriorum Deſignator; N. Lillie, Cap. Harder Harpes Rensb. Cap. N. Niendorff, Cap. N. Holling, Cap. Jac. Pauli, Mandichſen dictus Huſiens. Cap. Timotheus Holſtein Cap. N. Lüneburg Cap. In Legione Bockwoldiana erant Reineke Becker, Vicarius; Jürgen Walther Sleſw. Major; Hinrich von Alefeld, Centurio, Hans Wittemacke Cent. Hans Schultze, Cent. Johann Otto Bremer, Cent. Benedictus Rathlow, Cent. Cort. Klincke, Cent. Claus Rund, in cujus locum ſucceſſit. N. Schwabe Cent. Hæc Suecico-Danica & Danico-Suecica inquadratio ſtetit regionibus Eyderſtadiæ, Everſchoppio & Utholmico pretio ad d. 28. Dec. A. 1643. usque ad d. 30. Sept. A. 1645. 239400. thaler. imperialium, nulla habita ratione caſuum fortuitorum, qui bellum ſequi præireque ſolent.

Cap. III.

De Singularibus in Eyderſtad. Everſchopp & Uthholm.

Aſyla ſunt colles & tumuli ſecus vias publicas poſiti; cujusmodi in Britannia quam plurimi reperiuntur. Horum unum eſt in Eyderſtadia, alterum in Everſchopp, tertium in Uthholm, quod eſt adhuc in patrimonio univerſitatis, ad demonſtrandum, quod olim hæ regiones fuerint diſtinctæ. Sed unde hoc inſtitutum? A Romulo, non a Moyſe, majores noſtri hoc mutuati ſunt quoniam in omni genere delictorum fontibus profugio erant.

Quilibet huc, inquit, confuge tutus eris. Quæ res haud dubie in cauſa eſt, curtam multi a maleficiis non abſtinuerint manus *Moyſes Numer.* 35. v. 11. *Servius* in 8. *Æn. Virgil. Strabo l.* 16. *Plutarchus in V. T. Dion.* l. 2. *Ovid* 3. *Faſt. Virgil.* l. 8. *Æn. Polyd. Virgil.* de *inventor rer.* l. 3. c. 12. *Joh. Ad. Cypræus* in *Annal. Epiſc. Sleſvic.* f. 16.

diluvies A. C. 1300. d. 16. Jan. ab ingenti diluvie omnis illa paluſtris ſuperficies, quæ Witzwordæ conſpicitur, ex ſtagno Holmico in Nordſtrandia huc delata.

Fretum et ſum Tont A. C. 1612. confectum eſt illud fretum Tonningenſe mediterraneum conſilio & manuductione Joh. Clauſen Rollwagen, per operam extraneorum operariorum & ſtetit 14000. Marck. Lub. A. C. 1612. effoſſum eſt manibus exterorum mercena-

nariorum, quibus conductis universum negotium commissum, totumque opus ita faciundum locatum, ut nihil aliud collatum, quam pecunia, & carrucis trusatilibus in loca proxima terra egesta, Architecto Johann Clausen Rollwagen. Præter structuram ligneam, quæ aquam emittit, constitit illud 12737. Marc. Lub. A. C. 1642. Catharina uxor P. S. & Catharina, uxor N. N. quæ ad huc vivunt, in vicinia mea habebant hoc anno agnam domesticam, quæ ita assuefacta erat, ut injussa simul cum aliis ovibus veniret ad mulctra; istæ Catharinulæ cum hac agna per intervalla agendo faciunt & faciundo agunt, quasi lac vellent exprimere; per creaerrimam istam actionem lac provocatur & agna illa tandem fit ovis lactaria bona intra mensem.

agna lacta- a mira

Liber III.

De præcipuis rebus gestis FRISIORUM SEPTENTRIONALIUM.

Caput I.

De Ecclesiasticis in Nordstrandia.

Idola Frisica vide supra it. de sanctis vir.

S. Koniochus,

Anno Christi 30. Apostolus Phresiorum secundus per Dagobertum in Frisicum regnum ablegatus, sed a Radbodo, mortuo patre Adgillo fugatus. Aut ille docuit in Nordstrandia aut fama hujus viri ad incolas permanavit, siquidem celebris olim illa parecia Kœnigsbulle, ab ipso forte suam denominationem habet. *Iob. Beca* Canon. Ultraject. *Chron. Episc. Ultrajectin. Wilhelm. Heda* præp. Arnh. in *Chronic. de episc. Ultraject. Suffr. Petri de ant. & Orig. Fris. f. 16. 29. & 293. Matth. Boethius in Catacliſmo Nord. strand. f. 103.*

Poppo.

A. C. 980. Episcopus Arhusiensis Slesvic. & Phrisiorum septentrionalium & omnium circumiacentium populorum Apostolus ab Hevera Frisius, vir sanctus & sapiens, sacellanus quondam Pontificis Romani, ferrum candens sine læsione portavit; ob quod conversi sunt Dani. Prædicavit evangelium de Christo prope Sleswicum & adiacentes regiones. Fato suo functus & sepultus Bremæ A. C. 1029. *Saxo Grammat. f. 101. l. 10. Adam. Brem. f. 109. l. 2. c. 26. Albert. Stadens. f. 109. Witechind. l. 3. f. 47. Anton. Abbas Stad. Albert. Crantz. f. 153. l. 4. c. 24. Mart. Hamcon de vir. ill. Fris.* qui illum Nordstrandiensem forte putat. *Petersen in Chron. Iob. Ad. Cypræus in Annal. Episc. Slesv. f. 50. 79. 80. & seqq. Broderus Boysen in descr. Cimbriæ. Nic. Helvader in silv. Chronol. Circ. Balth.* qui illum ex Frisia septentrionali oriundum aperte dicit f. 79, Adscribo hujus viri judicium meam ipsius quoque sententiam. *Rudimentum Novitiorum, Sigebertus Gemblac. Anonym. in m. C. B. & de S. Meinwerco, Matthæus Westmonaster. in Floribus Histor. Aelnothus in Vita S. Canuti* C. 1. De Alberto sive Alberto A. C. 1096. De S. Canuto A. C. 1128. De A. C. 1305. De Divo Friderico, Rege Daniæ, A. C. 1524. 1526 & 1527. vide supra in Eyderst.

Caput II.

De Profanis.

Conf. supra in Helgol. & Eyderstadio.

Anno Christi 1400. & 1401. bello castigandos esse Nordstrandios Comes Holsatiæ Albertus statuit: quæ vera hujus tumultus causa, me latet. Nordstrandii occupatis viarum compendiis fossam prælongam in Osten Hammes groff ducunt, quam cum Comes Albertus cum suis pertransire tentat, forti manu repellitur. Ibi acriter dimicatum est, ad Nordstrandiensium partem tandem fortuna inclinante. Plurimi viri fortissimi in hoc prælio occidione occisi. Cecidit Ove de Siggen, vir bellicosus & strenuus. Perierunt in Eyderstadia ex una familia 16. consobrini. Victoria quidem penes Nordstrandios, sed cruenta. Comes Albertus hanc illatam injuriam tota vita non oblivisci potuit. Nulla ætas compensabit hoc damnum; per fossam enim illam, quæ jam excrevit in fretum, abrupta est Nordstrandia a continenti. Atque hic est primus Nordstrandiorum tumultus. *Msc. vet. Dni. Præfecti, Msc. Vulg. Traditio Majorum Antiq. Cod.* De A. 1410. & 1413. vide *supra in Eyderstad*; de secularibis A. 1426. vide *infra in Foebr. Hard. de reb. gest.* A. C. 1452. Postquam Cort Wiederich Dithmarsus turrim Pelwormicam occupasset & per annum piraticam fecisset, discedit tandem cum sua incondita colluvie, onustus 8000. Marck. deauratis calicibus 7. deauratis mensis 8. & æneo baptisterio, quod ad huc extat Büsen Dithmarsorum cum hac inscriptione: Pelworm. Nullum igitur est dubium, quin sit verum. A. C. 1463. conjectus est in carcerem Gottorpii Præfectus Nordstrandicus Laurens Levens, cujus fides erat suspecta; & ut melius res ex voto procederet, magnus ille Ottho Splitt & Henricus Breide, convocatis & coadunatis 60. ministris & aliquot civibus Husiensibus ad domum Levinianam occupandam magnis itineribus contendunt: sed amici Laurens Levens per anticipationem temporis eos, qui se capiendi causa advenerani, capiunt, propriis vinculis ligant & nonnullos interficiunt. Otto Splitt custodiæ demandatus nec ante manumis-

Nordstrand. prælio cum. Alb. Com. Hols. superiores.

piraticam exercet Cord. Widerich Dan.

L. Levens præf. Nordstr. incarceratio & liberatio.

numiſſus, quam juſtam iram expiaret, hoc eſt, quam Laurens Levens Præfectus Nordſtrand. reſtitueretur, quamvis ille deinde ab officio remotus. Extat hoc in *Mſc. vetuſt. Dn. Præf. & Laur. Adſen. l. c.* A. C. 1465. extirpavit Ingver N. Præfectus maritimorum locorum, vir præcipuæ dignitatis & eminentiæ, Wagensmannianos, qui cum aliis in Weſterhever, Pelworm, & Fœhr, per Boli-pontem, inter Weſterhever & Pelworm, & per actum & viam inter Nordſtrand & Fœhr conglutinati, in Weſterhever, caſtellum, dictum Wagensburgk, eo loci, ubi nunc Paſtoris domus eſt, exædificaverant, in quo 60. viri, cum Eyderſtad. tum Nordſtrand. rapinis & virginum raptu vivebant; tandem a virgine ſunt proditi & omnes occiſi; Nordſttandiorum mulieres absque omni ſympathia in mare præcipitabantur. *Mſc. Vetuſt. Dn. Præfecti.* A. C. 1473. ad inſtantiam multorum optimatium Nordſtrand. nec non Crempa & Wilſtria Marſicorum & nonnullorum Eyderſtad. Comes Oldenburgicus Gerhardus navibus Huſium eſt advectus, & ſecum adduxit 80. miniſtros, ligna, trabes, & tabulas quercinas ut illico fortalitium ibi excitare & hoc modo totum comitatum ſibi vendicare poſſet. Opera Nordſtrandiorum, Huſanorum, Lundenbergenſ. Stapelholm & iſtorum Eyderſt. qui renunciato Danorum Regi juramento ſe novo clientelari jurejurando ipſi, obſtrinxerant, obſidione cingit arcem Suaveſted, prudentioribus Eyderſtadienſibus auxilium denegantibus. Rex Daniæ vero, poſtquam a Laurens Levens de ſtatu regionis certior factus, poſt 3. hebdomades advolat. Comes Gerhardus fuga ſibi ſalutem quærit & fere Huſii captus. Tum ſtatim Rex factioſos quæri & in carcerem detrudi juſſit; Præfectus Nordſtrandicus Eckleff Cuntſen, vir magni nominis menſæ alligatus, in IV. partes diſſectus & IV. rotis impoſitus. Ipſius gener decollatus & quam plurimi Nordſtrand. quorum nomina nunc ſunt obliterata, capitis ſupplicio & diminutione ſunt affecti. Huſienſes, amiſſis omnibus privilegiis & juribus, amiſſis omnibus domeſticis ornamentis & ſuppellectili, amiſſis & quibusdam domibus, quæ aliis donatæ, ſolvere coacti 30000 Marc, & annuatim 200 Marc, quæ vulgo vocatur Erdheur; & niſi facta eſſet interceſſio per vicarium Regium Gottorpienſem Petrum ab Alefeld & præfectum Eyderſtad. Tete Fedders, Rex ex conſilio Hamburgenſium urbem in IV. locis incendere & cives fugare voluit, in ſuper habito & neglecto, quod Clerici cum ſacramento ipſi obviam iverunt. Lundenberg. & Eyderſtad. factionum opifices & perduellionis rei judicio peracti, quidam proſcripti, quidam decantata palinodia, accepto redemptionis lytro recepti, quidam in exilium pulſi, quidam multis precibus & ſumptibus gratiam adepti: ſic omnes dignam ſuæ temeritatis pœnam luerunt. Omnes alii innocentia ſua teſtimoniis probata albo calculo abſoluti, & quibusdam beneficia delata. Laurens Levens accepit omnium condemnatorum bona fere 6000. jugera in Nordſtrand. cum tantis privilegiis & immunitatibus, ut de principatu jurisdictionis majoris & minoris cum nobilibus primæ claſſis in ducatibus Slesvic. & Holſat. certare poſſet; nec indonatus abivit Syvert Evertſen in Eyderſtad. & alii. Et hic eſt ſecundus tumultus Nordſtrandienſium *Laur. Adſen. Mſc. Jon. Ovens in Chron. Holſ. Slesvic.* De A. 1495. vide ſupra in Eyderſt. de Secularibus. A. C. 1531. ad obſtruendum in Chorio Titiano Lundenberg. Hardæ æſtuarium Mohranum uſi ſunt primum palis prælongis fiſtuca in fundum adactis & longuriis inter ſe firmatis. Inventa eſt etiam eodem tempore ab homine pauperculo Huſienſi, cujus nomen obſcuratum, faſcis ſive congeries illa ſarmentoſa, quæ tum portatilis erat, & voragini explendæ ſupradicti æſtuarii non infelici ſucceſſu injiciebatur. Nunc illa machina in trabem prælongam multis virgultis, tignis, aggereque circumveſtitam, funiculis ſtramineis circumdatam arctiusque conſtrictam excrevit, ut 50. vel 60. viri robuſti totis riribus ad usque valli extremum provolvere & exinde in ipſam voraginem poſſint deturbare. Utrumque inventum meherele centum boum mactatione dignum, *utcumque ferent ea fata minores. conf. Iver Cnutſen.* A. C. 1563. Erat in hac inſula homo quidam inſigniter improbus, cujus nomen, vix me contineo, quin referam, notabo initialibus literis, M. L. ne noxa maculam inurat honeſtati poſterorum; Ille inquam homo, poſtquam ſuper cetera flagitia & crimina etiam ludificatus eſſet miſeram ancillam illamque ſtupraſſet, lapide per magno colloipſius appenſo & tunica ſupra caput colligata hanc in mare immergit, & putat hoc modo delictum non patefieri. Lapis vero, quamvis ponderoſior & gravior, homine mortua tamen illam contra omnium opinionem ducit in littus Fahretoſtanum. A. C. 1569. d. 2. Maji Cimbricæ cherſoneſi Ducum Conſiliarii & Commiſſarii Bartram von Alefeld, Chriſtophorus Rantzow, Benedictus von Alefeld, Paulus & Mauritius Rantzow & 12. peregrini & minime ſuſpecti homines Marſici ad deliberandum, quomodo trajectus iſte commode poſſet obſtrui & Nordſtrandia iterum committi continenti, in loco tranſitionis Morſumii convenerunt. Re diu multumque deliberata in diverſa ſtudia ſcinduntur: hic affirmat, rem poſſe fieri, ille negat; hic ait, ille it in alia omnia; & ut habet verbum illud vetus, quod capita, tot ſententiæ & tot judicia produnt, & nihil certi concluſum, ſed omnia ad cognitionem delata ſuperiorum, a quibus juris definitionem vellent exſpectare. De ſingulis tamen jugeribus in Nordſtrandia collectus eſt ſolidus; ſed materia plurima congeſta, omnia opere nunquam incepto ſunt omiſſa, inquit *Boeth.* in *Catacl. Nordſtr.* f. 70. *Joh. Peterſen Deſcr. Nordſtr.* A. C. 1555. & 1577. tractus ille

Wagensmanni raptores ſceleſti exſtirpantur.

Gerhardus Com. Old. comitatui Holſ. inhians fugatus a R. Dan. adjutores puniuntur.

Æſtuarium Mohran. o ſtruitur op novi inve

Conſilia Nordſtr continen committe

Facinus p tum.

S. Koniochus.

N. 1.



Poppo.

N. 2.



Cort Wiederich Dithm.

N. 3.



Laurens Levens Præfectus Nordstrandicus.

N. 4.













ille uliginosus inter Pelworm & Marsch occupandus esset, sed damnata jugera Rongholtina nullam permisere vindicationem rei; peccata majorum nondum sunt expiata. A. C. 1583. continebat insula Nordstrandia 36024. jugera. Inter hæc erant jugera Masica melioris notæ sive jugera vliginosa & lutosa 14235. Hallingalandica sive littora graminea extra vallum maritimum 2436. jugera. Vallum extimum continebat 19222. perticas *Lour. Adsen in Msc. Holst.* A. C. 1586. impositum est Nordstrandiensibus a Duce Slesw. & Holsat. Adolpho. b. m. tributum, quod annuatim colligitur ex jugeribus vulgo Land-Geld & vix singulis annis æquavit centenos florens *Laur. Adsen in Msc. H. Matth. Boëthius in catacl. Nordstrand. f. 64.* A. C. 1627. d. 18. Octobr. dira mens *Thomaso Cerboni* Cæsarianorum militum Ducis, 88. Hernos *securiculis* contra datam fidem & sinceratione undique oblatas in ripa Oceani Lundenbergici immaniter trucidavit, triduo post hanc mactationem hi, quos mare non abstulerat, non procul a loco fatali sub vallo Lundenberg ex mandato Sereniss. contumulati sunt. A. C. 1627. Mens. Dec. ortus est tumultus in Nordstrandia propter destinatam hospitationem duarum compagniarum Cæsarianarum, & hoc quibus capitibus? quibus autoribus. Backe Andersen in Bupschluett, ille fax omnium, ille hujus tumultus architectus & totius tragædiæ choragus, qui deinde in carcere mortuus carrucæ impositus & in cæmiterium D. Michael. prope Sleswic. deductus; Broder. Backsen filius Backe Andersens; Occo Harsen in Pelworm, gener Backe Andersens; Leve Cnutsen in Pelworm, homicida; Bole Arfastsen in Odenbull, homicidia; Hans Ocksen in Odenbull, minister publicus; Harre Fedderssen in Pelworm & Volquart Fedderssen in Buphever fratres; Junge Leve in Bupschluett, heus bone vir, rem curasti probe! Rode Hans Harsen in Bupsee; Tade Fedderssen in Bupschluett; Schiffer Hans in Westerwold; Teves Jacobsen bey Tammen Siell in Pelworm. Hans Ketelsen in Langness; Hans Leveseu in Pelworm; Nommen Adsen in Heeresbull; Broder Petersen abiit; Edleff Cnutsen excessit. Hi turbarum artifices consilia inierunt de sanciendo fœdere inter se contra omnem vim externam: modos faciente domino. Johan Nummensen, Sacellano in Bupsee, & spe se defendendi contra Cæsarem Ferdinandum, qui navibus careret, suffarcinati, mandata, Legatum Petrum Nann seniorem Dithmarss. occupationem castri Lythani, adeoque ipsius Principis nostri Clement. præsentiam floccifecere: ita occalluerant eorum animi, ut hos ictus non admitterent; quin potius congregati in Kœnigsbull, tympana pulsantur, campanæ audiuntur, importuni clamores cientur, ut Cæsariani e castro Lythano, quos putabant adesse, expellantur.

Si genus humanum & mortalia temnitis arma.
At sperate Deum;
de Westphal. Monum inedit. Rer. Germ.

Cujus justo judicio factum est, ut factionis duces dispergerentur & turbæ hæ consilescerent; authores deinde capti & in carcere Gottorp. per 36. septimanas detenti, & demum facta inter Imperatorem Rom. & Regem Daniæ pace, juramento de non vindicando carcere præstito, cum expensas ipsimet sustinuissent; perdonati. Atque hic est tertius & postremus tumultus Nordstrandiorum, qui totam anteactæ vitæ fabulam deturpavit macula illutibili: *Hevera dum rapidas in mare voluet aquas.*

Inundato Nordstr. calamitosa.

A. C. 1634. intra 11. & 12. Octobr. suborta fœdissima tempestate, ita ventus in excidium Nordstrandiæ conspiravit, ut operosa illa insula ab hora 6. ad 11. funditus ab aqua everteretur; summæ mutationis breve tempus. Perierunt enim 6123. homines noti cujuscunque ordinis & ætatis, inter hos 9. sacerdotes & 12. præceptores, 1339. culmina, tuguria & tuguriola, 28. molæ, quæ ventorum flatibus agitantur, 6. turres, in quibus campanæ asservantur, 5000. bruta animalia, varii generis; fruges & res domesticæ non cadunt in æstimationem. *Corn. von der Loo.* A. C. 1635. ex veteribus colonis erant in Nordstrandia ad huc residui 375. & mercenarii 18. A. C. 1636. abiturivit ex Batavia Cornelius Jansen Allers & opportuno tempore, quod rerum omnium est primum, venit Pelwormium, ubi stabile stabulum elegit, & saluti & commodis Pelwormiatum ita consuluit, ut non solum officio boni viri functus fuerit, sed & omnes optimi patris partes abunde expleverit. Hujus viri consilio, re & opera Pelwormium rædificatum & de potestate oceani vindicatum A. C. 1654. d. 12. Aprilis Nordstrandia rediviva, sub auspicio Josephi de Schmidt, Alowin von der Wurt, Abraham von der Wercken, & Teichgravii. Quirini in der Velde, Brabantinorum. Deus juvet vota & conatus eorum ad recuperandam insulam.

Pelwormium restitutum.

cunatus ad restituendam Nordstrand.

Caput. III.

De singularibus in Nordstrandia.

Chorii Amsingani situs.

Prope chorium Amsingianum insignis est repugnantia accessus & recessus maris; succedit enim vice perpetua hic fluxus ibi refluxui, & ibi refluxus hic fluxui, argumento non obscuro, quod terra hic olim cohæserit continenti, & quam vis jam mare in unum coaluit, & totum hunc tractum circumfluit antiquum tamen & naturalem in ipsa creatione a Deo ipsi inditum cursum non mutat; cujus rei ipsemet testis sum, qui anno ab hinc 20. hujus maris iras expertus fuerim. Haud scio, an in oceano, qui totam hanc mundi machinam ambit, ejusmodi exemplum reperiatur. Est etiam ibi ericetum quoddam palustre, fungosum solum & terra viscosa ex qua glebæ effodiuntur, quæ ad solem desiccatæ usum lignorum ad ignis fomentum incolis suppeditant; & ita editum est, ut nunquam in totum oceano fuerit obnoxium. In

Ibi Turffæ effodiuntur.

ſummitate habet 7. flumina, quorum al quot puriſſima aqua abundant & varia genera prægrandium piſcium producunt. Haud falſum eſt, ſi dixeris, ejusmodi loca in generali diluvio fuiſſe excavata: effectum igitur & vim diluvii iſta loca nobis declarant. Indigenæ vocant hæc loca Dæbel: unde vero terrea illa moles ſit deportata, juxta cum ignariſſimis ſcio. *Corn. a Cempis* illam ex Norwegia, *Matth. Boëthius* illam ex Islandia, tempore diluvii adductam: ſive poſtea ex congeſtis arborum truncis, virgultorumque ramentis, ulva & alga generatam credit. Non abibit inobſervandum, quod omnes inſulæ perparvæ, quæ circumjacent Nordſtrandiæ, & ſunt quamplurimæ, ſingulis momentis creſcant & decreſcant, ita ut hic etiam cernere liceat, quod non ſolum urbium & ædificiorum, ſed & regionum & provinciarum & omnium rerum ſit viciſſitudo. Inſulæ, vero perparvæ & Ogijæ quæ ſoli Nordſtrandiæ adiacent, ſunt plurimæ; circiter 26. A. C. 1600. ancilla quædam fere 40. annorum, qnæ tum temporis degebat apud matrem H. P. in Oldenbull non ad lactandum, ſed ad conciliandum ſomnum præbet puerulo ubera, hic rem ſtrenue agendo, illa patienter ferendo poſt menſem lac elicit, & veluti puella fit lactaria.

dulci replet r, peperit cum fœmina lacte;
ſic illa ancilla.
dulci repletur peperit nec fœmina lacte.

Lib. IV.

Caput I.

De Sacratis in Fohr, Harda, ſcil. de idolis, item de Apoſtolis Friſicis, ut & Haraldo & D. Friderico Regibus Daniæ.

Caput II.

De rebus geſtis vid. ſup. in rebus Helgol. Nordſtrand Eiderſtad. &c.

Conſilia belli adv. Regem Dan.

Anno Chriſti 1426. die unæ poſt Viti eſt celebratus Fohræ in templo S. Nicolai conventus ſolennis Friſicarum Hardarum, cui interfuerunt Pelwormiates, Föhrenſes, Wiricani, Beltringici, Boceniani, Widiani, & nulli boni viri ex Hardis Edomæa, & Lundenberg. Ad fuit etiam Magnus Heinſen Widianus, cujus familia etiamnum floret, nomine Henrici Comitis Holſatiæ, & inſtituta eſt deliberatio de bello contra Regem Daniæ continuando, & enucleatio aliquot obſcuriorum in jure municipali non ſatis dilucide expreſſorum articulorum, & conſultatio de nonnullis novis arbitriis & plebiſcitis addendis.

Prælium navale inter Dan. & Suec.

Joh. Peterſen in *Deſcr. Nordſtr.* A. C. 1644. d. 16. Maij. in bello Sueccio e fluvio Liſtano claſſis illa ingens in altum egreſſa & cruentum prælium narale inter Archigubernium Regium Danicum & Suecicos Thalaſſiarchos Louis de Cynerre, & Marten Thiaſſen commiſſum eſt, in quo naves utrinque vehementer lacerabantur & numero militum & nautarum 800 truncidati & in Jordſand ſepulti ſunt.

Caput III.

De Singularibus.

Urnæ ſepulcral.

In his colliculis & tumulis, qui extant prope viam, urnæ fictiles effodiuntur, in quibus cineres & oſſa virorum de republ. præclare meritorum reconduntur, ad exemplum Thracum, Romanorum, Gallorum, Germanorum, inprimis vero Græcorum & Athenienſium. *Polydorus Virgil.* de *inventor. rer.* l. 3. c. 10. *Joh. Kirchmannus*, de *funer. Roman.* l. 1. c. 11. 2. c. 25. lib. 3. c. 8. ex *Thucyd. Lucret. Silio Ital.* & *Luciano.* Non memini me legere, quod apud Danos, Suecos, Norvegios, Gothos Cimbros, Henetos, Vandalos, Slavos, Winithos, Winnos, Cambrivios, Circipanos, Ruthenos, Britannos, Scotos & Hybernos crematio fuerit in uſu. Quæ apud *Chriſt. Cilic.* l. 1. *bell. Dithm.*, apud *Olaum Worm.* in *Monum Dan.* lib. 1. c. 7. apud *Joh. Ad. Cypræum* in *Annal. Epiſc. Sleſvic.* f. 16. & 18. l. 1. c. 2. de urnis & ollis, cineribus & oſſium combuſtorum particulis refertis traduntur, hæc de noſtratibus ſunt intelligenda. 300. totis annis ante Chriſtum a Jutho ne Principe Friſiæ minoris & Imperatore maris & Duce Saxonum occupata eſt Juthlandia non tota, ſed illa dotalis Juthia, ſcil. Ducatus Slesvic, tanqnam, dos & hæreditas ſua, & per tot annos ab ipſo & nepotibus ad Frothonis Regis Daniæ tempora usque forti manu defenſa. Omnibus expeditionibus interfuerunt Friſii noſtri, quorum oſſa & cineres propter egregie in prælio commiſſa facinora ſic aſſervantur. Sed quid de Gelderi Saxoniæ Regis rogo, de quo apud *Sax. Grammat. lib. 3.* cenſendum? Rſ. Quis vitio vertet Hothero Regi Daniæ & Sueciæ, quod hoſtilem animum poſt mortem Gelderi depoſuerit, & hoſpitalem in cadavere ejus ſecundum ritum in patria obſervatum tumulando pietatem exercuerit. Quid de Haraldi Regis Daniæ rogo, cujus mentionem facit *Saxo Gramm. libr. 8?* Rſ. In ipſius exercitu erant perpauci Dani, complures Saxones, multi Guthones & Friſii; Ringo Rex Sueciæ exſtruxit rogum, proceres Saxonum, Guthorum & Friſiorum cunctos hortari coepit, ut Haraldus regio more funeraretur; ſed Danus edicto ad hoc faciundum coëgit. Quid vero de crematione Principum Sueonum & Gothorum apud *Olaum Magn.* l. 16 c. 37. quid de Othino combuſto, in *Hiſt. Norvag.* de quo *Ol. Wormius Monum. Dan.* l. 1. c. 7. f. 46. Quid de argumentatione *Wormii* a Gallis ad Germ. a Germ. ad Danos l. 1. c. 7. f. 45. *Mon. Dan?* Aſſerat iſte, referat ille colligat hic,

Gelderi re

it. Harale

crematio v

hic, quam diu velit; istius assertioni, illius relationi, hujus explicationi propter nimiam diversitatem Asiaticorum & Europæorum populorum non stabo, nisi certiora argumenta producantur; desidero alia exempla, & si illa afferantur, erit mihi magnus Olaus, major historia Norwagica, maximus optimus Wormius. Nonne ergo hæc gens Fohrana est omnium Frisicarum antiquissima, & mea olim scripta deductio coloniarum vera?

Fœhra, fumen & penuaria cella vicinorum locorum, asellis tam arefactis, quam muria conditis, rais, passeribus, præcipue vero Ostreis, quæ ad Amrum capiuntur, non sine insigne negotiantium, promercalia sua ex hoc loco more consueto adducentium, commodo & utilitate incolarum non contemnenda. Ostrearum captura

Liber V.

Caput I.

De Sudergosicis.

Sudergosici.

In Sudergosica Harda habitant homines colonici, qui propter Eydoræ & Heveræ sævitiam ista loca tanquam editioria appetiverunt. De iis igitur quoad primitiva tempora in sacris & profanis nihil attinet dicere: interim vid. sup. in *Eyderst.* A. C. 1547. per incuriam 2. vel 3. puerorum adultorum, qui sclopetum artificiose ex epistomio factum in corvum stabulo stramine intecto Dni. Johann. Hamers insidentem sub concione infeliciter moverunt, stabulum conflagrat, & cum hoc 400 splendida ædificia. Meineco Graveleji, dum proximus arderet Ucalegon, prosilit in publicum cum hac exclamatione, in manibus ulna & libra sumptis. Domine Deus, siquid usquam justitiæ est & mens sibi conscia recti, da nomini tuo gloriam, & parce mihi. Implorato hoc modo numine divino & suspiriis aliquot emissis, ignis transvolat ipsius ædes & stant illæsæ; ceteræ vero omnes ab utroque latere comburuntur. *Laur. Adsen* in *MSS. Holsat. Jon. Ovens* in *Chron. MSS. Vulg.* A. C. 1571. Monasterium Husiense A. C. 1400. exstructum, quod Monachis hospitium præbebat A. C. 1571. ab Adolpho b. m. Duce Sleswic. & Holsat. destruitur, in cujus demoliti loco arx ædificata posito in alio loco oppidi cænobio, quod in nosocomium conversum. *Matth. Boëthius* in *Catacl. Nordstr.* & quem primo loco merito nominare debuissem *Laur. Adsen* c. l. A. C. 1572. dum Boye Peters Nordstanden sis & conductor villde Damianæ præfectum Sudergosicæ Hardæ Matthiam Paisen, quod ille domos ILLmi Slesw. & Holsat. Ducis elapidasset & exinde ædificia exstruxisset, & nonnihil Dynastam Gottorpiens. Mauritium Ranzow. quod id ipsum illi concederet, insimularet, alligat se furti, damnatur & suspenditur.

conflagratio 400. ædific.

monasterium Husi. translocatur atque ædificatur.

Boye Peters. suspenditur.

Caput II.

De Nordergosicis

Norder Gos Harda est populus, sive communitas minor Frisiaca ex mari alluente seu metropoli ut matre deducta. De ea jam nihil habeo, quod in religiosis & saecularibus dicam. De A. C. 1253. A. C. 1408. vide supra in Eyderstad. &c. A. C. 1581. prope Brettstadium in pago Drelstorp duo ferocibus & phaleratis equis vecti & albis vestibus ex aere dimissi; unus ex illis dixit rustico, qui ibi in templo obambularet, orate, ut Deus futuras calamitates a vestris cervicibus avertat. *Laur. Adsen* c. l. A. C. 1615. in domo quadam 9. naves visæ cum triremibus, ex quibus 2. interierunt. In littore maris sus insolita visa, quæ nulla bombarda transfigenda; interdum habebat formam equi & 4. dentes longiusculos. Quæ omnia indicium futuræ calamitatis. *Laur. Adsen* c. l. A. C. 1619 Christianus IV. Rex Daniæ, quo confinia illa oceano littorum spatia ab æstu maris tuta præstaret, quantum ab Uphusen ad Breittsted patet, vallo procingere aggressus, sed impensis quamplurimis exantlatis labori tandem supersedit. D. *Theod. Danckwerts* in *Par. Matth. Boëth. in catacl. Nordstr. f. ult. Nic. Helvader.* in *silva Chronol. Circ. Balth.*

aliud.

Christiani IV. conatus struendi aggeres tutos.

Natura incolarum.

Prodigium.

Caput III.

De Bocenianis.

In Bocen. Harda sunt homines germane Frisii. De iis quid sentiam, vide supra in Helgol. & Eiderst. it. Fohr. usque ad A. C. 1426. A. C. 1629. d. 24. Maij. in littore Detzbullano egressus est ex navibus Carles Morgan & regium exercitum duxit Danicum in loca mediterranea. De ericeto palustri, quod hic incolis suppeditat in alimentum ignis sufficientem copiam, vide supra in Nordstr. de singularibus. In insulis istis perparvis, extra vallum maritimum sitis glebæ in profunditate rerræ effodiuntur, ex quibus optimum sal ad condiendos pisces majores igne conficitur.

incolæ quales?

descensus Danorum navalis.

sal conficitur.

Caput IV.

De Cahranis.

Cahr Harda est municipium Phrysioni cum a Neptuno atque Aeolo, quibus cum præliaretur, victum & propter securitatem in loca mediterranea deductum. Nihil est ipsi proprium & peculiare. Vide supra in Eyderstad.

Cahrani.

Caput V.

De Widianis.

Widiana Harda habet homines mere Frisios vide igitur de iis in Helgol.

Widiani.

Angliæ occupatio.

Eyderſt. Fohr &c. usqne ad A. 1426. incl. Attamen hic non prætereundum, quod A. C. 449. ſub Imperetoribus Martiano orientali & Valentiniano occidentali, & Suenone Rege Daniæ, Angli, Juthiani & Widiani, cum a Britanis deſtitutis ope & ſubſidiis Romanorum jam aliis bellis implicatorum adverſus Pictos & Scotos iuvitarentur, pertæſi patriæ ſuæ ſpe melioris fortunæ & conditionis cum tribus longi- navibus transfretunt in Britaniam, & prætextu ſtipendiorum non perſolutorum Britannos deinde opprimunt, caſtello Carcorei ædificato & inſula de ſuæ gentis nomine Anglia nuncupata. *Beda l. 1. c. 15 Hiſt. Angl. eccleſ. Suffr. Petri de ant. & orig. Friſ. f. 198.* 214. 216. 219. 234. & 240. *Boeth.* in *Catacl. Nordſtr.* f. 46. 47. 48. 49. & ſeqq. *Nic. Helvad.* in *ſilva Chronol. Circ. Balth.* f. 69. Ubi domi nunciatum eſt, mittitur confeſtim illo claſſis major armatorum, ferens manum fortiorem, quæ præmiſſa adjuncta cohorti inſuperabilem fecit exercitum, inquit. *Beda*: cui ſubſcribit *Pomponius Lætus, Alb. Crantzius l. 1. Saxoniæ c. c. 21.*

Lib. VI.

De fluminibus, diluviis, armis, moneta & locis deſolatis FRISIORUM SEPTENTRIONALIUM.

Caput I.

De Fluminibus navigalibus.

Hæc ſunt Eydera, Hevera, Fohr. Sund, & fluvius ſive alveus Liſtanus.

Eydera fl.

Fluvius *Eydera* oritur in proſundiſſimo ſaltu Bothcampico, pertranſit Bornholm Quarnebeck, Rendesburg, Suderſtapel, curſu arcuato, ſalutat Friedrichſtadt, Eyderſtett & Dithmarſchen, & decurrit in mare Cimbricum, in quo tandem hoſpitatur. Eſt fluvius navigabilis & piſcoſus, limes & terminus imperii Romani & regni Danici, omnibus Hiſtoricis, Geographis & Chorographis hujus ſeculi notis. *Ericus X. Rex Daniæ hiſtor. de Reg. Dan. n. 71. Helmoldus l. 1. c. 3. l. 2. c. 14. Albert. Stad. f. 86. 93. Saxo Grammat. l. 8. f. 129. Martinus Chemnitius* JCtus & Cancellarius Slesvic. Holſat. in *relatione* de *diſcrimine Holſ. & Eiderſt. Annal. Francic. Reuberi* A. *815. Contin. Aymonii A. 828. Arnold* Abb. *in Contin Helmoldi*, *Abrah. Ortelius* in *Theatro Mundi* in *Dan. Alb. Crantzius* in *Saxonia l. 1. c. 6. l. 5. c. 27.* in *Dania l. 7. c. 5. & 8. Jac. Aug. Thuanus l. 22. Gerh. Mercator in 2. & 3. Topogr. Dan. M. Quadus in Diar. Europ. f. 49. Joach. Vagetius* in *præcidan de orbe habitab. f. 255. Seb. Schræder in Hiſt. Terr. p. 1. c. 4. f. 165. Corn. Cempis de orig. Friſ. f. 29. Anon.* e Biblioth. Pythæi f. 86. *Math.* Boëth. in *Catacl. Nordſtr. f. 62. 88. Pet. Lindeberg* in *Hypotyp. arcium Ranzov. f. 230. Nic. Helvad. in Silv. Chronol. Circ. Balth. f. 28. Job. Ad. Cypræus* in *Annal. Epiſc. Slesv.* f. 42. 47. 54. 57. 63. 84. 85. 91. Ad gl. c. 46. 2. Et An. f. 102. 117. 129. 142. Ex *Cont. Helmoldi* f. 154. 157. 160. 192. 206. 209. 212. 213. *Steph. Joh. Stephanius* in *notis* in *Sax. Grammat. f. 16.* Jo. Schultze in Hiſt. deſcr, Eiderſt. Everſch. & Uthh. *Joh. Peterſ.* in *Chron Holſ.* f. 36. 40. 51. Hevera ebullit primum ex variis locis paludoſis ad Trejam, Drelburg, Wittbeck, Brandenburg, Hanenburg, Suderhold, Schweſing, Roſenthal & Hollbeck in fluentum, quod defluit in ſtagnum Nordhuſianum, vulgo Muhlenbach, hydromylam circumagit, pertranſit deinde Huſiam ubi mollem navibus ſtationem exhibet, in ſinum Huſienſem Ouwicum; ad fines Lundenbergiorum ſortitur nomen Heveræ, ubi olim æſtu recedente perticis & contis potuit transmitti, & labitur tandem inter Everſchop, Uthholm & Nordſtrandiam in duo brachia diviſum & feſſum in oceanum Cimbricum. Magnus me Hercle fluvius, ad præliandum opportunus; hinc bella illa navalia ante Chriſtum. Memorandus ob ruinas tot Paræciorum, timendus ob maris ſalſedinem & ſævitiam, dolendus ob lanienam Cerbonianam. *Saxo Grammat. l. 2. f. 18. Alb. Crantzius in Dan.* f. 21 179. Dn. *Laur. Adſen* in *Mſc. Holſ. Matth. Boethius* in *Catacl. Nordſtrand. f. 75. 78. & 79.* Fohr. Fohr fretum Sund ſive fretum Fohranum ejectat omnem ex Risbrick, Saaholm, Enge, Stedeſand, Waygard & aliis Friſiacis & Danicis locis aquam in oceanum Britannicum ſive Cimbricum. In fluvio ſive alveo Liſtano, vulgo *Lieſter Tieff* concurrunt fluvii, flumina, freta, fluenta, æſtuaria, alvei, amnes, vada; rivi, rivuli, & quicquid eſt aquarum in præfecturis Tunderenſi, Apenradenſi & adjacentibus hardis Danicis, & exinde libero meatu tendit in mare Cimbricum. Fluvius non ignobilis, omnibus nautis charus; & regi Daniæ Chriſtiano IV. p. m. notus. Poſſunt ibi naves, ſive multæ ſive paucæ, velut in tutum quendam portum, quoties a tempeſtate agitantur, ſe recipere, ſuppetentibus ex propinquo montibus & vallis, quibus circumſeptus eſt locus iſte undique. Sic Cherſoneſus Cimbrica regionum maritimarum quatuor fluviis navigabilibus, qui idoneam mercibus exportandis importandisque crepidinem belli & pacis tempore exhibent, inprimis commendabilibus, eſt nobilitata.

Lyſtanus vcus.

Hevera fl.

Caput II.

De Diluviis.

Diluvia univerſalia & particularia fuere ante Chriſtum A. 111. poſt Chriſtum A. 516.

Diluvia

A. 516. 1094. 1114. 1158. 1162. 1164. 1187. 1196. 1200. 1204. 1216. 1218. 1287. 1300. 1310. 1316. 1338. 1341. 1342. 1354. 1362. 1380. 1387. 1391. 1393. 1395. 1400. 1412. 1420. 1421. 1426. 1427. 1428. 1431. 1434. 1436. 1460. 1470. 1471. 1474. 1476. 1477. 1479. 1480. 1483. 1584. 1591. 1508. 1509. 1511. 1514. 1521. 1531. 1532. 1533. 1338. 1543. 1547. 1548. 1550. 1552. 1553. 1559. 1561. 1570. 1571. 1573. 1574. 1578. 1580. 1593. 1600. 1602. 1610. 1612. 1615. 1625. 1630. 1634. 1635. 1655. 1660.

Teſtes ſunt *Ephorus*, *Clitarchus*, *Poſſidonius*, *Strabo*, *Plutarchus*, *Plinius*, *Tacitus*, *Ptolomæus*, *Cæſar*, *Livius*, *Luc. Ann. Florus*, *Eutropius*, *Oroſius*, *Appianus*, *Seb. Munſterus*, *Adamus Brem.* f. 104. *Helmoldus* l. 2. c. 2. *Albert. Crantz.* l. 11. f. 243. *Joh. Pomarius in Chron.* f. 274. *Herm. Hamelmann in Oldenb. Chron.* f. 18. & 309. *Henr. Bunting. Chron. Brunswic.* f. 52. *Seth. Calviſius*, *Eman. Meteran.* f. 163. *Adamus Thraciger*, *Matth. Boëthius in Catacl. Nordſtrand.* f. 19. 35. 68. 69. 89. 91. usque 95. 105. *Broder. Boyſen* c. l. *Jon. Koldingus* f. 196. *Corn. a Cempis de Orig. Friſ.* f. 56. *Nic. Helvad. in ſilv. Chronol. Circ. Balth* f. 19. 63. *Joh. Ad. Cypræus in Annal. Epiſc. Slesvic.* f. 176. 192. & 380. *Matth. Pampus Mſc. Vet. Vulg. Comm.*

Caput III.

De armis majorum.

Arma majorum.

Anno Chriſti 1180. ancilibus utuntur, & miſſilibus dimicant, inquit *Saxo Grammat.* A. 1200. ſcutum, arcus, lorica, gladius, lancea, culter & galea ænea. *Mſc. Vetuſt.* A. C. 1342. pro armatura uſi ſunt caſſide, pilo, amiculo ferreo intexto corrigiis latis, chirothecis ferreis, brachialibus duabus, clypeo & arcu corneo. *Joh. Ad. Cypræus in Ann. Epiſc. Slesw.* Quod monetas attinet priſcis temporibus uſi ſunt unciis aur. & argenteis Britannicis propter vicinitatem & mutuum commerciorum uſum.

Monetæ.

Caput IV.

De locis deſolatis in Friſide Septentrionali.

Loci deſolati in Helgolandia.

In *Helgolandia* deſiderantur Paræciæ 9. jugera 10800. Cœnobium I. & arx Foſteburgum. In *Eyderſtadia* deſiderantur Paræciae l. Alverſum, & ejus jugera 2000. de Cating, Vollerwick & Grode 6000. jugera. In *Everſchopp.* deſiderantur Paræciæ 1) Barnemohr, jugera 2000. 2) Offenbull, jug. 3000. 3) Joenflet jug. 1800. 4) Konigscapell jug. 1500. 4) De Ulffsbull jug. 2000. & Oſterhever 1800. ſeu 4. templa & 12100. jugera. In *Utholm* deſiderantur Paræciæ 1) Ulstorp, jugera 2000. 2) Suderhever, jug. 3000. 3) Nordhovet, jug. 2000. 4) De Weſterhever jug. 2500. ſeu 3. templa, 9500 jugera. Uthholm propter magnitudinem ſuam olim dicta fuit Suderſtrandia. In univerſum in Eyderſtadia, Everſchoppio & Uthholmio deſiderata ſunt 8. templa 29600. jugera. In *Pelwormica* Harda deſiderantur Paræciæ 1) Balum, jugera 2000. 2) Waldhuſen, jug. 1800. 4) Heverdamm, jug. 2000. 5) Gormesbull, jug. 1800. 6) Herdesbull, jjug. 1700. 7) Norderwiſch, jug. 1700. 8) Suderwiſch, jug. 1600. 9) Schweinscap, jug. 1500. 10) Syvertscap, jug. 1500. 11) Fedderscap, jug. 1500. 12) Cathar. cap. jug. 1500. 13) Norderbull, jug. 1700. 14) Chriſtin. cap. jug. 2000. De Hoga, jug. 1000. A. C. 1634. d. 11. Octobr. Paræciæ 15) Buphever, jug. 3000. 16) Ilgroff, jug. 2000. ſeu junctim 16. templa, 30100. jugera. In *Widericana* Harda deſiderantur Paræciæ: inſula Oswald, jugera 1000. 1) Tinnenbull, jug. 2000. Fumbull, jug. 1200. Ivenbull, jug. 1100. 2) Sudermarſch, jug. 2000. 3) Nordermarſch, jug. 2000. De Neſſ. Lang. Hengſtneſſ. & Grode jug. 4500. ſeu 3. templa. 13800. jugera. Ex Nordmarſia in Olandiam, & exinde in Occoholm datur tranſitus. In *Beltringiaca* Harda deſiderantur Paræciæ. 1) Habüll, jugera 2000. 2) Beltum, 2500. 3) Wald, jug. 1800. 4) Immenhus, jug. 1700. 5) Redwerts Cap. jug. 1500. 6) Hayens Cap. jug. 1500. 7) Occogroff, jug. 1500. 8) N. jug. 1200. 9) Reyd. jug. 1500. A. C. 1634. d. 11. Octobr. 10) Resbull, jug. 2500. 11) Rohrbeck jug. 2300. 12) Volligsbull jug. 2000. 13) Konigsbull, jug. 2700. 14) Bupſee jug. 2700. 15) Buptee jug. 2000. 16) Oſterwold. jug. 1700 17) Weſterwold. jug. 1500. ſeu junctim templa 17. jugera 32600.

Everſchop p.

Uthholm.

Pelworm.

Widericana Harda.

Beltringiaca.

In Oſterwold & Weſterwold nemus fuit, ex quo duo fana lignea de arboribus eo loci cæſis ſunt ædificata, quæ ego vidi puer.

In *Edomæa* Harda deſiderantur Paræciæ 1) Sockensbull, jugera 2000. 2) Hallignes, jug. 2300. 3) Riep, jug. 1800. 4) Ackerbull, jugera 2300. 5) Trenthamm, jug. 1700. 6) Niedamm, jug. 1300. 7) Nordenbull, jug. 1200. 8) Heverſee, jug. 1400. 9) Oppidum Runghold, jug. 3000. 10) Albernerdſchlott, jug. 1200. 11.) Uthermarflott, jug. 12) Fedderingman. jug. 1200. 13.) Obbenbull, jug. 2000. A. C. 1634. d. 11. Oct. 14.) Bruneck, jug. 2300. 15) Stintebull, jug. 2000. 16) Gaykebull. jung, 2000. 17.) Marſch, jug. 1800. 18) Odenbull, jug. 2100. 19.) Evensbull, jug. 1909. 20) Heersbull, jugera 1800. 21) Lyth, jug. 2000. 22) Hamm,

Edomæa.

jug. 2000. 23) Morſum, jug. 2100. ſeu junctim 23 templa, 43300. jugera. Inter Marſiam & *Sudfalliam* tuto homines & jumenta commeant, & ibi reperiuntur omnia utenſilia, conſpiciuntur tumuli, foſſæ, elices; &c. In *Runghold* ſilva fuit non exigua, unde Denominatio oppidi Runghold. Inter Ham. Lyth & Schobuli campi & paſcua extiterunt latiſſima, & ſilvulæ obſervantur adhuc a præterna vigantibus arborum trunci & radices.

Lundenbergica. In *Lundenbergica* Harda deſiderantur Paræciæ 1) Rodekerck, jugera 2100. 1) Boyenbull, jugera 2000. 3) Wittenbull, jug. 1800. 4) S. Manrip, jugera 1500. 6) S. Johann Cap. jug. 1400. 7) S. Barthol. Cap. jugera 1400. Hic recenſentur 7. templa, 11900.

Fohrenſi. ugera. In *Fobr* Harda deſiderantur Paræciæ 9. aliis 13. quarum nomina mihi ſunt

Sudergos & ignota, jugera 14000. In *Sudergoſ.* Harda deſiderantur Paræciæ, 1) Wartinhuſen, jugera 2000. 2) Hamm, jugera 2000. 3) & Milda oppidum; ſeu 3. templa, 4000. jugera, & ad huc una Paræcia, cujus nomen in catalogo ab ipſo Epiſc. Nicolao confecto legi non potuit, quod ſitu illud obliteratum erat,

Nordgoſia. 2000 jugerum. In *Nordergoſ.* Harda deſiderantur Paræciæ Unckenbull quæ in proximo Horn ſita fuit, & alia loea, jugera 2000. In *Bocen.* Harda deſiderantur Paræciæ 1)

Bocen. Uphuſen, jugera 2000. 2) Odmershuſen, jug. 1880 3.) Spinckebull, jug. 1800. 4) Langſum, jug. 1200. 5) Tofft, jug. 1500. 6) Bendal. jug. 1000. De Dagebull jug. 1000.

Widiana ſeu 6. templ. 10300. jugera. In *Widiana* Harda deſiderantur Paræciæ 1) Wippenbull, jug. 2000. 2) Aggertofft jug. 1000. 3) Benedofft jug. 1200. 4) Richelsbull jug. 1500. De Rodeneſſ jug. 1000. ſeu 6. templ. 6700.

In univerſa Friſia. jugera. In univerſa Friſia ſeptentr. 106. templa, 211100. jugera. Sic tranſit glolia mundi. *Laur. Adſen* in *Mſc. Matth Boeth* in *Catacl. Nordſtr. Joh. Ad. Cypræus* in *Ann. Epiſc. Slesv.* & *Miſſa quædam vetuſta.* *Die Verteichniſſe aller Præpoſituren. Poſtoraten, Städte und Capell-Kirchen, ſo vormahls dem Biſchoffthum Schleswig ſeyn incorporiret geweſen.* Hinc reſultat discurſus politico Hiſtoricus: Quamdiu reſidua pars Friſidos ſeptentrionalis ſit manſura? Reſp. Diſtinguendum: loca editiora, montoſa, & quæ quotidiano æſtui maris non ſunt obnoxia, usque ad extremum mundi diem manebunt; loca vero humilia, depreſſa & quæ ſingulis diebus & noctibus acceſſui & receſſui maris ſubjacent, peribunt, niſi pœnitentiam agunt & vitam in melius emendent homines Friſici. Hoc ego probabiliter, non tamen apodictice, demonſtrabo adductus his rationibus: 1) maris ſævitia & infeſtatio jam non eſt languida, uſitata & ſolita, ſed indomita, infeſtiſſima & ſæviſſima, tempeſtates creberrimæ, procellæ multæ & venti validiſſimi, oceanus non fluit, accedit & recedit, non creſcit, & in ſe ipſum reſidit, ſed exæſtuat, deſævit & deferbeſcit, ut plane limites ſuos egreſſurus & non valla omnia, ſed ipſos montes transceſſurus videatur. Conſiderentur majorum aggeres, qui ſunt 10. vel 12. ped. altit. noſtri ſunt 20. ped. altit. & tamen mare æquat faſtigium eorum, adeo ut parum abfuit, quin præcedenti autumno nos cum penatibus obruiſſet. 2) ſolum in ſubſtantialibus locis, ſc. in frontiſpicio & umbilico Cherſoneſi Cimbricæ regionum maritimarum, eſt udum, molle, rarum, arenaceum, fragile, ſunguſum, expers omnis glutinoſæ duritiæ, minusque tenax, aggeribus ſtruendis ſuſtentandisque non admodum idoneum, ideo ſtramine cannaque integendum propter defectum ceſpitum. Hinc illæ lachrymæ, hæc illa intima cauſa delendi tot millium hominum, 211100 jugerum, 106. templorum, 5. nemorum, multarum inſularum perparvarum, 2. oppidorum, 1. arcis & 1. cænobii, quæomnia in editiori loco poſita erant, & quæ jam nos poſſidemus. Jam demum intelligamus noſtra bona, o cives patriæ; nam ea, quæ in poteſtate habuimus, amiſimus. 3) Mare Indicum utrumque, Perſicum, Caſpium, Jonium, Adriaticum, Sieulum, Gaditanum, Atlanticum, Hybernicum & Balthicum fluviis, fluminibus & fretis ſe ingenter dilatavit. Quam multæ urbes & regiones ampliſſimæ & cultiſſimæ, quæ longe ſolidiori, firmiori & editiori loco certe minime caruere, fuerunt.

Sed Pontus & æſtus:
Mutavere ſitum.

Dies me deficeret, ſi omnia vellem oratione mea perſequi; ſatis eſt, digitum ad fontes intendiſſe. 4.) Mare & quicquid aquatilium & volatilium in eo degit, agunt contra nos in puncto perturbatæ poſſeſſionis, & conqueruntur, quod ab anno Chriſti 987. de patrimonio agrorum, quos a condito mundo intra Eydoram & fluvium Liſtanum ſe poſſediſſe & ad ſe quoque cum omnibus juribus & pertinentiis pertinuiſſe & pertinere, jure directi & utilis dominii violenter ſint expulſa, & quod ad huc ſemper in poſſeſſione inquietentur & perturbentur, non permittendo, ſe illos poſſe pacifice poſſidere, ſed ſubinde modo hinc, modo illinc illis aliquos eripi, Intentant igitur vidicationem rei & petunt fundos antiquos ſibi reſtitui cum fructibus perceptis & percipiendis, & omnem cauſam damni dati, & ut cadamus a dominio & puniamur per *Conſtitut. ſi quis in tantam* C. & *ff. d. r. vend. l. 1. & l. in rem*, & *Inſt. de act.* §. 1. ad hoc proponunt *Interd.*, *uti poſſidetis*, *Inſt.* de *Int.* §. *retinendæ*, & *Interd. unde vi* & *ff. eod. l. 1.* §. 1. §.) Conſervant regiones & urbes timor Dei, preces, vita pura, mores integri, remiſſio gravaminum, concordia, panis quotidianus, diligens inſpectio, erectus alacerque animus, labor aſſiduus & indefeſſus ſtudium fervens ſucceſſus, felix conſilia dando ſeveriusque urgendo, nulla mora. Quæ omnia exulant & apud Friſios non poſſunt conſiſte-

re-

re. Evertunt vero regiones & urbes impietas, ingratitudo, delicta, ingluvies, usuræ, impostura, discordia, contentiones, negligentia, intermissio, malevolentia, odium, invidia, pertinacia, securitas, inertia & consilia inepta, temeraria & subdola, mora, cunctatio, otium, omnia idonea aversando, quæ omnia, si unquam, certe olim insigniter hic dominabantur. 6.) Stetit a meis partibus olim Rev. Dn. *Joh. Ket. Post. Pelvorm* Discipulus Philippi Melanchth. vir,

canis venerandus & annis;

nec ab eo dissentit Dnus *Laurentius Nummensen*, Pastor Hammensis, & alii viri præstantes & rerum Marsicarum non imperiti, quorum nomina ob egregia merita in remp. consecrata sunt æternitati. Hæc paradoxa sunt, & non tam rudis rerum sum, ut fugere me possit, me hac commemoratione malam gratiam apud nonnullos inire, quod in re comica per ratragædiare videar; audio murmur & susurrum, quid inter P.

Sed quid Ego hæc autem nequicquam ingrata revolvo.

Mea sic est ratio, & sic animum induco meum, & hæc opinio non heri aut hodie mihi nata est sed ex illo tempore, quo primum in penitiorem rerum Frisicarum cognitionem perveni, nec mea jam mutata loco sententia cedit; & quamvis rem acu non tetigi, non multum tamen a scopo me aberrasse confido. Atque hic est finis meorum conatuum; satis jam datum est amænitati historiarum Phresicarum:

Et jam tempus equum spumentia solvere colla.

Deo uni & trino sit laus & perennis gloria in omnes æternas æternitates, Amen. Dab. Coldenbutlii in ædibus Drundersummianis A. C. 1656. ult. Februarii.

Petrus Sax.

APPENDICULA DUPLEX.

I. Paralipomena de Anno 1655. usque ad 1660.

Bello Svedo-Polonico.

In *Bello Suedico, Polonico, Muscovvitico & Danico*, stetit a partibus CAROLI GUSTAVI, Suecicorum Imperiorum Regis CHMIELVITZKI, Staroста Polonicus, usque ad d. 15. May, Anno 1655. qui resipiscit, & Affinis ejus ZOLATAZINRO, Ductores 40000. Cosaccorum, in Poloniam, & Quartiani, qui tamen ab eo defecere, secundum Relat: Anno 1659. d. 6. April. Venit in Hellespontum Danicum, stupenda illa classis Britannica, quæ laborabat mole navium militarium prægrandium 46. Classiariorum 9947. Tormentorum 1639. Navis Capitaniæ nomen Nasbuy, qua vehebantur Thalassiarcha magnus, & Legatus, Monsr. Montaigu, & cæteri Legati, Monsr. Sidnay. Monsr. Henniwoot, & Monsr. Boon. Ex itinere Sw. CAROLI GUSTAVI Reg. Sueonum; Duces belli erant, Com. Arsfet Wittenberg, Livonus, Campimarsch. in Borussi. & Comes Magnus de la Garde, Suecus, ille, cum Exercitu Suecico ivit in Poloniam, hic, in Lithuaniam cum 14000. militibus & CAROLUS GUSTAVUS Rex Sveдiæ usquequaque sequiturque præitque ut in Relat. N. Duglas, Scotus, penes quem 7000. Equit. 14. Brigadæ Peditum, & 100. Tormenta; Com. Gustavus Otto Steinbock, Svecus rei armamentariæ Præfectus, secundum advis Johanni Casim. Reg. Polon. suppetias tulit. Suldanus Golga, cum Tartaris; Hospodar, sub cujus jussu Muldaninsky, & Wolowsky, cum Crimianis Tartaris, (uterque Golga & Hospodar) contra Moscum & Svedum Princeps Ratzewil, Postpolitæ Russini, Husari, Masuri, Radrecowsky, Cancellarius, Goronsky, Castellanus Ryavienſis, Primsay Grodonsky, Dominus Pototsky, Landskoronsky, illi omnes arma, & vires, conjungunt, contra CAROLI. GUSTAVUM Regem Sueonum,

Tandem etiam Chamus Magnus sit Polonicus; Moscus, cujus Duces belli erant Poklonsky & Goncewsky, misit 80. millia militum, in Poloniam, & 70. millia in Lithuaniam, & 10. millia contra Smolensko, ex Advis. Cum CAROLUS GUSTAVUS Rex Sueciæ tot bellis detineretur, & eventus belli minus responderet voto ipsius, contra illum insurgit FRIDERICUS III. Rex Daniæ & Norwegiæ, Anno 1656. præmissa clarigatione, Armatæ Daniæ; ipsius Duces belli erant Andreas Bilde, Regni & Aulæ Danicæ Magister, Hans Rantzow & Friderich a Buchwald General. Majores.

Hi cum conscriptis Militibus pergunt ad fines Holsatiæ. E. L. Gubernator Gluckstad. irrumpit in Ducatum Brem. & capit Bremerohardam.

A. 1637. Car. Gustavus R. Suec. occupata Holsatia in Daniam pergit.

CAROLUS GUSTAVUS Rex Sueco. rum vero, relictis in Borussia, & Lithuania sub fratre Generalissimo, præsidiariis, venit, & occupat totam Holsatiam utramque Luthoniam, Wendalam Fortulitium Fridericordiam expugnat, Fioniam invadit, & Alsiam cum Sunderburgo occupat, exinde in Insulas Laland - Falstriam & sic in Zelandiam, cum mare tam acuto frigore erat incrustatum, ut pedestri per glatiem itinere potuerit transire venit.

Cum tantos progressus in Dania haberet CAROLUS GUSTAVUS Rex Sueciæ, facta est Transactio inter ipsos Reges Rœshildiæ per utriusque Commissarios d. 17. Febr. Anni 1658. Vide impr. Relat. Bello hoc exhausto, & causa posita atrox bellum ex male intellecta Transactione integrascit.

A. 1658. iterum Daniam invadit.

Carolus Gustavus Rex Suedorum Chilonii d. 12. Aug. 1658. conscendit naves onerarias 106. Naves armatas grandiores 6. cum 7. Legio-

Legionibus Equitum, & 8 Legionib. Peditum, transit mare Balthicum, venit Corsor in Zelandia, occupat totam Regionem, & Croneburgum, oppugnat arcta obsidione Haffinam prout in Advis.

Ad submovendum Carolum Gustav. Reg. Svecicum ab obsidione ista, auxilio Regi Daniæ & Norwegiæ, venit Fridericus Wilhelmus. March. Brandenburg; Elector imperii Romani, & Imperator Brandenburgici Cæsarei. Polonici, & Danici Exercitus comitatus ad 40 millia Equitum, & Peditum; Hujus vicarii & Superiores Officiarii erant in Exercitu Brandenb. Spazz. Pful. Princeps Anhald. Dorfling. Quast, Canitz, Schultz, Creve, Cannenberg, & alii celebratissimi viri.

In Exercitu Cæsariano erat Dux belli Illustrissimus Raymundus, Comes, de Monte cuculi. Dominus liberi Dominatus in Hogeneg, & Luppendorff, Cæsar. Majest Aulicorum consiliariorum bellicorum Consiliarius, Camerarius & Campi-Marshallus Ejus Vicarius in Exercitu Equestri erat L. Baro de Spork supremus Vigiliarum Præfectus, Com. Gotze, Colonelli, Gannier, de Natte & alii fortissimi viri.

In Exercitu Pedestri, Com. Ranff, supremus Vigiliarum Magister.

Collonelli, Comes Sirotz, Ladron & alii Clarissimi viri, secundum Relat. C. V. In exercitu Polonico, erant Duces belli Czarnetzky, Gubernator civitatis Cracovien sis & Castellanus, & Opolinsky, Posnicus Waiwoda, Piaskekinsky & Rudutzky. qui signa fortitudinis gerebat in fronte, & alii insignes viri, vasta corpora, vultus insolita gravitate, torvi, cum pharetris, & arcubus, & cum Gemmatis Ensibus falcatis.

In Exercitu Danico erant Duces belli Dominus ab Eberstein, & Hans Schak, Campi Marshalli. Generales vicarii, Hans de Alefeld, & Nic. de Alefeld, Hæredit. in Kl. Nordsee, General-Major Tromp.

Colonelli, Detleff Rantz. Guldenlew, Frise, Cruse Brockenhausen, Detleef. Brokdorf, & alii Celeberrimi viri, ex Adv. Aderat etiam Battavica Classis, d. 19 Octb. Anno 1658. cum 24. Navibus militaribus prægrandibus.

Hujus Classis Batavicæ Architalassus I. a Wassenar, ab Opdam, Admiralius alter Wittewitzen & Petrus Florus prætorianæ Classis præfectus. Postea venit Vice, Admiralius de Ruiter Zelandia Batavus, & Legati Monsr. Slungelank, Monsr. Hubert, Monsr. Vogelsang, & Monsr. Harneprout ex Itiner. G. W.

Hic Exercitus; quantus quantus, totus militavit suo sibi Imperatori Marchioni Brandenb. Elector imperii Rom. & Confœderatorum Generalissimo ab ipsius nutu omnes pendebant.

Die 1. Octob. Anno 1658. venit Elector cum Exercitu Husium, postquam castra movisset d. 23. Aug. Anno 1658.

Die 2. Octob. tendit General. Major Pfu cum 1000. Equitibus munitam Urbem Toningam (in qua Princeps Fridericus Dux Slesw. & Holst. cum Illustrissima familia id temporis se continebat) sed dum ille prope ad vallum accederet, directa in eum Tormenta, & 7. disploša retrocedit, & subsecuta est eruptio quædam.

Die 3. & seqq. continuare spoliando Nemini probrum.

Dum sto ante ostium, P. V D. B. cogitabundus, quam viam insisterem, forte quidam interea propere præcurrit, nuncians copias auxiliares adventitare. Ego me illico non inde corripui, sed paulisper circumspexi, & profecto hoc sic erat, ut ille ajebat, & vix elocutus, ut simul multi proruunt se adequitant, perstrepunt ita ut fit, Domini ubi absunt. Ego me in pedes, quantum queo, & peto Civitatem Friderscopolin, quæ tum temporis commune perfugium erat, omnibus cis Oldenswortanis. Domesticus in Campum undique fossa circumdatum, inde in alium inde item in alium, inde in alium consitado contrivit diem.

Cæteri Vicinorum, & incolarum, horsum istorsum, sursum, deorsum, lævorsum dextrorsum, aliorsum, retrorsum miserrimi fuere fugitando; inter quos quidam acti & tracti, multi tusi & fusi, nonnulli fugati & profligati, & tamen hæc omnia mediocriter

Potuisset enim iste Equitatus nos retinenere prosternere, & omnia loca ferro & flamma vastare, si tum mens læva fuisset, sed nihil horum fecit. Nemini enim anima est extincta, aut oculus effossus, quod ego quidem sciam.

S. P. in O. & N. A. in V. uterque suæ fortunæ faber fuit, & id inter tragicos casus referendum.

Quid vero commemorem de D. V. B. vah! quibus modis ille subagitatus. Quid de H. V. quibus modis ille spoliatus. Quid de P. V. D. B. quibus modis ille fugatus.

O deplorandam Regionis fortunam, o miserrimam Regionis faciem; Et eo miseriorem quum nulla reconciliationis occasio daretur: Aedes meæ patebaat omnibus tam diu donec hæ Turbæ consilescerent & exercitium direptionis redimeretur 40000. Thalerorum.

Hoc tibi confirmo, nisi in tempore cum literis securitatis Equites (quos nos Salvagardas vocamus) ab optimo Barone L. de Spork, Cæsar. Campi Marschall. Vicario, sponte sua & propria voluntate, non rogato neque vocato Ejusdemque Magister Equitum Carolo Meyer, dati fuissent, & contractus Neutralitatis per viros magni nominis acquisitus, actum esset nobiscum.

Menses jam facti sunt quasi duo, cum Generalissimus, & ejus Exercitus semo vit loco, & petit Flensburgum, ad expellendum illa præsidia, quæ Comes Palatinus a Sultzbach, General. Campi Marschal. Svedicus, in

in Arce Sunderburgo, & propugnaculo Fridericodiano reliquerat, sed Electore cum Exercitu appropinquante, hæc & illa sublata sunt, & navibus aliorsum devecta.

Ita inter Trimestre, omnem Holsatiam utramque Juthiam, & Wendilam, occupando & expugnando sibi subjugavit, Elector Brand.

Anno 1659. d. 25. August.

In discessu quorundam Polonorum, vah! quibus modis cruciaremur, stimularemur & in cruciabilitatum rota versaremur. Quotus quisque est, qui non exanimatus, non dilatus, non distractus, qui nubilam mentem non habuit, qui ubi fuit, ibi non fuit, ubi non fuit, ibi erat animus.

Anno 1660. d. 13. Martij.

Eyderstadia a Danis occupatur.

Venit illustrissimus Dominus Ernestus Albertus, ab Eberstein, General. Campi-Marsch. Gubernator Fortificationum, & militiæ Danicæ Regiæ in Ducatibus Slesvicensi, & Holsatico, nec non supremus Regiminis Equitum & Peditum, cum exercitu Danico, sub Colonellis Equitum N. Rantzow, N. Guldenlew, N. Dubben & N. Bruhn & sub Colonellis Peditum N. Bremen, N. Issen & aliis strenuis viris, cum delectis quibusdam, in universum ad 5. & 6. millia militum, in Eyderostadiam, vidit & hui, vicit perfortiter totam Provinciam, quæ referire nolebat, præter Tonningam, ad quam vendicandam usus est his Argumentis. Excubias egit, castra locavit, in vallo prope Harblek; & Hemmam, & trans Eydoram, in ripa Dithmarsica, commeatum intercluſit, machinas bellicas adduxit, neminem intromisit, neminem admisit. Ostium Eydoræ occupavit, Navim cum vinis cepit, eaque cum sociis divisit. Tonningenses interea continuere manus, non enim licet aliquem sæpe esse ita, ut vult, si res non sinit, nunc ita tempus erat illis, ut cupiant Pacem, olim nil minus. Quid vero si hoc ille sic incepisset nunc? nihil fuisset; si sic? tantundem egisset, at sic opinor; non potuisset, Imo sed retraxit se, postquam nunciatum de Pacificatione, inter Partes, & bona cum gratia discessit d. 8. Junij. Cruciatus vero Exercitus ejus bolum tantum sibi ereptum tam subito e faucibus. Proh Deum atque hominum fidem! in quibus angustiis toto isto tempore fuimus, non tutus cum fasce viator, iter carpebat, quædam loca spoliis, rapinis, furtis, direptionibus, demolitionibus domiciliorum & cædibus infesta tenebantur, si ob crimen læsæ Majestatis damnati, aut proscripti fuissemus. Militia non durius nos agere potuisset, ac factum, & nisi opus fuisset nostra arte ad istam rem, quam parant, Soldatesca nos sublimes medios arripuisset; capite primum in terram statuisset ut cerebro dispergamus viam.

Tu quisquis es, nunquam obliviscere has ærumnas, & misarias, quas sustinuimus.

de Westphal. Monum. inedit. Rer. Germ.

Amissa erat jurisdictio, & libertas, & fere tota Regio pervenerat in potestatem adversæ partis, quæ hostiliter in omnem substantiam nostram dominabatur, quandoque sæviebat in corpus.

Ex præsumtionibus juris & facti constat, Expeditionem hanc non tam ad Tonningam obsidione premendam, quam ad devastandam Regionem hanc susceptam esse. Nuncio vero accepto, quod inter Reges Sveciæ & Daniæ causa sit transacta, omnia sunt restituta in integrum, alias minus nihilo nobis fuisset.

Dicamus iste igitur dies jejunio & supplicationi, singulis vertentibus annis, Canticum Triumphale, TE DEUM LAUDAMUS, solenniter decantetur, & referatur iste inter dies huic Regioni Festos, conveniamus, & pro liberanda hac miranda ex durissimo vitæ genere, & tristissima servitute insolita animi devotione, Gratias Deo confiteamur Eleemosynas pauperibus distribuamus & pie in posterum vivamus.

Anno 1660. d. 11. Septemb.

Homagium Duci C. A. præstitum.

Constituitur, ad præstandum Illustrissimo Cimbrorum & Saxonum Duci, &c. &c. &c. Domino *Christiano Alberto*, Homagium; sed non successit, indicitur ergo dies 18. hujus. Interea convocantur, ad unum omnes, cujuscunque tandem ordinis, dignitatis & religionis, modo ætatis sint 18. annorum & sui juris. Literis Officiariorum, cujuslibet loci, ad videndum jurati juramentum fidelitatis. Die illo in Albescente, conveniunt Tonningæ, in ædibus S. P. & bini incedunt palliati, in atrium arcis, ibique stant hora 10. quasi in acie, coram Theatro, nigro panno contecto, donec Sacerdotium congeniculatum in medio aulai Homagium præstitisset, & Boselamain hunc actum concluſisset. Venit deinde *Princeps* in tabernaculum, & præ se tulit singularem svavitatem morum, & devotionem, quem sequitur magnus ille, J. A. K. J. & C. cum Consiliariis Principis, & prolixe facit verba ad populum, præmissa honorifica præfatione Regionum & personarum, multa super clementia Principis, & 44. annorum Imperio, dicens, super notitia cum Monarchis Mundi & facilitate, multa, ut est summus fandi artifex, concludit, & prælegitur juramentum.

Ad Orationem respondet Dn. L. O. V. J. D. celeberr. & F. S S. quod nobis omnibus grata sit hæc inauguratio, siquidem legitimum Dominum, & naturalem hæredem jam habemus ad quem jure devolutum sit Imperium, nec ipsi aliquid opponi potest. Non dubitamus quin Majorum vestigiis insistat, gratulamur nobis de tali Domino, atque omnia nobis utilia de ipso pollicemur, in certam spem ducti, fore, ut gravamina abrogentur, & privilegia confirmentur, sub promis-

sione 3000. Thalerorum, & præstatione Homagii. Sic flexis genibus juratum est, prælectum juramentum fidelitatis, atque Senatus Provincialis a prandio liberaliter est hospitio exceptus, & deinde dimissus.

II. DESCRIPTIO FRISIÆ EYDORENSIS

Autore Jacobo Saxio, Eyderstadensi.

Eiderstadia Frisia minor.

Frisiæ Eydorensis, quam Saxo Grammaticus Frisiam minorem appellat ab Eydora fluvio, quo a Ditmarsia versus Orientem hyemalem dividitur, nomen sortita, hodie *Eyderstadia* nominatur, quæ annos plus minus centum Peninsula fuit, omne liquidem Milda perexiguo intervallo versus Septentrionem olim a continenti distincta, hoc tempore continenti prorsus conjuncta est. Milda enim per plures fossas, angustis alveis diducta, æstuariisque adversus Occidentem, ingenti incolarum labore extensis, & limosa terra quæ interjacebat, reciprocantis maris alluvione aucta, aggeribusque munita vix nomen suum hodie retinet. Versus occidentem æstualem Hevera a Nordstrandia Insula disterminatur. Meridionale littus ad occasum hyemalem arenosum & in tumulos exaltatum oceano alluitur, ita, ut a Septentrione, ubi continenti juncta est, versus meridiem quatuor milliaribus Germanicis extendatur: Totaque circumferentia Spatium quindecim milliarium excedat. Ex multis indiciis apparet, Nordstrandiæ Insulæ olim etiam continenti unitæ ante paucos annos conjunctam fuisse; sed Oceani immani effusione ab ea divulsam, sicut & totum illum tractum ad Tonderam usque, ac hodie a Frisiis inhabitatum, qui munitionibus adversus Oceani sævientis injuriam defenditur, Nordstrandiæ perpetuo contextu, annexum fuisse dubium non est: siquidem in maris recessu in ea Nordstrandiæ parte, quæ Oceani sævitia præruptis æstuariis, solo oppressa & mari æquata est, agrorum elices & sulculi fossæ item Colliquiæ puteorumque cespites appareant. Cæterum inter reliquas Septentrionalis Frisiæ provincias Eyderstadia ob agri fertilitatem, hominum multitudinem Eydoræque fluvij navigabilis & piscosi commoditatem, præcipua ac nobilissima semper habita fuit. Soli enim tanta fertilitas est, ut Battavorum testimonio ipsam Battaviam non modo exæquet; sed etiam superet, eo quod pecudes, ut boves & vaccas multo majores alat, quarum multitudini vix ullæ in tota Europa respondeant: Unaque vacca singulis diebus præbeat novem cantharos lactis, nempe libras Lubecensis 36. unde fit, ut inter primum Maij. & ultimum Septembris diem, scilicet quinque mensium, tanta caseorum copia navibus exportetur, ut 2300000. libr. excedat, uti ex libro rationum libripendis deprehenditur. Insuper omnis generis frumenti ita ferax est, ut magnam copiam singulis annis ad vicinos Hammaburgenses, Bremenses, Stadenses & Transmarinos Amstælodamenses, transmittat & nihilominus omnibus rebus, quæ ad victum pertinent, abundet, nulloque genere nisi sale & lupulo indigeat.

Peninsula.

Cum Nordstrandia olim conjuncta.

Eydora fluvius.

Fertilitas soli.

Parochias habet octodecim easque permagnas & populosas: pagos multos & ferme se invicem contingentes Oppida, duo videlicet *Tonninga* & *Gardinga* & in iis judiciorum sedes quarum *Tonninga* ad Eydoram sita, nova & splendida arce *Adolphi Slesvvicia & Holsatiæ Principis* jussu ante aliquot annos exstructa negotiatorumque ob portus commoditatem frequentatione totius regionis Emporium celebre & inprimis illustre: Edificia & prædia per totam Regionem excocto latere magnifice exstructa multa visuntur.

Parochiæ.

Tota Provincia divisa est in tres partes, quarum præcipua, quæ continenti adjacet, *Eyderstadia* appellatur, proxima huic *Everscup* extrema, quæ versus occidentem hyemalem extenditur *Utholm*: Singulæ partes olim suos habuerunt præfectos, judiciorumque sedes: Hodie vero ab uno Præfecto quem *Stallerum* appellant, tota Provincia gubernatur.

Provinciæ divisio.

Incolæ lingua peculiari & genuina præter Saxonicam utuntur, eademque cum reliquis Frisiis Orientalibus & occidentalibus communi: unde liquet, ex iis ortos esse, siquidem hoc præter linguam communem, morum, vestitus & ædificiorum similitudo item propria nomina, utriusque sexus satis testantur.

Incolæ utuntur lingua Saxonica Frisica.

Originem ducunt a Frisiis.

Quare dubium non est, hos Frisios Eydorenses cum finitimis Nortstrandiam & vicina loca ultra Tonderam inhabitantibus, æque ut Orientales & Occidentales Frisii bellicosissimæ & nobilissimæ Francicæ gentis sobolem esse, cum hi ex illis, illi veroex|Francis origineducant. Memoriæ enim non minimæ autoritatis scriptores prodiderunt, Frisum sive Frisionem a Patre Clovio Francorum Rege regioni quæ, Mari adjacebat, præfectum fuisse, Regnumque ibi Francorum principum consensu condidisse, anno Mundi 3964. anno vero Christi 2. quod verum esse, uti supra dictum, communis omnium Frisorum lingua quam vere Francicam esse antiqui codices Francicæ Sermonis & idiomatis quos vidimus, legimus, & cum hac nostra Frisica contulimus evidentissime demonstrant. Quamobrem nemini mirum sit, hujus minoris Frisiæ incolas uti Francorum fortissimæ gentis propago libertatem multos annos armata manu rutatos esse: siquidem in hunc usque diem immunitatum privilegiis gaudent, neque ultra solutionem debiti vectigalis, extraordinariis servitiis & ministeriis

Commun Frisiorum lingva vera est Franc.

gens libert addicta.

steriis gravari se patiuntur: Quod bella cum Regibus Daniæ pro libertate gesta & clades Abelis Regis, pui exercitu ejus internecione deleto in aggere prope *Mildam* anno 1252. a Frisiis Eydorensibus, interfectus fuit satis testantur. Quo tempore autem hæc provincia cum adjacentibus ab iis inhabitari cœpta fuit, scriptores Nostrarum rerum, quod memini, non prodiderunt. Ceterum ex Saxone Grammatico constat Eydorenses Frisios a Canuto in belli societatem adversus Svenonem Daniæ Regem, A. C. 1152. adscitos, civitatem & arcem Millernburg præsidii causa exstruxsisse, ut affirmare non dubitem, ultra 500. annos, eos hic consedisse, quod diligenti Danicarum rerum lectori investigare difficile non erit. Hæc de Frisiis Eydorensibus & reliquis finitimis, qui una appellatione Frisii appellantur.

Civitas & arx Milernburg.

XIV.

SCRIPTORUM RERUM DANICARUM.

Libri III.

I. CONTINUATA APPENDIX.

ad

Incerti Autoris Annales Danorum & præcipue Sialandorum ab annum 1308. ad annum 1363. ex Codicibus Stephanianis scripta.

Anno Domini 1308. *Ericus*, Dux Sveciæ Hallandiam vastavit.

Ericus Rex Daniæ Sveciam intravit & vastavit quasdam partes, incendio & rapina; & obsedit Nycopinus, ubi tunc Laurizsön & quidam de exercitu recesserunt a Rege;

A. D. 1309. Tertiam expeditionem in Sveciam fecit, quando Ostrogothiam militibus obstantibus circumivit, tamen munitiones ejus non obtinuit.

A. D. 1311. Joannes Grand factus est Archi-Episcopus Bremensis, & Isarnus Episcopus Salernitanensis, factus est Archi-Episcopus Lundensis. Et Osgerus Episcopus Arhusiensis, translatus est ad sedem Lundensem. Parlamentum fuit Helsingburg inter Regem Daniæ Norvegiæ & Sveciæ, & Duces fratres Regis Sveciæ: ubi Ericus Dux Sveciæ desponsavit filiam Domini Nicolai in Slavia, sororiam Regis, & pace facta, reconciliati sunt omnes. Et Dux Ericus factus est miles Regis de Hallandia. Dexterior pars civitatis Roschildensis cum quinque Episcopis & claustro fratrum Minorum incendio periit.

A. D. 1312. Siccitas magna per totum annum & sterilitas fuit per totam terram agrorum. Rex tenuit solennem curiam apud Rostochienses cum Marchione & Principibus Slaviæ, ubi fuerunt milites Dani XLVIII. & sequitur obsessio civitatis Rostock & Wismar. Concilium generale celebratur apud Wiennam a Papa Clemente V.

A. D. 1312. Civitatenses de Rostock & aliis civitatibus Slaviæ incenderunt Helsingör, Amache, Scanör cum castro, & quasdam insulas in mari. Rex fecit multos rusticos suspendi apud Hafniam. Waldemarus Dux Slesvicensis moritur. Ericus Dux Sveciæ secundo duxit, filiam Regis Norwagiæ, repudiata priori sua Sponsa Regis Daniæ. A. D. 1313. Rex intravit mox Jutiam cum exercitu. Quidam enim ex Jutis se congregantes contra Nicolaum dapiferum Regis prope Coldinge pugnaverunt, filium Hinrici Comitis de Glichen, & quosdam alios ex parte Dapiferi prostraverunt, & ipse cum cæteris fugit. Propter quod Rex, multos ex ipsis suspendi fecit, & magnam partem Norjutiæ tributo perpetuo quod Gulkorn vocant, subjecit. Castra nova ædificavit, vetera fortificavit & sic demum antiquam Jutorum pertinaciam perdomuit.

Waldemar D. † Erici D. Sl. nuptiæ.

Jutia invaditur.

A. D. 1314. Rex Timonem Laurenzsön, & multos de generatione sua, Feloniæ caussa & conspirationis decollavit, proscripsit, & eorum bona fisco subjecit.

Supplicium Tim. Laurenzson.

A. D. 1315. Rex Slaviam intravit cum Marchione & Parlamentum tenuit; discordes ab invicem discesserunt: Marchio ex tunc guerram contra Regem & Henricum Megapolitanum exercuit, in quo Megapolensis tam pro Rege, quam semet ipso Capitaneus fuit, & plura bello in terra Alemannorum contra Marchionem Regis strenue sumtibus gessit. Andreas Högby & Nicolaus Rane ob crimen conspirationis, rotati sunt apud Wortingborch. Swadenses subdiderunt se Marchioni & ejus adjutorio Rugiam invadere cœperunt.

Bellum inter R. Dan. & Megapol.

supplicio rotæ affecti conspirantes.

Rugia infestata.

A. D. 1316. Rex misit exercitum cum XLII. Cogonibus, & aliis navibus plurimis cum multitudine copiosa contra civitatem Sundensem, qui eam tota æstate obsiderunt ex parte maris, sed propter multorum ex eis

Sunda obsidetur.

perfidiam nihil ibi memorabile gesserunt. Castra quoque, quæ homines Marchionis cum Sundensibus in Rugia obtinuerunt, & quæ de novo ibi ædificarunt, fugatis hostibus restituerunt Wizlao Rugiorum Principi. Rex per totam Daniam tam Clericis quam Laicis secularibous & religiosis indixit, & recipit ab illis unam Marcam argenti de quolibet aratro, & æquipollens, ubi aratra non computabantur. Eschillus Krage præfectus Hallandiæ incendit castrum Ockneljungæ: Dux Christophorus ante natalem Domini cum exercitu navali intrat villam Suineburg in Fionia, & eam deprædatus est. Pugnavit contra Jacobum Fler præfectum Fioniæ & fugavit eum, Treugæ interim receptæ sunt inter Regem & Marchionem, & ob hoc recessit Christophorus de Fionia. Rex in ipso festo Natalitiæ Domini assignavit Henrico Megapolensi totum Dominatum Rostochiensem in pignus, pro sumtibus, quos ipse fecit in guerra contra Marchionem. Johannes Papa XXII. electus est.

tributum exactum.

hostiles incursiones.

Rostochiensis tractus Henrico Megal. oppignoratus.

Pax inter R.D. & Marchionem

A. D. 1317. Nuncii Marchionis venerunt ad Regem & placitabant pro pace, & tandem Rex introivit Sielandiam & occurrit ei Marchio pace facta inter eos, & civitas Sundensis restituta est Regi Wizlavo. Archi-Episcopus Esgerus fugit de Dacia, Rex indixit omnibus Clericis & Laicis, quod solverent sibi decimas omnium redituum suorum, & quasdam alias tallias indixit super Haffn. & quod Bondones & rustici redimerent sibi decimas Ecclesiarum omnium; Eschildus Krake invasit Schanniam usque ad fluvium Rugen. Ericus & Waldemarus Duces Sveciæ cum multis aliis capti sunt a Rege Byrgero in Svecia.

Decimæ exactæ.

Scania invaditur.

primates in Suecia capti.

A. D. 1318. Nicolaus Olluffön dapifer obtinuit turrem Rangeholm & castrum Flachenbierrig. Eschildum vero Krake & alios in utroque præsidio constitutos cum rebus suis libere exire permisit; Duces Sveciæ Ericus Waldemarus in carcere apud Nycöping mortui sunt. Rex misit Danos & Teutonicos Regi Byrgerio in auxilium, cum quibus pugnat adversus Westegothas, magnam ex eis multitutinem prostravit, tandem ob inertiam suam fugit in Gothlandiam & domum; circa finem anni de Gothlandia fugit cum uxore sua in Sielandiam. Sveci vero post fugam Byrgeri ad Gothlandiam obsidentes castrum Nycöping & castrum Stackeburgh captivum duxerunt. Postmodum vero Sveci circa festum omnium Sanctorum una cum Duce Christophoro & Eugero Archi-Episcopo Lundensi Scaniam invaserunt & pugnaverunt contra Danos & victoriam obtinuerunt. Rex indixit & cepit de omni aratro dimidiam marcam argenti.

Rex Byrgerus ex Suecia aufugit.

Suecorum in Danos victoria.

A. D. 1319. Haquinus Rex Norwegiæ, Marchio Waldemarus, & Ingeburg Regina, obierunt. Ericus Rex Daniæ, indicta prius per eum dimidia marca argenti vel quatuor denariorum pro quolibet aratro obiit.

Tributum a Danis impositum.

A. D. 1320. Christophorus receptus est in Regem, propositis sibi prius a communitate Regni, pluribus articulis, & exacto juramento ab eo supra illis servandis. Omnia nova castra statim destructa sunt, sicut continebatur in uno articulo. Olaus Episcopus Roschyldensis obiit, & Johannes Hind electus est. Eclipsis solis fuit, VI. Calend. circa tertiam horam diei.

Christophorus Rex

Episc. Roskild.

eclipsis sol

A. D. 1321. Archi-Episcopus rediit, de curia Romana, cum quodam magistro Bernhardo nuncio Domino Papæ & reconciliatus Regi recepit Ecclesiam suam.

Archi-Episcopus restitu

A. D. 1322. Johannes electus Rœschyldensis confirmatus a Papa & consecratus in Ecclesia.

Canutus Prose & Nicolaus Otoffsön collecto exercitu, de partibus Slaviæ & Holsatiæ intraverunt hostiliter Scaniam & eam devastarunt.

Scania devastata.

A. D. 1323. Via communis erat ambulantibus & equitantibus, in multitudine super glaciem, per passagium maris Balthici eundo & redeundo quasi per continuum sex septimanarum spatium circa purificationis Mariæ virginis, similiter per passagia inter Sielandiam & proximas partes Slaviæ.

Iter per super glac

A. D. 1324. Rex obsedit per suos homines castrum Hamern in Boringholm in vigilia Paschæ & deinceps Rex cum filio suo Erico coronati, per Esgerum Archi-Episcopum in Wordingborgh. Item Rex fecit nuptias filiæ suæ, in Vordingborgh cum Marchione Brandenburgensi, filio Ludovici electi in Regem Romanorum.

Rex & fil coronati.

Rex filian sponsat M chioni Br.

A. D. 1325. Esgerus Archi-Episcopus obiit; cui successit Carolus ejusdem Ecclesiæ Præpositus. Ericus Dux Syder-Judiæ obiit. Rex indixit & recepit unam marcam argenti de quolibet aratro, & æquipollens in lardo & butiro.

Ericus. D

Tributur

A. D. 1326. Rex Christophorus instituto monasterio aqud Kuarietorp posuit in conventu Monachorum de Sora, in prima XIma & statim in sequenti festo beati Michaelis per Domicellum Barnem inde ejecti sunt, bonis eorum per dominum Inguarum Hiort & Canutum Porse occupatis. Rex Christophorus facta contra se & filium suum seditione gravissima apud Fionenses & Jutos contra extraneos misit filium suum minorem, cum tota militia Sialandiæ & Scanniæ, ac properavit cum Teutonicis ad sedandam seditionem ipsam. Quo veniens in Tomborgh, ibidem commoratus ad tempus est, non audens ad adversarios transfretare; unde & alia seditio per Teutonicos facta. Rex ipse juvenis a Sialandensibus & Schanensibus qui secum erant, in ipso castro est obsessus. Sextodecimo die obsidionis se cum castro captivum reddidit Teutonicis, qui secum erant, & fugere nolentibus Domino Laurentio Dapifero & Ludovico Mareschallo supervenientibus. Mox in Castrum Syder-Jutium Hattersleb. missus & catenis ferreis dirissime circumdatus, diadema aureum in Bajam ferream felicissime com-

R. institu monaster iterum d bat.

sedicio.

Rex sit cap vus.

commutavit invitus. Post vero Christophorus capto filio sequenti nocte recessit de Vordingborgh, immensam argenti & auri copiam, & quicquid pretiosum in thesauris regis habebat, secum abducens, & tandem post modicum tempus cum domino Hinrico Magnipolensi, & quibusdam alijs Dominis Slaviæ secum abducens DCCCCXXX. de extraneis navigio ad eandem urbem rediit. Mox ipsa urbs ab innumerabili Sialandensium multitudine, cum quibusdam Holsatiæ Ducibus, non contemnendæ militiæ & auxiliariis a Duce Jutiæ missis quoque navali exercitu est obsessa. Sicque Rege cum tota multitudine sua intra urbis angustias concluso, deficientibus panibus, multitudo ipsa siligine aqua decocta pro panibus utebatur. Domino Henrico Magnopolensi placitante cum Gerhardo Comite de Reenborg, qui Capitaneus erat totius exercitus Danorum & amicus ipsius. Rex Christophorus cum suo exercitu pacifice redire navigio, quo venerat, est permissus; Qui statim cum dominis exercitu exiens, in Falstriam se recepit & eam occupavit, donec magno navium exercitu ex diversis regni partibus collecto, ita concluſi sunt, quod manus Danorum non evasissent, nisi iterum placitanti Magnopolensi cum Gerhardo Comite, ad propria pacifice essent demissi. Rex vero Christophorus intravit Rostoch & cum Ducibus filiiis suis Ottone & Waldemaro ibi morabatur. His ita peractis Dani apud Wiburgh generaplacito instituto Waldemarum puerum duodecimum annum ætatis agentem in Regem unanimiter elegerunt, & ipsum per terram circumducentes in singulis placitis generalibus Regis honore insignire studuerunt. In festo assumtionis virginis Mariæ solenniter placitum in Nyborgh est celebratum, ubi Canutus Porse Ducatum Hallandiæ, Sumsö & Holbech & Laurentius Jonæsön dominum super Langelandiam ab eodem Rege acceperunt. Item Gerhardus Comes Holsatiæ Regis ac tutor Regni est effectus.

A. D. 1328. Comes Gerhardus a Sialandensibus subsidium petens, tributum leve rusticis imponere acceptabat. Sed ipsi Regis oneribus ulterius aggravari inaniter se sperabant. Unde, in unum conglobati pro libertate armis fumosis & evaginatis eidem Comiti resistere, & contradicere satagebant. Unde Comes motus in die exaltationis sanctæ crucis circa Fyslundlero cum suis & militaribus Sielandiæ, arte sagittaria peritis multos exipsis trucidavit; pluresque aquis suffocati; ceteri cum confusione ad propria sunt reversi. Item Rex Christopho rus collecto exercitu, quando cum Johanne Comite est reversus, ac primo in Lalandiam se suscepit, & per Falstriam transiens, castrum Nycoping fecit obsideri. Deinde circa Wordingborgh bellum fecit, ubi multi rustici perierunt, militaribus a longe sequentibus sub Duce Porse. Sed acceptis Treugis, dum per Sielandiam transit, obvium habuit quendam militem Inguarum Hiort nomine, qui a Rege interrogatus, qua audacia sibi obviaret, respondit: quod vellet eum placare & castrum Haffnen, quod tenebat, sibi resignare, data sibi hac fide statim est reversus, quod audiens Comes Johannes præmisit ex suis qui dictum castrum sub Regis nomine ab ipso milite acceptarent. Quo accepto vexillum Comitis folio urticæ insignitum erexerunt, quod videns Rex Christophorus indignabatur & separatus cessit a Comite in Iutiam & in Schandenburg moram fecit, equos exercitus sui apud Monachos & Moniales pabulavit de patrimonio crucifixi.

Dania divisa.

A. D. 1329. Divisum est Regnum Daciæ Nam Comes Gerhardus factus est Tetrarcha Jutiæ & Fioniæ. Laurentius Jonason Tetrarcha Langlandiæ & Erriæ. Canutus Porse Tetrarcha Hallandiæ, Sielandiæ & Scaniæ, quam etiam postmodum accepta magna pecuniæ summa Regi Sveciæ sub titulo pignoris assignavit.

Pugna Loheid.

A. D. 1331. Bellum fuit apud Loheth, & prævaluit Comes Gerhardus, & Rex Christophorus fugit, & Rex Ericus filius ejus in fugiendo per Dannewirck, de equo coliapsus Medicorum manibus in Chilone curandus traditur. Ubi sic est placidatum, ut Rex Christophorus totum regnum resignaret, & sólam Lalandiam quiete & pacifice possideret, ad dies suos. In qua, dum aliquam moram fecisset, rumores de morte Erici filii Regis, percepit, qui funus ejus in Lalandiam deferri faciens, & in Ecclesia Halstadiensi per quatuordecim dies cum solennibus exequiis fecit custodiri, donec nuncii de Lybech redeuntes cum necessariis pro ejus sepultura & in Sielandiam deductus sepelitur Soræ.

Christophoro R. Lalandia cedítur.

Ericus ejus fil. †

A. D. 1332. Rex Christophorus a Henrich Mobreghen & Johanne Ellemosse in Saxcöpingh est suffumigatus, captus, in Aleholm deductus, sed per nuncios Comitis Johannis est liberatus.

A. D. 1333. Obiit Christophorus Rex in Nycöpingh Falstriæ & cum filio suo Erico ante dicto in Sora sepultus.

Christoph. R. obiit.

A. D. 1334. Domicellus Otto, bellum faciens in Tapuchet, & est devictus. Item obiit Carolus Lundensis Archi-Episcopus, & electus est Petrus Johannis Decanus ibidem. Item obiit Papa Johannes & successit Benedictus, de ordine Cisterciensi.

tributa a monasteriis coacta.

A. D. 1339. Comes Johannes talliavit monasteria Sialandiæ.

A. D. 1339. Comes Gerhardus talliavit monasteria Sialandiæ.

Comes Gerhardus Danicam subigere tentat.

A. D. 1340. Comes Gerhardus electo gravi exercitu applicuit in Randero omnia circumquaque tam in monasteriis & Ecclesiis quam extra enormiter devastabat. Cupiebat enim nonsolum Daciam sibi subdere, sed & plura regna. Sed per Nicolaum Ebbejon, quam ipse prius diffidaverat, sabbatho, quo sitientes cantatur, est interfectus, & exercitus ejus dispersus. Item Waldemarus Filius Christophori Regis, a Curia Cæ-

perit.

Waldemarus Christophori

R. fil. electus. faris Bavaris & Svavis Stipatus, regnum Daciæ intravit, & nuptias suas cum Heldingo sorore Waldamari Ducis Synder-Jutiæ, qui ad tempus electus fuit in Regem, in Synderburgh Aliæ celebravit, & a Jutis & Sialandensibus electus est in Regem.

A. D. 1341. Rex Waldemarus redimere cupiens castrum Wordingborgh, de singulis Ecclesiis singulos recepit calices, quos stipendiarii profanarunt, nec dum castrum redemtum est.

A. D. 1342. Bellum fuit Maneburgh, ubi Nicolaus Ebbeson imperatus. In die Johannis & Pauli bellum fuit Haffnis, ubi Fridericus de Loken Marescalcus Regis Waldamari cum Danis contra Marquardum de Schone juniorem Capitaneum in castro Wordingborgh, ceteros Holsaticos Alemannos & Oplandenses, quos in auxilium conduxerat, dimicavit & Alemanni cum suis ceciderunt, & Marquardus fugit; succumbente Halwordo Pilt de Svecia, Magno & Agæo quoque Gigante. Obiit Papa Benedictus de ordine Cistercienst & succedit Clemens de Cluniacensi. Rex iterum commisit Alemannis castra sub titulo pignoris.

Bellum apud Danos.

A. D. 1343. Sialandia desolatur in pecoribus tam a Danis quam Alemannis & plures rustici truncantur ab iisdem. Willaköke comburitur, & plura oppida desolantur. Item Alemanni prælia ducunt contra Danos, in feria VI. ante Michaelis circa Flassa Mulle ubi captus est Boetius dictus Falck, & alii plures. Item Rex Waldamarus, castra posuit Ringstad die Johannis Evangelistæ, & die Sylvestri castra movit Slautsiam, unde applicaret ad castrum Kösför, sed per nuncium deceptus, reversus est Luinge. Ipso die capti sunt Sveno Episcopus Arhusiensis, & Jacobus Pauli Decanus Roschildensis in redeundo Roschild & in Padeborgh deducitur, unde interdictum publicatur. Rex Ringstadiam redit octava Stephani cum exercitu, & tertio die diviso exercitu Rœschyld rediit.

Sialandia devastata bello Germanorum cum Danis.

Infelix Danorum pugna.

induciæ. A. D. 1344. Dominus Nicolaus Limbech factus est dapifer Regis & treugatur inter Danos & Alemannos. Dani obtinuerunt castra Calundburgh & Seeburgh. Dominus Sveno Arhusiensis Episcopus & Jacobus Pauli Decanus Rœschildensis, solvuntur a captivitate. Solvitur etiam interdictum. Obiit frater Johannes Episcopus Rœschildensis, & electus est Jacobus Pauli Decanus ibidem. Parlamentum Jutiæ celebratur. In profesto XI. millium virginum fuit ventus vehemens. Rex Waldemarus debellavit Frisones. Dani vallaverunt munitionem, quæ est Nestwedis & infesto negotio redierunt sub conditione treugali.

conventus Jut.

Dani oppugnant Frisones

A. D. 1344. Concilium celebratur Helsingburgh, per Archi-Episcopum & Episcopos festo Ascensionis Domini.

Concilium Helseburg.

Holsatiorum & Danorum Holsati incenderunt plura oppida in Sialandia, & villa Ringstadt devastatur per eosdem. Dani obtinuerunt munitionem Nestvidis & destruxerunt Gunarslözholm, interfecerunt incolas ibidem & Marescalcum Ericum Nicolai, & tertia die obiit Johannes Magni, fundator ejusdem loci. Castrum Badeborgh est victum.

facta bellic

A. D. 1346. Dapifer cum exercitu transit Lalandiam post Epiphaniam & obsedit munitiones, quæ in eo erant. Ericus filius Magni Regis Sveciæ duxit filiam Marchionis Rex Waldamarus vicit Kossar. Comites Holsatiæ cum manu valida terram Lalandiæ invaserunt. Nota hic de Cruce in Thorebus. Captus est Ryssе pirata a Rege Waldamaro & decollatus & caput ejus palo affixum in Orckrog. Item Albertus de Oost prævaluit contra Marquardum juniorem de Schone in certamine singulari in Haffn. In vigilia S. Bartholomæi resignatur castrum Wordingborgh Regi Waldemaro. Rex Angliæ bellavit contra Regem Franciæ & plures interfecti sunt Principes Christianorum.

Lalandia bel tentata.

Erici R. fil. nuptiæ.

Lalandia a C mitt. Holf. i vaditur.

pirata multa tus.

Wordinbor castrum Wa demaro R. t ditur.

A. D. 1347. Rex Waldamarus transivit in Jutiam & post in Alemanniam & misit litteras vocare aliquos nominatim, ut post eum venire deberent, & aliqui ex iis per Capitaneos Falstriæ capti sunt propter spolium in Broocock factum. Post hæc Rex Waldamarus terram sanctam ex devotione cum pluribus nobilibus equitando visitavit, & ante sepulcrum IESU CHRISTI miles factus, plures ex ipsis nobilibus milites ibi fecit. Die Resurrectionis Christi Helwigis Regi peperit filiam Ingeburg. Castrum Kafnsburg resignatur Nicolao Hane ex parte Regis a Johanne dicto Huid. Marquardus de Schone junior latenter evasit de castro Köpendehaffn, in quo captivus tenebatur.

Gallorum c Anglis pra dira.

R. Waldem profectio fa cra.

A. D. 1348. Rex Waldamarus ad Daciam reversus obtinuit reliqua castra in Sialandia & aliqua in Jutia & Fioniam dimidiam, Nycöping in Falstria & Stecka in Meonia. Munitio in Schioldenes obsessa.

idem Danz majorem p tem sibi obe xiam reddi

Epidimia regnat per regnum.

epidemia.

A. D. 1349. Conventio facta est per regem Waldamarum Ringstad, die beati Canuti, in qua Rex pro redemtione castrorum docet se XXX. marcarum auri puri de regno levata exsolvisse. Insuper X. de proprio addidisse. Helwigis peperit sibi filiam Catharinam. Rex transit in Hallandiam ad Regem Sveciæ. Parlamentum celebratur Rœschild festo inventionis sanctæ crucis. Die Margarethæ Parlamentum factum in Norwegia. Expeditio facta in Alemanniam & combusta terra Pole. Expeditio in Marchiam, ubi rex venit generi suo in adjutorium, & destruxit plures civitates & post occurrit Imperatori. In nocte profesti sancti Martini ventus vehemens & terræ motus factus est, Mortalitas magna in Dania.

R. Waldem conventio.

Comitia Ro schild. it. Norvag.

expeditio i German.

pestis.

A. D. 1350. Indulgentiæ generales Romæ ad sanctum Petrum. Rex Waldamarus redit in Daniam. Obiit Jacobus Episcopus Roschyldensis & dictus est Hinricus Gerædson. Obierunt Haquinus & Canutus, filii Canuti Porse, Duces Hallandiæ. Waldamarus filius Re-

Indulgentiæ Waldemarus redux.

Haquinus Canutus Du ces obeunt.

Waldamarus fil. nascitur.

Regis Waldamari nascitur. Mirabiles circuli apparuerunt circa solem hora meridiana VIII. Idus Aprilis. Rex fecit expeditionem in Fioniam & in Iutiam.

Expeditio in German. irrita paratur.

A.D. 1351. Comites Holsatiæ Regem & regnum diffidarunt. Castrum firmatur & grangiæ regi sumtuose ædificantur. Rex misit exercitum Duci Waldemaro in auxilium, & sic transivit Alemanniam; sed Dux inimicis Regis sociatus exercitum Regis diffidavit & ideo exercitus est reversus. Discordia oritur inter Regem & Nicolaum Lambeck. Rex Sveciæ Parlamentum tenet in Helsingburgh. Die Simonis & Judæ Rex transit in Rostock, & post in Stralsund, & reversus est in die Edmundi Regis. Tres Episcopi de Dacia & tres de Svecia convenerunt Lundii ad dominum Archi-Episcopum pro pace inter duo illa regna.

Comitia Helsingb.

Concordia frustra tentata, primates Regis castra obsident.

Ventus magnus circa natale Domini. Dominus Bugghe & alii plures Domini convenerunt Calundborg ad Regem pro concordia facienda, sed pejori titulo recesserunt, quam venerunt. Cum autem redierunt in Jutiam Comitibus sociati, castra quæ rex ibi habebat, obsederunt.

1352. Rex collegit exercitum & applicavit, in Slavlesiam, sed propter ventum continuum per plures dies non transivit. Rex Daciæ & Sveciæ convenerunt in Oreburgh. Rex Waldamarus rediit in Sialandiam & collecto exercitu transivit in Fioniam & venit Otthoniam, ubi multi Principes & terrarum Domini occurrerunt, & Rex cum Magnipolensi ad oppidum quoddam divertit, ibi cum ipsis Principibus caussas inter ipsos ventilatas definivit.

Rex redux facit in Sialandia transit.

Electis ex utraque parte arbitris, castra & munitiones arbitris committuntur: unde firmius definire tenerentur.

Parlamentum in Helsingborg celebratur, ad quod Comites Magnipolenses pluresque terrarum Domini per Sialandiam transitum faciunt in expensis Regis Waldemari, quo celebrato Rex Sialandiam redit, nec multo post transit Lychosum, ibique Reges exclusis æmulis bene confœderantur. Quidam de curia Regia piraticam in mari exercebant in odium Lubicensium & plurima spolia adduxerunt. Rex misit quosdam ex suis in Jutiam & capti sunt a sociis Nicolai Limbeck in Mulshö. Parlamentum in Woldingborgh & celebrantur nuptiæ Nicolai Clementis in Calundburg. Convenerunt Rex Waldemarus & Episcopi Sveno Arhusiensis, Petrus Ripensis, Andreas Burglavienſis, & Joannes Roschildensis dominus Nicolaus Bugghe, Nicolaus Lembeck & alii plures Domini de Jutia, sed nihil memoriæ dignum ibi est factum. Hastiludium factum est in Koge, & postea in Stöcke. Eclipsis Lunæ Calend. Novemb.

R. Waldem. pacificatur & regnum sibi firmat.

Rex Waldemarus duxit exercitum in Alemanniam in adjutorium Domini Magnipolensis contra Duces & Stetin, & constituit Episcopum Röschildensem, Boetium dictum Talk, Stigotum Anderson, Pet. Lauritzön Jacob Passe custodes terræ, qui in vigilia omnium Sanctorum tributum terræ imposuerunt. Rex autem Waldemarus Alemanniam cum exercitu in gressus Dominum Magnipolensium cum Ducibus prædictis confœderavit. Deinde iratus contra Dominum de Slavonia, ejus terram, castra, munitiones, villam & oppida in magna parte spolio & incendio devastavit, nec etiam manus a bonis Monachorum, Monialium aliarumque Ecclesiarum & personarum abstinuit, sed & populum circumquaque devastavit. Aliquibus abscissis auribus & nare descissa deformes reddendo, exterminium magnum fecit. Unde & multi nobiles in ipsius partibus per cognationes suas ipsum deserendo se ab amicitia ejus sejunxerunt. Rex autem ab Alemannia rediens, festum natalis Domini in Wortingburgh cum suis celebravit. Slavos affligit.

1353. Regina peperit filiam, quam venerabilis Pater, Dominus Henricus Episcopus Roschildensis, de sacro fonte levavit, & vocata est Margaretha. Item Petrus Dægnæ desponsavit sibi virginem, videlicet filiam Olai Ebbesöns, sed ipsa connubium spernens ejus, alteri videlicet Soentækæ cuidam privato se matrimonio copulavit & transvecta in Meoniam, ibique nuptias celebravit, & ex hoc inter nobiles aliquos lis orta est. Causa de discordia inter Dominum Regem & Comites, & inter Duces de Jutia diversimode diversis locis & temporibus ventilata, tandem circa festum Jacobi & ipsi omnes bene concordati, ut putabatur. R. cum comitibus transigit.

1354. Rex intravit Frisiam eosque rebelles castigavit, & in magna pecuniæ summa multavit, obsidibus receptis ab iisdem. In Festo Johannis Danehof Nyborgh celebratur, ubi per dominum Ripensem ex parte Domini Regis publicantur infra scripta prout sequitur: Frisios coërcet

In Nomine Domini, Amem.

Nos Waldemarus Dei gratia Danorum Slavorum Rex in placito generali Dannehof dicto sub anno Domini 1354. octavo beati Joannis Baptistæ Nyburg celebrato & consilio & consensu Ducis Slesvicensis venerabilium Patrum Dominorum Episcoporum, videlicet Nicolai Otthonienſis, Petri Ripensis, Petri Wiburghensis, Henrici Rœschildensis Pauli Arhusiensis Nicolai Limbeck Dapiferi nostri, Palmonis Jonsön Marschalci nostri cet orum consiliariorum & hominum nostrorum statuimus omnes articulos infra scriptos memorabiliter observandos. Waldemari R stipulatio

Primo quod tota communitas Regum Daciæ legibus & libertatibus Domini Regis Waldamari & aliorum Regum Prædecessorum nostrorum felicis memoriæ uti libere debeat & gaudere. Item quod omnes bonæ consuetudines, quas habuerunt ab antiquo ratæ debeant esse atque firmæ. Item pro nimia de-

stru-

ſtructione populi Regis Daniæ & aliis quam pluribus deſtructionibus & periclis ipſi Regi incumbentibus, omnia forefacta vitam hominis & mutilationem membrorum tangentia in hunc diem perpetrata ex rogatu & conſilio eorundem Dominorum Epiſcoporum & hominum noſtrorum favorabiliter indulgemus, ita tamen ut cuiquam læſo ſatisfaciat ſecundum exigentiam legis terræ in qua ipſum forte factum fuit perpetratum. Item quicunque equos, boves, jumenta, ſeu alias res injuſte amiſerit, jus ſuum coram nobis ſeu Dapifero noſtro vel inſtituto aut domino noſtro tunc præſente legaliter proſequetur. Item ſi aliquis domos ſuas violenter ablatas in fundo alterius illegaliter poſitas ſeu conſtructas conveniat, eos legaliter arreſtet, jus ſuum ſecundum leges terræ proſequendum; ſi vero reus infra diem beati Martini proximum emendare non curavit Bondoni & nobis ſatisfacit ſecundum leges terræ: & ſic notandum de exceſſibus quibuscunque; item ſi quis ſimiliter alium de bonis ſive terra violenter ſibi ablatis, recuſare voluerit, incipiet cauſſam proceſſu debito, videlicet in placito ſui Heret Syſſel & terræ quod Landtztingh dicitur Dapifero placiti & noſtro Iuſtitiario ſeu Nobis, ſi juſtitiam prius non conſequi valuit, ventilari debeat & finiri, quodſi nullatenus juſtitiam obtinere poterit, & tunc adverſarium ſuum placiti ſui Herret ſex ſeptimanas ante præmoneat & ad generale placitum proxime celebrandum manifeſte eum citet, ubi dicta cauſſa Deo favente fine determinabitur. Item quod nullus cujuscunque conditionis conſiſtens cum aliquo Clerico vel Laico ſine voluntate & conſenſu domeſtici hoſpitetur: quod ſi aliquis fecerit domeſticus, eum cum propria familia, ſi ſufficeret, ſin autem aliter cum vicinis & noſtro advocato tunc præſente ſeu noſtro Dapifero tanquam raptorem & publicum latronem perſequi & impedire poterit, nulla debita cum ratione petitioni ejus adſervando. Item firmiter inhibemus & diſtricte ne quis, cujuscunque conditionis exiſtet, de bonis ſacerdotum & Clericorum decedentium, niſi veri hæredes, eorum aliquid præſumat occupare ſub gratiæ noſtræ contemptu.

Item placitum Dannehof denum ſemet in anno quolibet, videlicet die beati Johannis Baptiſtæ Nyborrigh ſecundum antiquam conſvetudinem Regni Daciæ celebrabitur. Item omnes diſſenſiones & inimicitiæ inter quoscunque ad quindenam ante dictum feſtum divi Johannis, usque in feſtum beati Jacobi proxime venturum in mera ſecuritate habeantur ſub pœna Orbodemaal vulgariter nuncupata. Item ſub contemtu gratiæ Noſtræ firmiter inhibemus, ne quis advocatorum Noſtrorum ſeu Officialium contra præmiſſos articulos aliquid præſumat attentare. Quod ſi aliquis attentaverit, nobis nolumus imputari, ſed ipſe Advocatus ſuper propriis ſuis factis ſtabit.

His publicatis omnes ad propria redierunt. Quidam vero exſurgens in medio contra clamavit omnia fore vana. Rex pauciora experimentis proſecuturus, quam promissis completus fuerat. Celebrato Dannehof ſtatim rediit Rex in Sialandiam & miſit tres Epiſcopos ad totidem Epiſcopos de Svecia aliosque Conſiliarios Regi in Helſingburgh; ipſe autem venit Hordingburgh, ubi Hennichino Brogehæ & Joanni Alemoſe ſeu filiis ſuis ignovit & remiſit facta ipſorum, quæ in patrem ipſius exercuerunt. Ita tamen quod ſingulis annis anniverſarium ipſius Regis Chriſtophori, quamdiu aliqui ex ipſis advixerunt, in Sora ſolenniter celebrarunt. Item nuptiis interfuit Mœoniæ, quibus celebratis occurrit Roeſchyld nunciis Regis Sveciæ. Tandem poſt plures internuncios hinc & inde transmiſſos Rex Daciæ Waldemarus & Rex Sveciæ Magnus Holſingburg, convenerunt circa feſtum Michaelis. Reverſus in Sialandiam ſolennes nuncios ſexus utriusque in Alemanniam transmiſit, qui de Wiſmaria filiam ſuam ſolenniter reduxerunt, Die beati Martini omnes Advocatos ſuos Siallandia Slavloſiam citavit, ibique eis de faciendis in abſentia ejus verbis & ſcriptis unicuique ſingulariter commiſſis intimavit, & poſt in Jutiam ſe recipit, & filium ſuum Chriſtophorum in Wordingburgh collocavit. Mortuo interim Andrea Burglavienſi Rex Magnum Johannis Canonicum Rœſchyldenſem & Arhuſienſem ibidem reſtituere tentavit, quod & fecit eique in omnibus neceſſariis providebat & diu ſecum in curia ſua honorifice tenuit. Parlamentum Lobiche die Innocentium celebratur, ad quod Rex venire cogitavit, & eo expenſas in magna copia præmiſit ſed conductum niſi cum certis viris habere non potuit, ſic propterea ſuperſedit, & aliquos de curia ſua illuc miſit.

Nuncios tit.

comitia Lobich.

1355. Sequenti die Epiphaniæ venit edictum a Rege, ad placitum generale Sialandiæ, ut ſuis armis & equis minoribus expediti ſibi Ripis die converſionis Pauli occurrere feſtinarent. Sed erat eis contrarius ventus, nec poterant transfretare infra plures dies, Rex in Jutia moram faciens & Juſtitiarium placitum tenens, multorum avaritiam caſtigavit, ita ut hæreditas minorum ad majores, vi vel aliquo titulo injuſto divulſa, verum rediret ad hæredem. Ubi, cum cujusdam militis Nicolai Erichſön Rubei clandeſtina obtrectatione parum honorate de ſe habitum comperiſſet Sermonem, iræ aculeis actus, miſit, qui eum caperent, ſe ipſe capi renuens, interfectus eſt ab iisdem. Rex in Sia-

Haereditat convenien reſtituit.

obtrectato cæſus.

lan-

Jandiam rediens, occurrit Regi Sveciæ Helsingburgh, circa festum Johannis, ubi treugatum est; inter regna festo Olai facta est conventio in Vrangstrup, ubi pro forefactis, & Jure Regis duplicatur poena pecuniaria. Hastiludium Rœschyld celebratur, in quo Arnoldus de Lobbiche solenniter se gerebat. Interea oritur guerra inter Ducem Slesvicensem & Benedictum de Anefelde, qui munitus regio auxilio castrum Franckier obsedit, terramque suam Langlundiam devastavit; Dux superveniens navibus exercitum dissipavit, qui naves, quibus venerant, occupantes nunciaverunt Regi de facto, qui veniens manu valida ipsum Ducem Ducatum resignare coëgit; sed tamen reconciliati, Ducatum restituit, & facta est pax falsa & fœdus fictum. Obiit venerabilis Pater Dominus Petrus Johannes Archi-Episcopus Lundensis, & electus est dominus Jacobus Nicolai & cum moram Avenionis pro confirmatione faceret, bona Episcopalia per Ducem Benedictum, imo maledictum, & præfectum Schanniæ (sed Rex Sveciæ pro instinctu hujusmodi notabatur) omnimode sunt confiscata. Ad diversos terrarum Principes nuncios suos pro caussis diversis remisit Waldamarus; direxit etiam quosdam nuncios solennes ad summum Pontificem, qui venientes, Avenionis gratante caussa mittentis sunt recepti, ejus commensales sunt facti, negotiis pro quibus venerant peroratis, votorumque compotes effecti, benedictione Apostolica roborati, ad propria redierunt, gratulantes Domino suo Regi, ex parte Domini Papæ placentia referendo. Venerunt quoque nuncii Regis Franciæ ad Waldamarum Regem Danorum pro matrimonio inter liberos utriusque contrahendo, nuncii etiam Regis Waldamari, prædictum Regem petiverunt, ubi reverenter excepti, & pretiosis exeniis ditati ad dominum suum sunt reversi. Et quidam vocati, ut post Regem in Laylandiam tranferrent, & supersederunt tam militares quam rustici cum balistis Ecclesiarum propter contrarium ventum. Eorum negligentiam pœna pecuniaria per Advocatos suos fecit castigari, ut inde ceteri in talibus fierent cautiores. Item festo Simeonis & Judæ facta est conventio Vrangstrup, ubi Rex cum suis tractavit de moneta. Imposuit etiam tum tributum, ut post decumas, de pecoribus, de singulis capitibus, uti liberis solverent VI. grossos, duobus terminis Nicolai & Purificationis. Addit & hoc, ut singuli de familiis singulorum XIV. dierum labores expenderent, pro Rege in hyeme & æstate in propriis expensis. Sed familia Regis, Ecclesiæ & Monachorum in laborando Legem non habebant, & vix sessis dabatur requies, rustici facto scrutinio, pro pecoribus non annotatis per Advocatos sunt castigati. Tunc Rex Johannem Macher Advocatum in Calingburgh constituit Rectorem Placiti Universalis. Rex transivit in Jutiam & venit edictum ab eo, ut sui omnes de Sialandia ei occurrerent Ripis Dominica proxima post Epiphaniam sub Ducatu Bo Falck. Item edictum aliud Advocati singuli singulos sagittarios Festo Purificationis Coldingh mittunt in occursum Regis.

1356. Parlamentum fuit Kylone & Waldamarus Rex Danorum erat ibi:

Item commisit Domino Henrico Episcopo Rœschyldensi & duodecim aliis de terris Abbatibus & militaribus de negotiis & utilitate terræ, maxime de molendinis, quæ nuper ædificaverat, & eorum aqua, ductuque; nolebat enim aquarum decursum ad mare transire deorsum, quin utilitati communi prius deserviret. Et ideo plurimis in locis aquas stagnavit, & conclusiones aquarum fieri fecit sumtuosas: Et præcaveri voluit, ne tempestatis magnitudine, aut aquarum hyemalium irruptione æstuaria destruerentur, fossata & valli, qui Damme Danice dicuntur, deperirent. Prævaluit aquæ violentia tamen in quibusdam locis. Item nova moneta, scilicet cuprea, succedit argenteæ, pejor meliori. Item Parlamentum in Löbicke, ubi Rex solennitavit & magnas fecit expensiones, non tantum pro se, sed pro aliis terrarum Dominis. Magnus Rex Sveciæ exaltavit quendam Benedictum & fecit eum Ducem addiditque Domino suo terras & insulas multas; sed orta est discordia inter ipsum & Ericum filium Regis Magni socerum scilicet Regis Waldamari. Ideo ipse Rex Waldamarum petivit, venitque ad eum Hafnis & honorifice susceptus, moratusque per dies aliquot Xeniisque Regiis ditatus, ad propria est reversus, prævaluitque contra Benedictum ipsumque de terra fugavit. Bo Falck, qui sequebatur cum navigio, ut patrem ejus in negotiis Regis Waldamari peteret, captus est ab eodem. Misit ergo Rex aliquos de terra sua, ut stipendiarios conducerent, sed tardavit eos vis algoris.

Controversiæ variæ compositæ.

Discordia inter R. Suec. & jusque filium, Benedicti cujusdam largiter ditati causa.

1357. Exercitus Alemannicus Schanniam se infuderat sub eventu dubio. Juti etiam conglobati murmarare dicebantur contra Regem. Ideo Rex omnia castra personis & expensis firmavit ac commessibila grangiis suis & curiis advocatorum congregata infra munitiones castrorum fecit deportari. Sicque circa Purificationem beatæ Virginis, Juttis occurrit in Nyborrigh: Et quæ multitudo Juttorum venerat, cum potioribus negotia tractavit, & multitudo Otthoniæ remansit. Factaque compositione de Parlamento in Calundborgh Dominica XL. inediæ celebrendo, ab invicem decesserunt. Rex Sialandiam reversus, laboribus rusticorum & aliorum non pepercit, sed magis jugum suum aggravavit, ac etiam castris suis in expensis majoribus prævidebat. Contigit quiddam rarum in Sialandia in anno eo. Quidam in vigilia Nativitatis Christi in oppido Wallingsbech apud rusticum hospitabatur, mansionem in ejus fornace eligens, habuitque secum mulierem juvenculam visibilem, ipse semper invisibilis permanebat. Loquebatur autem Danicum & Latinum dicens se in Trellebourgh natum & Scholam Rœschyldensem frequentasse. Ibi morabatur bibens & comedens, sed libentius

Bellum paratur.

casus singularis de quodam invisibili narratur.

ova: colloquia cum advenientibus habuit, plura festa rusticorum visitavit; quæ ibi gerebantur, domestico suo referebat. Interrogatus utrum rem cum illa Muliere haberet? ille, affirmavit; ast, illa negabat; quæ ipsi dabantur, ipsa accipiebat, & in ejus cibos convertebat. Rusticus autem non ferens frequentiam adventantium, mulierem curru impositam, Hafnis deduxit, Sabbatho IV. temporum post cineres sed Petrus Jordanis, (sic se nominavit) sequebatur. Horrenda quæ sequuntur: Universis CHRISTI fidelibus ubicunque locorum existentibus, Magister Milletus de Tolleto, & Congregatio aliorum Magistrorum ibidem gratiam sempiternam. Pro salute generis humani vos consulimus, quod omnes sitis confessi immediate in A. D. 1357. pro eo, quod in eo accidet. Evenient enim tot dolores & mirabilia in mundo, quot nunquam similia evenerunt & incipient in isto anno mense Majo. Primo sol ascendit in signum Lunæ, quod signum est calidum super naturam & luna exit eclipsata tunc temporis & tunc Reges effundent sanguinem suum, & erunt quamplurimæ domus Planetarum sibi invicem adversantes. Magnæ tribulationes erunt in illo tempore per duos dies, videlicet homicidia & alia multa mala super terram & exibit mare in terram extra terminos suos per spatium quadrupliciter, postquam tuis post diluvium. Postea vero venti flabunt contrarii; & mirabilia erunt super aquam & terram: & erunt quam plurimi terrores & terræ motus, & plurimæ Civitates subvertentur super sabulam & arenam exeuntes, & tandem septima die mensis Augusti hora tertia orietur sol ita rubicundus, ut sanguis. Præ ejus summo ardore & calore plurimæ domus ligneæ seu lignis coopertæ comburentur. In illa tertia hora, erit magna effusio cruoris, specialiter in regno Franciæ & postea congregabuntur civitates contra civitatem & filius contra Patrem & Patria in Patriam etiam quamplurimi Saraceni propter prædicationem fidei Christianæ convertentur. Item cadent postea fulgura & tonitrua & alia horribilia super terram, taliter, quod paucæ gentes unquam viderunt, Effectus supra dictos terrore concuti videbunt. Quare consulimus Universis, quod unusquisque paret se ad moriendum, & sit bonus Christianus, prout necessitas ei incumbit ex eventu præmissorum & eventuum. Omnia hæc sunt prophetia Sybillæ, quod dixit post A. D. 1357. videbuntur mirabilia, & famæ vulgaris est, quod dicunt ipsam natam de terra Dan. in terra Babylon. ultra partes marinas; & quod loquebatur cum esset 30. dierum. Festo annunciationis beatæ Virginis celebratum est Parlamentum in Callundburgh per Regem Danorum & Episcopos scilicet Nicolaum Othonienſem, Henricum Rœschyldenſem, Petrum Ripenſem, Petrum Wiburgenſem, Paulum Arhusienſem & Magnum Burglavienſem, ubi desseminatum fuit, quod constitutiones in Parlamento Nyborgh celebrato a modo strictius observentur. Sed licet ante parum observabantur, postea de illis nulla fuit causa. Dominica Quasimodogeniti Rex Roschyldis suos convocat, & cum Episcopo Roschildensi tractat ut bona ipsiusin Aasherrit castro Calendborrigh annecteret. Peractis aliis retia luporum confici injungit. Et post in Jutiam est discessum ibique morando majores & minores variis impositionibus aggravat.

Vaticinium cujusdam jactatum.

Comitia Callundb.

tributa aggravantur.

II. *Anonymi Chronologia ab A. C. 821. ad Ann. 1330. ex antiquiss. Codice in membrana Mssto Regiæ Bibliothecæ Hafniensis signato. E. 39.*

Anno Domini 811. Haraldus factus est Rex Danorum. 826. Haraldus Rex Danorum baptizatus est, cum uxore & multis Danis. 827. S. Ansgarius evangelizavit per Daniam. 846. Haraldus Rex Danorum obiit Ericus succesſit. 846. Ericus Rex Danorum obiit. Ericus puer succesſit. 901. Ericus Rex Danorum obiit, Frothe succesſit. 925. Frothe Rex Danorum obiit. Secundus Frothe succesſit. 927. Frothe Rex misit ad Agapitum Papam, ut Episcopos mitteret in Daniam. 931. Forthe obiit. Gorm succesſit. 949. Gorm Rex Danorum obiit Haraldus succesſit. 912. Adaldagus Bremensis Archi-Episcopus ordinavit tres Episcopos in Daniam Horedum, Liasdagum, Rehiabrandum. 1001. Haraldus Rex Danorum obiit, qui dictus est Blatan. 1002. Sueno filius ejus factus est Rex, qui dictus est Thyuuscegs. 1020. Sueno Rex Danorum obiit, qui dictus est Thryuscegs. 1021. Kanutus filius ejus succesſit, qui vocabatur senex. 1026. Kanutus Rex Danorum & Anglorum obiit. 1037. Harthe-Knut, filius ejus succesſit. 1043. Harthe-Knut Rex Danorum & Anglorum obiit. 1044. Sueno Magnus factus est Rex Danorum. 1074. Sueno Magnus, Rex Danorum obiit. 1075. Haraldus filius ejus succesſit. 1080. Haraldus Rex Danor. obiit. 1081. Sanctus Kanutus frater ejus succesſit ei. 1090. Sanctus Kanutus Rex Danorum occisus est in Othinsho. 1091. Olauus frater ejus succesſit ei. 1098. Olaus Rex Danorum obiit. 1099. Ericus Bonus frater ejus succesſit ei. 1103. Ericus Bonus Rex Danorum obiit in peregrinatione Hierosolymitana. 1104. Nicolaus frater succesſit ei. 1105. S. Kanutus factus est Dux Jutiæ. 1127. Margaretha Regina Danorum obiit. 1127. Carolus Dux Flandriæ filius S. Kanuti Regis & Martyris interfectus est a suis. 1130. Sanctus Kanutus Dux Jutiæ, filius Erici Regis occisus est. 1131. Bellum fuit in Jallungi inter Ericum & Magnum. 1132. Roskild devastata est. 1134. Magnus occisus est in Scania in prælio. Et Nicolaus Rex occisus est in Jutia. 1135. Haraldus interfectus est in Jutia. 1139. Ericus Emmuni Rex Danorum occisus est. 1143. Olauus filius Haraldi occisus est. 1147. Ericus Lamb, Rex Dan. obiit.

obiit. 1148. Kanutus & Sueno electi sunt. 1149. Bellum fuit in Torstinstorp. 1150. Bellum fuit Wibiargis. 1155. Dani elegerunt Kanutum & Waldemarum. Sueno fugit. 1157. Sueno rediit & Canutus dolo occisus est Roskildis. 1158. Sueno occisus est in Jutia & Waldemarus totum Regnum obtinuit. 1159. Ascerus Episcopus obiit. 1163. Waldemarus Rex ad Imperatorem ivit. 1165. Waldemarus Rex Sclaviam devicit. 1167. Burius captus est. 1170. Translatio S. Kanuti Ducis & Martyris. 1172. Magna pars Lundis combusta est. 1177. Eschillus Archi-Episcopus discessit a Dania. 1178. Absalon factus est Archi-Episcopus. 1179. Facta est dissensio inter Archi-Episcopum & Scanienses. 1180. Bellum fuit Anundalene. 1181. Magnus & Canutus occisi sunt. 1182. Glorioſus Rex Waldemarus obiit. 1191. Petrus filius Sunonis factus est Episcopus Roschildis. 1192. Episcopus Waldemarus captus est in die Sancti Stephani. 1196. Kanutus Rex profectus est ad Heplandiam cum exercitu. Eodem anno Gerthrudis Regina obiit. 1198. Sophia Regina obiit. Eodem anno Petrus Episcopus captus est. 1200. Absolon Archi-Episcopus obiit. Successit ei Andreas filius Sunonis. 1201. Holsatia subjugata est, & captus est Comes Adolphus. 1202. Kanutus Rex Danor. obiit. 1203. Waldemarus frater ejus Dux Jutiæ, Rex factus est. 1206. Episcopus Waldemarus solutus e vinculis discessit e Dania. 1208. Exercitus Danorum cecidit in Svecia apud Lenem. 1213. Margaretha Regina Danorum de Boemia obiit. 1215. Petrus Episcopus Roskildensis filius Sunonis obiit. 1217. Petrus, filius Jacobi, factus est Episcopus Roskildis. 1218. Nicolaus, Comes Haldensis, obiit. 1219. Prima Expeditio facta est in Heplandiam. 1220. Richice Regina Sveciæ, & Beringera Regina Daniæ obierunt. 1222. Cardinalis Gregorius fuit in Dania. 1223. Rex Waldemarus cum filio captus est a Hinrico Comite. 1224. Petrus Præpositus ordinatus est Archi-Episcopus Lundis. 1225. Petrus Episcopus Roskildensis in peregrinatione obiit. 1226. Rex Waldemarus solutus a captivitate rediit in Daniam. Nicolaus factus est Episcopus Roskildis. 1227. Bellum fuit apud Heydoram. 1228. Dani capti sunt in Holsatia a Saxonibus. 1230. Cardinalis Otto fuit in Dania. 1231. Helena Regina Danorum & Waldemarus Tertius Rex obierunt. 1232. Henricus filius Waldemari II. unctus est in Regem. 1233. Waldemarus II. Rex profectus est in Sclaviam cum exercitu. 1237. Dux Abel duxit Uxorem filiam Comitis Adolphi. 1238. Translatus est sanctus Wilhelmus Abbas de Paracylto. 1239. Rex Ericus duxit uxorem. 1241. Obiit venerabilis Rex Waldemarus, frater Canuti Regis. Cui succeſſit in regnum filius suus Ericus. Et eodem anno ignis incendio consumtum est, clauſtrum Ringstadense, III. Kal. Jun. fer. V. 1243. Ericus Rex duxit exercitum contra Abel apud Kaldengi. 1245. Nicolaus Episcopus Roschildensis expulsus est. 1246. Obiit piæ memoriæ Dominus Jacobus Sunonis. 1247. Ripa capta est a Duce Abel & iterum reddita Regi Erico. Sora combusta est. 1248. Kanutus Dux & Christophorus fratres capti sunt, a Rege Erico. 1249. Kop manehafn a Teutonicis devastata est. Obiit Episcopus Nicolaus. 1250. Sleswic capta est a Rege Erico, & iterum reddita Duci Abel. Rex Ericus in nocte beati Laurentii occisus est, ipsa die in mane

Obiit Pincerna Olauus.
Captus est Waldemarus filius
Abel ab Archi-Episcopo Colonienſi.
Coronatus est Rex Abel.

1251. Obiit Comes Nicolaus. 1252. Tertio Calend. Jul. occisus est Rex Abel in Jutland. Electus Rex Christophorus; Henricus de Hemmelthorp occupavit Mönuſſo. Archi-Episcopus obiit. 1253. Suineborg & Mielfis Kœer destruuntur. 1254. Jacobus Archi-Episcopus & Petrus Episcopus efficitur. 1256. Obiit Petrus filius Ebbonis & clava ferit. 1257. Reconciliatus est Rex Christophorus cum Rege Norwegiæ. 1258. Rex Christophorus occidit rusticos. Ericus Rex translatus est de Herkekbis. 1259. Captus fuit Archi-Episcopus Jacobus in nocte Sanctæ Agathæ fugit Episcopus Petrus. Jarmarus occupavit Sialandiam quinta die Paschæ. Christophorus Rex obiit. Archi-Episcopus Jacobus solutus est. Strages Bondonum fuit juxta Nestwerh in Festivitate S. Basilii in mane. Marchio & Dani reconciliati sunt. Concilium fuit in Rostoch. Ericus filius Christophori Regis coronatus est undecimo ætatis suæ anno. 1261. VI. Kal. Maii. tertia nocte Paschæ sequenti nocte, post natale Marci Evangelistæ combustum fuit clauſtrum Nestwerh. Eodem anno V. Kal. Aug. fuit bellum in loco, qui dicitur Loherh. 1262. Factus est Dux Albertus de Brunschwich Princeps Danorum. 1264. Solutus est Henricus Rex filius Christophori a captivitate. 1271. Combustum fuit Nesthwerh. 1272. Mortuus est Ericus Dux Jutiæ & uxor ejus. Johannes Dapifer Wittingh duxit exercitum Magnum ad Slesewig. 1273. Ericus Rex duxit Reginam Agnetam. 1274. Jacobus Archi-Episcopus obiit in Dominica, qua cantatur Invocavit.

Erlandus Archi-Diaconus in Episcopum electus in Dominica qua cantatur Misericordias Domini.

Et eodem anno Concilium Generale celebratum Lundis, quando statutum est decimam solvi VI. annis ad terram Sanctam.

1275. Bellum fuit in Svecia apud Houu inter Danos & Svecos & Dani habuerunt victoriam. Et parvo tempore post hoc Waldemarus Rex Sveciæ per fratres suos captus est, & regno suo privatus. Eodem anno obiit Archielectus Erlandus, & Dominus Thurgotus Thorstani in Archi-Episcopum electus

electus est. 1276. In die beati Johannis Evangelistæ Thrugothus electus consecratus est, in Curia Romana in Archi-Episcopum electus est a Papa Johanne. 1277. Obiit Episcopus Roskildensis Petrus dictus Bangkh, in Vigilia beati Johannis Baptistæ. Cui successit Episcopus Stigothus. 1279. Archi-Episcopus Thrugothus Torstani anno ordinationis suæ tertio, fecit Visitationem per regnum Daniæ & convocavit Provinciale Concilium in Hamblewahthle quod celebratum est Dominica prima Quadragesima, quæ erat XI. Calend. Martii. Ipso quoque anno in Vigilia beati Jacobi Apostoli, præsente Rege, cum pluribus Regni nobilibus & multitudine vulgi innumera pugiles qui venerant de Ymbria inierunt duellum apud Nesthwerh in loco ubi quondam Jarmarus Bondones debellavit, quorum pars altera obtinuit in caussa quamvis utriusque partis pugiles vulnerabantur graviter, diutissime dimicando. 1280. Sequenti nocte Dominicæ Resurrectionis quæ celebratur XI. Kal Maij littera Dominicali existente F. Huno bisextili, combusta est civitas Nestwerh in majore parte & meliori, ex utraque amnis & major Ecclesia. Eodem anno sequenti die Walburgis Virginis obiit Archi-Episcopus Thrugothus Torstani Lundis & sepultus est ibidem sabbatho subsequenti, anno ordinationis suæ quarto. Electus est Johannes in Archi-Episcopum. 1281. Filia Regis Daciæ est filio Regis Sveciæ juncta. 1282. Combusta est Ecclesia b. Lucii Roskildis, sequenti die post festum beati Lucii. Eodem anno obiit Margaretha Danorum Regina & Nicolaus Cancellarius. 1283. Concilium fuit Helsingburgs. Nittioping & Orthingeburg, cum Rege & V. Episcopis, & Iutenses cum Domino Rege sunt reconciliati, & Ericus factus est Dux Iutiæ. Domicellus Ericus Kanuti Ducis filius factus est Dapifer. Et cecidit Ecclesia beatæ Virginis Ripis in nocte Nativitatis Domini, post primam missam, ubi multi viri & mulieres fuere obruti. 1284. Parlamentum Orthungæburg celebratum est, præsente Domino Rege ceterisque Episcopis & Optimatibus Regni die ascensionis Domini, ibidemque Iutenses cum Domino Rege reconciliabantur ex integro & Ericus Ducatus gubernaculum possessione recepit, ubi Dominus Otto secundario Dapifer est factus. 1285. Dux Waldemarus captus est cum Dapifero suo, a Rege Erico. 1286. Celebratum est Concilium in Nyborgh. Dux Waldemarus liberatus est. Ericus Rex occisus est in Jutia. Cui successit Ericus filius ejus in Regnum. 1287. Jacobus Comes & Stigothus Marscalcus cum multis nobilibus Daciæ, expulsi sunt. 1288. Absolon filius Andreæ obiit. 1289. Ericus Rex Norwegiæ duxit expeditionem in Hafniam. Johannes Archi-Episcopus obiit. Cui successit Præpositus Johannes Roskildensis cognominatus Grandis. 1290. Inguarus Episcopus obiit, cui succesit Johannes dictus Crakoe. Alverus pyrata captus est, & rotafractus apud Helsingeburgh. Hialm castrum ædificatur. Secunda expeditio Regis Norwagiæ in Daciam. Magnus Rex Sveciæ obiit. 1292. Skielm Dapifer interfectus est in præsentia Regis. 1293. Tertia expeditio Regis Norwegiæ in Daciam Gerardus Dux Holsatiæ duxit Agneten Reginam. 1294. Johannes Archi-Episcopus captus est & cum eo Jacobus Præpositus dictus Lang, in Annunciationis Dominica. Et sequenti anno clanculo evasit de turre Sioborgh. Isernus Domini Papæ nuncius in Dacia fuit. 1296. Ericus Rex duxit Ingeborgh filiam Regis Sveciæ. 1297. Isernus Domini Papæ nuncius fuit in Dacia. Dacia interdicto supponitur. Combusta est Nestwerh & molendinum magnum in die Petronellæ Virginis. 1300. Johannes Archi Episcopus transfretando de Flandria venit Lybeck & Abbas Johannes cum eo.

III. Incerti Autoris Chronologia

ex eodem antiquissimo Codice membranaceo Bibliothecæ Hafniens. ab Anno

826. *ad a.* 1157.

Anno Dominicæ Incarnationis 826. Heraldus Rex Danorum apud Maguntiam est baptisatus ab Othgario, Archi-Episcopo, susceptus ab Imperatore Ludowico, anno sexto regni sui. Cum quo frater ejus Hericus & uxor Regis cum magna Danorum multitudine illuminati sunt, & Christianæ fidei conjuncti. Quibus in regnum suum tendentibus, quum nemo doctorum facile potuisset inveniri comes sanctus Ansgarius cum socio se ultroneum obtulit Authbertho. Cum quo quatuor annis commorantes multos ad fidem converterunt. Qui reversus Archi-Episcopus Hammonaburgensis efficitur, nunc Danos, nunc Transalbianos visitans, innumerabilem utriusque gentis multitudinem ad fidem contraxit. Deinde mortuo Liudrico Bremensi Archi-Episcopo Liuduicus Imperator filius Liuduici frater Lotharii & Caroli Bremensem Archi-Episcopatum Ansgario concessit. Hoc Regali munere confessor DEI valde gavisus, in Daniam perrexit; ubi Regem Danorum fratrem Regis Heraldi prædictum Ericum Christianissimum cum suo populo reddidit. Nam mortuo Haraldo ipse in regnum adsumtus est, hic primum Ecclesiam Slesvic. erexit, data pariter sententia, ut quisquis esse vellet, in regno suo Christianus fieret.

Rex Hara baptizatus

Ansgarii Authbert opera mu relig. Ch per ducti.

Ille fit Ar Ep. Ham

postea Br mensis

eccleſia S vic. ſtruc

Interea Normanni Galliam demoliti per fluvios Ligarim, Sequanam, Rhenum dederunt excursum. Quo timore compulsus Rex Franciæ Carolus terram eis concessit ad habitandum, quam & hodie possident. Deinde Daniam egressi, Hericum Regem interfecerunt quo mortuo Hericus puer in regnum levatus est. De isto Herico puero non minima dubitatio est, utrum filius prædicti Erici fuerit an non? Qui mox super Christicolas efferatur,

Normani Gallia se concessæ.

Hericus fi mortuo pa male affic Christian

tur, sacerdotes expulit, Ecclesias claudi præcepit. Ad quem veniens S. Ansgarius intrepidus crudelem Tyrannum de feroci leone mansvetissimum convertit in agnum, adeo ut ipse Christianitatem susciperet, & suis omnibus per Edictum Christianos fieri mandaret. Tunc Sacerdotes revocati, Ecclesiæ sunt erectæ & restauratæ. Insuper apud ripam Basilica exstructa est, post Sleswic secunda. Eo tempore collectis Rex crudelissimis Normannorum misit Yivar filium Lothpwarcti, quem ferunt ossibus caruisse (cujus fratres Ingwar & Ubi & Biörn, & Ulf Aquilonis gentibus præfuerunt) Reges etiam Danorum vocavit in auxilium ad destruendum Regnum Anglorum. Reges dico; quia tunc temporis multi fuerunt Reges in Dania. Nam, ut referunt, duo aliquando in Jutia, in Fyunia tertius, in Seelandia quartus, in Scania quintus; aliquando duo per totam Daniam, aliquando etiam unus per totam Daniam, aliquando unus per totam Angliam, simul & Daniam, ut post docebimus. Igitur Yivar classe Brittanniam petiit, & crudele prælium cum Regibus Anglorum conseruit. Ibi Reges Nordumbrorum Gelle atque Osbertus ceciderunt, ac Denunolff & Berunolff de prælio fugerunt. Edmundus Rex Sanctissimus Orientalium Saxonum, qui sæpe antea Victor extiterat, & tunc victus & in prælio captus, manibus post terga ligatis, pro Christi confessione ligatus, flagellatus ac deinde sagittatus, ad ultimum decollatus, glorioſam Martyrii coronam adeptus est. Hæc prima Nordumbrorum plaga taliter gesta est in Anglia. Inde permotus Rex Ingwar, cum novem Aquilonis regibus classem divisit; aliosque Reges in Galliam destinavit, alios in Germanam: Quorum pars vecta per Albiam Saxoniam invasit, ibique Ducem Brunonem cum decem Comitibus occidit sibi occurrentem. Cum quibus duo Episcopi trucidati sunt. Deinde Trajectum oppidum invadunt, urbemque solotenus posternunt, in qua Rabodo tunc claruit Episcopus. Ad ultimum Rhenum transeunt Coloniam & Treuiros incendunt. Aquisgranis Stabulum equis suis fecerunt, urbes cum civibus, mulieres cum infantibus in ore gladii trucidarunt. Ecclesias Sanctas cum fidelibus suis incenderunt, & subverterunt. Moguntia ob metum eorum instaurari cœpit. Tunc Frisia etiam a Danis depopulata est.

Hæc dum agerentur Hericus Rex defunctus est; A. D. 901. & in regnum Frotho levatus est, quem Unni Bremensis Archi-Episcopus baptizavit. Ex templo erectæ sunt Ecclesiæ, quæ pridem destructæ sunt Slesvicensis & Ripensis. Tertiam, Rex in honorem sanctæ Trinitatis apud Arhusam ædificavit. Dicunt quidam, quod Unno Bremensis Archi-Episcopus Gorm & Haraldo, qui in Dania Reges extiterant, prædicaret & Christianos placatos redderet, & Ecclesias diu neglectas revocaret. Iste Gorm pater Haraldi exstitit, qui Haraldus vivente Patre quindecim annis regnum gubernavit; mortuo patre A. D. 849. quinquaginta ann. regnavit. Hic Christianus extitit cognomine Blatan sive Clac Harald *

* His proxime conjungenda, quæ mox infra sequuntur *Gorm. crudelissimus* &c. & ista *mortuo Haraldo* ut indubie sunt hoc loco expungenda, utpote falsa & Chronologiam turbantia.

Nota. S. D. Stephanii.

Mortuo Haraldo Suen quidam Normannorum Transfuga collecta multitudine Angliam invasit, Regem Aldradum expulit, ipse Regnum tenuit. Hujus filii Gorm & Harda-Cnut patria non contenti latrocinio Daniam insiliunt occisoque Rege Danorum Haldano, cum filiis ejus Regnum Danorum partiti sunt, Gorm Daniam, Hartha-Cnut Angliam. Nam Suen pater eorum interim, quando ipsi Daniam invaserunt, mortuus est. Haraldus autem utrum fuerit filius Clac-Haraldi, in dubio est.

Suen Anglia am, ejus filii Daniam armis occupant.

Gorm crudelissimus; Haroldus ejus fil. mitissimus & Christianis fauens.

Gorm crudelissimus Rex sedem Regni apud Selandiam constituit. Hujus filius mitissimus Harold fuit, qui primus apud Seeland Ecclesiam construxit. Qui contra patris imperium Christianos amicos habuit eosque pro civibus undique susceptos in persecutionibus fovit. Itaque in malis patre perseverante, Harald post mortem Ejus in Regem assumtus est; Christianusve effectus est. Qui mox Sacerdotes tam ab Anglia, quam a Saxonia venientes recepit & Christum publice colere cœpit. Unde Venerabilis Adaldago Archi-Episcop. & Ottoni Augusto amicus & valde familiaris fuit, adeo ut filium ejus baptizatum a sacro fonte levaverit, & Suen-Otto vocaverit. Itaque Rex devotus & in Christo fidelissimus, non solum baptizatus, sed etiam ut Episcopi per Regnum constituerentur per nuncios deprecatus est. Qua petitione Adeldagus Bremensis Archi-Episcopus gaudens Consilio Regis & Papæ tres ordinavit in Daniam episcopos Hericum ad Slesvicum, Liadagum ad Ripam, Rehinbrandum ad Arus A. C. 962. Postea etiam plures ordinavit Adaldagus Bremensis Archi-Episcopus ad Nostrates Episcopos; ad Slesvic post Hericum Marconem post Liafdagum ad Ripam Folbertum, Othyncarus Albiis ad Sveciam ordinatus Scaniam & Seeland procuravit. Post quem fuit Thurgotus. Iste etiam Haroldus Regem Normannorum Haconem de Regno expulsum, restituit. Filius Haconis Trucor fuit, qui Haroldo subditus fuit, filius ejus Olaf Cracaben fuit. Haraldus 50. annos in Dania regnavit, quem filius Sven in acie vulneravit, vulneratum a regno expulit. Qui fugiens venit in Slaviam ibique exul obiit A. D. 10001. & velut alter Davit magis de perfidia filii, quam ex sua miseria dolens, Corpus ejus a suis in patriam reportatum in civitate Roschild tumulatum est. Quod audiens Olaf Cracaben

patre mortuo fil. Christianus.

Ottoni Imp. amicus.

Adeldagi auspicio tres in Dan. constituuntur episcopi.

alii episcopi.

Haconem R. Norm. restituit; illius filius & nepos.

Haraldus regno a filio Suen. pulsus in Slavia obit.

Ansgario

ad frugem redactus.

Dani Britanniam invadunt.

Varii simul Reges Danorum.

Edmundus R. martyr trucidatus.

Pars Normannorum Galliam, pars Germaniam tenuit.

Bruno Sax. D. aliique occisi.

Trajectum ad Rhen., Coloniam, Treviros Aquisgr. perdunt.

Christianos male vexant.

Frisiam depopulantur.

Herico R. succedit Frotho Christianam professus religionem.

qui varias ecclesias excitat.

Suenonem regno orbavit Olaf Cracaben.

augur peritissimus filius Truccor filii Haquini, quem Haquinum de regno expulsum Haroldus stabilivit, memor illius benefacti statim Danos adiit Regem Suen expulit & regnum Danorum tenuit. Suen exulans potentissimum Regem Sveconum nomine etiam Olaf adiit, supplex ut in Regnum restitueretur, oravit. Nec mora superveniens cum Sveonibus bellum habuit gravissimum, in quo Rex Norwagiæ Olaff augurio deceptus cecidit. Sven cognomine Thyuuskag duo Regna tenuit, Christianis valde inimicus, quos etiam finibus suis expelli præcepit. Sed cum a Slavis in bello victus ter caperetur, & bis argento, tertia vice auro ponderaretur, tandem, Dominum cognovit post flagella, quem cœpit quærere eique credere. Nam accersito e Norwagia Bernhardo Episcopo in Scania Ecclesiam erexit. Bernhardus mare transfretans in Seland venit, ibi bonæ conversationis exemplo vitam finivit.

restitutus ille auxilio Regis Succ.

Suen Olaff Christianis infensus.

a Slavis pressus ad Christum convertitur.

Anglia potitus moritur.

Dein Sven Angliam invasit Regem Adelradum expulit, & Britanniæ finibus potitus, vix tres menses supervixit, mortuus A. C. 1020. Post cujus mortem Edmundus filius Adelradi, quem Sveno expulit, Canutum filium Svenonis & Olaum filium Olavi Regis Norwegiæ, qui ibi obsides fuerant, in vincula conjecit; qui de vinculis ejus fugientes, navi venerant Bremam, ibique a Sancto Univano Bremensi Archi Episcopo fidem Christi susceperunt, & baptizati sunt reversi in Daniam; Olavus autem Rex Norwagiæ constituitur. Qui dum Regnum suum primus Christianæ fidei subjugasset totum, a paucis in bello percussus, gloriosam Martyrii coronam est adeptus A. C. 1027; cujus corpus a fidelibus Throndenis humatum multis hodie miraculis illustratur. Cujus filius hodie in regnum successit, nomine Magnus, qui ex concubina erat genitus ætate puer; magnanimus, forma speciosus. Sed: ne ab incepto opere longe transgredi videar, ad Reges Danorum revertar.

ejus filii relicti custodiæ traditi a R. Angl. Edmundo.

e qua elapsi Bremæ suscipiunt Christianam Doctrinam.

Olavus R. Norv. relig. Christianæ propagator in bello perit.

reliquiarum ejus miracula venditantur.

ei filius spurius succedit.

Kanutus R. Dan. Edmundum Angl. R. bello vincit.

Mortuo itaque Edmundo Rege Anglorum filius Adelradus in regnum successit. Quod audiens Kanutus, veteris injuriæ non immemor, quam pater ejus sibi & Olauo intulerat, cum mille armatis navibus transfretavit, & immensis viribus Angliam invasit triennium cum Adelrado certavit. Adelradus fessus & bello & senio, cum obsideretur in Londonia civitate obiit, relinquens filium Eduardum, quem suscepit ab Ymmona Regina, quæ fuit filia Ahothberti Comitis.

Ejus cum Richardo ob sororem repudiatam inimicitiæ; quæ Duci

Canutus victor existens ipsam Ymmam duxit uxorem genuitque ex ea filiam Harte-Knut. Canutus Richardo suam dedit sororem, nomine Efrid, quæ ab illo repudiata Duci Ulf sine fratris consensu est conjuncta. Quod audiens Canutus inimicari cœpit Ulf & sorori suæ in tantum, ut etiam eos e Regno expelleret. Tandem precibus multorum & auxiliis sub quadam simulatione sunt reconciliati; non post multum temporis fecit Ulf interfici in Ecclesia Roskildensi euntem ad matutinas, quem uxor sua Estrid honorifice sepelivit, Ecclesiamque lapideam in locum ligneæ exstruxit, quam multis modis ditavit, habuitque ex eo duos filios Suenonem & Byiorn. Quo peracto Canutus reversus est Angliam ibique vitam finivit. A. D. 1036.

Ulf jungit
insscio fratre
hic vero p
aliquas sim
tates occisus.

jeus filii.

Canutus in
Anglia diem
obit.

Interea Libentius Bremensis Archi-Episcopus ad Seland ordinavit Avoconem, quem Antecessor Unwannus primus ordinaverat. Qui etiam Libentius Archi-Episcopus ordinavit ad Slesvic Popponem; de hinc Esyconem ad ripam Othrynearum: Quorum Poppo vir Sanctissimus fertur Suenoni multum familiaris fuisse. Hic etiam paganis de fide Christi dubitantibus in generali Regis & populi conventu, quia tunc se credituros spoponderunt, ferrum candens in manu gestavit, & illæsus apparuit. Unde factum est, ut populus crederet, & Sanctus clarusque in regno fieret. Post mortem vero Canuti tres filii ejus regnare cœperunt. Suen, quem habuit de Alvia, regnavit in Normannia, Harold in Anglia, etiam filius Alviæ. Harathnut in Dania filius Ymmæ. Sub quo Wilhelmus post Avoconem prædicavit. Iste Hartha-Knut contra Haroldum fratrem suum Regem Angliæ, a Dania veniens in Flandriæ classem adunivit, sed Haroldus morte præventus bellum diremit.

Episcopi nor
nulli ordina

Epise. Slesv
Poppo ferru
candens illæ
manibus ge
stans ad Ch
stianam reli
gionem ger
tem perduci

Canuti filii
successores
diversis loc

Wilhelmus
religionis pr
co.

Harthe-Knut Daniam possedit & Angliam. Interea Suen obiit in Norwegia, frater Hartha-Knut. Tunc Normanni elegerunt Magnum filium S. Olavi a Concubina. Tunc Harthe Knut & Magnus Rex Norwegiæ talem conditionem inter se fecerunt, & super reliquias cum juramento firmaverunt; ut qui diutius viveret, superstes regnum defuncti acciperet duoque regna quasi hæreditario jure possideret. Sed non post multum temporis Hartha-Knut obiit A. C. 1043. Cujus morte audita Magnus non immemor pacti Daniam adiit manu magna & valida, cui occurrens Suen Regis Hartha-Knut ex sorore nepos, filius Estrid & Ulf, quem Gambli-Knut interfecit, tum navali bello tum equis cum eo certavit, ad ultimum victus in Scaniam fugit. Qui cum Lundis præpararet iter suum, ut in Sueciam fugeret, ecce, nuntii de Seeland venientes Magnum Regem defunctum nunciavere. Qui mox in Seeland reversus, deinde in Fiumensibus & a Jurensibus ultimo in Regem electus, Daniam per multos annos strenue gubernavit, & filios filiasque ex diversis mulieribus procreavit; cujus filii quinque, omnes Reges, unusquisque post alterum extiterunt, quatuor mors matura prævenit, licet satis regno & nomine digni fuerunt: quo ævo Wilhelmus Episcopus prædicavit, vir strenuus, viribus fortis & impetuosus, & qui sola

Hartah-Knut
fratrem Hard
dum R. An
bello petit.

Quo mortuo
Angliam sib
vindicat.

Sven ejus p
ter in Nor
vita excedit
eligitur M
gnus, cum q
Rex Hartha-
Knut foedu
pangit de m
tua succession

post ejus de-
cessum Ma-
gnus Daniæ
regnum affe-
ctat haud in-
feliciter.

quo tamen
mox mortuo
regnum Sve
noni defertur

ejus filii 5. re
ges.

Wilhelmus E
piscopus.

sola corporis virtute nullique parcens, iratus; cujus temporibus mater Regis, Suenonis Estrids Ecclesiæ Roschildensis quinquaginta mansos filio consentiente contulit, quos præscriptus Episcopus sigillo & privilegio Ecclesiæ confirmavit. Nec multo post Wilhelmus obiit, cui glorioſus Rex Sueno æquivo cum suum & Capellanum subrogavit, virum quidem omni morum probitate clarissimum, & omnium antecessorum longe optimum. Terror male facientium, remuneratio benevolentium, pater patriæ, Cleri & Salus populi. Ipse Roschildensem Ecclesiam fere veluti e fundamento fundavit Quam egregia corona, marmoreisque columnis omnibusve, ornamentis decoravit. Ipse claustrum lapideum fratribus construxit, & ut XV. præbendæ essent, de mensa sua fratribus & Ecclesiæ, quam in honorem Sanctæ Trinitatis consecravit addidit. Præterea Monasterium Ringsthata in honorem Sanctæ Mariæ construxit, aliud Sagloſſa. Interea glorioſus Rex Suenorum Magnus in Jutia obiit Anno Dominicæ Incarnationis 1074. Anno regni sui 31. cujus corpus honorifice Roskildiæ est sepultum, ut ipsemet vivens jusserat. Post quem filius ejus Haroldus in regnum successit & regnavit anno VII. Unde secundum antiquos iste quartus Haroldus Rex in Dania extitit. Primus Haroldus, qui apud Moguntiam baptizatus fuit, secundus Harold Blatan, tertius Harold filius; Gorm, quartus iste filius Suen, vir optimus, Rector justissimus. Hic silvas a solis potentibus obsessas communes fieri jussit. Quo mortuo A.C. 1080. frater ejus Kanutus in regnum levatus est. Hic, cum populum nova quadam & inaudita lege, ad tributum quod nostrates Nefgiald vocant, coëgit, a Jutia in Fyuniam fugatus, Othynso in Ecclesia Sancti Albani Martyris ante altare magna confessione cordis martyrizatus est a. Dominicæ Incarnationis 1090. anno XI. regni sui; cujus corpus magnis miraculis illustratur & Christus in martyre glorificatur. Cum quo etiam occisus est frater ejus Benedictus. Convenientibus igitur Regni Primatibus Olaum fratrem ejus in regnum assumserunt consortemque totius Regni Daniæ fecerunt. In cujus temporibus ingens fames Daniam per novem annos obtinuit, ut vix ab illicitis esis & interdictis se abstinuerint. Sed quia necessitate cogente aliquando lex frangitur, equi ad vescendum occidebantur, canes a multis excoriabantur, non mensas diversis ferculis ornabant, nec aliquem apparatum habere cupiebant. Quam plagam venerabilis Sueno Episcopus statim post interfectionem Canuti prædixit venturam, & ut pœnitendo eam amoverent, paterna admonitione multos adhortatus est. Sed quia Dominus *quos vult, indurat* &, quibus *vult, miseretur*, cor omnium induravit, & ut prædictum est, plagis flagellavit. Pastoris autem misertus Dominus, ab omnibus languſtiis, hujus nequam seculi eum liberavit. In secundo enim anno Regni Olaui, non contentus domestica quiete activæ vitæ cum Martha sed etiam contemplativæ speculationis cum Maria licentiam a Rege & populo petiit, Hierosolymamque peregrinatione adire elegit. Sed veniens ad quandam Insulam nomine Rhodus, infirmitate detentus victrix anima Christo traditur, corpus a discipulis flentibus ibidem sepelitur. Cujus morte audita, Olauus Rex cum omni Clero Seelandensis Ecclesiæ licet doluit, Arnoldum tamen inthronizavit. Is vir erat natura simplex & plus, quam pastoralem curam decuit, negligens, murum tamen lapideum circa Monasterium Roskildense construxit, picturam etiam ejusdem Monasterii renovavit, anno cujus VII. Rex Olauus obiit A.C. 1098. qui regnavit novem annis in quibus nec unus ubertatis fuit. Quo mortuo Hericus bonus, frater ejus in Regnum successit, & mox exosi fames discessit & vindicta Dei a populo. Utrum autem hæc opulentia causſa Herici, & hæc fames causſa Olauui inciderit, cum neuter horum hoc meruit, penes illum est qui scit omnia ante, quam fiant, & quando vult, & quomodo vult disponit. Hericus autem octo annis regnavit, & multas iniquas & injustas Leges adinvenit. Hic filios tres ex concubinis habuit, Haroldum Benedictum, Ericum ex legitima nobilissimum genere Kanutum nomine. Hujus quinto anno M. C. Incarnationis Domini anno Hierusalem capta est; a Christianis Idibus Julii. Hericus tandem octavo anno Regni sui A.D. 1103. volens Hierosolymam adire, una cum uxore sua Bothilda, veniens ad Cyprum obiit. Cujus morte audita Dani fratrem ejus Nicolaum in Regem statuerunt, virum mansvetum & simplicem, minime Rectorem. In diebus ejus magna persecutio Cleri & populi facta est. In Anno XX. regni ejus Petrus quidam filius Botildis, consilio & instinctu Capellani sui Nothildi, qui postea Ripensis Episcopus effectus est, incepit quæstiones contra Clericos, quatenus habentes uxores dimitterent, & non habentes nequaquam ducerent; cui quæstioni Clerici non valentes resistere, quippe Arnoldo Episcopo jam senio prægravato & ægrotante alii membris truncabantur, alii occidebantur, alii de patria expellebantur, pauci sua retinuere. Arnoldus vero sequenti anno post illam inceptionem Bondonum obiit. Cui Rex Nicolaus Capellanum filii sui Magni nomine Petrum subrogavit.

qui hinc Hierosolymam petens in inſ. Rhodo exſtinguitur.

Arnoldus ejus loco ſurrogatus parum laudatur.

Hericus R. frater in regno ſucceſſor.

injuſtas præſcripſit leges ejus filii:

Hierosolymam cum conjuge profectus in Cypro obit.

Nicolaus frater in regnum ſuffectus parum laudabilis.

perſecutio fidelium.

clerici a matrimonio arcentur & reſiſtentes duriter tractantur.

Hic, fuit vir eruditus & litteratus, & inter omnes Episcopos Daniæ eloquentissimus, & constantissimus. Qui mox causſam Clericorum contra Bondones suscipiens, non solum ex illo liberavit; sed insuper illud effecit; ut nullus Laicus querimoniam super Clericos in placitis faceret; sed in sancta Synodo; quod prius nequaquam licuit: valentes Clericos adamavit. Ecclesiæ autem suæ nullum proficuum intulit; Curias suas lapideis & ligneis domibus ornavit, & licet præpostero ordine utebatur, quærens, quæ sua & quæ Cæsaris erant; dicebat tamen, se & quæ DEI erant, velle quærere, si aliqua tranquillitate pacis cum Maria

Arnoldo epiſcopo mortuo ſurrogatus Nicolaus.

qui clericis commoda conciliat plurima.

at lucri cupidus.

Maria & cum Iacob posset permanere. Et ut impleret opere, quod mente & verbo disposuit, domos ad Ecclesiam Sancti Clementis & terras addidit, ut congregatio Monachorum ibi esset.

Sed quia antiquus hostis semper sub velamine latens, & semper invidens operibus justorum tantam discordiam inter Danos disseminavit, ut ex quo Christianitas in Dania exolevit; major tribulatio Cleri & plebis non est facta. Nam Magnus, unicus filius Nicolai Regis, Diabolo instigante Kanutum filium Henrici Regis simulata pace interfecit, virum pudicum, sobrium, sapientia & eloquentia & omnibus bonis moribus ornatum. A. D. 1130. Unde fratres ejus Haroldus & Hericus, seditionem contra Nicolaum Regem & Magnum filium ejus excitabant, & ut Nicolaus regno & nomine privaretur & Magnus interficeretur, omnibus modis laborabant. Igitur Hericus collectis omnibus perfidis & sceleratis in Jutiam venit, ibique partem populi falsis promissionibus regium sibi nomen tribuere coëgit. Nam hic junior erat Haroldo, & eo multo eloquentior, vir flagitiosus, furore & mendacio repletus. Hoc audiens Haroldus, contulit se ad Regem Nicolaum, juniori fratri servire nolens, tum causa ætatis, tum propter turbam filiorum XV. quos habuit, tum denique propter injustam pecuniam, quod ab omnibus injuste rapuit. Rex autem Nicolaus perrexit in Jutiam, & multa bella cum Herico habuit. in his omnibus Hericus victus fugiendo venit Slesvic. Sequenti anno navali bello pugnavere, ad insulam, quæ vocatur Syra A. C. 1132 ibi Magnus filius Nicolai putans patrem esse & prius veniisse, circumdatus ab exercitu Herici, multis captis plerisque occisis, vix paucis navibus aufugit. Tertio vero anno 1133. Rex Nicolaus Seelandiam cum sex navibus venit, & quia major pars populi cum Petro Episcopo Nicolao favebat, initio certamine ad Werebro, Hericus primo conflictu fugit, Nicolaus victor existens Roskildiam devastavit. Hericus Scaniam veniens auxilium petiit; At ille jam sciens pulchre, quod voluit, ac sub quadam pacis & fidei sponsione, se ei benefacturum per omnia promisit. Sed postquam eum cum paucis suscepit omnia, quæ in corde & ore locutus fuerat, manifestæ rei eventus ostendit. Nam oblata omni pecunia, quam attulerat, & hominibus ipsius depulsis, præcepit suis, ut eum tenerent in compedibus: Nec admitti poterat quislibet extraneus. Quo facto, Hericus omnibus destitutus, & tunc vitæ suæ diffisus, vertit se ad callida argumenta. Nam ægrotum se simulabat & ut Cunuchelde transferretur, palam nec bibit nec manducavit. Præterea nuncium ad amicos suos in Daniam misit, rogans, ut, si vellent memoriæ commendare, quæ & quanta bona illis contulisset, citius liberarent eum de instanti morte, dato tempore & termino. Unde factum est, ut eodem, quo dictum erat, tempore, una cum navi venirent, Hericumque imponentes, custodibus inebriatis & dormientibus cum sola Regina & pedissequa in Scaniam fugerunt. At Scanienses quamvis ei prius auxilium negaverunt, nunc communi consilio quasi poenitentia ducti, omnes unanimiter susceperunt eum, dicentes; se mori & vivere velle cum eo, Ascero tunc Archi-Episcopo existente. Iste primus Archi-Episcopus in Dania & in Svecia & Norwagia exstitit, acer & amarus & sapiens; sed nullius constantiæ. Hic in tanta perturbatione regni se murum pro Israël non opponebat; sed quocunque aura flabat, ut arundo vento agitata illuc se vertebat. Eo tempore Lundia, muro & vallo jussu Herici est circumdata. Nicolaus interea expeditionem terris sibi subditis indicavit, & ut omnes meliores pridie Nonas Junii, in Scaniam venirent, cum omni diligentia præcepit. Nam prædicto termino Sancta dies Pentecostes celebrabatur; igitur secunda feria incaute de navibus adscendentes; nec de rebus suis, sapienter disponentes: occurrit eis Hericus cum suo exercitu & inenarrabile & irreparabile damnum toti Daniæ intulit. Heu crudelis annus, dies amara, dies mortis, dies tenebrarum, doloribus plena, singultibus onerata; heu dies! in qua Magnus occiditur, flos Daniæ deprimitur, pulcherrimus juvenum, fortis robore, hilaris corde & sapiens & constantiæ amator Magnus occiditur, & cum eo Duces & quinque Episcopi Petrus Roskildensis, Thoricus Ripensis, Ketillus Westerwicensis, Henricus expulsus de Svecia, Adalbertus Slesvicensis insanabili vulnere sauciatus, vix annum & dimidium supervixit. Sextum autem Episcopum Eskillum duobus annis ante istud bellum Hericus filius interfici in Ecclesia, matutinis horis inservientem, virum pulcherrimum & prudentissimum & optime liberatum. Nicolaus vero Rex videns, alios capi, alios membris detruncari, alios aquis submergi, vix arrepto equo navem cum Haroldo obtinuit. Deinde ad Seelandiam veniens, ut potuit, suos confortavit. Post hæc ad Jutiam venit & Haroldum participem dimidii Regni fecit, & regio nomine sublevavit. Inde a Slesvicensibus fide data & juramento confirmata pessima fraude est deceptus & cum Primatibus suis residuis in civitate crudeliter interfectus est. VIII. Kal. Junii A. C. 1134. anno regni sui XXXI. Haroldus vero quasi sciens fraudes illorum & multum dehortatus Regem ne crederet eis, finxit se alio iturum. Hoc audiens Hericus Sleswic adiit, & pro nefario scelere Slesvicenses donis ditavit. Illic Eschillus in locum Petri Roskildensis efficitur Episcopus; Notholdus in locum Thorici Ripis intruditur; Selff Wendalensium loco Ketilli subrogatur; Jaugo Arusiensium post Ulkillum constituitur. Interea infidelis Adelbyorn Slesvicensium Episcopus de vulnere supra dicto moritur. Post quem Ruco Capellanus He-

Kanuto Herici fil. laudabili interfecto. Magnus Nicolai R. fil. variis motibus ansam dat.

Hericus fugit.

Haroldus ejus frater Nicolaum R. sibi jungit.

Magnus ab eo victus pugna navali.

Nicolai R. auxilio Hericus opprimitur.

morbum simulans per suos e vinculis liberatur.

a Scanien adiutus.

Ascerus A chiep. aur captans.

Nicolaus nuo bell parat;

incaute e gens ab H eo superа clade nec

Magnus ducibus episcopis truncatu

fextus epi ante bien occisus.

Hinc Nic Haroldu regni co tium coc vit.

paulo po Slesvicen trucidatu

quibus H cus ob ea beneficit

Episcopi rum loco rogati.

Herici, constituitur. His omnibus peractis Hericus Scaniam petiit, ibique natalem Domini peregit. Haroldus interea in Jutia commoratur, & a Jutensibus quam pluribus confortatur. Hæc audiens Hericus subito in Seelandiam venit, & præpeti cursu magno frigore, Jutiam navigio petiit, & sequenti nocte fratrem cum liberis & uxore in villa, quæ vocatur Skyping, incautum cepit, captumque a tortoribus occidi fecit. Cunis caput Parochiani ejusdem villæ in extremo angulo coemeterii sepelierunt. Hericus de morte fratris multum gloriabatur, filios autem ejus in Scaniam vexit, & usque ad Augustum mensem in compedibus tenuit. Tunc inito pessimo cum Scanensibus consilio, misit eos ad quandam insulam, quæ vocatur Suer, ibique omnes occisos in unam foveam projici præcepit: Quorum nomina hæc sunt: Siwardus, Hericus, Sveno, Nicolaus, Haroldus, Benedictus, Misiwint, Knut. Olauus vero capto patre & fratribus mendicis & peregrinis se sociavit, & sic eorum vestibus indutus ad Regem Sveciæ nomine Swesky pervenit & supplex ab eo auxilium petiit. Qui postquam totam seriem cognovit, qualiter & pater ejus interfectus fuit & fratres, sperans aliquid boni ex eo futurum, in sua eum suscepit, & partem regni sui omnibus diebus Herici ad necessaria sibi benignissime concessit. Pryuorn & Hericum Dicuonem anno uno ante mortem patris ad castellum, quod est ante portum Slesvic, submersit. Magnus duodecimus in Scania cum Magno, Nicolai Regis filio, in bello cecidit. Omnes isti filii Haraldi & omnes isti immatura morte consumti sunt. Olaus unus supereſt, bellum multorum capitum.

Haroldus a Jutens. sublevatus.

quem incautum Hericus opprimit cædatque.

ejus filii in Scaniam abducti compedibus constringuntur, tandemq; nefarie perimuntur

Eorum nomina.

Unus superstes mendici habitu ad R. Svec. confugit auxilium petiturus,

a quo liberaliter exceptus.

Fratrum ejus nomina & exitium.

Herici vituperium.

Interea Ascerus Lundensis Archi-Episcopus tertio Idus Maii moritur, & in Basilica S. Laurentii sepelitur. Hericus autem per omnia ut Cæsar factus, omnia obstacula superans, nullum parem, nullum sibi priorem videns, superbus, elatus, & in malitia potens, per omnia terribilis more fulminis incessit, flentibus, si quid videbantur habere, abstulit, habentibus & male reddentibus sparsit. Hæc vita Herici, hæc incessio, talis introitus: sed nunc, quis sit exitus, videamus. Igitur cum venisset ad quoddam placitum juxta Ripam, surrexit quidam nomine Plogh, quod latine Aratrum sonat, Regem incautum mortali vulnere prostravit A. D. 1139. Sic eo mortuo & Ripis sepulto primates terræ convenerunt, & Hericum tertium filium fororis prædicti Herici in Regem assumserunt. Vir is erat, plus, quam regalem dignitatem decuit, simplex & in omnibus viis suis inconstans, & duplex adnihilatio regni & sacerdotii.

prope Ripas occiditur.

succedit ei Hericus ex for. filius minime laudandus.

Eo tempore non mediocris lis inter Rukonem Sleswicensem Episcopum & Eskillum Roskildensem Episcopum de Lundensi Archi-Episcopatu orta est. Quod tamen cer-

Lis inter Episcopos Slesv. & Roskild. de Archiepiscopatu Lund.

tamen venerabilis Petrus filius Botildis, suo sapienti consilio ac solerti discretione levavit, & eos hoc modo pacificavit, quatenus Eskillus Archi-Episcopatum obtineret. Ruko quamvis electus a Scanensi Clero & populo; tamen utens consilio prædicti Petri, & disturbationem & guerram devitans Roskildensem sibi Episcopatum Clericis & Laicis reclamantibus usurpavit. Rex autem Hericus firmissima pace facta, in patria sua decimo anno regni sui regnum resignavit, monasterium adiit, & habitu religionis recepto mundi miseriis feliciter vale fecit. Deinde bono fine qvievit in Domino A. D. 1147.

composita.

Hericus rege abjecto religiosorum se adjungit ordini.

Post cujus mortem convenerunt Jutenses & elegerunt Kanutum, filium Magni Nicolai Regis. Scanienses vero elegerunt Svenonem filium Herici Emmune & constituerunt super se Regem. Unde facta est longa concertatio inter Svenonem & Kanutum annis 12. Succedente enim Svenone in regnum pax periit, excitatur seditio, & commotio intestina etiam pacificos ad prælia convocavit. Tandem decimo anno convenerunt omnes Dani & paci consulentes elegerunt duos reges, Kanutum, qui prius fuit electus a Jutensibus, & Waldemarum filium S. Kanuti Ducis & Martyris. Sveno vero expulsus a Dania fugit in Saxoniam ad socerum suum Ducem Saxoniæ, cum quo fere tribus annis mansit a regno remotus. Tertio demum anno sub specie pacis ad Daniam remeavit. Tunc quidem Sveno & Waldemarus, fidejussoribus compositis in unum convenerunt, & prudentum consilio paci consulentes, seditionem regni sedare satagebant. Tali ergo conditione confœderantur cognati, ut regionis divisæ quislibet illorum tertiam partem libere possideret; & facta sunt fœdus fictum & pax falsa. Convenientibus enim illis Roskildis Canutus & Constantinus cognatus eius a Svenone nequiter necantur V. Idus Augusti. Waldemarus vero graviter sauciatus evasit, qui fugiens in Jutiam auxilium Jutensium petiit, post quem veniens Sveno & in Grateheth cum eo dimicans, prout dominus valuit, infeliciter occubuit, dignum insidiarum consecutus finem. Cujus corpus in ecclesia villulæ terræ commendatum est.

Kanutus R. a Jutens. electus a Scanens. vero Sveno Herici filius. hinc enatum bellum. sub Svenone motus.

quo expulso & Kanuto retento Waldemarus R. adjungitur.

Svenoni in Daniam revertenti tertia regni pars ceditur;

Qui vero Canutum insidiose perimit; Waldemarus graviter sauciatus fuga sibi consulit; post Sueno prælio occubuit.

Post hæc gloriosus Waldemarus filius S. Kanuti Ducis & Martyris filii Herici regis boni a cunctis Optimatibus Daniæ in regnum assumtus, atque ab Eskillo Archi-Præsule in regem unctus & purpuratus, & diademate glorioſissime coronatus, atque in regni solio honorifice collocatus est anno Dominicæ Incarnationis 1157; qui regnum Danorum 26. annis nobiliter rexit. Nam paganos ad fidem, fideles ad pacem, pacificos ad securitatem provocavit. Odium in dilectionem, dolorem in gaudium, bellum in pacem, & egestatem convertit in opulentiam.

Waldemarus hinc solus gloriose regno præfuit;

Cui succeſſit filius suus Canutus, & post eum Waldemarus frater ejus in regnum levatus est.

quem excepit Canutus fil. hunc v. Waldem. frater.

XV.

NICOLAI MARESCALCI THURII

Deflorationes antiquitatum ob origine mundi usque ad annum 1522.

Libri V.

Ad

D. JOANNEM RHODIUM

Urbindaginæum LUCONIORUM (a) Legatum ſummum Nicolai Mareſcalci Thurii in deflorationes antiquitatum ab origine mundi.

PRÆFATIO.

Cleobulus ille Lindius, unus ex heptaſophis, Rhodi doctiſſime! beneficii accepti juſſit eſſe memorem, ut prodidit Laërtius Diogenes, quod præceptum ſi obſervaſſem ego, jam olim Tibi quæ pollicitus, præſtitiſſem. Hoc enim me vel Periander Corinthius maxime commonefacere poterat, & ipſe e ſapientum eorum claſſe, qui ait: Beneficium repende. Nec indignus certe a te nunc, qui munere me pulcherrimo donaſti, accuſarer, id quod Publii me Mimi nuper lectio docuit. Nam beneficium, inquit, dando accepit, qui digno dedit. Dando vero mihi non ſemel, ſed ſæpiuſcule, admonuiſti tandem reddere. Etenim ut in proverbiis Annæus Seneca ait: Beneficium ſæpe dare, eſt, docere reddere. Reddo itaque: At nimis, inquies, quam tardiuſcule reddis? potuiſti enim reddere ocius, Annæi rurſum Senecæ antiquum illud objiciendo: Fraus eſt accuſare, quod ſcilicet non poſſis reddere. Ultro vero nunc offero, ſperoque vel inde me habiturum excuſationis veniam aliquam, quum dicat Publius Mimus: Bis eſt gratum, quod ultro offeras; tametſi Annæi contra Senecæ illud urgeat: Bis dat, qui celeriter dat. Itaque culpam fateor. At Tu, quod dediſti, habes maxime, ut dicere ſolebat Thebanus Crates. Reddo ergo libros videlicet defloration um antiquitatum ab origine mundi quinque, cujus Tu es univerſæ indagator ſtudioſiſſimus, ut recte ab indagine nomen retuleris patrium, Urbindaginæus. Eſt vero indago Græcis στοιχισμὸς, plagarum extenſio, ad indagandas feras; ſtœchi vero varii ſunt, qui ſubarriguntur pennis plerumque rubris, ad cervos præcipue terrendos, quod & Auſonius Gallus cecinit:

Aut cum fratre vagos dumeta per avia cervos
Circumdans maculis & multa indagine pennæ.

Sed & P. Maro Virgilius lib. Georgicon III:

Hos non immiſſis canibus, non caſſibus ullis
Puniceæve agitant pavidos formidine pennæ.

Et

Luconii. (a) *Luconiorum*, h. e. *LUBECENSIUM*, quos *Luconios* dictos vult a *Luconibus* populis a *PTOLOMÆO* in utraque Albis ripa collocatis; vel a *lucorum copia & ſacris:* Unde

Bukovium. ſunt, qui Lubecam in antiquis annalibus *Bukovium*, a fagis vel ſilva faginea, vocari arbitrantur. Quæ tamen denominatio rectius repetitur a *Butne ſeu Buko* filio Godoſchalci & Rege Obotritarum XLIII. qui Lubecam ampliavit munivitque. In annalibus Lubecenſibus occurrunt *Conſules Luconi*, & *in privilegiis MSC. Eccleſiæ ac Capituli Lubecenſis f.* 53. Canonici Lubecenſes dicuntur *Canonici Lucones.*

Et Ovidius Naſo libro Metamorphoſeon decimo quinto:

Nec formidatis cervos includite pennis.

Libros itaque eos, rogo, pro humanitate tua ſumma, animo accipias æquo, & pro munere quidem Tuo ornatiſſimo litteras rurſus. Eas enim inter pretioſiſſima ego habeo, quod vel Madaurenſis me Apulejus in libro de Deo Socratis docuit; ita enim ait: Igitur omnia ſimiliter aliena numeres licebit. Generoſus eſt, parentes laudat. Dives eſt, non credo fortunæ. Validus eſt, fatigabitur ægritudine. Pernix abibit in ſenectutem. Formoſus eſt, expecta paulisper & non erit. Solæ litteræ noſtræ ſunt nec a parentibus, nec corpore. Invenies vero in libris antiquitatum illis, a juſtis noſtris, qui olim prodibunt, excerptis, præclara fere, univerſim in annum uſque præſentem *Germanicarum* maxime, inprimis *Luconiorum*, in quo obſequium tibi volui. At de futuris arbiter optimus maximus cenſebit. Inſtant enim tempora formidabiliſſima: Audis quotidie jam inſolentiam nonnullorum petulantiſſimam: Nocent paucorum exempla complurimis. Annis vix jam paucis amplius de religione decrevit, quamplurimis accrevit. Inſaniunt conſecranei illorum addicti, imo adjurati, & a quibus maxime perſvaſionis noſtræ Chriſtianæ incrementum ſperavimus, inde decrementum exitiale recipimus. Utinam palinodiam recantarent! Incomparabiliter enim pulchrior eſt veritas Chriſtianorum, quam Helena Græcorum, ut ait ad Hieronymum Aurelius Auguſtinus. Ego vero unus e populo nunquam non poſſum laude extollere ſumma, omnes qui contra audenter eunt: At, inquient, illi opem ne feremus, ut ordinis ſacri viri luxum, faſtum, auri famem expleant? Pergamus potius, quod in amicis ſolitus Siculus Dionyſius, qui, ut vaſa vacua replevit, plena evacuavit. At nos cum Platone, verba illa tyrannidem ſapere. Illi contra cum Paulo Tharſenſe illud ad Romanos capite nono de Pharaone Ægyptio. Quia in hoc ipſum excitavi Te, ut oſtenderem in Te virtutem meam, & ut annuncietur nomen meum in univerſa terra: Et libro eodem cap. XX: Ego ſum Dominus DEUS tuus, fortis, Zelotes, viſitans peccata patrum in filios usque in tertiam & quartam generationem. Et ita certe cœli monimenta portendunt: Nam *anno ab hinc ſecundo* menſe Februario *conjunctiones ſiderum vigenæ accident*; e quibus ſedecim de Jovis regia graſſabuntur, qui piſces ſidere ejus ac Saturni inter ſeſe digladiantibus ſanguinarie, & mutationem rerum cunctarum ſubitariam minitantibus, qualem nulla adhuc Hiſtoriographorum ſecula annotarunt; a quibus ſuperum comitiis non tam aquarum, quam ſangvinis, eluvies inſinuatur, ordinis præcipue ſacri, populo hoſtiliter adverſus conſpirante, in annum duodevigeſimum usque, factione ea gliſcente, ac tum vel maxime ſævitura. Verumenimvero e noſterculis hæc inter cantharos læti illi & naſutuli explodent facile & exſibilabunt, Epicuro, Diagora, Evemero, Melio, Theodoro, Critolao, Diodoro impiis non multo meliores. A ſignis inquient cœli nolite metuere, quæ timent gentes, ut admonet vates inclytus Hieremias cap. X, quia leges populorum vanæ ſunt ludent & Sybariticis. Scholium cantitabunt Sardanapallitium

ἐλευθεροστομοὶ

Ede, bibe, lude.

& Virgilianum hemiſtichion citabunt:

Pereat, qui craſtina curat.

Prognoſticon Aſtrologicum

Inſaniunt, inquient planetarii, qui e ſpelæis & involucriſculis iſta ſuis decernunt, & non modum illi ſic rerum optimarum ſtudioſos, verum ſtudia etiam inclyta ipſa contemnent, quæ nec didicere, nec conſequi poſſunt. An Noas cataclyſmum futurum non tam ex aſtrorum ratione, quam Dei monitu & agnovit & prædixit, ut ſcripſit Moſes libro Geneſeos c. VI, de gigantibus; nihilo tamen ſecius corriſus vir optimus, ut prodidit *Babylonicus Beroſus*: Nihil inquiens in nos valent ſidera? Et nos quoque cœleſtium vi nihil evenire mortalibus, nihil eſſe in ſenatu illorum ſceleſtum fatemur. Nec Dei juſſu ſidera neceſſario vim ſuam explere, quum quod de Deo ſentiendum, illorum tunc voluntati tribueretur. Non enim ſidera fata futurave decernunt, nimirum in anima; nec decreta DEI neceſſario ventura: Agit enim DEUS univerſa voluntate, nulla naturæ neceſſitate; quæ DEI voluntas rerum cauſſa cunctarum, cujus Æneas

Apologia pro Aſtrologia judiciaria.

Platonicus in Theophraſto voluntatem nunquam potentiæ aſſeverat deſinere. Quare ſidera natura ſua, qua a conditore ac rerum omnium opifice indita, inferiora variant, alternant, & inclinant indicantque futura, non faciunt. Nonne librarias illas Jovis mirum in modum obſervavit antiquitas? quippe quæ futura litteris veluti conſcribillarent? Eſt enim cœlum libro non abſimile, ſi modo idoneum invenerit lectorem. Etiam fata, inquient, ſi ſunt nunquam declinabuntur. Nam Hermes, ajent, Triſmegiſtus omnium maximus: Tria, inquit, hæc εἱμαρμένει, hoc eſt fatum, neceſſitas, ordo, DEI ſunt nutu effecta. Sed & M. Cicero noſter libro de divinatione primo, fati, ait, ratione omnia cogendum fieri. Sed & Homerus fati neceſſitatem ineffugibilem appellat libro Iliados ultimo, Apulejus inſuperabilem, Chriſippus indeclinabilem. Ad hæc melioribus imbutus litteris hemiſtichio Claudii forte Ptolomæi reſonabit:

Vir ſapiens dominabitur aſtris.

Addet & e ſiſſiſytiis obſarticis poculum Helenes illud de libero arbitrio, a quo omnis rerum humanarum actio pendet, jus omne, ac injuria, præmium ac pœna. Nam ut Aurelius Auguſtinus libro II. de arbitrio libero ait: In voluntate meritum, in beatitate autem & miſeria præmium atque ſupplicium. Aſt, ubi eſt nunc vir ille ſapiens? Quotus quisque nunc, qui voluntate, ne dicam voluptate, potius quam ratione non agitur? Rara moderata σύνεξησις, quæ lex naturæ bonum ſemper eligens, malum ac pravum fugitans, quam Aurelius Auguſtinus libro de baptiſmo parvulorum lumen ait innatum, animæ concreatum, quo dirigimur. Ubi vera σύνειδησις? hoc eſt conſcientia, quæ electio deliberativa, quam *Damaſcenus* ille, qui Theologi nomen primus meruit, libro IV. Theologumenon, legem intellectus appellat. Premunt ergo mala, quia nemo vere deprecatur, quæ precibus deprecari poſſent. Nonne Ezechielis vatis cap. XIIX admonemur? Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas: projicite a vobis omnes iniquitates, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum & ſpiritum novum! Et mox, revertimini & vivite! Nonne Eſaiæ cap. XXXVIII, & quarto Regum XX vates ipſe ad Ezechiam Regem miſſus: Præcipe inquit domui tuæ, quia morieris & non vives: Et mox: audivi orationem tuam & lachrymas tuas vidi, & ſanavi te, & tertio die aſcendes templum Domini, & addam diebus tuis quindecim annos. Et apud Jonam cap. III: Et dixit Jonas: Ahuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur, & crediderunt viri Ninivitæ in Domino; & vidit DEUS opera eorum, quia converſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt ſuper malitiam, quam loquutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit. Hoc, mi doctiſſime tu Rhodi, rei eccleſiaſticæ obſervantiſſime, ceteros admone & erit Hoſeæ illud, adverſum tyrannos cap. II: Ego ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria: ac Pſalmographi Davidis XXXIV: Fient viæ illorum tenebræ & lubricum, & angelus Domini perſequens eos. Hanc vero præfationem meam monitoriam potius, quam oratoriam & lacrymabilem magis, quam elegantia amabilem cum Pherillo Theologo, & Brandiſio antiquario Viris eruditiſſimis legendo ſusque deque feras, & ſi quæ in libris ipſis depravata offenderis, qualia Lacanus, pro Lucanus, Nauſtri, pro Neuſtri, Bogorus, pro Bogerus, boni conſule! Difficilia vero commentariolus in annales Wandalicos enarrabit. Vale feliciter! ex Roſtochio. Anno M. D. XXII.

INDEX.

Liber I.

De geſtis memorabilibus ætatis primæ usque ad diluvium.

Liber II.

De geſtis memorabilibus a diluvio usque ad inclinationem Imperii Romani ætatibus quinis.

Liber III.

De regni Romani auſpicio, ordineque Regum ac Imperatorum, ac vitæ tempore

pore, nec non de Viris disciplina excellentibus sub Imperatoribus ac Christianorum persecutione.

Liber IV.

De Pontificum ordine deque eorum insigniter gestis.

Liber V.

Ac ultimus de rebus Vandalicis ac Saxonicis, initioque de Germanorum excursionibus, ac obiter de religionum auspiciis rebusque etiam nonnullis exoticis, ad annum MXXII.

LIBER PRIMUS

De

Gestis memorabilibus ætatis primæ usque ad diluvium.

sta primæ atis mundi que ad diluvium.

Thales, unus ex septem illis sapientibus, ac omnino etiam primus antiquissimum, inquit, eorum, quæ sunt omnium, DEUS; id quod Laertius Diogenes annotavit: cujus inveniri nomen non potest, ut ait Xistus Pythagoricus; quærere vero effigiem imbecillitatis humanæ, ut C. Plinius, quem agnoscere tamen omnes cupimus, ut Jamblicus, habere universi, ut M. Cicero de legibus, qui nunquam fuit, nunquam futurus, sed semper est, ut Plato Academicus, Numænius Pythagoricus, rerum cunctarum unus ex nihilo conditor, ut Moses ait: Lucis ergo appellatione ille cœlites primum creavit, subindeque abyssi nomine hylen, indidem firmamentum, dein tellurem & aquam, luminaria mundi, animantes ex aquis, e terra mortalem, quem Adamum nominavit, e quo soporato conjugem desumsit Evam, ut prodidit Moses libro I. Pentatevchi, qui solus omnium de protocosinio ac rerum cunctarum processu sapientissime scitissimeque scripsit, autorum universorum vetustissimus, ut testatur Archilochus, quique primus Prophetarum leges divinas litteris mandavit, Inachi scilicet tempestate, ut tradidere Clemens Africanus, Tatianus, Fl. Josephus ac Justinus. At Inachus annis vixit quingentis ante bellum Trojanum, sive, ut Porphyrius scribit, octingentis quinquaginta: Fuit ergo Moyses superior Homero, Hesiodo, Hercule, Musæo, Lino, Chirone, Orpheo, Castore Polluce, Æsculapio, Libero, Mercurio, Appolline, ut scriptum reliquit Cæsariensis Eusebius: Antiqui vero cæteri Naburianus, Sudunas, Seleucas, Berosus a diluvio fere ceperunt, e quibus Berosus in rebus Assyriis diligentissimus, ut est autor Metasthenes Persa. Constituto itaque mundo & rebus in eo per dies senos universis, opifex ipse rerum die cœpit septimo feriari. Etenim divina unitas semel extra ipsam se profecta die septimo in propodium & crepidinem sui immobilem sese illatebravit. A luce tempus exortum numero motus; ante quod motus quidem, sed qui sine tempore intelligi haud qvivit. Creationem rerum intelligere qui non poterant, Chaos principium omnium tradidere; quo in numero Taautus Ægyptius, Orpheus, Ibicus, Hesiodus Ascræus, qui separatione in lucem abiisse cuncta prodiderunt, quod & Euripides Tragicus cecinit, ac Titus Lucretius Marcusque Manilius. Ast sine exordio ullo mundum asseverarunt, Dicearchus, Architas, Xenocrates, Aristoteles, Anaxagoras, Clazomeneus; Diodorus Siculus: Generatum aliquando Plato, Numenius, Zeno, Chrysippus, Cleanthes, Antipater, Epicurus Panætius, Æneas Platonicus, Cicero libro de universitate, T. Lucretius, M. Manilius. Atomorum dogma Sydonum erat teste Possidonio Apamiense a Moseo introductum vate, qui Trojana antecessit tempora, quem est seqvutus Epicurus Neoclis ille Athenienses, qui Democritum deinceps in philosophando. Ast, homeomerias Anaxagoras primus excitavit. A Thalete usque ad Platonem inane non agnitum teste Empidocle Agrigentino. Ceterum a Platone idearum creatio cœpit: Creata vero a DEO universa bona, inter quæ tamen cœlites complurimi. Phosphoro, ut asserunt nonnulli, autore & duce, momento statim eo, quo creati cecidere arrogantia in creatorem elati, fastu ac denique philavtia, quibus de throno deturbatis completa tartara, quæ sub telluris omnino visceribus imis. Nam nec in supremis terræ ac nec in meditullio quidem, ne voluptatem aliquam flatus & spiracula undecunque saluberrima afferant iis, quibus agere modo ullo volupe a conditore negatum. Aristoteles, ingenio summo Philosophus, in orbe igneo falso constituit; in mundi videlicet sede media: quod & Pythagoras Samius. Tartarorum vero decreta ab Hebræis in gentes ceteras sunt prolata, quibus primum Ægyptus instituta, mox græci ex sacris Orphei; post quem cecinere ea Homerus, Hesiodus, Euripides, Aristophanes, Qvintus Ennius, T. Lucretius, Virgilius, Statius, Papinius, CL. Claudianus ac Dantes etiam Aligerius lingua Hetrusca. Paradysum esse necessum omnino, ut opus hoc mortale sub Olympo pulcherrimum ac summum editissimumque tartaris adversum ultra mundanorum elegan-

tiam inenarrabilem declaret. Nam ut maxime mortalium animus expreſſio eſt quædam imaginis divinæ, ita paradyſus ſpeculum eſt & figura ſupercœleſtium. Ideirco ſub cœlo eſt in oriente, autore Aurelio Auguſtino ad Oroſium, ac in montibus quidem excelſiſſimis, quo pervenire diluvii aquæ minime poterant, quem locum flumina quatuor rigant, Ganges, qui & Pyſon, Euphrates, Tigris, & Geon qui Nilus telluri noſtræ finitimus, atque adeo contiguus, agro corporeo, ſenſili, plantis conſito; ſubolentes vates agnoſcentesque voluptaria illa campos introduxere Elyſios; quos nonnulli in mundo hoc inferiore, plerique vero omnes in orbe lunæ aut cavo lunari conſtituerunt, ut eſt autor Achilles, Aratæius interpres, qui eſſe ibidem montes prodidit, urbes ac flumina. In paradyſo protoplaſti prævaricatio e transgreſſione, a quo facinoris parentum primigeni origo, generatimque effuſio in poſteros omnes. Quamobrem a paradyſi antiſtite transgreſſores exploſi in Hebrone Syriæ ad agricolationem manus converterunt. Anno ergo ab orbe condito atque adeo ætate prima decima quinta, Adamus Cainum, in agro Damaſceno cum Calmana ſorore ex Heva ſuſtulit, qui adultus Abelem, puerperio uno cum Delbora prognatum, exanimavit. Inde percuſſor cum ſorore profugus ad Naida venit, ut eſt autor Fl. Joſephus, libro I. antiquitatum; quem locum Edem Moyſes nuncupat, qui in oriente, ut eſt autor Cæſarienſis Euſebius, Ænon ibi genuit, qui Ænochiam urbem excitavit, teſte Moyſe, ac poſt eum, Euſebio; quam fuiſſe ad Libanum ac maximam Beroſus Babylonicus libro I. teſtatur. Urbes ergo primæ tum illa ac Abela: Aſt in illa gigantum ſedes, quorum e carnibus humanis convivia, ut ſcribit Beroſus, aborſus procurantium, ut edulia inde pararent, luxu omnifario ab exortu in occaſum dominantium, teſte eodem libro I: Fuiſſe vero gigantes, oſſa facile reſoſſa declarant, e quorum ſemine Antæus Lybicus, cujus heroum in Mauritania, ubi inventa a Q. Sertorio Romano magnitudinis portentoſiſſima. Orion item, cujus repertum in Creta corpus monte terræ motu convulſo cubitorum ſenum ac quadraginta, autore gravi C. Plinio. At Oreſtis in Arcadia, teſte Herodoto Halycarnaſſeo. Sed & ætate nuperiore apud Drepanum Italiæ corpus ingentiſſimum ſpectatum in monte, manu ſiniſtra cum baculo, qui malum navigii maximi æquabat, e quo integra cuncta, donec tangerentur, quem fuiſſe teſtantur cubitum ducentum. Dentes tres ſolidos unciarum centum, partemque cranii anteriorem modiorum plurium capacem. Fuiſſe illum Butes & Veneris filium Erycem quidam narrarunt, qui olim ibi regno potitus, ab Hercule occiſum & in monte conditum; alii Entellum, alii Polyphemum Cyclopem illum, qvum & Cyclopes & Laphytæ & Centauri generis omnes univerſum fuerint monſtroſi. Et gigantes Beroſus libro I. ſcribit reperiiſſe papiliones, inſtrumenta muſica & univerſa ad delicias pertinentia, nimirum qui nullum habuerint matrum ſororumve aut filiarum diſcrimen, ac ne Deorum quidem religionem agnoverint: Inde & dæmoniorum cum filiabus congreſſus. Atqui Adamus anno ducenteſimo trigeſimo, ut Joſephus libro I. antiquitatum, ut Euſebius CLmo, Zethum ex Eva ſuſtulit, qui deinceps Ænon cognomento primum, qui invocare nomen Domini primus cœpit. Verum Zethus ſiderum ratione pollens, artes a Phætonte generis mortalis nuper repertas & mundi cumprimis creationem, cum Caini facinore infando metu ignis juſta & amnium in columnis exſculpſit duabus adhibito Tubalca fabro ferrario primo. Sed & Beroſus Babylonicus libro I. lapidibus exciſum ſcribit tum futurum diluvium; at gigantes corriſiſſe. Ænus ergo deinceps Cainam edidit, qui Mahalaeelem, qui Iradem, qui Enon ſecundum; qui quum Mathuſalan genuiſſet, anno quinto & ſexageſimo, autoribus Moſe ac Euſebio, ſupervixiſſetque annos trecentos, teſte Moſe, raptus eſt in paradyſum. Mathuſalas vero Lamechem genuit, Lameches Noam: at Lameches bigamiam orbe toto primus introduxit conjugibus Sela & Ada, qui & Cainum fratricidam interemit. Et per tempora ea mortuus eſt Adamus, annos natus nongentos triginta, ut ſcribit Fl. Joſephus libro I. antiquitatum, quod & Euſebius ſequutus, tumulatusque eſt in valle Mamre in loco Terebinthi, etſi in colle Solymarum conditum nonnulli ſcribant, ac reliquias dein in Hebronem tranſlatas. Mathuſalas erat mortalium unus omnium annoſiſſimus, nimirum qui vixit annos nongentos ſexaginta novem, autore Moſe, quem imitatus Euſebius Pamphilius; quamvis alii illum vixiſſe ſcribant annos nongentos octoginta tres. Rufinus Tarrantius, Noam ipſum Noæum & Nochum etiam nominitat: Arcam ille diluvii futuri metu excitavit, anno ab orbe condito milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo; ſequuto mox completa ea cataclyſmo, anno ab Adami creatione bis milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſecundo, quamvis Hebræi annos fuiſſe tantum mille & quingentos aſſeverent. At Philon, vernaculus eorum doctiſſimus, mille ſexcentos quinquaginta ſex ſupputavit. Et clade ea cuncta extincta, autoribus Moſe, Beroſo Hellanico, Mnaſea, Damaſceno, Flavio Joſepho, e quibus Beroſus libro III. ſcribit, ſtetiſſe arcam in monte Gordiæo Armeniæ editiſſimo, ſervato inibi Noah tantum, cum liberis & conjuge, ac animantium omnium paribus. Sicque ſeculum aureum ſub Saturno, quod cum genere cœpit mortali translatum eſt poſt diluvium, cujus ſeculi meminere Xenophon, & Qvintus Fabius Piſtor. Noah filios tres reliquit, quibus orbem

bem terrarum divisit, ut scribit Flavius Josephus, duces illos primos constituens, teste Beroso, e quibus Asia Semo, Chamo Africa, Europa Japheti accidit. Nec prætermittendus Tuyscon; quem ex Araxa Noas genuit, ut scribit Berosus libro IV, Germanorumque ac Sarmatarum patrem fecit, teste eodem & illius posteritatem adoptavit, qui fuere *Mannus Ingævon, Istævon, Hermion, Marsus, Gambrivius, Svevus Vandalus.*

LIBER SECUNDUS,

De

Gestis memorabilibus a diluvio usque ad inclinationem Imperii Romani ætatibus quinis.

orabilia vio, usq; clinatio- Romani ii.

Et jam post aquarum eluviem illam maximam, a Semo ætas secunda auspicata, argentea quidem, ac sub Jovis imperio & nutu. Primum quod memorabiliter accidit, elatus est Noas, anno vitæ suæ nongentesimo primo, autore Fl. Josepho libro I. antiquitatum, sive ut Eusebius nongentesimo quinquagesimo, post cataclysmum trecentesimo quinquagesimo, anno Abrahami quinquagesimo octavo, in Italia tumulatus, quæ κύβις tum appellabatur, autore Beroso Babylonico libro I, in monte, qui Janiculus Romæ, quum Janus ipse ob inventum a se vitis beneficium diceretur, quam primus manibus plantavit, ut scribit *Berosus* libro III. Nam Janus lingva Scythica Vitiserum significat, ut est autor idem. Celeberrimus post illum Nimbrotus, qui Chami nepos Saturnus dictus Babylonicus, teste Beroso libro IV, ac Saturnorum omnium primus, quo autore turris excitata, altitudine passuum mille centum septuaginta quatuor, montium editissimorum instar, anno ab orbe condito bis millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio. Et illius demolitionem Sibylla cecinit, id quod Josephus libro I. antiquitatum annotavit, & renarrat *Firmianus Lactantius*, a qua lingvarum mutatio. Verumenimvero Moses duces ad numerum lingvarum constituit quatuor & septuaginta; Nam Deut. cap. XXXII, altissimus, inquit, in confusione lingvarum constituit terminos populorum septuaginta lingvarum. Ast Nimrothus confusus in Italiam cum Camese filio parvulo secessit, ubi urbem inauguravit, & de filio Camesen appellavit, quæ Roma dein est nuncupata, ut est autor Berosus Babylonicus. Sed & Marcus Portius Cato Italiæ originem cepisse scribit aureo seculo, sub principibus diis Jano, Camese, non a Saturno. Atqui *Roma non a Romulo, ut putant, nominata*, nempe ante quem cœpit annis paulo minus octingentis, teste Cajo Sempronio; sed a Roma filia Itali. Cœperunt itaque tum regna. Nam Assyriorum, quod & Babylonicum, teste Beroso libro I, omnium facile maximum, autore eodem ac primum a Nimrotho inchoavit anno ab orbe condito termillesimo centesimo decimo quarto, autore Isidoro; a quo & urbis Babylonis auspicium, quam regiam esse voluit, cœpitque anno post diluvium centesimo trigesimo primo, teste Beroso libro IV, quam habendam & urbem urbium & regnum regnorum censuit. Mox Ninus urbs a filio excitata Nino, qui & Jupiter, teste Beroso, & Belus. Urbs ea in campis Assyriorum Arturiæ stadiorum circuitu quadringentorum eoque amplius turribus mille quingentis erecta. A Nino ad Trojæ captivitatem anni octingenti triginta tres, teste Eusebio Cæsarienſe. Etiam idololatria cœpit, Semiramis Nini conjux floruit, quæ Æthyopas & Indos bello vexavit. Regum vero Assyriorum novissimus Sardanapalus, qui anno ante urbem conditam sexagesimo quarto, ab Arbacto præfecto, ob desidiam ac luxum interemtus, ut annotavit P. Orisius. Post Assyrium mox Ægyptium sequutum anno ab orbe condito ter millesimo trigesimo quinto; ubi Rex omnium primus Sores, cujus regni ceteros Manethon diligentissime scripsit, qui post Berosum cœpit, in qua regione eruditi olim Orpheus, Homerus, Solon, Plato. Ast minime prætereundum regnorum omnium horum antiquius esse Scytharum, autore vel Trogo Pompejo, ninirum quod mox anno ab orbe condito bis millesimo quadringentesimo quinto cœpit a Rege antiquissimo Tanao, qui & Tanai amni nomen indidit, & Pothis, at propter mores sui barbaros & efferatos in numerum regnorum neutiquam relatum. Scythas itaque ex Araxa prisca prognatus, Napum edidit & Prutum ac Hunnum, Herculem & Teutonem, autore Beroso Babylonico. Et Tanai regis tempestate Amazones cœperunt inter Scythas & Albanos secundum Tanaim fluvium. Subortum interea regnum Chaldæorum ab Arphaxate Semi filio, quum sint Arphasatei Chaldæi, teste Flavio Josepho, quorum caput Babylon. Reperta mox Magia a Zoroastre Persarum Rege anno ab orbe condito ter millesimo centesimo octogesimo tertio, sub quo extincta ætas argentea, enata ænea, sub Venere, cujus auspicium sub Abrahamo, ad quem ab Adamo anni octingenti quadraginta octo: a diluvio duo & nonaginta supra ducentos, ut prodidit Philon. Et Abrahami quidem tempestate historia primum cœpit, ut est autor Cæsarienſis Eusebius, quum *nec apud Hebræos nec Græcos antefuisset.* Abrahamus itaque jam natus annos centum sustulit ex conjuge Sara filium Isaacum

Finis ætatis argenteæ.

cum; a cujus genitura ad templi ſecundi ruinam, atque adeo ante Chriſti JESU mortem anni ſexcenti ſexaginta, ad exitum vero populi Iſraelitici ex Ægypto quadringenti triginta, ab exituque ad templum Salomonis totidem. A Salomone vero ad devaſtationem per Babylonicos Solymis factam, anni quadringenti viginti. At Iſaacus anno ſexageſimo Jacobum deinceps edidit, qui nonageſimo primo Joſephum, Phoroneo jam rege leges Græciæ tradente. Clades poſt diluvium maxima tum Sodomorum excidium, id qvod factum ante urbem conditam anno milleſimo centeſimo ſexageſimo, autore P. Oroſio. Deflagrationem eam cœlites tres ab Abrahamo in valle Mambre hoſpitio ſuſcepti vitulo ſimulaque epaſti prædixerunt, qui & de Ismaele naſcituro fata tulerunt; a quo Ismaelitarum origo, ut a Juda ante Judæorum, ab Hebere filio Salæ Hebræorum, ut ſunt teſtes locupletiſſimi Fl. Joſephus, Aureliusque Auguſtinus, & clade ea Lotho ſolo, qui in foribus per tempus idem Segoris habitabat, Aaræ Germano cum liberis ſervato conjunx, quum adverſus mandatum crebrius reſpectaret, in ſalis ſtatuam contabuit, quam vidiſſe ſeſe Fl. Joſephus teſtatur libro primo antiquitatum; quæ deflagratio accidit anno ab orbe condito poſt ſeptuageſimum altero, ſupra ducenteſimum ter milleſimum, ante Theanthropi ortum centeſimo ſexageſimo, qua interiere urbes quinque ad fluenta Jordanis, regno Pentapoleos in Arabiæ confinio ſitæ, Sodomum, Gomorrum, Adamum, Sebois, Segor, anno regni Hebræorum quinquageſimo primo.

Reliquiæ diluvii.

Et loco hoc diluvia peropportune omnia referenda, quorum maximum, ut diximus, ſub Noa, quo genus mortale univerſum interiit, oceanus montes univerſim editiſſimos omnes ſuperavit, id quod in Ægypto ac Syria conchilia relicta etiamnum oſtentant; quod & *Halicarnaſſæus Herodotus* in litteras retulit. Alterum ſub Ogyge priſco, ut prodidit Xenophon, quo autore idem Ogyges orbi univerſo tum imperitavit; quod diluvium menſes duravit novem. Tertium ſub Nilo, quo ſubmerſa Ægyptus, ſub Hercule ac Prometheo. Quartum ſub Ogyge Attico in Achaja, anno ante urbem conditam milleſimo quadrageſimo, quod durauit menſes duos. At Ogyges ille Eleuſinam Græciæ condidit, cujus diluvii meminit P. Oroſius. Quintum Deucalionis & Pyrrhæ conjugis tempeſtate, quod in Theſſalia accidit, cujus metu in Parnaſſum refugerunt plurimi, & Deucalionis ſvaſu in rupibus ſibi conſuluere; a qua re Mythologi e lapidibus referunt genus mortalium reparatum, quod accidit anno octingenteſimo decimo ante urbem conditam, qua tempeſtate Amphytrion Athenis regno potitus, qui a Cecrope rege primo tertius, ut eſt autor P. Oroſius. Et Plato tunc ſcribit, peſtem in Æthiopia ortam maximam. Per tempus vero illud Liber Pater Indiam intravit ac ſubegit, Apis in Ægypto coli cœpit, qui & Serapis, currente Jobilæo tum ab orbe condito quadrageſimo quarto, Iſaaco ferme nato annos centum. At Thebarum Ægyptiarum eluvies poſt Deucalionæam accidit, annis ducentis, ut meminere M. Varro, & Cæſarienſis Euſebius. Poſtremum Pharaonicum ſub Protheo illo Ægyptio, qui ſacerdos fuit Prothei magni; qua tempeſtate Helene Menelai in Græcia ab Alexandro Paride Trojano rapta. Ad Cecropem, quem retulimus, recurrendum, cujus ſeculo Græcorum hiſtoria nata, ut eſt autor divus Hieronymus in Cæſarienſem Euſebium, poſt quem celeberrimum ſub Deucalione diluvium, mox incendium ſub Phætonte. Floruit vero per tempora illa Erichtonius e Vulcano & Minerva prognatus, Dardanus item ſtirpis Trojanæ autor, Liber pater. Sed & Europæ tum raptus a Jove perpetratus. Nec obſcura tunc fama Ceres, quæ frumenti ſationem docuit. Iſidis delubrum Eleuſinæ frumenta Triptolami imperium, Trojæ regnum, raptus Ganymedis, Tantalus & Tycius. Appollo præterea natus, Latonaque Jovis conjunx, & patitia, ut eſt autor divus Hieronymus. Mox *Cadmus*, qui in Græciam litteras *attulit*, quique Semelem genuit. Linus quoque & Zetus, Amphion, Muſæus, Orpheus, Ninus, Perſius, Æſculapius, Caſtor, Pollux, Hercules, quocum Appollo Admeto ſervivit & pecora pavit. Evertitur Ilium Trojæ. Atqui longo dein intervallo *Homerus* floruit, quem ſequuti *Thales & Solon* cum ſapientibus aliis. Mox Pythagoras, Socrates, Plato; a qua re apertiſſimum, fuiſſe Moſen omnibus illis priorem. Itaque ab anno Moſis octogeſimo & egreſſu filiorum ad Abrahamum, anni quingenti quinquaginta. Totidem quoque a Cecropis quadrageſimo quinto ad Ninum & Semiramidem. Et quoniam Jobel annum quinquagenarium apud Hebræos ſignificat, luculenter apparet principium jubilæi quadrageſimi primi cœpiſſe anno ab orbe condito ter milleſimo ducenteſimo trigeſimo, ad quem ab Adamo millia annorum duo, ut illi ſuppurant. Sacerdos in orbe primus Melchiſedechus, cujus varia nativitas, Solymarum certe Rex, autore in antiquitatibus Fl. Joſepho, qui Abrahamum a bello redeuntem victoriaque potitum pane & vino excepit. Data dein circumciſio Abrahamo non in juſtificationem, ſed in ſignum fœderis, quo illius poſteritas a gentibus ceteris ſegregata. Anni vero ab Adamo ad Abrahamum octingenti quadraginta octo. Verumenimvero anno ab orbe condito ter milleſimo quingenteſimo quadrageſimoquinto Hebræos Pharaon ſervitute immodica preſſit, quos eduxit Moſes, qui & Moſeus teſte Archilocho. Et populum ille Israeliticum in eremo annos quadraginta aluit, leges & litteras dedit, ad cujus ortum ab Abrahamo, anni quinque & viginti ſupra qua-

quadringentos, autore Philone. Ab eo ad exitum de Ægypto & *inchoatum templum ligneum*, anni octoginta, teste eodem. Ab ædificatione ad instaurationem sub Dario qvingenti duodecim. Mosis itaque contemporaneus Cæcrops cognomento Diphyes, Athenienſium Rex omnino primus; sub quo oliva reperta, Minerva Athenas appellavit, ipse primus Jovem. Ante autem Mosen *Atlas* Astrologus anno centesimo qvadragesimo qvarto, post eum vero Cadmus, Moseus & Orpheus. Sed & Argonautæ vellus rapuere aureum, duce Jasone, qvocum Hercules & scriptor floruit egregius Hellanicus. Anno dein ter millesimo nongentes. octogesimo primo Priamus Trojæ regnavit; post qvem Carmenta litteras Romanas invenit, Hercules flamma interiit, Alexander Paris Helenen rapuit Menelai conjugem, cujus germanus Agamemnon Ilium vastavit bello decennali obsessum, Æneas in Italiam venit, anno ferme ab orbe condito qvater millesimo vigesimo qvarto. At Æneæ filius Ascanius Albam longam condidit anno qvater millesimo qvadragesimo qvarto, a qua urbe Albanis nomen. Et tempestate ea arca testamenti rapta, celeberrimus tum orbe toto *Homerus*, Poetarum omnium princeps, qvorum octo fuere, ut annotavit Archilochus, e qvibus ultimus Olympiade vigesima tertia floruit, ab excidio Trojano qvingentesimo, Mæonius dictus, certamine Olympico victor, cui soli potestas emendandi characteres, nomina ac lingvam græcam; qvem floruisse post Thaleten Xenophon scribit, Samuele vate tum & Saule Hebræorum rege inclytis, sub quibus ætas ænea desiit; cœpit ferrea sub *Marte*, qvum Davides Hebræorum imperio potiretur; cujus tempestate Carthago in Africa a Didone excitata, casu sub Hasdrubale rege miserrimo, quo mulierum millia viginti qvinqve, virorum triginta interemta, transfugæ in universum omnes in Æsculapii fano igne sponte consumti; inter quos conjux regis cum filiis duobus. At urbs ipsa Carthago diebus continuis, septem arsit: qva calamitate saxa etiam omnia in pulverem comminuta anno, a quo condita, septingentesimo, victore P. Scipione; id qvod P. Orosius annotavit. Et per tempora ea Salomon templum lapideum inchoavit, anno fere ab orbe condito qvater millesimo ducentesimo qvarto, regni sui anno quarto teste Philone. Mox regnum ipsum Judæorum sub Robaa Salomonis filio partitum. Numerus tum Prophetarum ingens, inter quos Helias & Helisæus, e quibus ille curru in paradysum igneo raptus, anno ferme ab orbe condito qvater millesimo ducentesimo nonagesimo octavo. Ast qvadringentesimo dein vigesimo septimo Græcia, qvum per æras numerasset, Olympiadem instituit, in qvarum prima pugil fortissimus Milo Crotoniates natus, ut est autor A. Gellius Libro 14. noctium Atticarum, qvi dum in vires humanas nimium fidit, fa-

de Westphal. Monum. inedit. Rer. Germ.

ctus est præda ferarum, qva tempestate & Assyriorum regnum sub Sardanapalo, rege vitæ licentiosissimæ, in Medos tralatum est. Olympias vero prima Jesaiæ vatis ævo cœpit, & qvi cum eo prophetarunt; a qva ad Ilii eversionem anni qvadringenti sexaginta. At qvadragesimo mox tertio Remus & Romulus ex Rhea Ilia Marte compressa editi, qvos Faustulus Ethruscus, pastor, ab eventu Romulum initio & Rumen appellavit, autore C. Sempronio. Floruit tum Sibylla Samia sub Tarquinio Prisco; Thales Milesius philosophabatur, cujus familiaris Anaximander, quem seqvuti Artemidorus & Agathyrsides, qui res Ægyptias condidit verissime, in Asiaque militavit diu, cujus contemporaneus Appollodorus Romanorum antiqvissimi Ethrusci; nimirum qvi sub seculo nati aureo, ut scriptum reliquit Myrsilus Lesbius. Anno dein qvater millesimo qvingentesimo nonagesimo octavo Nabuchodonosorus autore Beroso Babylonico Judæam populabundus ingressus templum vastavit, captivosqve in transmigrationem Babylonem usqve coegit, cujus cladis a Mose ad ædificationem primam anni qvadringenti septuaginta novem. A Salomone ad vastationem eam anni qvadringenti decem, qvo tempore dein sub Esdra templum restauratum usque ad Titum Imperatorem Romanum duravit annis qvadringentis viginti; et sub finem ætatis illius ferreæ Sappho floruit, e Lyricis elegantissima, quacum ætas ea anno qvater millesimo sexcentesimo nono finem cœpit, subseqvente a captivitate Hebræorum ætate qvinta, qvæ calamitas duravit annis septuaginta, ad qvater millesimum sexcentesimum septuagesimum nonum; qvibus temporibus Darius Persarum regno potitus, sub qvo emancipati Hebræi, anno septingentesimo decimo tertio super qvater millesimum, ad qvem a Salomone anni qvingenti duodecim, ut est testis Cæsariensis Eusebius annis ab eo ad CHRISTI JESU ortum qvingentis decem octo. Mox Xerxes floruit Regum antecessorum omnium potentissimus, qvi ambulare in mari visus, in terra navigare, cujusque gregibus flumina maxima non sufficerant; qva tempestate floruit Herodotus Halicarnasseus pater historiæ, Sophocles & Euripides Tragici. Herodoti contemporaneos fuisse Hellanicum & Thucydidem, A. Gellius testatur Libro 14. noctium Atticarum anno ferme quater millesimo septingentesimo trigesimo tertio; post qvem Artaxerxes, qvi & Ahasveros litteris sacris, cujus seculo Ctesias Gnidius, Callisthenes, Theopompus, inprimisqve Esdras, qvi legum monumenta suis restituit, anno ferme septuagesimo tertio, Darius dein Nothus, sub qvo illustris Plato, anno ferme nonagesimo tertio & mox Artaxerxes, Ochus cognomento, qvi post exitum de Ægypto Judæos complurimos, in transmigrationem cogens in Hyrcania ad mare Caspium conclusit, unde olim erepturi, ut est P. Orosius autor.

Finis ætatis ferreæ.

autor. Et ſub Artaxerxe illo floruit Demoſthenes orator ac ſummus *Ariſtoteles* Stagyrites Philoſophorum anteſignanus anno qvater milleſimo octingenteſimo qvinqvageſimo octavo. Dein *Xerxes* Perſa, ſub qvo Xenocrates Ariſtotelis ante auditor anno ſeptuageſimo ſecundo. Mox *Cyrus*, ſub qvo inclytus Xenophon, ac dein Darius, quem proſtravit *Alexander* ille, qvi cognomento Magnus, qvi & Solymas cœpit anno ferme ſexageſimo octavo; ſed & Aſiam domuit, Indiam intravit, Porum Indorum ipſorum Regem elephanto exultantem, Bucephalo ipſe eqvo inſidens, certamine ſingulari congreſſus, victor rediit, & Alexandriam in Ægypto condidit anno regni ſui ſeptimo, occupata ante Babylone Aſſyrierum metropoli, interemtoqve Dario anno ferme ſeptuageſimo tertio, ac ſic in Ægypto annos regnavit qvinqve, ubi Babylonem alteram excitavit, qvæ Memphis olim, autore C. Plinio, nunc Alcayrum vulgo, ſub qvo floruere Oneſicritus & Ariſtobulus, qvi ambo ejus in Indiam ac Ægyptum legati. Et Alexander ille, cui mundus non ſuffecit unus, nempe qvi dicere ad amicos ſolebat, *quid victo mundo hoc faciemus?* fato miſerrimo abſumtus eſt, poſt qvem principes duodecim regnum inter ſeſe diviſere, e qvibus Ptolomæus unus Ægypti rex declaratus. Et ſub Ptolomæo Lago Hellanicus, ſub Philadelpho vero Interpretes ſeptuaginta floruere, anno ferme qvatermilleſimo nongenteſimo qvinqvageſ. primo. At ſeptuageſ. ſeptimo Jeſus Syrachius librum Eccleſiaſticum, ut putant, edidit, ſub Evergete rege Ægypti; qvem ſeqvutus Epiphanes, cujus tempeſtate Græcos Romani vicere. Scipio Africam debellavit, Terentiumqve inde Comicum abduxit; At qvinqvies milleſimo centeſimo nono Syria a Romanis eſt occupata; poſt qvæ tempora Dionyſius Siculus tyrannus floruit anno decimo ſeptimo; & mox anno qvadrageſimo ſeptimo Cn. Pompejus Judæam cepit, cujus tempeſtate Poſſidonius Philoſophus vixit. Devicto vero Pompejo Cajus Julius Cæſar monarchiam primus conſtituit anno qvinqvageſimo qvarto; qvo a Bruto & Caſſio interemto ætas ea efloruit. Et jam annus agebatur ab orbe condito qvinqvies milleſimus ducenteſimus decimus, qvum Octavianus Auguſtus rerum potiretur, qvocum ætas ſexta auſpicata, cujus annis ſupremis, qvum decreto orbem recenſeret, natus eſt *CHRISTUS JESUS* anno ab o. c. ter milleſimo ſeptingenteſimo ſexageſimo, a diluvio ter milleſimo centeſimo ſecundo; ſinceriores tamen a mundi exordio ad tempus illud ſupputant annos ter mille qvingentos & octo. Aſtronomi millia annorum qvinqve trecentos qvadraginta qvatuor. Ab Adamo enim ad diluvium millia duo ducenti qvadraginta duo. Inde ad Chriſtum millia tria ſeptingenti ſexaginta. Hebræi vero ab Adamo ad diluvium annos mille qvingentos faciunt. A diluvio ad Abrahamum ducentos nonaginta duos. Ortu Chriſti venerando tellus Romæ in transtyberina regione oleum in myſterii argumentum, fluvio diem integrum manavit, qvod Cæſarienſis Euſebius annotavit. Sed & Magi ab Oriente venerabundi venerunt, & die a luſtrico qvinto Chriſtum in gurguſtiolo Bethleemitico ſalutarunt adoraruntque, munera affatim offerentes. At eluſus ab illis Herodes rex tum Judæorum omnes in univerſum a bimatu infantes & infra tempus illud trucidavit, interqve illos filium, qvo audito Auguſtus *malle ſe inqvit, porcum eſſe Regis, qvam filium*, ait, ut annotavit Aurelius Macrobius libro II Saturnalium. Aſt ſub Tiberio anno trigeſimo tertio Chriſtus crucifixus, anno Cæſaris ejuſdem decimo qvinto, ad qvem ab Abrahamo millia duo qvadringenti qvadraginta, autore Euſebio. A Nino & Semiramide millia duo qvadringenti triginta, teſte eodem. Olympias vero ducenteſima decima. Mox Hieroſolyma ſub Tito Cæſare ſeptimum capta ac vaſtata, undecies centenis millibus mortalium peremptis, ut prodidit Fl. Joſephus & millibus centenis captis ac venundatis. At anno divi Conſtantini Cæſaris trigeſ. qvinto ſynodus Nicæna celebrata, ſub qva Cyriacus Judæus qvi & Judas divæ Helenæ Auguſtæ crucem ſanctam oſtendit refodiendam, cruce ipſe affixus; a qvo cruciferorum ordo cœpit primum, qvi intermiſſus ſub Innocentio tertio Pontifice maximo, Lateranenſi ſynodo reſtauratus, qvorum regulam edidit Innocentius qvartus: poſt qvæ tempora inclinare imperium cœpit.

Geſta Alexandri.

Annus Nativitatis CHRISTI.

LIBER

LIBER TERTIUS

De

Regni Romani auſpicio, ordineqve Regum ac Imperatorum ac vitæ tempore, nec non de viris diſciplina excellentibus ſub Imperatoribus, ac Chriſtianorum perſecutione.

Regni Romani initio & imperantibus.

REgnorum inter maxima Romanorum ac noviſſimum: nam Aſſyriorum ſub Sardanapalo interiit, Perſarum ſub Dario, Macedonum ſub Romanis. Cœpit vero Romanum a Proca rege, anno quo deſiit Babylon, ſub Arbacto Cyri præfecto, poſtea quam ſtetiſſet annis mille centum ſexaginta. Condita ergo eſt Roma poſt everſum Ilium circiter annum trecenteſimum trigeſimum, Olympiade ſexta, quæ annis totidem durans, quot Babylon, a Gothis, & rege Alarico eſt vaſtata. Regna itaque ea per ſtatuam olim Nabuchodonoſoro ſunt ſignificata, quam Daniel vates declaravit. Nam, quum ea apice appareret aureo, pectore, brachiis argenteis, ventre & femore ex ære, tibiis ferreis, portento hoc poſtremo Romanum eſt inſinuatum quod ferro cetera abſumſit. At Perſarum dentium rictu triplici, Macedonum pardo alato alis quaternis & capitibus totidem demonſtratum. Romanum vero dentibus beſtiæ ferreis. Primus autem omnino Italiæ Rex Janus, poſt quem Picus, Faunus, Latinus; cujus tempeſtate Æneas e Troja in agrum Laurentem venit & Lauinium condidit, annis tribus regno potitus. Mox Aſcanius filius, qui Albam longam excitavit; in qua regnatum annis ferme quadringentis triginta duobus. Nam Aſcanius annos regnavit viginti octo, Aſcanius poſthumus annos undetriginta, Æneas Sylvius triginta unum, Latinus Sylvius quinquaginta unum, Alba Sylvius undequadraginta, Atys tres ſupra viginti, Capis duo de triginta, Capetus triginta tres, Tiberinus novem, Agrippa quadraginta, Aventinus triginta ſeptem, Procas viginti duos, Amulius quadraginta tres. Dein ſequuti Reges annis ducentis quadraginta tribus, qui fuere ſeptem autore Sexto Rufo ad Valentinianum. Romulus enim regnavit annis triginta octo, elatus anno ab orbe condito quatermilleſimo quadringenteſimo quadrageſimo octavo, ante Chriſtum JESUM ſeptingentis uno ac quinquaginta. At Senatores tum annum unum dies ſenos. Numa Pompilius annis quadraginta tribus; mortuus anno ab orbe condito quater milleſimo quadringenteſimo octogeſimo quinto, ante Chriſtum ſeptingentis quatuordecim. Tullus Hoſtilius annis duobus ac triginta, qui obiit anno ab orbe condito quater milleſimo, quingenteſimo octogeſimo ſexto, ante Chriſtum annis ſexcentis triginta ſeptem. Ancus Martius annis viginti quinque, mortuus anno ab orbe condito quater milleſimo quingenteſimo quinquageſimo octavo, ante Chriſtum ſexcenteſimo quadrageſimo primo. Tarquinius Priſcus annos triginta octo, qui exceſſit anno ab orbe condito quater milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio, ante Chriſtum ſexcenteſimo vigeſimo ſexto. Servius Tullius annos quadraginta quatuor, elatus anno ab orbe condito quadringenteſimo ſexcenteſimo decimo nono, ante Chriſtum ſeptingenteſimo octogeſimo. At Lucius Tarquinius Superbus ſtuprata Lucretia Collatini expulſus eſt anno regni vigeſimo quinto, anno ab orbe condito quater milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo, ante Chriſtum ſeptingenteſimo quadrageſimo nono. Seqvuti Conſules; quorum primi Junius Brutus & Publicola. Numerati vero ex ordine Conſules octingenti ſeptuaginta ſeptem, autore Sexto Rufo; e quibus ultimi Banſa & Hircejus interlabentibus annis quadringentis, nonnullis tamen ſorte tempore medio ſurrogatis. Fuit & Roma ſine Conſulibus annis quadraginta quinque. Sub Tribunis ergo militum regnatum annis quadraginta tribus. Interdum & ſine magiſtratu. Imperatores a Cæſare Julio ad Jovinianum quadraginta tres autore Sexto Rufo. Regum regnum duravit annis ducentis quadraginta tribus, teſte eodem. Regnum Conſulum admiſſis & Dictatoribus annis duravit quadringentis quadraginta ſeptem. At Imperatorum annis quadringentis ſeptem, ut ſcribit Sextus Rufus. Verumenimvero C. Julius Cæſar Lucii filius, annis quatuor, menſibus ſeptem, Monarchiam tenuit, anno ab orbe condito quinquies milleſimo centeſimo quinquageſimo tertio, ante Chriſtum quadrageſimo ſexto; quem ſeqvutus eſt Auguſtus Octavianus Cæſar, qui vixit annis quinquaginta ſex, menſibus ſenis, ab orbe condito quinquies milleſimo centeſimo quinquageſimo octavo. Dein Tiberius Claudius Cæſar imperium tenuit annis viginti tribus, anno Chriſti quinto decimo. Cajus Caligula Cæſar annis tribus, menſibus decem, diebus octo, anno a natali Chriſtiano trigeſimo octavo vita functus. Publius Titus Claudius annis tredecim, menſibus octo, diebus viginti, anno Chriſti quadrageſimo tertio elatus. Domitius Nero Claudius Cæſar annis quatuordecim, menſibus ſeptem, diebus octo, A. Chriſti quinquageſimo ſeptimo. Sergius Galba menſibus ſeptem, A. C. ſeptuageſimo primo. Salvius Otto menſibus tribus, A. C. ſeptuage-

simo primo. Aulus Vitellius Cæsar mensibus septem, A. C. septuagesimo secundo. Flavius Vespasianus Augustus annis decem, A. C. septuagesimo tertio. Titus Vespasianus Cæsar annis duobus, mens. duobus, diebus viginti, A. C. octogesimo primo. Flavius Domitianus annis quindecim, mens. quinque, A. C. octogesimo secundo. Nerva Coccejus, anno uno, mens. quatuor, A. C. nonagesimo nono. Ulpius Trajanus, annis decem & octo, mens. sex, A. C. centesimo. Helius Hadrianus anno uno ac viginti, A. C. centes. decimo nono. Antonius Fulvius Pius annis duobus ac viginti, mens. tribus, A. C. centes. quadragesimo. Marcus Antonius Pius, annis undeviginti, mense uno; A. C. centesimo sexages. tertio. M. Antoninus Philosophus, M. Antoninus Verus, M. Commodus annis tredecim, teste Lampridio, anno vitæ trigesimo secundo strangulatus, A. C. centesimo octoges. secundo. Publius Hælius Pertinax mens. sex, A. C. centesimo nonages. quarto. Juliano Didymus annis quinquaginta sex, teste Spartiano, mens. quatuor, diebus sexaginta quinque. Pescenius Niger. Dein Septimius Severus annis decem & octo, mens. octo, A. C. centesimo nonages. quinto. Marcus Aurelius Bassianus annis septem, A. C. ducentesimo decimo tertio. Opilius Macrinus anno uno, A. C. ducentes. undevigesimo. Aurelius Antoninus Verus Heliogabalus annis quatuor, A. C. ducentes. vigesimo secundo. Severus Alexander annis tredecim, A. C. ducentesimo vigesimo quarto. Julius Maximinus annis tribus, A. C. ducentes. trigesimo septimo. Decius Celius Balbinus a militibus occisus. Gordianus annis sex, A. C. ducentes. quadragesimo. Marcus Severus Ostilianus venæ malo interemtus. Marcus Jul. Philippus annis septem, A. C. ducentes. quadragesimo sexto. M. Q. Trajanus Decius Augustus anno uno mensibus tribus, A. C. ducentesimo quinquagesimo primo. Verus Gallus Hostilianus cum filio annis duobus, A. C. ducentesimo quinquagesimo quarto. Æmilianus Lybicus Augustus. Dein Valerianus Colobius annis quindecim, A. C. ducentes. quinquagesimo sexto. Marcus Aurelius Claudius secundus, anno uno, mens. novem, A. C. ducentesimo septuagesimo. Dein Aurelianus annis quinque, mens. totidem, A. C. ducentesimo septuages. tertio. Publius Annius Tacitus mens. sex, A. C. ducentes. septuagesimo septimo. M. Annius Florianus, & mox Probus annis sex, mens. quatuor, A. C. ducentes. septuages. octavo. M. Aurelius Carus annis duobus, A. C. octogesimo quarto. Numerianus Carinus, & mox Diocletianus annis viginti, A. C. ducentesimo octogesimo sexto. Aurelius Maximianus Herculeus, Alexander, Maxentius, Valens, Constantius, Clorus. At Galerius annis duobus, A. C. trecentes. sexto. Inter reges vero tunc M. Julius, Licinius Licinianus, mox Galienus, Constantinus Maximus Pius annis triginta, mens. decem, A. C. trecentes. octavo; sub quo translatum Imperium ad Græcos. Diviso Imperio Anavallianus Constantinus annis tribus, Constantius, Constans dies duodetriginta, Constantius annis quatuor. Magnentius Britannion annis sex. Silvanus menses duos. Gallus, Constantinus annis viginti quatuor mensibus quinque, A. C. trecentes. trigesimo nono. Fl. Claudius Julius Julianus annis duobus, mens. octo, A. C. trecentes. sexagesimo tertio. Jovinianus mensibus octo, A. C. trecentesimo sexages. quinto. Valentianus annis undecim, mensibus quinque, A. C. trecentes. sexagesimo sexto. Valens annis quatuor, A. C. trecentesimo octoges. septimo. Gratianus annis sex, A. C. octogesimo secundo. Valentinianus secundus, annis octo. Theodosius annis undecim, A. C. trecentesimo octoges. octavo. Arcadius annis tredecim, A. C. quadringentes. septimo. Honorius annis quindecim, A. C. quadringentesimo undecimo. Theodosius minor annis viginti septem, A. C. quadringentesimo trigesimo primo. Valentinianus tertius, Martianus; dein Flavius, Valens, Leon, Leon secundus, Flavius, Valens, Zenon Leontes annis decem & septem, A. C. quadringentes. septuagesimo quarto. Anastasius annis triginta sex, A. C. quadringentes. nonagesimo. Fl. Valens. Justinus annis octo; A. C. quingentesimo undevigesimo. Fl. Valens Justinianus annis duodetriginta, A. C. quingentesimo vigesimo quinto. Fl. Valens Justinus annis undecim, A. C. quingentesimo sexagesimo quarto. Tiberius secundus annis septem, A. C. quingentesimo septuagesimo primo. Mauritius annis viginti, A. C. quingentes. septuagesimo octavo. Phocas annis tredecim, A. C. quingentes. nonagesimo octavo. Heraclius annis viginti septem; A. C. sexcentesimo undecimo. Heraclion annis duobus, A. C. sexcentesimo trigesimo octavo. Constantinus tertius annis viginti septem, A. C. sexcentes. quadragesimo. Constans dein, ac mox Mezentius, qui ne diem quidem imperavit, A. C. sexcentes. sexagesimo nono. Constantinus quartus, annis decem & septem, A. C. sexcentes. septuages. Constans, & mox Justinus Constans filius annis decem, A. C. sexcentesimo octogesimo sexto. Leon annis tribus, A. C. sexcentesimo nonages. sexto. Tiberius tertius annis septem, A. C. sexcentesimo nonages nono. Philippicus Dardanus, anno uno, A. C. septingentes. septimo. Anastasius secundus annis tribus, A. C. septigentes. undecimo. Theodosius tertius annis undecim, A. C. septingentes. quindecimo. Leon tertius annis viginti quinque. Constantinus quintus annis decem, A. C. septingentes. quinto; a quo translatum imperium in Gallos. Leon quartus annis quinque, A. C. septingentes. septuages. octavo. Nicephorus annis novem, A. C. septingentes. nonagesimo secundo. Constantinus sextus Leontis filius. Carolus M. annis quatuordecim, A. C. octingentesimo primo. Ludovicus Pius annis viginti quinque,

que, A. C. octingenteſimo decimo quinto. Lotharius primus annis qvindecim, A. C. octingenteſimo qvadrageſ. nono. Ludovicus ſecundus anno uno ac viginti, A. C. octingenteſimo qvinqvageſimo ſexto. Carolus ſecundus ſive Calvus annis ſex, A. C. octingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo. Carolus junior ſive tertius annis viginti duobus, A. C. octingenteſimo octogeſimo ſecundo. Arnulphus annis duodecim, A. C. octingenteſimo nonageſimo qvarto. Ludovicus tertius, annis ſex, A. C. nongenteſimo octavo. Berengarius primus annis qvatuor, A. C. nongenteſimo decimo tertio. Cunradus, & mox Berengarius ſecundus, annis qvatuor in Italia, A. C. nongenteſimo vigeſimo primo. Hugo annis decem, A. C. nongenteſimo vigeſimo ſeptimo; a qvo imperium translatum in Germanos, ubi durat adhuc. Henricus annis octo. Berengarius tertius in Italia annis tredecim, A. C. nongenteſimo trigeſimo qvinto. Lotharius Hugonis filius annis duobus in Italia. Berengarius qvartus & dein Otto primus Henrici filius annis triginta ſex. Otto ſecundus annis duodecim, A. C. nongenteſimo ſexageſimo ſecundo. Otto tertius annis decem & ſeptem, A. C. nongenteſimo octogeſimo ſeptimo. Otto qvartus annos duodeviginti, A. C. nongenteſimo octogeſimo ſeptimo; a quo Imperatorum electio, in qva primus Henricus primus, qvi moderatus imperium annis undeviginti, menſ. qvinqve, elatus anno a natali Chriſtiano qvarto ſupra milleſimum. Cunradus annos triginta, A. C. milleſ. vigeſimo primo. Henricus annis decem & ſeptem, A. C. milleſimo undeqvadrageſimo. Henricus ſec. annis duodeqvinqva ginta, A. C. milleſ. qvinqvageſimo ſeptimo. Henricus tertius annos viginti, A. C. milleſimo centeſ. octavo. Henricus qvartus. Lotharius qvartus annis undecim, A. C. milleſ. centeſimo duodetrigeſimo. Cunradus ſec. annis qvindecim, A. C. milleſ. undeqvadrageſimo. Fœdericus primus, qvi Barbaruſſa annis triginta ſeptem, A. C. milleſ. centeſimo qvinqvageſimo tertio. Henricus qvintus annis octo, A. C. milleſ. centeſimo nonageſimo. Otto qvintus annis tribus, A. C. milleſ. ducenteſimo nono. Fœdericus ſec. annis triginta tribus, A. C. milleſimo ducenteſ. duodecimo. Rudolphus annis undeviginti, A. C. milleſimo ducenteſimo ſeptuageſ. tertio. Adoulphus a Naxonibus annis ſex, A. C. milleſ. ducenteſimo nonageſimo ſecundo. Albertus annis decem, A. C. milleſimo ducenteſimo nonageſ. octavo. Henricus ſextus annis qvinqve, menſ. octo A. C. milleſ. trecenteſimo nono. Ludovicus qvartus, annis qvinqvaginta duobus, A. C. milleſ. trecenteſimo decimo qvinto. Carolus qvartus annis triginta ac uno, A. C. milleſ. trecenteſimo ſeptuageſimo nono. Robertus annis novem, A. C. milleſ. qvadringenteſimo primo. Sigiſmundus annos duos de triginta A. C. milleſ. qvadringenteſimo undecimo. Albertus annis duobus, A. C. milleſ. qvadringenteſ. duodeqvadrageſimo. Fridericus tertius, annis qvinqvaginta tribus, A. C. milleſ. qvadringenteſ. qvadrageſimo. Maximilianus anno obiit a natali Chriſtiano milleſ. qvingenteſ. undevigeſimo, ad Idus Januarias. Ultimus nunc Carolus qvintus, Maximiliani ex Philippi Hiſpaniarum Rege nepos. Ad viros nunc diſciplina ſub Cæſaribus excellentes divertendum. Itaque paulo ſupra Cæſarum ætatem T. Lucretius, Q. Ennius, Pacuvius Q. Ennii Nepos, Nævius ac Plautus porrere. Cum Scipione Panætius & Terentius Apher; ſub C. Julio Cæſare Publius & Laberius, Diodorus Siculus, M. Terentius Varro undecunqve doctiſſimus, M. Cato Cenſorinus generis Romani ſcientiſſimus, M. Tullius Cicero Romanæ eloqventiæ pater, C. Criſpus Salluſtius. Sub divo Auguſto Athenodorus, Publius Virgilius Maro, Publius Ovidius Naſo, Cajus Valerius Catullus, Sextus Aurelius Propertius, Albius Tibullus, Æmilius Macer, Meſſala Corvinus, Aſinius Pollio, Marſus Rabirius, Sabinus, Fl. Horatius, Plotinus, Valerius Maximus, Cajus Julius Solinus, Titus Livius Patavinus, Strabo Gnoſius & ejus Synchroni Xenarchus, Dion Pruſienſis, Dionyſius Alexandrinus, Vitruvius Pollio in architectura doctiſſimus. Sub Nerone Annæus Seneca, M. Annæus Lucanus, Aſconius Bedianus Ciceronis interpres, qvem imitati in veterib. Porphirion, Acron, Nonius Marcellus, Feſtus Pompejus, Diomedes. Cum Seneca, M. Fabius Qvintilianus, in Galbæ imperium uſque, Julius Africanus, Vibius, Criſpus, Traçalus, Domitius Apher, Baſſus Salcius, Aulus Perſius, Statius Papinius, Silius Italicus. Sub Fl. Veſpaſiano Cornelius Tacitus. Sub Tito Veſpaſiano C. Plinius, & mox Plinius, Cecilius Dorotheus, Fl. Joſephus, Galenus Pergamenſis. Sub Domitiano M. Valerius Martialis, Decius Junius Juvenalis, C. Valerius Flaccus, Setinus Xiſtus Pythagoricus, Agathocles Cenomaus, Trogus Pompejus Appollonius Theaneus, cujus illuſtrator Philoſtratus. Sub Trajano Plutarchus Chæronæus. Sub Hadriano C. Svetonius Tranqvillus ſecundus Philoſophus, Ptolomæus Alexandrinus, Ælianus, Q. Florens, Tertullianus, Svidas, Sextus Julius Frontinus. Sub divo M. Antonino Opianus, Fronto, cujus auditor Meltio Aſianus, Apulejus Madaurenſis, Vectius Prætextatus, A. Gellius, cujus præceptor Sulpitius Apollinaris, qvorum coævus L. Paulus, Paſſienus, M. Marullus, Petronius Arbiter, Juſtinus. Sub Commodo Julius Pollux. Sub Valentino Decius Auſonius Gallus. Alexandri tempeſtate Ulpius Ulpianus Jurisconſultorum doctiſſimus, Cæſaris Aſſeſſor, ante qvem Julius Firmicus. Sub Gordiano Q. Serenus Sammonicus. Sub Diocletiano & Conſtantio T. Calphurnius, Alphius

De Viris doctrina excellentibus.

phius Avitus, Septimius Apher, Terentianus, Rufus Feſtus Avienius, Helius Spartianus, Julius apitolinus, Helius Lampridius, Trevellius Pollio, Fl. Vopiſcus, Vulcatius, L. Florus & ſub Valente Eutropius. Sub Conſtantino Dioſcorides, Juvencus, Aurelius Prudentius, Caſſianus, Didymus Alexandrinus, Licentius, Alcymus, Fortunatus. Ambroſius haud ita multo tempore Origene prior. Origenes Adamantius millibus librorum ſex amplius ſcripſit, autore divo Hieronymo, cujus amator inſignis Porphyrius Athenienſis. Sub Theodoſio Euſebius Cæſarienſis & cumprimis Cæſari familiariſſimus, Joannes Damaſcenus, qui Theologumena edidit, Aurelius Auguſtinus, & eorum contemporaneus divus Hieronymus. Sub Arcadio Cl. Claudianus. Sub Totyla Eutytius & Fulgentius. Sub Theodorico Sidonius Appollinaris, Caſſiodorus, Sedulius, Proſper, Martianus Capella. Sub Ludovico Gallo Rabanus, qua tempeſtate Strabus Gallus. Neoteros præterire ſatius, ne ſi unum aut alterum parum rite recenſuero, committam imprudenter. Quare ad Academicos deflectendum. Sub divo Octaviano Auguſto inſontes in divorum abiere numerum, autore cædis Herode Rege; ſub Tiberio Hermogildis. Sub Nerone Apoſtolorum principes Petrus ac Paulus, inſuperque Cornelius Centurio, Gervaſius; ſub Tito Petronella; ſub Domitiano Nereus & Achilles; ſub Trajano Diogenes, Quirinus, Balbina; ſub Antonino Vero Victor; ſub Commodo diva Cæcilia, ſub Probo Anatholius; ſub Hadriano Chryſoſtomus; Euſtathius, Sophia; ſub Severo Clemens, Theophilus; ſub Helio Gertrudis; ſub Decio Neſtor, Abdon, Sennon, Romanus, Laurentius, Hippolytus, Hireneus, Methodius, Reparata, Januarius, Felix, Philippus, Sylvanus, Alexander Vitalis, Martialis, qui divæ Felicitatis filii; ſub Claudio Priſca, Marius, Julianus, Cæſarius, Cæcilius, Cyprianus; ſub Diocletiano, Datiano, Maximiano Lucia, Gregorius, Vincentius, Sebaſtianus, Blaſius; ſub Maximiano Barbara, Hermolaus, Felix Panthaleon, Cyriacus, Mauritius, Sergius, Gereon, Saturnus, Siſinnius; Sub Juliano Hilarius, Donatus, Porphyrius; ſub Joviano Caſſianus; ſub Valente ac Valentiniano Ambroſius, Macarius, Optatus; ſub Martiano Germanus; ſub Anaſtaſio Fulgentius, Fauſtus, Symmachus, Leonhardus; ſub Gratiano Baſilius; ſub Numeriano Maurus; ſub Valeriano Eugenia, Patroclus, Marinus, Symphronius, Prothus; ſub Heraclio Florianus, Anaſtaſius, Iſiodorus, Auſtrogillus; ſub Maxentio Agatha, Dorothea, Catharina, Tiburtius, Vincentius, Quintinus; ſub Conſtantino Magno Amos; ſub Conſtantino minore Cyrillus, Kylianus; ſub Conſtantino quarto Gangulphus; ſub Conſtantino Arriano Gregorius, Paulinus, Victorinus, Gaudentius, Frumentius, Martinus, Briccius; ſub Hunnis Nicaſius, Gerhardus, Benedictus, Proſper, Caſſius, Eugenius, undena parthenon millia, duce diva Urſula; ſub Vandalis Aurelius Auguſtinus, Donatus, Severinus, Maurinus, Anſcarius; ſub Dagno rege Chriſtophorus; ſub Francis Salvius, Androtus, Ansbatus; ſub Saxonibus Thomas Cantuaurienſis, Gothardus, Udalricus, Anshelmus, Clara, Wenceslaus, Theobaldus.

LIBER QUARTUS

De

Pontificum ordine deque eorum inſigniter geſtis.

Ordo Pontificium.

Primus omnino Pontificum *Petrus* Galilæus e Bethſaida Andreæ Germanus anno Claudii ſecundo, Herodiano carcere ereptus Romam venit, a Nerone cruci affixus pedibus in ſublime ſurrectis, anno dignitatis vigeſimo quinto, menſe ſeptimo. Linus illi ſuffectus anno Neronis poſtremo, qui præfuit annis undecim menſibus tribus, diebus duodecim. Clætus Romanus genitore Æmiliano annis undecim, menſe uno, diebus undecim. Clemens primus Romanus Cœlimontanus Fauſtino patre annis novem, menſibus decem. Anacletus Athenienſis Antiocho patre annis novem, menſibus duobus, diebus decem. Ævariſtus Græcus Juda patre, Judæo profeſſione Bethlehemitico, annis novem, menſibus duobus, diebus decem. Alexander primus Romanus, Capitetaurinus, genitore Alexandro, annis decem, menſ. ſeptem, diebus duobus. Xiſtus primus Romanus, patre paſtore, annis decem, menſ. tribus, diebus viginti ac uno. Theleſphorus Græcus Anachorita patre, annis undecim, menſ. tribus, diebus duobus ſupra viginti. Higinius Athenienſis, patre Philoſopho, annis quatuor, menſ. tribus, diebus qvatuor. Pius primus Aqvilegienſis, patre Rufino, annis duodecim. Anicætus Syrus, nimirum e vico Marci, ſive, ut Damaſcus, Homuſia, patre Joanne, annis novem, menſibus qvatuor, diebus tribus. Soter Campanus Fundamianus, patre Concordio, annis novem, menſ. tribus, die uno ſupra viginti. Eleutherius Nicopolitanus, Abundio patre, anno uno ac viginti, menſ. ſex, diebus qvi-

qvinis. Victor primus Apher, genitore Felice, annis decem, menſ. tribus, diebus decem. Severinus Romanus, Abundio patre, annis novem. Caliſtus primus Ravennas, Demetrio patre annis qvinqve, menſ. duobus, diebus decem. Urbanus primus Romanus, patre Pontiano, annis octo, diebus duodecim, menſ. duobus. Pontianus Romanus patre Calphurnio, annis ſex, menſibus duobus, diebus duobus. Cyriacus anno uno, menſ. tribus, virgo cum virginibus apud Agrippinam Ubiorum interemtus. Antherus Græcus, patre Romulo, annis tribus, menſe uno, diebus viginti ac uno. Fabianus Romanus, patre Fabiano, annis tredecim, menſ. undecim, diebus undecim. Cornelius Romanus, patre Caſco, annis tribus, diebus decem. Lucius primus Romanus, Porphyrio patre, annis tribus, menſ. duobus, diebus decem. Stephanus primus Romanus, Julio patre, annis tribus, menſ. duobus. Xiſtus ſecund. Athenienſis, annis duobus, menſ. novem, diebus tribus. Dionyſius annis ſex, primus e monachis lectus. Felix prim. Romanus, patre Conſtantino, an. qvatuor, menſ. tribus, diebus qvindecim. Eutytianus Tuſcus, urbe Lunæ, patre Maximo, annis octo, menſ. decem, diebus qvatuor. Cajus Dalmata, patre Cajo Dioclet ianei generis, annis undecim, menſ. qvatuor. Marcellinus Romanus, annis novem, menſ. tribus. Marcellus Romanus genitore Benedicto, annis qvinqve, menſ. ſex, diebus viginti ac uno. Euſebius Græcus, patre Medico, an. duobus, menſ. ſex, diebus viginti qvinqve. Melchiades Apher, annis qvatuor, menſ. ſeptem, diebus novem. Sylveſter prim. Romanus, patre Rufino annis viginti ac uno. Marcus Romanus, patre Priſco, annis duobus, menſ. octo. Julius primus Romanus, patre ruſtico, annis decem & ſex, menſ. qvatuor. Liberius Romanus, patre Auguſto, annis decem & ſex, menſ. ſeptem, diebus duobus. Felix ſecund. Romanus, patre Anaſtaſio anno uno, menſ. qvatuor, diebus duobus. Damaſus primus Hiſpanus, patre Antonio, annis decem & octo, menſ. duobus, diebus decem. Siricus Romanus, patre Tiburtio, annis qvindecim, menſ. undecim, diebus viginti qvinqve. Anaſtaſius primus Romanus, patre Maximo, an. tribus, diebus decem. Innocentius primus Albanus, patre Innocentio, annis qvindecim, menſ. duobus, diebus viginti. Zozimus Græcus, patre Abrahamo, anno uno, menſ. octo, diebus viginti qvinqve. Bonifacius primus Romanus, patre Jucundo, annis tribus, menſ. qvatuor, diebus ſeptem. Cœleſtinus prim. Romanus, patre Priſco, annis octo, diebus novem. Leo prim. Tuſcus, patre Qvintiano, annis viginti ac uno, menſe uno, diebus tredecim. Hilarius Sardius, patre Criſpino, annis ſex, menſ. tribus, diebus decem. Simplicius Tiburtinus, patre Caſtino, annis qvindecim, menſe uno, diebus ſeptem. Felix tertius Romanus, patre Felice, annis octo, menſ. undecim, dieb. undeviginti. Gelaſius primus Apher, patre Valerio, annis qvatuor, menſ. octo, diebus decem & ſeptem. Anaſtaſius ſecundus Romanus, patre Fortunato, anno uno, menſ. decem, diebus viginti qvatuor. Simachus Sardus, patre Fortunato, an. qvindecim, menſ. ſex, diebus viginti duobus. Hormiſda Campanus, patre Juſto, an. novem, diebus decem & octo. Joannes primus Tuſcus, patre Conſtantio, an. duobus, menſ. octo. Felix qvartus Samus, patre Caſtorio, annis qvatuor, menſ. duobus, diebus tredecim. Bonifacius ſecundus Romanus, Sigiſmundo annis duobus, diebus viginti ſex. Joannes ſecund. Romanus, patre Projecto, Cæliomontanus, annis duobus, menſ. qvatuor. Agapetus primus Romanus, patre Gordiano, anno uno. Silverius Campanus, patre Hormiſda, anno uno, menſ. qvinis, diebus duodecim. Vigilius Romanus, patre Jo. Conſule, annis decem & ſeptem, menſ. ſex, diebus viginti qvinqve. Pelagius primus Romanus, patre Joanne, annis undecim, diebus undeviginti. Joannes tertius Romanus, patre Anaſtaſio, an. tredecim. Benedictus primus Romanus, patre Bonifacio, annis qvatuor, menſe uno, diebus duodetriginta. Pelagius Romanus, patre Vingeldo, annis decem menſ. duobus, diebus decem. Gregorius Magnus ſive primus Romanus, patre Gordiano, annis tredecim, menſ. ſex, diebus decem. Savinianus anno uno, menſ. qvinqve, diebus novem. Bonifacius tertius menſ. octo, diebus duodetriginta. Bonifacius qvartus Marſus an. ſex, menſ. octo, diebus duodecim. Deus dedit Romanus an. qvatuor. Bonifacius qvintus Campanus annis qvinqve, diebus decem. Honorius primus Campanus, patre Petronio, an. duodecim, menſ. undecim, diebus decem & ſeptem. Severus primus Romanus, patre Labieno, anno uno. Joannes qvartus Dalmata, patre Venantio, anno uno, menſ. novem, diebus decem & octo. Theodorus primus Græcus Hieroſolymitanus, patre Theodoro, annis ſex, menſ. qvinqve, diebus octo. Martinus primus Tudertinus, patre Fabricio, annis ſex, menſe uno, diebus viginti ſex. Eugenius primus Romanus, patre Rufiniano, annis ferme tribus. Vitellianus Volſcus ex Seguno, annis qvatuordecim, menſ. ſenis. Adeodatus Romanus patre Joviniano, annis tribus, menſ. duobus, diebus qvinis. Donus primus Romanus, patre Mauritio, anno uno, menſibus duobus, diebus quinis. Agathon primus Siculus, patre Romano, annis duobus, menſ. ſex, diebus qvindecim. Leo ſecund. Siculus, patre Paulo, menſ. decem, diebus decem & ſeptem. Benedictus ſecundus Romanus menſibus decem, diebus duodecim. Joannes qvintus Antiochenus, patre Cyriaco, anno uno, diebus decem. Conon Thrax, patre

patre Benedicto, menſ. undecim, diebus tribus. Sergius primus Antiochenus, patre Tiberio, annis qvatuordecim, menſ. octo, diebus qvatuordecim. Joannes ſextus, patre Petronio, annis tribus, menſ. tribus. Joannes ſeptimus, patre Gregorio Græco, annis duobus, menſ. ſeptem, diebus duodeviginti. Siſinnius Syrus dies vigenos. Conſtantinus primus Syrus annis ſeptem, diebus qvindecim. Gregorius ſecundus Romanus, patre Marcello, annis undecim, menſ. novem, diebus qvindecim. Gregorius tertius, patre Joanne Syro, annis decem, menſ. octo, diebus viginti qvatuor. Zacharias, patre Polycronio Græco, annis decem, menſ. duobus, diebus qvindecim. Stephanus ſecundus Romanus, patre Conſtantino, annis qvinqve, menſe uno. Paulus primus Romanus, patre Conſtantino, annis decem, menſ. decem. Conſtantinus ſecundus Romanus, anno uno, menſe uno. Stephanus tertius, patre Oluio Siculo, annis tribus, menſibus qvinqve, diebus duodeviginti. Hadrianus primus Romanus, patre Theodoro, an. viginti tribus, menſ. decem, diebus duodeviginti. Leo tertius Romanus, patre Azulpho, an. viginti, menſ. qvinqve, diebus novem. Stephanus qvartus Romanus, patre Julio, annis tribus, menſ. ſeptem. Paſchalis primus Romanus, patre Bonoſo, annis ſeptem, menſ. tribus, diebus ſeptem. Eugenius ſecundus Romanus, patre Boemundo, an. qvatuor. Valentinus Romanus diebus qvadraginta. Gregorius qvartus Romanus, patre Joanne, an. ſedecim. Sergius ſecundus Romanus, patre Sergio, annis duobus, menſ. tribus. Leo qvartus Romanus, patre Rudolpho, an. octo, menſ. tribus, diebus ſex. Joannes octavus *Anglicus, quæ femina Juditha ſexum ementita*, annis duobus, menſ. qvinis. Benedictus tertius Romanus, patre Petro, annis duobus, menſ. qvinqve, diebus novem. Nicolaus primus Romanus, patre Theodoſio, annis novem, menſ. duobus, diebus viginti. Hadrianus ſecundus Romanus, patre Thalato, an. qvinqve, menſ. novem. Joannes nonus Romanus, patre Gundo, an. decem. Martinus ſecundus Gallus, patre Palumbo, anno uno, menſ. qvinqve. Hadrianus tertius Romanus, patre Benedicto, menſ. tribus, anno uno. Stephanus qvintus Romanus, patre Hadriano, an. ſex, diebus novem. Formoſus an. qvinqve, menſ. ſex. Bonifacius ſextus Tuſcus, diebus qvindecim. Stephanus ſextus Romanus anno uno, menſ. tribus. Romanus primus menſ. tribus, diebus viginti ac uno. Theodorus ſecundus Romanus diebus viginti. Joannes decimus Romanus annis duobus. Benedictus qvartus Romanus an. tribus. Leo qvintus diebus qvadraginta. Chriſtophorus menſ. ſeptem; *poſt qvos dejectus turpiter*. Sergius tertius Romanus, patre Benedicto, annis ſeptem, menſ. tribus, diebus qvindecim. Anaſtaſius tertius

Joanna Papiſſa.

annis duobus, menſ. duobus. Laudo Romanus menſibus ſex. Joannes undecimus Pontificis Sergii filius, an. tredecim, menſ. duobus, diebus tribus. Leo ſextus Romanus menſ. ſex, diebus qvindecim. Stephanus ſeptimus Romanus an. tribus, menſe uno, diebus duodecim. Joannes duodecimus Romanus annis qvatuor, menſ. decem, diebus qvindecim. Leo ſeptimus Romanus annis tribus, menſ. ſenis, dieb. decem. Stephanus octavus Germanus annis tribus, menſ. qvatuor, diebus undecim. Martinus tertius Romanus annis tribus, menſ. ſex, diebus qvatuordecim. Agapetus ſecundus Romanus annis novem, menſ. ſeptem, diebus decem. Joannes decimus tertius Longobardus annis qvatuor, menſ. decem, diebus qvinis. Benedictus qvintus Romanus menſ. duobus, diebus qvinis. Leo octavus anno uno, menſ. qvatuor. Joannes decimus qvartus Narnienſis an. ſex, menſ. undecim, diebus decem. Benedictus ſextus Romanus anno uno, menſ. ſenis. Donus ſecundus Romanus, anno uno, menſ. ſenis. Bonifacius ſeptimus menſ. ſex, diebus bis ſenis. Benedictus ſeptimus Romanus an. tredecim, menſ. qvinis. Joannes qvintus decimus Papienſis menſ. octo. Joannes decimus ſextus menſ. qvatuor. Joannes decimus ſeptimus Romanus an. decem, menſib. ſenis, diebus decem. Gregorius qvintus Saxo, genitore Ottone, ipſe Bruno ante, an. duobus, menſ. qvinqve. Joannes decimus octavus, Creſcentii Romani Conſulis promotus menſ. duodecim. Sylveſter ſecundus Gallicus, ante Vibertus, an. qvatuor, menſe uno, diebus octo. Joannes undevigeſim. menſ. qvinis. Joannes vigeſimus Rom. annis qvatuor, menſ. totidem. Sergius qvartus an. duobus, menſ. ſenis. Benedictus octavus an. undecim, menſ. totidem. Joannes vigeſimus primus annis novem, diebus totidem. Benedictus nonus Tuſculanus, patre Alberico, annis decem, menſ. qvatuor, diebus novem. Sylveſter tertius Romanus, menſ. duobus. Gregorius ſextus an. duobus, menſ. tribus. Clemens ſecundus, Sindegerus ante, Babenbergianus ex Francionibus menſib. novem, diebus ſeptem. Damaſus ſecundus Bojoarius, diebus viginti tribus. Leo nonus Germanus & ipſe annis tribus, menſib. duobus, diebus ſenis. Victor ſecundus Bojoarius, an. duobus, menſib. tribus, diebus quatuordecim. Stephanus nonus, ante Fœdericus, menſibus tribus. Benedictus decimus Campanus, menſib. octo, diebus viginti. Nicolaus ſecundus Sabaudienſis, annis tribus, menſib. ſenis, diebus viginti ſex. Alexander ſecundus Mediolanus, ante Anſhelmus, annis undecim, menſib. ſex. Gregorius ſeptimus Ethruſcus e Senes, patre Bonetio, ante Ilibrandus, annis duodecim, menſe uno, diebus qvatuor. Victor tertius, Deſiderius ante, anno uno, menſibus qvatuor. Urbanus ſecundus, Odo ante, annis tredecim

cim, menſib. tribus. Paſchaſius ſecundus Æmilianus, patre Creſcentio, ante Rainerius, annis duodeviginti, menſib. qvinqve, diebus ſeptem. Gelaſius ſecundus, Cajetanus, patre Creſcentio, anno uno, menſib. qvinis. Calixtus Burgundius Veienſis, Regia Gallorum ac Anglorum familia, annis qvinqve, menſibus decem. Honorius ſecundus Imolenſis, Lampertius ante, annis qvinqve, menſib. totidem, diebus totidem. Innocentius ſecundus Romanus, patre Joanne, an. undeviginti, menſibus octo, diebus octo. Cœleſtinus ſecundus, Tuſcus, ante Gvido, menſib. undecim, diebus totidem. Lucius ſecundus Bononienſis, patre Alberto, menſibus undecim, diebus totidem. Eugenius tertius Piſanus annis octo, menſib. ſeptem, diebus viginti. Anaſtaſius qvartus Romanus, patre Benedicto, annis duobus, menſibus qvatuor, diebus tribus ſupra viginti. Hadrianus qvartus Anglicus annis qvatuor, menſib. decem. Alexander tertius Senenſis, annis viginti ac uno, diebus undeviginti. Lucius tertius Lucanus an. qvatuor, diebus duobus. Urbanus tertius Mediolanæus, patre Joanne, e Crebellana familia, anno uno, menſib. undecim ferme. Gregorius octavus Beneventanus anno uno, diebus ſeptem ſupra viginti. Clemens tertius annis duobus, diebus ſedecim. Cœleſtinus tertius Romanus an. ſex, menſib. ſeptem, diebus undecim. Innocentius tertius Anagninus, patre Thraſimundo, an. duodeviginti, menſib. qvatuor, diebus viginti qvatuor. Honorius tertius Romanus, patre Americo, annis decem, menſib. ſeptem, diebus tredecim. Gregorius nonus Anagninus an. qvatuordecim, menſib. tribus. Cœleſtinus qvartus Mediolanæus, familia Caſtellionea, diebus octo. Innocentius qvartus Genuenſis e familia comitum Lavaniæ, ante Simbaldus, an. undecim, menſib. ſex, diebus totidem. Alexander qvartus Anagninus an. ſex, menſib. totidem. Urbanus qvartus Teranenſis an. tribus, menſe uno, diebus qvatuor. Clemens qvartus Narbonenſis, Gvido ante Sultadius, an. tribus, menſib. novem, diebus viginti ac uno. Gregorius decimus Placentinus, ante Theobaldus, familiæ Mediolaneæ, an. qvatuor, menſib. duobus, diebus decem. Innocentius qvintus Burgundus, Petrus ante, menſib. qvinqve, diebus ſeptem. Hadrianus qvintus Genuenſis, Otto ante, diebus qvadraginta. Joannes vigeſimus ſecundus Luſitanus, ante Petrus Medicus, menſib. octo. Nicolaus tertius Romanus, Urſina familia prognatus, Cajetanus ante, annis tribus, menſ. octo. Martinus qvartus Turonenſis, ante Simon, annis qvatuor, Viterbiæ, menſe uno. Honorius qvartus Romanus familia Sabella, ante Jacobus, annis duobus, menſe uno. Nicolaus qvartus Picenus ex Aeſcula, ante Hieronymus, annis qvatuor, menſe uno. Cœleſtinus qvintus, ante Petrus Moronæus, menſibus qvinis, die uno. Bonifacius octavus Anagninus, ante Benedictus, annis octo, menſib. novem, diebus decem & ſeptem. Benedictus undecimus Tarviſinis, ante Nicolaus, menſib. novem. Clemens qvintus Romanus Vaſconum gente, ante Bernardus, an. octo, menſibus decem, diebus qvindecim. Joannes vigeſimus tertius Portuenſis, ante Jacobus, annis undeviginti, menſib. tribus, diebus viginti ſeptem. Benedictus duodecimus Tholoſanus, ante Jacobus, annis ſeptem, menſib. tribus, diebus decem & ſeptem. Clemens ſextus Lemovicenſis, ante Gvilielmus, annis octo, menſibus qvinqve. Urbanus qvintus Lemovicenſis, ante Stephanus, annis decem. Gregorius undecimus Lemovicenſis, Petrus ante, annis octo. Urbanus ſextus Neapolitanus an. undecim, menſib. octo. Bonifacius nonus Neapolitanus, Petrus ante Nomacellus, annis quatuordecim, menſib. duodecim. Clemens ſeptimus, ante Robertus, annis qvindecim. Benedictus decimus tertius an. uno, ac viginti. Innocentius ſeptimus Sulmonenſis, ante Caſinatus, annis duobus. Gregorius duodecimus Venetus, Angelus ante Corrarius, an. duobus, menſ. ſeptem. Alexander qvintus Cretenſis, Petrus ante Candianus, menſibus octo. Joannes vigeſimus qvartus Neapolitanus, Balthaſar ante Caſſa, annis quatuor, menſib. decem. Martinus qvintus Romanus Columienſi familia annis qvatuordecim, menſib. tribus. Eugenius qvartus Venetus Concermaria familia, patre Anglo, ante Gabriel, annis qvindecim, magna laude. Felix qvintus Sabaudienſis e Veia annis novem. Nicolaus qvintus, Genuenſis Sarſanas, ante Thomas, patre Bartholomeo Chyrurgico, annis octo. Calixtus tertius Gotialanus, ac Ulentius qvidem, patre Joanne, Alphonſus ante Borgia, annis tribus, menſib. totidem. Pius ſecundus, Hetruſcus, Senenſis, Æneas ante Sylvius, patre Silvio Piccolomineæ familiæ, an. qvinqve, menſib. undecim, diebus viginti ſex. Paulus ſecundus Venetus, patre Nicolao, matre Polyxena, Petrus ante Barbo, annis ſex, menſib. decem. Xiſtus qvartus Ligur e Saona, Franciſcus ante a Rure, annis tredecim. Innocentius aranis Genuenſis, patre Aarone, e Cyborum familia, Joannes ante Baptiſta, annis ſeptem, menſib. undecim. Alexander ſextus Hiſpanus, ante Theodorius, annis undecim, diebus octo. Pius tertius Hetruſcus e Senis, Franciſcus ante Piccolominæus, diebus viginti ſeptem. Julius ſecundus Ligur e Saona, Julianus ante a Rure, anno uno, menſibus duobus, diebus quatuor ſupra viginti. Leo decimus Florentinus familia Medica annis novem, menſibus ferme undecim.

Res gestæ sub Pontificibus.

Addenda vero nunc sunt, quæ insigniter sub Pontificibus gesta. Petrus ergo de Simone Mago triumphavit, ut prodidit Clemens. Thabetam ad vitam revocavit, Æneam paralyticum curavit, umbraqve tantum corporis valetudinarios complurimos; jeunii sacra instituit. Linus ab eo sacerdos institutus, Cletum deinceps & presbyteros duos deviginti sacris initiavit. Eadem dein Clemens, Anacletus, Evaristus observarunt, locis diversis Episcopos ablegantes. Alexander operationem liturgiorum divinam, die uno unam tantum celebrandam, azymoque id faciendum, aqvam vino miscendam. Xistus vasa DEO dicata a ministris sacrorum tantum tractanda; lino candidissimo pannum corporalem sarcinandum in ara tantum celebrandum; Sanctus cantitandum. Thelesphorus tesseracston esse jejunum ante Paschatis voluit, natalesque Christianos operationibus divinarum ternis venerandos canendumque initio hymnum, quem cœlites orat Christi decantassent. Higinus filiotiis unum patrinum matrinumve adhibendam die lustrico. Pius sanctimonialibus ordinum tempus præscripsit annorum qvinqve supra vigenos. Paschatis solemnia die dominico tantum fore. Anicetus comatulis non esse fas flaminibus. Soter a contrectandis vasis sacris, palliis, calicibus, ac id genus aliis, abstinendas virgines Vestales, acerræ officio inter divina illis imponendo thure non licere. Eleutherius Britannos Lucio rege a Gentilismo revocavit. Severinus, calicem non oportere esse ligneum, jalinum permisit, qvem morem ætas posthuma auro, argento, aut saltem cassitorio demutavit. Communionem eucharistiæ statuit puberibus omnibus die Paschatis peragendam. Calixtus ordines sacros non esse vicis unius, sed pariendos angario æstivo, autumno, brumali, verno. Urbanus episcopum non fieri, qui sacerdos non esset. Angariale jejunium qvater anno peragendum, utque pater in cœnobiis maximus sua posset manu acolythos inaugurare. Anthorus vitam eorum, qvi in divorum album recipiendi, diligentissime exqvirendam. *Fabianus consanguinitatis jura, gradu qvinto* præscripsit: Communionem qvotannis ter faciendam, Paschate, natalibus Christianis, Chrisma die pentecoste paraseeves renovandum. Cornelius, anteqvam relegatus, de corporibus divorum Petri & Pauli augustius visendis optime meruit, loca eorum patibularia celebranda sanxit, collocatis reliqviis divi Pauli via Hostiensi, ubi decollatus, Petri in Vaticano, templo Apollinis, ad radices montis aurei. Stephanus vestimentis sacris in profanis abstinendum. Xistus in ara tantum celebrandum. Dionysius urbis Romæ coemeteria templaque partitus est. Antiochenum concilium senex indixit. Felix sacris tantum initiatis licere divina operari; dedicationes in templis conventu publico agendas. Parietinas templorum exsecratas reconsecrandas. Eutytianus frugum primitiis in aris sacris bene precandum. Cajus ordines omnino gradatim impertiendos. Ab hostiario in lectorem conscendendum, a qvo in exorcistam, acolytum, hypodiaconum, diaconum, presbyterum, ac ita demum in Episcopum; Christianos liberos esse voluit, ne ab ethnicis aut hæreticis in judicium postularentur. Eusebius ignominiosos ac sacrilegos a testimonio ferendo expulit. Puellam verbis tantum conjugia pollicitam in atrium posse Vestalium recipi, id qvod & de puero; cujus tempestate crux sancta Helenæ Augustæ ostentata. Melchiades Jovium diem excolendum jejunio; cujus etiam tempestate Manichæorum dogma pollebat. At Sylvester ordinibus inferiores qvi essent præcepit, majoribus ut audirent. Consecrationem Chrismatis episcopalis muneris fore, ejusdemqve confirmare latice sacro tinctos. Mercurii ille diei ac Veneris religiosiore jejunio vacandum. Jovium & Dominicum augustissime venerandos rationibus complurimis additis, de die cumprimis Jovio, qvo in ultramundana ascenderit Theanthropos, corpus suum Apostolis sumendum impertierit, chrisma confecerit. Liberius episcopos non caussa ex facili suos deserere oportere. Damasus divum Hieronymum primum authoravit rei ecclesiasticæ scriptorem, qvi, præterqvam qvod vitæ sanctimonia excelluerit, tantus erat, ut qvicqvid non sciverit, ipse totus mundus ignorarit; a qvo Hebraica translatio. Tanto ergo autore persvasus Damasus cani mandavit: Gloria in excelsis DEO & in terra pax, hominibus bona voluntas; Psalmos recipi, lingva Romana donatos, sed & symbolum adscitum, oricularium sacrum Liturgiorum initio institutum. Cyriacus urbe manichæos explosit & fidelium omnium commercio; bigamos ordinibus sacris abstinere vetuit. Anastasius mancos, peregrinos, transmarinos; evangelia ille primus in Liturgiis legi publicitus curavit volens audientes stare, veluti defensores, si qvisqvam adversus aude-

auderet. Innocentius semel consecreta non resecranda; in Simoniacos offensissimus fuit ac polygamos. Lunæ diem jejunio venerabundum censuit. Zozymus cereis sancta paschatis vigilia bene precandum; autoritatem Romani Pontificis primus ipse omnino in omnibus, quæ ad academiam Christianam pertinent, consulendam. At Bonifacius lasciviæ refractarius presbyterum non minorem factum voluit anno trigesimo. Cœlestinus formidabile esse Liturgiorum sacrum, Davidicum Psalmum, cujus initium, Judica operationum, procemio dicendum statuit; quo suæ quisque Syntheresis admoneretur; multa Davidica cantitanda. Virum tamen inclytum Nestorianum dogma turbavit sub Theodosio juniore. Theanthropum Nestoriani anthropum tantum asseverarunt; unde damnata jam hæresi sancta Theotocos diva Deipara cantitatur, hoc est mater DEI. Leo filiotiis adhibendos, latice sacro tot, ut ante tulisset. Higinius Hallelujah apastiorum observatione intermittendum; in Liturgiis oblationem venerabunde dicendam. Hilarius agrammos sacris explosit. Manichæos urbe Gelasius interdixit, & illos relegavit, libris autoritatem ademit. Bigamis, mutilis initiari sacris vetuit; Corpus ille primus omnino Christi, ne sine sangvine reciperetur vetuit. Divi vero Ambrosii persvasione hymnos orgios instituit; præfari publicitus in Liturgiis voluit. Symachus Manichæorum monumenta Vulcano mandavit. Pontificem eligi altero vivente interdixit. Hormisdas conjugia sacra templo in propatulo concelebranda, & ut earum autoritas a solo fieret Episcopo; Manichæanica dogmata ante fores basilicæ Constantinianeæ igne absumsit. Unctionis sacrum Felix quartus instituit. Bonifacius secundus missarum operationibus & populum adesse voluit. Dominicas per cœmiteria processiones Agapetus declaravit. Pelagius horas quotidie septies tempore stato dicendas. Primus sese servum servorum Gregorius Magnus prætitulavit. Bigamis a sacris interdixit; atria Vestalium non introeunda statuit, dies quatuor illos initiales hebdomadi primæ thelesphoriani jejunii addidit; introitum, & Kyrie eleison, nonies cantitandum, ac item Hallelujah offertorium; Supplicationes præterea litaniarum instituit Savinianus, æramenta ac tintinnabula templis addidit, oleoque lampades perpetuo incensas fovendas sanxit. Bonifacius templorum profugium asylis æquavit. Joannes quartus sacrilegos quadrupli plectendos statuit. Theodorus cerei benedictionem faciendam. Martinus primus nymphum & nympham ante nuptias benedicendos. Eugenius carceres habendos ab episcopis ad coërcendam delictorum insolentiam. Vitellianus regulam edidit ecclesiasticam cantusque varios, quibus & nabla ipsa admisit; libellum insuper vulgavit, quo quodque flagitiorum genus plectendum. Leo secundus pacis osculum ostendit. Sergius primus, ut Agnus DEI ter caneretur instituit; cujus sanctimonia Saxones universi a Gentilismo revocati. Gregorius divorum imagines templis venerandas, violatores exleges habendos. Gregorius quartus festum divorum omnium excolendum Ludovico Imperatore orante. Leo quartus adsumptionis Deiparæ diem octavis concelebrandum. Nicolaus primus decretales epistolas autoritatis primariæ sanxit, nuptias clandestine celebrari vetuit. Joannes nonus presbyterum parricidam anomolum habendum. Gregorius septimus *a matrimonio Clericos esse alienos voluit*, Sabbatho carnibus abstineri, religiosis omnibus vitam sine carnis esu agendam. Urbanus secundus officium divæ virginis clericis omnibus dicendum mandavit, Sabbathoque liturgia ejus solenniter cantanda. Innocentius exleges censuit universos, qui vim clerico feciissent: cœlibatus castimoniam iisdem præcepit. Innocentius quartus octavas natalitiorum divæ virginis celebrandas. Urbanus quartus solennia corporis Christi supplicationibus etiam lustranda. Bonifacius octavus divum Gregorium, Aurelium Augustinum, Ambrosium & Hieronymum officio duplici venerandos. Clemens jobilæum, quem Bonifacius ante octavus, anno natali Christiano millesimo trecentesimo primus celebrarat, & centenariis singulis iterandum constituerat, in quinquagenarium coëgit. Bonifacius nonus *Anatarum usum*, hoc est, anni dimidii fructus, *ærario Pontificio imperavit*. Calixtus tertius *tintinnabulis die bis salutandam divam virginem;* diem transfigurationis Domini in expeditione adversus Turcas instituit. Xistus quartus festis compluscul̃is divos honoravit, inter quæ divi Francisci, conceptionis, præsentationis, Annæ, Josephi.

de Westphal. Monum. inedit. Rer. Germ.

LIBER QUINTUS,

ac ultimus,

De rebus Vandalicis ac Saxonicis, initioque de Germanorum excursionibus, ac obiter de religionum auspiciis, rebusque etiam nonnullis exoticis, ad annum M. D. XXII.

De Cimbrorum excursionibus

Excursio Germanorum vetustissima Cimbrorum nimirum sub Homeri ætatem facta, ac in Pontum quidem, a quibus Bosphorus Cimerius, cujus meminere Homerus ipse, Herodotus, Ephorus, Clitarchus, Possidonius, Xenophon, Pytheas, Propertius, Julius Solinus, Strabo Gnosius, Tacitus Cornelius, Annæus Lucanus, Plinius, Juvenalis, ac alii. Romani vero Cimbri adorti Cajo Papyrio Carboni Consule, quem & M. Junium Consulem cum exercitu fuderunt. At Cimbri, nunc Dani, a Tanao, ut putant, rege antiquissimo. Proxima Senonum duce Breno, Olympiade decima septima, qui Italiam intrans, Tuscos pepulit, ut meminere Polycrates, Trogus Pompejus & Justinus; Romam diripuit & mox in Græciam divertit, a quo Galatæ, qui & Gallogræci. Herulorum expeditio in Meotidem media inter utramque, cujus meminere Procopius, Ablavius, Agathias, qua ætate & Gothi in Pontum eruperunt, ut prodidit Jordanus ad Castalium; Vandalorum Tiberii & Drusi tempestate; Lingobardorum Ambro & Asso ducibus, Paulo Foroiuliense teste, inclytis tum Ibore & Ajone. Quid Gepidas memorem? Rugios, *Vividarios* (b), Sclavos, qui postremi Alanorum terram occuparunt, divi Justiniani principis temporibus. De regibus vero Vandalicis eorumque antiquitate in annalibus Herulorum fecimus memoriam: at Saxonum seriem seorsum alibi referre studebimus, quoniam antiquitatum Romanarum etiam monumenta declarant, divi vero Augusti tempestate fuisse Saxonas, jam inter Germanos claros Hunnibaldus ostendit in monumentis *Salatiorum*. (c) Etenim a Gothis sub Diocle, *Sicambrorum* (d) *Rege* pressi, impetrato a *Thuriis, Teutonibus*, (e) *Rugiis*, auxilio constitu-

& Vandalorum.

Vividarii. (b) Intelligit autor alibi per *Vividarios* Gythones Borussorum seu *Dantiscanos*.

Salatii. (c) Hoc est Francorum, qui *Salii* dicuntur *a Sala, salegeve* pago, præeunte *LEIBNITIO in dissertatione de origine Francorum §. 23*, ad fluvium Salam in Franconia sito; *CONRINGIUS* vero in *Epistola ad Ferdinandum Episcopum Paderborn:* & *GUNDLINGIVS in Gundl. P. 3. Obs. 2*, in regione Wormatiensi Moguntiam inter & Wormatiam eum collocant. Sed vide *ECCARDUM ad L. Salicam p. 5. SCHANNAT in Corp. Traditionum Fuldensium p. 210. Buchon. vet. c. 12. CLUVERUM Germ. ant. L. 3. c. 3. p. 518. & Chronicon GOTWICENSE Prodr. L. 3. p. 755.*

(d) Seu *Geldriæ Rege.*

Teutones in Megapoli & Cimbria. (e) Per *THURIOS* vero Thuringos suos, per *TEUTONES* Megapolenses præcipue intelligit, qui cum *Cimbris* concivibus & Teutonis orientalibus conjuncti eorumque in bello contra *Romanos* fideles fuerunt socii fortunæ, a Cajo Mario demum devicti, testibus *POMPONIO MELA lib. 3. cap. 3. 6. COSMA PRAGENSI ad a. 981. DIODORO SICULO L. 3. c. 33. TACITO de M. G. c. 37.* ceterisque apud *CELLARIUM de Cimbris & Teuton. §. 7. & 12. JOH. DAN. MAJOR in Prodromo Atlant. p. 30. & in Tract. de incolis Cimbriæ* f. 11. D. *MASCOVIUM T. I. Hist. Germ. p. 16.* Nec desunt hodie reliquiarum Teutonum memoriæ in utraque regione. In *Megapoli* supereſt eorum vestigium in historia *TEUTOBACHI, THEUTOMIRI, THEUDERICI* Ducum Regumque Teuto-Vandalicorum, & in locis *TEUTENBURG, TEUTENWINCKEL* prope Rostock: In *Cimbria* vero hodieque servant nomina loci *Teutenbul, Tetenbul, Teutenwisch* sive *Todienwisch* & integra *TEUTOMARSIA*, hodie *Dithmarschen:* Teutomarsi enim Teutones sunt cum Marsis conjuncti, uti ex membrana docet *BARTHOLINUS de causis contemtæ mort. inter Danos L. 3. p. 664.* vel si mavis *Teutones riparii seu littorales* habitantes in Marsia, i. e. in terra ad aquas depressiori, terra campestri seu *paludosa. Marsch* enim idem est ac *palustre*, aquosum, amnibus, ripis & fœcunditate uliginosum. Quod docent diplomata Cimbrica, in quibus bona *palustria* vocantur *Marsch-Güter* & *Marsch* dicitur paludosum, *Geest* vero *aridum.* Ita *LUDOVICUS Ecclesiæ Hamburgensis Præpositus in literis 1316. Noverint quod nos ad instantiam dilectæ sororis nostræ Hedwigis Comitissæ Holsatiæ & filiorum ejus Decani ac fratrum Calendarum in PALUDE & ARIDO juxta Ezechoe & Heligensteden*

unde Teutobach.

Teutenburg Teutenwinckel. Teutenbul. Teutomarsia.

ſtitutoque Diocle ipſo exercitus imperatore Gothos cum ducentis ſexaginta mortalium millibus adgreſſi millia hoſtium centum cecidere, millibus tantum viginti quinque ſuorum deſideratis amiſſoque Herimanno Thuriorum rege. Et tempeſtate eadem M. Læli-

commorantium erectionem altaris & capellæ juxta villam Münſterdorp annuimus. Eodem ſenſu *Gerhardus & Gieſelbertus Comites Holſatiæ in tabulis de a 1337.* duos manſos & jugera in palude adjacentia fratribus Calendarum capellis in Münſterdorp donarunt, de quo argumento alibi & ſupra *RANTZOVIUS in deſcript. p. 4. & 6.* Licet non deſint, qui præeunte ECKARDO, *Ditmarſos* dici velint a Celtico *theod, thüd,* populo, & *marchia* ſeu limite, quaſi populos limitaneos ſeu *terræ limitaneæ.* Id vero inſtar præcipui eſt pro Teutonibus, quod gentis vocabulum integræ demum nationis elogium factum ſit, ita ut imperium olim *Alemannicum, Francicum* ſeu *Germanicum* a clariſſimis his *TEUTONIBUS Megapoleos & Cimbriæ* generale Teutoniæ nomen & appellationem Teutſch Land acceperit, adeoque Germaniæ populi omnes relictis nominibus antiquis univerſali demum elogio *Teutones, Teutiſci,* hodie Teutſchen, vocari maluerint. Quod jam alibi diſſeruimus *in tr. de Conſvetud. p. 426. ſeqq;* Accedit conſenſus *PETRI ALBINI Nivemontii, qui in commentariolo de Viperto ſive originibus Rantzovianis p. 3.* hæc ſummatim, & ſi paucula notaveris, ſatis recte de ſitu & regionibus Teutonum diſſeruit: *Fratres fuerunt ex TEUTONIA oriundi Emelricus, Ditmarus & Herlibo.* EMELRICUS *Princeps fuit, ſeu, ut habet Chronicon Pegavienſe, Rex TEUTONIÆ, id eſt NORDALBINGIÆ, vel, ut hoc tempore in uſu ſunt nomina HOLSATIÆ & adiacentium regionum, videlicet Ditmarſiæ, Stormariæ &c. Ac de Teutonia paucis hic diſſerendum eſſe videtur. Notum eſt, Teutoniæ vocabulo hodie & quidem conſvetudine ſuperiorum temporum GERMANIAM dici, ſicut in vernacula noſtra non Germani, ſed Teutones, ad ſuperiorum Germanorum, vel Tuiſcones ad inferiorum & Saxonum idioma nuncupamur, die Teutſchen, und Düdiſchen vel Tuiſchen; olim vero TEUTONIÆ vocabulum PARTI tantum Germaniæ attributum & nationis fuit, antequam totius gentis factum eſt, ut & in ipſo Germanorum & Alemannorum nomine contigit. Nec deeſſent plura exempla, ſi recenſere ea liberet. Philippus Melanchthon lib. II. Chronicorum Carionis etſi dicat præcipuam & vetuſtam ſedem Teutonum ſciri non poſſe, tamen conjectat ex Cornelio Tacito & Ptolomæo, Teutones illorum ſcriptorum temporibus Weſtualiam & vicina loca ad Viſurgim tenuiſſe, præſertim cum Tacitus Teutoburgum in WESTPHALIA collocet, & nomen ſuburbii etiammum hodie TUITIUM, Teutſch, ad Coloniam Ubiorum ſeu Agrippinenſem vocetur. Sed Dominus Peucerus Lib. IV. ejusdem Chronici, ex Ptolomæo Teutonum ſedem fuiſſe putat eo in loco præcipue, ubi hodie eſt pars Marchiæ BRANDEBURGENSIS, & quidem circa Prignitium & Epiſcopatum Havelbergenſem. Eaque in re ſecutus eſt eundem Dn. Melanchthonem, qui alio in loco, videlicet in explicatione vocabulorum adjecta Tacito, idem ſentit. Alii inter Viſtulam & Albim ad Mare Pomeranicum Teutones collocarunt: et ab iis non diſſentire videtur autor vitæ Viperti germanice editæ, qui Teutones ad OCEANUM, ut appellat, TEUTONICUM juxta DANIAM ſeu ad mare CODANUM habitaſſe putat. Nam cum Eidora fluvius juxta HELMOLDUM L. I. c. 2. & II. c. 13. & CRANTZIUM c. l. Daniam a TEUTONIA diſcriminet, ſequitur Teutonum nomine cenſeri debere veteres Saxones Scandiæ, nempe Holſatos, Ditmarſos, Stormaros, & Hadelerios, qui Nordalbingi aliquando vocati ſunt. Credibile igitur eſt, ſucceſſu temporis eosdem Teutones progreſſos potiſſimum verſus ortum occupaſſe eas regiones, quæ nunc ſunt Saxoniæ inferioris ſeu Lauenburgenſis, ditionis Methelburgenſis, Pomeraniæ &c. ad mare Balthicum & Pomeranum, quod Sarmaticum etiam aliquando appellatum eſt. Ex his vero apparet & non pugnare auctorum, quos allegavimus, de ſitu Teutonum ſententias & in præſenti negotio de Emelrico Teutoniam omnino de regionibus illis littoralibus inter Albim & mare Balthicum ſeu orientale intelligi debere, quo loco Nordalbingi, ut jam innuimus, poſtea fuerunt. Helmoldus L. I. c. 48. dicit tres fuiſſe Nordalbingorum populos, Sturmarios, Holzatos & Thetmarzos, nec habitu nec lingva multum diſcrepantes, tenentes Saxonum jura & Chriſtianum nomen jam tum temporis, id eſt ſub LOTHARIO Saxone Imp.* Idem innuit *CELLARIUS diſſ. de Teut. & Cimbris §. 7. In Germania,* inquiens, *Ptolomæus circa Chaluſum fluvium, qui nunc Trava vocatur & in Codanum ſinum effunditur, Teutonos proxime ab ortu ante Suevos conſtituit. Pomponius MELA* videtur latius per inſulas oceani ſive Codani ſinus diſpergere *l. III. c. III. Quoquo* modo illud nomen Codanitinus ſeſe habet, nam variant libri, exinde non incertum eſt, *Teutonos Codani ſinus inſulas, quæ a CIMBRICA CHERSONESO* usque ad *Scandiam ſunt, quas nunc Danicas appellamus, & forte etiam in continenti Germania partem circa CHALUSUM amnem ejusque oſtia, quæ ſubjecta illis inſulis ſunt,*

Teutonia Teutſchland.

Olim regionum nunc Germaniæ totius & Imperii Elogium.

De Teutonibus eorumque reliquiis in Weſtphalia.

Marchia Brandeb.

Pomerania.

Cimbria.

Megapoli.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Lælius a Romanis dux lectus ad debellandos Saxonas, qui fuere tum Sicambrorum fœderati; sed & Tiberii principis tempestate expeditio in Saxones meditata est; sub Claudio vero Nerone Vitigis Maximus Rex Saxonum claruit. Multo vero vetustiora, quæ Cimbricis annalibus Saxo Grammaticus ante annos ferme quadringentos prodidit. Nam Hudingum ille, Syrici Saxonum regis filium, ab Helgone Cimbrorum rege in certamen singulare devocatum, superatum prodidit. Gelderum item ab Hotero Rege *Svevorum Oceani* (f). Sed quid moror dicere vetustiora? nonne Hunibaldus in rebus *Salatiorum*, Saxonum gentem incoluisse in Germania, ante millia annorum pene duo tempestate sua prodidit, qui & vaticinium carminibus editum græcis datum scribit, Trojanis quibusdam, qui ab Ilio in Scythiam abiere ad Istri ostia, a quo loco Scythæ, mox Sicambri, dein Franci dicti, qui temporibus antiquissimis sub Marcomiro rege, Antenoris filio, soli partem a Saxonibus per litteras impetrarunt, capto ante oraculo quod ex græco tale

Marcomer, Jovis principis te numen jubet esse
Tranquillum, nec formidare cursus itineris longi,
Quod tendit in occasum,
Post fratres ad ostia Rheni.
Quod dorsum tenet Brutus, faciem Troes
Exul rompbæa quietus.
Uterque tibi natura frater est & gente fidelis amicus.
Ite, præparatas celeri cursu percipite sedes,
Numine patris, tertium dilatandas orbem.

Bruto ergo Britanni insinuantur, Romphæa Saxones Trojana origo. Quare videant, qui Cilices eos asseverant, pyratas videlicet a Cn. Pompejo victos & huc in transmigrationem coactos. Aut hi, qui ad Masseos montes ante incoluisse, quo in loco Sassonas etiam Cl. Ptolomæus collocavit. Nam qui sub Alexandro olim militasse, & duce Petriolo huc primum cum navibus viginti tribus ex Scythia adpulisse, stadium in Albis littore primum excitasse, Trojanos forte non negaverint, & a duce Petriolo Saxones nominatos, quasi duros & in bello veluti saxa quædam. Martem enim belli DEUM præcipue coluere, id quod indicavit simulacrum DEI, quod ad Caroli usque Magni tempora duravit in monte Martis; cujus hæc inscriptio:

DEVS & Dux Saxonum,
Quem populus Martis adorat,
Primus semper in acie.

Evocari in bella Romanis etiam solebant, indeque ritus Romanos & numina colenda suscipiebant; a qua re alibi Saturnum, alibi Venerem, Lunam & Solem percolebant suis quodque numen insignibus, *Parthenopoli VENEREM*, a qua dicitur *MAGDEBVRG.* Eorumque Sacris.

Censentis Cellarii.

incoluisse. Hinc est, quod passim cum CIMBRIS tanquam finitimi apud prædictos auctores conjungantur. Neque vocabulum illorum tum temporis omnes Germanos significabat, sed tantum aliquos ex septentrionalibus, quia Germania tum temporis per sinum illum & ultra in transmarinas regiones extendebatur. Sero factum, ut TEUTONORUM nomen toti Germaniæ imponeretur, quemadmodum a Gallis nomen Alemannorum. Adde & hoc, quod in *tabulis privilegiorum a. 1163. ab Henrico Leone Duce Bavariæ & Saxoniæ incolis oppidi Wisbii insulæ Gothlandiæ datorum* ipsi Megapolenses, Saxones, Holsati, Cimbri veniant sub nomine *TEUTONICORUM* his quidem verbis: *Noverit cunctorum Christi fidelium sagacitas, qualiter nos ob amorem pacis & reverentiam Christianæ religionis dissensionem inter TEUTONICOS nec non GUTENSES, instigante spiritu nequitiæ diu male habitam, unitati & concordiæ antiquæ reformaverimus.* Quæ verba simul opponuntur *PHIL. CLUVERO*, qui a *Teutiscis* quidem universam Germaniæ antiquæ gentem appellatam fuisse operose adstruit *L. I. Germ. ant. c. 9. L. 3. c. 40;* sed *Teutiscos* & *Teutones* omnino distingvendos esse sollicite requirit, ita ut sub *Teutiscorum* nomine *GERMANI*, sed per *Teutones Dani* intelligantur. Legendi sunt *PONTANUS Chorogr. Dan. p. 734. LAMBECIUS rer. Hamb. L. 2. p. 26.* ubi ita: *Id adjiciendum videtur, cum Jutis CIMBRIÆ Chersonesi incolis non confundendos esse incolas insulæ GOTLANDIÆ, qui in antiquis tabulis Henrici Leonis a. 1163. datis Gutenses appellantur. Jutia eis sinum Codanum* in Cimbria Chersoneso *sita pertingebat ad monimentum seu vallem Danorum, quo Juti a SAXONIBUS separabantur. CYPRÆUS Annal. Episcop. Slesvic. L. I. DANCKWERTH c. 1. P. 2. c. 9. p. 112.*

Testimonium Henrici Leonis.

(f) Seu Rege Sveciæ.

BVRG, in *Saturnio* (g) *SATVRNVM*, *SOLEM* in *SOLPEDIO* (h), *LV-* | *NAM monte.* haud procul *Bardoropoli* (i) *in* At proxime ante Caroli ætatem pro-

(g) *Saturnium* est arx Hartersburg ad silvam Hircyniam juxta Goslariam, ubi Saxones Deastrum coluerunt *Sæter* seu *Crodonem*, vulgo *Saturnum*; unde *Sater-Tag* dies Saturni. Vide *HEINECCIUM de Crodone Hartzburgico in Antiquitatibus Goslar. c. 2.* Addo, quod a Crodone, qui pedibus nudis insistebat aculeato dorso percæ, piscis squamosi fusci & asperi, vulgo *Barsch*, repetenda videatur trita locutio: *Barst* und *Bars geben*; *Bar* est nudum unde barfüssig, & formulæ sensus: *NUDIS pedibus ambulare super PERCA instar Crodonis.* Vide *RICHARDUM VERSTEGAN in Antiquitatibus Anglicis*, ibique imaginem Crodonis ære curate incisam. Quem secuti sunt in hoc argumento *WORMIUS Monum. Dan. L. 1. c. 4. ARNKIEL, SCHEDIVS, plures.*

Saturnium quid? dicitur a Saturno seu Crodone.

Observatio de perca Crodonis.

(h) Id est Soltwedel oppidum, quod vulgo *a Solis cultu* & *templo* vocatum volunt: ita *SCHEDIUS in libro de diis germ. POMARIUS in Chronic. Magdeburgic.*; quibus obstat ipsa vox *Soltwedel* diversa a *Sonnenwedel.* Alii dictum volunt a *Sale* salis domo, congerie salis. *Welle* enim idem dicitur ac *vallum*, *loculus*, *viculus*, *habitaculum*, *villa seu vella*, domuncula *villatica*, unde *Welsand* idem ac domestica arena. Ita *MEIBOMIUS T. 3. R. G. pag. 571. MUSHARDUS diss. de vera antiquitate priscæ Urbis Stadæ §. 7.* Sunt tamen, qui cum *ARNOLDO de Diis Saxonum p. 5.* nomen a silva, Wald, & cum *ZEILERO in Itinerario Germ. f. 654.* a wallen, wandeln, adeoque Longobardorum ambulationibus repetere, vel cum *JAC. HACKMANNO in Stada Tabeera seu igne castigata p. 98.* a *Belo*, vel colle, quasi *Soltbebel* interpretari malunt; sed vero dissimile non sit, quod *Wedel* sit ipsum antiquum Saxonicum & Frisicum *Weel*, *Wæl*, *Wala*, i. e. aqua, aquæ cumulus profundus, æstus, sinus maris, unde Græcum αλα, aqua, *germanicum Wedeln*, fluctuare, hinc & inde volvere; *Welle*, fluctus, *Wellen seu Wallen*, *quellen*, *quillen*, intumescere, ebullire, *Latinum* volvo, *Saxonicum Wedre flabellum*, *Anglicum Wallan* i. e. Weltzen, vetustum *Theotiscum Weol* rota, hodie *Waltze*, aliaque, quæ dicuntur a volvendo & revolvendo seu fluctuando. Forte huic significatui natales debent nomina Wallfisch, Wallross, piscis, equus marinus in voragine aquarum fluctuans. In antiquis lectionibus Theotiscis Wallfisch dicitur *Weles*, *Wales*, docente *TATIANO ALEXANDRINO cap. 57. v. 3. apud SCHILTERUM Antiquit. Teuton. T. 2. pag. 44.* Præcipue huc collineare videntur nomina fluviorum locorumque ad maris æstum fluctumque vel recessum sitorum; exempli loco *Wala* fluvius ad Rhenum, *Weel* oppidulum Jutiæ, *Langwedel* in Ducatu Bremensi, *der hohe Weel* apud Stadenses, *Neuwedel* ad fluvium Drage in Electoratu Brandenburgico, item *Welango* in ripa Albis, hodie veniens sub nomine *Wedel*, oppidulum in comitatu Holsatiæ, cujus laudes cecinit *JOANNES RISTIUS* Poeta & Symmysta ibidem. Quin fide *JAC. MEIERI Balialoni*, *in annalibus rerum Flandricarum ad a. 1427. p. 271. DANCKWERTHI in Chorographia Holsat. p. 105. PONTANI descript. Dan. Chorograph. p. 687.* hujus nominis significatum habet antiquissima Cimbrorum civitas *Welenopolis*, *Flenopolis* Flensburg ad sinum maris Baltici sita & portu instructissima. A qua tamen Flenopoleos paulo remotiori explicatione recedunt recte *GEORG BRAUNIUS in sumtuoso Theatro urbium præcip. totius mundi Lib. IV. n. 30.* & plures apud *MÖLLER. in Isagog. ad Historiam Chersonesi Cimbricæ P. 2. pag. 261.* Id demum inde videtur probabilius, civitatem *Soltwedel* dici a sinu aquarum salinarum, seu fontibus salinis, qui hoc loco olim ebulliverunt copiosius: *JAC. PAUL. GUNDLINGIUS in Brand. Atlas pag. 90.* Dubio, quod movere videtur *ENZELIUS in Chronico Marchiæ*, obviam ivit *SAGITTARIUS Histor. Marchiæ Soltwedel. §. 17. pag. 8.*

Soltwedel an dicatur a Sole?

an a vallo seu domuncula?

an a silva & ambulationibus?

an a Belo vel colle?

Etymon vocis Wedel, Weel, Wala.

Wallfisch.

Fluviorum & locorum Jutiæ.

Nordalbingiæ.

Holsatiæ.

Cimbriæ.

(i) *Barderopolis*, *Bardewic.* Apud *EGINHARTUM* in annalibus *Bardengaa*, seu Bardorum pagus, vicus hodie, civitas olim Bardorum, sacerdotum & poetarum veterum Germanorum ab Henrico Leone destructa anno 1189; de qua *SAGITTARIUS in Hist. antiquissimæ urbis Bardew. MEIBOMIUS in Bardewico destructo T. 3. R. G. pag. 81.* ex instituto. Sed quod autor de *Lunæ cultu* in monte Luneburgensi dem Kalckberg innuit, id commentitium est; quo ipso itidem *Chronicon Maderianum apud LEIBNITIUM Tom. I. Script. rer. Brunsvicens. p. 621.* lectores deludit his verbis: *In monte proximo Cæsar Julius ad Bardewicum* (qui tamen huc in Germaniam haud penetravit) *auream statuam erexerat in honorem Deæ Lunæ, quæ ab incolis colebatur usque ad adventum Ægisti vel usque Episcopus Verdensis Svibertus tale idolum fregit.* Quam fabellam *MEIBOMIUS c. l. CRANTZIUS*

Barderopolis pagus Bardorum.

Commentum de Lunæ cultu in monte.

profectio *Saxonum ex mediis ANGRIVARIIS* facta, *ubi Anglii incolunt* teste *Cornelio Tacito*, quæ facta Constantii Cæsaris tempestate ducibus *ENGISTO* & *HORSTO*, quibus victoribus, qui *Britanni* ante, *Anglii sunt deinceps nominitati*. Multi Saxones a Valentiniano Cæsare bellis perposse; sed solo sunt Carolo Magno superati, non tamen antequam annos ille tres supra triginta cum eis belligerasset, rege postremo Vitigite juniore. Ab eo tempore mutata loca, templa Christiana statuta. Sed enim Episcopatuum Germaniæ interioris totius primus *Bardoropolitanus Saxonum* antistite ibi primo, divo Ægistio, uno ex discipulis JESU CHRISTI viventis, qui & martyrio est in loco eo a Thuriis excarnificatus. Cœpit vero Bardoropolis, quæ & vicus Bardorum, in saltu Luneburgi anno ante Romam conditam ducentesimo trigesimo sexto, ut carmina in templi foribus litteris etiamnum aureis indicant, a Bardos qui erant olim mœlodiarum Poetæ, bonos laudare carminibus soliti, malos vituperio afficere, sapientes tum habiti, ac religiosi, quos, ut rerum divinarum gnaros in solitudine ea consulere solebant; quorum mores Diodorus Siculus libro sexto, Strabo libro Geographiæ quarto, Cæsar in libris de bello Gallico meminerunt, & cecinit M. Annæus Lucanus libro Pharsalicon I.

Vos quoque qui fortes animas, belloque peremptas
Laudibus in longum, vates, dimittitis ævum
Plurima sequuti fudistis carmina Bardi.

Haud vero ita procul ab urbe ea mons, qui etiamnum e materie calcarius, in quo Lunæ idolum Dædala aurea ad Lunum amnem Divam ipsam venerabundi proximi quique ac remoti salutare certatim solebant. At episcopatum Bardoropolitanum Carolus ille Magnus in Virunum transtulit, quæ urbs in Visurgis collimitio sita, instituto ibi antistite primo Viperto, anno a natali Christiano octingentesimo decimo quarto: et antistes ille stelidam Lunæ auream secum a monte ablatam rebus dedicavit divinis. Episcopatus ergo Moguntiacus, etsi inter Imperii Electores locum obtineat summum ac maximum; multo tamen Bardoropolitano posterior, nempe qui a Pipino Gallorum rege cœpit Nicephori ferme Cæsaris temporibus, primo ibi antistite divo Bonifacio, anno a natali Christiano septingentesimo vigesimo septimo. Sub hoc vero antistite summo sufraganei jure antiquo Pragensis, Olomucensis, Eistatensis, Babenbergensis, Herbipolensis, Paderbornensis, Constantiensis, Curiensis, Argentinensis, Wormatiensis, Havelbergensis, Verdensis, quem diximus ante, in Viruno institutum, Spirensis, Hildeshemensis, Halberstadensis & Augustensis. Ast Agrippinensium antistitem primum divum Maternum existimant, post quem longo dein intervallo divus Severus successit an. trecentes. qvadragesimo secundo Constantini Cæsaris temporibus; cujus sufraganei Leodiensis, Trajectensis, Monasterienſis, Mindensis, Osnaburgensis, & ut nonnulli adnotarunt olim Juliacensis; nunc vero & Monasterienſis. Verum Angrivarios Fœdericus primus Cæsar a Saxonum jure ereptos Episcopio Agrippino adscripsit. Treverorum autem antistes, initio, divus Eucharius, unus quoque de discipulis Domini, mox divus Maternus; sub quo episcopatu olim antistes Tungrorum, aut ut putant episcopatus unus. Communes vero quindecim, quorum Agrippinus nunc Mitensis, Tullensis, Virdunensis. Urbs ipsa Abrahami tempestate condita perhibetur anno ante urbem Romam conditam millesimo ducentesimo; quam & magnus ille Anastasius illustravit. Proxima post Electores Parthenopolis, e qua Archiepiscopus vulgo *Magdeburgianus* Germaniarum primus, qui Episcopatus initio Schiderensis a Carolo Magno institutus anno septingentesimo octogesimo, Hildegrino ibi antistite primo, quem mox Episcopatum Vitigis, rex Saxonum postremus in Angrivarios suos tulit, ut annotavit Hermannus rerum Saxonicarum conditor: quem dein Episcopatum Henricus

Episcopatibus & Episcopis.

L. 4. Sax. c. 16. satis profligarunt. Adde *KEYSLERUM in exercitatione de Dea Nehelennia in Antiquit. Celt. p. 237. & CHRIST. SLöPKEN in Chronic. Bardewic. P. I. c. 3. 4. 5.* Nec accipiendum aliud vulgatum est, quod ab idolo Luna vel Lunæ cultu *Luneburgum* seu Burgum Lunæ nomen adeptum sit; cujus quippe origo potiori jure repetenda est a flumine *Lüne*, *LUNAU*, hodie *Elmenau*; cui & vicina olim fuisse videtur arx prædatoria *Linaw*, a Comite Schaumburgico Joanne IV. a. 1349. diruta: *SPANGENBERG Chron. Schauenburg: L. 2. c. 19. p. 102.* Alii derivare malunt a *Linonibus* populo Slavorum, quorum metropolis *Linovium ad Albim*, hodie Lentzen, fuisse dicitur, & quibus inde a Carolo Magno castellum *Lüneburgum* oppositum fertur. Quas sententias & alias præterea expendunt *SAGITTARIUS in Orig. Luneburgicis & RETHMEIER in Chronic. Brunsvic. Lüneburg. P. I. 272. SCHMINCKIUS ad Eginhardi vitam Caroli Magni p. 70.*

Etymon Lüneburgi non a Luna.

sed a fluvio Lüne.

cus primus Cæsar a Vitigite quintus in Valleroſclævium, cognomento inter miricas, collocavit. Alii Brunonem ac Danquardum Saxonum principes inſtituiſſe ibi tradunt. Sed & nonnulli Henricum primum in Vroſænium Northuriorum tuliſſe. At in Valleroſclævio divus etiamnum Marcus Epiſcopus quieſcit. At enim Otto primus Henrici illius filius multum perſvadente Ægitha conjuge epiſcopatum eum in Parthenopolin tulit, ut annotavit Lupoldus Hiſtoricus, cui ſubjecit ſuffraganeos ſeptem Marſoburgenſem, antiſtite ibi primo Boote, Miſenenſem, primo ibi Bogoro, Citzenſem, ibi primo Hugone, Brandoburgienſem, Havelbergenſem, primo ibi antiſtite Dudone, Pozanienſem ſub Jordane Epiſcopo primo, ac Neoburgenſem; aſt Pozanienſis in Archiepiſcopatum Gneſanienſem abiit, qui eſt Sclavorum, ſub quo & Vratislavienſis, Mazonienſis, Caminenſis, Plocenſis, Cracovienſis, Uladislavienſis, Carbinenſis, Pomezanienſis. Et jam locus ut ex ordine Epiſcopatuum autores præcipuorum referamus. Carolus itaque Magnus pollicitus eſt epiſcopia ſeſe ad numerum Alphabeti Romani inſtituturum; a qua re, litteræ etiamnum aureæ in monaſteriis quibusdam durant. Et *Pozanienſem* ille inſtituit anno ſeptingenteſimo octogeſimo primo, *Staginenſem* anno eodem, mox *Salinſtidienſem* autore Lupoldo, qui poſt annos quadraginta Halberſtadium tralatus, Hildegrino ibi antiſtite primo, anno ſeptingenteſimo octogeſimo ſexto, ut alii, octingenteſimo vigeſimo ſexto; poſt quem Nagrinus. At Salinſtidium olim Oſterovicus dicebatur. *Paderbornenſem* Carolus idem inſtituit, anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo tertio, antiſtite ibi primo divo Liborio, teſte Lupoldo, qui epiſcopatus initio Herſtalenſis; idem & *Hamburgienſem* epiſcopatum inſtituit, Vandalorum omnium & Danorum caput, quamvis plerique filio hoc Ludovico tribuant, factumque anno octingenteſimo trigeſimo ſecundo, divo ibi dein Anſcario Archiepiſcopo primo, ut prodidit Lupoldus: nam epiſcopatui huic Otto primus tres adjecit anno octingenteſimo quinquageſimo ſecundo; inter quos *Alldenburgienſis* Otfaciorum in honorem divi Joannis Baptiſtæ ab Adoligando Archiepiſcopo Bremano conſecratus anno nongenteſimo quadrageſimo quarto, primo ibi antiſtite Marco, quem epiſcopatum Henricus ille Leo Saxonum Dux in *Luconium* traduxit anno milleſimo centeſimo quinquageſimo quarto. *Anlicenſem* quoque Carolus inſtituit, quem Ludovicus filius venationi indulgens miraculo ſuperne admonitus in Hildeshemum transtulit, anno octingenteſimo decimo octavo; primo ibi Guntero præſule. Sed & idem Carolus *Mindenſem* inſtituit, antiſtite primo Lothario. *Mymagauerdenſem* quoque in honorem divi Pauli, qui in monaſterienſem tralatus. Sed & *Trajectenſem*, antiſtite ibi primo Vilibrordo, anno ſeptingenteſimo octogeſimo primo, ut ſunt teſtes locupletiſſimi Hermannus ac Lupoldus Hiſtoriographi. Cœpit & a Carolo *Bremenſis* anno ſeptingenteſimo octogeſimo quarto, ubi antiſtes primus Vilibaldus, autore Lupoldo, qui ſub Agrippino initio, cæterum in Archiepiſcopatum dein abiit, ſub quo nunc *Verdenſis*, *Saloſævicenſis*, *Sverinenſis*, *Raceburgienſis*, *Lubecenſis*. At *Raceburgienſem* Henricus Leo ille Saxonum Dux inſtituit anno milleſimo centeſimo quinquageſimo ſeptimo, antiſtite ibi primo Evermodo. *Megapolenſem* Billungus Herulorum, Obetritarum Vandalorumque Rex, anno nongenteſimo quadrageſimo tertio, qui in *Sverineum* tralatus eſt. *Marſoburgianum* Otto primus inſtituit, quamvis Carolo nonnulli illud adſcribant; ſicut & *Citzenſem* quem cepiſſe perhibent anno ſeptingenteſimo nonageſimo primo. At *Miſenenſem*, Otto inſtituit an. nongenteſimo vigeſimo ſeptimo, cujus tamen exordium in Henricum ejus genitorem referunt. *Ripenſem* Otto quoque primus inſtituit anno octingenteſimo duodevigeſimo: Regnorum vero ibi ad oceanum multi epiſcopatus, qui ſub ipſis cœpere Regibus. Nam Danorum Archiepiſcopatus Lundonienſis, Svevorum oceani primus, ſub ſe habet *Roſchildenſem*, *Otonienſem*, *Saloſævicenſem*, *Ridenſem*, *Viberigienſem*, *Aruſienſem*, *Burgalienſem*, *Revalienſem*. Noricorum vero oceani Archiepiſcopus Nidroſienſis olim, nunc Hidruntinus, ſub ſe habet Bergenſem, Stavagrenſem, Pharenſem, Hemarenſem, Baſtoenſem, Orcadenſem, Sodienſem ſive Inſulanum, Mochadenſem, Vellendenſem, Gravenlandienſem, Gadenſem, Scarolenſem ſive Scarenſem, Olenſem, ſive Olerenſem. At Svevorum oceani auctoratos ſub ſe habet *Aroſienſem*, Straginenſem, Aboenſem, inter Fynnos, ubi Viburgium proxime Narvam Moſchorum ſive Roxalanorum, Lincopienſem, item ac Veſſionenſem, patriam Veſogothorum antiquam. Nec prætermittendi gentium vicinarum epiſcopatus. Habent ergo *Lemovii*, *ut appellat Tacitus Cornelius*, Oſilienſem, Tarabatenſem, Coronienſem, Unionienſem, Culmenſem, Sambienſem, Vicanienſem, Pomezanienenſem in inſulæ divæ virginis Mariæ, Ruthenienſem, Viniſamienſem, Semigallenſem, quorum nunc pars Boruſcorum, addito Varnienſi, ac aliis. Germaniæ vero ſuperioris Archiepiſcopatus inſignis Salaſſoburgenſis, ſub quo jure primo Patavienſis, Ratisbonenſis, Phriſingenſis, Curcenſis, Brixenſis, Laventinenſis, Bunenſis, Selromenſis, Novæcivitatenſis, quem excitavit Paulus ſecundus anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo octavo, ad quintum decimum Calendas Februarias. At Salaſſoburgienſem, Phriſingenſem, Patavienſem, Eiſtatenſem, Herbipolenſem, Erphordienſem divus Bonifacius

Epiſcopatuum autores.

instituit Moguntiacus Archiepiscopus. Et ne quid talium posthabeatur, Basiliensis Bisuntinam habet; sub quo Lausanensis, Bellicensis. Verumenimvero ad alia nunc divertendum. Annus agebatur a natali Christiano trecentesimus undetrigesimus, quum Romæ Laterana illa ædes nobilissima inchoaretur, *ad cujus fundamenta humeris suis tellurem Constantinus maximus* primus tulit templorumque mundi caput censuit, quo nullus unquam Cæsarum in rem divinam augustior; sed & ordo omnium primus crucis ferendæ ab eo cœpit, ut libro prodidimus II: et Hunni sub eodem ex Caspii maris egressi claustris duce Harpardo in Pannonas irruperunt, quos esse Turcarum genus C. Plinius, Pomponius Mela, Cl. Ptolomæus, Somacatus & Eustathius insinuant. At Hungari, qui potius Ugri appellandi, maris glacialis accolæ, Hunnos e Pannoniis deturbarunt Maximiani ferme Cæsaris temporibus. Vandali & Gothi sub divo Justiniano tumultum fecere; nec ita multo interjecto tempore Lingobardi, Gepide. Anno mox quingentesimo vigesimo septimo institutum divi Benedicti cœpit *in monte Cassino*, haud ita procul ab Aquino Aprutiorum loco, quo Cassinorum quondam urbs Abbate ibi primo divo Benedicto; ante quem instituto ibi Basilius Magnus clarus ille Archimandrita. At religionem illam Cluniacenses, Cœlestini, Olivetani, Sylvestrini ac Humiliati prosequuti sunt. Anno dein quingentesimo quadragesimo quarto *Saxones*, qui ad oceanum tum incoluere *supra DORSUM* ut ait Cl. Ptolomæus, *CIMBRICÆ CHERSONESI*, ubi autore eodem *Haxones* mutataque littera H. in S. *Saxones*, *Thurios*, qui a *Thurio* fluvio ibi trans Albim incipiebant, universamque regionem, quam Saxones nunc occupant, jure avito possidebant, sumtis armis pepulerunt in vallem *silvæ Hercyniæ* trans Melibocum, ubi nunc incolunt, ingenti ante strage edita. Inde hebdomadis, cognomento communes, origo genti; nam a tempore eo fere post festa divi Michaëlis agere justa defunctorum & manium parentationes solent, & lætitiam invicem peragere in reminiscentiam acceptæ victoriæ prœlioque eo desideratorum. At anno *sexcentesimo vigesimo Mahumetus Arabs Prophetam sese ementitus autore Sergio monacho* apostata Alchoranum Saracenis condidit; unde tot gentes clarissimæ a religione nostra academiaque Christiana desciverunt. Vigesimo nono Heraclius Cæsar, Cosroen Persarum regem arrogantissimum vicit & crucem sanctam, qua exultabat ille, cæso eo recuperavit. *Septuagesimo primo* magis tres sancti Caspar, Melchior, Balthasar e Persia Mediolanum tralata sunt. *Octogesimo secundo Byzantina synodo sexta* sub Leone secundo Pontifice Maximo communicatio eucharistiæ sacrosanctæ populo sub specie utraque detracta, ne ambigeremus sub pane corpus esse verum Theanthropi una cum sangvine. An. septingentesimo vigesimo quarto cœnobium Hersfeldianum, inter Hessos cœpit, ast Fuldanum Phaguriorum quadragesimo quarto a divo Bonifacio antistite Moguntiaco ambo instituta, e quibus hoc cancellatium refert auguste, tantis quondam divitiis, ut Cæsares mille equitibus prosequeretur. Quadragesimo vero sexto, natus est Carolus, qui Magni cognomentum meruit, Pipino patre. Et ille in religionem Christianam devotissimus primo quoque tempore *Martis statuam*, quam *ARMESULEM* (k) nominitabant, e *monte Martis*, quæ est urbs *Isteronum*, in jugo edito deturbavit anno septingentesimo septuagesimo secundo: Octogesimo dein *Saturni* simulacrum, *Crotonem* e Hercynopoli sustulit hostiliter; & mox octogesimo primo *Venetem* e Parthenopoli, quo anno & *Lunam* de monte calcario abstulit. At anno octingentesimo mausolæum sacrosanctum Solymis cum Solymonautis nobilissimis venerabundus adiit, reliquiis complurimis A Constantino Orientis Imperatore donatus; inter quas hypocamisia sanctæ theotoci & fasciolæ infantiles nati, quæ universa apud A quas Granias religiose deposuit, in fano tum cancellis aureis & argenteis ac Dædali marmoreis ditissimo, quæ Nustri viventis hostis acerrimi, mox vita illo functo, agminatim irrumpentes & Sacro-Sancta profanantes diripuerunt. Anno vero octingentes. secundo Stephanus Pontifex Maximus imperium orientis a Græcis in Carolum transtulit, qui est a Leone quarto Romæ diadematus, a quo Uagendorum Imperatorum origo: *Sed enim Phrisii, quum cum Cæsare maxime tum Romæ præstarent, tributum genti, pondo auri viginti, quod debebant*, acceptum tulit, libertate perpetua donavit, ut sine principe, agerent adiopi, ceterum legendorum e sese decurionum potestatem haberent, quos auratos crearent ense & balteo insignirent: Argumentum libertatis ejus scutum cum imagine coronæ imperatoriæ. Et idem octogesimo quinto superatis jam Saxonibus cum Vitigite rege, anno octingentes. quarto, quo & Boioarios ad fidem convertit, dicasterium secretum

Exstructio Templi Laterani.

Hunnorum irruptio

aliorumque.

ordo Benedict. in monte Casino institutus.

Victoria Saxonum Cimbrorum eorumque sedes

Mahomet impostor anno 620.

Idola Caroli Magno deturbata a. 772

780.

Reliquiæ Sanctorum.

(k) Quæ lectio differt. ab aliis omnibus nec occurrit inter varias, quas citant *GRYPHIANDER de Weichbildis* & *EGGELINGIUS de Statuis Rolandinis*. Communiter dici solet *Irminsula*, quo vocabulo utuntur *Annales Francici ad a. 772*, *Ditmarus Merseburgensis*, *Lambertus Schafnaburgensis*, *Conradus Urbergensis* & plures. Sed aliis placuerunt vocabula *Erminsul*, *Irmindsul*, *Hermansaul*, *Hormensula*, *Adurmensul*, de quibus aliisque vide *SCHEDIUM de Diis Germ. S. 3. c. 3. p. 713.* &, qui hoc idolum seu numen tutelare apud veteres Saxones paganos cultum & a Carolo M. destructum, luculenter descripsit, *HENR. MEIBOM de Irminsula Saxonica*, *T. III. Scriptorum Rer. Germ. p. 6. sqq.*

De Irmeninsula.

tum Angrivariis & Iſtævonibus tulit, quo furta, ſacrilegia, perjuria, proditiones averruncarent; nonageſimo vero octavo *idolum Jovis Hammopoli* multis vix belli viribus diſpulit; at Vitigitem Vilibaldus antiſtes Bremanus latice ſacro in academiam tum Chriſtianam emaculavit. Cæterum anno octingenteſimo decimo quinto Judita femina e Britannis prognata, virum ſe ementita Romæ in Pontificem ſummum electa eſt, nomine Joannis quarti; at ab emiſſario compreſſa ſuo, inter Coloſſum & divum Clementem puerperio ſoluta, media mox alvo crepuit. Decimo octavo epiſcopatus Aulicenſis, ſub Ludovico Cæſare Hildesheimum translatus eſt, quodam reliquiarum miraculo, quo aſportari imaguncula divæ virginis nequivit. Anno vigeſimo ſecundo Corbæa ſub Cæſare eodem Paſchali Pontifice maximo, atrium monachorum religioſiſſimum excitatum; ubi percoluntur e divis Tiburtius, Valerianus, Marcellinus, Vitus. Quadrageſimo ſexto *Anſcarius Hammopolitanus Archi-Epiſcopus* templum Rameſtojanum e prædio feminæ nobilis Iciæ erexit. Quinquageſimo Gandævo oppidum, quod vulgo *Gandersbemum*, a Ludolpho Saxonum Duce cœptum, a Vitigite quarto. Nam Vitigitis filius Vipertus Valpertum ſuſtulit, templi Vildeshuſiani autorem, quod in Oſnabrugam ceſſit, qui Ludolphum, eum, qui ædem virginum Veſtalium Gandævone cœpit; & ille Ottonem, Brunonem ac Danqvardum genuit; Bruno *Brunopolim* inauguravit, Danquardus Danquardorodum proximum; Ludoulphus ergo Hatomodam filiam Romam, ſecum ducens ab Epiſcopis triginta ſex, ſub Leone tum Pontifice maximo ſacris initiari impetravit, quam rediens matrem magnam Veſtalium atrii Gandevonii primam declaravit, divorum Anaſtaſii ac Innocentii reliquias templo offerens; quo in cœnobio Roſuitha quondam claruit ſanctimonialis carminum, litterarum ſacrarum ſtudio celeberrima. Quinquageſimo quarto Ludovicus Cæſar primi filius *Hammopolitanum epiſcopatum Bremenſi addidit*. Anſcarium Epiſcopum conſtituit, a quo *Ripenſis ac Saloſævicenſis* epiſcopatus auſpicium ſumſere, & Svevi oceani in fidem noſtram adſpiravere. Sed & Rugii a Corbæanis monachis in academiam Chriſtianam promoti tum ſunt. Sexageſimo ſecundo epiſcopatus Bremenſis ab Agrippinenſi ſummotus Nicolao Pontifice ſummo, quo autore divus Anſcarius, Archiepiſcopus deſignatus, annos utrique decem præfuit. Sexageſimo quinto Theodoricus ſub Carolo Calvo Cæſare Batavorum comes declaratus, qui atrium virginum Veſtalium clariſſimum, Acgemundam excitavit in Trajectenſi argo. *Et jam annus agebatur nongenteſimus ac quartus, quum cœnobium divi Benedicti in monte Calcario juxta Lude Weſtphal. Monum. inedit. Rer. Germ.*

olum Hamopolitanum

bula Joan- Bapiſtæ.

ndershei- um.

unopolis ugnratio.

ſpicia Epi- patus Ri- nſis & Slef- enſis.

ingularia. eculi X.

neburgium demoliretur, autore Viperto Virunenſi antiſtite, & in templum divi Michaëlis urbis nunc ipſius transferretur. Mox anno tertio decimo inſtitutum Cluniacenſe cœpit. Anno vigeſimo quinto Hungari ſub Henrico Cæſare tributum ex Thuriorum ſolo depoſcentes mortalium decimum quemque rerumque omnium catulam a Cæſare auribus ac cauda populatam, receperunt, ut homines ipſi ſibi inde ſufficerent. Quare hoſtes irarum pleni primo quoque tempore Lucum, Thuriorum oppidum ad Salam amnem, cum mortalium millibus viginti tentarunt, ac mox a Cæſare repreſſi centum mortalium millibus adgreſſi, quorum pars ad Jecheburgium Thuriorum, pars ad Schiningium caſtrametati, quos confecto prœlio Cæſar decem vix ſuorum millibus ope haud dubie ſuperna omnes ad unum vicit ac diſpalavit: prodita annalibus Hoieri comitis Mannorum ignominia tum, qui hoſtium multitudine exterritus in partem diverſam transfugerit. A victoria illa Cæſar Marchiones, Duces, Comites, liberos, equites auratos declaravit. Ludos Trojanos primus noſtris oſtendit & ad militiæ exercitamenta & virtutis laudem. Anno trigeſimo urbes ipſe inſtauratas volens, loca complurima inauguravit, a qua re Goslaria ab amne proximo nomen ſortita; ſed & a venatore Rammone mineras in monte vicino fortuito reperiente Rammoloneus. Quadoropolim urbem Cæſar ipſe cœpit, & virginum Veſtalium atrio Matil, dein filiam, matrem magnam fecit prædiaque a comitibus Flaviis, Geronibus, Vidiis, Ruſſis perpetua adſcripſit. Miſænamque inter hæc arcem in Albis littore ſtatuit cum Canonio Germania fere tota celeberrimo. *Bryzam* quæ nunc Brandoburgium, muro inſtauravit, pomeriis cinxit anno trigeſimo quarto Veteranos vicit. Cœpere & illius tempeſtate Canonici regulares, apud Beluacenſes initio celeberrimi. Sed & Humiliatorum in Gallia cisalpina inſtitutum tum cœpit. Trigeſimo vero ſeptimo Otto primus Cæſar, ejus filius, Parthenopolim in Albis littore muro circumdedit, & intercedente Egitha Auguſta atrium divi Benedicti ibi inſtituit; ceterum mutata ſententia extra urbem collocavit in locumque Canonicos ſeculares induxit, templum divo Mauricio dedicavit. Sexageſimo primo ille Joannem duodecimum Pontificem maximum, ceterum ſcortatorem, patrum collegio annuente exauctoravit, Leonem nonum ſubſtituens Romanosque in illius auctoritatem adigens. Aſt abeunte eo Benedictum illi quintum exploſo Leone extulerunt; ſed quem Cæſar in exilium relegavit, qui Hammopoli hic ſecundum Albim exulans multos, ut erat diſciplinis eximiis, inſtituit, vita ibi functus. Octogeſimo ſeptimo,

Thuringiæ.

Goslariæ.

Bryzæ ſeu Brandoburg.

mo, qvum Ottonis tertii Cæsaris conjux Arragonum regis aut certe Byzantini filia, equitem unum auratum aulicum deperiret, & pellicere in complexus non posset, vim ementita, nudato pectore & discissis comis e conclavi ad Cæsaris pedes supplex ac querulabunda humi effusa tantum efficit, ut insonti caput amputaretur: At optimus maximus innocentiam non passus inultam, sangvinem in lac candidulum demutavit; ob qvod mox igne ultore scortum absumptum nulla relicta sobole. Inde imperii optio sub Gregorio qvinto ad electores, qvod a Caroli stirpe jure veluti hæreditario in Saxonas ante collatum multis apud eos seculis manserat: Et jam annus agebatur millesimus duodecimus, qvum in vico Saxonum Colæco agri Halberstadiani, Secul. XI. nocte natalis Christiani viri qvindecim, feminæ non amplius tres choream contemptim saltitantes, debaccharentur, &, qvamvis a sacerdote castigati, obstinatius perseverarent: Qvare ira percito Numine annum integrum sine omni alimonia continuare coacti, æramantotriba, hoc est æditvo, dum sororculam avellere conatur, brachium totum e corpore detrahente. Extant etiamnum rei monumenta lapidea. At vigesimo institutum divi Joannis Baptistæ cœpit, qvorum caput Rhodus. Sexagesimo tertio episcopatus Hammopolitanus desiit, in Bremensen sub Archiepiscopo Adalberto tralatus. Octogesimo sexto Cartusiensium institutum in agro Gratianopolitano cœpit, autore Brunone ex Agrippina Ubiorum prognato, Theologo Lutetiæ Parisinæ, defuncti cujusdam miraculo territo. Nonagesimo qvarto *Templariorum* institutum originem tulit, sub Godofredo Lotharingiorum duce cum terram fatalem cum mausolæo sacro ab infidelium manu avelleret tanta hostium strage, ut ad genua usqve bellatores eqvi maderent. Ab eo tempore Lotharingii duces lemmate se regum Hierosolymitarum prætitularunt merito pulcherrimo. Nonagesimo octavo *Cistercienſium institutum* cœpit in Burgundiorum solo eremo Cistertii, autore Roberto Molinensi Abbate, Urbano Pontifice maximo. Nonagesimo nono Gladigerorum institutum cœpit, in Lemoviorum solo, qvod, qvum annos stetisset centum, & Fœdericus primus Cæsar cognomento Barbarossa in terra fatali Cilicum adversus Sultanum belligeraret; unaqve adesset Adolphus Otfaciorum comes clarissimus, cum civibus nonnullis Luconiis (hoc est Lubecanis) ac Bremanis de religione bene meritissimis, suborireturque pestis ingens, & cives illi æris vi maxima pollerent, Luconii inter primos Xenodocheum circa Cæsariam, qvæ vulgo Accarum, instituerunt, valetudinarios intro complurimos recipientes, quos dum parare abitum coguntur, Cæsaris Sacellano, qvi fuit Ducis Svevorum filius, commendarunt, a qva re Xenodocheum illud fratrum Teutonicorum dici cœptum, superataqve urbe intra muros receptum, divæ virgini sacratum, in ordinem abiit, Cœlestino Pontifice Maximo adstipulante, qva fama & Ptolomaide Xenodocheum simile excitatum. At hostium dein bello tumultuario exacti in Boruscos concessere, adversus academiæ nostræ Christianæ hostes Roxalanos arma promoturi, ex qvercu primo qvoqve tempore arcem celeberrimam auspicat, qvæ Mariæburgium, anno ferme millesimo centesimo nonagesimo primo, ubi curia magistri ordinis magni. Et adversus dein hostes incredulos strenue belligerantes, qvum Deum Marte dubio opem deposcerent, velamen cœlo candidum demissum superne devolitavit victoresqve reddidit; a qvo facto veste uti tum cœpere candida, cruce in pectore furva, gladigerosqve in sodalitium militiæ recepere; unde Teutonicorum institutum finibus illis etiamnum celeberrimum. *Nec ita multo interjecto* tempore Carmelitæ in Syria cœpere sub monte Carmelo, Alberto Patriarcha Hierosolymitano autore, Heliæ initio vestimento, qvod colore dein esse candido Honorius tertius esse voluit; & jam annus agebatur millesimus centesimus qvartus, qvum *Luconiorum* urbs inter *Travum* & *Bagnisum* loco, qvo *CHALUSUM Cl. Ptolomæus* statuit, excitatum sub Godescalco Herulorum Obetritarumqve ac Vandalorum rege; a cujus filio Bute nomen initio sortita, & mox ab altero filiorum Henrico ex Syritha Regis Danorum filia progenato, qvi ararium ibi Christianum in arce habuit. *Colonia dicta magna*, ob plurimos videlicet, qvi subito confluxerant, qvum sita ante esset, ubi vicus *Svartous*, circiter annum millesimum septuagesimum tertium. *Mox a Rugiis Ducibus* Critone ac Race vastata translata est in locum, ubi etiamnum feliciter exstat, sub cujus foribus *mons Ranorum* in memoriam Rugianorum ab Henrico rege dicto anno millesimo centesimo nono interemptorum. Multa dein a Vandalis pertulit. Ast anno decimo qvinto bellum formidabilissimum inter Henricum Cæsarem & Lotharium Saxonum Ducem subortum, qvo conserto prœlio tanta mortalium multitudo deliderata est, ut in foveas proximas interemptorum sangvis derivaretur. Gestum prœlium hoc locis duobus ad Cotam Ascaniorum & silvulam *Velphiam Mannorum* (i. e. Mansfeldensium) qvo loco & *arbor salix CÆODUTUM* inter Martem dubium appellavit: at dispalato ibi Cæsariano exercitu ductoreqve Hoiero Mannio interempto *stelidam Saxonum armis inscriptam* erexerunt, *CÆODUTUM* in memoriam appellarunt, haud ita procul condito cœnobio, qvod nunc

Origo Templariorum.

Cistercienſium.

Gladigerorum.

Bellum contra Russos.

Initium Carmelitarum.

Sec. XII.

Chalusum Luconiorum seu Lubecense sium.

Lubecæ prima auspicium sub Godescalco an. 1104.

Colonia magna dicitur

a Rugiis vastatur & loco mutatur

Bellum inter Henricum Cæsarem & Lotharium Ducem Saxoniæ.

Prœlium prope Welphsholt & arborem Cæbdutum seu jodutam

Inde statua Jodoute.

nunc *Vidoroſtadium* (i. e. Wedderſtäde, Wiederſtäte). Decimo ſexto divus Bernardus, e nobili Burgundionum familia ortus, Germanis ſenis, ſorore una ſcholaſtica, Clarevallenſe cœnobium excitavit diſcipulus primo, mox pater Magnus, hoc eſt Abbas, anno ab ingreſſu inſtituti Ciſtercii, qui anno vigeſimo Præmonſtratenſe inſtitutum cœpit a Norberto Lotharingo, vero opulento. Et Caminum Pomeranorum tum miſſis ante ſub academiam Chriſtianam gentibus illis autore Ottone Bambergenſe antiſtite, in epiſcopatum erectum eſt. At trigeſimo Sidinorum qvoqve principatus in Chriſtianam ſententiam pedibus ac manibus ivit. Trigeſimo qvinto *anno, qvum nullum fere eſſet templum inter Herulos, hoc eſt Megapolenſes, qvi tum Obotrita dicebantur, Henricus rex illorum divo Joanni primum in urbe Luconiorum dedicavit*, in arena ubi & ipſe freqvente milite facere divina ſolebat. *Trigeſimo ſeptimo Nicolotus cum Erico germano Danorum Rege imperio ſe Romano auctorarunt jurejurando pro ſe ac poſteris, fœdera a Cæſaribus deinceps Romanis ſe recepturos.* Trigeſimo octavo ſacellum Luconiorum paullo ante conditum a Rugiis eſt profanatum, & mox a Canuto Danorum rege reſtitutum; qvi regnum Herulorum a Lothario Cæſare ſtirpem functam aſſeverante impetravit. Sed & Segobregam cum arce in colle ille excitavit, & cœnobium indidem religioſorum. *Trigeſimo nono* Race Rugiorum princeps e ſtirpe Critonis *Luconios populabundus* adgreſſus, urbem vaſtavit, arcem occupavit & univerſa fere ſolo æqvavit. Qvadrageſimo Ludoulphus Ottaciorum comes urbem rurſus inſtauravit: & anno eo inſtitutum Vallis umbroſæ cœpit Joanne Florentino auctore. Qvadrageſimo qvinto cœnobium illud illuſtre juxta Brunopolin Saxonum excitatum vulgo *Rhidegashuſum* a *RHADAGASO* idolo Vandalorum. Qvinqvageſimo primo Standalium Marcomanarum e regione Tanagræmundæ inauguratum. Et anno eo epiſcopatus Aldenburgenſis in tres abiit epiſcopatus autore Alberto Hammopolitano antiſtite; *Megapolenſem*, ubi Epiſcopus primus *Joannes* a Solymis evocatus; Polaborum, hoc eſt *Raceburgienſem*, ubi Ariſto Epiſcopus primus, permanente *Alaenburgi* Ezone antiſtite. *Et tempeſtate ea Herulorum regnum ab Henrico illo Leone Saxonum duce occupatum, & ſub ſidem ceſſit.* Qvinqvageſimo qvarto Gratianus Tuſcus inſtituti religioſi decretum a ſe conditum emiſit. *Qvinqvageſimo ſeptimo* inſtitutum Heremitarum Aurelii Auguſtini a Gvilielmo Aqvitaniæ Duce cœpit, qvi incedere galeatus ac loricatus ſolebat; aqva re ſub Anaſtaſio & Hadriano Pontificibus Gvilielmitarum nomen celeberrimum, primo apud Parrhiſios atrio; at obſoleto eo nomine ſub Innocentio qvarto Auguſtinianum evaluit. *Et anno eo Albertus Marchio Solſedianus, cognomento Urſus, Brandoburgium antiquum e manibus Herulorum ac Vandalorum eripuit, mutatoqve mox titulo Marchionem ſe Brandoburgienſem prætitulavit.* Qvinqvageſimo octavo Luconiorum urbs Vulcano abſumpta, cujus aream multis vix precibus ab Otfaciorum comite Ludoulpho, *Henricus Saxonum Dux*, cognomento *Leo*, exoravit ut pro ſua uti ſibi liceret. Qvare urbem inſtaurans *emporio nobiliſſimo* auxit. Sexageſimo princeps idem *Utinum* oppidum a Comite impetravit & mox antiſtiti Aldenburgiano donavit; a qvo tempore in civitatulæ formam id excrevit. Sexageſimo primo cum Peruldus antiſtes Aldenburgianus principi illo religioſiſſimo ſupplicaret, totus ipſe epiſcopatus in Luconios translatus eſt, cui loca compluria addidit & Canonium præbendatum, ut appellant, biſſenum inſtituit, Præpoſitum dedit. Anno dein ſexageſimo ſecundo urbem gliſcere cupiens *nundinum fieri hebdomadatim* die Jovio Lunioqve indixit, annuis illis deſopitis. Cenſuit vero inſuper in medio foro ter qvotannis publicitus celebrandam *ſeſſionem judiciariam* Notario Principis locum tenente, ſub qvo urbis ipſius decuriones judicii præſtandi autoritatem reciperent. Sexageſimo qvarto *Fœderici primi Cæſaris conjux* Romam venerabunda aditura *Mediolani intercepta & aſinæ* impoſita, ita ut caudam manu ipſa teneret, poſteriora facies auguſta ſpectaret, ridicularia omnibus facta eſt. At urbs ea ob ignominiam

Pomeranorum converſio, & epiſcopatus Caminenſis ortus.

Primum Herulorum templum erigitur Lubecæ S. Johanni Sacrum 1135.

Nicolotus Rex Obotritarum & Ericus Rex Daniæ Imperio Romano idem jurant pro ſe ac poteris anno 1137.

Segeberg extruitur.

Reſtauratio Lubecæ per Comitem Holſatiæ.

Rhidegashuſum a Rhadagaſo dictum.

Standalium.

Epiſcopatus Oldenburgenſis Megapol. & Ratzeburgenſis.

Henricus Leo occupat regnum Megapolitanum anno 1151.

Albertus Urſus a Brandeburgo Vandalis erepto nominatus Marchio Brandenburg. anno 1157.

Pagus Eutin excrevit in civitatulam anno 1160.

Epiſcopatus Oldenburg transfertur in Lubecam anno 1161.

Nundinæ, & judicia annua Lubecenſium

niam obsidione mox septennali vallata ac capta est, cives ad supplicium missi. *Sexagesimo nono cœnobium Doberaneum a Pribislao Herulorum Obetritarumque rege postremo excitatum; Septuagesimo primo rex idem e Cissino vico Rostochium, urbem nunc celeberrimam, ad Varnam amnem inauguravit.* Septuagesimo sexto institutum Grandimontense cœpit Stephano Auerno autore, proxime Lemovicas Aquitaniæ, monte nemoroso, rupibus & crepidine multa. Septuagesimo nono Henricus ille Leo Saxonum Dux potentissimus, qvo nullus unqvam in Germania interiore opulentior, sub Fœderico primo Cæsare rebellis principum omnium consensu ab imperio exauctoratus est & subditi universi fœdere liberati. *Octogesimo secundo Luconii sub Cæsare Fœderico primo* Camera Imperii Romani facti, urbiumqve maritimarum caput, exstante diplomate in memoriam aureo. Et decurionibus Cæsar aureorum singulorum gestandi jus dedit, & *ut imperio essent a consiliis*, Canonicos vero immunitate summa impertivit. Octogesimo sexto atrium Reinesfeldianum cœpit, instituti Cistertii ab Adoulpho Otfaciorum comite: & anno eodem *Lemoviorum* solum, qvorum caput Rigia, sub academiam Christianam receptum Solymæ a Sultano captæ & Christianis fere interemtis crux sancta abducta. Nonagesimo Bardoropolis urbs veterrima solo Saxonum ab Henrico Leone illo solo æqvata demtus delubris. Inde *Luneburgii auspicium* de ruinarum saxis ac ruderibus. Et anno eo milites Teutonici inter Borusseos & Lemovios sedes recepere. Luconios Leo obsidione cinxit a Cæsare vix Fœderico ipso repressus. Anno nonagesimo secundo æs alienum civium eorum Cæsar acceptum tulit. *Nonagesimo qvinto Megapolensis episcopatus in Sverinæ nomen transiit, antistite primo Bernone.* Nonagesimo Leo vitam cum morte commutavit Ottone, Henrico, Gvilielmo liberis superstitibus; e qvibus primus Cæsar lectus, alter Palatinus, postremus Dux Brunopolitanus perseveravit. Et jam annus agebatur a natali Christiano millesimus ducentesimus, qvum Luconii a Baldomaro duce Salæsevicorum, Danorum Regis germano, hostiliter deriperentur annos ferme tres supra viginti Danis tributa civibus duriter imperantibus. Anno nono supra ducentesimum ædes urbis ejus in universum omnes Vulcano absumtæ, qvinis tantum semotioribus extantibus; a qua clade vicus ille qvinqve domorum etiamnum. Anno decimo Sunnonia a Baldomaro ipso in urbis formam redacta est, a Rugiis ante excitata & a Sunnone Cimbrorum, ut Saxo, ut Hunibaldus Salaciorum rege nuncupata. Decimo sexto institutum divi Dominici cœpit, Innocentio per insomnium monito Lateranum casurum, nisi instituti ejus concionatores opportune occurrent, qvi mox ab Honorio auctorati. Decimo octavo *Baldomarus*, cujus paulo ante meminimus, Hammopolim cœpit & *Alberto Otfaciorum Comiti* auri pondo qvingentum divendidit. Vigesimo primo institutum divi Francisci ad tertium Calendas Decembres sub Honorio receptum. Vigesimo tertio Baldomarus ipse Danorum jam Rex Revaliam Aestonum excitavit, qvæ Lemoviorum nunc metropolis. Vigesimo septimo Luconii Fœderico secundo Cæsari injurias deqvesti, qvibus a Danis divexati, ipso autore sunt liberati rursumque in imperium recepti diplomatis aureis *novis immunitatum acceptis.* Trigesimo tertio prœlium formidabilissimum inter Luconios & Baldomarum Danorum Regem in plano, ut vocant, miricæ, commissum: Stetere diu immotæ trepidæqve acies, regis auxiliaribus Ottone Duce Brunopolitano, proceribus multis inprimisqve *Thitumeris*; Luconiorum vero Alberto Saxonum Duce, Adoulpho Otfaciorum, Henrico Sverinæo Comitibus, Geruino Herulorum ac Vandalorum principe, simul & Gerardo Bremano Archipræsule. At diffisi sibi *Thitumeri* ad *Luconios* defecere, qvos & victores reddiderunt, captis ex hostili agmine Ottone duce & procerum manu ingenti, ægre evadente rege: Et ita demum exploso jam Danorum imperio arx regis in urbe Luconiorum ea desolata divoqve Dominico dicata. Trigesimo sexto Helyzabetha in divorum numerum abiit, Martipoli inter Hessos heroo magnificen-

Doberanum cœnobium fundatur a. 1169.
E vico Kisin Rostochium erigitur a. 1171.
Bannum Henrici Leonis 1179.
Lubeca libera civitas Imperii, a. 1182.
Reinfeldium cœnobium
Livonienſium Christianismus.
Ruinæ Bardevici & auspicium Lüneburgi.
Lubeci obsidio.
Episcopatus Sverinensis 1195.
Lubeca Slesvicensi Duci tributaria. anno 1200.
Sec. XIII.
Origo Dominicanorum.
Hamburgum Holsatiæ Comiti venditur.
Lubeca a Danis liberatur.
Victoria Lubecanorum in Regem Danis auxilio Thitumerorum id est, Ditmarsorum anno 1233.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Wismaria a Guncelino Comite in formam urbis instauratur anno 1238.

ficentissimo condita. *Trigesimo octavo Visimaria Herulorum a Visimaro Vandalorum rege multis ante seculis cœpta, a Guncelino Comite Sverineo primo, vastata jam Megapoli urbe quondam amplissima, ibi proxima, in urbis formam instaurari cœpit.* Dissidium Canonicorum Lubecensium. *Quadragesimo septimo* Canonici Luconii orto dissidio, quum sine antistite essent, Albertum Rigium, ante Episcopum, inter antistitem declararunt, donec Joannem ex instituto divi Francisci deposcerent; Et anno eo cœnobium divi Benedicti ex urbe ea *Cismaria remotum*, atque ita abeuntium atrium a Virginibus Vestalibus receptum divi Joannis titulo. Cœnobium Cismariense anno 1247. Lubecæ instauratio anno 1251. *Quinquagesimo primo Vulcano iterum urbs absumta; a quo tempore latere & lythostratis asarotisque pompatice ad æquilibrium instaurata.* Quinquagesimo tertio *Sunnoniam* Luconii occuparunt & diripuerunt; arcem insuper Dersoam vastarunt *Joanne Herulorum ac Vandalorum principe* opem ferente. Sexagesimo tertio dominum arcis ejus rursus insultantem ac latrunculos receptantem captum suspendio damnarunt; quæ arx Parthentinorum nunc. Sexagesimo sexto festum corporis Christi institutum divo Thoma Aquinate autore, sub Urbano quarto. Anno vero eo *Wismaria* igne absumta. Exilium Antistitis Lubecensis. Octogesimo Luconii antistitem suum *Burcardum* cum Canonicis urbe expulerunt ob interdictum adversus Observatores, qui cadaver scilicet vi e templo eorum tulissent, quæ lis a Jacobo de Columnis e patrum collegio desopita. Johannis Teutonici fata. Septuagesimo primo *Joannes Teutonicus* commentarios in decretum vulgavit ædis divi Stephani Halberstadianæ præpositus; at adversus Clementem Pontificem Maximum provocans honore universo exutus est. Hamburgum deflagrat. Octogesimo primo Hammopolis deflagrata & mortalium vis simul maxima Vulcano extincta. Octogesimo sexto *milites Teutonici* solum Borusscorum auri vi maxima a Sorabis ac Marcomannis redemerunt, nimirum qui adversum Sarmatarum regem acciti superioresque rege interemto facti ipsum sibi solum stipendiorum jure desumserant. Milites Teutonici Borussiam redimunt. Nonagesimo nono sextus Decretalium a Bonifacio octavo editus in publicum exiit; quo anno & ingens inter *Luconios & Canonicos suborta dissensio*, ob prata illa antiqua, qua iterum expulsi Canonici, curiæ vastatæ. Et jam annus agebatur milleſimus trecenteſimus octavus, quum milites Rhodii primum inciperent instituti divi Joannis. At decimo Templarii ob facinora nefaria omnes die uno ad unum interempti. Duodecimo Ericus rex *Rostochii in horto rosarum ludum Trojanum exhibuit, quo censa Xisticorum millia sena quingenta.* Tertio decimo Margaretha comitis Batavorum conjunx matrem familias nobilem meretricii incusans, quæ ter geminos peperisset, extra fatum Dei existimans, puerperio uno trecentos sexaginta sustulit, qui latice omnes sacro academiæ Christianæ adsciti. Decimo nono *Clementinæ* a Joanne vigesimo secundo Pontifex maximus in publicum prodiere. *Henricus cognomento Leo Herulorum princeps atrium virginum Vestalium Ribenitii excitavit. Gerardus ac Joannes Otfaciorum* principes in Thitumeros hostiliter moventes, ambo occubuere, cum armatorum millibus ferme binis; quo prœlio & Comites multi, proceres, Barones liberi desiderati. Anno eo Rostochium, quum in manu jam esset regum Danorum sub Christophoro rege ad Henricum illum Leonem Megapolensem jure perpetuo rediit. Vigesimo tertio Novellæ Andreanæ vulgatæ. Quadragesimo nono *Albertus ac Joannes Leonis filii, Duces Imperii Romani facti sunt, Cæsare Carolo quarto:* & anno eo disflagellantium hæresis polluit. Sexagesimo quinto Scholasticulus *quidam in* Luconiorum urbe hospitio susceptus, vico moletrino semel *soporatus annos dormivit septem, & mox evigilans annos supervixit plurimos. Sexagesimo nono Luconii Danos populabundi adgressi* regem ipsorum Baldomarum ab arce Codonaviana regni firmissima hostiliter expulerunt, nec debachari ante armis desierunt, quam primores regni obsides, pacis perennis fierent, rex Scandiaviam insulam pro illatis injuriis annis possidendam decem Luconiis traderet. Septuagesimo jus monetæ aureæ Luconiis sub Ludovico Cæsare datum. Septuagesimo primo Luneburgiana resp. montem Calcarium *urbi imminentem orandi veluti studio conscendentes armis, quæ tulerant clanculum, tumultum facientes arcem occuparunt, religiosulos inde deturbarunt; quam vim ulturi principes* finitimi, nocte

Rhodiorum militum initium an. 1308.

Templariorum interitus 1310.

Torneamentum Regis Daniæ prope Rostochium a. 1312.

Puerperium Margarethæ fabulosum.

Cœnobii Ribnizensis fundatio. 1319.

bellum Ditmarsorum.

Rostochium Duci restitutum.

Duces Megapolenses inter Imperii Principes cooptantur. anno 1349.

Singularia Lubecensia.

Lüneburgica.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

nocte virginum millium undenum scalis admotis urbem tentarunt, cæso inter primos Siphrido a Salerniis, ceteris dispalatis. Et anno eo *Albertus Megapolensis Dux primus* prœlio uno principes duos castris exuit, unum Sidinornm, alterum Juliæ Augustæ haud procul Regnitio amne; sed & Magnum Brunopolitanum ducem loco alio belligerantem dispalavit, comitesque duos a Difoldiis cepit. Septuagesimo sexto *Carolum quartum* Luconii pompa insigni exceperunt, ipsumque cum archipræsule Agrippino, Ducibus compluribus, Luneburgiano, Soraborum Saxonum, Megapolensium, Marcomannno & viris ordinis equestris plurimis dies decem magnificentissime ipsa in urbe prosequuti sunt. Octogesimo tertio Ludovicus *Archiepiscopus Barthenopolitanus* oppido Calbo choreis ad bonam magnamque noctis partem cum puellis comatulis indulgens, quum prætorium casum minitaretur, evasurus præcipitium, ad gradus festinabundus accurreret cæterum ruptis jam illis, puellam ipse jam dextra tenens cum multis suorum miserrimus interiit. Et nescio, quam similem petulantiam arbiter Deus in antistite *Moguntiaco* ultus: nam quum mendicabula complurima ad epulum veluti adipale horreo quodam excepisset, Vulcano turbam miseram disperdidit; at de cineribus enata glirium multitudo autorem mortis in horas glisceus persequuti, ne intra medii quidem Rheni alveum securum reliquere, quamvis in turri ibi profugium quæreret, cujus extant monumenta. Octogesimo quinto opifices ac bastazontes, cæterique minoris gentium ac proletarii Lucaniorum urbem ipsam Otfaciorum ducibus, ut manubiarum modo participes fierent, tradituri pœnas meritas prodita re dedere. Et anno eo Leopoldus Dux Pannoniæ superioris Helvetios bello ob jura avita adortus cum principibus duodeviginti occubuit. Octogesimo octavo Albertus e Megapolensi familia Dux, Rex jam Svevorum oceani a Margaretha Danorum Regina commissio prœlio profligatus ac captus est, annis septem duriter habitus, nec e postliminio missus, donec mundo muliebri suorum redimeretur, a qua re fœmineæ turbæ equestris hæreditatis retinendæ jura viventibus, nemine stirpis virilis exstante. Nonagesimo Gymnasium Agrippinense cœpit Urbano Pontifice Maximo. Sed & diva Brigitta in divorum tum numerum abiit; a qua institutum Brigittianum. Nonagesimo secundo Erfurtiense gymnasium Bonifacio nono Pontifice Maximo excitatum. *Nonagesimo tertio naves* septem Rostochianæ ac Visimarianæ *brumali glacie* in regno Danorum retentæ, hostium impetum complurimorum magno periculo tam diu sustinuerunt, donec soluta glacie tranquilliter abirent. *Et anno eo Albertus rex pondo argenti millibus senis datis est emancipatus, Stochol-mo urbe recepta, in pignoris portionem. Nonagesimo octavo Arnesbucum juxta Luconios, & Marionæum* (l) *juxta Rostochi-*

Alberti Ducis prœlium cum principe Stetinensi & Brunivicensi 1371.

Caroli IV. comitatus & adventus apud Lubecenses. 1376.

Archi-Episcopus Magdeburgensis Saltator.

Fabula de Hattone Moguntiaco.

Dux Albertus Megapolitanus a Regina Daniæ captus, anno 1388.

Nobilium virginum Mecklenburgensium jus, Feudi usufructuarium (Erb-Jungfern-Recht).

Gymnasium Erfordiæ institutum.

Commercium Rostochiensium cum Danis.

Cœnobia Arnsbæck & Mariene instituuntur anno 1398.

(l) Hodie *Marne* i. e. *Marien-Ebe*, Monasterium Carthusiense, cui a consecratione divæ Mariæ facta vel a norma & *lege* ab eadem repetita nomen inditum est. *Ebe* enim vel *ee*, *e*, apud veteres Germanos idem est ac *Lex*, *regula*, *fides:* quod optime docuit *GOLDASTUS in paræneticis p. 367.* ubi occurrunt voces *Kristeneé*, *amté* i. e. Christianorum religio, officii norma, fides. Inde nota est formula Ehehafften, impedimenta juris. Sed de conjugio *D. Mariæ* appellationem cœnobii interpretatus est *JO. POSSELIUS in oratione de urbe Rostochio ad. a. 1560.* In Pomerania vero inclytum olim fuit cœnobium æque Carthusianum *Mariencron* Rügenwaldo propinquum, de cujus vetustis chartis ad manus quædam sunt, in quibus mentio fit *domus Legis Mariæ prope Rostock.* Idem asseritur *in libro antiquo donariorum cœnobii Mariencron ad a. 1444.* ubi hæc: *Henricus Prior Domus LEGIS MARIÆ prope Rostock & Paulus Prior Domus Templi prope Lubeck visitatores sunt Cœnobii Carthusiani Mariencron.* Docet hoc uberius *CHRIST. SCHÖTGEN in Historia hujus cœnobii* quam inseruit *Parti I. veteris & novæ Pomer. n. 2. p. 25. seqq.* Habetur quoque eadem vocis explicatio in veteri scripto, cujus titulus: *Incipit Registrum pactuum* (Pachte) *procuratoris LEGIS Mariæ ordinis Carthus. prope Rostock de a. 1468.* Ex quo paucula excerpsit *M. SCHROEDERUS in Primit. Wismar p. 379.* Quin *in diplomatibus Sverinensibus & chartis indulgentiarum* de annis 1402. 1417. 1437. ut & in literis *Conradi, Episcopi Havelbergensis, datis Wislnaci* an. 1440. quibus in reverentiam nominis S. Mariæ & in utilitatem Monasterii *Mariene* quadraginta dies indulgentiarum relaxavit,

Marionæum hodie Marne,

dictum a Regula Mariæ.

Unde appellatur domus Legis Mariæ.

Et in Pomerania.

Megapoli.

chium Carthusiani ambo instituti cæperunt. Et jam annus agebatur millesimus quadragesimus, quum Balthasar Herulorum Vandalorumque princeps Luconios hostiliter urgeret. At anno mox secundo *Hammopolitana* urbs piratas insignes nacta omnes ense ultore orco demisit. Et anno eodem inter Luconios Guilielmus quidam fraterculus candidus incedens, intus furvus, hæreticus deprehensus concrematus ibi est. Anno quarto Ericus Salosævici Dux, Albertus & Nicolaus Otfaciorum princeps Thitumeros infeliciter adgressi, cum armatis pene quingentis occubuerunt. *Octavo Consules Luconii expulsi, Consulatus novus e populo lectus. Nono idem Wismariæ accidit:* quo *anno Lipsaciorum academia cæpit*; refectorium Canonicorum exustum, *cœnobium divæ Brigittæ ad molas* excitatum. Undecimo bellum ingens inter Sarmatas & milites Teutonicos *subortum, quo occubuere Teutonici, victore* Vitoldo magno Neurorum principe. Decimo quarto concilium generale Constantiæ actum. Decimo sexto periit Constantiæ Joannes Hus Bohemus hæresiarcha declaratus, & mox Hieronymus, igne ambo ultore. *Decimo nono gymnasium Rostochianum institutum.* Et anno eo Luconii *Bergersdorpum* obsidione ingenti vastarunt. Ericum Saxonum ac Angrivariorum Ducem insultantem continuerunt. Vigesimo primo Fœdericus & Guilielmus germani, Saxonum Duces, Thuriorum Landgravii, Marchiones Soraborum Bojemos ad silvam Gabritam hostilia meditantes repressérunt victoria potiti. Quadragesimo quarto *Susatum* Istevonum, quum annos ducentos ferme & octoginta in Archiepiscopi Agrippini manu fide summa perstitisset, ad Adoulphum Clivensem ducem deficit. Quadragesimo quinto villico proxime Luconios filiæ nuptias faciente, incensa domo & subito præclusis igni foribus, Luconiorum centum octoginta fumo interemtorum elati, sponsis nudis evadentibus. Quadragesimo septimo Theodoricus a Morsa Archipræsul Agrippinus Susatum cum Bojemorum manu ingenti hostiliter cinxit duce Guilielmo Thuriorum Landgravio; quæ obsidio frustra soluta dolo, ut putant Apellonis Tannerodii, equitis tunc aurati ditissimi. Quinquagesimo tertio Byzantium a Mahumeto Turcarum Imperatore obsessum trecentis mortalium millibus, sicque urbs ea urbium omnium orbis pulcherrima in hostis potestatem venit. Quinquagesimo sexto gymnasium *Gryphosilviense* cœpit. Quinquagesimo octavo Mariæburgium, Borusco & Sarmatarum regia magistro magno divenditum, multis lacrymis relictum. Sexagesimo gymnasium Basiliense cœpit; quo anno Luconii piratas circiter triginta quinque ense ultore damnarunt. Sexagesimo tertio Guilielmus Thuriorum Landgravius, quum habuisset ante Pannonum regis filiam, Catharinam duxit Brandosteinianam ordinis equestris fœminam. Sexagesimo quarto expeditio in Turcas, Pio Pontifice Maximo instituta, quo Anconæ subito elato principes milite frequente pedem retro verterunt. Septuagesimo primo Udalricus *Sargatiorum* Dux elatus toxico, ut putant, extinctus. *Septuagesimo secundo* gymnasium Ingelstadiense cœpit, quod Chrysopolitanum. Septuagesimo quarto, Carolus Burgundionum dux Novæsium in Rheni ripa obsedit media ferme æstate. Septuagesimo nono Mahumedus Rhodum obsedit triremibus septuagenis trimestre frustra conterens amissa mortalium vi maxima. Octogesimo Daci & Mysii a Turcis bello pressi, Hydruntum expugnatum clade ingenti & miserabili. Apuli item a Mahumeto turbati; quo anno & *Hammopolitani* piratas quatuordecim sub Gerhardo Comite Aldenburgio ense ultore judicarunt. Octogesimo primo magnus Moscorum sive Roxalanorum princeps Lemoviorum gentem vastavit, quo anno defuncto Mahumedo regni Constantinopolitani vigesimo septimo, mense undecimo, die quinto Bajazetus filius major natu successit, qui Zaliabum germanum regno expulit: regnum itaque Asiæ minoris, quod est Turcarum Byzantiorumque, solus ille obtinuit. *Octogesimo secundo Maria, filia* Caroli Burgundionum Ducis, Maximiliani jam principis conjux, qui Fœderici tertii Cæsaris filius, equo venatrix excussa fato lachrymabili interiit. Octogesimo quinto Tridenti puellus Simeon a Judæis excarnificatus. Octogesimo sexto Carolus Burgundionum dux Lotharingiorum Ducem bello premens ab Helvetiis auxiliaribus apud Nasium misere occubuit; quo anno & Erphurdia incendio fere periit die Prothasii. Octogesimo septimo Magnus Moscorum princeps Neogardiam urbem populosissimam exspolians primores in transmigrationem coëgit, ad regnorum usque ultima conjugibus maritos alios dedit. Octogesimo octavo Halæ urbs Saxonum civium seditione, ne dicam proditione, in Archiepiscopi Parthenopolitani potestatem venit. Nonagesimo secundo facinus illud audacissimum in Christum ausi Judæi in *monte stellarum*, ditionis Herulorum. Nonagesimo quarto Lichenæ sive mentagræ Germanias infestarunt, aquis, ut putant, immodicis anni superioris. Nonagesimo quinto Betica sub academiam Christianam venit. Sed & Sophies Persarum Turcarum Imperatorem hostiliter disjecit. Palatinus bello a Guilielmo Hessorum Landgravio urgetur. Bononia per Julium Pontificem Maximum a Bentivolorum manu eripitur. Maximilianus Cæsar Bojemos Palatini auxiliares haud ita procul Danu-

Res gestæ Seculi XV. Lubecenses. Hamburgenses.
Ditmarsorum. Wismariensium.
Milium Teutonicorum.
Rostochii. Bergersdorp.
Saxonum.
Westphalorum.
Byzantii.
Gryphiswaldiæ. Mariæburgii.
Basilæ.
Holsatiæ.
Anconæ.
Stargardiæ.
Ingolstadii.
Turcarum.
Russorum.
Burgundionum.
Erfordiæ.
Halæ.
Sternbergæ.
Hispaniæ.
Persiæ.
Bononiæ.

dicto Cœnobio elogium tribuitur *venerabilium ac religiosorum virorum, Prioris, conventualium, hospitum ac noviciorum tam clericorum quam laicorum Domus Legis Mariæ prope Rostok ordinis Cartusiensis.* In Ditmarsia olim floruit cœnobium, quod in diplomatibus dicitur *Domus ad regulam Reginæ Virginis Mariæ*, cujus memoriam hodieque tuentur pagus *Marne seu Marienehe* dictus & Templum Marianum Divæ *Mariæ* ibidem olim nuncupatum.

de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.

Res Seculi XVI.

Mediolanenſes.

Dithmarſica.

Cruces cœleſtes.

Academiæ Witteb. & Francof.

Italicæ.

Helvetica.

Lubecenſes.

Friſicæ.

Danubio, profligavit. Et jam annus agebatur milleſimus quingenteſimus, quum Ludovicus Sforcia Dux Mediolanenſis captus, Helvetiorum videlicet dolo, & in Gallias perductus ditionem univerſam amiſit a Gallorum rege occupatam. Sed & Emanuel Luſitaniæ rex Indorum loca nonnulla cepit, quorum ſitum, mores ſcripſit Aloyſius Venetus. Alexander ſextus Pontifex Maximus Jubilæum publicavit. Joſephus Indus res Præſtani noſtris denarravit. Quinquageſimo Joannes Danorum rex Thitumeros populabundus exercitu lectiſſimo adgreſſus ab hoſtibus fuſus, millia ſuorum pene octo deſideravit, multis & ordinis equeſtris amiſſis. Quingenteſimo primo Philippus Maximiliani Cæſaris filius Hiſpanias intrat: cruces e cœlo locis Germaniarum variis labuntur veſtimentis hærentes. Sed & Sophies Perſarum Iſmael vaticinio inclytus floruit. Quingenteſimo ſecundo Neapolis a Gallis capitur, quo anno Albiburgienſe gymnaſium in Albis littore cœpit; at ſexto dein Francofurdienſe in Vindi ripa. Novo bella varia Gallias Italiamque turbarunt. Byzantii vero domus innumeræ & arces crebræ ruunt, inter quas regia imperatoris Turcarum. Maximilianus item Veronam a Venetis avulſit, Patavium, Terviſium duriter preſſit. Sed & Julius ſecundus Pontifex maximus Ravennam, Immolam, Faventiam, Forolivium a Venetorum manu abſtulit. Verum enim vero Bernæ Helvetiorum inſtituti prædicatorii fratres, quum puritati conceptionis Deiparæ virginis obgannire ſtudent & miraculo quodam nituntur illam imputare, igni ultore pœnas improbi dedere. Sed & terræ motus varii Italiam vexarunt. Duodecimo Luconii adverſus Joannem Danorum regem arma hoſtiliter moverunt, loca pleraque vaſtarunt. At decimo quarto Henricus Dux Brunopolitanus ſenior Friſios bello adortus adverſus Eſartum, illorum comitem ſtrenue belligeravit; ceterum ad Amiſuim amnem, dum incautius Martem meditatur, ictu bombardæ ſerpentariæ interiit vigilia divi Joannis Baptiſtæ. Decimo nono Duces Brunopolitani Ericus ac Henricus prælio adverſus Henricum Luneburgianum Ducem vigilia divorum Petri ac Pauli feliciter commiſerunt; quo captus Guilielmus, Ducis Henrici Brunopolitani germanus. Undevigeſimo item Carolus Philippi Hiſpaniarum regis filius, Maximiliani Cæſaris nepos, *rex Romanus electus*, nomine quintus, Aquas Granias cum equitum millibus ferme quatuor lectiſſimis, auro, argento omnifariam inſtratis, intravit die Octobris XXI. mox a Leone Pontifice Maximo Cæſar declaratus. Vigeſimo primo *Comitia in Vangionum urbe* inſigniter celebravit a menſe Februario in Junium usque, legatis ibi gentium diverſarum. Solutis vero comitiis Franciſcum Gallorum regem bello adortus in Gallias exercitu maximo movit, loca nonnulla illuſtria occupavit; inter quæ Mediolanum Inſubrum, Tornacum Nerviorum. Et anno eo Albertus magiſter profeſſionis Teutonicorum ſummus bella, quæ adverſus Sigismundum Sarmatarum regem geſſit, non ſine jactura inſigni poſuit. Chriſtiernus Danorum Rex *Suevos oceani hoſtiliter occupavit* & parta pace antiſtites aliquot, equites auratos multos & ordinis equeſtris viros complurimos orco *crudeliter demiſit*. Ericus & Henricus Brunopolitani Duces Hildeshemium præſulem Joannem Saxonum Angrivariorum & Iſtævonum Ducem diœceſi *ferme tota hoſtiliter exuerunt*. Turcarum Imperator Pannonas & Beſſerabas exercitu maximo divexavit, ditiones eorum ditiſſimas ſubegit. Vigeſimo ſecundo dogma MARTINI LUTHERI viri ex inſtituto divi Auguſtini, quum diu ante pullulaſſet, bonam magnamque Germaniarum oram pervaſit. Roſtochii in ædibus Thuriis, ad Calendas Martias Anno D XXII.

Aquisgranenſes.

Comitia Vangionum hoc eſt Wormatienſia.

Res Daniæ, Succiæ.

Hildesheimienſes.

Progreſſus Lutheranæ reformationis a. 1522.

XVI.

DE

VETERUM CIMBRORUM ALIORUMQUE SEPTENTRIONALIUM POPULORUM MIGRATIONIBUS

SELECTA COMMERCII LITERARII

JO. BINGII & CORVINI.

Bingii aſſertum.

PEné mihi exciderat jucundus ſimul ac eruditus tuus de Cimbrorum e patria exitu diſcurſus, cujus mentionem *Saxonem* ſicco præteriiſſe pede, (niſi me memoria fallit) affirmabas. Quod vero ego ſolida hiſtoriarum deſtitutus notitia contrarium aſſeruerim, id me non tam ſententiæ tuæ refellendæ cauſa (quod mihi religio ſit) quam profundi ingenii tui acumine aures ſimul ac animum paſcendi gratia feciſſe, exiſtimes velim. Primo itaque quod ex Saxone me demonſtraturum pollicitus fueram, probatum dabo. SAXO L. 8. p. 184. §. 2. edit. Havn. de an. 1575, e *Cimbricæ peregrinationis* (de qua mora controverſia) *meminit; cauſam vero exitus Cimbrorum alii aliam ſtatuunt.* Saxo dicto loco, nec non Velle-

Saxo Cimbrice peregrinationis meminit.

Idem facit Velleius.

Vellejus oda primæ partis suorum carminum quarta, putant Cimbros fame coactos, patrios deseruisse agros, alii æstubus Oceani perculsos; alii, inter quos Lætus, severioris imperii regimine perterritos patrium liquisse solum autumant, qua de re videatur Erasmus Lætus Libr. 3. rerum Danicarum p. 95. 96. Verum enim vero, si dictas Auctorum sententias ἄνευ προχείματος, justo veritatis æquilibrio pensiculemus, vereor, ne vix quidem assensum mereantur. Si etenim cum Saxone & Vellejo famem ejus rei, de qua controvertitur, causam dixeris, repugnantem habes rationem, dum namque annos bene multos nimirum quingentos (fides penes Lætum p. 65.) abunde unde vitam sustentarent alma dederit mater terra, cur non eadem magis magisque culta crescenti multitudini, quantum satis fuerit, suppeditasset? Accedit naturam paucis esse contentam, unde Starkoderus teste Saxone Libr. 6. p. 127. §. 2. Germanos ob nimium luxum perstringit, docens, vetustam Danorum gentem lautioris ac operosioris escæ alimenta respuisse. Nec prætereundum, parum abesse, quin stultitiæ imo vesaniæ notam, hac posita ratione, Cimbri incurrant, quippe qui bona præsentia cum incerti lucri spe commutarunt. Et unde quæso constabat Cimbris, exterorum regiones lætiores ac feliciores proferre proventus? Ego hoc equidem lumine meæ rationis non possum indagare; cum (quod ego sciam) nulla nobis hac in parte præluceant Historicorum monumenta, nisi forte Mercurius quidem Alipes huic genti in angulo orbis latitanti lætum hoc de opipara aliorum mensa Evangelium attulerit. Præterea si vel maxime in hanc descenderem sententiam, non tamen omnis ilico sublatus est scrupulus. Unde enim helluoni isti, cujus sit mentio p. 182. 183. Libr. 8. Saxonis, tanta potus copia, ut Regium Snionis edictum inexplebili sua ebrietate ter fecerit irritum. Non etenim ipsi magis, quam aliis ferebatur aut metebatur. Et hactenus de primi ordinis ratione. Si frementis aut sævientis Neptuni fluctus Cimbros sede sua expulisse contenderis, abunde (ut spero) tibi satisfaciet Erasmus Lætus libr. 3. rerum Dan. p. 95. Si denique cum Læto Cimbros imperii Saxonici impatientes suam cum peregrina terram mutasse affirmaveris, reclamat ipsius gentis indoles adversis quibusvis assueta, quæ (ut Saxonis itidem me patrocinio defendam) eo minus fortunæ cessit, quo miserius fortunæ suæ experimentum habuit; Ego autem (si judicium meum interponere liceat) non certe famem, non metum æquoris, non alieni hominis imperium, sed solum victricis famæ spem Cimbros e patria evocasse, (si modo finibus suis egressi sunt) non dubito asserere, quo hac ratione insignia victoriarum trophæa reversi conterraneis ostenderent, toti orbi terribiles demum futuri: Otia namque fastidire, paci militiam anteferre, virtutum non rerum æstimatione censeri, plurimum voluptatis in præliis, mininum in conviviis reponere; huic genti cum clarissimis quondam viris curæ extitisse (ut loquitur

Lati & aliorum sententiæ expendantur.

Fames non est causa migrationis.

Cimbri vesaniæ notam non incurrant.

Nulla præsident Historicorum monumenta.

Maris fluctus non est causa exitus.

Cimbri imperii Saxonici haud impatientes.

Unde e patria evocati.

de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.

Saxo) non est dubium. At in tanta sententiarum varietate, cui ceu veriori accedam, hæreo (non enim magis inter se conveniunt Historici, quam, ut de Philosophis vulgo fertur, horologia) quapropter vere Saxo noster Libr. 6. Ubi tradita magis quam cognita referuntur, ibi arbiter fidem penset. Amice itaque & officiose rogaris, Vir clarissime, ut ea, qua polles ingenii perspicacitate, quænam harum sententiarum vero sit proxima, prolixe edisseras, ut tandem animus meus tranquillus in tui honorem & amorem fervidior propendeat, ni etenim obstaret Saxonis gravissimi Scriptoris auctoritas, quæ huic narrationi probabilitatem aliquam videtur conciliare, non vereor sane hanc historiam cum innumeris aliis, quibus Saxonis nostri historica monumenta scatent, ad eos ablegare, qui fabulis conscribendis insignem conantur locare operam. Vale & prolixitati ignosce. Havniæ Anno 1643. Sept. Tui amantissimus J. BINGIUS.

Dissensus Historicorum.

Saxonis auctoritas.

* ** * **

QUod sub prandium tecum, mi Frater, paulo liberius & forte prolixius disserui, tibique me opposui, istam velim importunitatem ignoscat mihi tua humanitas, tamen adsertionis me nondum pudet, quippe egressiones populi Septentrionalis non temere confundendas monui, sed ut discretis locorum & personarum circumstantiis sint factæ: ita temporis pariter & denominationis disparitate sunt accipiendæ, credendæque: Sunt autem in universum quatuor memorabiles:

Prima & vetustissima Cimbrorum.
Secunda Gothorum.
Tertia famosa illa Longobardorum.
Quarta denique & novissima Normannorum.

Harum omnium excepta Longobardorum expeditione Saxo disertissimus ne meminit quidem, quod ego firmis & fide dignis Historiis & probabo & evincam.

Primam quod attinet, quæ Cimbrorum celebratur, vox Cimbria, Cimbrica & Cimbrica Chersonesus nusquam in toto opere Saxonis occurrit, teste, præter alios, Johanne Isaaco Pontano in Epistol. dedic. suæ rerum Danicarum historiæ his verbis: Quin & ante ista, inquit, quæ Cimbricæ Chersonesi populus, Angli, Vitæ, Saxones suis e sedibus in Britanniam transgressi egregia ac memoranda patrarint, dum eam Insulam obliterato gentis vocabulo & nominis & potestatis fecerint Angliam appellantes nusquam vel meminisse reperio. Hæc Pontanus.

Idem inter prandendum memini me dixisse Cimbriæ vocabulum a Saxone nusquam aut scriptum aut posteris relictum; & hujus rationis præsidio argutabar Cimbrorum egressionem Saxoni prætermissam esse. Quod certe tam liquidum, quam quod liquidissimum vel ei, qui semel Saxonianæ historiæ cursorium adjecerit oculum.

Facta est hæc eorum expeditio anno ante Christum in terris natum centesimo undecimo, qui fuit conditæ Romæ 640. Cajo Cælio

M. Joannis Corvini Responsio.

Egressiones gentium septentr. non confundendæ.

Quatuor memorabiles migrationes.

Saxo tantum Longobardorum meminit expeditionis.

Plutarchus in Mario.
Cluverus historiarum Epit. p. 211.
Vellejus Paterc. Lib. 2.
Epit. Livii L. 3. C. 3.
Eutrop. L. 5.
Cruf. L. 5. c. 15. 16.
Strab. L. 4.
Gellius L. 3. 9.

Apud Saxonem ne Cimbriæ quidem vocabulum occurrit.

Quando Cimbrorum expeditio facta.

Metello, & Cnejo Papyrio Carbone Conſulibus.

Witfeldii computatio. Haraldus Witfeldius Cimbrorum migrationem ſub Dano Rege factam ponit, variasque Regni Danici æras adducit. Quibus me nolo implicare, æram alioquin præcipuis ex Chronologis Funccio, Setho Calviſio, aliisque aſſcripſiſſem, ſed id minus fore neceſſarium duxi, quum inter nos epocharum nulla

Sola diſputatio eſt de numero & ordine. eſt mota controverſia, ſola diſputatio erat de numero & ordine.

Cur ſinibus ſuis Cimbri egreſſi? Cauſas, cur Cimbri Cherſoneſi ſuæ finibus exceſſiſſent, auctores duas tradunt, ſcilicet aut æſtum maris, aut gloriam victoriæque cupidinem, iis enim motos cauſis terram ultro reliquiſſe Cimbros, & vi armisque quæſitum novas apud exteros ſedes iviſſe contendunt. Quod autem in litteris ad me datis auctoritatem Saxonis Lib. 8. p. 185. p. 2. edit. Hafn. A.

Fruſtra adducitur Saxonis auctoritas. 1575. profers pro aſtruenda Cimbrorum peregrinatione (de qua mota fuit controverſia) ubique videris ex adducto Saxonis loco, qui eſt de hiſtoria LONGOBARDORUM, idem poſſe probare; id quam alieniſſimum eſt, neque unquam rem minus facis, quam cum hoc te facere putabis. Nam ut ſuperius memini, altum eſt in Saxone Cimbricæ expeditionis ſilentium, nulla vocabuli Cimbrici mentio, imo ex omnibus egreſſionibus unam illam LONGOBARDORUM deſcribendam ſibi ſumſit, nec alias ſive priores ſive poſteriores attigit.

Longobardi cum Cimbris confunduntur. Sunt igitur iſta plane ἀπροσδύνατα: Confundis etenim cum Cimbris Longobardos, qui a ſe invicem toto cælo, ſalo, tempore & nomine differunt. Andreas autem Vellejus, quem ad teſtimonium citaſti, a Saxone non eſt diverſus, ut recte aſſeruiſti, idemque quod Saxo & ait & firmat: Sed oda, quam eruditam *Vellejus* fecit, de ſolis Longobardis agit, Cimbros tacet.

De cauſis non prolixe diſputabo, quas affirmas auctores alias atque alias aſſignare: Sive namque fuerit annonæ incendium, ſive inundantis Oceani æſtus, id mihi perinde, qui Cimbris attribuo, quod tua dat opinio Longobardis. Læti mei teſtimonium allegatum de Cimbris recte expromis, ſed dum iterum utrosque populos confundis, a tua non ſtabit ſententia Lætus, qui Cimbros dicto loco canit, inferiore Longobardos. Hinc Erasmus ſupra p. 92.

Læti teſtimonium recte expromitur.

— — — *aſt quo*
Tempore, quo Dano tandem ſub Principe geſta
Iſta putem &c.

Argumento eſt Lætum multo inferius de pugna Cimbrorum cum Mario agere, nempe p. 125.

Et ſubjungit omnium clariſſime Eraſm. p. 131.

Proxima poſt Cimbros ſub Snione Rege profecta,
Longobardorum noſtris diſceſſit ab oris,
Multa manus — — —

Et infra fol. 165. ſequ. de Normannis.

Legendus eſt Crantzius. De hoc Cimbrorum egreſſu præter Witfeldium & Pontanum legendus eſt Crantzius in Dania Cap. 8. Libr. 5. qui cauſam ex Oceani æſtu Cimbros moventem cap. 9. 10. ridet; videatur etiam in Chorographica Daniæ deſcriptione Pontani Cimbrica Cherſoneſus Strabonis p. 643. Plinii, Taciti, & qui utrumque præceſſit Pomponii Melæ p. 646. Claudii Ptolomæi p. 640. Marciani Heracleotis p. 650. & cæterorum, imprimis ipſe Pontanus ſub initium Hiſtoriæ, quam eſt a Cimbrorum commigratione exorſus. His junge, ſi placet, Plutarchum, in Mario, Vellejum Paterculum Libr. 2. Epitomen Livii Libr. 3. c. 3. Eutropium L. 5. Oroſium L. 5. c. 15. 16. aliosque & in noſtris Joannis Cluveri Hiſtoriarum Epitomen. p. 211. Tantum de Cimbris Cimbrorumque e patria exceſſu.

Evolvendi alii ſcriptores.

Nunc ante rationes tuas expendere lubet, quam ſequentes expeditiones expediam. Licet id minus aut neceſſarium aut congruum ſit, cum ad Cimbros proprie non ſpectent. Ruunt enim una ruente principio, tamen ut tantum tribuam noſtræ amicitiæ, noſtrum utrumque iis diſcutiendis oblectabo. Atque ita habent: Cum namque (tua ſunt verba) annos bene multos nimirum 50. (fides penes Lætum) abunde, unde vitam ſuſtentarunt, alma dederit mater terra; Cur non eadem magis magisque culta creſcenti multitudine quantum ſatis fuerit, ſuppeditaſſet. Obtundis mihi meos Cimbros affingisque neſcio quas intemperias, neſcio quæ vitia! Verum annos iſtos 50. quomodo aut unde numeras non capio, meosne? quos poſui 50. ante Chriſtum natum. Vel quod demum obſervo 50. annis abunde terram proventum dediſſe. Ambagibus & argumentis multis non utar, unum inſtar omnium erit, eoque audito nullum mihi dubium, quin aut conticeſcas, aut juxta mecum ſentias. Videmus quotannis tam numero 50. confluxu ad circumjacentes inſulas & regiones evolare Cimbros, ut præ multitudine numerari nequeant, & audacter dixerim, ſub autumnum quovis anno ad Selandiam appellere (id enim tempus ſolum vertendi Cimbris ſolenne) ultra mille homines. Fionia quot accipiat, Scania quot? Ut taceam, adjacentes inſulas nec pauciores ſuis finibus complecti: Hæc ingens multitudo, qua ſe quotannis terra Cimbrica exonerat, ſi vel quinquenni ſpatio domi conſideret, immane quantum gens pullulando multiplicaretur, cum videamus poſt numeroſi iſtius gregis profectionem, nec domum vacuam neque familiam exhauſtam, imo vix obſervari e patriis penatibus exiiſſe vel unicum. Quod argumento eſt vel maximo, hodieque ponderoſiſſimo, olim gentem tam prolificam extitiſſe, paucorumque annorum ſpatio ita ſe diffudiſſe, ut ſui multitudine niſi terra allevata fuiſſet, liberataque vel fame vel alio interitu plerosque conficeret; Gentis enim iſtius prolis tam eſt fœcunda natura, ut ex uno prognatos parente quatuordecim, ſedecim, viginti & ſæpe plures liberos cognoſcas. Pater, a quo originis meæ manarunt principia, ex una matre eademque adhuc viva quatuordecim liberos ſuſtulit, documentum darurus aliis, ut ſi junctim ita ſoboleſcerent Cimbri, fore, ut brevi terra ſuis alumnis onerata quosdam ſi aleret, pleros-

Bingii rationes expenduntur.

Calculus 50. ante Chriſtum natum annorum.

Tempus ſolum vertendi Cimbris ſolenne.

Gens Cimbrica olim prolifica.

plerosque egereret. Et quod obſervandum, eo temporis tractu non uti nunc eſt moris in vicinas ſe regiones effundebant, triturandi aut ſervitium præſtandi gratia: Sed gens libera in libera Rep. nata ſuis fixa ſedibus una cum ſuis vivebat, donec ita tandem adeo conferti bonitate quadam prolificæ naturæ extiterint, ut, aut ipſis ſecedendum eſſet, aut inedia pereundum. Eſto igitur: abunde ſatis, unde vitam ſuſtentarent, alma mater terra dederit; dedit ſane, & ſi non dederit, dediſſet ponamus, tamen quid iſta datio inter tam multos? neque unquam tam alma ulli cognita eſt mater, ut una omnes aut plerosque omnes alere aut voluerit aut potuerit. Sit etiam quod culta adeoque cultu magis magisque ſit ſubacta: An una propterea gleba, ligone, raſtro, aratro proſciſſa, tertiata, offracta, occata, lyrata par tantæ multitudini? ponamus calculum. Sit pater pauperculus tanti agelli poſſeſſor, quantum vel par boum uno die peraret, & huic paſcendi præter uxorem, & multas filias viginti numero filii (quo enim quis pauperior, hoc otioſius liberis dat operam) ſint etiam ex hiſce uxorati nonnulli, omnes autem quotquot ſint alendi, ſunt ex paterna gleba, aliunde cum non eſſet, unde vivant ſolique ſint cum operis in tanta multitudine nemini eſſet opus.

In libera Republica vixit.

Tam alma nulla mater eſt, ut omnes poſſit alere.

Jam vero demus ex his omnibus omni ſolicitudine coli agellum, non tanta hinc frugum ubertas, ut tam ingens alatur multitudo? non opinor, ſi vel centuplum ferat; ſed ad hoc tuum arg. quæ ſint contra adducta ſufficiant. Pergis autem: Accedit naturam paucis eſſe contentam. Mallem epitheton naturæ maximam adjeciſſes, & ſemper excluſiſſes. Hæc enim particula axioma alioquin verum ſubvertit, noſti mores puerorum Herlovianorum, eorum hercle natura non ſemper eſt paucis contenta, noſti triturantium inexplebilem edendi aviditatem, noſti helluonum gulam & ingluviem. Atque exemplum qui adducis Starcateri in Germanorum luxum & prodigalitatem invehentis, tuomet te jugulas gladio; Starcaterum, qui Teutonum opipara & exquiſita bellaria, lautitias atque cupedias culpat, hominem auſteræ vitæ, tenuique victu latrantem ſtomachum placare ſolitum equidem largior. At vero dum Saxo Grammaticus fatetur Starcaterum pane bis cocto rancidoque lardo & cereviſia Danica contentum vixiſſe, natura nullam paucitatem admetitur. Quando enim tantum panis & lardi Starcaterus adhibuiſſet, quantum jejunum & famelicum ventrem ſaturaret, contentus fuiſſe credatur. Hem vero quantum tu id judicas fuiſſe, modicum ſcilicet, & quod tam monſtroſæ granditatis ſtomacho ſufficeret.

Natura haud ſemper paucis contenta.

Exemplum Starcateri.

Carm. 21. libr. 1.

16.

Femten oxe-kroppe dem ord hun op
Dertil tredeve Svine Flykke
Siu hundrede Bröd hendes maaltid vaar
För hun begiært at drikke.

17.

Vel tolf læſter öl dem drak hun ud,
Förend hun kunde törſten Slykke:
End drak hun uden hankeballe,
Saa tog hun tie at bikke.
Saa vinder mand Sverkind.

Vel forſan verius ex ſexta:

25.

De fulde Bruden i kammeret ind
At æde der Frue-koſt:
Hun oed der op five tönder gröd,
De ſmagte hende allerbeſt.
Vel op för dag vi Kommer vel over den heede.

26.

Vel ſexten oxe kroppe torg hun dertil,
Og atten ſvine Flykke:
Siv tönder öl drak hun dertil
För hun torg til at bikke &c.

His nullus dapum luxus & delitiæ, pultis, panis, carnis & lardi, victus ruſticani ſit mentio. Sed qualis & quanta natura, tanta Chœnix, tanta menſura; jam vero tecum expende eo ſeculo homines ut majoris ſtaturæ ita capacioribus ventribus ſibi plus cibi immerſiſſe; Quid multis? notum eſt exemplum multo recentius Suenonis Feldingii. Sed pedem promoveo, nec prætereundum, ita ſcribere pergis, parum abeſſe, quin ſtultitiæ imo veſaniæ notam hac poſita ratione Cimbri incurrant, quippe qui bona præſentia cum incerti lucri ſpe commutarunt. Quid audio? vos mei Cimbri ſtultine facti eſtis? Num veſani fuiſtis? Si id ante ſciviſſem, vos dudum, ſi fieri per me potuiſſet, ad ſanitatem redegiſſem, quo autem jam poſſum modo, cum ſero medicina paretur? Sed ita curatum eo, non chirurgi more, qui ſolet enſe recidere

Aliud Suenonis Feldingii.

An veſani fuerint Cimbri?

- - - - - Ne pars ſincera trahatur,

ſed emplaſtrum vulneri imponam blande ſolando, & lente curando. Soli quippe ſtulti non eſtis, vos Cimbri, totus mundus ludit idem drama deſipiens, delirans, ut præ illo gens Cimbrica ſapere videatur: Sed largior ſtultitiæ vos affines fuiſſe, quod veſani præterea fueritis mihi de vobis nunquam eſt aut auditum aut lectum: Sed quæro a vobis: cur ita bona præſentia cum incerti lucri ſpe commutaſtis? Reſpondemus omnes & ſinguli, quotquot ſumus Cimbri. Objicis bona! bona, inquimus, hæccine tibi videntur bona anniverſaria, Oceani diluvie nos, domos & pecora obrui, auferri, ſubmergi? hæccine vocas bona? terræ ſterilitate premi, rerum inopia laborare, fame ad inſtar NB. cuneæ ringi. An, quod recte cecinit ſympatriota noſter Erasmus Lætus, Gothorum immani odio pelli, pulſosque iniqua pace vivere. Iſta ſane ſi bona ſunt, quæ, dic, unquam & usquam ſint mala? Iſta bona cum quovis permutare ſumus parati, eaque aliis ultro largimur, incerti lucri ſpem præferentes. Nam, quod ajunt Noſtrates, peſſimis quibusque pejus nihil poteſt accedere, vero conſentaneum fuit. Et unde quæſo, pergis clariſſime, conſtabat Cimbris exterorum regiones lautiores ac feliciores proferre proventus? Hic reticeam? an loquar? unde quæſo etiamnum iisdem conſtat lautius ali in Selandia quam in Patria, in Fionia degi nitidius quam domi, neſcio mehercle, unde auribus hauriant. Nam multi

Cur certa cum incertis commutaverint?

NB.

Unde conſtiterit, exterorum Regiones lautiores?

quidem huc proficiſcuntur quotannis, ſed paucisſimi redeunt, quaſi qui olim denſo agmine nuptias Regis Waldemari petierunt, quorum nulli unquam repedarunt, ibant ad nuptias Regis, a nuptiis autem nunquam redibant, *Alle droge til og nigen Fra. Alt hor de ſaa höret brarlille.* Sed ut tuæ humanitati ſatisfaciam, Cimbrisque Mercurium ſeu viæ ducem aſsignem: Cimbrica Cherſoneſus eſt continens Teutoniæ ſive Allemanniæ contermina. Patria itaque effuſi via recta contenderunt & quaſi errabundi incertis ſedibus auſtrum verſus prædati ſunt, quod affirmat Strabo, donec in Italiam extremam ferme oram pervenerant, ibique loci amœnitate vel forte neceſsitate allecti ſedes figere & collocare ſtatuerint. Non enim opinandum eſt Cimbros per maria tranſiiſſe, quemadmodum Longobardos, Gothos & Normannos. E Cimbria recte per Saxoniam orientem verſus iter fecerunt, donec tandem Italia effuſam multitudinem ceperit.

Cimbrica Cherſoneſus Teutoniæ contermina.

Cimbri caſu in Italiam venerunt.

Recte per Saxoniam iter fecerunt.

Pro hellùone iſto ſit mihi argumentum ſumptum a ditiori quodam ruſtico, noſtratibus: Bondeſoget; qui plus aliis poſſedit, ſuamque ex iis, quæ habuit, cuticulam curare voluit. Neque enim ita eſt ex candefacta annona, ut ſit præ aliis, qui lautioribus vivat conditionibus; ut taceam exemplum iſtud Hiſtoriæ contextum non ſubruere: Una quippe hirundo non facit ver. Undecunque habuerit, noſtrum hercle non eſt diſſerere. Id verum, ſi vera hiſtoria, quod habuerit, & in medio annonæ incendio non tam turpiter quam ridicule abuſus fuerit. Et quid multis moror? Hæc ἀπροσδιόνυσα ſunt Longobardis propria. Fateor Erasmum refelliſſe rationem ab æſtu petitam. Neque id ego unquam affirmavi. Tamen non dubius addiderim Oceani inundantis πλημμύραν veram cauſam fuiſſe. Verum hic mihi videntur lippire multi, qui fluxum & refluxum cum portentoſis Oceani diluviis, qualia nonnulla & noſtra memoria facta meminimus, inſcienter confundunt. Verum quam omnibus ridiculum eſſet, fluxu & refluxu, certis ac definitis intervallis recurrentibus, ita terreri Cimbros, ut ſe loco moverent. Itaque id qui aſſerunt Autores, inuſitatas aquarum eluvies intellectas volunt, quibus templa, ædes, cum omnibus, quæ in iis ſunt, imo parochiæ & provinciæ ita inundantur, ut aquæ ſubeant, aridæ nullum relinquentes veſtigium.

Argumentum a ditiori ruſtico ſumptum.

Oceani inundatio cauſa fuit migrationis.

Perperam de fluxu & refluxu maris hoc intelligitur.

De impatientia imperii nihil in præſens reſpondeo, nam non recte habes, quo te tuteris, Saxonem, quod jam ſæpe dixi. Sed quod ſubjungas ſolam victricis famæ ſpem Cimbros e patria evocaſſe, id magni facio, & ſupra idem ex auctoribus eſt aſtructum.

Victricis famæ ſpes, Cimbros e patria evocat.

Ad extremum, noli Saxoni notam impingere ſive fabulæ ſive inconvenientiæ. Quod enim is non ſcripſit, idem neque aſſeruit. Longobardorum ſolam Hiſtoriam attigit, eamque parce ſatis, reliquorum omnium migrationibus ſcribendi conſilio noſtro, quo ſuperſedit. Summa omnium huc redit, Hiſtoriarum confuſionem ſcrupulum tibi injeciſſe, qua ſublata, migrationes noſtræ gentis ſibi arcte cohærent, & ordine non interrupto, ſequuntur una alteram. Memineris præterea, gentes diverſas diverſis temporibus exiiſſe, ſibique nomen & gloriam ingentem peperiſſe, atque poſteris ſciendi cupiditatem reliquiſſe. Tantum de Cimbrorum expeditionibus.

Hiſtoriarum confuſio ſublata.

Nunc de proxima, quæ eſt Gothorum, emigratione dicendum. Ea autem a Saxone neglecta quidem eſt: cujus rei teſtem adduco præter alios, Joh. Iſaacum Pontanum in Epiſtola hiſtorici operis dedicatoria, ita diſſerentem: Saxo Gothorum ſeu Vandalorum nullam mentionem fecit. Hos egreſſos ſcribit Pontanus Libr. 2. p. 59. circa annum Chriſti 190. a Scandia vicinisque Inſulis, ubi legas plura de iisdem. Crantzius ſuum calculum reducit ad annum mundi 3790. vide Crantzii Sveciam & imprimis Joh. Magnum Gothum.

Gallorum emigratio a Saxone neglecta. Provocatur ad Pontanum.

Crantzii & Joh. Magni calculus.

Neque plura heic addo, cum digitum tantum in emigrationum ordinem & annos intendam, cum omnia perſequi non ſit animus, neque operæ ducam pretium, te imprimis Lectore, qui hæc omnia me longe clarius & melius cognoviſti: Docto enim & erudito Viro perfacile eſt; Ex ungue leonem æſtimare.

Proximi ponendi ſunt Longobardi circa annum poſt natum Chriſtum 484. egreſſi. v. Joh. Pontanum noſtrum L. I. p. 35. in vita Snionis. Horum ſolum Emigrationem Saxo deſcripſit, omniaque, quæ habes, de Cimbris ex eorundem hiſtoricis contra hiſtoriæ ſeriem & veritatem perperam detorta ſunt.

Quando Longobardi egreſſi.

Egreſſum Longobardorum Alſtedius applicat anno Chriſti 393. videatur Haraldi Huitfeldii Chronicon I. p. 24. Crantzius in Dania, Wolfgangus Lazius de migratione gentium Libr. 12. Johan. Gothus Libr. 8. Cauſas ab Autoribus variis varias aſſignatas non memorabo; Lege ſis apud Crantzium Libr. 2. cap. 21. p. m. 73. Libr. 2. c. 25. Libr. 9. c. 1. 2. 3. 4. 5. Neque indignus eſt lectu Cluverus p. 401. 408. Annales Friſiæ. Gregorius Turonenſis; Procopius. Hæc de Longobardis attuliſſe ſchediasmata ſufficiant.

Alſtedii & aliorum computus.

Quarta tandem & ultima Borealium expeditio eſt Normannorum, Duce Biornone Jernſide filio Loth Brogi ad annum 857. adi Pontanum Libr. 4. 105. Hujus egreſſus neque meminit Saxo, teſte Pontano his verbis: Et eam etiam (prætereundo) expeditionem, quæ omni ævo memorabilis, & qua Galliæ laciniam Boreæ hi populi ſuam fecerunt. Crantzius Libr. 3. c. 6. in Norwegia. Joh. Cluveri Epitome hiſtoriarum p. 440. legatur una cum ſcripto Wormii nuper publicato, quod inſcribitur Regum Daniæ ſeries duplex Runica p. 13. Hactenus quadruplex quatuor diverſis vicibus facta Septentrionalium egreſſio.

Normannorum expeditio.

* * * * * *

VEritatem, clariſsime Dn. M. Corvine, Frater & Amice conjunctiſsime animi noſtri pabulum eſſe, non ſine cauſa, monet ſubtilitatum

Bingii Responſio.

rum Magister Scaliger exerc. 148. Sect. 4. p. 501. cujus obtinendæ gratia unusquisque sua quoque propria, meliora edoctus, non degravabitur refutare docente Aristotele 1. Eth. 4. & Scalig. exerc. 6. Sect. 4. p. 29. Sed tam densis, (hac præsertim scripturientium tempestate) obscurata est (proh dolor!) tenebris, ut ad ipsius lumen, si quod tandem nobis affulserit, tanquam nyctcoracis oculi, ut loquitur Aristot. 2. Metaph. 1. mentis nostræ acies obtenebretur, unde (si quid recti judico) Scepticorum sive Ephecticorum ἐποχὴ, veritatem ex sententia Democriti, profundo immersam puteo confirmans. Et quamvis quælibet facultas & scientia sua habeat principia, quibus ceu solidiori basi reliqua omnia dogmata superstruuntur, tamen cum conclusiones ex istis deductæ principiis, pro ingeniorum diversitate varient; non mirum, unde tanta sententiarum divortia, tanta auctorum discrepantia. Expertus est non sine summo Christianæ Reipub. damno Theologicus pulpitus varias ejusmodi, & alienas e diversis principiis elicitas conclusiones. Experta est Philosophia vera & sobria & etiamnum quotidie experitur plurima Philosophantium Sophismata, quibus donum hoc singulare Dei obscurari magis quam illustrari, everti potius quam promoveri, testis quotidiana loquitur experientia; nec historia, quæ auctore Cicerone, Lib. 2. de Orat. testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis appellatur, meliore gaudet fato. Primam equidem legem historiæ esse, ne quid falsi dicere audeat, alteram ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis, e Tullio quoque discimus. Ast, bone Deus, ubi in plurimis Historicorum scriptis historiarum anima veritas! Quantus inter Historicos, non modo quoad æram & circumstantias rei, sed etiam quoad rem ipsam sese offerat dissensus, norunt omnes, qui cœlama terra norunt distare. Hinc Lætus Libr. 3. Rer. Danic. p. 93.

Veritas profundo immersa puteo.

In omnibus scientiis sententiarum deprehenduntur divortia.

Magnus inter Historicos dissensus.

- - - - sola est Ecclesia, veras
Quæ rerum formas & nil dubitabile narrat.

Nolo tenacius urgere Verrii Flacci & aliorum opinionem, quæ, si Gellio credimus Libr. 5. c. 18. historiam asserit earum proprie rerum narrationem esse, quibus rebus gerendis interfuerit is, qui narrat; Accedamus modo Græcos, Romanos, aliosque exteros, mirus sane consensus, mira resonat harmonia! Græcis Historicis plerumque Poeticæ similis est licentia, ait Quintilianus Lib. 2. inst. Orat. c. 4. Et Lætus noster p. 94. de Græcis ita canit:

Testimoniis veritatem comprobatur.

Multa illis sunt certa, at rursus multa labascunt
Non constante fide. Corrupit fabula verum,
Et nihil explorata velut rectissima pandit.
Et tamen insistit fictis narratio. Falsis
Falsa struit: dubioque lacus e fonte profundit.

De antiquis Gentis Romanæ Scriptoribus in præfat. operis sui historici ita loquitur Livius: Quæ ante conditam, condendamque urbem poëticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, ea nec affirmare, nec refellere in animo est. His accedit innata omnibus gloriæ cupido, quæ plurimis persuadet, ut res aliorum præclare gestas ad gentis suæ ornamenta, quacunque tandem via licear, trahant; qua de re eleganter quoque Livius Libr. 8. c. 40. hunc in modum: Familia ad se quæque famam rerum gestarum honorumque, fallente mendacio, trahit. Exempla de facili apponerem, ni propositi mei ratio prolixitati invideret. Atque hæ præcipue causæ videntur, cur historica monumenta ceu minus vera, omnium jam fere manibus excussa tineis ac blattis, summo cum literariæ Reipub. detrimento objiciuntur. Verum ne Exterorum nævis producendis totum hunc discursum impendisse videar, age clarissime D. M. Corvine, pedem ad rem ipsam, de qua controvertitur, promoventes, paucis excutiamus, nonne quam Saxo temporibus Snionis annumeravit expeditio, Cimbrica jure dici mereatur, quamvis Longobardis videatur tributa. Conticescerem equidem, te imperante p. 7. tuæ resp., ni tuæ in me benevolentiæ, & sinceri amoris spes ad uberiorem veritatis indagationem animaret, quo fretus, ulteriora tentans non dubito, quin pro singulari tua humanitate, placida fronte, quicquid replicæ loco ex tenui historiarum penu ingenii mei tenuitas deprompserit, excipias.

Hinc monumenta historica sæpe plane negliguntur.

Res ipsa expeditur.

Acute & eleganter mones, Vir Clarissime p. 1. & 19. tuæ resp. non temere confundendas esse populi septentrionalis egressiones, sed ut discretis locorum & personarum circumstantiis factas, ita temporis pariter & denominationis disparitate accipiendas credendasque. Mente, ni fallor, ejusmodi historia credenda, non corde autumas, proinde liberum cuique relinquas necesse est, ex suo ingenio addere vel demere fidem iis præsertim, quæ assertive magis, quam demonstrative proponuntur. Quanta incommoda in Theologorum pariter ac Philosophorum scholam introduxerit prava vocabulorum confusio, amphibologiæ & Homonymiæ, stupidum adeo neminem esse puto, qui non intelligit, vere proinde Philosophorum Coryphæus 1. de cœlo c. 1. Intellectus noster tam diu incertus ac dubius persistit, quam diu vocabulum πολύσημον adest, certa namque vocis terminatione nondum facta, certi quoque nihil intelligere possumus. Huic malo occursurus Scaliger suadet exerc. 317. sect. 1. sine distinctionis tum venia, tum arbitrio haud quicquam esse dicendum, cui adstipulatur Erasmus in Encomio Moriæ. p. 220. his verbis: Nihil vulcaniis vinculis ita potest irretiri, quin elabatur distinctionibus, quibus omnes nodi adeo facile secantur, ut non Tenedia bipenni melius. Evitata hoc monito confusionis charybdi, quatuor nominas Arctoi populi expeditiones: 1. Cimbrorum. 2. Gothorum. 3. Longobardorum & 4. denique Normannorum. De hoc ordine nihil inpræsentiarum agam, cum inter nos de expeditione sub Snione facta tantum controvertatur, quamvis non

Non temere confundendæ populi septentrionalis egressiones.

Incommoda ex vocabulorum confusione orta.

Quomodo huic malo occurrendum.

De expeditione sub Snione controvertitur.

non desint, qui diversum ac certiorem forte afferunt.

Cimbrorum migratio a Saxone non prætermissa.

Affirmabam in mea ad te data Epistola, Cimbrorum migrationem a Saxone tantum abest, prætermissam esse, ut vel maxime in historia Regis Snionis, non obscura ejus facta sit mentio, quibus meis verbis, quasi aperta fronte cum veritate pugnarent, apertum indicis bellum, contrarium firmis ac fide dignis Historicis (ut ais) probaturus. Urges proinde p. 1. Saxonem diligentissimum, excepta Longobardorum expeditione, Cimbrorum, Gothorum, nec non Normannorum ne meminisse quidem, quod certe tam liquidum putas p. 2. quam quod liquidissimum, vel ei, qui semel Saxonianæ historiæ cursorium adjecerit oculum. Huic assertioni probabilitatem aliquam conciliaturus, audacter pronuncias, vocem Cimbriam, Cimbricam vel Cimbricam Chersonesum nuspiam in toto opere Saxonis occurrere, teste præter alios (quos nominare operæ forsan pretium non duxisti) Clarissimo & Eruditissimo Viro Joh. Pontano in Epistola dedicat. suæ rerum Dan. historiæ his verbis: Quin & ante ista, quæ Cimbricæ Chersonesi populus, Angli, Vitæ, Saxones suis e sedibus in Britanniam transgressi egregia & memoranda parrarint, dum eam Insulam, obliterato gentis vocabulo & nominis & potestatis suæ fecerint, Angliam appellantes, & hæc ratio est, cujus præsidio argutabaris, Cimbrorum expeditionem Saxoni prætermissam esse, ut ipse p. 2. aperte fateris. Miror ego, Vir clarissime, qui fiat, quod Pontanum in testimonium voces, cum ipse Saxo noster optimus suorum verborum interpres, facilis sit motæ controversiæ Judex. Nam quem ex verbis Pontani a te allegatis exsculpere conaris sensum, vix assentiente Auctore obtinebis. Postquam etenim monstraverat, Saxonem Clementissimi Regis nostri proavos, ac debitam Regum Daniæ seriem sine certis annorum NB aut temporis æris levi tantum brachio perstrinxisse, ne verbis exempla deessent, varia pro firmanda sua sententia adducit, quæ inter citatum a te testimonium occurrit, monstrans Saxonem Cimbrorum de Anglis reportata trophæa præter multa alia æterna memoria digna, alto quoque involvisse silentio; dicit enim Cimbricæ Chersonesi populum, Anglos, Vitas, Saxones suis e sedibus in Britanniam transgressos obliterato gentis (Britannicæ sc.) vocabulo & nominis & potestatis suæ fecisse, Angliam appellantes; quam glossam ne gratis attulisse videar, evolvatur Lib. 2. ejusdem operis p. 58. ubi eadem fere verba hunc in modum fluunt: Antiquato Cimbrorum vocabulo, protulit mox idem hic tractus Rugis suos Gothos, Vandalos, qui & Romam & imperium in totum pessundedere. Atque illis vicissim aut obsoletis aut languescentibus emersere ex eadem continuo gentium officina Angli, Vitæ, Saxones, qui transgressi in Britanniam, obliterato vetustæ gentis vocabulo, potissimam Insulæ partem & nominis & potestatis suæ fecerunt, Angliam appellantes. Vide quoque, si placuerit, Libr. 3. p. 86. ubi hæc verba a capite statim paginæ occurrunt. Hic ille est Egbertus, qui antiquato ipsius Britanniæ vocabulo, ut sui generis ac gentis memoria perpetuo obtineret, simulque ut jure uno, eodemque nomine universus censeretur populus, primus Britanniam Angliam, ipsamque gentem ad memoriam majorum, quos e CimbricaChersoneso profectos primo jam ante memoratum, Anglos appellarit. Ex his facile colligere ipse potes, quam arenoso fundamento assertionis tuæ arcem superstruxisti. Et si vel maxime largirer, vocem Cimbriam, Cimbricam vel Cimbricam Chersonesum in toto opere Saxonis non occurrere (non enim de voce sed re ipsa disceptamus) quid tandem de Jutia, Jutis dicemus, num hæ quoque voces in Saxonis opere raræ aut prorsus peregrinæ? Vix, scio, affirmabis. At Cimbriæ latius quam Jutiæ vocabulum extendi, regeres. Fateor. Pedem fige, & Saxonis de situ Daniæ prologum cursorio percurre oculo, ubi ita infit: Jutia granditatis inchoamentique ratione, Danici regni principium tenet, quæ sicut positione prior, ita situ porrectior Teutoniæ finibus admovetur, a cujus complexu fluminis Eydori incurvatione discreta, cum aliquando latitudinis excremento septentrionem versus in Norici freti latus excurrit. Sinui, qui Lymicus appellatur, Fresia minor adjacet, quæ a Jutiæ prominentia subsidentium camporum ac gremii divexioris inclinata recessu, maximos frugum proventus, beneficio Oceani inundantis assequitur. Post Jutiam insulam ad orientem versus Fionia reperitur. His adjungi possunt, quæ clariss. Pontanus in Chorographia Daniæ de Cimbrica Chersoneso, e Strabone, Plinio, Tacito, Mela differit disertissime; ubi tractus hic a Saxone delineatus mutuo Cimbriæ & Jutiæ nomine venit: Nec accuratissimum Saxonis interpretem Andream Wellejum vocem Jutiam generaliori nomine Judland vertisse ausum auguror, ni doctissimo viro abunde constitisset, jam laxiore, jam strictiore loquendi consuetudine Cimbriam usurpari; ruit proinde argumenti tui vis: Vox Cimbria in toto opere Saxonis non occurrit. Ergo neque expeditionis Cimbricæ gentis, Jutarum videlicet, mentio ulla. Atque hæc de voce Cimbria & Jutia.

Secus visum est Corvino.

Potiora illius argumenta.

Si vocem Cimbriam omisit Saxo, quid de Jutia dicendum?

Male Pontanus in testimonium vocatur.

Probatur ulterius.

Tractus a Saxone delineatus Cimbriæ & Jutiæ nomine venit.

Ad æram descensurus Pontanum Libr I. hist. p. 1. & Tacitum Libr. de moribus Germ. secutus, annum Cimbricæ expeditioni tribuis centesimum undecimum ante natum Christum, qui calculus tantum abest scrupulum penitus eximat, ut potius subnexa Witfeldii & aliorum mentione altius imprimat. Verum cum inter nos (ut ipse p. 2. ais) epocharum nulla mora fuerit controversia, ad reliqua transeo, in spem certam erectus fore, ut Chronologorum hac de re dissentientes sententias, ea qua polles ingenii perspicuitate, conciliare non degraveris.

De æra Pontani & aliorum dispicitur.

Enumerabam ego, (quantum ex historicis colligere licuerat) tres migrationis populi Cimbrici causas. 1. æstum videlicet maris. 2. imperii Saxonici jugum. 3. denique fortissimum adversitatis telum famem, qui quartam, ceu

Transitio ad causas migrationis Cimbricæ.

ceu minus vulgarem a Pontano edoctus annexui gloriæ victoriæque cupidinem, ne bellicosissimæ genti aliqua inconstantiæ aut impatientiæ nota, quæ inter viros quadrato (quales olim Cimbri) ut cum Stoicis loquar, audiri vix debet, inureretur. At cur duas tantum Auctores tradidisse p. 3. asseruisti, non quidem cepissem, nisi p. 4. & 21. ingenue significasses de causis non prolixe te disputaturum, proindeque tibi perinde esse, sive annonæ incendium, sive inundantis Oceani æstum Cimbricæ peregrinationis causam arripiam, modo Longobardis tribuam, quod Cimbris mea dat opinio.

His ceu præliminaribus præmissis, arcem ipsius controversiæ invadam, munimenta fortiter expugnaturus aut strenue occubiturus, in veritatis namque schola pulchrum vincere & vinci. Saxonem rerum Danicarum Historicum nunquam satis laudandum pro Cimbrorum expeditione allegavi, cujus opus Historicum nativo elegantiarum flore ornatum cum foruli mei desiderarent, auxilio domestico usus ad Andr. Wellejum, non infeliciore successu ac Danici sermonis ornamento Historicum nostrum transferentem me contuli, paragraphum p. 184. Lib. 8. Edit. Hafn 1575. citans, qui nativa Saxoniana elegantia donatus fol. 85. edit. Paris. his extat verbis: Primum Blechingiam advecti ac deinde Borringiam præternavigantes, ad Guthlandiam se appulerunt, ubi & Paulo teste Auctore Frig Dea, Longobardorum vocabulum, quorum postea gentem condiderunt, traduntur adepti. Hæc pro firmanda mea sententia adducta non modo ἀπροσδυόνυσα & crassam Longobardorum cum Cimbris confusionem p. 4. proclamas, sed etiam p. 3. ne quid gravius dicas, aperte pronuncias, me rem nihil minus facere, quam cum hoc me facere putem, & p. 20. ita scribis: Longobardorum solum emigrationem Saxo descripsit, omniaque quæ habes de Cimbris, ex eorundem historiis contra historiæ seriem & veritatem perperam detorta sunt: Verbis fidem facturus, quæ p. 1. attulisti momenta, hic itidem p. 3. repetis, quibus alia duo, ne rationes qualescunque deessent, adjungis: Alterum p. 3. ubi in hæc solveris verba: Ex omnibus egressionibus unam illam Longobardorum describendam sibi sumsit (Saxo) nec alios sive priores sive posteriores attigit. Alterum p. 4. hac verborum forma proponis: Confundis cum Cimbris Longobardos, qui a se invicem toto cœlo, sălo, tempore & nomine differunt.

In veritatis Schola pulcrum vincere & vinci. Saxo laudatus.

Locus ex eadem scripture adductus.

Nec prater rem & frustra.

Prius cum posteriori ad Lydium veritatis lapidem examinaturus, differre hoc nostro seculo a Cimbris Longobardos (si quos a Caroli Magni potestate ereptos humanæ sorti superstites etiamnum servavit fortuna) largior, at tempore Snionis, toto cœlo, sălo, tempore & nomine num Longobardi (quorum apud Saxonem mentio) ante expeditionem a Cimbris diversi fuerint, cum prægnantes satis non habeam rationes paucis videamus. Cimbros pariter ac Danos omnes αὐτόχθονας & Aborigines esse, neminem eo dementiæ perveniisse puto, ut credat, cum sacra Mosis historia abunde doceat, tres Noæ filios numerosiore prole adauctos ab Armeniæ montibus, ubi arca hæserat, in diversos terræ cardines secessisse, & per orbis vastitatem gentes propagasse, ut ex Epitome Cambdeni p. 13. loquitur Pontanus in Chorographia Daniæ p. 641. Ad Cimbricam vero Chersonesum ex eorum posteris quosdam perveniisse, cum ipsa ratio, tum gentis nostræ Historici luce meridianaclarius demonstrant. Audiamus Lyscandrum Lib. 3. Geneal. Reg. Dan. part. 1. p. 18. 19. sq., qui Cimbricæ gentis originem & nomenclationem Anschani filio Gomeri, ex Japheto oriundi tribuit, astipulante Regnero Witellio in Epitome Britanniæ Cambdeni p. 14. his verbis: Gomerus Gomeris, qui postea Cimbri & Cimmerii dicti in his ultimis Europæ finibus & originem dedit & nomen imposuit. Nec dissentit Peucerus Libr. 2. Chron. Carionis p. m. 169. in hæc erumpens verba: Consentaneum est ex oriente progressos esse Cimmerios ad hoc nostrum littus, sicut aliæ gentes vicinæ progressæ sunt Getæ, Dai, Suevi &c. Ast, audio, inquies, Cimbrorum nomen, unde tandem Longobardi? Nolo diductis periodis in veram nominis Longobardici etymologiam inquirere, cum quot de eorum gestis extent Historici, tot diversas deprehendam opiniones; consule modo, si libuerit p. 2. geneal. Regum Daniæ Libr. 8. p. 262. 263. & (ni fallor) non difficilis mecum senties, Longobardos Cimbris sua jure merito debere nativitatis primordia; non etenim multum interesse puto, sive cum Peucero Libr. 3. Chron. Carionis p. 342. & Vellejo part. 1. carm. oda 3. v. 22. a longis cuspidibus & bipenni, sive cum Paulo Diacono Libr. 1. de Long. gestis c. 9. Pontano Libr. 1. p. 35. Isidoro Libr. 9. Etymol. c. 2. Carolo Stephano p. 3213. Dict. Historico-Geographici, & Petro Berthauct. p. 46. Flori Francici, a barbis & capillis promissis nomen eorum deducamus, cum monitore Lyscandro part. 2. geneal. Reg. Dan. Lib. 8. p. 266. fabulosis historicorum sententiis ac figmentis intricatum adeo sit verum eorum ἔτυμον, ut aërem ferire videatur, qui ex tantis tenebris veram eruere præsumserit sententiam. Quod si tua humanitas, Vir Clarissime, certi quid ex fide dignis Auctoribus hac de re assignaverit, non patiar id amicitiæ documentum ingrata memoria prælabi. Atque ita primo monstratum est, Longobardos communi nascendi lege aliis ortum suum debere, at quinam illi sint in progressu fusius tractabimus.

Tempore Snionis a Cimbris Longobardi non differebant, Cimbri, & Dani non sunt Aborigines.

Posteri Noæ ad Cimbr. Cherson. pervenerunt.

Varia Longobardici nominis ratio.

Dicis p. 3. tuæ resp. Saxonem solam Longobardorum egressionem sibi sumsisse describendam, nec alias sive priores sive posteriores attigisse. In hanc tuam sententiam vel eo inprimis nomine lubens descendo, quod Longobardos tempore Snionis patria egressos, a Cimbrorum sive (ut cum Saxone loquar) Jutarum gente diversos fuisse, ex Historico nostro demonstrari nulla ratione posse, plane sim persuasus. Enumeratis etenim variis Procerum in diversas partes ventilatis sententiis, tandem consultationum exitum describens, dicit

Conceditur, Saxonem solam Longobardorum egressionem descripsisse.

dicit robuſtiores, qui ſponte neceſſitati parere noluerunt, fortunæ judicio coactos exilio ſe obtuliſſe, Blechingiam advectos, Borringiam præternavigantes, ad Guthlandiam tandem appulſos, auctore Frig Dea Longobardorum nomine appellatos. Et quamvis Pontanus non in Gothlandia, ſed in boreali Germaniæ tractu, quem armis ſuum fecere, Longobardorum nomen ſortitum aberrantem hunc gregem Libr. 1. p. 36. aſſerat, cui conſonat Lyſcander part. 2. geneal. Reg. Dan. Libr. 8. p. 263. 264. & ab utroque citatum carmen Guthlandicum, quod p. 104. 105. chron. Guth. his verbis occurrit:

De Slogum de Longobarder indum derum Land,
Der blef ikke Levende eimum einiſte Mand,
Saa ladum de ſicke Longobardum kallum,
Panien beſtridum de og med allum! &c.

In eo tamen amice omnes conſpirant, populo huic extorri exteros Longobardicum impoſuiſſe nomen. Saxonem cum Pontano, Lyſcandro, nec non chronico Guthlandico ſi conciliaveris, non certe deerunt, me ſponſore, Vir clariſſime, qui tantum beneficium gratis deprædicabunt animis. Ego tanto muneri impar, intra controverſiæ metæ circulum me continens abunde officio meo ſatisfactum puto, dum ex probatæ fidei Hiſtoricis monſtravi Longobard. nomen populo, vel præſidente Snione, patria egreſſo impoſitum, nec ante expeditionem in patria uſurpatum. Hinc Huitfeldius tom. I. chron. p. 24. Incidit in Snionis tempora ardens illa annonæ caritas, qua compulſi, qui poſtea Longobardi dicti ſunt, Scania exceſſere, & antiquitatum Danicarum Vindex acerrimus Wormius Libr. 5. monument. Dan. p. 321. Hujus (Snionis) hiſtoriam & res geſtas lege apud Saxonem Libr. 8. maxime memorabile, quod ſub hujus Regis imperio Longobardi exteris dicti, fame compulſi e Dania novas quæſituri ſedes migrarunt.

Quo tempore Longobardorum nomen populo impoſitum.

Inquiremus jam (ſi placet) unde fuerint iſti poſt paternos lares relictos Longobardi vocitati, & quo nomine ante ſuſceptam expeditionem appellati. Saxo quamvis in opere ſuo hiſtorico conſcribendo, ſatis (teſte Pontano in Epiſt. dedicat.) exiſtimarit, ſi per levia quædam puncta ac temporum quaſi gradus, aliquam patriæ hiſtoriæ lucem fœneraſſet; poſteris tamen incognitum plane eſſe noluit bellicoſiſſimæ Cimbricæ gentis e patria exitum, ac felicem progreſſum, ut hujus exemplo reliqui arctoi allecti virtutem bellicam otio & torpori ingeniorum maximorum rubigini anteponerent. Dicit namque collectam multitudinem Aggone & Ebbone Ducibus iter ingreſſam poſt varios viarum anfractus in Gothia Longobardico nomine ſalutatam. Duces Aggo & Ebbo, quinam fuerint, & quo genere orti, prolixe prælucente carmine Guthlandico, docet Lyſcand. part. 2. geneal. Reg Dan. Libr. 8. p. 269. Utrumque ſanguine quidem Cimbrico cretum, hunc autem patriæ jure Scanum, illum Cimbrum, Vandalum ſive Vinnulum. Gentem ſive imperio horum Ducum ſubjectam turmam ſi penitius conſideremus, Vinnulos maximam ſuppleviſſe aciei partem e Saxone & aliis fide dignis Hiſtoricis non difficile erit probare. Alienum enim perquam mihi videtur a ſcopo Auctoris, Longobardorum remotiſſimæ Daniæ limitibus, quibus Snio præerat, gentis hiſtoriam patriis monumentis ampliandæ modo materiæ gratia, intertexere, cum (ut ipſe p. 4. tuæ reſp. affirmas) Longobardia Cimbris populo Danico, toto cœlo, ſalo, tempore & nomine differant. Nec unquam me apud ullum Hiſtoricum legiſſe memini, Longobardos veteres patria egreſſos in Scandinavia ſive Scania collectos, varias itinerum difficultates emenſos, tandem gente extera Longobardica devicta, in perpetuam rei bene geſtæ memoriam idem, quo antea gaudebat, aſſumpſiſſe nomen. Accedit Cimbros aliam Regum ſeriem, Longobardos aliam a priore diverſam plane enumerare, annotante Lyſcand. Libr. 8. part. 2. geneal. Reg. Dan. a p. 271. ad p. 297. & Paulo Diacono libris de Longobardorum geſtis. Præterea Saxo noſter loco cit. cauſam expeditionis ſub Snione factæ famem nominat, at omnes Longobardicæ gentis hiſtorias ſi evolveris, tantum abeſt, ob annonæ caritatem egreſſos unquam Longobardos invenies, ut potius vicinorum perfidiam ac bella continua omnes clamitent. Evolvamus alios patriæ hiſtoriæ ſcriptores, ut dictis ſua immota ſtet veritas. Eruditiſſimus Pontanus præter ea, quæ Libr. 1. hiſt. p. 36. pro Vinnulorum ſive Vendelboorum expeditione attulerat, dicit p. 59. Libr. 1. Vinnulos in Germaniam progreſſos, mutato vocabulo, Longobardos appellatos, quod vetuſtiſſimi gentis Gothicæ vernaculi rythmi haud obſcure adſtipulantur. Meurſius Lib. 2. hiſt. Daniæ p. 35. Itaque, diviſis ſortibus, nonus quisque lectus fuit, ac congreſſi univerſi in Blechingia, ex eadem, ut famem publicam ſublevarent, rebus omnibus paratis ſub Aggone & Ebbone, quos Gambara quoque mater comitata, exceſſere. Longobardi inde dicti, cum tunc Vinnuli dicerentur. Hunc excipiet, quem adverſa mecum fronte pugnare (quaſi Cimbros alto damnaſſet ſilentio) p. 4. aſſerebas, Vellejus oda ſuperius p. 12. adducta verſ. 24.

Cimbri aliam Regum ſeriem ac Longobardi enumerant.

Alius quoque obſervatur diſſenſus.

Diverſi patriæ hiſtoriæ Scriptores evolvuntur.

Ebbe Land förde de by der med ſág,
En vendelbor Lord ſig falde,
Fra ſkave lagde den Förſte ud,
För Skaan Lord de ſet let falde &c.
v. 15. *Aage hans Broder ei dveldet ved, med*
Gyndingeren ſrem monne füge,
Af Halland og Blegind fulde de med
Ret Mand og alle tillige.
De maan ſta vel Danmark.

Nec prætereundus Paulus Diaconus Lib. 1. de geſtis Longobardorum c. 7. Egreſſi de Scandinavia Vinnuli cum Ibor ac Ayone Ducibus in regionem, quæ *Scoringia* appellatur, venientes per annos illic aliquot conſederunt, & cap. 10. Vinnuli igitur, qui & Longobardi, commiſſo cum Vandalis prælio, acriter, utpote pro libertatis gloria decertantes, victoriam capiunt. Hæc cum ita ſint, miror quibus motus Pontanus falſitatis Saxonem arguerit, quaſi

Egreſſi Longobardi unde vocitati.

Saxo iterum audiendus.

Duces Aggo & Ebbo quinam fuerint.

Minus recte Pontanus Saxonem

nem falsitatis arguit.

quasi Diaconi elusus verbis, Longobardorum egressum historiæ Snionis immiscuerit, sed in eo non multum laborabo, videat tua humanitas, quomodo tua quoque de eorundem apud Saxonem sub Snione expeditione, sententia historicum nostrum ab eodem, cujus a Pontano arguitur, crimine possit vindicare. Meliora ego de tanto auctore sentiens, nunquam adducor, ut credam, Longobardorum migrationem temporibus Snionis ipsum annumerasse, cum Diaconum (qui expresse Vinnulos locis allegatis nominat) citans, dicat Frig Deam in Gothia hisce advenis Longobardicum imposuisse nomen, non vero ullo apice annotatum inveniam, Longobardos in Scania coactos tandem ad Gothlandiam appulsos Longobardos de novo appellatos, quod ex Pontani pariter ac tua assertione immediate sequitur. Mitiorem longe de Historico nostro, quam tua humanitas hactenus in ipsius defensionem meditata est, censuram tulit Lyscand. part. 2. Lib. 8. p. 263. geneal. Reg. Daniæ, ubi optimi Historici partes suppleviſſe ipsum evidentissime demonstrat, quippe qui causam egressus, Duces, loca, unde egressi, per quos terrarum tractus progressi, quas devicere gentes, & quomodo tandem Longobardorum nomen sortiti sunt, accuratissime descripsit; quamvis quoad locum promulgatæ appellationis Longob. leve in ipso notet παρόραμα, dum Diaconum secutus Gothos adventantem ad se hunc gregem Longobardorum nomine salutasse referat, contrarium rythmis Gothicis, pronunciantibus Longobardicum nomen veteres Longobardos devictos victoribus dedisse, qua de re p. 14. hujus apologiæ egi. Atque ita probatum dedi Longobardos sub Snione egressos Cimbros sive Vinnulos fuisse, eorumque expeditionem Cimbricam verius quam Longobardicam dici debere. Expende jam, Vir clarissime, an ἀπροσδιόνυσα statuerim, meris me vocabulorum confusionibus sim oblectatus, & num nihil minus egi, quam cum e Saxone Cimbricam expeditionem probare allaboravi. Ego assertionis meæ fundamenta allatis a te ratiociniis nec dum diruta sperans, ad reliqua responsionis tuæ verba me conferam, gratias vel eo imprimis nomine agens maximas, quod labascente (ut p. 6. augurabaris) sententiæ meæ principio, tantum mutuæ nostræ amicitiæ non dedignatus sis tribuere, ut paucas meas rationes, veritatis magis inquirendæ gratia, quam rixandi studio appositas expendere quoque libuerit, conabor vicissim, ut pro virili animum ad quævis officiorum genera promptum ac paratum semper invenias.

Nunquam Longobardorum migrationem evo Snionis annumerat Saxo.

Mitior de hoc scriptore censura Lyschandri.

Certum est Longobardos sub Snione egressos, Cimbros fuisse.

Causæ Cimbricæ vel Longobardicæ expeditionis.

Causas Cimbricæ sive (ut tecum loquar) Longobardicæ expeditionis investigaturus tot discrepantes fere offendi sententias, quot Historica percurrere licuit monumenta. Tanta Auctorum discordia non leviter permotus, ac veluti fluctuans qualescunque ingenii mei tenuitas, prælucente quodammodo historiarum face, excogitare potuit rationes, in chartam conjeci, ut levi quasi velitatione facta, si non verissimam, at saltem maxime probabilem apprehendere liceret causam. Verum cum pro se autorem quemque strenue dimicantem animadverterem, nec ulli etiamnum victoriæ statuam erectam cognoscerem, parum abfuit, quin Poëtarum fabulis historiam hanc annumerassem, ni me Saxonis auctoritas ac similis in omnibus scientiis Autorum dissensus a proposito absterruissent. Hæc tacito mecum animo volventi occurrebat tritum philosophantium axioma, unius rei plures esse posse causas subordinatas nimirum & partiales, & causam unam alterius quoque esse posse causam, vel quoad causalitatem, vel quoad esse. Tandem cujuslibet sententiæ rationibus leviter penſiculatis, suspicabar æterni nominis famam victricibus armis comparandam, principem huic genti fuisse e patria egressionis causam, cæteras a nominatis a me auctoribus productas ceu minus principales laborum difficultates aliqua ex parte levasse. Hoc autem quicquid sit, ad humanitatis tuæ tribunal ablegavi, ut ex copiosissimo historiarum penu, a quo te abunde instructum semper declarasti, judiciariam hac de controversia ferres sententiam.

Multum valet Saxonis auctoritas.

Æterni nominis fama principalis fuit causa.

Dantur tamen causæ quoque minus principales.

Quatuor, ut tuos Cimbros ab ingluviei ignominia vindicarem, in epistola mea ad te data attuli rationes, quibus adductus famem Cimbros sedibus suis expulisse subnegabam. Primam quam diuturna eorum in Cimbrica Chersoneso mora, quingentorum annorum spatium excedens, suggerebat, explodendam statim tibi sumpsisti, præfatus, me tuos Cimbros obtundere, illisque intemperias & vitia, nescis, quæ affingere. Sed euge, Vir clarissime, & verba, quibus Cimbros tuos offendi, nomina. Ita enim mea verba habent a te ipso p. 6. citata. Cum namque annos bene multos, nimirum quingentos (fides penes Lætum) abunde unde vitam sustentarent, alma dederit mater terra, cur non eadem magis magisque culta crescenti multitudini, quantum satis fuerit, suppeditasset? Ita cum terra comparatum est, ut quo magis sedula hominum manu colatur, eo abundantiores proferat proventus præter quotidianam experientiam, testis est Virgilius passim libris Georg. At sine summo labore, ea, qua par est, diligentia coli posse terram, negat idem Georgicorum Auctor Lib. 1. his verbis:

Famem Cimbros haudquaquam expulisse prima ratio.

— — — *Pater ipse colendi*
Haud facilem esse viam voluit: primusque per artem
Movit agros, curis acuens mortalia corda:
Nec torpere gravi passus sua regna veterno.

At quantum accrescit hominum multitudo, tantum laborum difficultati discedit, unde vix speciem veri ementitur tua cum Saxoniana opinio, Cimbros fame coactos solum vertisse. Atque ita prius primæ ratiocinationis meæ habes fundamentum. Sed quid hæc in ignominiam Cimbrorum, aut quibus verbis vitia & intemperias tuis Cimbris affingo. Quid si dixissem fœcundissimam terram otio & torpore hominum neglectam, tandem somnolentos & ignavos fucos fame pressos expulisse, ut cum ea, quæ in potestate habuerant bona, pro-

Nulla vitia affinguntur Cimbris.

pria ſocordia amiſiſſent, ſero cum Phrygibus ſaperent? Verum repugnat hiſtorica fides ac laborioſiſſima ipſius gentis indoles, ut vel tantillum in ipſius ignominiam cogitem, nedum dicam. Scripſi Cimbricam Cherſoneſum 500. annos largo proventu incolarum neceſſitudini ſatisfeciſſe, idque teſtimonio Læti probavi, qui eorum opinionem refutaturus, qui Cimbros æſtu maris perculſos patrios deſeruiſſe lares aſſerunt, Lib. 3. Rer. Dan. p. 95. in hæc ſolvitur verba:

— — — *Quid enim liquiſſe Penates,*
Quos jam quingentos hæc gens poſſederat annos?

Error Scriptoris Amanuenſis notatur.

Tua vero reſponſio p. 7. quinquaginta mihi ſupponit, quod equidem σφάλμα Amanuenſis incuriæ adſcripſiſſem, ni ipſe terna annorum 50. repetitione tuum feciſſes: ita enim ſcribis. Verum annos iſtos quinquaginta (50.) quomodo aut unde numeras, non capio, meosne? quos poſui 50. ante Chriſtum natum: Vel quod demum obſervo 50. annis abunde terram proventum dediſſe. Non diſſentio te annos 50. capere non poſſe, quomodo aut unde numerem, cum nunquam mihi circa hoc dubium in mentem venerit, at de facili cepiſſes, ſi 500. juxta ſententiæ Læti tenorem aſſumpſiſſes, quippe qui Lib. 3. rerum Dan. p. 90. non obſcure meminit eorum ad Cimbricam Cherſoneſum appulſum his verbis:

Hæc illa eſt Cimbro tellus decreta Deorum
Legibus, Euxinis cum forte profectus ab oris
Appulit huc, patriasque plagas Scyticosque furores
Liquit ab injuſti turbatus acumine belli &c.

Falleris ergo, Vir clariſſime, dum ex mea mente terram 50. modo annos abunde proventum dediſſe dicere conaris. Fruſtra quo-

Lætus fruſtra objicitur.

que es, dum p. 4. 5. tuæ reſp. Lætum mihi opponis, quaſi Cimbrorum intra lares ſuos moram 500. annorum ab ipſo mutuatus, eorum ſub Rege Snione migrationem eadem opera vellem probatam. Et ſi vel maxime aſſertionis meæ auxilium aliquod ex hoc Læti computo ad Cimbrorum ſub Snione expeditionem demonſtrandam petiiſſem, non tamen cauſa mea penitus excidiſſem. Quæ enim in contrarium e p. 92. adducis, nihil minus quam ſententiam meam evertunt, cum populi alicujus migrationem illo loco non attingat Lætus, ſed ſaltem unanimem Cimbrorum cum aliis accolis de eligendo Rege, conſultationem ac conſenſum deſcribat, dubius ſub Danone, an alio iſta acciderint, ita namque paulo ante:

Hinc regnum crevit junctis e gentibus, aſt quo
Tempore, quo Dano tandem ſub Principe geſta
Iſta putem, niſi, quod me conjectura Poëtam
Diſtrahat ac dubiis conturbet ſeria rebus.

Quæ de Cimbrorum cum Mario pugna e p. 125. rerum Dan. Læti attuliſti extra controverſiæ terminos vagantur, cum non Cimbricam aut Longobardicam egreſſionem, ſed jam in Italia progreſſorum Cimbrorum ſtragem ibi exponat. Quod vero urges Lætum p. 131. Longobardicæ ſub Snione expeditionis expreſſam facere mentionem, non eo inficias, modo hoc mihi viciſſim non invitus conceſſeris, Longobardos iſtos Vinnulos ſive Jutas fuiſſe, ut e ſuperioribus abunde pateſcit, & ex ipſis Læti verbis manifeſtiſſime colligitur. Poſito enim Longobardos a Cimbris toto cœlo & ſolo differre, quod Lætum quoque dicto loco propugnaſſe contendis, quomodo ſibi conſtabit, gentes remotiſſimas & alio ſole calentes noſtris ab oris diſceſſiſſe affirmans, ni olim in Dania ſedes habuiſſent. Agnoſcis proinde contradictoria eſſe Longobardos a Cimbris toto cœlo & ſolo differre, quod tua aſſerit humanitas, & Longobardos a Cimbris toto cœlo & ſolo non differre, quippe qui in Cimbria orti, noſtris ab oris diſceſſere, quod teſtatur Lætus loco contra me adducto. Hinc Cluverius Epitomes hiſt. p. 401. Ex eorum (Danorum) terris progreſſi Longobardi Rege Daniæ Snione, innumeram ſecum juventutem traxerunt, continuæ ſterilitatis damna ſuo exilio, quam ſuorum pernicie relevare præoptantem. Verum ne minutiſſima quæque examinare velle videar, ad reliqua reſponſionis tuæ verba pergo.

Longobardi fuerunt Vinnuli ſ. ve Jutæ.

Lætum illuſtrat Cluverius.

Quæſivi cur terra, quæ quingentos annos incolas abunde aluit, creſcenti multitudini paſcendæ poſtmodum non par eſſet? Reſpondes, Vir clariſſime, p. 89. quia creſcebat multitudo, τὸ κρινόμενον, ceu veriſſimum, ſolutionis loco producens, quod annon obſcurum ſit per æque obſcurum demonſtrare, tibi ipſi judicandum relinquo. Fateor Gallos, teſte Juſtino Lib. 24. & Berhault Lib. 1. Flori Gallici c. 8. p. 11. abundanti multitudine, cum eos non caperent terræ, quæ genuerant, trecenta millia hominum ad ſedes novas, velut ver ſacrum miſiſſe; aſt vix mihi perſuadere poſſem, gentem Cimbricam prolificæ adeo naturæ extitiſſe, ut ſobolem præ inedia egerere cogeretur, ni proprio gentis tuæ exemplo monſtraſſes p. 9. tuæ reſp. patrem, a quo originis tuæ principia manarunt, ex una matre eademque adhuc viva quatuordecim liberos ſuſtuliſſe. Argumentum quod e crebra Cimbrorum in alias provincias migratione p. 9. mihi opponis, contraria praxi antiquorum incolarum, qui (uti jam modernis ſolenne eſt) in vicinas ſe regiones non effundebant, triturandi aut ſervitium præſtandi gratia, ſed gens libera in libera Rep. nata ſuis fixa ſedibus una cum ſuis vivebat, donec ita tandem adeo conferti bonitate quadam prolificæ naturæ extiterint, ut aut ipſis excedendum eſſet aut inedia pereundum; ferire quodammodo videtur meam ſententiam, at non funditus diruere.

Obſcurum per æque obſcurum explicatur.

Gens Cimbrica ſobolem præ inedia egerere non coacta eſt.

Evolvamus modo Saxonis noſtri opus Hiſtoricum, quot, quæſo, Cimbrorum ſub diverſis Regibus, ante tempora Snionis, contra vicinas gentes bella, quot trophæa reportata? Hinc quot Martis ſpiculis occubuere præter eos, qui communi naturæ legi domi forisve ſatisfecerunt? Eſto itaque in abundantem multitudinem creverint, pedetentim tamen aliquot mors decerpſit; nec dubito affirmare conterminas inſulas aliquot, eo quoque temporum decurſu, excepiſſe, quod ipſe p. 16. non diffiteris, ubi dubio propoſito, unde Cimbris conſtaret exterorum regiones lætiores

Cimbri ante tempora Snionis multa geſſerunt bella.

ac

ac feliciores proferre proventus, adeo obſtupeſcis, ut reticerene an loqui conſultius eſſe hæſites, tandem ſilentium rumpens dicis multos quidem huc proficiſci quotannis, paucisſimos vero redire. Sed forſan hæc verba (ne contradictionis te Labyrintho involvas) intellecta vis de Cimbris modernis, non vero de iis, qui multis retro ſeculis Snioni paruere. Non acriter repugnabo, at hoc mihi interim, te ipſo judice, dabis, aliquot quoque ante tempora Snionis, imo ipſo durante Snionis regimine proximas viſitaſſe inſulas, atque hac ratione abundantem multitudinem annua peregrinatione diminutam, ni ratiocinium tuum ab argumenti mei impugnatione alienum plane eſſe volueris. Præterea nonus quisque lectus fuit, teſte Meurſio, loco ſupra p. 16. hujus apol. citato. Totum numerum (ſi Lyſcandro credimus p. 270. geneal. Reg. Dan.) adimplebant hominum ſeptem millia, quod etiam affirmant rythmi Gothici his verbis:

Snione regnante proximas viſitarunt inſulas.

Derum Secker vaare halfve fierdum Sti,
Og hundrede Mandum inden verum di.

Numerus eorum qui Cimbriam deſeruerunt.

Supponamus jam Cimbricam Cherſoneſum Scandinaviæ tertia ſua parte adæquare, unde ſi mille ſeptingenti & quinquaginta Scandinavia exceſſere, quinque tantum mille ducenti & quinquaginta Cimbriam deſeruere, quæ equidem multitudo minor videtur, quam ut tam ſtrenuo ac invictæ indolis populo oneri eſſet, quo minus præ inedia intra proprios ageret terminos; Imo ipſe Saxo Libr. 8. fol. 85. dicit, Danorum tellurem rareſcente cultorum (brevi ſc. ante egreſſorum) opera ſulcorumque veſtigiis ſitu obductis, ſylveſtrem induiſſe vultum, & quaſi nativi ceſpitis amœnitate depoſita, informi ſuccreſcentium nemorum denſitate perhorruiſſe, ut quæ olim feracia frugum jugera fuerant, eadem tunc arboreo ſtipite conſerta viſa ſint: Vide proinde, mi Frater, quibus te verbis coram Saxone poſſis purgare p. 8. tuæ reſp. perhibens poſt numeroſi iſtius gregis profectionem, nec domum vacuam, nec familiam exhauſtam, imo vix obſervari potuiſſe e patriis Penatibus exiiſſe vel unicum.

Verba Saxonis probe conſiderunda.

Decennalis plaga famis.

Nolo commemorare decennalem famis plagam, quæ ſceptrum tenente Olao IV. Hunger, yngre vel unger dicto, egenos inedia paſſim necavit, locupletes vero ad egeſtatem perduxit, ut loquitur Pontanus Libr. 5. rerum Dan. p. 200. imo Regem ipſum adeo afflixit, ut divinum natalem celebraturus, pane in domo non ſuppetente, jejunos circumquaque Penates, ſuffuſo lacrimis vultu aſpiceret, notante Saxone Lib. 12. fol. 119. Lyſcandro part. 2. Geneal. Reg. Dan. Lib. 5. p. 210. Witfeldio Tom. I. chronicorum p. 166. Taceo quoque Exterorum hiſtorias perhibentes tantam non raro populum vexaſſe famem, ut præ eſurie equos, canes, feles, imo carnem humanam in alimentum ſumpſerint, at natale aliquos hac de cauſa liquiſſe ſolum, ne verbum quidem apud ullum invenio. Poſtremo ut aſſertionem meam penitus evertas, hypotheſin formas p. 10. de patre pauperculo tanti agelli poſſeſſore, quantum vel par boum uno die peraret, cui ex paterna gleba paſcendi præter uxorem & multas filias, viginti numero filii; ſed non te

Sepe populi media afflicti ſolum non liquerunt.

fugit, Vir Clariſſime, ejusmodi hypotheſes non ſemper immotæ eſſe veritatis, aut extra omnem dubitationis aleam poſitas, ni easdem ad ſuas theſes firmis argumentis tranſtuleris. Probandum itaque certo exemplo tibi incumbit, unicum patrem 20. filios præter filias ſub frigida hac mundi plaga generaſſe, nam quod ſuperius p. 9. proprio generis exemplo monſtraſti, patrem, a quo originis tuæ principia manarunt, ex una matre 14. ſuſtuliſſe liberos, veriſimilitudinem aliquam meretur: at hæc tua hypotheſis 6. filiis præter filias numerum 14. adaugens juſto videtur liberalior. Deinde evincere debes aliunde non fuiſſe, unde viverent: Nihilne præter terræ proventus poſſidebant? Nullos boves, oves, ſues aut ulla domeſtica animalia? Audi Lætum Libr. 3. rerum Dan. p. 89. fertilitatem Cimbriæ deſcribentem:

Hypotheſes haud ſemper immotæ ſunt veritatis.

- - - Sunt hæc loca plena ferarum,
Diverſique gregis, quibus hæc ſunt paſcua multo
Læta uſu, plenoque fluunt tibi cymbia lacte.

Et p. 90.

- - - Aſt omnibus iſtud
Accedit, ponto quod ſint vicina ſimulque
Labentem juxta fluvium piſcesque ferentem
Et ſeſe diti volventi gurgite cernant.

Præterea de omnibus aut plurimis Cimbricæ Cherſoneſi incolis monſtrare teneris, quod de unico præſupponis parente, & cur non eandem obſervare potuere vivendi rationem, quam olim duro urgente famis telo, Olai IV. ſubditi arripuere, qui putres ariſtarum reliquias calefactis igni fornacibus exſiccatas molæ ſubjiciebant, ac in uſum pultis vertebant, ut habet Saxo Libr. 8. fol. 118. adeo ut luce meridiana clarius cuique appareat, divinam providentiam, quæ paſſa non eſt totam multitudinem peſſum ire, terræ ſterilitatem, pro immenſa ſua bonitate, aliis vivendi mediis recompenſaſſe. Inter alia, quæ p. 10. ſcribis, maximam vel quaſi maximam de paterno erga liberos affectu profers his verbis: Quo quis pauperior, hoc otioſius liberis dat operam, quæ an omni ex parte veritati ſatisfaciant, paucis ut excutiam, plurima ſunt, quæ monent. Quid liberi niſi cara Parentum pignora, imo de parentum carne ac ſanguine caro ac ſanguis. At qualis in liberos parentum amor, docet Cicero 3. actione in Verrem, ſtylum ita laxans: Liberis nihil nobis natura jucundius, nihil carius eſſe voluit, nihil dignius, in quo omnis noſtra diligentia indulgentiaque conſummatur, & Oratione 27. ſeu ad Quirites poſt reditum: Quid dulcius hominum generi a natura datum eſt, quam ſui cuique liberi? Exempla deſideras? Quid Ageſilaum (ſi Æliano Libr. 12. de var. hiſtor. credimus) movit, ut arundine pro equo conſcenſa, una cum pueris aliquando luſerit domi? paternus in Liberos amor. Quid Octavio Balbo (referente Valerio Maximo Lib. 5. c. 7.) perſuaſit, ut neci filio deſtinatæ ſponte ſe ſua obtulerit? paternus in liberos amor. Duram itaque ſilicem & Marpeſiam non immerito appellaveris cautem, quem non liberorum

De omnibus aut plurimis Cimbriæ incolis monſtrandum, quod de unico præſupponitur parente.

Liberi cara parentum pignora.

cura tangit, cum muta & bruta animantia ſuo quoque exemplo, intimam erga prolem quæque ſuam nos edoceant σοργήν. Verum, inquies, pauperes ſaltem nomino, non vero divites, quibus ſumptus liberos laute educandi abunde ſuppetunt. Hic cum Comico exclamabo: Homo homini quid præſtat? Homo ſum, humani a me nihil alienum puto. Æque pauperi coram Salomone mulieri affectus movit nati ſors dubia ac potentiſſimo Davidi interitus filii ſui Abſolonis: Æque ægre tulit pauperrima vidua civitatis Nain incola obitum filii ſui, ac ditiſſimus David mortem filii ex Berſabea ſuſcepti. Atque hactenus de primo prioris meæ rationis fundamento. Secundam rationem, qua motus famem Cimbricæ expeditionis cauſam negabam, ſubminiſtrabat tritum Philoſophorum axioma, quod e Boëthio libr. 2. de conſol. Philoſ. proſ. 5. didici: Naturam paucis ſemper eſſe contentam: Tua autem humanitas vim me axiomati intuliſſe p. 11. autumat, quaſi particula ſemper axioma hoc alioquin verum ſubverteretur. Prodeat Ariſtoteles & e libr. 2. Phyſ. c. 1. §. 3. talem nobis naturæ definitionem communicet: Ἔστι ἡ φύσις ἀρχὴ καὶ αἰτία τοῦ κινεῖσθαι καὶ ἠρεμεῖν, ἐν ᾧ ὑπάρχει πρώτως καθ' αὑτὸ καὶ μὴ κατὰ συμβεβηκός. Hæc hominibus ſciendi deſiderium inſtillat, actionibus ſuſcipiendis ac abſolvendis principium & adjumentum ſubminiſtrat; hæc ordinis magiſtra & actionum directrix; hæc eſt, quæ immobili lege cavet, ne gravia ſurſum ac levia deorſum deſcendant. Imo hæc ſemper & ubique ſibi ſimilis, auctore Scaligero exerc. 68. ſect. I. p. 251. his verbis: Quemadmodum ſapiens hic in vita noſtra ſibi ſemper ſimilis eſt, idem herus ac ſervus ſibi, niſi impediatur, ſic & natura, quam ſi quis putat inconſulto quicquam agere, ridebitur ab Ariſtotele, explodetur a Platone, Galeni etiam juſſu vapulabit. Omnia impedimenta novimus eſſe extranea, cum nihil ſibi ipſi contrarietur aut impedimentum ponat, unde infero: Quod ſi natura non impedita paucis eſt contenta, ergo eadem ſemper eſt ubique (modo ſui ſemper erit ſimilis) paucis eſt contenta. Quæ de illuſtris ac nobilis Scholæ Herlovianæ alumnis pro contrario aſtruendo p. 11. ſcribis, eosque, neſcio quo jure ingluviei macula aſpergis, ut approbem, dehortatur Moderatoris ac Inſpectorum vigilans ac nota induſtria, quibus non modo fidei ſuæ commiſſam juventutem pietatis ac humaniorum artium imbuere fundamentis, ſed etiam intra continentiæ, temperantiæ (cui bellum ingluvies dudum dixit) aliarumque virtutum limites continere ex officio incumbit. Si qui forſan juſtas a natura præſcriptas edendi leges ſupergreſſi ſint, inde non confeſtim corruet axiomatis propoſiti vis, cum non quantum ederint, ſed anne minore menſura naturæ ſatisfacere potuerint, controvertatur. Dum nominas mores puerorum Herlovianorum, vel ipſe agnoſcis aliud morem, naturam ſæpe aliud ſuadere, imo morem cum natura ſtricte ſumpta coincidere haud ipſe approbaveris ſcio, cum hanc illi a Diametro apponat Cicero Libr. I. de legibus hæc habens: Corruptela malæ conſuetudinis igniculi exſtinguuntur a natura dati. Mos imperat pocula aurea, argentea, aliaque vaſa pretioſa diverſis pro facultatis cujusque ratione, liquoribus repleta ſiti exſtinguendæ adhibere. At audi Senecam Epiſt. 119. quæ eſt 4. Libr. 21. Sitio, utrum hæc aqua ſit ex lacu proximo excepta, an ea, quam multa nive cluſero, ut rigore refrigeretur alieno, ad naturam nihil pertinet. Illa hoc unum jubet, ſitim exſtingui: utrum ſit aureum poculum, an cryſtallinum, an myrrhinum, an Tiburtinus calix, an manus concava, nihil refert. Moris eſt, quoties fames ſedanda, non modo menſam mappis, orbibus, aliisque luxuriæ inſtrumentis ornare, ſed etiam diverſis cupediis atque lautitiis onerare; at ait ibidem Seneca: Eſurio, edendum eſt, ut hic panis ſit plebejus an ſiligineus, ad naturam nihil pertinet &c. Exemplis ab inexplebili triturantium edendi aviditate, nec non helluonum gula & ingluvie petitis, eorum vicisſim exempla oppono, quos vel noverca fortuna inter egenos ac vitæ laute ſuſtentandæ præſidiis per totum vitæ curſum deſtitutos locavit, vel propria ſcelera vinculis ac æterno ſervitio adjudicarunt. Quot horum reperies, qui aqua & tenui pane non unum aut alterum annum, ſed toto durante vitæ termino, vitam ſuſtentant. Et quid helluones niſi nefandi naturæ legis violatores, qui (ut ex ſuperiore cum Seneca Epiſtola loquar) non quærunt, quemadmodum ventrem impleant, ſed farciant. Idem de triturantibus liceret affirmare, ni alimento inexhauſtus eorundem labor ex æquo reſponderet; ſi quando modum exceſſerint, vitium erit non naturæ, ſed ipſorum hominum, quippe qui jam plus, jam minus conſumpſere, at natura ſemper conſtans & ſibi ſimilis. Quid de Martis filiis dicemus, qui non raro integros dies ac noctes ſine pane, aqua, omnique refrigerio ſub ſcutis ac armis ſudantes laborant, agone peracto, buccella panis ac hauſtu aquæ optime contenti. Et hactenus quam breviſſime de ſecunda aſſertionis meæ ratione. Tertiam, quo minus cum iis facerem, qui famem Cimbros patriis laribus expuliſſe ſtatuunt, a ſumma Cimbricæ gentis continentia ac parſimonia petebam, quam exemplo Starcateri Germanorum luxum ac prodigalitatem deteſtantis e Saxonis libr. 6. fol. 61. confirmare annitebar. Tua vero humanitas, ne quid cenſoriæ virgulæ ſe ſubduceret, eandem quoque opprimere aggreditur ita ſcribens p. 11. Atque exemplum qui adducis Starcateri in Germanorum luxum ac prodigalitatem invehentis tuomet te jugulas gladio p. 12. Largiris Starcaterum tenui victu latrantem ſtomachum placaſſe ſolitum, & p. 13. inquis: Qualis & quanta natura, tanta chœnix, tanta menſura, jam tecum expende (pergis) eo ſeculo homines ut majores ſtatura, ita capacioribus ventribus ſibi plus cibi immerſiſſe. Fateor, Vir Clariſſime, pueros nec non otioſos ob innati caloris vim & ἀντιπερίστασιν, æque ac minoris ſtaturæ homines, ob ventriculi exiguitatem ac caloris intenſi defectum, minorem,

Secunda ratio, quod fames expeditionis Cimbricæ cauſa eſſe nequeat.

Definitio naturæ ex mente Ariſtotelis.

Natura ſemper ſibi ſimilis.

Non approbanda quæ pro contrario adſtruuntur.

Cicero adducitur.

Audiendus itidem Seneca.

Tertium argumentum quo probatur, famem Cimbros non expuliſſe.

rem, quam proceros & laborioſos exigere alimenti menſuram, indeque mihi colligere quoque licere ſpero, naturam puerorum & otioſorum ſemper ſibi conſtantem ac ſimilem, cum tantum nunquam appetat cibi, quantum natura laborioſorum, & qui inter cæteros ſtatura eminent, expoſcit, licet interdum ob egeſtatem aut alia incommoda proceri pariter ac laborioſi pueris aut otioſis conveniente alimenti quantitate acquieſcere cogantur, naturæ interim abunde ſatisfacientes. Contrarium probaturus profers p. 12. & 13. inexplebilis ingluviei exempla bina, alterum e libr. I. carm. Velleji oda 21. v. 16. 17. de parente Toronis de Hafsgaard qui perſonam filiæ Fridlefsborg monſtroſæ granditatis viro nomine Toſſe Grefve deſponſandæ gerens, tantum cibi ac potus una vice abſumſit, ut non modo ſponſæ ac univerſæ ejus familiæ terrorem incuteret, ſed etiam aureum Toronis malleum deperditum, ut in patriam regrederetur, muneris loco auferret, alterum ex oda 6. ejusdem libri de Salenta, Tilventini ſorore; quæ non minus ac ſuperior egregium edacitatis ſpecimen ſponſo & convivis omnibus non ſine ſumma totius nuptialis turbæ admiratione, dedit. At quid inde obtinebis? Naturam paucis ſemper non eſſe contentam: Nihil minus: Alimentum reſpondebat (ut ipſe affirmas) ventriculi capacitati, imo minore quantitate facile acquieviſſet natura, quod exinde lucide ſatis pateſcit, quod reliqui convivæ non minore ſtatura ſeu mole inſignes utriusque inſatiabilem ſtomachum ſint admirati. Ita enim de parente Toronis ſubjungit Poëta v. 18.

Natura puerorum & otioſorum ſemper ſibi ſimilis.

Bina inexplebilis ingluviei exempla.

Toſſe Grefve gaar ad gulvet frem, ſnie hænder monne ſdvoïde,
Hveden er os den unge Brud, bun vil ſaa meget æit.

Nihil inde obtinetur.

V. 19.

Toſſe Grefve taler til Kielder ſvend: for ſömme du tappen ikke,
Her haver Gieſt ſaa underligen en Brud, ſaa meget vil bun drikke
Saa vinder mand Sverkind.

De Salenta vero ita canit v. 30.

Det da gav den Brudgomagt, hand haute ortikke vel,
Aldrig ſaa Jeg ſaa ungor en Brud, dor giorde i fadet bedre ſkeel
Vel op for dag &c.

Vaſtiora fuere corpora hominum antiquorum.

Vaſtiora prolixioraque fuiſſe corpora hominum antiquorum, & nunc quaſi jam mundo ſeneſcente, rerum atque hominum decrementa eſſe, lubens cum Gellio Lib. 3. noct. Att. c. 10. p. m. 121. fateor, cui ὁμόψηφος eſt Pontanus lib. 1. hiſt. rer. Dan. p. 14. hac verborum forma: Qui negare velint gigantea mole & extra communem ſortem homines poſſe exiſtere aut extitiſſe olim, ii non ſacram modo omnem & profanam hiſtoriam inficientur neceſſum eſt, ſed naturam quoque ipſam negent &c. quod p. 55. 56. 57. exemplis monſtrat adſtipulante Plinio Lib. 7. natural. hiſtor. c. 16. Tantæ molis cauſas (ut brevitati ſtudeam) enumerare ſupervacaneum duco, cum eas omnes acute pariter & eleganter Bernegg. quæſt. miſcellan. 13. 14. in Germaniam Taciti expoſuerit. Mihi vero vix perſuadebis, Vir clariſſime, ſi vel viginti odas e Velleji carminum libro adduxeris, in tantam proceritatem ſurrexiſſe olim homines, quantam vulgus hiſce carminibus faſcinatum eis aſſolet tribuere: Oda namque quam allegas, 6. narrat v. 35. Gigantum minimum, qui nuptiis Salentæ interfuit, ejus fuiſſe magnitudinis, ut ſola ipſius tibia, excluſis cæteris corporis ſuperioribus membris, 15. cubitos exceſſerit; at os iſtud, tibia Medicis dictum, quod totius corporeæ molis ceu baſin eſſe voluit hominum plaſtes, Deus, tertiam duntaxat humanæ ſtaturæ partem ſupplet, ſuperavit igitur minimi Gigantum altitudo 45. cubitos, quod commentum ab ullo fingi potuiſſe haud credidiſſem, ni me admonuiſſet Horatius Lib. de Arte poëtica, quod

Nimiæ mortalium proceritas fingitur.

— — — Pictoribus atque Poëtis
Quælibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Auctor Epitomes carminibus Velleji 1643. excuſis annexæ, de gigantibus ita diſſerit: Gigantum pars maxima proceritate, robore ac audacia cæteris præſtabat, quales olim Samſon, Goliath & Starcaterus; non vero, quales anilibus fabulis ac cantilenis depingi conſuevere. Samſonis ſtaturam, quam tacet ſcriptura, prætervectus Goliathi Philiſtæorum Gigantis fortiſſimi proceritatem a Spiritu Dei 1. Sam. 17. his verbis deſcriptam adferam: Et egreſſus eſt vir intermedius de caſtris Peliſtini, Goliath nomen ejus, de Gath. Altitudo ejus erat ſex cubitorum & palmi. Heu! quanta inter 6. & 45. cubitos differentia! Præterea vixit Starcaterus tempore Frothonis IV. Gefmilde, Iden Haarde eller Frecker nominati, qui multis annis Snionem antevertit, ut veriſimile ſit, homines expeditionis Cimbricæ tempore vix Starcateri aut aliorum Gigantum proceritatem attigiſſe. Vides proin, Vir clariſſime, te nullum, hiſce adductis inexplebilis ingluviei exemplis, habere poſſe præſidium, meque nec dum proprio occubuiſſe gladio. Imo, poſito inter Cimbricæ gentis incolas, aliquot ad Starcateri, parentis Toronis, aut Salentæ ſtaturam perveniſſe, non tamen inde ſequitur, omnes magnitudine & proceritate pares, cum a particulari ad univerſale argumentari, nulla legitima inferatur conſequentia. Atque hæc de tertia aſſertionis meæ ratione. Pergamus ad quartam, quam patrii ſoli natura monſtrabat.

Starcaterus haud quaquam vixit Snionis tempore.

Non omnes Cimbri fuerunt proceritate pares.

Quarta ratio a patrii ſoli natura deſumta.

Patriam eſſe, ubicunque eſt bene, cum Cicerone, ex mente Teucri I. Tuſc. quæſt. non invitus fateor, at ingruentibus adverſitatum procellis, patriam exteris regionibus cariorem eſſe, mecum ſpero non ibis inficias; ita enim Epiſt. Lib. 4. ep. 9. Nullus locus dulcior debet eſſe patria, & Ep. 7. ejusd. Libr. Si oppetenda mors eſſet, domi atque in patria mallem, quam in externis & alienis locis. Hinc Leonidas Spartanorum Rex (ſi vera Juſtini narratio Lib. 2. hiſt.) plura ſe patriæ, quam vitæ debere affirmabat, imo centum efficetæ ætatis viri adverſus quindecim millia militum Theba-

Patriæ caritas omnes complectitur caritates.

Thebanorum, pugnæ ſe obtulere, animosque viresque patriæ ac penatium conſpectu ſubminiſtrante, ut fatetur Juſtinus Lib. 6. hiſtor. Hinc ratiocinabar inſufficientem eſſe eorum aſſertionem, qui Cimbros fame preſſos dulciſſimos penates liquiſſe contendunt. Injurium nimis in tuos Cimbros me fuiſſe putas, Vir clariſſime, quod ſcripſerim parum eſſe, quin ſtultitiæ imo veſaniæ notam, ſuperiore poſita ratione, incurrant, quippe qui bona præſentia cum incerti lucri ſpe commutarunt, concedis interim p. 14. ſtultitiæ affines ſympatriotas tuos fuiſſe, veſanos autem eſſe, nunquam tibi auditum aut lectum. At ego mitiore erga Cimbros tuos affectu, conditionaliter ſaltem poſui eos, ſi fame expulſos dixeris, ſtultitiæ imo veſaniæ notam vix poſſe evitare; ratio in promtu. Quia præſentia bona cum incerti lucri ſpe commutarunt. Mature itaque expende, quomodo juſtam Cimbrorum tuorum accuſationem poſſis declinare, abſolute, quod ego conditionaliter diſſerebam, de illis affirmando: Verum enim vero ne conterraneorum a te animos plane abalienes, promittis te commoda eorum inſaniæ adhibere velle remedia, conſolatorias videlicet voces, ac qualemçunque (cum medicina jam ſero nimis paretur) excuſationem, proindeque dicis: Solos Cimbros ſtultos non eſſe, eo quod mundus idem ludat drama delirans, deſipiens; ut præ illo gens Cimbrica ſapere videatur. Hæc verba clarius ut explices, obnixe rogo, ſolos enim Cimbros ſtultos non eſſe fateor; at ſi totus mundus deliret, quorſum eos tandem mundi quoque incolas colloces. Neceſſum (me judice) erit, extra mundanam ſphæram, in puncto, quod ſibi, ut terram digito moveret, dari olim juſſit Archimedes, vel in Lunæ concavitate apud Menippen locum illis aliquem aſſignes. Deinde p. 15. varias difficultates enumeras, quibus obrutos Cimbros, ſolum vertiſſe coactos aſſeris, meamque idcirco opinionem falſam prorſus ac peregrinam, quæ Cimbros bonis quibusdam beatos contendit. Quantum ex tuis verbis colligere licet, putas me bonis abſolute annumeraſſe anniverſariam Oceani inundationem, ſterilitatem, Gothorum immane odium, aliaque a te commemorata incommoda. Sed te ipſum decipis, cum bona patriæ cum externis, vitæ innumeris periculis ac dubio Marte obtinendis comparans, reſpective tantum dixerim, quod bona præſentia cum incerti lucri ſpe commutarunt. Et nullone omnino exiſtimas gaviſos Cimbros bono? Quid patria certa, ac ſedes fixæ? Quid uxores, liberi, amici? Quid pecora, domeſtica pariter ac agreſtia? ut haud crediderim ejusmodi te bona cum quovis velle commutare, eaque aliis ultro largitum incerti lucri ſpem præferre, ut ibid. p. 15. ais. Atque ita quartam aſſertionis meæ rationem habes, quam quinta ſtatim excipiebat, inde ducta, quod quibus nuntiis exterorum, Guthlandorum videlicet, Ryanorum, Pomeranorum, ac remotioris populi ſtatum acceperint ab ullo proditum non invenerim, ideoque a tua humanitate quæſivi, unde Cimbris conſtabat, exterorum regiones lætiores ac feliciores proferre proventus. Hic p. 16. quod antea p. 9. negative propoſuiſti, Cimbros ſcilicet tunc temporis non (uti nunc moris eſt) in vicinas ſe regiones effudiſſe, affirmative reſponſionis loco adducis, qua de re fuſius p. 24. ſeq. hujus apol. egi. Dubium tandem ſoluturus, Strabonem citas affirmantem, effuſam Cimbrorum multitudinem per Saxoniam Teutoniæ ſive Allemanniæ conterminam, iter feciſſe, donec Italia errabundam hanc gentem ceperit. Hæc Strabonis verba de prima Cimbrorum expeditione intellecta quidem approbo, ad alteram vero ſub Snione migrationem quo minus ea traham, vetant; quæ p. 14. 15. ſeq. attuli, quibus me a pravæ confuſionis vocabulorum Longobardici & Cimbrici (cujus a te accuſor) crimine liberare conabar; eo igitur te remitto, ut videas Strabonem nullo mihi nomine adverſari, cum non quæritur unde Cimbris in Italiam moventibus, ſed unde Longobardis (qui etiam Cimbriam ſeu Vinuliam patriam agnoverunt) ad incognitam ante inſulam Guthlandiam, Ryaniam &c. mare trajecturis conſtabat, exterorum regiones lætiores ac feliciores proferre proventus. Recurrit proin eadem difficultas, nec dubitationis mihi ſcrupulum iſto reſponſo ereptum ipſe facile agnoſces. Reſtat ultimum argumentum, quo famem principem Cimbriæ peregrinationis cauſam negabam, ab ipſo Auctore deteſtandæ ebrietatis, ac edicti regii violationis exemplum producente deſumptum. Hinc inferebam: Si helluoni, profuſe quotidie beſtiarum in morem degenti tanta ſuppetebat rerum affluentia, ut, cæteris præ inedia mortis vicinis, cuticulam (ut p. 17. ſcribis) curaret, ſuperioris Magiſtratus ſeriam voluntatem pravæ ebrietatis vitio poſtponens, nec ullum invenire licet apicem, quo ipſum dignitatis aut honoris prærogativa eminuiſſe, quis evincat, ſequitur reliquos ejusdem ſortis, ſi non ad luxum, ſaltem ad vitam qualicunque modo ſuſtentandam habuiſſe, ac proinde improbabilem ſententiam, Cimbros fame languentes patria exceſſiſſe. Hujus argumenti vim enervaturus, ſupponis helluonem, cujus apud Auctorem noſtrum mentio, iisdem dotatum conditionibus, quibus ditiores ruſtici, quos vocas ruſticorum Præfectos ſive Bondefoget; Verum cum Saxo omnis honoris & auctoritatis titulum taceat, & nos tacere convenit: ut autem tecum excurram pauliſper, ponamus helluonem hunc præfectura aliqua defunctum, illique commiſſos ruſticos, unde vitam ſuſtentaret, liberaliter contuliſſe; at tota regione, ex Saxonis mente, fame vaſtata, non video, quomodo ille luxu ac prodigalitate diffluueret, penu exhauſto, & ruſticis ei ſubjectis prodigalitatis materiam ſubminiſtrare ſolitis, præ inedia deficientibus. Dabis mihi ergo e tuæ hypotheſeos ſequela, reliquos ruſticos aut non omni prorſus facultate cibaria orbatos, quod meæ favet ſententiæ, aut ipſum helluonem in eadem cum reliquis fame languentibus, nave (quod dicitur) vectum, quod & hiſtoriæ Saxonis & tuæmet refragatur

Cimbri tantum conditionaliter ſtultitiæ arguuntur.

Haud commoda Cimbrorum inſaniæ adhibita remedia.

Bona patriæ cum externis vitæ periculis comparata.

Quinta aſſertionis ratio.

Quomodo Strabonis verba intelligenda.

Sextum & ultimum argumentum.

Helluo, ejus apud Saxonem mentio.

tur assertioni. Ut autem fortius me premeres, primo absolute affirmasti nunquam ita excandefactam annonam, ut non sit præ aliis, qui lautioribus vivat conditionibus, quod quidem facilis approbassem, ni aurem mihi vellicasset Saxo Lib. 12. fol. 119. aperte pronuncians, cunctos Regis Olai IV. subditos famis plaga adeo vexatos, ut tandem ipsam regiam stirpem attigerit. Expende jam tecum, Vir clarissime, quibus te verbis coram tribunitia Saxonis potestate, (a qua tu unice dependere mihi videris) possis excusare. Considera quoque, quo fine mihi axioma Aristotelicum e Lib. 1. Eth. c. 6. petitum tanquam Gorgoneum caput objicis: Una videlicet hirundo non facit ver. Postremo quasi devicto jam insultans, subjicis ἀπροσδύνατα esse, & Longobardis propria, quæcunque pro sententia mea firmanda adduxeram, verum ni ante victoriam triumphum canere libuerit, rejicienda tibi prius argumenta omnia & fide digna auctoritatis historicæ veniunt, a me hactenus diducte satis allatæ, quibus populum sub Snione egressum Cimbricum fuisse demonstravi. Prima sententia hoc pacto ventilata, ad eos transis, qui Oceani eluviem expeditionis Cimbricæ causam tutari aggressi sunt, verum cum eorum opinionem indeterminatam relinquens, Strabonem & Pontanum secutus eos saltem erroris arguas, p. 18. qui ordinarium fluxum ac refluxum maris veram egressionis Cimbricæ causam autumant, quosque non ita pridem Lætus noster refutavit (de quibus quoque pauca in meis ad te missis literis) nolo me ulterius circa ea discutienda diffundere, quæ assertioni meæ nequicquam arrogant vel derogant. Tertiam Auctorum opinionem subnexui de Imperii Saxonici impatientia, quam intactam quoque relinquis, tantum monens me Saxonem, quo me tutari possim non recte habere; sed cum Saxo ne verbum quidem in historia Snionis de onere Saxonico notaverit, quo jure eum mihi opponis non capio, nisi ad vulgatum recurrere volupe fuerit, me turpiter Longobardos cum Cimbris confundere, & mera ἀπροσδύνατα statuere, a quo tamen crimine quam sim alienus superius probatum dedi, nec unquam nisi meliora & certiora monstrata fuerint, sententiæ meæ quicquam (quod spero) decedet. Sed quicquid tandem sit, gaudeo, & gratias tibi ago debitas, Vir clarissime, quod gloriæ immortalisque famæ cupidinem veram Cimbricæ hujus expeditionis a me hactenus propugnatam causam p. 18. resp. magni faciendo approbes, eandemque (ut ais) ex Auctoribus astruxisti. P. 19. putas me Saxoni notam impegisse, sive fabulæ, sive inconvenientiæ, id vero quomodo ex literis meis exsculpere velis, non possum colligere. Ita enim epistolæ meæ verba habent: Ni obstaret Saxonis gravissimi Scriptoris auctoritas, quæ huic narrationi probabilitatem aliquam videtur conciliare, non vererer sane hanc historiam, cum innumeris aliis, quibus Saxonis nostri historica monumenta scatent, ad eos ablegare, qui fabulis conscribendis insignem conantur

Ante victoriam triumphus.

Utrum oceani eluvies expeditionis Cimbricæ causa.

Opinio de Imperii Saxonici impatientia relinquitur intacta.

Longobardi cum Cimbris non confunduntur.

Vera Cimbrice migrationis causa adprobata.

de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.

locare operam. Hæc omnia conditionaliter modo posita, nisi vim verbis inferre velis, simpliter accipi non debent, cum ipse p. 19. hujus Apol. styli hujus durioris (ut videtur) rationem manifeste satis reddidi. Quod de causa egressionis Cimbrorum, non vero ipsa (ut eadem p. 19. conjicis) migratione subdubitaverim, inde nec ita inferre licet: Qui de historiæ alicujus circumstantiis dubitat, ipsi historico notam fabulæ & inconvenientiæ impingit. Ni etenim (teste Philosopho 3. Metaphys. 1.) de rebus obscuris bene quis dubitet, veritatem vix inveniet, unde primus ad scientiam gradus dubitatio. Et si vel maxime integram hanc historiam in dubium vocassem, eversam inde Saxonis auctoritatem haud quisquam recte dixerit; cum auctoritas humana nullum scriptum extra dubitationis aleam possit locare, & ipse Saxo loco a me in Epist. citato ejus sit candoris, ut fidem historicam arbitrum pensare jubeat. Saxonem ea, quam cum reliquis historicis meretur, fide suscipio, ac gravissimum patriæ nostræ scriptorem veneror atque æstimo. Ultimo transis ad Gothorum & Normannorum expeditiones, annum ex variis historicis cuilibet assignans, & utramque a Saxone prætermissam testimonio Pontani probans. Verum cum de Longobardica solum migratione mota fuerit controversia, digitumque tantum in emigrationum ordinem & annos (de quibus te tamen acturum p. 2. tuæ resp. negasti) intendas, ut p. 20. scribis, nolo ultra controversiæ limites divagari, unica votorum summa erit, ut si quæ de Longobardorum expeditione certiora noveris, discendi cupido non graveris communicare. Quod si quoque Chronologorum dissentientem hac de re calculum conciliaveris, ingens sane reliquis tuis in me meritis cumulus accedet. Pontanus enim annum huic sub Snione ductæ coloniæ tribuit 484. post natum Christum, quod p. 10. laudas; Chronicon vero Guthlandicum p. 103. annum numerat a nato Christo 384. Calvisius p. 564. chron. annum ponit 379. Experientissimus Wormius Lib. 3. monument. Dan. p. 153. annum assignat 290. Taceo Crantzium, Alstedium, Witfeldium, Lazium & reliquos.

Epistolæ verba non simpliciter accipienda.

Primus ad scientiam gradus dubitatio.

Transitus ad Gothorum & Normannorum expeditiones.

Chronologorum dissentiens calculus.

Atque hic præsentis discursus finis esto.

Catalogus Auctorum, qui huic tractatui historico conscribendo operam suam locarunt.

Aelianus
Aristoteles
Alstedius
Biblia
Berneggerus
Berhault
Boëthius
Calvisius
Cicero
Crantzius
Cluverius
Chronicon Guthl.
Diaconus
Gellius.
Horatius.
Isidorus
Justinus.
Lætus (Erasm.)
Lazius
Livius
Lyscander (Claud.)
Meursius.
Peucerus
Plinius
Pontanus.
Quintilianus.

Roterodamus (Erasm.)	Stephanus (Carolus.)	Valerius	Wittellius
Saxo	Tacitus	Virgilius	Wormius.
Scaliger	Terentius.	Witfeld	
Seneca	Vellejus (Andreas)		

XVII.

JO. JAC. DÖBELII ET CASP. VOGTII OTIUM MECKLENBURGICUM SEU DE ANTHYRIO EJUSQUE ET MECKLENBURGICIS INSIGNIBUS CONTENTIO.

Döbelii de Anthyrio & Bucephalo assertio.

§. 1. QUi nuper, cum essem Wismariæ ob aurigantium perversitatem docto tuo discursu temporis molestias fallere sum præpeditus, hac data occasione copiam tibi facio quantulæcunque meæ in historicis suppellectilis librariæ promissi memor. Relictos frontispicio Poëtas avellere nolui, quod tuum in Poëtas studium & favorem habeam commendatum. Ceterum de Antirio, quem movebas præsenti scrupulum, eum hoc ardentius eximi rogo absenti, quo firmius mihi virorum gravissimorum est injectus autoritate. Equidem parit errori patrocinium errantium multitudo; quamdiu vero in foro, actore non probante, reus absolvitur; sic in possessione theseos constitutus, haud dejici tamen se de ponte patitur, donec antithesis omni discussa objectione probetur. Apud Piccartum Becmanno de originibus allegatum scribit Freinshemius in Curtium L. VI. c. 5. n. 18. fabulam de Megapolitanorum ducum insignibus reperiri; sed Lazius apud Becmannum rem pro historia habet. Et licet eam Micrælius syntagmate historico L. 3. Sect. 12. c. 27. eludere conetur, quod, quæ de Bucephali capite ab Antirio insignium loco adhibito feruntur, fabulam sapiant, nec ullo fundamento Bucephali caput taurinum fuisse probari possit. Videtur tamen hoc ipso Vir cetero quin doctissimus egisse nihil, quam quod favore patriæ abreptus antiquitatem ducum Megapolensium tacite postponere tentarit antiquitati Pomeranorum. Neque etiam Thurius aut Münsterus antiquitatis Mecklenburgicæ assertores taurinum Bucephalo caput adscribunt, quod tamen autoritate Pompeji Festi, Strabonis, Plinii, Solini, Gellii facere facile potuissent. Horum enim omnium fidem firmamque eadem de re relationem dubiam reddere quid aliud est, quam omnem fidem historicam evertere velle. Videri quidem potest ab equina natura, torva taurina, adeoque ferocissima frons (qualis vel Plutarcho teste Bucephalo creditur fuisse,) aliena; re vera tamen ab eadem haud magis aliena est, si extraordinarios naturæ lusus cogitemus, quam fuere a velocissimo quondam equorum, cujus exuvias in arce Breda asservari atque subinde ostentari memini, cervini, aut a Julii Cæsaris caballo olim humani prope pedes alieni. Quin potius, siquidem externis interna patefiunt, haud improbabile venit, tam Græcæ quam Romanæ Monarchiæ fundatorem gavisum fuisse equo plane singulari, cujus virtus æque ac habitus externus a communi equorum conditione tam fausto abierit omine, quam erat Xerxi infaustum ex equa leporem, atque Romanis ad Sinuessam ex bove equuleum nasci. Moveat forte quempiam magnus Alexandri in Bucephalum affectus, quo etiam universam Mardorum gentem exstirpare fuerat minitatus; Tantum vero affectum in equum taurino capite præditum, adeoque monstrosum de tanto rege haud esse concipiendum quis suspicari potest? Verum enim vero non abhorruere veteres a figura bovina, quin adeo potius fuerunt eadem delectati, ut plurimi regum eandem insignium loco elegerint, Athenienses moneræ impresserint, & præter Turinum Bœotiæ atque Italiæ universæ a bubus nomen inditum sit. Jupiter denique ipse, cujus se filium Alexander gloriabatur, tauri assumsisse figuram fingatur. Neque etiam unius atque alterius nationis equinum pecus taurino longe præferentis opinione simpliciter est standum, quandoquidem vice versa Indorum magnatibus hodienum equorum loco boves adhibeantur, occisio contra eorum hactenus Japanensibus piaculo habita sit, quos apud & fanum boum est reperire. Quin ulterius progressi comperiemus, Coreensibus quoque fuisse hactenus bovem divino prorsus honore cultum, alios pro bobus, ut valerent, vota fecisse, alios capita bovina suorum animabus immolasse, quam diu in hunc usque diem quotannis vacca immolari mos fuit fontibus Nili. Quidni vero magnus fuerit Alexandri in Bucephalum affectus? cui non tam forma externa, quam virtus credenda est in pretio fuisse, quique ipse Delphico fuerat oraculo ob Bucephali regimen in Philippi successorem declaratus.

Ceterum quamvis negemus & nosmet ipsi taurinum Bucephalo caput; ex Logicorum tamen scholis constat, unius effectus varias esse posse causas; adeoque etiam subesse posse rationem, qua bubulum insignium Megapolensium caput Bucephalo veniat adscribendum. Fuit hic ipse citra controversiam Thessalus equus, & largior utraque manu Piccarto, atque,

An Anthyrio Bucephali caput insignis loco usurpatum sit?

An Bucephalo Alex. M. caput taurinum fuerit?

Boves veteribus in pretio fuerunt.

Alexandri affectus in Bucephalum unde?

Bucephali nomen vel atiori ca

pite vel a nota inusta.

atque, ut alios præteream, Aristophanis Scholiastæ, Bucephalos fuisse antiquitus a Bucranii herbæ inusta nota appellitatos; sed illud mihi quoque concedi par est, βουκράνιον & voce idem esse, quod bovis caput aut cranium, & teste Botanicorum choro floribus seminisve emissione vitulinum aut bovinum caput nareisve vitulinas referre, unde & antirrhinum græcis, germanis *der Kalbs-Kopf*, item *Ochsen-Kopf* audit. Jam si ad Antirium respiciamus, qui mortuo Alexandro M. præcipuæ suæ navis, qua hasce fuerat oras advectus, velum Bucephali nota fertur ornasse, & postea primus Herulorum Rex salutatus esse, non fabulam, sed historiam sapient, quæ proferuntur, adeo, ut quisquis alio ante nomine præditus, primitus huc advectus fuerit, a Bucephali seu potius Bucranii aut Antirrhini in velis nota, facillima literarum quarundam ex *Antirrhino* excussione, ANTIRII videatur nomen consecutus. Atque tanto faciliori dignum mihi est assensu, quanto promtius atque usitatius veteribus erat ab adjuncto aliquo seu insigni quapiam affectione non privatis tantum, verum etiam principibus atque integris nationibus, aliud atque aliud nomen imponere pristinumve mutare. Cujus quidem rei testes sunt locupletissimi Henrici Leonis a leonina generositate, Longimanus a longiori manu, Saxones a magnorum cultrorum, quos veteri lingua sahs dicebant, usu; ipsi denique Heruli, quasi Heleri a palude Mæotide, quod ἕλος græcis paludem notet, Jornandi appellitati. Fateor heic demum amplum sese offerre differendi campum de occasione migrationis a Vandalis ex patria versus paludem Mæotidem susceptæ, de Herulis & Amazonibus majoribus Antirii creditis, de hujus in Vandaliam atque in specie Megapolin per tanta tamque incomperta tum temporis, ut credi posset, marium spatia reversione; Verum enim vero ne justo longior hac vice prima epistola excrescat, calamum hoc promtius pono, quo magis ad operas publicas avocor, quarum communicationem æqui bonique consuli rogo, qui amussitatum Tuum, Vir Amplissime, judicium super hac, ad b. Micrælii aliorumque prætensam consequentiam responsione in antecessum quam officiosissime expecto atque exspecto. Rostochii d. 17. Jun. 1680.

Anthyrius gentis conditor venditatur. Mecklenburgensium insigne a nota navis indita.

Voigtii responsio.

§. 2. Literæ Tuæ una cum parte Catalogi Bibliothecæ, quam data occasione remittam, probe mihi redditæ gratissimæque fuere, tum quod favorem Tuum confirmant, tum quod de antiquitatibus patriæ, quam Tu quoque & voce & scriptis ac consilio in illustri Academia pro viribus ornas, mecum confabulari gestiunt. Quanquam autem ego studium istud antiquitatis patriæ, quod hic terrarum nemo fere æstimat, cui nemo præmia statuit, quod nemo ulla re adjuvat, imo quod plurimi, quorum penna mere meretrix est, quique ad solam crumenam bene farciendam properant, falsæ rident, annos jam bene multos, præ graviori tamen aliqua & qua patriæ quoque vetustissima non parum illustrari poterunt, cura, a qua adhuc ægre divellor, sepositerim; nolui tamen desiderio Tuo ac quæstioni de Alexandri M. Bucephalo & Anthyrio gentis Herulæ hisce in terris sive conditore sive primo rege putato deesse. De Bucephalo equidem Alexandri M. fateor, me non credere, bovino capite eoque cornuto fuisse. Ut autem brevibus me hic expediam, refero me jam ad Becmanni origines Latinæ linguæ voce Bucephalus ac Gerhardi Joh. Vossii Etymologicum Magnum eadem voce, & quæ porro ibi a particula BU incipientia sequuntur, quos si forte Tibi ad manus non esse audivero, exscriptos hac in parte mittam, ubi leges plerosque in literis Tuis allegatos auctores, Festum, Strabonem &c. id quod Tu arbitraris non statuere. Et quanquam ejusmodi sive lusus sive παιγνίαλα naturæ, de quibus scribis, interdum dentur, principibusque præcipue viris in deliciis sint, non tamen crediderim Alexandrum ejusmodi monstro in bellis gravissimis usum esse. In ea itaque sum opinione, Bucephalo, aut equi justo majus capite fuisse caput, quod particula ἀυξητικὴ & ἐπιτατικὴ BU prodit, aut ea istud designari, quod idem equis Thessalis dicti autores non leviter probant. Si autem id, quod Tibi placet, vel maxime demus, quid ad nos? quid inde Tuæ de Anthyrio & insignibus Mecklenburgicis causæ subsidii? neque enim firma est collectio: Alexandri equus taurino fuit capite, ergo insignia Mecklenburgica originem inde sumsere: Heneros Paphlagones in exercitu Alexandri fuisse, docet Q. Curtius l. 3. c. 1. Sed hosce an Slavos an Teutones facias, an Horræos & Idumæos, quales nostros esse vult vir quidam magnus Academiæ vestræ, an neutros horum, propediem ex Te audiam; licet, quid plerique eruditorum, sed falso, velint, probe norim: istos vero Henetos ab Anthyrio aliquo hisce terris assumto Bucephali capite & Grypho aureo inductos esse pernego, neque facile absurdius quicquam fingi potuisse statuo. Ubi enim illustris ille in Alexandri exercitu dux Anthyrius? cui autori memoratur? nulli sane inter clarissimos tot scriptores, cum omnium aliorum belli ducum nomina & facta egregia literarum monumentis usque huc integra legantur. Quid ergo familiæ gentique illustrissimæ juxta ac antiquissimæ, cum obscuro ejusmodi nulliusque gloriæ Anthyrio? Ignorabimus potius, maximo summæ antiquitatis indicio tantæ prosapiæ Genarcham & Hegemonem, quam ut ex ejusmodi larvis ac lemuribus Anthyrium, quem sol nunquam vidit, accersamus. Novi equidem quem in Alexandri exercitu faciant hunc Anthyrium fabularum fartores; sed ex Te quoque audiam, an cum illis transeas, idque cum rescivero, amice, sed condigne respondebo. Et ecce, ut aperte dicam, quid animo geram, ante *Nicol. Mareschallum, Serenissimi tum principis Henrici Cancellarium*, Annalibus Herulorum scribendis adhibitum, natione Thuringum, unde se voce insolita Thurium vocat, hominem turgidi, si quid ex stilo judicare liceat, spiritus, ante, inquam, *Mareschallum illum Rostochii anno* 1525. *d.* 12. *Julii* mor-

Bucephalus Alex. unde dictus?

Negatur Anthyrius gentis Herul. conditor.

Mareschallus fabulæ arguitur & insolentiæ.

mortuum, nemo Anthyrium iſtum novit, nemo vel fando aliquid de illo audivit, quod, ſi aliter ſe habere monſtrare poteris, magnam profecto, Vir experientiſſime, a me gratiam inibis & indicinam Tibi debebo. *Albertus* ſane *Crantzius*, Vandaliæ ac Saxoniæ &c. ſcriptor diligentiſſimus, Rector quondam Academiæ Veſtræ circa annum 1482. digniſſimus, paucis ante hunc Mareſchallum annis ſive ſimul cum eo ſcripſit, & anno 1517. placide mortuus eſt, Anthyrii vero illius æque ac Bucephali Megapolitani ab Alexandri Bucephalo deſumti nullam plane, quod ego ſciam, mentionem injicit, cum id tamen, ſi non alibi, commodiſſime facere potuiſſet, imo debuiſſet *Vandaliæ lib.* 14. *c.* 33. ubi refert orationem, qua hic Wismariæ in æde D Georgio ſacra magno regionis principi Magno juſta fecit. Münſterus, Lazius, Becanus, Piccartusque, quos mihi narras, quo loco habendi ſint docebunt eruditi: unde miror, quod eos Meclenburgicæ antiquitatis aſſertores appellare audeas, cum corruptores perverſoresque nominandi ſint. Quicunque autem demum ſint Crantzio Mareſchalloque poſteriores ſunt, atque Munſterus quidem obiit anno 1552. Lazius Viennenſis, Imperatoris Ferdinandi I. Medicus ac Hiſtoricus, libros de gentium migrationibus anno 1555. ſcripſit, eum qui vituperent, habeo bene multos, qui laudet, neminem. Becanus, Medicus Antwerpienſis, cujus encomia leges in caſtigationibus Joſephi Scaligeri ad S. Feſtum Pompejum de Verborum ſignificationibus p. 16. voce Ambactus, & apud alios, exceſſit anno 1572. Johannes Piccartus Touterianus Gallus anno demum 1556. Pariſiis libros V. de Celto-Pædia edidit. Hi ſunt illi Tui autores, quibus Anthyrium cum Bucephali capite aſſerere conaris, inter quos nemo, iterum dico, fide dignus eſt, cum ab ore Mareſchalli conductitii & exteri ſine dubio pendeant omnes huncque cœco ſequantur ductu, neque referant, quinam ipſis genius hunc Anthyrium cum Barvano affine & uxore Symbulla cæterisque nugis nugaciſſimis aperuerit. Iſte quoque Mareſchallus lib. 2. Annal. c. 1. Herulos ab ἕλος, palus, derivat inſaniſſime, quaſi vero Græci Germanæ genti nomen dederint, præ quo ego ſane lepidiſſimas Becani affanias amplectar, qui eos *die Heer-Uhlen*, ululas exercitus, dici commentus eſt, quas forte in ſignis ad vigilantiam ſuam teſtandam geſtarint: & cur a Græco ἕλος? id enim a Teutonibus, ceu infinita alia, ſublegere Græci, quibus vorago quævis violenta aquarum irruptione facta *eine Wehle* dicitur: Unde Velaviæ urbes regionesque complures in terris Teutonicis *Werlen* ſibi dicuntur; hi populi non Veleri vel Heleri, neque in paludibus, ſed terris feraciſſimis habitant; ſed & Mareſchallus ille, libro I. c. 2. commentorum ſuorum ex relatione Pytheæ Maſſilienſis, Herulos in oceani Cimbrici littore conſidentes injuriis aquarum expulſos una cum Cimbris ſolo patrio exceſſiſſe docet, quod Cluverius Germ. Antiquitatis lib. 3. c. 22. p. 91. in annum mundi termilleſimum rejicit. At cur non tum aliquem Anthyrium ducem finxit, cum id ſexcentis & ultra annis Alexandro antiquius ſit, ſi gloriam gentis ab ovo, quod dicitur, repetere voluiſſet. An forte tum gens obſcura ac ſine Duce atque ſignis grex fuit? Cur taurinum iſtud caput, quod Meclenburgica ſigna oſtentant, non a Cimbris Germanorum primo genitis, quos taurinum perpetuo in ſignis caput ſeu Taurum prætuliſſe ex *Plutarchi Mario* eorum & Teutonum, harum terrarum populi, ante Chriſti tempora ſtatuunt eruditi, quique ſine dubio ipſi Ægypto cultum bovis intulerunt, a quibus idolomania hæc poſtea ad Judæos tranſiit, cur non, inquam, ab iſtis, quod omnino debebat, repetit? præſertim cum Bucephalus non tam taurum, ſive animal taurino, quam magno capite, ſignificet, quoniam novimus particulas ἰφι, βοϑ, ζα, λα, λι, æquipollere, & in iis vocibus, quibus componuntur, ſignificationem tantum augere. Quod de Bucranio & Antirrhino conjicis, nimis ſubtile, nimis Græcum, nimisque Medicum eſſe videtur, cum veteres fuerint ſimplices, & Medicinæ minus ſtudioſi, neque medicum fuiſſe nominis datorem, probari potuit. Quæ cum ita ſint, quomodo in poſſeſſione theſeos Te conſtitutum dicere poteris, unde dejici per anthiteſin probandam debeas? An fabula veritate antiquior potiorve erit? an ſigmenta veritatem de ſede deturbabunt? an malæ fidei poſſeſſor poſſeſſione ſe tuebitur? abſit. Si enim id Tibi valebit, valebit aliis quoque (ignoſce veritatis cauſam agenti) nugatoribus. De Stadio urbe ſcribitur, ait Griphiander de Weichbildis Saxonicis in præfatione n. 44. quod Saxones ex Alexandri M. exercitu navigiis Albim intrantes hic ſtationem invenerint urbemque conditam exinde appellarint. Qui adventus cum fabuloſus ſit, ut diximus, ſequitur, & ædificationem & notationem urbis ejusdem farinæ eſſe, & antea ibidem n. 22. Suffridi Petri ſcriptoris Friſii ineptiæ, qui, ut Goropio Becano originem Cimbrorum ex ipſo paradiſo repetenti nihil concederet, Friſios, ex neſcio qua regione Indiæ, cui Benedictæ Friſiæ nomen, arceſſere illisque Duces ex Alexandri M. exercitu præficere pulchrum duxit &c. Ecce, par pari, ceu Tui in poſſeſſione ſunt, ita iſti quoque! De Anthyrio quid Præceptor olim meus optimus Micrælius ſentiat, in ejus præfatione libri IV. des alten Pommerlandes videbis, ubi præter Munſterum & Lazium etiam Hieronymum Henningeſium & Aldrovandum veſtrum ejus fabulæ incautos ſectatores citat, & præterea de taurino capite pluribus agit, addens quoque referri, exſcenſionem e navibus ad Oderam feciſſe & quicquid ipſe, timidior licet aliquanto, fabulam quoque de Anthyrio eſſe exiſtimet, alibi tamen Duces Megapolitanos Pomeranosque ejusdem ſtirpis eſſe monſtrat, ut itaque metuendum non ſit, eum origines Megapolitanas ſive deterere, ſive ſupprimere voluiſſe. Si quid porro in his veri eſſet, ſane gratulandum *Wismarienſibus* meis foret, quorum ſigillum majus conſtat nave, ad cujus malum pendet ingens *taurinum* caput, avicula, quæ forte *Gryps* eſt, in

Impr. Crantzii ſilentio.

Aliorum auctoritas rejicitur.

Herulorum etymologia Mareſchalliana nugaciſſima. Itemque Becani.

Herulorum hic ſedes antiquior Alexandro M.

Cur ad ea tempora non reſtauratur Anthyrius queritur.

Bucephalus quid ſignificet?

Stadii urbis nomen falſo derivatum.

Wismarienſium inſigne ex iſtorum rationibus pre-

cipua foret antiquitatis.

in prora constituta, cujus apographum seu ectypus, cum Tibi debeamus, in Tuis forte est manibus. Id sane vobis auctoribus, Anthyrio debemus, ideoque exscensionem hic factam esse oportebit, cum nulla in tota Megapoli, Pomerania aliisque provinciis, de ejusmodi Anthyrii, iisque integris signis urbs gloriari queat: ea nostra est antiquitas, is honor, quem ego tamen eludere non vereor. De Tauro sive Bove quid in jure insignium valeat, quid denotet, si quid legere gestis, videbis JCtum *Theodorum Hopinck de jure insignium c. 6. part. 5. §. 8. p. 355. n. 769. & c. 9. n. 158. & seqq. p. 610. 611.* Hisce, Vir experientissime, hac vice æqui bonique consule, cum epistolæ modum excesserim, & si quid forte debito acrius calamus exceperit, benigne interpretare, cum non Tibi, sed causæ id datum sit fabularumque autoribus, qui acri satis sale defricari non possunt; cum alias nugas suas studiose fictas incautis propinent. Si quid non satis discussum reliqui, monitus adhuc discutiam, quamvis, ut antea professus sum, ægre a studiis meis plurimam curam requirentibus & præ quibus hæcce nihili fere puto, divellar. Vale, Vir experientissime, non medice sed pancratice & rem Tuam porro bene age faveque. Scr. Wismariæ d. 27. Jun. 1680.

P.S. Quæ de Italia, a vitulis dicta & Bœotia a bobus, refers, itidem falsissima sunt, ceu alibi ostendam. Neque etiam Alexander Romanæ Monarchiæ fundator haberi potest, nisi tres tantum velimus statuere Monarchias gentesq; diversas easdem facere. E Bibliotheca Vestra primum quidem perlustrare aveo n. 1396. notatum Marsilium de Origine Italiæ & Tyrrhenorum, si aliquando commoda occasione per amicum, vel alias notum, transferri poterit; remittetur cum DEO & gratiis, sine damno. Henr. Meibom. Histor. Bardewic. pag. 126. Nicolaus Mareschallus cædis (duorum e 72. Christi discipulis per B. Petrum in Teutoniam missorum Materni & Ægysti) autores facit Thurios, qui ipsi iidem cum Thuringis, exemplo fortasis Donati Acciaioli, qui vitam Caroli M. descripsit & Thuringos Thurios vocat.

Döbelii ulterior rei disquisitio epistolica.

§. 3. Quam nuperæ Tuæ mihi gratæ fuere, tam mitto hac occasione officiose Myrsilii Lesbii sive libellum sive fragmentum de Italiæ origine penitus descriptum. Ad Antirium quod attinet, haud parum dubito, graviore negotiorum mole occupatum, lana, quod ajunt, caprina, ulterius Te irretire. Namque & mihi jamdudum hujuscemodi curiositates hoc visæ sunt vaniores, quo minus est in Viri Vinique boni originem inquirendum; quo difficilius est aliorum natales genuinos exprimere; quo magis, quæ ad antiquitatem Vandalicam & in specie Megapolitanam facere videntur, noctis sunt inclusa ovo; quo frequentius hac opinionum farragine sua cuique Phyllis placet; quoque satius est, docere quid faciendum sit, quam quid factum, & longe potius, non Deorum quidem, ut Seneca loquitur, sed DEI nostri opera celebrare, quam Philippi aut Alexandri latrocinia cæterorumque, qui exitio gentium clari non nisi pestes mortalium fuere. Quandoquidem vero hoc maxime tempore intentus cæteroquin animus levidensibus quibuscunque & parergis solet relaxari; haud feres indigne, Vir amplissime, si suasu Tuo & hortatu, qua par est humanitate, unum atque alterum ad allegatas Tuas nuperas reponam, quandoquidem.

Dissentire duos de rebus iisdem
Innocua licuit semper amicitia.

Derivatio Bucephali Vogtiana in dubium vocata.

Et primo quidem deterreor circa Bucephali etymon Tecum in particulam intensivam βα descendere, ob vitium proportionis, ex quo necessario functiones etiam vitiosæ, vel in bestiis resultant, ut caput justo majus in equis fallaciam gressus sive incessus post se trahat, quemadmodum cum optimi equi nota est caput argutum, de quo præter Philippos alios Virgilius l. 3. Georg. v. 79. &c. Horat. lib. 1. sat. 2. v. 86. Interea simpliciter subscribo Tecum non tam Becmanni originibus, & Vossii Etymologico, sed quæ uterque eodem quasi ore ex Piccarto promunt atque hic ex Aristophane maxime ejusque Scholiaste, presso tamen loco (qui est in Nubibus Act. 1. sc. 1. p. 23.) excerpsit, quibus ego, quæ Suidas habet, subjungo: οὐδὲ γὰρ βουκεφάλας καλῶμεν διὰ τὸ μορφὴν τοιαύτην ἔχειν, ἀλλὰ διὰ τὸ ἄτε κεχαράχθαι. Contra respexisse Festum & Strabonem inter alios Bucephali etymo ad bubulum caput, ex ipsorum textibus, nisi me oculi & animus fallunt, liquido patet, quorum tamen transcriptione supersedeo, quod iis ipse, Vir amplissime, gaudeas, & Vossio cap. I. jam sint transcripti, ut maneat conclusio mea: potuisse Mareschallum, Munsterum & alios, virorum istorum autoritate seductos, bubalum Bucephalo, quasi naturæ lusibus minime imposibile, caput adscribere, quod tamen minime ab iis est factitatum.

Præstantia equorum ex capitis forma judicatur.

Sed quorsum isthæc, inquis, & quæ est ratio concludendi? Alexandri equus bucranii charactere fuit insignitus, ergo idem est insignia Mecklenburgica ingressus? fateor hic nullam me videre consequentiam; ast hic est argumenti nexus. Antirius appulit ex Alexandri exercitu navi bucranio sive bucephalo notata, haste oras, inque iis Rex constitutus bucranium seu bubalum caput insignium loco adhibuit. Ergo successores ejus & consequenter Duces nostri Megapolenses retinuere in insignibus suis bubalum caput. Heic vero Rhodus, heic saltus, quem minime probari posse scribis, quod minime constet, qui qualesve fuerint Heneti in exercitu Alexandri, nec ulli celebriorum Autorum adeoque nec ipsi Cranzio, veloptima oblata occasione Antirius sit nominatus, cum teste Höppingio, taurinum caput, non ex putatitii Antirii navi, sed ante Christum natum jam *in Prudentiæ & Fortitudinis symbolum* adhibitum fuerit, ut superiori demum seculo, Mareschallus homo turgidus, nulla probata fide fultus, Antirium primus producat.

Duces Mecklenb. ab Antirio bucephali insigne recepisse pugnatur.

Taurinum caput veteribus virtutis signum fuisse perhibetur.

Hunc vero Mareſchallum cæteri omnes conductitii cœco ductu ſequantur, qui tamen inſanisſime Herulos ab ἕλος derivans eadem facilitate tot ſeculis ante Alexandrum, Antirium quempiam fingere atque introducere potuiſſet, qui, ſi ſuo talo ſtaret, inſignem præ omnibus aliis civitatibus Wismariæ gloriam conciliaret.

Antirius gentis conditor aſſertus vindicatur.

Atque hæc quidem omnia, fateor, ita ſunt comparata, ut prima fronte Antirii aſſertores plane obrui videantur. Horum vero numero etiamſi nullatenus me ita adſcribam, ut pro Antirio tanquam pro aris & focis pugnem; tamen iterum proteſtor, Vir Amplisſime, haud ægre feres, ſi, quæ ab Antirii defenſoribus forte reponi poſſint, animi relaxandi gratia, hancce quaſi in ſcenam producam. Et quidem quod Henetos exercitus Alexandrei attinet, in propatulo ſunt, quæ de iis Raderus & poſt hunc Freinsheimius adducunt: at vero Antirii aſſertores aperte dixerint, Vandalos fuiſſe, quo etiam ut pluſcula probationis argumenta hac vice præteream, autoritate Reineccii Freinsheimius haud parum inclinat. Antirium vero ipſum velle negare, quod ſynchronis autoribus non ſit allegatus, eſt argumento negativo procedere velle, quod tamen extra fidei articulos minime procedit. Quot enim egregiæ res geſtæ ſunt, quæ vel ob ſeculi barbariem, vel temporum injuria literis non ſunt mandatæ? ut ipſe Tacitus doleat, tam pauca de Germanis atque a Germanis ſcriptitata. Fateor nec in Crantzio ſedulo cæteroquin ſcriptore me Antirii memoriam notaſſe, interea provocat ad Crantzium Pantaleon Proſopographiæ lib. 1. p. m. 65. Et licet optima circa Magni Ducis parentationem de Antirio agendi occaſione nactus fuerit: tamen ut aperte teſtatus, pro ſcopo non habuit Ducum Megapolenſium Genealogiam pertexere; ſed ſui Principis tunc temporis defuncti virtutes & gloriam faſtidii præcavendi gratia per ſumma tantum capita concioni commendare, qui, quod familiam ipſam ſpectat, a mille annis & longe ſupra, adeoque ante natum Chriſtum, hanc Principum domum floruiſſe, optimis & certisſimis documentis probari poſſe expreſſe ſubjungit, utut ea nec proferat, nec ante ipſum, quantum ſcio, ulli ſint probatiorum autorum publice prolata. Idem Crantzius Wiſimari quidem, Bilungi, Miſtævonis, Anodrachii &c. ſuis meminit locis, Radagaſi vero, Corſiconis, Fredebaldi, Gunderici, Genſerici, Viſilai, quantum recordor, non meminit, exin tamen neutiquam iidem ſunt ex Regum Herulorum catalogo excludendi. Höppingius allegatus, etiamſi taurinum caput ex Plutarcho in Cimbrorum inſignibus agnoſcat, nullam tamen gryphis mentionem facit. Contra tam in Megapolenſium, quam Pomeranorum ducum hiſtoria utramque pene paginam Antirii allegatione abſolvit. Mareſchallus utrum turgidus fuerit aliis defendendum committo. Certe monumentum Dobberanenſe, quod Princeps ipſi poſuit, eum literarum & linguarum omnium doctisſimum, jurisprudentiæ inſigniter clarum, beneque de Megapoli meritum, facit. Neque etiam ipſi vitio vertendum, quod Thurium a patria ſe appellitarit: quum nihil frequentius, teſte Sigonio de Romano nomine, antiquitus fuerit, nec usque adeo Thurii vox inſolita ſit; quandoquidem & Octavius puer a Thurina Thurini cognomine eſt ſalutatus, & hodiernum Regiomontanus, Fabritius ab Aqua pendente Querceta-nus, alii a patria denominati, ſuæ facultatis doctoribus ſint ſatis noti. Cæterum commentum eſſe Marſchallum Antyrium citra talionis metum affirmare neutiquam auſim, qui quod mihi fidei tribui geſtio, nemini niſi urgentisſima & manifeſta quidem cauſa detrecto. Contra potius, quæ cæteroquin haud ſuſpicatur charitas, poſt dignitatem, dexteritatem, & occaſionem, quam habuit Mareſchallus ſcribendi, heic credere jubet, gaviſum eum fuiſſe ex Archivo Principum documentis, quæ Crantzius ſupra pro optimis & certisſimis agnoſcit, & ad quæ non cuivis aditus pateſcit. At quæ hæc fuerint ſanctuaria, ex quibus ſe excerpſiſſe, quæ ſcripſit, ipſe Mareſchallus præfatione in annales Herulorum teſtatur, ſimulque nihil a ſe eſſe ſcriptum proteſtatur, niſi quod ex fidisſimis majorum monumentis oculatus teſtis transcripſit. Quod ſi adverſus teſtimonium domeſticum quis excipiat, reſpondebunt Tacitus & Bertius ipſeque inter alios Myrſilius, ubi de gentis antiquitate majorem fidem ipſi genti & vicinis, quam remotioribus & exteris habendam eſſe inculcat. Inſanisſime Mareſchallo Herulos ab ἕλος eſſe derivatos, non dixerim, qui idem apud Jornandem jam reperio, de rebus Geticis p. m. 465. Derivet Cluverus eosdem ab oppido Hede, alii aliunde, alii indignam judicent cordato viro curioſam etymorum enucleationem, me non offendent: interea inſufficiens manebit argumentatio ab etymo deſumta. Utrum alii Mareſchallum cœco ductu ſequantur, κρινόμενον erit nondum deciſum. Et licet affirmative, quod vix ſperaverim, decidatur, non tamen viri, cæteroquin ſua laude digniſſimi, vituperandi venient, quandoquidem cum regibus ipſis & principibus indignum judicatur, ut joco hoc interſpergam, Mareſchallos ſequi, velut pro joco habeo, quando quæris, quare Mareſchallus ulterius non extendat Megapolenſium natales. Illud vero procul dubio feciſſet, ſi faſtuoſius limites genuini hiſtorici tranſiliendo, fingere potius, quam depingere Antirii majores voluiſſet, prout in Palatio Crajorum Lovanii eorundem Ducum familiam tabula ab Adamo, ſi recte memini, ſucceſſive oſtentat. Saxonum adventum ad Albim, negat Gryphiander, haud tamen ſatis eſt negaſſe, ſed negationem firmiter probaſſe. Ut taceam Gryphiandri autoritatem autoritate Witichindi, & in ſpecie Alberti Stadenſis Abbatis p. m. 99. ab Antirii aſſertoribus dilui poſſe. Potuiſſe Antirium ab Antirrhino habere nomen, ſi nimis græcum nimisque medicum videtur, cum veteres fuerint ſimplices, & medicinæ minus ſtudioſi, dubito abſolute hæc proferri poſſe, cum multorum ætas & regio prudentia, eruditione & fortitudine

Synchronorum, inpr. Crantzii ſilentium unde?

Argumento negativo hic nullus locus.

Principum Mecklenb. antiquitas ab eodem aſſerta.

Ejusque documentorum approbatum autoritas aſſerta.

Cur Antyrii genus ulterius non deduxerit.

Mareſchallo vindicatur eruditionis & meritorum laus.

Herulorum derivatio.

dine multis parasangis nos antecelluerit. Et exulabunt jam Hippocrates, Dioscorides, Philippus Thessalus, ipse Aristoteles, Alexandro coævi partim, partim superiores, quorum qui se discipulum non fatetur hodie, quicunque medicina claret, næ media luce cæcutire atque sanioribus insanire videtur. Insignia Wismariensium facile adscripserint Antirio ejus defensores. Si est Wismaria quasi Megapoleos colonia & illa olim regia sedes ab Antirio fuit exstructa. Ea vero si aliter se habere demonstrentur, promoti necesse est pareant, sed interea aliam insigniorum dictorum destructæque Megapoleos originem & fundationem postulabunt. Plura addere vetat chartæ angustia, & avocat me, qui nostros aliquando Idumæos scribebat esse, disputatione sua publica, cuique æque ac Tibi, Vir Honoratissime, faustissima quæque precor, quamcunque Tibi inserviendi occasionem expectans. Rostoch. d. 7. Aug. 1680.

Italia a bobus denominata.

P.S. Italiam a bobus aliquando fuisse denominatam præter Cluverium Geogr. p. m. 283. & alios ipse Cato de Originibus p. m. 4. recenset. Quantumvis vero idem Etymon, non omni tempore, neque ab omnibus simpliciter fuerit admissum, non tamen video, quomodo, quæ relative allegavi nuper, simpliciter sint falsitatis arguenda. Notanter Virgilius VIII. Æneid. v. 329.

Sæpius & nomen posuit Saturnia tellus.

Alexandrum M. Romanæ fuisse Monarchiæ fundatorem, nunquam mihi in mentem venit, neque ex superioribus meis literis etiam patebit. Contrarium potius elucescit, quando apertissimis verbis & Cæsaris, tanquam Romanæ, & Alexandri, tanquam Græcæ Monarchiæ fundatoris, equos adduco, atque ex hypothesi in utroque singularitatem formæ accidere potuisse, agnosco. Sed transeant isthæc. Tu Fautor & Amice Honoratissime, iterum iterumque vale & fave ei, quem, quid de quaternario Monarchiarum numero alii statuant, minime fugit.

Carmen vetus heroicum de Anthyrio Gothicis literis scriptum Dobberani repertum a Döbelio descriptum.

Dass unsere hochlæbliche teutsche Vorfahren, ihre Ruhm-würdige Helden-Thaten durch unterschiedene Lieder (da wir sonsten nichts gedenckwürdiges vom Hercule, Achille, Hectore, Cyro, Themistocle, Alexandro M., Scipione, Hannibale, Julio Cæsare, Constantino, Theodosio, Carolo M. *und andern trefflichen Helden, die von Anfang der Welt bis auf unsere Zeiten gelebet, nachrichtlich würden erhalten haben) uns hinterlassen, erhellet aus unterschiedenen annoch vorhandenen Liedern, insonderheit aus des* Anthyrii *der Wenden Kænigs, gedenckwürdigen Lob-Liede, von welchem die hochlæbliche Hertzoge zu Mecklenburg, meine gnædige Lehns-Fürsten ihren Ursprung genommen und gewonnen; welches Liedes Abschrifft mir auch von dem hochgelahrten Herrn Heinrich Langermann, der jungen Herrschafft zu Mecklenburg Lehrgebietenden* Præceptore, *und der teutschen Sprache vornehmen Liebhabern, als es vor etlichen Jahren in dem Kloster Dobberan im Fürstenthum Mecklenburg, von etlichen Kayserlichen Soldaten, in einem vermauerten heimlichen Schranck wunderbahrer Weise gefunden, mir als ein altes Gedæchtniss mitgetheilet worden, dessen Worte also in Gothischer Schrifft, deren Buchstaben hernach sollen gesetzet werden, zu lesen. Dieses Lied kan in besagter Schrifft einem jeden, der es verlanget, gezeiget werden.*

Carmen Gothicum de Antyrio.

I.

Die Tugend hat ken Rast, sy schlaffet nicht in Betten,
Besonder sy trinckt Blut.
Das kan man Wagen seen, wy sy vor Thaten teten,
Der Reken hoher Macht
Sit su gekommen in du Schlacht.
Und manchen wilden Bidermann
Mit ihren Sturmgewand umbrachten,
Wy man noch hete sehen kan.

II.

Ein edler Kœnig rike, in diesem Lande ware,
Das Wenden Land genant,
Du mer behalten ist, so lange viele Jahre
Gar manchen Drud bekant.
Sen Name heisset sonst Anthyre,
Er war gar ein getreuer Mann,
Er führt mit Ruhm sein Ritter Ziere,
Als ihm solt wol anstahn.

III.

Sein Sinn war abgericht uf Bider Lob und Ehre,
Auf Manheit und uf Stritt
Das kan gar lœblich thun, ihn segge nach mit Fleiss sehre,
Gar dickes Land und Lüt.
Er war so gar ein starcker Reke,
Dass kiner ihm für kam gewis,
Der ihm sin grosses Sturmgedecke
Geamal zu mit Zorn entrus.

IV.

In Skimp und auch in Ernst kunt er zin in du Schlachte
Um seiner Freuden wegen.
Er thete den Freunden kein Leid, als wen su ihn hin brachte
In Nœte so verwegen
Mit süssen Worten war er lind
War gar ein wilder Kampffgebeuer
Zum Kriege war er so geschwind
Er slos aus seinem Munde Feuer.

V.

Er hat ein Degen skarffe und der war so genæte
Wen er einen betroff,
So sprunge Blut heraus, und es kam gar zu spete;
Errettung vor den Schlæffe.
Des Degens Klinge war so feste,
Dass sie nit sprang entzwey,
Sonn se nur angerühret feste
Dem kam ken Leben nit mer by.

VI.

VI.

Sen Sturmgewand war ſchwartz, gantz lauter
ſeine Brinne (*)
Der gute Ritters Here
Hat gar ein ſtarcken Schild, ſo den ihn mit
gewinne
Ein tauſend Ritters Here,
Er trug bey ſich ein Ringlein kleine
Das gab ihm funffzig Mevner Sterck
Ihm halff gar dick dis Ringlein reine
Daſs er gewan gar manches Werck.

VII.

Sen Roſs hüs Bukranos *gar ſchrecklich und*
geheure
Und war ſo hart als Stein.
Mit ſeinen hinter Füſſen aus Steinen ſchlug es
Feure
Wie ein Stier der Kopff ſein
Der Held war feſt als ein Felſen,
Man kont ihm ganz und gar nicht thun.
Weh dem, den er im Kampff kunt helſen
Er ſchlug ihn als trefflich ſchon.

IIX.

Seen Vater hat geleert, den Ritter tugendli-
chen
Im kampffen wie ein Held
Sen Vater his Radagis *focht ſelber kræfftigli-*
chen
Zu Fuſs und auch zu Pferd.
Sein liebe Mutter war genennet
Marpeis *die hochberühmte Wyb*
Du Ritter ſy mit Spieſen rente
Und wapnet ihren kühnen Lyb.

IX.

Man ſah ſy nimmermehr in Mænnerſchurze
ſpielen,
Sie zog dem Streite nach,
Wy eine Metze kühne und kunt gerade zie-
len
In Schild mit Ungemach
Ihr Sohn war Anthyr *hochgebohren*
Wen er hat einmahl abgeſeit,
Derſelbe ſtarb. Er war feſt wie ein Horn
Der brachte alle Feind in Leid.

(*) *Die Helmbinde.* GOLDAST Baranet f. 403.

Voigtii iterata reſponſio.

§. 4. Secundis tuis mihi acceptisſimis quod debeo, nunc exſequor reſponſum. Citius id præſtitiſſem, niſi me alia interpellaſſent. Neque enim de lana, ceu reris, caprina antiquitates, de quibus controvertimus, eſſe, aut ſcripſi aut æſtimavi, ſed me illas annos jam bene multos ob rationes objectas ex negotio aliquo, quod plura majoraque complectitur profundisſimæque itidem vetuſtatis eſt, quodque intra tria fere annorum millia nemo, quod ſciam, animadverit, ſepoſuiſſe. Quis enim animi paulo liberioris liberaliorisque non libenter in antiquitatibus patriæ ſuæ verſabitur, ut videat, quæ ante ſe geſta ſunt, unde origo, quæ dignitas gentis, quæ bella rerumque converſiones acciderint? quæ migrationes factæ, quæ examina in alias terras, quo ſuc-

Studium antiquitatum patriæ commendabile.

ceſſu, emiſſa ſint? Et ſane, ſi quod aliud imperium, hoc Cimbro-Teuto-Vandalicum olim amplisſimum & poſtea exeuntibus illis, intrantibus hiſce, Slavonicum, profundisſimis equidem ſcatet antiquitatibus, rerum geſtarum gloria refertum eſt, cum nulla gens Cimbris, Teutonibus, Vandalisque harum terrarum incolis prior potiorve ſit, & ab illis præcipue nomen germanicum conſurgat; ſed cum non ubique idoneos nacti ſint ſcriptores, ipſi vero de iis ſolliciti non fuerunt, inde, dicente Silio Italico L. 8.

Multa retro rerum jacet, atque ambagibus ævi
Obtegitur denſa caligine merſa vetuſtas.

Illud contra tantum innuere volui, negotium, quod egomet mihi curandum ſumſi, quodque vetuſtisſima totius Teutoniæ juxta ac Italicæ gentis concernit, majoris eſſe ſollicitudinis. An vero totum pro voto expediturus ſim θεῶν ἐν γόνασι κεῖται. Multa quotidie obveniunt impedimenta, ætas ingraveſcit, temporis malitia angit, quicquid tamen dederit, quicquid voluerit divina gratia, id fiet, eam ſupplici voto porro humiliter imploro. Sed ad rem: Duo inter nos incolumi amicitia, veritate ubique ſancta, controvertuntur: *De inſignibus Mecklenburgicis, undenam ſint illa? Deque Antirio, an is fuerit, & an ſtirpis Megapolitanæ conditor habendus ſit?* Inſignia Mecklenburgica tamen tuos ſecutus autores in memoriam Bucephali Alexandrini, qui ταυρόκρανος fuerit, a morte M. Alexandri Antirium aliquem exercitus ducem aſſumſiſſe, & hiſce oris tum primum invexiſſe, aſſeruiſti: Ego negavi Bucephalum vere ταυρόκρανον fuiſſe, ipſis antiquisſimis ſcriptoribus græcis potisſimum in diverſa euntibus, &, ſive a digmate femori impreſſo, ſive a lato, quod forte habuerit, capite dictum eſſe ſtatuentibus, ideoque ſigna Megapolitana verum taurocranium exprimentia inde originem non ſumſiſſe; &, ſi vel maxime Bucephalus ſtatuatur ταυρόκρανος, inde tamen ea non eſſe oſtendi, neque adhuc quicquam muto. Quanquam enim Solinus, Plinii perpetuus exſcriptor, imo & mutilator ac in multis corruptor c. 45. dicat: Alexandri M. equus Bucephalus dictus ſive de aſpectus torvitate, ſive ab inſigni, quod taurinum caput armo inuſtum gerebat, ſive quod de fronte ejus quædam corniculorum protuberabant minæ; id tamen magni Etymologici auctor Becmanno & Voſſio ex Michaelis Piccarti Profeſſoris Altdorffini obſervatis citatus diſerte negat hiſce verbis: οὐχ ὡς τινες οἴονται, ὅτι βοὸς κέρατα εἶχεν; τοῦτο γὰρ ψευδές; Non velut quidam exiſtimant, quod bovis cornua habuerit, id enim falſum & mendax eſt, ἀλλ' ὅτι ὅτως ἐν Θεσσαλίᾳ ἐκαλοῦντο οἱ ἵπποι ἔχοντες ἐγκεκαυμένον βουκράνιον, ſed quod ita vocarentur equi Theſſalici, inuſtum habentes bucranium. Quod vero Aulus Gellius L. 5. c. 2. habet, equus Alexandri Regis & capite & nomine Bucephalus fuit, id de cornuto capite interpretari neceſſe non eſt, cum de lato & magno intelligi queat; & quo-

Bucephalus taurino capite gaviſus pernegatur.

Nec a tauri capitis nota inuſta ita dictus, nec a corniculis prominentibus;

quin potius a lato & majori capite.

modo-

modocunque ſumas, perinde erit, cum Gellius in hocce plus ceteris non ſciverit, neque ſuam ulla ratione ſtabiliat ſententiam. Quod ego de particula Bu ſcribebam; id eo ſaltim tendebat, longe veriſimilius tolerabiliusque eſſe, Bucephalum magno, quam cornuto capite dicere, neque ſequi, Alexandri fuit Bucephalus, ergo βοὸν κρανὸν ac κέρατα habuit. Atque idem manifeſte indicant verba Strabonis, ἀπὸ τῦ πλάτυ τῦ μετώπυ, a latitudine frontis: & Feſti, propter quandam bubali capitis ſimilitudinem. Nolui tunc certæ me ſententiæ participem facere, ſed volui in medio omnia relinquere, quod particula aut, aut, in verbis meis prioribus adhibita, clare loquitur. Quod itaque in ſecundis tuis de characteribus bonorum pulchrorumque equorum regeris, id neque me neque theſin ferit; cum ego latum iſtud caput enixe non aſſeruerim', & a communibus iſtis notis interdum reperiatur exceptio, qualem jam tum ex L. Cælio Rhodigino retulit Becmannus imperatoris Probi equo non quidem decoro ſeu ſtaturoſo, verum celeritate admirabili. Præſertim cum neque in homine virtutes ſemper reſpondeant corporis decori, aut vitia fæminæ externæ turpitudini, cujus rei exempla obvia ſunt in Socrate, Ulyſſe, Æſopo, ac aliis. Tutisſima igitur ſententia tradentium Alexandri equum propterea Bucephalum eſſe dictum, quod in femore Bucranio fuerit notatus. Ita quoque ambigens Plinius L. 8. c. 42. Bucephalon eum vocarunt, ſive ab adſpectu torvo ſive ab inſigni capitis taurini armo impreſſi. Expreſſius Scholiaſtes Ariſtophanis, cujus verba in Suidæ Monachi, ea ex Scholiaſte iſto excerpta dantis, quædam etiam, licet levicula, mutantis, ſcripto ita extant: ὃ γὰρ αὐτὸς ἔχειν, ἀλλὰ διὰ τὸ ὅτως καλῦμεν διὰ τὸ μορφὴν τοιάυτην αὐτὸς ἔχειν, ἄλλα διὰ τὸ ὅτως ἐγκεχαράχθαι NB. ὡς καὶ ἀλεξάνδρυ τῦ μακέδονος ὁ ἵππος ἦν. Expreſſe item Heſychius: βυκέφαλος, ἵππος ἐγκεχαραγμένον ἔχων τοῖς ἰσχίοις βύκρανον, καὶ ὁ Αλεξάνδρυ ἵππος, ἀφ' ὃ πόλιν ἐν Ινδοῖς λέγεται κτίσαι βυκεφάλειαν. Ex quibus etiam patet, non Alexandri tantum decantatum illum equum, ſed omnes Theſſalos, quotquot ſigno iſtiusmodi inuſti erant, Bucephalos eſſe nuncupatos, quod & ipſius Ariſtophanis verba: Ἐγὼ σὸς βυκεφαλὸν ὠνήσομαι, Bucephalum tibi emam, produnt probantque. Et ſimul magna apparet falſitas opinionis ſtatuentium, inſignia Megapolitana ejusmodi notæ, femori equino vulgo inuſtæ, natales ſuos debere. Quid enim levius? quid vilius? quid nugacius? imo quid fœdius? Namque ut Alexandri equus in hoc præ reliquis Theſſalis, quibus digma hoc æque impreſſum erat, præcipui nihil habebat, idque vel ex more tantum fiebat, vel ut de patria equorum conſtaret, & ut a Koppatiis atque Samphoris ſeu litera κ & σ notatis diſtinguerentur, ita perinde fuerit, ſtatuere ſigna Mecklenburgica eſſe ſive ab Alexandri M. Bucephalo ſive ab omnibus aliis Bucephalis Theſſalicis depromta. Et quoque forte ſint, qui myſteſterium quærant in Bucranio impreſſo, quod

quod auctoritate aliorum ſtabilitur,

nec tamen obnixe propugnatur.

Note equorum generoſorum hinc aliena.

Tutius id nomen a Bucranii nota femori impreſſa derivatur.

Theſſalorum equi eadem inſignes ita dicti.

Nec tamen iſti notæ inſignia Mecklenburgenſium originem debent.

Nec in iſto herbæ ſigno aliquid myſterii.

id Antirrhini ἀλεξιφαρμάκυ a faſcino defendentis atque ad εὐκλείαν & εὐδοξίαν ſive ad famam, dignitatem & gratiam comparandam facientis, figuram referat, quo forte tendunt verba Becmanni p. 227.: „hujus regionis“ (Theſſaliæ) equi variis notis impreſſis ſive“ potius inuſtis nobiles fiebant: Inter alias“ multis inurebatur βυκράνιον herbæ figura,“ quo ſigno notati dicebantur Bucephali.“ Neque enim Grammaticos hic audiendos,“ qui ſuum hoc Alexandri equo & proprium“ eſſe nomen cenſent, &c.“ Næ iſti multo magis ridiculi erunt! Primum enim illis incumbet probare, notam hanc propterea impreſſam, ut referret herbæ habitus figuram; dicto Antirrhino memoratam ineſſe virtutem; tum & characterem ſive figuram Antirrhini pari præditam eſſe vi: denique etiam ratio reddenda erit, cur, ut hæc virtus obtineretur, non omnibus omnino equis, tam præſentis herbæ nota inuſta ſit? Stolidi namq; fuerint, qui, quod habitus characteris beneficio impetrare potuerint, id alio impreſſo omiſerint: Tandem quoque rationem dare cogentur, cur inſignia Mecklenburgica e femore potius Alexandrini equi, quam aliorum eadem figura notatorum exſculpta ſint? Neque enim obtendi poterit, ſolum Alexandri equum iſta inſignem Antirii nota fuiſſe, niſi ipſi ignorantiam ejuscerei, quam omnes pariter oculis uſurpavere, impingere voluerint; neque etiam ſignum iſtud in Bucephalo Alexandrino præſtantius atque in aliis fuiſſe. Antirrhinum inter magicas herbas ab antiquis nonnullis eſſe relatum, ſi tibi medicorum non filio tantum; ſed & anteceſſori, multis probare velim, ululas certe Athenas, in ſilvam ligna portarem, utpote cui æque notum Theophraſtum veſtrum ſtultitiæ ac ſimplicitatis incuſare eos, qui ſibi perſuadent, herbis quibusdam quaſi amuletis tum loca tum homines a faſcino defendi; quod de tripolio Muſæus & Heſiodus tradidere quidem, id de Polio interpretatur Plinius Lib. 21. cap. 20. herbasque eſſe, quæ ad famam, dignitatem & claritatem nominis comparandam tribuant aliquid, quod ait Dioſcorides de Antirrhino: τῦτο ἀντίπαθες εἶναι φαρμάκοις περιάπτων ἐπίχαριν τε ποιεῖν ἀλειφόμενον σὺν ἐλαίῳ κρινίνῳ. Et Theophraſtus ipſe: Εὐκλείαν γάρ φασιν αὐτὴ ποιεῖν τὸ ἀντίρρινον καλύμενον. ὁ δὲ καρπὸς ὥσπερ μόσχυ ῥῖνας ἔχει τὸν δ' ἀπὸ τύτυ ἀλειφόμενον εὐδόξειν, quod fructus quaſi nares vituli referat aut adſimilet. Ex quo certum quidem, Antirrhinum vitulini capitis ſimilitudinem oſtendere atque ab ea figura βύκρανον dici; an vero verſa vice βύκρανον ab Antirrhino ita dicatur, id vero apud me valde dubium, imo abſurdum, ac, ſi qui hoc ſtatuant, ab illis converſionis, ceu in ſcholis loquuntur, fallaciam committi certum eſt, cum illud a ſimilitudine narium vitulinarum, non vero nares vitulinas a ſimilitudine Antirrhini dictas eſſe conſtet. Sane an Antirii ille fictor & autor idemque ἐνοματοθέτης Mareſchallus Thurius in datione nominis ad Antirrhinum quoque reſpexerit, id ego non

Quid diſſentientibus probandum reſtet?

Herbæ magicæ in dubium vocantur.

Neque nares vitulinas ab antirrhino herba dictas.

Mareſchalli commenta, inpr. circa Symbullam Antirii conjugem ejusque fratrem Barvanum.

facile dixerim: viderint illius clientes. Fateor tamen in nomen Symbullæ, quam connubio illi jungit, me ſæpius ſuſpicatum eſſe, quod hybrida vox ſit callidumque commenti plaſten eam e græco συν & teutonico *Bublen*, ut ſit *eine Mitbublin*, compoſuiſſe: ejus vero fratri Barvano, nullibi alias terrarum inveniendo, ex lingua legibusque Longobardorum nomen adſciviſſe, quibus Barbanus & Barbo eſt il Zio i. e patruus, ceu demonſtrat Henr. Spelmannus in Archæologo p. 75. Sed de hoc cum nemine contentionis ferram ducam, ſit ſuum cuique pulchrum: ſufficit, me nuditatem miſeramque ſententiæ de Bucephali capite ac ſignis Mecklenburgicis conditionem luci dediſſe. Tu, vir experientisſime, fateris quidem, nullam te a Bucranii charactere, femoribus equorum inuſto, ad ſigna Mecklenburgica ſequelam videre; interim tamen ejusmodi nexum ſequelæ argumenti formas: Antirius ex Alexandri exercitu navi Bucephalo notata huc appulit Rexque factus idem ſignum adhibuit: Ergo & ſucceſſores ejus retinuerunt. Verum annon agnoſcis, Te circulum committere, principiumque, quod dicunt, petere? negatur enim prius una cum poſteriori; ſique in Syllogismi formam redigas, infirmitas collectionis magis apparebit. Et dic, ſodes, quid cauſæ fuerit, cur Antirius iſte communem equorum Theſſalorum characterem adeo ſanctum habuerit, ut navem eo non tantum ornaret, ſed toti quoque genti δεῖγμα adſciſceret? Nihil ſane; rectius feciſſet, ſi pedem equi cum femore Bucranio inſigni ſibi ſumſiſſet, tum namque clarius, quid voluerit, eluxiſſet. Sed ut ad ipſum rurſus deveniamus Antirium. Hic hactenus inter conceſſa mihi ſumo, ante Mareſchallum Thurium nondum inveniri, qui intra bis mille annorum ſpatium eum vel nomine noſcat, nedum bellica ejus facta deſcribat, neque in Cranzii, eo aut prioris aut coævi, ſcriptis quicquam de illo legi. Incumbet ergo Mareſchallo, novæ telæ textori, probatio, unde eam depromſerit? quis ipſi genius Antirium manifeſtarit? Non movebit me Mareſchalli Cancellarii ac Conſiliarii principalis, ſummis dignitatibus functi, artium linguarumque gnari, quem mortuum ipſe humaniſsimus princeps memorabili epitymbio, mihi cum omnibus aliis Dobberanenſibus monumentis dudum noto, ob bene merita decoravit, autoritas. Impoſtor in hoc erit, quantumvis alias doctisſimus officiisque inclytus, niſi cauſam dixerit, cum eo ipſe figmento in errorem omnes poſt ſe doctos, paris etiam cum ipſo & majoris virtutis viros, ipſamque adeo principi palem domum, induxerit vegrandem. Lex hiſtoriæ eſt, ne quid falſi dicatur; non eſt boni viri, fingere nullibi viſa, nullibi lecta, neque ego hic vereor talionem, cum nihil mihi fidei tribui geſtiam, niſi dilucide demonſtrem. Quantum quisque probat, tantum habet & fidei. Cauſa hic eſt urgentisſima: falſitati, veritatis ubique ſanctæ ſpeciem dudum mentienti larva detrahenda eſt; quieſcant ſane per me manes ipſius: quid enim extra hanc cauſam, ad quam Tu, Vir Experientisſime, me vocaſti, cum ipſo mihi commercii eſt; quo minus hic ſcapha dicatur ſcapha, veteratoriæque detegantur artes,

Nulla cauſa, cur iſta nota navis inſigniretur vel in regni inſigne converteretur.

Nulli ante Mareſchallum Anthyrii mentio facta.

Unde ergo?

Fallaciæ arguitur,

Leges hiſtorici violavit.

nil impedit. Ipſe Thurius in charitatem peccavit, falſisſimam ſub ſpecie veri obtrudendo orbi literato opinionem: hanc detegere omnino requirit charitas: Scripſi turgidum videri; ſed adjeci, ſiquidem ex ſtilo judicare liceat: quis enim hodie de illius animo aliunde cenſuram ſumat? quamvis non deſint, qui, effigies illius in templis veſtris ſervatas contemplati, ex iis quoque faſtum ſibi aliquem notaſſe videntur: de ſtylo ſane, ſi poſthac libuerit, perque tempus licuerit & tanti momenti ſit, facile experiemur. Scripſi quoque, quod Thurium ſeſe voce inſolita vocet; quis vero unquam Thuringum appellavit Thurium? Novi, qui ſeſe Tyrigetas ſcripſerint, Thurios in Germania nemo novit, in Italia notisſimi ſunt. Fruſtra ergo es, quoniam me mones, nihil frequentius eſſe, quam a patria ſibi nomen adſciſcere. Quis hoc negaverit? Ipſe in prioribus allegatus Joh. Goropius a patria Hilverenbeca, Becanum ſe nominat, quem Joſephus Scaliger ad S. Feſtum circulatorem ac agyrtam vocare non veretur, propterea, quod adſeruit, linguam veterem Cimbricam omnium eſſe primam & reliquarum matrem. Si eo charitas læditur, læſit ſane Scaliger, læſerunt in aliis (in Johanne Annio Viterbienſi, Inghirhamio &c. præcipue) alii complures. Ceterum arbitraris, Vir experientiſſime, me argumento negativo uti, quod extra fidei articulos non procedat: aſt valde falleris. Namque & in aliis tuto, ſiquidem id ferant circumſtantiarum rationes, illud adhibere licebit. Videſis Johannem Gryphiandrum JCtum in tr. de Weichbildis Saxonicis integro capite XVII. a p. 56. de argumento ab autoritate negativo in terminis, ceu loqui amant JCti, de hac materia agentem, & adde, ſi placuerit, capita aliquot præcedentia, quem ſi non habueris, ab aliquo forte JCtorum veſtrorum commodato accipies; meretur enim in hocce legi: Si vero ibi impetrare non potueris, ubi reſcivero, caput hoc exſcriptum mittam. Quis interim ejus, de quo in tota antiquitate, a bis mille annis, inque hiſtoria, de qua autores bene multi egregii ac fide digni extant, ne veſtigium quidem reperitur, probationem non requirat ſufficientem ab eo, qui id noviter ſine teſte, ſine autoritate aſſerit? Quis recipiat illud, cujus nullum alicubi invenit fundamentum præter meram dicentis narrationem? Si ſic procedimus, omnes promiſcue nugas recipere cogemur neque κρίτηριον aliquod reſiduum erit, quo vera a falſis ſegregemus. Sed inſtas: Mareſchallum ex Archivo gaviſum eſſe principum documentis. Aſt præter quod hoc ipſo illum quodammodo agnoſcis fabulæ autorem, quæ mihi documenta narras? ubinam illa latent? & an a morte Mareſchalli, ut nihil eorum reſtet, ſtatim periere? Certe non percepimus, intra hoc ſeſquiſeculum aut belli quam graviſſimi injuria aut flammarum vi aliove caſu fortuito Archivum principum damni quicquam tuliſſe. Si vero & demus iſtiusmodi quicquam periiſſe, fuiſſe non amplius inveniri; ſolum tamen id in tanta antiquitate ad probandum non ſufficiet in re fide minus digna, per tradita Gryphiandri dicto loco & Dionyſii quoque Halicar-

Nec a faſtu & inſolentia vitio facile liberandus.

Argumenti negativi vis & uſus.

Probationis aſſerti neceſſitas in reliquorum ſilentio.

Documentorum Mareſchallo citatorum veſtigia fidesque nulla.

carnaſſenſis, qui L. 7. p. m. 686. ſqq. origines Romanas poſt tot quoque ſecula e Græcia, ſed falſo, repetiturus, ſum polliticus, ait, me ſexcentis argumentis rem propoſitam confirmaturum, in medium productis priſcis eorum moribus, inſtitutis, ſtudiis, &c. quia exiſtimo, non ſatis eſſe iis, qui antiquitates regionum deſcribunt, ſi eas, prout ab ipſis indigenis acceperunt, oratione probabili enarrent; ſed etiam arbitror, illis eſſe opus multis teſtimoniis, quæ non facile repelli poſſint, ſi modo fidem iis haberi velint. Quod ſi porro modernorum principum ſereniſſimorum archivi in hoc themate fidem excutiemus, nocentior certe de improviſo anguis ex herba proſiliet, ad quem clientes Antirii magis magisque expaveſcent. Quid enim huic archivo cum Antirio, quid cum Rhadagaiſo, Wiſumaro, Coroco, quem diſtorto nomine quidam Corſiconem vocant, Gunderico, Genſerico & aliis iſtiusmodi? Nihil plane, ſi ſequimur modernos ipſos Genealogiæ principalis originatores: quamvis enim hi eam usque ad Antirium per reliquos modo nominatos deducere tentent, valde tamen in eo imprudentes ſunt, quando ſereniſſimos Principes Slavonici & Sarmatici ſanguinis eſſe ſimul contendant. Namque ſi celſiſſima hæc domus Sarmatico genere prognata eſſet, non attinebit eos Antirius, ſi vel maxime eum vixiſſe demus. Ante enim ſeculum a Chriſto nato quartum aut quintum (a quo ad Cranzium mille illi anni forte current, ultra quos ſe celſiſſimam principum familiam extenſurum publice recepit) Slavi hisce in terris atque regionibus juxta Hiſtoricorum tradita nulli fuere. Namque emigrantibus domum Vandalis, Teutonibus, Herulis aliisque Gothicis Teutonicisque gentibus Slavi ſubingreſſi ſunt primorumque nomina uſurparunt. Vandali, Heruli, Rugii, addo ego, ab aliorum ſententia in diverſum non ſine ratione abiens, Obotritos Henetosque &c. Gotho Cimbro-Teutonica gens, non Sarmatica, fuere; ergo & ductores eorum Antirium ſcilicet, Wismarum, Rhadagaiſum, Carocum &c. ejusdem ſtirpis facere oportebit. Atque Antirium quidem patre Herulum, matre Amazonum conſtituit Mareſchallus, addit & uxorem affinemque de Gothicorum genere. Heruli ſine dubio gens Gothica cum reliquis Cimbris, Vandalis, Teutonibusque e Scandinavia magna egreſſa, fuere, conf. Cluver. German. antiqua L. 3. c. 35. aliosque. Amazones quoque Scythica gens ſunt origine, & Gothi eas ſibi vel maxime vendicant. Slavos nemo Teutones, nemo Vandalos fecerit, dixeritve, niſi quatenus deinceps horum terras vacuas occupavere nominaque ibi inventa uſurpavere, quod in inſignem incautos multos duxit errorem ipſumque, ceu videre eſt, Cranzium. Peccant ergo non leviter ſcriptores illi, qui dum celſiſſimos modernos principes Slavis connumerant, illorum familiam priorum Vandalorum Teutonumque ſeriei attexunt gentesque lingua, veſte, moribus, genere diverſiſſimas easdem conſtituunt. Quod & ſi illis liceat, ne ſic tamen ſerie non interrupta nec hiulca ad Antirium inoffenſo pede adſcendent; de quo forte alias. Senties itaque jam, Vir experientiſſime, ceu reor, magna opinionis tuorum autorum deliquia ac vulnera nullo emplaſtro ſananda.

Nec iſtis a Mareſc. traditis ex archivis principum alia plane gente ortorum bodiernis ulla conciliatur auctoritas.

Sed ad argumenti negativi majorem diſcuſſionem redire juvabit. Scripſi, nec in Cranzio Mareſchalli coævo, nec in alio quovis priore, ad bis mille usque annos ſeu ad tempora usque Alexandri M. ullam Antirii fieri mentionem; neque nunc aſſerti illius pœnitet. Qui me aliud docebit, ei indicinam debebo. Fateris in Cranzio eum te non reperiiſſe; ſed excipis, nec Radagaiſi, Corſiconis, Gunderici, Genſerici &c. quantum recorderis, eum meminiſſe; verum memoria in hoc te fallit; plerosque enim horum Vandal. L. 1. c. 26. p. 16. 17. 18. 20. recenſet, ac ſi forte quosdam omittat, Antirium tamen præ reliquis, ceu tantæ ex ſe arboris radicem, tanti exercitus itinerisque ducem, tantique imperii conditorem ſine crimine ſupinæ negligentiæ præterire nec poterat nec debebat. Regeris, illum forte ad arcana Archivi principalis admiſſum non eſſe, ibi cohtenta ſecreta illum fugiſſe. Verum jam ante ad hæc reſponſum eſt, & quomodo hæc talia celabuntur? quis viro in illuſtri Academia verſanti, honeſta adeo petenti ac tractanti, tot alia ſcrinia perſcrutanti, cum Mareſchallo in eodem, imo majori, ſtudio verſanti, iſtiusmodi ſubſidia denegaret? quomodo illa latebunt eum, quem ad juſta principi facienda laudesque ac gloriam celſiſſimæ domus ebuccinandam adhibitum fuiſſe novimus? Imo ex ipſius præfatione in Saxoniam (quo te remitto) ſatis ſuperque conſtat, quantopere averſatus ſit ejusmodi σαπρὰ μυθάρια ac anilia deliria de Macedonum, unde Saxones Germani hic orti ſint, ex Alexandri exercitu ad Albim & in mare Balthicum adventu. Cum enim legiſſet forte, Wittichindum Monachum, qui ſub imperatore Ottone vixit, quemque tibi, niſi fallor, in prioribus meis ad marginem literarum una cum veteri *Crönicken der Saßen* Anno 1492. Moguntiæ impreſſo, notavi, aliosque illius fabulæ autores (qui tamen de Antirio ac Herulis plane tacent) eos jam tum in dicta præfatione refutandos ſibi ſumſit, ut nunc Gryphiandro illos objicere opus non ſit. Et ſane optimis eos Cranzius rationibus refellit; quod Alexander Babylone mortuus ſit, ibique exercitum ſecum habuerit, quod e mari Caſpio non pateat aditus in mare Balthicum, quodque tempora, quæ ſtatuunt nugivenduli, non congruant. Verum, quia ita vis, liberabo ulterius fidem Gryphiandri, tum, quia breviſſimus erat, laudati. Ita namque Cl. Henr. Meibomius Prof. Helmſtad. editor Witichindi, in notis p. 39. ad verba: Saxones reliquias fuiſſe« Macedonici exercitus: Fabuloſa Saxonum« origo, qua a Macedonibus usque arceſſuntur,« quantum conſtat, primum habuit aſſertorem« Witichindum noſtrum &c. &c.« quæ in excerptis hic do, ne nimis excreſcant literæ. Cumque Gobelinus Perſona, Decanus Bilefeldenſis, Cosmodromii in Anno 1418. finiti ætate V. cap. XI. p. 105. figmentum hoc mendacibus,

Mareſcallus porro falſitatis urgetur ſilentio coævorum.

Cranzium ſiquidem effugere Antirii notitia non potuiſſet.

Fabula de Alex. M. exercitu ad Albim & maris Balthici eras deducto explosa eidem aliisque

cibus, quæ in excerptis itidem leguntur, circumſtantiis ornaſſet, modo dictus hujus quoque Autoris editor Meibomius in appendice ita, ut in adjectis excerptis ſequitur, commentatus eſt. Pudeat ergo illos abjectiſſimarum nugarum, quarum fœditatem ruditatemque pluribus depingerem, niſi jam debito prolixior fuiſſem. Haſce, ceu recte rejicit Crantzius, ita peſſime recepit Mareſchallus, earumque quoque occaſione ſibi licentiam datam putavit, fingendi Antirium aliquem ex exercitu Alexandri ſub ſigno capitis Bucephali imo, verius femoris equorum Theſſalicorum (a capite enim ad femoris notam devenimus) Herulos huc ducentem magnumque hic regnum condentem. Nimirum Hiſtoria Alexandri M. altera quædam Troja eſt, ex qua illuſtres tot per orbem ſparſæ ſunt coloniæ. Et quidni ex ejus exercitu in Germaniam devenerint coloni? Cum Johannes Aventinus, fabulator, ſi quis alius, maximus Lib. 1. annal. Bojorum & ex eo Wolffangus Hildebrandus in vita Alexandri M. p. 159. majores noſtros gladium Alemanni Herculis, inter myſteria aſſervatum Alexandro M. miſiſſe referat: Cumque idem ille Alexander Slavis ſeu Slavacis privilegium quoque memorabile diplomate ſuo conceſſerit, relatum ab Hagecio in Chron. Bohem. pl. 2. Ao. 1648. fol. 5. aliisque, quamvis id infringere conetur Mart. Cromerus l. 1. Rerum Polon. c. 15. Matth. a Michow l. 1. Chron. Reg. Pol. c. 1. Hactenus itaque Mareſchallum fabulæ Antirianæ Bucephalinæque autorem tenemus, cum ultra ipſius ætatem alium non ſciamus. Carmen equidem Teutonicum, literis Gothicis ſcriptum Doberanique inventum, in quo & Pater Antirii Redagiſus & mater nomine Marpeſia (ſine dubio a Saxo Marpeſio, quod ad mare Caſpium fingit Gobelinus) ex orco accerſuntur, tam certe jejunum, frivolum, calvumque eſt, ut obeſæ admodum naris, Anticyramque mittendus ſit, cui fraus hæc non ſuboleat, ego id ne ſexaginta quidem annorum ætatem ferre certus ſum, a quocunque demum factum fictumque ſit: nec quicquam antiquæ Poëſeos antiquorumque verborum ſciam, ſi aliter judicem. Forma literarum Gothicarum in fine adjecta eſt, quas ego hisce in terris, ut in Scandinavia, omnes in uſu fuiſſe, nunquam crediderim. Aliud me docent nummuli mei veteres, ante biennium hic magno numero terra effoſſi, quorum Tibi copiam feci, in quibus pleræque a Suedicis, Danicisque priſcis Runis diverſiſſimæ, neque hactenus a quoquam ullibi terrarum viſæ inveniuntur. Fraus profecto diu latere nequit, modo rem juſta judicii penſemus lance. Reſtant ubique χειρόγρα, quibus ſive æra ſive erva a lupinis ſeparare dabitur. Dicis egregia multa geſta eſſe quæ literis mandata non ſint, quis id diffitebitur? Addo ne milleſimam partem illorum, quæ geſta ſunt, ſcripta eſſe, ſed illa latent ac perpetuis involuta jacent tenebris nunquam eruenda. Si literis conſignata ſunt, utique non latent. Neque tamen omnia in ſcriptis relata ita vera ſunt: fœdiſſimis pleraque antiquitas conſpurcata eſt fabulis falſiſſimisque narrationibus. Temere itaque quidvis recipiendum non eſt, ſed cenſenda ſunt ſcripta, unde quisque quid habeat, quomodo cum reipſa, cum tempore, cum aliorum narrationibus conveniat, ſollicite circumſpiciendum. Qui facile credit, facile decipitur. Iſte Mareſchallus, dum Antirium ſuum familiæ principali præfecit, ſe ipſum ejus fecit conditorem. Invita namque Lucina, eo parente, eo obſtetricante, natus eſt Antirius, dignus, cui propterea ara excitetur, thuris honor deferatur, multæque gratiæ ceu Saturno alicui gentis προγόνῳ dicantur. M. Michaëli Cordeſio Eccleſiaſtæ Parchimenſi, ᾧ νῦν ἐν ἁγίοις, quantopere hæc origo placuerit, id teſtantur ejus verba ad Lectorem in Chronico Parchimenſi lit. G. penult: Non autem te celare“ poſſum, Simonii ſtemma minus eſſe perfe-“ ctum, nec a primo ejus autore inchoatum.“ Altius ſane hæc ſplendidiſſima progenies na-“ ta eſt & ſata, quod ſatis clare patet ex Genea-“ logia ducum Megapolenſium, quam multo“ & ſtudioſo labore indagavit & ex antiquitate“ OPTIMA texuit Dn. Joh. Frid. Chemnitius“ Dicaſterii Megapol. Protonotarius digniſſi-“ mus, qui rem AB OVO, quod dicitur, orſus“ ab Antirio Alexandri M. militiæ præfecto“ proſapiam hanc Mecklenburgicam EGRE-“ GIE derivavit &c.“ Quis dicenti Eccleſiaſtæ id non crediderit? quia ſcilicet omnia ab ovo, & quia ita ordiens

— — — *Gallinæ eſt filius albæ*
Nos viles pulli nati infelicibus ovis.

Sed jocari me, Vir experientiſſime, ſenties. Ut vero Mareſchalli habitus in condenda tam illuſtri fabula ἀκρίβειαν vidimus, ſic eam quoque in expoſitione nominis HERULI, quod ipſi ab ἕλος, palus, eſt, experimur, (ne quid de abſurda derivatione vocis OBOTRITI, qui itidem cum Antirio ex Alexandri exercitu juxta ipſum venere, dicamus) ſcripſi, illum hoc facere inſaniſſime; neque pœnitet. Quid enim inſanius, quam genti Teutonicæ affingere nomen græcum? averſantur id ipſum Græci ſaniores, Plato, Strabo, aliique negantes, in gentium barbararum nominibus græcas etymologias eſſe quærendas. Quos autem ille a paludibus, eos ego a montibus & ſaxis certiore fundamento deduco, cum inter HERNICOS Italiæ populos & Veruli & Bovilli reperiantur, ac utrique e Scandinavia magna originem trahant; de quo nunc dicere non attinet, cum id alibi agam. Objicis autem, quod & Jornandes & alii eos inde derivent. Non latet me hoc, cui Jornandes in manibus eſt, quique nuper locum ex Cluveri antiqua Germania adduxi, in quo iſtud etymon refertur. Verum id Mareſchallo patrocinium non pariet, qui Herulorum gentis, in qua verſabatur, annales ſcribendos ſibi impoſuerat, erroresque illos peregrinorum explodere debebat. Quod male incipitur, quomodo bene finietur? Sane non ita perinde eſt, undecunque quis etyma verborum petat; neque ſapientum nomine dignos cenſeo, qui cordato viro curioſam etymorum enucleationem indignam cenſent, quales reperiri non ignoro.

a Mareſc. recepta unaque Antirius Herulorum auctor effictus.

Aliæ de Alex. M. coloniis in Germania fabulæ.

Carmen Dobberan. recentiori ævo effictum.

Neque enim in his terris Gothicas literas viguiſſe ex numis probatur.

Nec omnia ſcriptis tradita ſunt, nec ſcripta quæcunque vera.

Antirii natales Mareſcallo debentur.

Aſſentiendi ſibi habuit quendam.

Certius ſuppeditabitur.

Nec iſti patrocinantur aliorum auctoritat.

Etymologiæ ſtudium perplexum Mer. Caſaub. judicio.

Herulorum nominis, Mareſchalli vendita. ta origo jejuna, cet.

ignoro. Graviſſime hac de re Mericus Caſaubonus magni parentis magnus filius diſſert. de 4. ling. p. 149. 150. "Ut eſt in rebus ipſis" & natura veritas, ſed tot obſtructa difficulta-" tibus, ut ad ejus qualemcunque cognitionem" non niſi multa ſedulitate & ſagacitate perve-" niatur; Ita & verbis haud dubium, quin ſua" conſtet origo & originis ratio tam certa," quam quod in rebus certiſſimum, ſed cujus" indagatio tot habet difficultates, tot undique" ludibriis ac fruſtrationibus obnoxia eſt, ut in" nulla veri inveſtigatione majore ſit opus aut" induſtria aut judicio. Quod ſi quis ita per-" tendat, tanti rem non eſſe, ad quam tanto" molimine perveniendum ſit, per me quidem" fruatur ille, quisquis eſt, judicii ſui libertate." Trahit enim, ut ille olim non inſcite, ſua" quemque voluptas, & ſuum cuique pul-" crum; neque ego cuiquam autor ſim, ut in-" vita Minerva in hoc genere ſtudiorum ope-" ram ponat. Erunt alii, quibus hæc cordi fu-" tura ſunt, neque eo minus certum eſt (ut de" voluptate nihil dicam) ad explorandam aut" percipiendam, quæ in rebus ipſis eſt, verita-" tem inſigniter prodeſſe perfectam verborum" cognitionem, quæ valde manca eſt, ac pro-" prie nulla, ignorata origine." Hæc Caſaubonus. Optime Rabbini veteres: Noli ſper-
Neceſſari. tamen. nere rem parvam, nam te ducet ad rem magnam." Et Menander; Ἐι μὴ φυλάτ]εις μικρὰ ἀπολεῖς τὰ μείζονα, niſi cuſtodies parva, perdes magna." Imo aſſeveraverim ego matrem plerorumque, quibus omnis ſcatet eruditio, errorum eſſe neglectam verborum phraſium-
De Heneto-rum gente diſquiſitio promiſſa. que curam. Quinam Heneti exercitus Alexandrini fuerint, quia altioris eſt indaginis atque huc ab Antirio aliquo eos traductos non eſſe ſatis ſuperque nunc conſtat, hic jam non diſquiro; alii illud operæ ac tempori reſervans, ubi, ſi Deus vitam gratiamque largitus fuerit, agendum veniet tam de Venetis ſeu Henetis Cimbricis & Mecklenburgicis, quam Æſtiis, Gallis, Anglis, Italis, Paphlagonibus &c. Freinshemii ad Curtium obſervata legi. Reineccius eos non Vandalos proprie ita dictos, qui Germani ſunt, ſed Slavos facit, cui plerique accedunt eruditi, quoniam illorum multi voce Wandalus abutantur, nec deſint, qui ante Chriſtum natum Slavos hic locorum, ſed falſo, locent. Si quæras, quam ego de hiſce foveam opinionem? Dico, me Henetos,
Vandali & Sleevi quinam? Venetos &c. æque ac Vandalos Teutonico generi accenſere, Slavos vero Sarmatis; aſt ex quo Vandalorum Teutonum provincias intrarunt, hos quoque promiſcue Vandalos, Henetos, Venetos, Vendos, Vinulos, Winithos &c. eſſe appellatos, & nomina hæc eos non intuliſſe in haſce provincias, ſed in illis inveniſſe: Ubi alii unam ſuæ ſententiæ rationem dederint, ibi ego meæ duas dabo, de palma (præfiſcine dico) cum omnibus certaturus. An vero Heruli cum Henetis ita idem ſint, ut in nullo differant, id novæ quæſtionis erit. Illud certum in exercitu Alexandri neque Herulos neque Obotritos memorari, quos tamen inde educit Mareſchallus, neque alias Heruli ubique inveniuntur, ubi Heneti ſunt.

Reſtat, ut de inſigni Gryphis Tibi quoque ſatisfiat. Cimbros tauro ac taurino capite, digmatis loco uſos eſſe indubiis conſtat argumentis doctorumque conſenſu. Plutarchus in Mario p. m. 419. Cimbri reveriti virtutem eorum (militum Romanorum, quos Catulus in præſidio ad Neſin reliquerat, quique fortiſſime ſe geſſerant & ex dignitate patriæ decertarant) datis induciis dimiſerunt æneum taurum jurati (ὀμόσαν]ες τὸν χαλκοῦν τ]αῦρον,) quem poſt pugnam captum in domum Catuli ferunt, tanquam victoriæ primitias, delatum fuiſſe. Unde eleganter Georg. Sabinus ad illuſtrem (ceu ſcribit) Principem Magnum ducem Megalburgenſem inter alia ſic canit:

Gryphis inſigne Cimbris uſitatum.

Quem fugit inſigni veteres ab origine Cimbros,
Gentis & autores ſanguinis eſſe Tui.

Ac poſt alia de Cimbris contra Romanos in Italia belligerantibus:

Diffugiunt aquilæ veſtri formidine tauri,
Martia qua torva cornua fronte tulit.
Sic Libyci poterant quas non terrere Leones,
Inſolito pavidas terruit ille metu.

Aſt de Gryphe quæris, unde genti noſtræ ob-
Cum gente Gothica ad Mecklenb. tranſiit. venerit? Varie de hoc diſceptant eruditi, ceu videre eſt apud Höppingium de jure inſignium c. 6. pl. 5. §. 7. n. 759-763. p. 364. & cap. 9. p. 624. n. 279-281. Joh. Micræl. Syntagm. Hiſtor. mundi l. 3. Sect. 12. quæſt. 30. p. 1103. & in præfat. *des erſten Theils der letztern Pommerſchen Jahr-Geſchichte.* In præfatione quoque *des Mecklenburgiſchen Geſang-oder Kirchen-Buchs* de eo pluribus agitur. Penes me indubium eſt, ceu Vandali ac Heruli de genere Gothico fuere atque e Scandinavia magna in haſce oras migravere, ita hoc inſigne non aliunde ad nos illatum eſſe. In hyperboreis a priſcis omnibus Gryphes Apollinique Hyperboreo ſacri eſſe ſtatuuntur, quin imo vaſta Sveciæ provincia, Sudermannia Gryphem nigrum expanſis alis in aureo campo inſigne præfert, pluribusque de iis agit Cl. Rudbeckius Atlant. c. 9. p. 386. 408. 409. & c. 23. p. 576. & 757. Nomen Gryps ſeu Grypho Germanicum eſſe καὶ]υφλῷ δῆλον. Ungues, roſtrum, totumque corpus ad involandum prehendendumque & rapiendum comparatum eſt. Leo robur, aquila velocitatem tribuit. Cur autem in antiquiſſimis Cimbro-
Silentii de veterum Cimbrorum hoc ſigno cauſa. rum imaginibus ſeu ſignis Gryphis nulla fiat mentio, non æque quidem patet. Cauſa hæc tamen dari poſſe videtur, quod ſolus taurus generale gentis δῆγμα, Gryps vero certo cuiquam inter illos populo peculiaris fuerit, ſicut uſu venire videmus in Suecis, quorum totum regnum leonem præfert, ſingulæ vero etſi latiſſimæ provinciæ alio atque alio inſigni utuntur. Itidem in aliis. Neque præter Megapolitanos atque Pomeranos in hiſce populis alii Gryphem adhibuerunt. In Alexandri exercitu fuiſſe, qui Gryphis notam uſurparent, alicubi me legiſſe non memini. De Wismari-
Wismarienſium inſigne a portus præſtantia & celebritate antiqua. enſium παρασήμοις ſic ſtatuo: Quia portum habent totius imperii Cimbro-Teuto-Vandalici ampliſſimum, optimum, tutiſſimumque,

ideo navis effigiem illis insignium loco attributam esse. Et quia procul dubio portus hic MIKILINBURGI veteris urbis ipso nomine loquente olim maximæ regiæque sedis aut metropolis, quæ nunc in præfecturam pagumque versa est, non ultra dimidium milliare a nobis distantem pars fuit, ideoque illis totius populi signa concessa esse. Refert S. Festus Pompejus de Verborum significatione Voce *Europa*, eam sive a Jove in taurum verso sive a prædonibus, quorum navis effigiem tauri Jovis tutelam habuerit, raptam, inque regionem ab ipsa postea vocatam, delatam esse; quam si mihi fabulam evolvere dabitur, dicam, vetustissimum Cimbrorum Archogetan Taurum παράσημον habentem fuisse illum Jovem, qui sibi Europam subdidit, suique generis colonis implevit. Nomen quoque *Cimber* latronem priscis notavit, deque illorum potentia, variis migrationibus, rapinis &c. multa ab historicis memorantur.

Antiquus Cimbrorum ductor ex fabula raptæ Europæ derivatus.

Atque hæc, Vir experientissime, hac vice ad exceptiones & problemata tua respondenda esse duxi. Quia vero Antirium, sive tædio longioris vitæ, sive justis ejusmodi telis confossum confectumque. aut jam occidisse, aut certe in agone constitutum esse suspicor, propediem scire aveo, quando exequias ipsi paraturi sitis, ut frequentes adesse possimus. Regem quia sese gessit, regia pompa dignus est. De sumtibus, quos tristibus hisce temporibus subditi in multas nunc partes distracti variisque sub imperiis gementes, conferre nequiverint, viderit funeris curator Mareschallus ejusque parastatæ ac hyperaspistæ. Planget equidem Antirii de stirpe genus. Plangent clientes, verum mortali satus parente, moritur. Occidit ipse, sub cujus auspiciis militavit, M. Alexander. Occidit & Pelopis genitor conviva Deorum. Si quis mihi in hisce culpam forte quampiam tribuere tentaverit, eam ego omnem in te rejiciam. Tu porro obtendes, quod ægram diu traxerit animam, nullaque amplius in medicaminibus spes fuerit, quem & Lazius & Becanus ope sua deseruerint, quos una cum Münstero, Piccarto, Henningesio aliisque pullatos atratosque funeri deducendo adesse oportebit. Ita jocor, tu bene interpretare. Ceterum plurimum te salvere ac sub divina tutela cum tuis omnibus longum valere jubeo. Wismariæ d. 4. Sept. 1680.

Conclusio jocosa de Antirii exequiis proxime celebrandis.

Döbelii assensus.

§. 5. Ego vero plurimas natalitiis feriis debeo gratias, quarum indultu inter alia Tuas quoque æstimatissimas Septembri mense jam ad me datas literas hodie demum relegere sive repetere datum fuit. Ad eas vero regero nihil, sed omnino iis subscribo. Neque etiam quasi ad historicum Te prælium fuisse abs me provocatum, vel Tua, qua polles, dexteritas vel mea, qua Te prosequor, observantia, Te suspicari permittent. Diffiteri interea non possum, exploratorum more hoc promtius me Tua in castra descendisse, quo humanius fuerim admissus, in amussitatum Tuum super credito hactenus Antirio judicium inquisiturus. Illorum itaque gratia & sententia scripsi, quicquid specie dissensus scripsi, qui Antirio suo favent, interque Ducatus hujus primates facile numerantur. Postquam enim Tuo ego calculo, qualem meam sententiam apertius corroboravi, omnia sese belle habent, nisi quod magnum Tibi debitorem me agnoscam, quamque exequiis Antirii promittis præsentiam, haud exequiali, sed geniali prorsus die, quo meliorem revera mentem mutuo precemur, exoptem. Servet Te interea Deus ulterius Reipubl. literariæ æque ac Wismarienſi, cumque instanti novo anno novis animi pariter ac corporis viribus beet, mihique propediem, quem concepisti hactenus & fovisti animi fœtum publicæ redditum luci videre concedat. Mihi hactenus in Academia cum aëris affectionibus & infectionibus negotium fuit, cujus occasione hoc qualecunque adjacens schediasma projectum æqui bonique consuli rogo. Finitis feriis aggrediar, volente Deo, occasione præsentis cometæ publice meteororum doctrinam, privatim vero practicum collegium anatomicum, qui, quoad fuero, quacunque occasione ero. &c. Rostochii d. 29. Febr. 1681.

XVIII.

JOANNIS SIMONII VANDALIA a. 1598. SCRIPTA.

Occasio argumenti.

CUm dicendi necessitatem persona mihi hoc tempore imponeret, cogitabam ecquid potissimum afferrem, de quo, more Academiæ, verba facerem. Alia autem ex alia materia mihi, uti fit, subinde nascente, visum tandem fuit, aliquid ex antiqua memoria repetere de Vandalicis regibus & rebus: quod eam commemorationem & auditu non injucundam futuram existimabam, neque a grati animi memoria, neque ab hoc tempore alienam esse intelligebam. Appropinquat enim & jam præ foribus fere est vicesimus ille secundus mensis Aprilis dies, quo ante annos 71. in hanc lucem editus est Princeps illustrissimus Uldaricus, Vandalicorum Regum atque ducum propago, Pater patriæ, Ecclesiæ & Scholarum hujusque Academiæ nutritius clementissimus, Germaniæ hoc tempore Nestor, & Imperii præcipuum decus. Quod si Athenienses Cecropem suum, con-

Natalis principis appropinquantis.

conjugii auctorem; ſi Lacedæmonii Caſtorem & Pollucem; ſi Ægyptii Teuthum, a quo literas acceperant; ſi Itali Janum, quem ob ſingularem prudentiam bifrontem fuiſſe confinxerunt; ſi Romani Quirinum urbis parentem coluerunt: denique alii aliis bene de ſe meritis eam retulerunt gratiam, ut eos poſt mortem numinibus æquatos Deos indigetes appellarent: quanto magis decebit nos, ut erga eos, a quibus tantum patriæ commune Bonum, Princeps ille optimus, cæterique Megapolitani Duces Illuſtriſſimi, præſtantiſſimæ illæ animæ, Domini noſtri clementiſſimi, interrupta ſerie deſcendunt, gratum animum declaremus; deque ea re publica vox etiam noſtra exaudiatur. Non autem totam Rerum Vandalicarum hiſtoriam recenſebo: eſſet enim hoc laborum propemodum infiniti, nec huic actui, cui certæ a majoribus horæ præſtitutæ ſunt, conveniret, ſed ex multis pauca quaſi delibabo: ac DE GENTE VANDALICA, quæ illa, & qui ipſius mores fuerint, quantum ex antiquitate mediocri diligentia conſequi potuerim, dicam. Vandalos Germanorum veteriſſimos eſſe & hunc maris Balthici tractum inhabitaſſe, ex hiſtoriis conſtat. Et vetuſtatem quidem gentis Crantzius, qui ante annos 130. Doctorum Philoſophiæ gradu ex hoc ipſo loco ornatus eſt, & poſtea etiam faſces Magiſtratus ſcholaſtici in hac Academia geſſit, Plinii & Taciti teſtimoniis, & epiſtola quadam Vandalorum, Conſtantino Magno inſcripta, comprobat. Et Procopius initio Belli Vandalici, quod Beliſarius, Juſtiniani Imperatoris auſpiciis, in Africa geſſit, Vandalos affirmat, Gothicam gentem eadem uſos fuiſſe cum Gothis lingua. Gothos autem Germanice locutos eſſe non dubium eſt. Veſtigia vero nominis in vicina Hexapoli, & in ditione Megapolitana Ducatus *Wenden:* cujus Guſtrovium, Malchinum, Robelium, Warenium oppida ſunt: & in Pomeraniæ Ducum titulo Caſſubii & Wendi, incolas veteres Vandalos, vicinitate ſeu parva deflexione nominis arguunt. De horum Vandalorum origine, etſi nihil explorati tradi poteſt; vetus tamen opinio eſt, eaque multorum conſenſu firmata: Vandalos a Vandalo; quem nonnulli Germanorum anno mundi 2324. Regem faciunt, deſcendere. Veriſimile autem eſt, totam Germanorum gentem, ſive ſtatim a diſperſione generis humani, quæ confuſionem linguarum Babylonicam ſubſecuta eſt, ſive paulo poſt in eas orbis terrarum, quas inhabitabant, partes ſe longe lateque effudiſſe, & in his tandem oris gentem Vandalo auctore condidiſſe. Hi deinde Vandali, opibus & viribus aucti, ab hoc mari Balthico in plures terras, quaſi colonias, exierunt. Primo enim hinc ad Mæotin venerunt: inde rurſus quodam tempore verſus meridiem & occidentem profecti, inter Sarmaticos montes & Iſtrum in Iazygum Metaſtanarum finibus, & in Pannonio, Conſtantino Imperatore permittente, conſederunt, & ad extremam oram Germaniæ ſe extenderunt, Francosque bello vexarunt, iidem Corſicone Duce circa annum C. 406. ex his ſedibus progreſſi Galliam devaſtarunt, & in finibus ejus Burgundos condiderunt. Gunderici deinde auſpiciis (qui Gundericus anno Chriſti 429. a Dæmone concerptus interiiſſe dicitur) Hiſpaniam cæde ac rapinis miſcuerunt. Denique Genſericus Rex Vandalorum, augendi imperii Vandalici cupiditate per ſe inflammatus, a Bonifacio, Imperatoris Valentiniani Duce bellico, excitatus, 50. millia Vandalorum in Africam duxit atque regnum in alienis terris, parvis admodum copiis, adeptus eſt. Unde effectum, ut Vandalorum gens iisdem fere terminis, quibus Africa, Gallia, Hiſtria, Dalmatia, Brandeburgenſis ditio, Pomerania, & Mechelnburgenſis Ducatus atque Holſatia, tempore quodam contineretur. Sed regnum Africanum non fuit diuturnum; idemque fatum fuit aliorum locorum, in quibus vires & potentia Vandalorum, ut eſt viciſſitudo rerum humanarum, in aliis attrita & comminuta, in aliis afflicta atque everſa fuit. In his quidem oris, atque hoc maris Balthici tractu Vandalicæ & gentis & gloriæ reliquiæ quædam remanſerunt. Genſericus enim, in Africam movens, filium præfecerat ei parti gentis Vandalicæ, quam ipſe, ad invadendas Rom. provincias profectus, domi reliquerat. Neque enim credibile eſt, Vandalos, ſive cum ad Mæotin, ſive in Gallias, ſive in Africam proficiſcerentur, ita emigraſſe, ut non potius eo colonias ducerent, quam totam gentem populariter educerent. Quid enim eſſet populo laudis ſitientiſſimo tam turpe, quid a cupiditate gloriæ, quid ab omnium gentium penitus innata habendi & dominandi libidine tam alienum? quam, cum Vandali non coacti, ſed ſua voluntate adducti novas ſedes quærerent, eos tamen veteres, hoc eſt, terras totius Germaniæ fere ampliſſimas ita deſeruiſſe, ut nullos ibi cultores, nullum ibi propugnaculum, caput nullum relinquerent. Supervenerunt autem ei, quam relictam domi diximus, parti gentis Vandalicæ tempore quodam Slavi, & ſe cum illis conjunxerunt. Hos Slavos alii Henetos fuiſſe ajunt, eos, quos Homerus in Paphlagonia, Aſiæ minoris regione, prope Phrygiam collocat: quos inde ab Antenore Trojano, poſt everſum Ilium in loca mari Adriatico vicina ductos Livius initio hiſtoriæ ſuæ affirmat. Alii vero Slavos iſtos ex Alpibus, Daciam ab Aquilone claudentibus, hoc eſt, ex Sarmaticis montibus progreſſos eſſe ſcribunt: Venedos autem ſeu Henetos & ipſos Sarmaticam gentem eſſe Cromerus, Ptolomæi auctoritate, evincere conatur. Utut hæc ſint, illud certum eſt, Slavos circa annum Chriſti 500. in hunc maris Balthici tractum tum habitatoribus pene ſemivacuum irrepſiſſe, & ſe reliquiis Vandalorum ita immiſcuiſſe, ut vulgo non tantum domos inter ſe conjugiis & ſtirpibus conjungerent, ſed idiomata quoque & locutiones confunderent, atque ex duabus linguis diverſis, hoc eſt, Slavonica & Vandalica ſeu Germanica tertiam novam, quam Vindicam & Vinithicam minores vocarunt, procrearent. Ex quo & hoc factum, non eſt

Ducet Megapolitani oriundi ſunt de gente Vandalica.

Vandalorum ſedes.

Eorum lingua Gothica.

Origines

& migrationes.

Eorum in oris Balthici maris ſemper reliquiæ.

Slavi ſe illis adjungentes; quorum ortus varie traditur.

Circa A.C. 500. hic conſederunt.

Eorum lingua hinc mixta.

eſt alienum a ratione, ut nomen Vandalorum & Vandaliæ, genti illi primævæ peculiare, ab illa proprietate recederet, & in novæ illius linguæ populo, & his ad mare Balthicum terris hæreret. Suntque ex eo tempore iidem promiſcue appellati Vandali, Heneti, Vendi, Vindi, Wenthi, Venedi, Findi, Winuli & Slavi. Neque tamen novæ linguæ effictione Germanicam plane abolitam fuiſſe, exiſtimandum eſt. Quin credibile eſt, idque ex comparatione ſimilium eventuum colligi poteſt; in præcipuis familiis, maxime vero in domo Regia uſum Teutonici ſermonis remanſiſſe. Alte defixum hæret, quod nativum eſt: nec levi arte aut conſuetudine, in generoſis præſertim ingeniis, vincitur, quicquid infixum, quicquid domeſticum atque ingenitum eſt. Etſi autem nonnulli in ea ſunt opinione, Slavos & gentem & regnum novum poſt Vandalorum migrationem in his oris condidiſſe: tamen cum ii nec Ducem certum nominent, nec quibus illa auſpiciis geſta ſint, commemorent; potior videtur eorum ratio, qui exiſtimant, usque ad Genſericum (quem ne Slavi quidem ſuum agnoſcunt, ſed Vandalis largiuntur, & poſt cujus tempora confuſionem iſtam, de qua dixi, factam eſſe, temporis ſupputatio demonſtrat) usque, inquam, ad Genſericum univerſas res Vandalicas penes unum quaſi Monarcham fuiſſe: Genſerico autem regnum in Africa conſtituente, eoque anno Chriſti 477. mortuo, adminiſtrationem inter filios Genſerici diviſam fuiſſe, ita ut Honorico regnum Africæ, Viſilao vero & ſucceſſoribus ejus Vandalorum primo; deinde Vindorum in his terris Principatus ceſſerit. Qui tamen ipſi Vindi, ſeu, ut nos eos ex commixtione Slavorum & Vandalorum novo deducto nomine appellamus, Slavovandali, ſucceſſu temporis a Saxonibus plane attriti, & in anguſtias quasdam Marchiæ veteris, Luſatiæque tanquam in ergaſtulum compacti, hodie ad tantam ſolitudinem, tantamque in ſervitutem ſunt redacti, ut vere rerum humanarum converſionem humana prope majorem in iis agnoſcas. Hæc autem Slavovandalia in quatuor diviſa fuit omnis partes, in Septentrionalem, Orientalem, Meridionalem & Occidentalem. Ac Septentrionalem Vandaliam voco, quam complexi ſunt tum Inſulani, hoc eſt, Rani ſeu Rugiani, & Fimbri, tum Teutonarii, ubi nunc Roſtochium & Wiſmaria florent. Orientalem appello, quam Pomerani & Kiſſini, forte in Comitatu Gutzgovienſi, & Lebuſii: & Tolentii ad fluvium homonymum Neobrandburgum & Treptovium alluentem: & Circipani ad Panim fluvium, in cujus ripa ſunt oppida Malchinum, Deminum, Anclamium, Wolgaſtum: & Rhetarii ab urbe Rethe, quæ forte hodie Robel eſt. Quos populos, hoc eſt, Circipanos, Kiſſinos, Tolentios, Retharios, a fortitudine bellica Wilſios ſeu Lutitios appellatos fuiſſe Crantzius auctor eſt. Auſtralem tenuerunt Heruli ſive Eveldi ad Havelum: & Bryzani, forte nunc Prignitii, quorum metropolis Perleberga: & Wilini & Stoderani ad Berlinum & Brandeburgum. Occidentalem denique Wargis gentibus; tum a Vandalis aſſervatum fuiſſe: cumque cœlum & terra, aër & mare Deum creatorem loquantur, tamen gentes a creatore ad creaturas, a Deo ad Diabolum defeciſſe. Nempe mens humana, ut ſemel a Deo averſa eſt, & veritatem mendaciis permutavit, non poteſt aliter facere, quin pro libidine illa ſua infinita Deorum multitudinem ſibi excogitet & fingat. Itaque alii alios Deos coluerunt. Romani pene omnes. Aſtaroth Tyriorum Deus erat: Aſtarte, id eſt, Luna, Damaſcenorum: Dagon Philiſtinorum: Baal, Chaldæorum: Moloch, Moabitarum. Sic Sueones olim Thor coluerunt, qui aëri præeſſet & tempeſtatibus; & Wodan, qui bello; & Fricco, qui paci & voluptati. Scythæ, Acinacem: Cheronenſes, haſtam Jovis: Norici Tibelinum ſeu Diabolum. Et Ruſſi hodie metuunt & colunt Dæmonem meridianum, cujus Pſal. 91. fit mentio, & quem alii, vel quod uno incedat pede, vel quod alterum pedem æneum habeat, ἑμπουσαμ vocant. Et Hiſpaniolenſibus Indis Idolum fuit quadrupes, inſtar canis, quod, ut fertur, quoties illi bilis commota erat, in ſaltus ac montes aufugeret: ipſi vero Indi ſolemni pompa ſollicite quæſitum atque inventum egregium illum Deum humeris in fanum reportabant. Apud eosdem Regulus quidam, Gamaretus nomine, Zemis idolum bombycinum habuiſſe commemoratur. Corocottum appellabant. Hic Corocottus e

Gentis homonyma,

ejusque domini.

Slavovandali tandem attenuati.

Eorum regionis diviſio.

navi ad fluvium Arnum ſeu Varnum, ubi nunc ſunt Sternberga, Butzovium, Cygnæa; & qui a verſicoloribus veſtibus ita dicti fuerunt, Obotritæ, quaſi dicas, *die bunte Rotte*, quorum Metropolis Mechlenburgum uno a Wiſmaria meridiem verſus milliario, a qua Metropoli Megapolitani & hæc ditio Megapolis, ſeu potius Mechelnburg dicta eſt: & Polabi ad Razeburgum: & Wagrii ad Lubecam & Aldenburgum. Definivi, Auditores, & quidem rudi Minerva, quod dicitur, definivi Vandaliam: eamque ſuis quaſi partibus diſtinctam vobis uno intuitu ſpectandam propoſui. Nunc, quod in hujus orationis dictione ſecunda erat propoſitum; De hujus Vandaliæ moribus, hoc eſt, Religione, Juſtitia & Fortitudine pauca attingam. Itaque quod ad Dei cultum attinet, a ratione haud alienum eſt, primos Vandalos propius a vera religione abfuiſſe. Quo enim res quæque ortui eſt vicinior, eo eſt ſincerior. Ut autem fontes limpidi, quo longius procurrunt, eo lutulentiores fiunt: ita Vandalorum Religioni idem accidiſſe putandum eſt, ut quanto ea recederet a patrum temporibus longius, tanto majori humanarum opinionum cœno inquinaretur. Sic oracula illa vetuſtiſſima, Hammonium in Lybia, & Dodonæum in Græcia initio Scholæ fuerunt ſanctorum Patrum, quæ poſtea degeneraverunt & domicilia Satanæ factæ ſunt. Etſi autem Idololatria totum orbem Borealem quondam inundaverat: tamen inter Boreales Slavovandali fuerunt cultui idolorum omnium pertinaciſſime affixi: ad quam rem plurimum potuiſſe ſuſpicor illam gentis antiquæ Vandalicæ cum Slavis idololatris confuſionem. Ac dolendum quidem eſt, depoſitum illud veræ doctrinæ tam mala fide cum a cæteris gentibus; tum a Vandalis aſſervatum fuiſſe: cumque cœlum & terra, aër & mare Deum creatorem loquantur, tamen gentes a creatore ad creaturas, a Deo ad Diabolum defeciſſe. Nempe mens humana, ut ſemel a Deo averſa eſt, & veritatem mendaciis permutavit, non poteſt aliter facere, quin pro libidine illa ſua infinita Deorum multitudinem ſibi excogitet & fingat. Itaque alii alios Deos coluerunt. Romani pene omnes. Aſtaroth Tyriorum Deus erat: Aſtarte, id eſt, Luna, Damaſcenorum: Dagon Philiſtinorum: Baal, Chaldæorum: Moloch, Moabitarum. Sic Sueones olim Thor coluerunt, qui aëri præeſſet & tempeſtatibus; & Wodan, qui bello; & Fricco, qui paci & voluptati. Scythæ, Acinacem: Cheronenſes, haſtam Jovis: Norici Tibelinum ſeu Diabolum. Et Ruſſi hodie metuunt & colunt Dæmonem meridianum, cujus Pſal. 91. fit mentio, & quem alii, vel quod uno incedat pede, vel quod alterum pedem æneum habeat, ἑμπουσαμ vocant. Et Hiſpaniolenſibus Indis Idolum fuit quadrupes, inſtar canis, quod, ut fertur, quoties illi bilis commota erat, in ſaltus ac montes aufugeret: ipſi vero Indi ſolemni pompa ſollicite quæſitum atque inventum egregium illum Deum humeris in fanum reportabant. Apud eosdem Regulus quidam, Gamaretus nomine, Zemis idolum bombycinum habuiſſe commemoratur. Corocottum appellabant. Hic Corocottus e

Vandalorum religio,

idoloma-nia.

Aliarum gentium idola.

ſumme

ſummo domus culmine, ubi vinctus aſſervabatur, ſæpenumero exire atque inter feminas regii pagi ac totius circa viciniæ, Satyri aut incubi inſtar, oberrare, & cum iis etiam ludere familiariter & epulari, nonnunquam propter dormire conſueverat. Mox cum ab eo congreſſu feminæ partus gemina corona inſignes enitherentur, nemo ex Corocotti ſtirpe ortos eſſe dubitabat. Prius dies me deficeret, quam omnium gentium Idola enumerando perſequerer. *Slavo-Vandalorum idola,* Slavovandalis autem noſtris duo fuiſſe Dæmonum genera animadverto, Bonum & malum. Ut enim Manichæi, ita Barbari omnia ſecunda a Bono Deo, adverſa a malo, quem ſua lingua *Zernebog* appellabant, fluere & adminiſtrari nugabantur. Itaque in conviviis & comporationibus ſuis pateram certis verbis conſecrabant, non, quemadmodum olim Athenienſes ἀγαθοῦ δαίμονος tantum, ſed utriusque genii & Boni & mali nomen præfati; omnemque proſperam fortunam a bono Deo, adverſam a malo Deo petebant. Bonorum deinde Deorum alii erant majorum gentium, alii minorum. Inter illos numero Suantovitum & Pronen, Radigaſtum & Siven. Inter hos refero Faunos & Penates, & cæteros Deaſtros, *impr. Suantovit.* qui erant numero infiniti. SVANTOVITUM, Regem quaſi Dæmoniorum, Rugia habebat, ejusque fanum primarium, ipſaque ſtatua in florentiſſima quondam urbe Arcone erat. De hujus Idoli origine hæc memorantur. Temporibus Ludovici ſecundi Imperatoris monachos quosdam Corbeienſes Gallos in Rugiam veniſſe, atque ibi nomen Domini prædicaſſe: & in honorem S. Viti, quæ erat ejus tempeſtatis ſuperſtitio, erexiſſe templum. Credidiſſe aliquandiu Barbaros, ſed mox ad vomitum reverſos cultum Dei in cultum Dæmonis commutaſſe. Hoc idolum SVANTOVIT appellatum eſſe; cui templum & ſimulacrum ſplendidiſſimis ſumtibus barbari dedicarint. *Ejus deſcriptio,* Idolum autem tale fuit. Ingens erat in æde ſtatua, quatuor capitibus, totidemque cervicibus: a quibus duo pectus, duo tergum reſpiciebant. Dextera ſtatuæ cornu meri plenum tenebat, ex quo flamen futuræ aut ubertatis aut ſterilitatis agrorum conjecturam faciebat: ſiniſtra arcum, eaque ad latus inflexa, barba raſa, crines attonſi erant, haud procul inde frenum cum ſella & ocreis gladioque ſuſpenſa conſpiciebantur. *cultus præcipuus.* Fuitque hæc ſtatua non unius alicujus oppidi, aut provinciæ, ſed omnium Slavovandalorum oraculum: cui tantum venerationis tributum eſt, quantum omnium pene Deorum Majeſtas complecteretur. Ei poſt lectas fruges annua ſtata ſacrificia perſolvebantur: ei libamina offerebantur ſolemnia, non privatis ſingulorum, ſed publicis totius gentis ſumtibus: Ei ſanguine hominis Chriſtiani, ad lanienam illam & tantum ſcelus ſorte delecti, quotannis maxima populi frequentia, inter tympana & plauſus litabatur. Mira erat Flaminis tanquam regis veneratio: mira & propemodum apud Barbaros inaudita erga ipſum idoli fanum (cujus neque ambitum, neque oſtia, neque aream violare & contaminari fas erat) obſervantia: mira & alia, de quibus Saxo lib. 4. Hiſtor. Danor. & Crantzius l. 5. Vand. c. 12. PRONE Deus erat Altenburgenſium. Forte πρόνοια Græcorum, hoc eſt, Natura, quæ, ut Cicero ait, nihil aliud eſt, quam nomen Dei, & divina ratio toti mundo ejusque partibus inſita. Hæc enim a gentibus nunc τύχη a τυγχάνειν veluti autor omnium dicta eſt, quod univerſa præſtet, & conficiat: nunc εἱμαρμένη ob implicatam cauſarum ſeriem: nunc ἀνάγκη ob inevitabilem ejus atque inexpugnabilem potentiam: rurſus μοῖρα, quod alii aliud ingenium diſpertita ſit: nunc ἄτροπος, quod ejus immutabilia ſint opera: nunc πεπρωμένη, quod ejus adminiſtratio ad certum finem tendat: πρόνοια denique, quod ejus providentia hominum utilitati ſerviat. Hæc inquam πρόνοια forte PRONE eſt Altenburgenſium. Idolum erat columnæ impoſitum, altera manu vomerem, ad quem Innocentia; quemadmodum ad crateres Palices olim perjuria; explorari ſolebat, altera vero haſtam cum vexillo tenens: tempora coronis redimitum, auribus prominentibus, pedes ocreatum, & de alterius calce tintinnabulum ſuſpenſum habens. *Prone,* *Radagaſt,* RADAGASTI ſedes & Fanum erat in oppido Rhetre. Simulacrum ejus ex auro conſpiciebatur, juxtaque lectus oſtro ſtratus. Pectus idoli clypeus, nigrum bubali caput oſtentans, tegebat: manum ſecuris militaris armabat: capiti avicula inſidebat. Hic Dæmon in oppido, ut dixi, Rhetre colebatur. Quare & Rhadegaſt dictus eſt, quaſi dicas Spiritum Rhetre. Gaſt enim lingua Slavonica Spiritum ſignificare dicitur. Ipſa civitas novem habebat portas, lacu profundo undique incluſas. Pons tantum unus, isque ligneus ad urbem ducebat euntes: per quem tamen nemini, niſi ſacra facturis, aut reſponſa petituris iter concedebatur. SIVE denique, *Sive.* quam Venerem aliqui interpretantur, Polaborum Dea erat. Hæc viſebatur manibus poſt terga reductis: in quarum altera aureum malum, altera uvas virenti pampino adhærentes geſtabat. Fuere & alia Slavovandalorum numina, ſed medioxuma. itaque ea lubens prætereo. His autem omnibus Dæmonibus dicati *horum cultus.* erant Flamines, & Sacrificia conſtitura, multiplexque & varius cultus divinus fiebat. Solennitates & feſtos cæterorum Deorum, præter Suantovitum, dies, ad ſortis jactum Flamen denunciabat: ut quem talus vellet, ejus Dæmonis ſacra peragerentur. Confluebantque tum viri pariter & fœminæ, nupti & innupti, etiam infantes, mactabantque Diis ſuis hoſtias boum & ovium: non raro etiam homine Chriſtiano faciebant, cujus ſanguine Deos ſuos inprimis delectari jactitabant. Cæſa hoſtia, ſacerdos cruore victimæ ſe luſtrabat, idque eo, ut eſſet aptior captandis oraculis. Peractis tandem de more ſacrificiis, populus ad epulas & luſus choreasque convertebatur. Atque in his *A. 789. Chriſtiana tandem inducta religio ſub Carolo M.* Idololatriæ denſiſſimis tenebris diu Slavovandali jacuere: donec eos Deus tandem inde in lucem aliquam verioris doctrinæ vocaret, quæ quidem ipſis primo ſub Carolo Magno, circa annum Chriſti 789. illuxit. Verum variæ fuerunt Religionis & admirandæ in hac gente vices: quod partim pravitate accidit, quæ omnium hominum cordibus quaſi innata & ingene-

rata est: partim infinitæ habendi cupiditati eorum, quorum auspiciis Barbari ad Dei agnitionem pervenire debuissent, expensum ferendum est. Itaque paulo post Slavovandali, quam Christo nomina dederant, fide iterum nefarie projecta, ad Idololatriam & Dæmonum cultum relapsi sunt, a quo tamen Henricus Imperator eos denuo revocavit. Sed hoc mortuo ad vomitum redierunt. Ab Ottone igitur Magno tertium de idololatria armis dejecti, & ad suscipiendam Christianam religionem vi compulsi sunt. Suntque sub hoc tempus primum templa per Vandaliam exstrui cœpta: & Episcopæ constitutæ, & Aldenburgensis, cujus primus præses Marco Vagriorum & Obotritarum quam plurimos Domino lucratus est: & Mechlenburgensis in celeberrimo quondam oppido Megalburgio, quæ tamen postea Suerinum translata est. Imperabat hac tempestate Vandalis longe lateque BILLUNGUS, eratque regni ipsius sedes Megalburgi. Hic Billungus se quoque ad piorum cœtum adjunxerat, baptisatus a Wagone, tertio a Marcone Aldenb. Episcopo. Sed victus deinde & impulsus improbis filii Mizislai & peracerbis monitionibus, culpantis patrem, quod tanquam insaniret ita novis & non necessariis inventis (hoc enim nomine Mizislaus Christianam doctrinam vocabat) deditus esset: idololatriæ iterum se mancipavit, non quidem sine ingenti novellæ Ecclesiæ jactura. Similis fortuna Religionis fuit succedentibus temporibus, quibus veritati Christianæ summam per Vandalorum impietatem, omnia inimica atque infesta fuerunt. Billungi abnepote Godescalco ad gubernacula reip. sedente, visa est respirare Religio, & quodammodo recreari. Godescalcus enim primo Luneburgi in fide Christiana & bonis artibus instructus, mox cæde patris Udonis irritatus apostata factus, tandem iterum fidelis Christianus, totam pene Vandaliam Christo acquirebat, tantoque religionis studio exarsisse dicitur, ut sæpius sua voce populum pro suggestu publice ad pietatem & veram Dei agnitionem hortatus fuerit. O pietas! o rarum amoris Dei exemplum! Visa est, Godescalce, te & Duce & Doctore, Veritas gestire & blando vultu renidere, quod tantis incommodis hactenus debilitata, tua tandem pietate recrearetur. Verum ut nihil est in rebus humanis sinceri, ita neque tibi neque veritati sincerum hoc gaudium fuit. Fingit Aristophanes in Comœdia, quæ inscribitur εἰρήνη, rusticos Græcos, pertæsos belli Peloponnesiaci, stare eo loco, ubi pax abdite latebat, & conari admotis machinis eam inde extrahere, & velut ab Orco revocare. Cum autem læti spe pacis recuperandæ exsultarent & vociferarentur, Trygæum quendam sic loquentem facit: Nolite bonam rem male agendo corrumpere, & cavete, ne vestros clamores Cerberus ille (ita enim Cleonem, civem quendam in Attica republica turbulentissimum Poëta appellat) exaudiens hoc præclarum institutum educendi ex latebris Dearum optimam impediat. Vere idem factum est religioni Christianæ, cui inter Vandalos progressus felices Cerberus ille stygius invidit, atque adeo ipsam loco pepulit, excitatis perfidis Slavovandalis. Hi enim Godescalco regi suo manibus suis vim attulerunt, & Heroa illum, utrumque & Principem & doctorem optimum, Leontii ad summam aram inaudito parricidii scelere jugularunt. hi conjugem Godescalci Syritham, Sueonis secundi, Regis Daniæ, filiam, Ulfonis Ducis Anglicani neptem, feminam pietate & religionis amore flagrantem, omnibus fortunis atque ornamentis spoliatam, & vestibus fœde detractis nudam, præcipitem regno exturbarunt, & tandem sic afflictam atque deformatam communi luce privarunt. hi Anshelmum Episcopum Raceburgensem cum Canonicis muliebria (dictu nefas & horrendum) pati coëgerunt: Megapolim urbem, & alias quamplurimas, quæ hospitia erant nascentis Ecclesiæ, tanquam vineam apri, vastarunt, cæteraque per Vandaliam innumera ita libidinose, ita nefarie egerunt, ut non homines, sed Barbaros, non Slavos, sed Diabolos ad flagellandam novellam Dei Ecclesiam egressos fuisse diceres. Etsi autem Buthue, post patris Godescalci cædem, ad Ecclesiæ vulnera alliganda omne studium omnemque operam convertebat, tamen tantus fuit Slavovandalorum furor, ut Critonis Rugiani, hominis a se alieni, crudelissimi tyranni, Idolorum cultoris, jugum in se reciperent; Buthuen autem Regem suum, Principem humanissimum, veræ de Deo doctrinæ assertorem, non tantum regno perfide exigerent, sed etiam in castro Plœnensi, cum a Critone obsidione pressus, cum fame & hoste conflictans Buthue, ab amicis non sublevatus, omni auxilio destitutus, deditionem certis conditionibus fecisset; contra tamen fidem datam crudeliter, & barbarie plusquam Scythica contrucidarent. Tandem Pribislai nostri, nepotis Buthues, principis præstantissimi, virtute effectum est, ut multis injuriis jactata atque agitata veritas Christiana locum in his terris inveniret, ubi consisteret & confirmaretur. Dixi de Religione Vandalorum: Nunc justitiam eorundem eadem, qua cepistis benevolentia, accipite. Etsi autem una cum Pietate justitia quoque a barbaris Slavovandalis exulare alicui videri possit, tamen non plane exulavit. Quæ quidem judicia Vandalorum fuerint ab eo tempore, quo Slavis primum permixti scribuntur, hactenus non reperio. Verisimile tamen est, Slavovandalos, cum & inter se conversati fuerint, & convixerint, & negotiationes exercuerint, suum inter se cuique reddidisse, neminem læsisse, honeste, quantum in ipsis esset, vixisse. Quæ enim diuturna societas esse potest, si socio suum eripias, si omni scelere socium vexes, si omni prorsus pudore exstincto ferveas feris cupiditatibus & libidinibus? At justitia mundi & regnorum & urbium vinculum est. Ea summa cum infimis, media cum utrisque connectit, conservat, conciliat. Ea Deorum honori, hominum commodo potissimum inservit. Quare existimandum est, Slavovandalos etiam justitiam inter se coluisse. In quo eos quoque officio cum Deorum gentilium, inprimis Vomeris illius Pronæi metus, tum parvi mentis nostræ igniculi continuerunt. Neque enim credibile est, hanc gentem plane a Majoribus Vandalis ita degenerasse, ut obbrutuerint. quin exploratum

Deficientes reducuntur ab Henrico Imp. iterumque ab Ottone M.

Templa episcopatusque inter eos instituuntur.

Billungi ipsis imperantis sedes Megalburgum.

Hic filiorum insultibus a relig. Christ. deducitur.

Godeschalcus ejus abnepos puerioris religionis strenuus promotor.

Sceleste trucidatus; ipsius conjux ignominiose habita.

Nefanda Vandal. & Slavorum flagitia.

Megapolis urbs ecclesiaque vastata.

Buthue crudeliter peremtus.

Pribislaus religionem Christ. restituit.

Eorum justitia conjicitur.

Virtutis majorum reliquiæ.

tum est, semina virtutis avitæ in Slavovandalis nostris quædam reliqua fuisse, quæ ipsi domestica disciplina tanquam cultura quadam exsuscitaverint: idque haud levibus studii veritatis, & singularis in parentes, & eximiæ cujusdam in hospites humanitatis, argumentis probari potest. Quid enim tam usitatum est gentibus, quam promissa & dicta divino adhibito numine firmare? Romani interdum per Castorem, ut feminæ; interdum per Herculem, ut viri; interdum per Pollucem, ut viri pariter & feminæ deierabant. Unde illa in Comœdiis pervulgata, Ecastor, hercle, mehercle, medius fidius, pol, perpol. Interdum Romanus solemnia juraturus, silicem lapidem manu tenens ajebat, si sciens fallo, tum me Diespiter, salva urbe atque arce, bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem. Sic Thebani per Osiriden: Siculi, per Proserpinam: Pœni, per patrios Deos: Epidaurii, per Semelem: Ægyptii per allium, porrum & cepas: Græci per terram, & fontes: Philosophi, per Socratem: Polyphemus Cyclops, per unicum oculum suum, qui videret omnia, semperque visurus esset: Æthiopes per defunctos, alii per alia jurabant. Et quid nobis Christianis ita tritum, quam deierare? quid ita frequens, quam peierare? Narrant aliquando Judæum cum Christiano disputasse, & diu habita disputatione, tandem Judæum dixisse: Qui fit, quod plures claudi, cœci & mendici inter Christianos reperiuntur, quam usquam inter gentes? Christiano respondenti se ignorare, dixit ille: Christiani nimiis perjuriis offendunt Deum suum magis, quam ullæ aliæ gentes, ideo etiam magis puniuntur a suo Deo propter perjuria & blasphemias. Et certe perjuria valde usitata sunt, his præsertim moribus, quibus antiqua officii ratio fere exolevit, & juramentis luditur, non secus, atque pueri astragulis aut sphærulis solent. quanquam is astragulorum inter pueros etiam lusus desiit, quos contra audias post tertium quodque verbum indigno Christianis modo deierare & peierare. Sed quid Slavovandali? Equidem juramentis non utebantur: nec ipsi jurabant, neque alios cogebant: satius esse rebantur servare sine juramento fidem, quam datam fallere magna Deorum ultione. Tanta erat hominum etiam barbarorum integritas! tanta in dictis & factis servandis sinceritas! quam si ad præscriptum Christi, quod est Mat. 5. examines, an non ea prope videbitur ad illud accedere. prope dico, quia quodcunque non fit ex fide, peccatum est. & omnino inter Ethnicorum virtutes, & bona piorum opera distinguendum sentio. Annon autem hoc est argumentum avitæ alicujus virtutis? an non alicujus justitiæ civilis in Slavovandalis nota, eaque non obscura? Nec vero tantum hoc in Slavovandalis laudem justititiæ meretur, sed inprimis PIETAS illa hujus gentis in parentes, omnium voce omniumque judicio simulacrum est virtutis, suum cuique tribuentis. Nefas erat Slavovandalis, adeoque scelus morte piandum, si liberi parentibus jam senio affectis mutuam gratiam pro nutricatione, summa cum benevolentia & alacritate, non referrent. Quare autem nefas? nempe ita jubebat justitia:

Jure jurando abstinebant.

Pietas in parentes.

ita volebant mores patrii: ita dictabat Lex, non quidem ῥήτρας Lycurgi, sed tabulis cordis nostri inscripta. quam quidem legem naturæ sola ciconia inter omnia bruta tuetur, ut est apud Aristoph. in avibus, & Suidam, qui auctor est, antiquitus in regum summo sceptro ciconiæ figuram poni solitam, ut ipso gestamine admonerentur Reges, PIETATEM plurimi facere oportere. Cætera vero animantia pleraque infami astorgia laborant. Hippopotamus interfecto patre, matrem init. Viperæ, exesa matris alvo, in lucem prorumpunt. Scorpiones & Aranei post incubatus officium a suis fœtibus interimuntur. Cuculus, ubi adolevit, pullos reliquos cum matre curruca devorat. Sed quid Bruta dico? Inter ipsos ratione præditos homines, quibus hoc altius & rectius etiam natura inscripsit, ut omnibus pietatis officiis colant atque foveant parentes; inter hos, inquam, homines quot invenias, qui hanc legem sequantur? qui non viperarum potius, quam ciconiæ similes esse malint? Nero matrem: Selimus Turca patrem trucidat: Tullia, conjunx Tarquinii, in cadaver etiam interfecti patris sævit. Adde his Absolonem, venustulum illum filium, patrem regno exturbantem: & Aristobulum Hircanidem, matrem squalore atque inedia necantem. Quid multis? Omnes scenæ, omnia amphitheatra, omnes historiæ ἀσεβείας exemplis personant. Et hodie, quam multi sunt, etiam inter Christianos, Absolones? quam multi Hircanides? Sed omnium gravissime tamen in Parentes peccare mihi videntur Anthropophagi, qui parentes senio confectos mactant & devorant. O immanissimam immanitatem! o barbariem, plus quam barbariem! quos vultu etiam ab aliis læsos defendi a filiis decebat, iis filiorum manibus vim inferri! quos lingua ferire nefas erat, in eos ferrum & dentes a liberis acui! stringi! quibus vita functis funus duci lex naturæ flagitabat, ad eorum corporum partes laniandas atque distrahendas, liberos, tanquam carnifices, convenire! quos honeste sepelire & terræ mandari, monumentoque quodam cohonestari conveniebat; iis liberorum linguam, pro feretro, ventriculum pro tumulo, labia pro cippo fieri! Quod si leges honestæ supplicium in Parricidas singulare excogitaverunt; quæ justa nex inveniri poterit sceleri, cui ne nomen quidem hactenus justum inventum est? quo supplicio excarnificandi erunt Anthropophagi illi, quibus etiam pietas quædam est, a filio parentem trucidari; neque tantum trucidari, sed dentibus immanissimis concidi; neque tantum concidi, sed intra præcordia recipi atque devorari? Slavovandalorum contra mihi Pietatem aspice. Ethnici erant, & barbari, non minus, quam Anthropophagi, ab omni humanitate alieni existimati. Neque tamen quisquam eorum inventus est tam insignite improbus, tam scelerate immanis, qui violare parentes vultu aut verbo auderet, nedum ut propter quos hanc lucem aspiceret, eos indignissime luce privaret. quin potius illi ipsi Vandali meminerant ἀντιπελαργεῖν: neque tantum hoc meminerant, sed, veluti ciconiæ, parentibus senio confectis reipsa testatum illud faciebant.

Ejus alias defectus reprehenduntur apud gentes.

ciebant. O humanitatem in barbara gente ſtupendam! Homines vera de Deo doctrina imbuti, tamen parentes ſæpe regno aut vita exuunt, aut injuria afficiunt; Barbari, a religione alieni, parentes omni benevolentia & amore proſequuntur. Anthropophagi parentes, ne diutius ſecum eos ferre neceſſe habeant, e medio ſcelerate tollunt & devorant; barbari Slavovandali, ut conſpectu parentum jucundiſſimo quam diutiſſime frui, utque amiciſſimum illum genitorum ſuorum vultum quam ſæpiſſime ſubire poſſint, omni opera, omni ſtudio, omnibus pietatis officiis efficiunt atque enituntur. Plura juſtitiæ & avitæ virtutis argumenta in hac gente extitiſſe, nullum dubium eſt: quæ profecto poſteris perſpectiora eſſent, ſi, quemadmodum Romanis & Græcis, ita ſui Slavovandalis fuiſſent ſcriptores, & gloriæ ad poſteros propagatores. Unum adhuc recitabo, quanquam illud non plane ſincerum invenio; Benevolentiam dico erga hoſpites: quam Pindarus laudans, ego, inquit, non expeto magnas divitias habere domi conditas, ſed præſenti copia frui, & amicis benefacere. Hujus honeſtiſſimæ ſententiæ exemplum in Slavovandalis habemus: qui advenientes ſoliti ſunt amice complecti. Neque enim plane, quod Ptolomæus quidem ſcribit, hoc mare Balthicum fuit ἄξενον. Non fuit. Sed Vandali in excipiendis hoſpitibus populariter alacres fuere, hoſpitium advenientibus, etiam a ſuperſtitione ſua alienis, ultro offerentes. Quam humanitatem tanti fecerunt Barbari, ut ſi quis peregrinum hoſpitio expuliſſe deprehenſus eſſet, in eum graviſſime cæteris more patrio animadvertere liceret, & domum ejus atque facultates vel diripere, vel incendio conſumere. Exclamarem hic, & plerorumque Chriſtianorum inhumanitatem deteſtarer, ſi Vandalis ſincera hæc fuiſſet virtus. hoc enim ſcævitatis fucique in ſe habuit, quod, quantum in hoſpites quisque elargiretur, tantum ei ex navigantibus, deprædationibus conſequi liceret. Bonus quidem effectus malæ cauſſæ, ſed qui nullo fere colore excuſari poteſt. Tempora tamen ita tulerunt: & vicinis Slavovandalis noxii Danicæ gentis mores (apud quam tum Piraticam non minus dedecori fuiſſe Crantzius ſcribit, quam apud Lacedæmonios olim erat ingenioſum furtum, aut patrum memoria apud quosdam Germanos latrocinium) quodammodo Slavovandalos excuſant. Ita enim fit: quemadmodum ſæpe navigantes fluminis ſecundi impetu, etiam quo nolint, abripiuntur: ſic non raro tempeſtates & vicinitatis mores nos ſecum, etiam invitos, aut certe imprudentes, quo nolimus abripiunt. Dixi de Religione & Juſtitia Slavovandalorum. Nunc ad tertium accedo, hoc eſt, ad Fortitudinem. Ero autem brevior & ſumma tantum ſequar faſtigia rerum, ne, dum orationem inſtituimus, commentaria exeant: neve excitatam atque arrectam veſtram audiendi diligentiam atque humanitatem tædio quodam prolixitatis imminuam atque lædam. Itaque ſilentio involvam ea, quæ Anthyrius ſub Alexandro M. egregia facinora perpetraſſe dicitur. Nec dicam Marcomannos, qui & ipſi de gente Vandalica fuerunt, teſte Tacito; nec bellum Marcomannicum, quod rerum magnitudine & difficultate bella Punica ſi non ſuperat, certe æquat: ad quod conficiendum totius Imperii Romani, tunc maxime florentis, vires longe impares fuiſſe, teſtantur fulmina, precibus Chriſtianæ Legionis, quæ poſtea κεραυνοβόλος dicta eſt, ad profligandum hoſtem Marcomannicum excitata. Mitto Galliam, mitto Hiſpaniam, mitto Africam totam: quas orbis partes Vandalica gens quondam occupavit. Taceo Stilliconem, illum Theodoſii Magni generum, de quo olim dictum eſt, ſtante hoc viro ſtetiſſe, cadente eodem, cecidiſſe Imperium Romanum. Prætereo Odoacrem, terrorem Italiæ, orbis fulmen. Prætereo & alia plena majeſtatis, plena immortalitatis facta, quorum omnium gloria propria eſſe videtur Vandalorum, cum nondum Slavis eſſent permixti. Quæ tamen ipſa fama, qui rerum præclare geſtarum ſplendor ita Vandalis eſt proprius, ut eum cum noſtris Slavovandalis communicare neceſſe habeant, tanquam cum iis, vel qui ex Vandalica gente antiqua, ceu ſtolones quidam, enati ſint, vel certe qui avitæ virtutis veſtigiis ſumma cum laude inſtiterint. Etenim virtute & rebus bellicis Slavovandali noſtri proavis ſuis Vandalis nihilo fuerunt inferiores. Teſtantur id Saxones, quorum feritatem Carolus M. non niſi Obotritarum & Megalburgenſium armis perdomare potuit. Teſtantur id Ottonum trium tempora, quibus cum iisdem vario & ancipiti Marte pugnatum eſt: teſtantur id Caſtra Imperatorum, quibus Duces non raro hæc gens exuit. teſtantur denique id genus alia ſexcenta, quæ a Slavovandalis ſunt fortiter & animoſe geſta, de quibus alio loco dicendi ſe campus uberior offeret. Habetis, Auditores, Primo de Vandalica gente, quæ ſit illa, & quibus initiis progreſſa in plures familias, tanquam in ramos arbor, ſe diduxerit: ex quibus Africana læta initia habuit, triſtem exitum: ea, quæ in patria reſtitit, rem tandem cum libertate amiſit. Deinde habetis, qui fuerint Vandalorum mores & inſtituta. Hujus Vandaliæ Rex fuit PRIBISLAUS ſecundus, ille inquam Pribislaus, a quo cum cæteri Illuſtriſſimi Megapolitani Principes, tum ULRICUS Dux, clementiſſimus hujus Academiæ cum cæteris nutritius interrupta ſerie deſcendunt. In quo, uti ab eo cepit, ita ut deſinat hæc dictio noſtra, hoc præſertim tempore, & pium eſt & decet. Te itaque, fili Dei, rogamus, ut Illuſtriſſimum Principem & Dominum noſtrum Ulricum, cum reliquis Megapolitanis Ducibus in multos annos conſerves, & perendinum diem, qui ipſius Celſitudini natalis eſt, felicem & proſperum ſæpiſſime Celſit. ipſius recurrere facias. Tendit ad te manus Germania, tendit Megapolis, tendit hæc civitas, tendunt hi parietes, intra quos hoc die, publica hujus Academiæ lætitia, actum hunc promotionis celebramus, & tibi ſuum Neſtora, tibi ſuum Dominum, tibi ſuum Parentem, tibi ſuum Nutritium commendant. Age pie Chriſte perge, cum totam Illuſtriſſimam Ducum Megapolit. familiam, tum hunc optimum Principem tueri, eumque in hac ſenecta manibus tuis ſuſtentare, ut ſub ejus Celſitudinis patrocinio Eccleſia incolumis ſit, Pax & Juſtitia floreant, & cives ſint quam diutiſſime beatiſſimi.

XIX.

Hoſpitalitas.

Fortitudo.

Anthyrius memoratur.

Marcomanni.

Alibi patrata a Vandalis.

A Pribislao Rege deſcendit Ulricus Megap. Dux.

XIX.

Historia Ecclesiæ Rostochiensis seu Narratio de INITIO ET PROGRESSU LUTHERANISMI IN URBE ROSTOCHIO.

AUTORE

LUCA BACMEISTERO.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI SALVATORIS JESU CHRISTI.

Ingressus de Reformatione a D. Luthero susceptâ.

§. 1. CUm inenarrabili misericordis DEI beneficio sincerum Evangelium de Filio DEI Domino nostro JESU CHRISTO, quod aliquot seculis in horrendis tenebris Regni Pontificii latuerat, & prope deperditum videbatur, rursus in lucem productum esset, Ministerio D. MARTINI LUTHERI Islebiensis, Monachi Ordinis Augustini, quem DEUS suo consilio & bonitate ad tantum Opus Reformationis Religionis & restitutionis veræ Doctrinæ elegerat, & præstantibus ingenii, sapientiæ, eloquentiæ, magnitudinis animi, zeli ardentis, aliisque Spiritus sui Sancti donis ad tantam rem necessariis instruxerat, initium reluscescentis Evangelii per LUTHERUM Wittebergæ factum est, propositis ab eo publicis Thesibus contra Indulgentias quas nundinator quidam & sacrificulus JOHANN. TETZELIUS Pirnensis Misnicus, jussu LEONIS Pontificis, & Archi-Episcopi Moguntini Cardinalis vendebat omnibus, eas pecunia ementibus, & impudenter vim earum efferebat. Propositæ fuerunt hæ Theses a LUTHERO pridie Calendarum Novembr. 1517. & affixæ ad fores Templi Arcis Wittebergensis. His Thesibus cum TETZELIUS & alii Pontificii respondèrent, & duriter in LUTHERUM undique invehèrentur, occasio data est LUTHERO, ut & Theses illas suas defenderet, & paulatim plures Articulos Doctrinæ Christianæ ex verbo Dei dilucidius explicaret, & *hominem illum sceleratum ac filium perditum, qui in Templo Dei sedet, ostentans semet ipsum ut Deum*, sicut Pauli verba habent 2. *Thessal.* 2. *Papam* scil. *Romanum* demonstraret, NON ESSE VERUM EPISCOPUM ET VICARIUM CHRISTI, SED ANTI-CHRISTUM A PAULO ET JOHANNE PRÆDICTUM. Cum vero Deus sua bonitate & potentia LUTHERUM ut fidelem & ad tantum opus electum Ministrum suum contra omnem vim Papæ, Cæsaris, Regum, Principum, totiusque Mundi mirabiliter defenderet, & Principem Electorem Saxoniæ FRIDERICUM autoritate, sapientia, & potentia in Imperio valentem ei conciliasset & adjunxisset, longe lateque in Germania lux Evangelii per scripta LUTHERI ejusque Discipulos, Viros eruditione, facundia, magnitudine animi præstantes sparsa est, & Ecclesiæ passim reformatæ ac constitutæ. Atque eo modo in Saxoniæ loca maritima & in hanc quoque urbem Rostochium vera Evangelii Doctrina pervenit.

De Joach. Slutero, Rostochiensium Prot. Evangelista.

§. 2. Ejus *primus Doctor* sincerus fuit DN. M. JOACHIMUS SLUTER, Domicii oppido in hac ditione Megapolensi ad Albim sito, ex honestis Parentibus natus, qui D. LUTHERUM Wittebergæ docentem audiverat. Cœpit autem is primum docere purum de filio Dei Jesu Christo Evangelium in Templo S. Petri, anno a nato Christo 1523. Instituerat aliquandiu ante Juventutem in Schola eidem Templo adjuncta singulari fide, unde in notitiam & familiaritatem civium quorundam pervenerat, quod filios eorum erudivisset. Cumque multis modis impedire hunc SLUTERUM docentem conarentur sacerdotes Pontificii, Theologi in Academia, adeoque totus Senatus urbis, imo etiam urbe eum ad tres anni quadrantes ejecerunt; tamen Deo ita disponente defensionem ejus suscepit Illustriss. Princeps Megapolensis HENRICUS, qui jam ante puriorem Evangelii Doctrinam amplexus erat, & ut Patronus ejus Ecclesiæ, *Pastorem* ipsum constituit munusque docendi in dicto Templo ei commendavit. Fuit autem tantus Auditorum paulatim concursus in Templum Petrinum, ut omnia ejus loca & circuitus quoque Templi superiores pleni & conferti essent Auditoribus, quoties habebantur conciones a SLUTERO, præsertim diebus Dominicis, quibus ternas habuit conciones. Tandem igitur æstate coactus fuit propter nimium calorem ex multitudine hominum excitatum in cœmiterio sub magna & late extensa tiliæ arbore versus portam S. Petri concionari ex cathedra ibidem posita, populo ex omnibus cœmiterii partibus & in fenestris vicinarum ædium consistente, & magno studio docentem audiente: Etsi vero Senatus urbis huic SLUTERO valde infensus fuit, tamen aliquorum ex illo ordine corda aperuit Deus, ut semel audita concione SLUTERI, deinde magis audire eum desiderarent. Horum unus fuit Parens DN. THOMÆ GERDES, postea Consulis Rostochiensis facti 1562. qui adeo delectatus fuit donis & pietate SLUTERI semel auditi,

ut ad matutinam ejus concionem in tenebris præferente parvam laternam Filio isto suo semper postea accesserit, metuens Consulum & Senatus reliqui offensionem, qui severe interdixerant omnibus in suo ordine, ne Hæretici illius (sic enim SLUTERUM vulgo appellarunt) conciones quisquam accederet. Hæc ex ipso Dn. Consule p.m. olim audivi, qui & hoc addebat, se quoque eadem occasione cœpisse SLUTERUM amare ac magnifacere, & veram Religionem ex ore ipsius didicisse. *Collegam* seu *Diaconum* postea accepit SLUTERUS quendam PASCHASIUM GRUWEL, virum pium & bonum, qui labores ejus in docendo & administrandis Sacramentis fideliter sublevavit. Ab hoc SLUTERUS, cum ad honestum conjugium animum applicasset, juxta verbum & mandatum Dei, publice cum sponsa sua, Filia civis honesti Fabri ferrarii copulatus est in maximo hominum concursu 1528. Nam sacerdotum Nuptiæ insolitæ fuerunt ab aliquot seculis, postquam a Pontifice Romano GREGORIO VII. prohibitum est Conjugium Sacerdotum circa annum Christi 1075. unde ignominiosum & abominabile visum fuit hisce etiam temporibus, quibus exorta luce Evangelii Sacerdotes & personæ Ecclesiasticæ Matrimonium publice contrahebant, id quod LUTHERUS quoque fecit Wittebergæ die 13. Junii 1525. de quo tamen etiam tum fuerunt varia Doctorum & sapientum judicia.

Tandem post multas pressuras, odia, persecutiones hostium suorum variaque pericula M. SLUTERUS consummato cursu suo & fide servata, pie & placide in vera agnitione & fide Redemptoris sui Christi obiit ipso die Pentecostes 1532. postquam quadrante anni ante toxicum in convivio quodam sibi propinatum, in cantharo hausisset, quo paulatim contabuit. Sepultus est in cœmiterio S. Petri, & lapidi sepulchro impositio, hæc inscriptio addita: *Sepultura M. JOACHIMI SCHLüTER, qui anno* 1523. *Evangelium in hac civitate pure prædicare incepit, propter quod intoxicatus obiit in die Pentecostes* 1532. Sed Historiam primi hujus Evangelistæ & Viri divinitus excitati M. SLüTERI, prolixius & singulari studio descripsit Reverendus Vir Dn. NICOLAUS GRIESE, Minister divini verbi ad S. Catharinam, ad S. Lazarum, & in cœnobio Virginum ad S. Crucem, in Chronico suo: *de exortu & propagatione sinceri Evangelii Christi in Germania & hisce etiam Saxonicis locis;* quod Chronicon adjunctum est Libro illius, cui titulum fecit: *Speculum Anti-Christi Pontificatus.*

De Paschas. Gruwel, Joach. Schræd. Dn. Bartholdo, M. Val. Curtio, & Ant. Beckero.

§. 3. Is, quem antea dixi Collegam fuisse M. SLUTERI, PASCASIUS GRUWEL postea Warnemundam vocatus est ut Ecclesiam ibidem velut Pastor bonus doceret ac gubernaret. Natus ille fuit Leontii Marchiæ oppido cis Albim, quod usitate *der Lentz*, & in juventute sua LUTHERUM quoque docentem Wittebergæ audivit. Cumque multis annis magno zelo gloriæ Dei & salutis Auditorum veram Evangelii doctrinam in hac urbe & Warnemundæ propagasset, incidit postea in gravem morbum, in quo varie eum tentationes internæ invaserunt, præcipue de indignitate sua & de abjectione. Ideoque ut & morbus curari rectius posset, & animæ valde afflictæ remedia consolationum ex verbo Dei adhiberi possent a Concionatoribus, Warnemunda Rostochium devectus est in ædes Dn. JOACHIMI SCHRöDERI, Pastoris tum ad S. Petrum, ubi per aliquot septimanas permansit. Accessi eum ego, & alii ex Ministerio sæpius consolandi causa, rogatus, ut nobis assideret, recusavit, dicens, se indignum esse etiam alloquio nostro. Tandem tamen Dei beneficio ex tentatione eluctatus & ad se reversus, piam confessionem Dn. JACOBO *METZMACKER* Diacono ad S. Petrum edidit, & absolutione accepta sacra Eucharistia usus est, ac postea die 22. Apr. circa vesperam 1563. pie & placide in Domino obiit in ædibus dicti Dni. Pastoris, ac biduo post corpus defuncti in oppidum Warnemundam avectum est, ibique honorifice sepultum in templo illo. Dn. M. SLUTERO in *Pastoratu Petrinæ Parochiæ* successit Dn. JOACHIMUS SCHRöDER, cujus antea facta est mentio, idque ex vocatione Illustrissimi Principis Megapolensis, qui SLüTERUM defenderat. Et paulo ante quidam Dn. BARTHOLDUS *in Templo S. Jacobi* sinceram Evangelii doctrinam prædicare cœpit, licet multum contradicentibus Canonicis ibidem & Doctoribus in Academia ac civibus nonnullis. Sic & Dn. VALENTINUS CORTTE, unde CURTIUS postea dictus, in templo S. Spiritus docere cœpit, egressus ex Cœnobio Franciscanorum ad S. Catharinam, & per JOACHIMUM SLUTERUM conversus. Is post aliquot annos Lubecam vocatus ad Ministerium Ecclesiasticum; tandem Superintendentis munus post mortem HERMANNI BONNI primi illius Ecclesiæ post redditam Evangelii lucem Superintendentis Theologi doctissimi & celeberrimi adscitus est.

Crescente vero paulatim magis magisque luce Evangelii in hac urbe ex prædicatione M. SLUTERI, etiam *in templo S. Nicolai* quidam Dn. ANTONIUS BECKER dictus docere veram de Filio Dei Jesu Christo doctrinam cœpit, cui etsi se valde opponeret, Pastor illius templi Dn. JOHANN. KATTE Scholasticus, Prælatus Ecclesiæ cathedralis ad S. Jacobum Vir magnæ tum autoritatis, tamen ille fortiter & constanti animo progressus est, multis civibus piis eum tuentibus & præsertim Illustrissimo Principe HENRICO, cujus jus Patronatus illius Templi erat.

De Matthæo Aquila, Bartholdo, Petro Hakendal, Slüteri adjutoribus; quomodo ab iis Eccles. & Scholastice rei constitutio perfecta sit & e viris Politicis J. Oldendor-

§. 4. Eodem modo *in Templo D. Virginis Sacro*, Dn. MATTHÆUS *EDDELER*, quem postea *Aquilam* Literati nominarunt, 1530. vivo adhuc SLUTERO prædicare Evangelium cœpit in ipso Paschatis festo, ubi *fructus & beneficia mortis & resurrectionis Christi explicans, & quod Apostolos suos prædicare Christus jusserit Pœnitentiam & Remissionem peccatorum inter omnes gentes de vera Christiana & salutari pœnitentia in verbo Dei & ab ipso Christo tradita, Auditores erudivit, eamque a pœnitentia illa, quam huc usque Papistæ docuerant & adhuc*

pii opera illis præsto fuerit?

huc docebant, distinxit, quod ad eam non pertinerent contritio, confessio omnium peccatorum coram Sacerdote, & satisfactio a Sacerdote injuncta, sed sufficeret contritio ex Lege agnoscens peccatum & COR CONTRITUM Deo offerens, & FIDES apprehendens Christum & meritum mortis & sanguinem ejus; quam sequeretur ut fructus NOVA OBEDIENTIA. Sicut & sequenti Dominica Quasimodogeniti: *de Absolutionis potestate Apostolis & successoribus eorum in Ecclesia tradita ab ipso Christo, & quo pacto ea recte usurpanda esset erga peccatores resipiscentes:* Et rursus; *qualis esset retentio peccatorum, & inde secuta Excommunicatio erga impœnitentes, cujus huc usque magnus in Ecclesia abusus fuisset.* Item: *de vulneribus Christi, quorum cicatrices discipulis monstrasset, & quo pacto omnes pii ex illis & ex sanguine ejus hinc effuso firmissimam consolationem haurire deberent, juxta Augustini dictum: TURBABOR, SED NON PERTURBABOR, QUONIAM VULNERUM DOMINI RECORDABOR.* Hisce concionibus plurimi Auditores ad Christum & veram in ipsum fidem conversi sunt, relictis erroribus Papisticis, magisque diligere cœperunt SLUTERUM, ac cupidius audiverunt docentem, inter quos etiam nonnulli ex Senatu Urbis fuerunt. Aliquanto ante Cives in *Parochia Jacobæa* precibus obtinuerunt apud Senatum, ut sibi quoque in Templo sincerus Evangelii Doctor concederetur; atque fuit is quidam Dn. BARTOLDUS dictus, unus ex Discipulis M. SLUTERI. Hic cum aliquamdiu Evangelium ibidem prædicasset, a Canonicis illius Templi, (quod cathedrale erat) rursus a docendi munere remotus est, Senatu, in quo plerique adhuc Pontificii erant, illis etiam gratificante. Sed idem Dn. BARTOLDUS sequenti anno in locum suum restitutus est, postquam obiisset Dn. BARTHOLDUS MOLLERUS Collegii Canonicorum Decanus & Academiæ Rector 1530. qui vir magnæ auctoritatis & doctrinæ ejus temporis habebatur. Et crescebat alioqui divina annuente gratia, indies magis magisque fructus Evangelii per SLUTERUM & alios ejus Collegas prædicati, ut quotidie Dn. Jesus plures adderet congregationi Ecclesiæ in hac urbe, qui salvi fierent, sicut in *Actis Apostolorum c.* 2. dicitur. Etsi igitur M. SLUTERUS & hi, quos dixi, Collegæ & Discipuli ejus multas sustinerent afflictiones & persecutiones, tamen confortabat eos Dominus, & cooperabatur Ministerio eorum, ut SLUTERUS etiam ante beatum obitum suum maximam inde voluptatem caperet, & Deo gratias pro tam felici Evangelii cursu ageret. Ita ergo paulatim plures Evangelii Præcones in hac urbe divinitus excitati sunt, inter quos & Dn. PETRUS HAKENDAL fuit, qui postea multis annis una cum Dn. EDDELERO Christi Ecclesiam *in Templo divæ Virginis* docuit & gubernavit. Quibus licet se Plebanus ejus Templi (ita enim tum Pastorem appellarunt) acriter opposuit, una cum Sacerdotibus aliis, quorum XII. & plures in eodem Templo fuerunt, tamen illi in prædicando Evangelio sincero fideliter & constanter progressi sunt, non modo civibus sed etiam potissima Senatus parte Evangelium amplectente, & curam piorum Ministrorum majori benevolentia suscipiente. Inde ergo factum, quod in initio anni 1531. Senatus Pontificiæ Religionis primarios Pastores & Collegii Canonici Prælatos ac Sacerdotes & ex altera parte sex illos sinceri Evangelii Doctores in Grapheum convocaret, certasque *Leges seu Articulos* scripto comprehensos utrisque proponeret *de Forma Doctrinæ ex ipsis sacris Bibliis desumenda & tradenda Auditoribus ad illustrationem gloriæ Dei & salutarem Ecclesiæ ædificationem; de ceremoniis piis, gravibus & ad bonum ordinem pertinentibus, instituendis, & abrogandis inutilibus; de conventibus & mutuis colloquiis concionatorum singulis septimanis habendis; de fovenda & conservanda mutua concordia; de moderandis concionibus & vitandis convitiis ac criminationibus in adversam partem, quibus turbarentur & exacerbarentur cives; de piis Psalmis ante & post conciones in Ecclesia cantandis, & similibus rebus necessariis.* Ad hos Articulos ita responderunt Evangelici Concionatores peculiari scripto, ut satisfacerent Senatui, & hunc magis sibi veræque Religioni conciliarent: Pontificii vero, licet Senatus in curia cum eis per totum diem graviter & sedulo egisset, ut approbarent & ipsi Articulos a Senatu propositos, & cum aliis Evangelicis consentirent; nihil tamen efficere apud pertinaces & obstinatos potuit. Quare postridie illorum nonnullis, qui *in Templo divæ Virginis* sacra hactenus administraverant, quorum Plebanus seu Pastor erat Dn. M. NICOLAUS FRANCKE (qui & Præpositus Collegii Cathedralis ad S. Jacobum fuit, multis annis post *Præpositura die Probstey*) interdixit Senatus, ne Missas amplius Papistico more celebrarent, quod & in aliis Templis Parochialibus paulo post prohibitum est. Ita ergo deinceps in Templis primariis cœna Domini juxta institutionem Christi & præscriptum *D. Lutheri in libro de Missa Germanica & ordine cultus divini anno* 1524. edito & postea *in parvo Catechismo*, administrata fuit, licet multum frementibus & indignantibus Pontificiis & sacrificulis, quorum non pauci adhuc in urbe erant. Edidit autem LUTHERUS, ut hoc obiter addam, *Catechesin* primum *majorem*, in qua plene & dilucide explicat partes præcipuas Doctrinæ Christianæ, ut & Pastores & Auditores rectius intelligere possent, quid singulæ illæ partes complecterentur Doctrinæ, & quo pacto Doctrina illa ad pietatem veram, agnitionem essentiæ & voluntatis Dei, ad dilectionem Dei & proximi, ad fidem in Christum, ad precationem piam Deoque placentem; ad veram & salutarem pœnitentiam, ad legitimum usum Sacramentorum a Christo institutorum recte & utiliter accommodanda esset. Ingenti enim bonitate Dei etiam in mediis tenebris Papisticis conservatæ fuerunt Catecheticæ illæ partes Doctrinæ divinitus traditæ; ut, Decalogus, Symbolum Apostolicum, Oratio Dominica, & Verba Institutionis Baptismi & Cœnæ Dominicæ, licet depravatio

vatio acceſſit per falſas Opiniones & Traditiones humanas, quas Deus per *organon ſuum electum Lutherum* detexit, repurgavit, & abjecit ex Eccleſia ſua. Aliquanto poſt, cum *Viſitatio Eccleſiarum in Ditionibus Electoris Saxoniæ JOHANNIS* 1528. *habita eſſet*, cui etiam interfuit ipſe LUTHERUS; edidit *Catecheſin* illam *minorem*, quam & *Enchiridion* inſcripſit pro rudibus Paſtoribus & Ruſticis in pagis, occaſione ex dicta Viſitatione ſumpta, ſicut ipſe in *Præfatione Catecheſeos* illius refert; *cum vidiſſet & comperiſſet coram quanta inſcitia eſſet non ſolum in populo, ſed in multis etiam Paſtoribus de Articulis Doctrinæ Chriſtianæ, ut neque partes præcipuas Catechiſmi ſcirent, neque ſi recitare noſſent, eas intelligerent, aut explicare aliis poſſent.* Editio illa Catecheſeos minoris facta eſt 1529. Hi igitur libri cum prodiiſſent, & in hæc quoque loca & noſtram urbem perducti eſſent, mirum in modum promoverunt Evangelii veritatem & ab omnibus, qui eam ſectabantur, magna cum aviditate & voluptate lecti ſunt; atque hoc modo *in Eccleſiam & Scholam Catecheſis Lutheri vivo adhuc Slutero introducta eſt, magna cum utilitate Auditorum & profectu pietatis in juventute.* Simul etiam *Pſalmi Lutheri Germanici* prodierunt, qui *in Templis & Scholis poſt abrogationem Miſſarum in cultu divino decantati ſunt, etiam Diebus Feriatis ante & poſt concionem ſacram, idque auctoritate Senatus etiam accedente.* Eodem tempore Syndicus Reip. hujus fuit JOHANNES OLDENDORPIUS J. U. D. Hamburgi natus, cujus excellens fuit eruditio & in jure dicendo peritia & uſus, quod & ſcripta ejus teſtantur, quæ extant & apud Jurisconſ. magni ſiunt. Hic veram Religionem quoque amplexus jam erat Hamburgi & Wittebergæ, ubi LUTHERUM, PHILIPPUM & alios Theologos ac præſtantes Viros audiverat docentes, ac propterea Senatum ad amandam & propagandam Religionem hanc & abuſus pontificios abrogandos graviter hortatus eſt, ejusque conſilio maxima pars Senatus paruit divino etiam haud dubie inſtinctu. Idem quoque autor fuit Senatui, ut *ſcholam in cœnobio S. Johannis* conſtitueret, & disjunctas in ſingulis ParochiisScholas in hanc unam conjungeret. Conſtabat enim hoc *cœnobium*, (antequam dirueretur ab Illuſtriſſimis Principibus JOHANNE ALBERTO & ULRICO urbem tum captam tenentibus 1566.) pulcherrimis multis & ædificiis concameratis, & columnis lapideis fulcitis, in quorum aliquibus etiam poſtea nonnulli Profeſſores, Ampliſſ. Senatus maxime Jurisconſ. & Medici lectiones ſuas publ. propoſuerunt, ut: D. GISBERTUS LONGOLIUS, D. JOHANN. STRUBIUS, D. ALBERTUS KNOPPERUS, L. JOHANN. GOLL Medicus, & alii. Et unum inprimis amplum & inſigne ædificium fuit, frontiſpicio ſuo obverſum *Plateæ lapideæ* & contiguum Templo, in cujus inferiori parte Monachi confitentes ſoliti fuerunt audire & abſolvere, unde dicebatur *das Beichthauſs.* In ſuperiori contignatione *Bibliotheca* erat, *ex qua multos veteres libros manuſcriptos & excuſos MATTHIAS ILLYRICUS permiſſu Senatus acceperat ad uſum HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ, QUÆ TUM COLLIGEBATUR ET DESCRIBEBATUR MAGDEBURGI.* Chirographo autem ſuo reddito Senatui, & depoſito rurſus in Bibliothecam iſtam, promiſerat librorum illorum reſtitutionem. Chirographum illud vidi cum adjuncto Indice librorum ablatorum, ſed non intellexi, eos unquam reſtitutos fuiſſe. Cæteri libri non magni uſus venditi ſunt juſſu Senatus a *Secretario* ejus temporis BERNHARDO LUSCOVIO; meliores vero translati in Bibliothecam Templi Mariani. Etſi autem *ſchola inferior*, de qua ante dixi, in cœnobio illo commodiſſimum habuit locum, tamen aliquot annis poſt iterum diſtracta eſt, cum D. OLDENDORPIUS, Syndicus, hinc in Academiam Marpurgenſem vocatus eſt, ubi etiam obiit; & JOHANN. NOVIOMAGUS quoque Profeſſor Artium in Academia, & ſimul Inſpector Scholæ a Senatu conſtitutus, hinc Daventriam ad Scholæ illius urbis gubernationem diſceſſiſſet. Collegæ etiam Scholæ, quorum unum fuiſſe tum audivi LUCAM RANDOVIUM, inter ſe diſſidere cœperunt, deſtituti *Rectore* valente auctoritate, ac Magiſtratu carente fideli monitore, & Miniſterio nondum recte conſtituto; unde factum, ut ſuperiores Collegæ gregem aliquem puerorum collectum in propriam ſeu privatam ſcholam juxta ſingula Templa Parochialia abduxerint.

§. 5. Sed redeo ad negotia Eccleſiaſtica. Anno Chriſti 1531. Senatus Urbis ex *Templo S. Spiritus* Dn. VALENTINUM CURTIUM, (cujus & ſupra mentio facta eſt,) tranſtulit in *Templum divæ Virginis*, ac *Paſtorem* ibidem conſtituit, ut *Collega* eſſet MATTHÆI EDDELER & PETRI HAKENDALII. Sic & *in Templo S. Jacobi* eod. anno Dn. 15. poſt Trinit. juſſu Senatus Dn. BARTOLDUS, (qui ſinceram Evangelii doctrinam ibidem prædicaverat,) primum Cœnam Domini juxta Inſtitutionem Chriſti & præſcriptum Catecheſeos LUTHERI adminiſtrare cœpit adjuvante ſimul Dn. ANTONIO *ad S. Nicolaum Concionatore*, & Ludimoderatore ac pueris ex ejusdem Templi Schola ibidem Pſalmos germanicos LUTHERI canentibus. Hæc res quamvis cum maxima indignatione & fremitu Canonicorum excepta eſt; tamen quia Senatus urbis & civium communitas maxima ex parte jam Evangelium amplexa erat, & inter ſe ita convenerant, ut veteres Papiſticæ & impiæ ceremoniæ & abuſus in omnibus Templis abrogarentur, nihil efficere vel impedire potuerunt. *Res Eccleſiæ in tem-plis S. Spiritus, Divæ Jacobi & Nicolai a. 1531.*

§. 6. Sequenti anno 1532. *primus hujus Eccleſiæ* ex tenebris Papiſticis mirando Dei beneficio erutæ *Evangeliſta & fideliſſimus Chriſti Miniſter JOACHIMUS SLUTERUS* in vera fide & invocatione filii Dei placide obiit ipſo die Pentecoſtes ex toxico ſibi propinato, quo paulatim contabuit; ut & ſupra in vita ejus dictum eſt. Magno cum dolore omnium piorum & bonorum in hac urbe honorifice ſepultus *Joach. Sluteri obitus & Val. Curtii nuptiæ 1532.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pultus est in *cæmiterio S. Petri*. *Ministerio* suo fideliter & feliciter per Dei gratiam præfuit *annis IX.* ingenti cum fructu Ecclesiæ per eum in hac urbe collectæ, cujus assidua incrementa & Evangelii amplissimum fructum, Christus eum videre voluit, dum viveret, ut eo lætiori transitu ex hac Ecclesia in cœlestem migraret ad DN. suum, cui tanta fide & constantia serviverat. *Ætate* fuit cum moriretur media paucis ultra *XL. annis*. Paulo ante obitum ejus DN. *Valentinus Curtius Pastor ad Divam Virginem* nuptias suas celebrarat, cujus deductioni in Templum ad copulationem plerique Consules & Senatores interfuerunt honoris causa, & ut testarentur, se jam amare Evangelium Christi & sinceros ejus Ministros venerari. Illud etiam cum cognovisset *Sluterus* decumbens magno & affectus gaudio, quod præsentiam Christi & virtutem Evangelii a se primum hic prædicati inde perspiceret, ac Mosen & Aaronem ingenti Dei bonitate jam conjunctos esse, idemque sentire secundum JEsum Christum cerneret.

Post Sluteri obitum rei sacræ progressus intra & extra urbem.

§. 7. Post *Sluteri* beatum obitum Pastores & Ministri in omnibus Templis hujus urbis summa fide & ardenti zelo sinceram Evangelii prædicationem propagarunt, Errores Papistarum graviter taxarunt & refutarunt, & locupletiorem indies Ecclesiam Christo per Verbum eorum operante reddiderunt. Et inprimis frequens habuit Auditorium *Dn. JOACHIM. SCROEDER successor Sluteri* (ut antea diximus) *in Templo St. Petri*. In reliquis etiam Templis tum in urbe etiam *in cœnobio virginum*; tum extra urbem *ad S. Georgium* Senatus sinceros Evangelii Prædicatores constituit, qui fideliter officio suo functi, magis magisque idolomaniam Papisticam expurgarunt, & Christo Ecclesiam plantarunt. Nullibi tamen pertinaciores in Papisticis erroribus reperti sunt quam *in cœnobio Virginum ad S. Crucem*, quæ nec Consulum nec Pastorum Ecclesiæ monitis & institutioni ex verbo Dei parere, aut locum dare voluerunt.

Scholæ in monasterio S. Johannis constitutio 1534. & quomodo M. Henricus Arsenius causæ meliori restiterit.

§. 8. Anno 1534. Schola illa Trivialis, de qua antea dictum est, ex IV. Scholis Templorum Parochialium conjuncta, in monasterio S. Johann. ex consilio *D. Johann. Oldendorpii* constituta fuit, Monachis partim consentientibus partim discedentibus alio. Eodemque anno Monasterium Franciscanorum Monachorum in Nosocomion, ubi Pauperes deinceps habitarent & alerentur, conversum est. Cœnobium vero S. Michaelis, Fratrum vulgo dictum, in quo varii Mechanici & Laici fuerunt, etiam Typographia, ad Scholam privatam & juventutis institutionem deinceps jussu Senatus destinatum est. Nam fuerunt in eo Viri docti ad eam rem idonei, inter quos & *M. HENR. ARSENIUS* fuit, qui diu post vixit, & in superstitione sua perseverans ita obiit, & absque piis ceremoniis in templo Cœnobii a fratribus superstitibus sepultus est. Fuit alioqui Vir ille probus & eruditus & Collega *M. Johann. Posselii* Senioris in Pædagogio juxta Templum S. Jacobi, ubi privata illi Collegia & exercitia Studiosis admodum utilia habuerunt. Monitus vero a *D. Simone Pauli*, me, & aliis Ecclesiæ Ministris, obstinatus in insitis erroribus permansit, inde etiam contracto in nostram Doctrinam odio aliquo, quod nonnulli in Templo Jacobæo ex cathedra Præsentem asperius perstringerent, & quasi digito notarent; id quod ipse interdum in concionibus audivi.

Val. Curtius h. a. ad Lubecenses avocatus & conventus Ministrorum Hexapoleos Lubecæ 1535. habitus, cui ex Rostochienf. Henr. Techens interfuit. &c.

§. 9. Eodem anno *Dn. Valentinus Curtius* Pastor ad divam Virginem Lubecam vocatus est ad munus Ecclesiasticum, cui Senatus urbis substituit quendam *HENRICUM TECHENS*, virum doctum & facundum. Hic sequenti *anno 1535. conventui Theologorum ex sex urbibus, Lubeca, Hamburgo, Bremæ, Rostochio, Sundio & Lunæburgo*, qui *Hamburgi* habitus est, nomine hujus civitatis interfuit, adfuerunt tamen etiam Politici. *Decreta ibi facta sunt contra Papistas, Anabaptistas & Sacramentarios, ne in hisce urbibus ferantur; de Augustana confessione amplectenda & in publ. doctrina sequenda; de conformitate Doctrinæ & ceremoniarum, quantum quidem in his pro cujusque Ecclesiæ ratione & usu fieri potest; de cantionibus piis in latina & germanica lingva usurpandis in Ecclesia; de administratione Sacramentorum; de concionibus catecheticis; de disciplina Ecclesiastica; de vocatione Ministrorum Ecclesiæ; de Bonis Ecclesiasticis, unde honeste illi alantur & similia alia.* Cum vero idem *Henricus Techens* restituta post aliquot annos Academia per *M. Arnoldum Burenium* & alios ejus collegas aliunde accersitos tam a Principibus quam a Senatu, in contentionem aliquam incidisset cum Professoribus Academiæ, quod de collatione Graduum Doctoralium & Magistralium, deque ceremoniis, quæ usitate adhibentur, scoptice & imprudentius locutus est, (quamvis & ipse postea gradum Magistri assumpsit,) deserto Ministerio hinc discessit, & se contulit in oppidum Boitzenburg, unde forte oriundus fuit, ibique civicam vitam egit: tandem etiam in Senatum lectus & Consul ibidem factus est.

Academiæ restauratio per Arnold. Burenium & alios per id tempus vocatos doctores.

§. 10. Nepotem ex filia *HENRICUM DRINGENBERG* reliquit, qui jam Pastorem agit in Parochia Gebelstorp. Sequentibus annis in omnibus hujus urbis Templis sinceri Evangelii Pastores & Ministri constituti sunt, qui propagarunt veram Religionem in tota urbe, licet nonnulla Zizania Pontificiæ superstitionis in ea adhuc per annos complures reliqua manserint. Et Academia quoque fere collapsa & vasta quasi revivisscere cœpit, & restitui per *M. ARNOLDUM BURENIUM*, qui Præceptor fuit Illustrissimi Principis *MAGNI, HENRICI*

Megapolensis Filii electi Episcopi Sverinensis, & ab eo in omni genere doctrinæ liberalis præclare instructi. Is enim Rostochium veniens, & collegia aliaque studiis apta loca videns, potestate a dicto Principe *HENRICO* accepta, initio privatim docere cœpit, deinde etiam publ. in *Philosophia* inprimis vero *Ciceronis Scripta* enarravit, & cœtum aliquem studiosorum hac sua fide, industria, & diligentia collegit, habitavitque in *domo seu Collegio Aquilæ* sic dicto, ubi multos secum privatos discipulos habuit ex præcipuis familiis virinarum urbium, quos honesta disciplina & sedula institutione rexit. Hujus exemplo & Senatus urbis *Instaurationem Academiæ* suo loco innuit, vocatis ex Academia Colonienſi aliquot eruditis viris an. 1542. nimirum *Gisberto Longolio* Medico, *Johanne a Bruncklorst*, Noviomago Philosopho, *Joh. Strubio*, JCTO. *Petro Capitaneo* Medico; ad quos ex parte Principum accesserunt *Jacobus Bordirgus* & *Georgius Curio* Medici, *Henricus Smedenstede* Lunæburgensis, Theologiæ Doctor, & aliquando post *D. Johannes Aurifaber* Theologus, *David Chytræus* & alii. Atque hoc modo tam Academia quam Ecclesia pluribus viris doctis abundare ac magis efflorescere cœpit.

De Henr. Smedenstede, Jo. Aurifabro Georg. Veneto, Tilem. Heshusio aliisque in Eccl. & Acad. circa a. 1550. vocatis doctoribus.

§. 11. Porro is quem diximus, *D. HENRICUS SMEDENSTEDE* in Pastoratum Templi Nicolaitani constitutus est ab Illustriss. Principe, Megapolense *HENRICO*, circiter annum Christi 1543, simul quoque in Academia docuit & Theologiam & Dialecticam. Fuit enim insignis Dialecticus & celebris in arte ea docenda, & in disputando acris. Vehementis tamen ingenii fuit, & in concionibus nimis severus in taxandis vitiis, in objurgandis & damnandis Pontificiæ Doctrinæ adhuc aliquo modo deditis, in Principibus quoque Viris, cum Bellum Germanicum inter Cæsarem *CAROLUM V.* & Electorem Saxoniæ *JOH. FRIDERICUM* & *PHILIPPUM* Hassiæ Landgravium geretur anno 1546. & 47. interdum pro concione notandis. Id cum etiam contra *MAURITIUM* successorem *JOH. FRIDERICI* in Electoratu Saxoniæ fecisset, præsentibus *MAURITII* Legatis Princeps *HENRICUS* eum ab officio removit, & in locum ejus *D. JOH. AURIFABRUM* Witteberga vocatum Pastorem constituit 1550, qui & ipse simul Professoris munus in Academia sustinuit. Sed paucis annis post in Prussiam vocatus Regiomontem, ubi in Academia Theologiam docuit, & Episcopus Sambiensis factus est. Huic vero successit *M. GEORGIUS RICHIUS* Saganensis Silesius, qui aliquamdiu Bistovienſi Parochiæ non procul ab urbe præfuerat. In eodem ad. S. Nicolaum Templo Diaconi fuerunt *JOACHIMUS STAMPE* & alii, ac deinceps *JOACHIMUS BANCOVIUS* Tetrovienſis Megapolitanus, tempore *M. Richii* Pastoris. In Templo Mariano post *Henricum Techens* (cujus supra meminimus,) Pastoris locum tenuit *Matthæus Edder*, (qui *Aquila* a literatis dictus est,) vir pietate, doctrina, zelo & vitæ integritate præstans, obiit vero ille subitanea morte Apoplexia tactus, cum Templum ingressurus esset die 6. May 1556, cui successit *M. JOHANN. SCHREIGELIUS*, (quem *Cantoris* nomine appellarunt Literati) ex Schola Mariana ad Ministerium Ecclesiasticum a Senatu vocatus. A Principibus quidem *JOH. ALBERTO* & *UDALRICO* vocatus fuit *D. GEORG. VENETUS*, qui nobili genere in Prussia ortus Theologicis studiis sese dedidit, ac Wittebergæ in Theologice Doctorum promotus erat a. 1550 die 11. Octobr. a *D. GEORGIO MAJORE*, ut Pastoratui Ecclesiæ Marianæ præesset. Verum Senatus urbis huic vocationi se oppositit, affirmans Jus Patronatus ejus Templi non ad Principes sed immediate ad Pontificem Romanum pertinere, qui & antea semper Pastores seu Plebanos (sic enim illi dicti fuerunt usitate) suo beneficio designasset, & postremum quoque Dn. *Nicolaum Francken* Plebanum constituisset; (cujus & supra meminimus,) ideoque ad Cameram Imperialem provocavit. Interea tamen Senatus quos voluit accedente aliorum in eo Templo consensu ad munus docendi vocavit, sed ita, ut a Nomine *Pastoris* abstinerant, & simpliciter appellarentur *concionatores*, *Prediger*. Sic ergo D. *Venetus* in Academia sacras literas aliquandiu docuit, & sæpius concionatus est, maxime ad S. Nicolaum. Nam eod. anno 1556. *D. TILEMANNUS HESHUSIUS* Westphalus ab Illustrissimis Principibus ad munus Pastoris *in Templo S. Jacobi* institutus est, qui etiam simul in Academia docuit. Remotus autem ab officio prædicandi fuit *JOH. HEINCKINUS*, qui a Senatu constitutus in suspicionem venit latentis in eo Pontificii fermenti, quod & prodidit interdum in concionibus & sermonibus familiaribus. Contulit se igitur Ribnitium, ubi in cœnobio virginum Ministrum verbi adhuc per aliquot annos egit & ibidem obiit.

Petr. Eggers Diaconus Jacobæus ob elenchum a Senatu officio motus sed a principibus restitutus.

§. 12. Cæterum præter *VITUM BERGIUM* in Templo Jacobæo infimum Diaconum Senatus urbis etiam *PETRUM EGGERS* sub finem anni 1555. ibidem constituerat ejusdem collegam. Hic Rostochii natus fuit Patre tonsore & bonis artibus ac studiis sacris bene institutus in Academia Wittebergensi, ubi ego familiariter cum eo vixi circa annum Christi 1552. Accidit vero, ut quidam Officialis Episcopi Sverinensis, *Detlevus Danckwardt* dictus, qui Pontificiæ erat Religionis, moriretur, & Funus ei honorificum fieret Cal. Mart. 1556. quod Coss. Senatores nonnulli & alii cives primarii comitati sunt. Hos vero omnes in charta annotatos *DN. PETRUS EGGERDES* proxima Dominica publ. & nominatim graviter

ter reprehendit, *quod honorem illum præstitissent homini impio & in veram Religionem blasphemo & hostiliter affecto, atque ita jugum cum incredulis duxissent.* Hac παῤῥησία & pio zelo ita offensus fuit Senatus, ut statim ipsum a Ministerio Ecclesiastico removerit & abstinere a Cathedra jusserit. Et quamvis *M. ANDR. MARTINUS* Collegiatus & simul Academiæ Rector factum *DN. PETRI* approbaret etiam publ. pro concione, quam in Templo Jacobæo habuit, & moneret ipso die Paschæ Auditores ut pro eo restituendo intercederent apud Senatum; tamen nec sic quicquam impetrari potuit. Cum vero postea mense Julio *D. Tilemannus Hesbusius* a generali ejus temporis Superintendente *DN. GERHARDO ÆNCKEN* in Templum Jacobæum institueretur, idem quoque apud Senatum pro Dn. *Petri* restitutione intercessit, id quod etiam *David Chytræus* fecit, verum & hoc frustra fuit. Mandarunt itaque Principes *D. Tilemanno* tanquam Pastori, ut ipse Eum in locum suum pristinum restitueret Celsf. ipsorum nomine, quod & factum est sub finem mensis Julii admodum indignante Senatu. Fuit hic *Petrus Eggers* gratus civibus & auditoribus suis, quia facundus & zelosus fuit in concionibus, vitia hominum & Magistratus quoque graviter taxavit, Examen catecheticum in Templo illo instituit, ad quod non solum Pueri ex Schola Jacobæa jubebantur accedere, sed etiam alii Pueri & Puellæ in Templo præsentes invitabantur ab eo, idque acceptum valde fuit Parentibus.

Hesbusius & Eggerdes nuptiarum abusum in diebus Dominicis taxantes, officio & urbe ejiciuntur a. 1557

§. 13. *Hesbusius* cum aliquot septimanis in urbe & Ministerio fuisset, & abusum ac violationem Diei Dominicæ per copulationes sponsorum & convivia nuptialia vidisset, quæ fiebant statim post sacra in Templis finita hora decima, & Nuptiæ ipsæ inde a meridie per totum diem protrahebantur, unde in primariorum hominum Nuptiis magna hominum multitudo a cultu divino & audiendis concionibus sacris pomeridiano tempore avocabatur per Nuptias illas; cœpit tandem hunc manifestum abusum graviter taxare una cum Collega DN. *Petro*, & monere Senatum & cives in concionibus, ut eum deponerent ac mutarent. Sed inveterata illa & quasi jam obdurata in omnium animis consvetudo difficulter mutari potuit: acriter ergo Senatus & multi cives sese opposuere. Unde in ipso etiam Ministerio dissidia exorta sunt, & Senatus istos duos Concionatores *D. Hesbusium* & Dn. *Petrum Eggers* urbe tandem ejecit 1557. die 10. Octobr. Quæ res magnis turbis & malis in civitate occasionem præbuit.

Jo. Draconites Superintendens Rostoch. constitutus; Andr. Martini post remotionem Rostochiensem munus sanctum in aula Danica accipit, in quam & ipse Luc. Bacmeister a Wittebergensibus evocatur:

§. 14. Sed Historia hæc integre & prolixe descripta extat in Actis Ministerii, unde petatur. Venerat non multis annis ante, nimirum 1552. in hanc Academiam & Ecclesiam *JOHANN. DRACONITES* Carolostadius Francus, Theologiæ Doctor & Hebræus insignis, vocatus a Senatu Urbis ex Academia Marpurgensi, ut in Academia simul & Ecclesia doceret. Hic Rectoratui Academiæ sequenti statim anno in Aprili præfectus est, ac rursus 1556. hybernum Rectoratum administravit. Postqvam vero duo illi, quos superius dixi, Concionatores ejecti essent, Senatus *Draconiten Ecclesiarum in hac urbe Superintendentem constituit*, mandatque cœteris Concionatoribus plerisque, ut ei obedientiam præstent debitam. Removerat quoque Senatus ab officio docendi tam in Academia quam in Ecclesia circa idem tempus *M. Andream Martini*, quod causæ ejectorum Concionatorum faveret, eamque tueretur. Qva occasione ipse in Daniam proficiscens Rostochio, Sereniss. & optimo Regi Daniæ *CHRISTIANO III.* innotuit per commendationem Aulicorum concionatorum *M. Pauli Noviomagi* & *M. Henrici* Buscoducensis. Et Rex audita concione ejus duobus illis ipsum adjunxit, qvod & afficeretur ejectione ejus injusta ex Patria, & qvod *M. Paulus* alter concionatorum Astmate interdum laboraret. In hac honestissima Functione mansit *M. Andreas* usqve ad pium obitum dicti Regis, qvi incidit in Calendas Januarii inchoantis anni 1559. in Arce Coldingensi. Cumqve succederet Regi huic defuncto Filius *FRIDERICUS II.* jam ante Rex designatus, ac propterea Aulam suam propriam institueret, Hafniæ & aliis in locis Regni, priores concionatores germanici, qvos supra dixi, dimissi sunt ad beneficia & Canonicatus Ecclesiasticos, quibus a Rege *CHRISTIANO* donati fuerant, Rege *FRIDERICO* Danicum concionatorem *M. Nicolaum* recipiente. *M. Andreas* vero apud Reginam Viduam Coldingæ mansit aliqvandiu in Ministerio, (nam illa ea in Arce, quæ cum aliquot aliis Arcibus & Præfecturis Dotalitii loco Ipsi assignata fuerat, sedem Aulæ suæ fixit) donec ego *LUCAS BACMEISTERUS* Witteberga vocatus ab ea ad Munus concionatoris Aulici & ad id Publ. ibidem ordinatus a *D. Paulo Ebero* tum Pastore & Superintendente Ecclesiæ Wittebergensis ipsa Dominica Lætare, (manus simul mihi & aliis tribus, qui una ordinabantur imponentibus *Dn. Philippo Melanchthone*, *D. Georgio Majore*, *D. Joh. Forstero* & omnibus Ecclesiæ Wittebergensis Ministris,) illuc venirem: nam paucis diebus post, cum Præceptoribus valedixissem, & Testimonium Ordinationis & commendationem *Philippi* ad Reginam accepissem, Witteberga discessi, & salvus Deo ducente in Daniam veni Coldingam, ubi primam concionem habui Dominica Cantate & ad Ministerium Ecclesiæ istius Aulicæ receptus sum, *M. Andream Martinum* vero Regina honeste & liberaliter dimisit, qui Rostochium reversus, non multo

post a Senatu ad Ministerium Ecclesiæ Jacobeæ primum, dein vero Marianæ vocatus est in locum demortui *Johann. Schreigelii*, qui obiit mense Nov. 1560.

Draconitis gesta in officio Superintendentis, quæ magnis turbis ansam dederunt; ubi de Tracigero aliisque.

§. 15. Verum ad *D. Draconitem* & turbas per eum motas redeundum est. Is Superintendentis jam munere ex Senatus mandato fungens, (ut supra dictum est,) interdum convocavit Ministerium, & quod ei injunxerat Senatus, duos ex Senatu deputatos ad eam rem simul ad conventus illos accersivit, quos voluit Senatus actionum & conciliorum Ministerii Inspectores esse. Cum vero ille ad omnes actiones Senatus in ejectione duorum concionatorum & in publicatione atrocissimi & impiissimi Mandati adversus ejectos & alios concionatores, qui eos defenderent, (sicut exemplum Mandati ostendit,) & denique in retentione abusus Nuptiarum diebus Dominicis, & Sabbathi profanatione plane conniveret, imo etiam hæc omnia approbaret, & defendere conaretur; ingentia hinc mala, distractiones & motus excitati sunt, qui ad aliquot annos durarunt, antequam consopiri possent. Mandati ante dicti, quo omnium templorum Valvis affigi, etiam ex suggesto legi, Senatus jussit, autor fuit *WILHELMUS NOVESIANUS* J. U. D. tum Syndicus Urbis; natus Novesii, unde & stylus ac idioma Westphalico seu Colonienſi simile in eo apparet. Sita est enim civitas *Novesia* vulgo *Nüß* dicta, Patria hujus Noveſiani, (unde cognomen habuit) ad Rhenum in Episcopatu Colonienſi in vicinia Westphaliæ. Venit is Rostochium eod. anno 1556. quo *D. Georgius Venetus* & *D. Tilemannus Heshusius* advenerunt, & commendatus fuit Senatui a *D. ADAMO TRACIGERO* Berlinenſi, (*) qui ad Professionem Juridicam a Senatu primum vocatus est 1546. deinde vero ob ingenii, memoriæ & eloquentiæ dona ad Syndicatus dignitatem & officium adhibitus, Reip. per aliquot annos servivit fideliter, & Collegam in Academia habuit *Dr. ANTONIUM FREUDEMAN.* Hallenſem, Jurisconſ. & ipsum ex parte Senatus Professorem. Sed hoc post aliquot annos propter stipendii tenuitatem, quod Senatus augere noluit, hinc discedente, & in Patriam redeunte, *D. Adamus* quoque ab *ADOLPHO* Holsatiæ Principe in Aulam ejus accersitus eo se contulit, & deinde Cancellarius ejusd. Principis factus est. Ab hoc discessuro petiverat Senatus, ut successorem idoneum inquireret, qui ætate graviore quam ipse esset. Quod ille in contemptum suæ ætatis junioris accipiens, hunc *Novesianum*, Seniorem quidem, sed ingenio, industria & doctrina longe inferiorem, indicavit, cujus opera magis nocuit quam profuit Reip. sicut res ipsa postea declaravit.

(*) *Meibom.* Introd. in Hist. Sax. inf. p. 61.

De Georgio Richio, Math. Flegio aliisq; ex Ministerio, qui se Senatus & Draconitis molitionibus oppoſuerunt.

§. 16. Oppoſuerunt se autem Mandato illi Senatus ante dicto, aliquot in urbe Concionatores, & inter hos imprimis *M. GEORGIUS RICHIUS* Saganenſis Silesius Pastor ad S. Nicolaum, qui vir pius, gravis & zelosus erat, ideoque Senatum in Grapheo congregatum accessit, & quanta peccata in ejectione fidelium Ecclesiæ Ministrorum, & in subsecuta Promulgatione impii & blasphemi Mandati commisisset, graviter Eum monuit, & ad pœnitentiam mature agendam hortatus est, sub magnæ iræ Dei comminatione. Senatus non parum offensus hac ejus παῤῥησία, jussit Eum discedere & scripto comprehendere, quæ dixisset, & quæ præterea vellet. Id igitur ille fecit, & aliquot diebus post, nimirum 22. Dec. 1557. scriptum istud Senatui Ipse exhibuit. Adjunxerunt postea se illi *Dn. Joachimus Schröder* Pastor ad S. Petrum, *Matthæus Flegius* ad divam virginem Minister & alii, & eadem peccata Senatus in ejectis concionatoribus & impio mandato promulgato etiam pro concione accusare cœperunt, & se *D. Draconitæ*, Senatum in omnibus defendenti, oppoſuerunt, exemplo *M. Georgii Richii.* Senatus scriptum *Richii* ante dictum *D. Draconitæ* & aliis concionatoribus legendum & judicandum tradidit, paulo post initium anni 1558; in quo perlegendo & censendo aliquot temporis consumptum est, cum illi convenire inter se non possent. Nam *Draconites* totum scriptum plane damnavit, ex cœteris plerique id probarunt, cum nihil in eo impii aut injusti reperirent; unde etiam factum, ut hi ipsi *Draconitem* desererent, nec pro Superintendente suo amplius agnoscere eique obedire vellent. Hæc Distractio, etsi non plane ingrata erat Senatui, (ut scil. illi inter sese commissi, minus negotii facerent Senatui,) tamen Deus pro sua sapientia & justitia eam tandem in bonum convertit, ut major inde concordia & conjunctio totius Ministerii suo tempore secuta sit, sicut acta sequentia testabuntur. Perseveravit a. Senatus & primarii cives eo anno 58. adhuc in veteri illo Nuptiarum diebus Dominicis circa meridiem inchoandarum & habendarum more, neque movebantur admodum quorundam ex Ministerio contradictione & monitionibus etiam publicis. Quare convenit inter plerosque in Ministerio, quod nollent deinceps ullos copulare sponsos in Meridie diebus Dominicis, atque ita Sabbathum profanare, idque publ. significarunt ex suggesto toti Ecclesiæ, ac fecit idem *M. Matthæus Flegius* im Templo divæ Virginis 24. April. suo & Collegæ sui *M. Schrigelii* nomine. Id vero vehementer offendit COSS. & Senatores, quorum major pars concioni illius Dominicæ interfuit, unde etiam accersitum ad se in Graphæum monuerunt severe, ut ab hoc instituto suo desisteret, nec quicquam suo loco innovaret. Verum ipse constans in sententia sua perstitit, perque Mandatum divinum

vinum de Sabbatho sanctificando & per conscientiam suam, quam sauciare nollet, se graviter excusavit. Itaque magis offensus Senatus de eo removendo cogitavit, & substituendo in locum ejus *M. Lucæ Randovio*, qui in Nosocomio Spiritus S. eodem tempore Concionatorem egit, & magis assentiri videbatur Senatui & *D. Draconiti*. Sed neque ea res processit, tametsi *M. Matthæus* Lubecensi Ecclesiæ operam suam aliquo modo addixisset. Nam & ipse in sua statione permansit, civibus quoque id a Senatu petentibus; & post illud tempus binæ tantum nuptiæ die Dominica pro veteri consvetudine habitæ sunt, in quarum prioribus sponsorum copulatio per *D. Draconitem* mandato Consulum facta est 26. Junii, in posterioribus a *M. Autore Lindeman* d. 3. Julii. Priores, (ut olim audivi) fuerunt Nuptiæ *Bernhardi Krohn* filii COS. *Dn. Bernhardi Krohn* & *Annæ* filiæ COS. *Dn. Bartoldi Kirchhoffs*, factaque copulatio in Templo divæ virginis, in qua Parochia sponsa fuit. Cum hisce enim nuptiis & Familiis Patritiis finem accepisse Nuptias istas Dominicales, de quibus tantæ fuerunt turbæ aliquandiu in hac Urbe, ex Antecessoribus meis me audivisse memini. Estque in eo mirandum Dei consilium prædicatione dignum, quod qui hucusque tanto conatu veterem morem Nuptiarum istarum contra pios Christi Ministros defenderant, jam eum concludere & quasi abolere coacti fuerunt, ac cedere Ministris illis, quos antea contemptu & odio imo & vi manifesta persecuti erant.

Hesbusii post ejectionem Rostoch. commoratio primum Wittebergæ.

§. 17. *Tilemannus Hesbusius* ex urbe Rostochiensi a Senatu pulsus, primum ad Ducem Megapolitanum *ULRICUM* sese contulit, qui etsi restituere eum volebat in pristinum locum vi etiam, si opus esset addita; tamen ipse noluit sua causa urbi & multis in ea hominibus innocentibus vim & damna inferri, sed petivit, se ab Illustrissimo Principe clementer dimitti. Ita aliquanto post Wittebergam venit salutaturus *Dn. Philippum Melanchthonem* & cæteros Præceptores. Ubi cum & ego tum temporis studiorum causa adhuc viverem, convenI Eum, & ut veterem Præceptorem salutavi, commiserans injustam ejectionem & exilium ejus, de quo jam ante fama Wittebergam pervenerat. Audiveram Eum docentem primo privatim in Musæo, quod dicitur *Dn. Philippi Melanchr.* qui illud sæpius inhabitare solitus fuerat in Collegio Novo. Explicabat autem Evangelium Matthæi insigniter, accipiens ab Auditoribus διάχρον, unde dicebat, se *scripta Patrum Ecclesiasticorum* sibi comparare velle. Postea permissum ei fuit, ut publ. *Locos communes Philippi* in veteri Collegio hora 4. tribus hebdomadæ diebus, Solis, Mercurii & Saturn. legeret, quod ipsum *M. Davidi Chytræo* quoque tum Juveni XVIII. annorum & paulo amplius concessum deinde fuit, propter insignem ejus eruditionem & docendi facultatem in ista jam ætate, quem & ego Wittebergam primum veniens 1548. tum docentem, & *Locos communes* explicantem in frequentissimo Auditorio cum admiratione audivi.

Digressio de Hesbusii ulterioribus fatis & vicissitudinibus; ac de Jo. Wigando etiam & utriusque lite de Abstracto.

§. 28. *Hesbusius* vero a *PHILIPPO* commendatus Electori Palatino *OTTONI HENRICO*, Principi sinceræ Religionis, justitiæ, aliarumque Virtutum laude præstanti Heidelbergam vocatus est, ibique in Academia aliquandiu docuit. Hoc vero Principe sequenti an. 1559. mortuo successit *FRIDERICUS*, qui ad Calvinianum Dogma inclinans, Theologos ejusd. Professionis aliunde accersivit *Petrum Boquinum*, *Michælem Dillerum*, *Olevianum* & *Clebitium*, cum in certamen *Hesbusius* incidit, ac propterea ab Electore isto dimissus est. Postea eod. anno Bremam vocatus a Senatu, venit, ubi *D. Albertus Hardenbergius* in Templo Cathedrali docens, Calvinianum Dogma astute instillabat Auditoribus, quem refutare in suis concionibus reliqui Concionators urbani cœperunt, unde dissidium publice exardescere cœpit. Id ut mature restingueretur, *D. Hesbusii* consilio & opera Senatus uti voluit, tanquam Ecclesiæ illius supremo Inspectore. Verum ipse Munus id recusavit in se recipere, quod jam per *Hardenbergium* turbata esset Ecclesia & tota fere Urbs, nec comparere ille vellet ad institutum Colloquium inter ipsum & *D. Hesbusium D. Joachimum Morlinum* (*) & *D. Paulum ab Eitzen* (**) habendum, quos etiam Senatus ad hoc Colloquium Brunsviga & Hamburgo accersiverat. Prævidens igitur, futuram paulo post seditionem (quamvis diligenter a Senatu & primariis civibus rogatus,) manere noluit, ac rediit Magdeburgam, ubi Superintendentis officium ipsi Senatus commendavit, quo per annos paucos functus est. Mam moto certamine de Mandato Lunæburgensi sic dicto, quod Lunæburgi in Conventu Ordinum circuli inferioris Saxoniæ decretum erat, ac paulo post publicatum: *De non edendis Libris Polemicis, nisi prius nonnullis ad eam rem deputatis censendi exhiberentur*; & Archiepiscopus Magdeburgensis idem Mandatum Ministerio & Senatui Magdeburgensi transmisisset, jubens, ut illi parerent in officinis suis Typographicis: *D. Hesbusius* aliique in Ministerio se acriter Mandato huic tam circuli quam Archiepiscopi opposuerunt publ. etiam scriptis, ac Mandatum istud, (quia Archiepiscopus sedem suam Halæ Saxonum habebat, unde & miserat illud Magdeburgum,) appellarunt

(*) Vide *MAJUM* in *Notis ad Bœcleri Sec. XVI. p. 590. 714. 753.*

(**) De Paulo ab Eitzen idem agit ib. pag. 706. & B. *MUHLIUS* de Reform. Relig. in Cimbria p. 190. seqq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

runt per contemptum: *Das Halliſche oder vielmehr das Hälliſche Mandat.* Inde igitur diſſidio inter Miniſterium & inprimis Superintendentem D. *Hesbuſium* & Urbis ejus Senatum ac Syndicum *D. Franciſcum Pfeil* orto, *Hesbuſius* tandem & Archiepiſcopi juſſu Magdeburga diſcedere coactus eſt. *Venit* poſtea Jenam vocatus a Principe Vinarienſi *JOH. WILHELMO*, poſtquam ille Ditionem Fratris *JOHANNIS FRIDERICI*, Gotha expugnata, capti & in Auſtriam abducti, ob *Wilhelmum Grumbachium* & alios a Cæſare proſcriptos in patrocinium ſuum receptos) Cæſare conſentiente occupaſſet, & Academiam Jenenſem atque Eccleſias Turingicas reformaſſet. Revocavit enim Princeps ille Theologos a Fratre antea ejectos, præcipue *D. Johann. Wigandum* & *D. Timotheum Kirchnerum*, quibus adjunxit *D. Hesbuſium*. Id factum eſt 1567. qui & *Wigandus*, (qui tum Superintendentem Wismarienſem agebat,) miſſo a dicto Principe *JOH. WILHELMO* proprio ad noſtros Principes *Joh. Albertum* & *ULDARICUM* Legato, horum permiſſu Wismaria rediit Jenam. Deinde vero 1573 optimo & Religionis ſinceræ amantiſſimo Principe *JOH. WILHELMO* in florenti ætate anni 43. mortuo, *AUGUSTUS* Elector Saxoniæ ut proximus Agnatus, tutelam Pupillorum & adminiſtrationem Ducatus ſuſcepit. Cumque *Corpus Doctrinæ Miſnicum* a Theologis Jenenſibus & Miniſtris Eccleſiæ in Thuringia ſubſcribi vellet, multi eorum diſceſſerunt, & inprimis Theologi ſupra dicti. Et ex hac occaſione *Hesbuſius* & *Wigandus* in Boruſſiam vocati ſunt a Principe *GEORGIO FRIDERICO* Anſpacenſi (*) Marchione, qui tum & Boruaſſim Orientalem tenebat, ut Tutor Principis Boruſſiæ *Melancholici*. Is enim Princeps Eccleſias Pruſſicas aliquantum turbatas, a nonnullis pacare rurſus ſtudebat, & Epiſcopatus illos duos Sambienſem & Pomezanienſem in priorem dignitatem reſtituit, illum *Hesbuſio*, hunc *Wigando* commendans. *Hesbuſius* ergo domicilium ſuum habens Regiomontæ, ibidem in Academia quoque docuit. Cum vero Doctrinam *de Perſona CHRISTI & de communicatione Idiomatum* traderet, repetivit ſententiam ſuam antea Jenæ quoque propoſitam; *de Abſtracto, quod ſcil. Majeſtas divinæ Naturæ ſeu τῆ θεότητι non ſolum in CONCRETO ſed etiam in ABSTRACTO h. e. per appellationem*, (quæ ipſam Naturam Humanam per ſe conſideratam ſignificat,) *Humanitati CHRISTI unitæ λόγῳ vere communicetur.* (His enim & ſimilibus verbis utitur præcipue in Libro, cui titulus eſt: *Adſertio Teſtamenti Chriſti contra Exegeſin Calviniſticam*, Regiomonti edito 1574.) Hinc igitur inter *Hesbuſium* & *Wigandum*, qui antea conjunctiſſimi inter ſe fuerant, diſſidio ac certamine orto, initio clandeſtine poſtea etiam publ. cum magno Eccleſiæ Pruſſiæ ſcandalo; tandem *Hesbuſius* non ſatis ſe explicans, dimiſſus eſt, ac navigio Lubecam venit Regiomonto, ubi cum aliquandiu hæſiſſet, a Duce Brunſvicenſi, *JULIO* Helmſtadium vocatus eſt 1578. Ibi enim Princeps *novam Academiam*, quam a ſe *Juliam* dici voluit, biennio ante conſtituerat, inque ea Theologi tum erant *D. Timotheus Kirchnerus* & *D. Baſilius Sattler* Paſtor ſimul Eccleſiæ, & *Daniel Hoffmannus*, quibus adjunctus eſt *Hesbuſius*, qui ibidem usque ad vitæ ſuæ finem permanſit, obiit enim anno Chriſti 1588 die 14. Sept. Porro *PETRUS EGGERS* Roſtochio ejectus contulit ſe poſtea Magdeburgam, unde etiam mala cum gratia Senatus diſceſſit, & tum ivit in Auſtriam, ubi Baroni cuidam in Miniſterio Evangelii ſincere ſervivit aliquamdiu. Verum & inde dimiſſus forte propter vehementiam animi, qua laborabat, in hanc ditionem rediit circa annum 1561. vel 62. ut poſtea de eo dicendum erit.

§. 19. Sed redeo ad iſtitutum de negotiis Miniſterii. Cum poſtea ob ejectos ex Eccleſia & Urbe duos concionatores & publicatum impium Senatus Edictum, inter Senatum & plerosque in Miniſterio non exiguæ contentiones & diſſidia exorta eſſent, acceſſit illud quoque, quod inter Illuſtriſſ. Principes & Senatum controverſiæ quædam graves agitarentur, & Principes mulctæ ſeu ſatisfactionis loco ob ejectos concionatores ex Templo & Parochia S. Jacobi ad ſuum jus Patronatus pertinente flagitarent ſexaginta millia florenorum. De his igitur controverſiis cum ad civium communitatem relatum eſſet, illi inter cætera factum Senatus in ejectione concionatorum manifeſte improbarunt, & recuſarunt quicquam conferre ad ante dictam mulctam ſeu pecuniæ ſummam. Et quia non multo ante vir quidam pius, eruditus & eloquens *JOANNES CRUSE* ſeu *CRISPINUS* dictus, ex Livonia, (ubi in civitate Dorpato Miniſtrum Eccleſiæ egerat, ſed a Moſcis ſeu Ruthenis inde pulſus erat,) Roſtochium venerat, ut hominum doctorum in Academia conſvetudine frueretur, & ita ſemel atque iterum concionem habuiſſet magna cum Auditorum approbatione, hunc cives a Senatu recipi, & in Templum divæ virginis, ubi tum locus vacabat, collocari, & *Matthæum Flegium* retinere in eod. Templo, petiverunt, in quam petitionem Senatus ſtatim conſenſit, ut cives ſibi haberet addictiores. Atque ita *Flegius* in Miniſterio Eccleſiæ Marianæ manſit, ſicut & ſupra dictum fuit.

Lites Roſtochii inter Principes & Senatum Roſtochienſem quibus & civium communitas implicita fuit.

(*) Non ab Anſpacenſi Duce, ſed adhuc, ab ipſe Duce Pruſſiæ Alberto Friderico vocatus. Vid. Hiſtoriam Heshuſii *Leuckfeldii* §. 36.

§. 20. An-

Jo. Crusii seu Crispini Zelus in taxandis Senatus vitiis & alios contra Senatum & Draconitem Superintend. movet.

§. 20. Anno 1559. *Johann. Crispinus* inchoans Ministerium suum & diebus Mercurii Doctrinam de Pœnitentia explicans, inter alia etiam *peccati illius magni in ejectione piorum Ecclesiæ Ministrorum & publicatione impii Decreti Senatus admissi meminit, & ad cœnam Domini non esse admittendos hujus consilii Autores, nisi agnito peccata isto pœnitentiam agerent*, expresse dixit: Ita per hujus viri Zelum etiam reliqui in Ministerio fideles Ecclesiæ Doctores commoniti, cœperunt & ipsi gravius hæc peccata redarguere. Et simul VIII. eorum non multo post initium hujus Anni Senatui *Scriptum* exhibuerunt, *in quo allegatis pluribus causis significarunt, se D. Johann. Draconitem deinceps habere & agnoscere Superintendentem nolle:* Verum Senatus mora diuturniori frangere forte volens Ministerium, intra aliquot menses nihil respondit. Sed tandem 30. Junii utraque parte in Graphæum vocata etiam alios, qui Mediatores essent, accersivit & adhibuit ad hanc actionem, nimirum *M. Bernhardum Mensingium* Academiæ tum Rectorem, *M. Davidem Chytræum*, & *M. Johann. Posselium*, per quos initium Actionis factum est. Ibi *Draconites* longa Oratione suam innocentiam demonstrare conatus est; ad quam tamen Concionatores tum propter angustiam temporis respondere non potuerunt. Secuta est altera Actio 24. Julii, in qua prædictis Mediatoribus a Senatu adjuncti sunt *D. Laurentius Kirchhoff* & *M. Conradus Segelius*, vocati quoque sunt ad eam aliquot præcipui cives. Hi concionatores responsum suum ad proximam *D. Draconitis* accusationem ex scripto legerunt, & iterum *novem causas, cur D. Draconitem pro Superintendente non possent agnoscere*, proposuerunt. Quibus ille vicissim prolixa oratione respondit, variæque inciderunt tum contentiones, maxime inter *Draconitem* & *M. Georgium Richium*, ac sic illa quoque Actio irrita fuit. Biduo post 26. Julii Mediatores institerunt apud utramque partem, ut conditiones pacis admitterent ab ipsis conceptas, & in has compromitterent. Verum concionatores in id consentire noluerunt, nisi prius intellexissent conditiones, quales essent. Tandem petente Senatu, ut usque ad Cal. Sept. quiescant ab utraque parte, nec publ. pro concione in se mutuo invehantur, illud acceptatum & servatum fuit.

M. Andr. Martini ex Dania redux se reliquo Ministerio contra Draconitem, qui errorum eum insimulat, adjungit.

§. 21. Dum hæc aguntur, *M. Andreas Martinus* ex Dania reversus est Rostochium & in templo Jacobæo ex Senatus vocatione primum docuit. Accepit etiam locum Theologicum in Academia, eodemque anno 1559. officio *Rectoris* per hyemem sequentem præfuit, sub quo Rectoratu mense Aprili anni 1560. inter alios & *NICOLAUM GRVSEN* in Album studiosorum retulit, qui multis jam annis Ministerii nostri membrum fuit. Sic igitur cum plures subinde viri doctrina, usu rerum Ecclesiasticarum & Zelo præstantes in Ministerium divina providentia venirent; fortius & conjunctioribus animis illi restiterunt *D. Draconiti*, falsam doctrinam *de Lege Dei, de Sabbato, de Papistis aliisque Religionis nostræ Adversariis & notoriis peccatoribus admittendis ad Cœnam Domini* spargenti & defendenti: Senatum quoque graviter monuerunt ad agendam pœnitentiam ob injuste ejectos duos concionatores & impium Edictum promulgatum. Fuerunt autem in Ministerio eo tempore hi conjuncti: *M. Georgius Richius* & *Joachimus Banfow* ad S. Nicolaum. *M. Andreas Martinus* & *Henr. Strevius* ad S. Jacobum, *Johann. Schreigel, Johann. Crispinus, Matthæus Flegius* ad divam Virginem; *Joachimus Schroder* Pastor ad St. Petrum, & *Thomas Johann.* ad S. Georgium. Hi ut certos haberent conventus vel in Templis vel in Domibus singulorum pro temporis & negotiorum qualitate, *M. Andreæ Martini* consilio præcipue factum fuit, qui & autoritate apud omnes maxime valebat.

Ministerii actio contra Draconitem instituta.

§. 22. Cæterum non quiescente *Draconite* sed tam in concionibus suis quam in publ. scriptis Ministerium fugillante, *quasi Doctrinam nec Legis nec Evangelii recte intelligerent*, & pergeret defendere priora sua dogmata; tandem supra dicti Ecclesiarum Ministri præter *M. Andream Martini* tum Academiæ Rectorem (qui tamen consensum suum aliis communicaverat propria etiam manus subscriptione) Senatum in Graphæo accesserunt, & per *Dn. Joh. Crispinum* graviter *D. Draconitem* accusaverunt, *quod non paruisset Senatus Mandato, ut utraque pars usque ad Calend. Sept. in concionibus ab hoc certamine quiesceret*, sicut non multo ante dictum est. *Petiverunt etiam, se ab eo tandem liberari & provideri, ne magis turbetur Ecclesia, & factiones in Urbe oriantur.* Cumque Senatus respondere statim nollet, sed dilationem peteret; illi gravibus & justis causis allegatis ostenderunt, *se diutius ferre Draconitis iniquas actiones non posse, sed Filio Dei se innocentiam suam commendare, & in Ecclesiæ cœtu pro Adversario illo suo Deum precari, & simul totum negotium hujus controversiæ exponere velle:* & hanc Orationem in chartis consignatam & ab omnibus subscriptam Senatui exhibuerunt. Factum id est die 20. Nov. 1559. Oratio illa in Actis veteribus Ministerii extat.

Defensio Draconitis a Kirchhofio potissimum, & Jo. Crispini discessus ad Hamburgenses.

§. 23. Paucis diebus post *D. Laurentius Kirchovius* Juriscos. patrocinium D. *Draconitis* coram Senatu semel atque iterum suscepit, & prima vice ad 20. cives secum adduxit, quorum nonnulli Pontificii adhuc erant cum similibus aliis in hac Urbe tum temporis, qui pro *Draconite* intercederent; altera vice aliquot Studiosos in comitatu suo habuit, qui testabantur, *se ex lectio-*

lectionibus auditis animadvertere non potuisse, Eum Antinomum esse. Senatus ergo videns, crescere dissidia ista, & turbas majores metuens, respondit tandem: *se Acta controversiæ illius ad Academias Wittebergensem & Francofordianam mittere velle, earumque scisciteri Judicium, vel etiam in vicinas Ecclesias Saxonicas.* Ita paululum sopita hæc contentio est. Verum *Johannes Crispinus* forte pertæsus harum rixarum & assiduarum contentionum, in quibus & Senatus erga Ministerium offensio & odium non obscure cernebatur, interdum operam suam hoc anno Hamburgensibus addixit, qui tum Pastore ad S. Petrum carebant. Qua re intellecta & Ministerium & cives in hac maxime Parochia ad divam Virginem Senatum accesserunt, ac petiverunt: *Crispinum virum insignibus in concionando donis & aliis virtutibus præstantem hic retineri.* Senatus ut gratificaretur ministerio & civibus, egit quidem ea de re cum *Crispino*, sed ipso se excusante, quod ob factam Hamburgensibus promissionem non amplius sui juris esset, decrevit, Legatos mittere Hamburgum, qui apud Senatum & Præfectos Templi Petrini ibidem, *Crispinum rursus dimitti, & facultatem ei permitti, ut Rostochii maneret,* peterent sedulo. Ablegati ergo sunt Hamburgum mense Septembri *M. Andr. Martinus* nomine Ministerii, *DN. Georgius Bunger* Senator, nomine Senatus, & duo cives *Jochim Doße & Frantz Quant* nomine Parochialium, qui & litteras Ministerii nostri ad Superintendentem ac Ministerium Hamburgense, & Senatus nostri ad Senatum Hamburgensem & Præfectos Templi Petrini, (penes quos præcipua potestas ibidem est vocandi Ministros Ecclesiæ) intercessorias secum eo attulerunt. Verum nihil impetrarunt, sicut hæc omnia ex veteribus Actis plenius videri possunt.

Crispinus quomodo Rostochienfibus valedixerit, & hinc res suas Hamburgi egerit?

§. 24. Ita ergo *Crispinus* sub initium 1560. Rostochio discessit die 3. Januar. cum prius valedixisset publice huic Ecclesiæ die circumcisionis Christi pomeridiano tempore, tali concione gravi & pathetica, *in qua Senatus præcipue ad agendam seriam pœnitentiam & effugiendam imminentem Dei iram, quam & sibi & toti Urbi alioqui attracturus esset*, commonefecit, ut ea animis hominum infixa adhuc hæreret, quando ego biennio post in hanc Urbem & Ministerium venirem, plurimique homines pii & boni dolorem suum sæpius testarentur de tam præstanti Doctore Ecclesiæ amisso. Etsi autem *Crispinus* Hamburgum veniens, acceptus fuit omnibus initio; (sicut *omnia nova chara esse solent*, juxta proverbium,) tamen successu temporis propter severiores pœnitentiæ conciones & reprehensiones peccatorum, quæ in magna & populosa Urbe frequentiora erant, multum decessit postea gratiæ & favori ejus, id quod ipse etiam cognovi, cum proficiscens Antwerpiam Hamburgum transirem anno 1563. mense Junio, & litteras D. *Davidis Chytræi Crispino* adferrem, per quas occasionem Eum videndi & alloquendi haberem. Vidi enim & nonnihil ex sermone ejus perspexi, mœsto ipsum animo esse, & pœnitere mutationis loci & Ministerii sui, præsertim cum tanto studio, labore & sumptu Rostochienses apud se Eum retinere cupivissent, neque etiam multis annis postea supervixit.

§. 25. Sequitur annus 1650, qui magna & gravissima negotia & varias turbas tum Ecclesiæ huic ac Ministerio, tum etiam toti Urbi attulit. Primum enim cum Illustriss. Principes Megapolenses *JOHANN. ALBERTUS & UDALRICUS* Fratres cognovissent, certamina manifesta vigere inter D. *Johann. Draconitem* & cœteros Ecclesiarum in Urbe Pastores ac Ministros, idque cum maximo scandalo & damno totius Ecclesiæ; significarunt per litteras toti Ministerio scriptas Gustrovii die 10. Januar. *se Consiliarios quosdam & Commissarios suos in urbem ablegare velle ad diem 18. Februar. qui controversias illas & certamina cognoscant, & legitime componant, ut pax & concordia restituatur Ecclesiæ & Ministerio. Interea quiescere omnes ex utraque parte debere, nec pro concione quicquam debis litibus movere; simul graviter monuerunt omnes, ut officium suum ad præscriptum ORDINATIONIS ECCLESIASTICÆ a Celss. eorum publicatæ, administrarent*; Sicut litteræ istæ inter vetera Acta extant. Aliquanto ante, nimirum die 7. Januar. postridie Epiphaniæ, quæ in diem Dominicam inciderat, Pastores & cœteri Ministri Ecclesiæ quædam acerbius in D. *Draconitem* pro concione dixerant, sicut & in Senatum & alios Eum defendentes. Quod cum in Aulam allatum fuerat, Principes inde occasionem sumpserunt, deputandi Commissarios illos, de quibus dixi, ad cognoscenda & sopienda hæc dissidia. Postquam vero *Draconites* cognovisset de concione illa in se potissimum habita, paucis diebus post in Templo S. Johannis pro concione acerba invectiva in Ministerium usus est, sicut præcipua ejus concionis capita excerpta sunt, & in Actis annotata extant. Hinc in ipso Templo magnus tumultus exortus est frementibus civibus & obloquentibus *Draconiti*, ita ut ex cathedra descendere, & ex templo se proripere cogeretur. Ex turba insequenti Eum abduxerunt in vicinam quandam domum D. *Laurentius Kirchovius* & DN. *Joachimus Schröder*. Cumque quidam civis *Caspar Narbo* defendere eum vellet, aliosq; illi conviciantes reprehenderet; in vicina Templo platea lapidibus petitus est, & sic tractatus, ut vix eorum manus evaserit; qua de re *Draconites* gravem querelam apud Senatum instituit, nec in Cathedram deinceps redire ausus fuit. Ea de causa sæpius convocavit in Grapheo Sena-

Ab a. 1562 causa hæc Ministerii & Senatus Rostochiensis coram Principibus Mecklenb. agi cepta est; & quid eidem occasionem præbuerit.

Senatus Miniſterium & *Draconitem*, atque operam dedit, ut diſſidium hoc componeretur, ſed fruſtra. Animi enim utrorumque magis exacerbati ſunt, Acta vetera id docent.

Commiſſarii Principum quinam conſtituti, & actio coram iis contra Draconitem, quæ illum Roſtochio diſcedere coëgit.

§. 26. Secuta eſt aliquanto poſt Actio inter *Draconitem* & Miniſterium coram Commiſſariis Illuſtriſſ. Principum, qui huc venerunt die 18. Febr. conſtituto. Fuerunt autem illi: *Joachim Kruſe*, *Lütke Baſſewiz*, Conſiliarii Provinciales, *D. Joh. Boukius*, *L. Hub. Siber* Juriscoſſ. & Conſililiarii Aulici, *M. David Chytræus* & *M. Arnoldus Burenius* Academiæ Profeſſores. Hi cum poſtridie initium Actionis facere vellent; Senatus in Graphæum vocavit Miniſterium, & cum eo de hac Actione collocutus eſt, ac petiit ab eo, ut proteſtationem illi præmitteret ad Commiſſarios, ne hæc Actio quicquam præjudicaret Privilegiis Civitatis. Eamque ob cauſam ſuos deputatos Miniſterio adjunxerunt, qui idem facerrnt nomine Senatus, videlicet *D. Matthæum Röſelerum* Syndicum, *Hanß Dreves*, *Dn. Thomas Gerdes* Senatores, & nonnullos cives. Quia etiam Dominica hanc Actionem præcedente, (quæ fuit Dominica III. poſt Epiphaniæ), Mandatum Illuſtriſſ. Principum ad omnes Eccleſiarum Miniſtros & Ludimoderatores, *ut obſervarent in officis ſuis præſcriptum ORDINATIONIS ECCLESIASTICÆ ſub pœna remotionis ab officio & relegationis* (cujus Mandati Exemplar in veteribus Actis extat) publice ex omnibus Cathedris juſſu quoque Senatus prælectum & publicatum fuerat, ac forte nonnulli ex Paſtoribus ex hac prælectione occaſionem ſumpſerant aliquid de controverſiis Miniſterii & *Draconitis* addendi, & hunc maxime accuſandi, *quod contra Ordinationem Eccleſiaſticam pleraque ipſe egiſſet, idque reprehendiſſet hactenus Miniſterium juſte*: indignius hoc tulit Senatus, & reprehendit ea de cauſa aliquo modo eos, qui id fecerant, *quaſi magis turbaſſent animos civium; Nec Mandatum iſtud in eum finem proponi juſſiſſe Senatum, SED UT PRINCIPIBUS SUIS IN EO TANQVAM SUBDITI GRATIFICARENTUR, nec ſe id haberi velle aut poſſe pro Mandato*, & plura alia. Miniſterium vero rurſus a Senatu Declarationem petiit, an ferre is poſſet, ut coram Commiſſariis comparuit, & facta primum proteſtatione ſupra dicta accuſationem ſuam *ſcripto* comprehenſam & Principibus inſcriptam exhibuerunt, quod ſcriptum extat in veteribus Actis. Ad illud reſponderunt etiam Scripto Commiſſarii; & quidem ad cœtera capita omnia præter illud de *Draconite* in ſpecie & *de Titulo & officio Superintendentis*, *quod ſibi ex vocatione Senatus ille arrogabat*: voluerunt tamen, ut breviore ſcripto Miniſterium oſtenderet, *quid in Draconitis Doctrina maxime deſiderarent omnes?* Id cum factum eſſet, Commiſſarii hoc Scriptum *Draconiti* exhibuerunt, ut ad id reſponderet. Quod ab eo ſatis prolixe ad ſingula capita ordine factum eſt, & ſcripto ſimiliter comprehenſum; ſicut in Actis veteribus utrumque extat, ſed quid deciſum fuerit a Commiſſariis in hac controverſia, id non reperio annotatum eſſe. Apparet tamen ex eventu, Commiſſarios pro Miniſterio pronunciaſſe contra *Draconitem* & Titulo ac officio Superintendentis Eum ex Mandato Principum privaſſe, aut certe monuiſſe, ut ab eo deinceps abſtineret. Diſceſſit enim Roſtochio non multo poſt *Draconites*, cum ad IX. fere annos Superintendentis locum & nomen hic tenuiſſet, atque intellexiſſet ex Commiſſariis: *JUS VOCANDI SUPERINTENDENTEM NON AD SENATUM SED AD PRINCIPEM PERTINERE.* Conceſſit vero Wittebergam ad *PHILIPPUM MELANCHTONEM*, qui aliquando poſt, nimirum 19. Aprilis obiit.

Continuatio ulterior litium inter Senatum & Miniſterium, Münchhauſenii hominis Sacramentarii ejectio.

§. 27. Et ipſe *Draconites* ibidem obiiſſe poſtea, dicitur. Poſt diſceſſum *Draconitis* etſi tranquilliora fore in Eccleſia ſperabatur omnia, tamen Controverſia illa Miniſterii cum Senatu de peccato in ejectis duobus Concionatoribus & in promulgato impio Mandato admiſſo nondum ſopita. Nam Miniſterium iterum graviter Senatum ad pœnitentiam agendam monuit, & diſerte affirmavit, ſe neminem ejus ordinis ad uſum Cœnæ Dominicæ & teſtificationem Baptismi admittere bona conſcientia poſſe, qui peccatum illud non agnoſceret, & deprecaretur; inprimis vero culpam ejus facti in Conſulem *Petrum Brummer* transtulerunt. Hæc res magno zelo *M. Andreæ Martini* tum etiam Rectoris Academiæ & *M. Richii*, & quorundam aliorum in Miniſterio acta eſt, unde & diſſidium gravius exortum eſt, & crebri conventus habiti ſunt, interponentibus ſe etiam *D. Laur. Kirchoſio*, *D. Matthæo Röſelero* Syndico, & aliis, ſed fruſtra. Senatus enim factum hoc ſuum ſemper excuſare & defendere voluit, & provocavit ad Judicium Cameræ Cæſareæ, ubi hoc negotium, quod etiam cum Principibus agitaretur, penderet. His rebus ita ſtantibus deprehenſus eſt Studioſus quidam in Academia nomine *Rudolphus Münchhauſen* Bremenſis, qui & ipſe Calvinismo infectus eſſet, & Dogma hoc inter alios Studioſos ſpargeret. Ille vero monitus a nonnullis ex Miniſterio, aſtute celavit errorem ſuum, & ejusdem ſe Fidei & Confeſſionis de Cœna Domini cum hac Eccleſia eſſe affirmavit. Res igitur ad Concilium Academiæ delata eſt, in quo præſidebat *M. Andreas Martinus* uti Rector Academiæ, duo etiam Conſules ex Senatu Urbis tum uſitato more ei interfuerunt. Ibidem igitur aliquoties Miniſterium Sacramentarii Erroris accuſavit dictum *Rudolphum* in publica audientia, cui non

pauci Studiosi & cives interfuerunt. Fuit autem eo tempore, (ut id obiter quoque addam) *Locus Concilii in Cœnobio S. Johannis*, quod omnibus suis ædificiis pulchre & late fabricatis tum constabat adhuc, & *transitus, qui a cruce in Monasteriis vocantur*, circumquaque habebat. In quorum uno, in quem ingressus ex Templo patebat, ubi etiamnum Janua lignea post sacram cathedram videtur, conclave abditum erat, ab aliquot jam annis conventibus Professorum seu Concilii destinatum. Accusationes descriptæ extant in veteribus Actis. Verum *Rudolphus* calliditate sua eluſit omnia. Tandem tamen convictus erroris disseminati quoque inter plures, ex Academia & urbe discedere jussus est. Totam vero hanc causam Ministerium statim ad Superintendentes & Ministeria vicinarum Urbium Lubecæ, Hamburgi & Lunæburgæ per litteras retulit, transmissis simul Actis eorumque sententiam inquisivit. Minatus enim fuerat *Rudolphus* iste Rostochio pulsus, se in vicinis urbibus & Ecclesiis accusare velle Pastores & Ministros Rostochienses, quod injuste ab eis condemnatus & ejectus esset. Ad quas litteras & Acta vicini pie & amice responderunt, omnino probantes & curam Ministerii in tuenda doctrinæ sinceritate, & pietatem Rectoris & Concilii Academiæ, providentes, ne Sacramentarium venenum plures inter Scholasticos & in plebe inficiat. Responsa illa extant in veteribus Actis.

Publica negotia in conventu Provinciali Sternbergæ hoc anno tractata, in quantum ad Rostochienses pertinuerunt, & sexagenarium civium delectum protulerunt.

§. 28. Circa idem tempus conventus Provincialis Sternbergæ habitus est, ad quem civitatis nomine ablegatus fuit Consul *PETRUS BRUMMER* cum Senatore quodam. In hoc conventu Principes contributionem petiverunt ab Ordinibus Ditionis ad exsolvenda debita sua ad aliquot auri tonnas æstimata. Receperunt igitur Ordines in se *quater centena aureorum millia* exsolvenda, ex quibus *octuaginta millia* cum unius anni usuris *civitati Rostochiensi* impositæ sunt. In id, quia dictus Consul citra sententiam Senatus & civium consenserat, a Plebe ab Officio consulari remotus est, & domui suæ per aliquod tempus inclusus. Nec tamen hoc modo liberari potuit civitas a parte illa debitorum publicorum sibi impositæ, cum non solum Prnicipes, sed etiam cœteri Ditionis ordines ejus receptionem & persolutionem severe flagitarent. Atque hinc paulo post motus ille intestinus ortus est, cum de modo colligendæ hujus magnæ summæ inter Senatus & cives non conveniret, ac propterea *sexagenarii a plebe* crearentur, qui cum Senatu de ea re & de aliis ad utilitatem publicam pertinentibus deliberarent, sed malo id fato civitatis est factum. Ingens enim dissidium inter Senatum & totam fere civium communitatem inde secutum fuit, quod in seditionem quoque manifestam erupit, & bellum attraxit cum Principibus aliaque magna mala, & cumulavit æs alienum ob plurimas impensas in litem cum Principibus in Aula Cæsaris Maximiliani II, in Legationes, in Advocatos & alios sumptus factas, unde nec dum civitas eluctari potest. Sed hæc ad Ministerii acta proprie non pertinent.

Ministerii actio singularis in Consulem Petr. Brummerum & ejus eventus.

§. 29. Itaque redeo ad Consulem *Brummerum*, is dignitate sua consulari privatus a plebe, petiit a *Matthæo Flegio* Ministro Ecclesiæ ad divam Virginem Cœnam Domini sibi exhiberi domi. Illo vero usum ejus ipsi negante, petivit sibi causas amotionis hujus ab Eucharistia & sic etiam a testificatione in Baptismo Infantum indicari. *Flegius* respondit: *Se hujus rei habere a toto Ministerio mandatum, a quo tamen impetrare causas petitas vellet.* Quare Ministerium prolixo & gravi scripto has causas comprehendi & Consuli *scriptum* istud exhiberi curavit Calend. Augusti. In eo peccata ipsius notoria recensent, *quod D. Tilemannum & Petrum Eggers ad S. Jacobum Ministros, ideo quod abusum diei Dominicæ per Nuptias publicas taxassent, impios & notorios peccatores ab usu Cœnæ Dominicæ & testificatione in Baptismo removissent, donec pœnitentiam veram agerent, discrimen quoque in sepultura piorum & manifestorum servandum esse docuissent; Pharisaicam sectam in urbem & Ecclesiam hanc introducere & constituere velle coram tota plebe in curia dixisset 12. Aug. 1557: quam vocem blasphemam esse in Deum & sanctum ejus Ministerium omnes concionatores in hac Urbe judicarent, maxime cum duo illi ante dicti pii zelosi & sinceri Evangelii Doctores fuissent. Deinde quod persecutionem & ejectionem duorum istorum adjuvisset, Templum Jacobæum sex continuis hebdomadibus occludi jussisset; impium & convitiis ac mendaciis refertum Mandatum contra Ministerium publicari curasset, & in hisce omnibus præcipuis Autor & Impulsor Senatui fuisset. Hæc & alia in ipso peccata notoria Ministerium impedire etiam ex DEI mandato, quo minus ad Sacramenta eum admittere possint. Ideoque ad pœnitentiam serio agendam eum hortantur;* sicut in ipso scripto copiosius videre licet, quod extat in veteribus Actis. Nec tamen huic gravissimæ admonitioni statim locum dedit Consul, sed aliquanto post cum in gravem morbum incidisset, vocavit ad se *Matthæum Flegium*, & ab eo absolutionem & exhibitionem Cœnæ Dominicæ petiit. Is re ad totum Ministerium relata, jussus est sibi adhuc unum adjungere ex ordine Ministerii, (fuit is *M. Andreas Martinus*,) & audita confessione ejus ingenua, & viso dolore animi ac pœnitentia seria ipsum absolvere, & Sacra Domini Cœna pascere, ita tamen ut hanc suam conversionem & cum Ministerio reconciliationem permittat publice significari Ecclesiæ. Hi igitur ambo ad eum venien-

nientes peccatorum ipsius mentione graviter facta ad pœnitentiam vere agendam hortati sunt. Illo autem se variis modis excusante, tandem *M. Andreas* videns Psalterium Davidis in lecto ad manus Cos. depositum, id accipiens in manus statim incidit in hæc verba ex *Psalmo 32. Da ichs wollte verschweigen, verschmachten mir alle meine Gebeine durch mein tägliches Heulen; denn deine Hand war schwer über mich Tag und Nacht.* Hæc igitur verba ægroto inculcavit, & addidit, talem ipsi quoque fore manum Domini, nisi resipisceret, & confiteretur admissa peccata serio. Id vero si faceret, subsequentem consolationem ipsi etiam proponi dixit. Hic exseruit se statim efficacia Spiritus sancti, ut gemitu & lachrymis editis ingenue confiteretur peccata sua, & sic audientes concionatores isti hanc confessionem, & cernentes vera pœnitentiæ signa, absolutionem & Cœnam Domini ipsi communicarunt, ac consolationibus Evangelii eum erexerunt. Ita pie postea in Domino obiit, & honorifice sepultus est. Mirabile hoc Exemplum est conversionis in tanto viro, qui & propter dignitatem consularem & propter heroicæ personæ formam in magna fuit existimatione. Sed Deus eum efficacia verbi sui & castigatione imposita suo consilio (quoniam a Dignitate consulari removeretur a plebe,) humiliavit, & ad agnitionem commissorum peccatorum ac veram pœnitentiam vocavit, ut anima salva fieret. Historia hæc prolixe & pathetice descripta extat in *Postilla germanica D. Simonis Pauli in festo Mariæ Magdalenæ*, sed supprimitur Consulis nomen honoris externi causa.

M. Autor Lindemann Diaconus Jacobæus officio movetur, ejusque rei causæ.

§. 30. Eodem hoc anno mense Julio cæteri omnes Ecclesiæ Ministri *M. Autorem Lindemann* Diaconum aliquamdiu ad S. Jacobum ex Ministerii consessu & corpore ejecerunt. Fuerat is antea Diaconus ad S. Nicolaum, sed quia convenire ipsi cum Pastore ejusdem Templi, *M. Georgio Richio* non potuit, pervenit vocante Senatu ad S. Jacobum, & in locum ejus receptus *DN. Joachimus Bansav*, Tetroviensis Megapolitanus. Causæ Remotionis scripto annotatæ extant in veteribus Actis, fueruntque hæ præcipuæ: *PRIMA: Quod vocatio ipsius non esset legitima, quia a Senatu contra Ministerii & Ecclesiæ voluntatem intrusus esset in Templi Jacobæi Ministerium. SECUNDA: Quod vita ipsius scandalosa fuerit & adhuc sit, ideoque Doctrina sua parum ædificet, sed magis destruat Auditores, ac Ministerium vitiis suis deformet, & in contemptum adducat. TERTIA: Quod cum DRACONITE semper senserit, & Ministerio sese opposuerit.* Ita igitur abdicare sese in hac Urbe a Ministerio coactus est, licet ægrius id Senatu ferente. Ubi autem manserit, aut quo se contulerit, non reperio annotatum. Successit ei DN. *Caſparus Leunculus*, qui eodem anno 1560 venerat Rostochium, sicut & *Valentinus Schachtius* Stargardiensis Pomeranus, qui ambo a M. *Andrea Martino*, *tum Academiæ Rectore*, mense Majo inscripti sunt in Album Academiæ.

Joh. Kittelius in locum Superintendentis invito ministerio surrogatur; de obitu Schreigelii & anno gratiæ.

§. 31. Post discessum D. *Draconitis* Ministerium totum petivit a Senatu, M. *Andream Martinum* sibi dari Superintendentem, additis rationibus piis & justis. Verum Senatus respondens se ea de re deliberare velle, interim vocat M. *JOHANN. KITTELIUM* Jüterbocensem, qui in veteri urbe Brandenburgo tum Pastorem agebat, ad Munus Superintendentis in hac Ecclesia, nescio, cujus commendatione. Is ad hanc ipsam vocationem Rostochium venit, & non præmisso colloquio cum Ministerio eam acceptavit, & suggestum conscendit Dominica 21. post Trinit. 3. Nov. a meridie in Templo divæ Virginis, ac concionem habuit jussu Senatus. Ministerium hac re graviter offensum per nonnullos de eo Senatum monuit, ne novæ lites & dissidia excitarentur. Verum ita egit Senatus cum Ministerio, ut aliquandiu negotium hoc quiesceret, quod & *Chytræus* & alii svaserunt. Eodem hoc anno 1560 die 18. Nov. pie ac placide obiit M. *Johann Schreigelius*, Minister verbi ad divam Virginem, vir pius, doctus & bonus, cui non multo post successit M. *Andreas Martinus*, translatus ex Templo Jacobæo in Templum Marianum, & huic vicissim M. *Simon Pauli* a Principe *Joh. Alberto* substitutus est in Pastoris locum, quia & Ministerium hujus Ecclesiæ Eum expetivit Collegam sibi dari, licet Princeps, (cujus concionatorem Aulicum eo tempore Sverini agebat,) ægre eum dimitteret. Fuit etiam quidam in Templo Mariano annis præcedentibus Ecclesiæ Minister infimus *Johann. Brummer* dictus, cujus relictam Viduam ego Rostochium veniens & vocatus ad Ministerium, adhuc vidi & novi obstetricis officio fungentem. Non fuit autem usitatum eo tempore, ut Annus Gratiæ concederetur defunctorum concionatorum viduis & orphanis, unde etiam fiebat, ut defunctis non diu post eorum mortem alii substituerentur; donec aliquot annis post de Anno Gratiæ cum Ampliss. Senatu actum fuit, & sic certis conditionibus impetratus, ut suo loco dicetur. Viduæ tamen M. *Schreigelii* Senatus in Nosocomio S. Spiritus aliquot Præbendas donavit, unde victum & habitationem liberam haberet, & effecit, ut Filiam nubilem scriba census cervisiarii *Johannes Lindenberg* duceret uxorem. Filius quoque *Joh.* subsidia quædam studiorum accepit, atque ita profecit, ut ad Pastoratum Ecclesiæ in oppido Dassow postea vocaretur, ubi adhuc Pastorem agit.

§. 32. Anno Christi 1561. inchoatæ sunt de concioni-

de Westphal. Monum. inedit. Rer. Germ.

bus catecheticis a. 1561. permutatis.

primum conciones matutinæ in Templis Parochialibus, initio facto ipsius concionis media sexta usque ad medium septimæ. Antehac enim illo ipso tempore *infimus Ecclesiæ Minister* (quem vulgo *Sacristam* vocarunt,) Evangelium Dominicale ex sella quadam in medio Templi circumstanti populo prælegit, & brevem addidit Explicationem; deinde catechesis Lutheri partem unam cum Interpretatione ejusdem similiter prælegit, & de ea Auditores simplices erudivit, interdum etiam pueros examinavit; & tum preces factæ ac cantiones subjunctæ. Inde ergo factum, ut conciones catecheticæ essent deinceps matutinæ in tribus Templis Parochialibus ad S. Jacobum, S. Petrum, & S. Nicolaum. Sed in Templo Mariano hora XII. catechismus explicaretur pro concione ab infimo Diacono, in quod Templum, velut in media urbe situm, vulgus hominum & familiæ civium convenire commode possent. Sic & propter pauperes in Nosocomio S. Catharinæ DN. *Joachimus Schröder*, Pastor ad Divum Petrum, (cui & cura Nosocomii & Templi illius commissa erat,) diebus Dominicis hora XII. ibidem concionem ex Evangelio Dominicali habuit, & post mortem illius Diaconus S. Petri DN. *JACOBUS MUTZMACHER* præstitit etiam diebus Jovis, quo rursus concio ibi usitate habetur, donec peculiaris Pastor DN. *NICOLAUS GRŸSÆUS* ad docendam illam Ecclesiam & alteram in Xenedochio S. Lazari vocatus a Senatu fuit.

Ministerium seria & severa admonitione Senatum ad pœnitentiam factorum iniquorum perducere conatur.

§. 33. Porro etsi sæpius antea Ministerium cum Senatu egerat de agnoscendo magno illo peccato in ejiciendis sinceris Doctoribus Ecclesiæ *D. Tilemanno Heshusio* & DN. *Petro Eggers*, & in publicatione impii Mandati contra totum Ministerium admisso, ut id agnosceret, & de eo seriam ageret pœnitentiam; tamen nihil huc usque obtinere apud eum potuit, cum variis modis hoc tantum peccatum palliaretur & excusaretur, licet aliqui essent in Senatu animo magis pio sed metu aliorum aperire & declarare eum non audebant. Tandem ergo die 18. Febr. hujus Anni prolixum & grave scriptum plenum pietatis, zeli & constantiæ Senatui exhibet, in quo, *quid & quanto studio, lenitate ac reverentia erga Senatum hactenus actum fuerit, ut ad resipiscentiam ille adduceretur, & cum Ministerio in gratiam & concordiam rediret, commemoratur. Omnia tamen hæc frustranea fuisse. Itaque jam ultimo loco priores actiones repetit, additis hujus facti sui necessariis causis, demonstrat ex multis testimoniis verbi divini peccati admissi magnitudinem, refutat objectiones & excusationes contrarias, & denique præcidit Senatui usum cœnæ Dominicæ, donec agnoverit peccatum & meritam DEI iram, atque ostenderit, se pœnitere ex animo.* Huic scripto hi subscripsere: *M. Andreas Martinus, M. Georgius Richius, Joachimus Schröderus, M. Simon Pauli, M. Henricus Strevius, Matthæus Flege, Joachimus Banfav, Vitus Bergius, Thomas Johannis & Bartoldus Dethardingus.* Extat hoc scriptum in Actis veteribus.

Promotio novorum Theologiæ Doctorum & alia Academica h. a. peracta.

§. 34. Cæterum cum in Academia nulli amplius Theologiæ Doctores essent, ita nulla etiam certa Facultas Theologica juxta hujus & aliarum Academiarum morem & statuta; Illustriss. Principes hac de re moniti, hanc rem nequaquam negligendam esse censuerunt. Cum igitur duos haberent jam in Academia Theologos M. *Davidem Chytræum*, & M. *Simon Pauli*, de hisce Gradu Doctorum in Theologia ornandis ita actum est, ut D. *Georg. Venetus* Theologus & Superintendens in Episcopatu Caminensi Pomeraniæ, Colberga, (ubi domicilium habebat,) huc accerseretur una cum D. *Jacobo Rungio* Superintendente tum Ecclesiarum in citeriore Pomerania, Gryphiswaldio: (ubi Professorem Theologiæ agebat) atque per hos Gradus supremus duobus antedictis conferretur. Ad quos etiam accessit *M. Johann. Kittelius.* Facta est igitur horum trium Promotio Doctoralis per D. *Venetum* uti Decanum & Promotorem, & per D. *Rungium*, ut Vicecancellarium die 29. April. die Martis post Dominicam Jubilate. Simul etiam Baccalaurei Theologiæ tum renunciati sunt: *Matth. Flege* Fimarienſis, *Bartold. Dethardingus* Hervordiensis, ambo Concionatores in Templo divæ Virginis Rostochii, *Josias Richius* Prutenus, *Georgius Grisæus* Ruppinensis, *Joach. Hollin* Neobrandeburgensis, *Joh. Isenſebe* Brunsvicensis & *Nicol. Budanus* Antverpiensis. Item: Actu Theologico M. *Barthol. Clingius* Confluentinus, Rhetoricæ & Dialecticæ Profess. & *Johann. Bocerus* Westphalus, Poeseos Professor Gradu Licentiatorum Juris ornati sunt a Decano D. *Joh. Boukio* J. U. D. & Professore atque Illustriss. Principis *ULRICI* consiliario. Sumptus Promotionis suorum Ministrorum Principes ex reditibus Academiæ non multo ante a Cels. sua attributis, contulerunt, Senatus vero urbis pro D. *Kittelio* suam partem addidit.

Theologi tranei Vetus & Rung componim lites inter natum & t nisterium.

§. 35. Confecta hac Promotione, duo antedicti Theologi, D. *Georg. Venetus* & D. *Jacobus Rungius* rogatu Senatus diuturnum & gravissimum dissidium inter Ministerium & Senatum ob ejectos concionatores duos & promulgatum impium Mandatum singulari fide, pietate ac prudentia DEO adjuvante diremerunt, & concordiam utriusque partis feliciter restituerunt, idque factum est die 2. May. Estque tum concepta publicæ significationis de hac reconciliatione Forma, quam D. *Jac. Rungius* habita in Templo Mariano concione recitavit sequenti die Dominica

nica Cantate, quæ erat 4. May his verbis: *Lieben Freunde in CHRISTO, nachdem in dieſer Kirchen Uneinigkeit und Irrung zwiſchen dem Ehrbahren Raht und dem Predig-Amt etliche Jahr geweſen, ſo hat der allmächtige liebe GOTT ſeine göttliche Gnade verliehen, daß ſolches alles chriſtlich und wohl iſt vertragen worden, daß GOttes Ehre gepreiſet, und die Conſcientien geſtillet ſeyn. Und hat ein E. R. ſich dermaſſen erkläret, daß die Prediger mit dem Raht, und der Raht mit den Predigern wohl zufrieden ſeyn. Als aber an ſolcher gottſeligen Vereinigung unſer lieben Obrigkeit mit dem heiligen Predig-Amt unſerm HErrn CHriſto, der lieben Kirchen und der gantzen Stadt groß gelegen, ſollen auch alle Chriſten GOTT von Hertzen dafür dancken und bitten, daß er mit ſeinem heiligen Geiſt, was er angefangen, wolle ſtärcken und beſtätigen, Amen.* Hac facta denunciatione tota Eccleſia & urbs lætata eſt, magnamque laudem & gratiam hi pacificatores apud omnes ordines conſecuti ſunt. Iidem eam quoque litem & offenſiones, quæ erant inter Miniſterium & D. *Kittelium* amica reconciliatione ſuſtulerunt, effeceruntque, ut *Kittelius* in ſocietatem Miniſterii reciperetur, cum promiſiſſet, *ſe puram Evangelii doctrinam in Eccleſia docere, & pacem ac concordiam cum aliis tueri velle.* Sic & *M. Lucas Randow* per hoſce Mediatores cum Miniſterio reconciliatus eſt. Senſerat enim ille cum D. *Draconite* deſerto Miniſterio, deinde etiam admiſerat quosvis in ſuo ad Spiritum ſanctum Templo ad cœnam Domini contra bonum ordinem a Miniſterio inſtitutum, (ut diſtinctiones eſſent Parochiarum, & in ſuis ſinguli Templis Sacramentis uterentur). Ob hæc bene & feliciter geſta majores optimi illi Viri benevolentiam omnium piorum ac prudentum in hac urbe ſibi compararunt.

Conventus Principum Numburgi h. a. celebratus, & alius non multo poſt Lunæburgi, cui Jo. Kittelius inſciis collegis ſuis interfuerat.

§. 36. Eodem hoc anno 61. cum multorum Principum Germaniæ, (qui Religionis erant Evangelicæ) *Neoburgi in Thuringia conventus* eſſet habitus menſe Januario, (ad quem etiam *Fridericus* Palatinus Rheni Elector (qui tamen Calvinismo fuit addictus) una cum Electore *Auguſto* acceſſit, & de *veteri Auguſtana confeſſione iterum ſubſcribenda* actum præcipue fuit, deinde etiam *de indicto Concilio, a Pontifice Romano Tridenti*, an Principes illud adire vel recuſare deberent,) Theologi Jenenſes ejus temporis *Matthias Flacius* Illyricus, *Johann. Wigandus* & *Matth. Judex* ad Miniſterium Roſtochienſe nominatis in Inſcriptione: M. *Georgio Reich*, & M. *Andrea Martino*, item ad M. *Johann. Frederum* Wismarienſem Superintendentem, & alios hujus Ditionis Eccleſiarum Doctores communes litteras dederunt in initio menſis Februarii. In his petiverunt, *ut apud Principes noſtros Megapolitanos ageretur de habenda Synodo minori, & ut per eos etiam vicini Pomeranici & Saxonici Principes de eadem re monerentur;* id quod ipſi quoque per litteras apud Electores & Principes Neoburgi congregatos egiſſent, verum ſine fructu, cujus rei teſtem allegabant M. *Davidem Chytræum*, qui conventui iſti interfuerat cum Duce *Ulrico* Megapolenſi. Etſi autem a Principibus nulla eſt convocata *Synodus*, tamen a *civitatibus aliquot Saxonicis Lunæburgi habitus eſt conventus* hoc ipſo anno menſe Julio, in quo octo urbium Theologi quorundam etiam Politici ſimul fuerunt, videlicet Lubecæ, Bremæ, Hamburgi, Roſtochii, Magdeburgi, Brunſvigæ, Lunæburgi & Wismariæ. Ad hunc conventum a Senatu Roſtochienſi etiam ablegatus eſt D. *Johann. Kittelius*, qui inſcio & inconſulto reliquo Miniſterio profectionem illam ſuſcepit, nec quenquam Collegam ex Miniſterio ſibi adjunxit, nec curavit, ut in abſentia ſua alius conciones ſuo loco haberet. Eam rem cum indigne ferret Miniſterium, recruduit prius cum *Kittelio* diſſidium & contentio, quæ antea ſopita erat, ut paulo ante dictum. Ac ſcripſit de hac re Miniſterium ad D. *Tilemannum Heshuſium* Magdeburgenſis Eccleſiæ tum Superintendentem (qui & ipſe in eodem conventu fuit) petens inter alia, *ut KITTELIUM ad concordiam cum reliquo Miniſterio fovendam hortaretur, & ne in tam gravibus rebus ad totam Eccleſiam & Miniſterium ſpectantibus, abſque conſilio & deliberatione cum collegis & Fratribus deinceps quicquam ageret.* Atque harum litterarum Exemplum poſtea Senatui exhibuit Miniſterium ad amovendas alias ſuſpiciones ſiniſtras. Nec dubium eſt, quin D. *Heshuſius*, quod petitum ab eo fuerat, pro animi ſui candore & gravitate ſolita præſtiterit. Acceſſit poſtea illud quoque, quod D. *Kittelius* ſe Articulis Lunæburgi decretis *ſubſcripſit*, ut *Superintendentem Eccleſiæ Roſtochienſis*, pro quo tamen nec Principes nec Miniſtri cæteri Eum agnoſcebant.

Hinc lites renovatæ inter Kittelium & miniſterium Roſtochienſe.

§. 37. Lunæburgo reverſus Roſtochium, quia nihil cum Miniſterio colloqueretur, aut ſe de Profectione illa & actionibus Lunæburgenſibus excuſaret; Miniſterium gravius id quoque ferens injunxit cæteris Eccleſiæ Marianæ Miniſtris, (nam in eo Templo conciones ordinarias habebat diebus Dominicis poſt meridiem hora tertia, ibique concionibus aliorum & ſacro plerumque intererat), ut, ſi a quoquam eorum Abſolutionem petiturus eſſet, is has primum quæſtiones ipſi proponeret totius Miniſterii nomine: *PRIMUM, an exiſtimaret, ſe ſalva conſcientia Eccleſiam Brandeburgenſem deſeruiſſe,*

ruisse, & vocationi in hanc statim paruisse? DEINDE: an agnosceret, male a se factum, quod absque Ministerii consensu accepisset hanc Functionem & Munus publice in Ecclesia docendi? TERTIO: an in eo quoque se peccasse agnosceret, quod inscio Ministerio ad conventum Lunæburgensem esset profectus, & Articulis ibidem factis ut Superintendens Rostochiensis subscripsisset? Cum ergo *Kittelius* die 16. Aug. a *Bartholdo Dethardingio* Diacono ad divam Virginem absolutionem peteret, ille tres dictas quæstiones Ei proposuit, ad quas cum non placide & diserte responderet, nec se vel in deferenda priore provincia, nec in amplectenda vocatione Rostochiensi, nec in profectione Lunæburgensi quicquam egisse diceret, quo conscientiam suam gravari sentiret, nec cum Ministerio prius de hisce rebus colloqui vellet, noluit DN. *Bartoldus* absolutionem ipsi impertire. Ita maxima cum indignatione ille discessit, & post biduum toti Senatui injuriam hanc sibi illatam conquestus est. Senatus intelligens novum & ingens schisma hinc exoriturum esse, ad diem 19. Aug. Ministerium una cum D. *Kittelio* in Graphæum vocavit, ubi *Kittelius* valde atroci invectiva in totum Ministerium usus est, appellavit omnes in eo Collegas & Fratres, Caini ac Judæ Fratres, seditiosos, viros sanguinum, insidiantes privilegiis & juribus Senatus & Reipublicæ, habentes Spiritum vertiginis, motum Monasteriensem excitare cupientes, & similia alia. Quibus convitiis etsi non immerito graviter læsum & offensum fuit Ministerium, tamen moderatione debita tum respondit. Sed 29. Aug. prolixius & gravius refutavit criminationes istas coram toto Senatu orante *D. Simone Pauli*. Non tamen restitui concordia & aboleri offensiones illæ potuerunt, quamvis multum laborante in hac re Senatu, & tum & postea. Fuerunt enim nonnulli in Academia quoque & alii, qui odio quorundam in Ministerio magis inflammabant *Kittelium*, & confirmabant, ne cederet. Sicut etiam publicum Carmen famosum Tabulæ Collegii Philosophici affixum & late sparsum fuit in urbe, quo aliqui ex Ministerio nominatim quoque, fœde prosciffi sunt, & *Kittelius* commendatus.

M. Andr. Martini obitus, & litis cum Kittelio ulterior progressus.

§. 38. Ferventibus hisce dissidiis vir optimus ac vera pietate, fide zelo & candore præstans M. *Andreas Martinus* in gravem morbum incidit, qui per mœrores animi ob turbas istas Ecclesiæ & accedentem Febrim Hecticam ita invaluit, ut tandem die 26. Sept. mane hora 4. in vera agnitione & invocatione Filii DEI, placidissime ex hac vita discesserit, magno cum dolore non solum Ministerii sed & multorum in Senatu (habuit enim uxorem Filiam DN. *Nicolai Rugen* Senatoris) & civium bonorum. Paucis diebus ante venerunt huc M. *Valentin. Curtius* Superintendens, & M. *Dionysius Schuneman* Pastor Ecclesiæ Lubecensis, petentes subscriptionem Articulorum in conventu proximo Lunæburgi decretorum. Ea igitur a ministerio facta est, sed cum addita protestatione, quod subscriptionem D. *Kittelii* tanquam *Superintendentis Rostochiensis* non agnoscerent, nec suo consensu factam; se enim ipsum pro *Superintendente* non habere justis de causis. Hi vero Legati an cum *Kittelio* etiam egerint quicquam ad componendum hoc dissidium non reperio annotatum. Ad 22. Octobr. Commissarii quidam Principum in urbem venerunt, & inter alia controversiam inter Ministerium & *Kittelium* quoque cognoverunt, & dirimere studuerunt, verum & hic nihil effectum est, mandarunt tamen illi utrique parti, ut pro concione de hoc dissidio in specie dicendo quiesceret. Plura deinde a Senatu & aliis Viris bonis acta sunt, ut reconciliatio fieret, & mense Novembri M. *Andreas Weslingus*, Hebrææ lingvæ in Academia Professor, se ut Mediatorem Ministerio obtulit pio ac pacis studioso animo, forte etiam D. *Davide Chytræo* Eum cohortante. Acceptavit id quidem Ministerium, & quinque Articulos D. *Kittelio* proponendos ipsi tradidit. Eos si *Kittelius* amplecteretur, obtulit se Ministerium ad ἀμνησειαν omnium præcedentium offensionum & injuriarum, & ad fraternam cum eo conjunctionem, concordiam, & in conventus Ministerii receptionem. Sed *Kittelius* hos Articulos prorsus rejecit, velut in ignominiam & oppressionem sui tantum directos. Cumque Dom. 3. Adventus pro concione Epistolam usitatam explicaret: *1. Cor. 4. sic nos æstimet homo, ut Ministros Christi &c.* acerbissime totum Ministerium accusavit, quod officio suo in dicendo, in absolvendo confitentes peccatores, in Sacramentis dispensandis & aliis ejus partibus non recte fungeretur, & absque omni causa justa negasset ipsi absolutionem & usum cœnæ Dominicæ, quod hostiliter eum persequeretur, traduceret publice & privatim apud cives, & ejicere ex urbe cuperet, tanquam falsum Doctorem & seditiosum multaque alia in ipsas personas ex nimia animi impotentia evomuisset (erat enim vir & statura satis grandi & ingenio vehemente) Hinc ergo magnæ turbæ & scandala orta sunt in tota urbe. Senatus igitur & cives primarii super hac re convenerunt, & quia Festum Natalis Christi immineret, quod publica solennitate & lætitia celebrandum esset, constituerunt agere cum Ministerio, ne responderetur ab Eo quicquam publice ad concionem *Kittelii* ante instans festum, ad avertenda majora & tristiora offendicula. Ministerium etsi jam paratam habebat *Apologiam* suam scripto comprehensam gravem & satis prolixam, tamen obsecutum est Senatus & civium petitioni. E contra vero rogavit sibi permitti, ut hoc

hoc ipſum liceret ſibi ſequenti Dominica 4. Adventus publ. ſignificare Eccleſiæ ex charta præſcripta, quod & Senatui poſtea exhibuit. Sed quia forma illa etiam aſperior videretur in D. *Kittelium*, petitum eſt a Miniſterio, ut vel taceret hac de re prorſus, vel paucis ſaltem verbis de futura ſuo tempore *Apologia* ſua ſignificaret. Atque ita factum fuit. Extat autem utrumque ſcriptum, & pleraque alia in hoc acerbiſſimo certamine geſta, in veteribus Actis.

De rebus quibusdam in Miniſterio conſtitutis & vocatione Luc. Bacmeiſteri a. 1562. ad Roſtochienſes.

§. 39. Hoc eodem anno 1561. in æſtate DN. *Jacobus Metzmacher* Wittſtochii in Marchia natus, ad Miniſterium Eccleſiaſticum in Templo S. Petri vocatus eſt a Senatu urbis conſentiente Miniſterio & Collega ſeu Diaconus adjunctus eſt Dn. *Joachimo Schröder*, Paſtori ibidem. Egerat per decennium fere Paſtorem in vicino pago Keſſin ſingulari fide & labore. Succeſſit illi in Parochia iſta M. *Henricus Theophilus* Roſtochienſis, qui in Livonia præfuerat aliquandiu Miniſterio ſacro, ſed irruptione Moſchorum facta & rebus tam politicis quam Eccleſiaſticis paſſim mutatis, ipſe relinquens Livoniam, rediit in patriam, expectaturus aliam functionem, quam hoc modo nactus eſt. Poſt obitum beatum M. *Andreæ Martini*, cum Senatus in ipſius locum quæreret ſucceſſorem, qui in Miniſterio verſatus eſſet aliquandiu, & in Academia quoque docere poſſet, ego *Lucas Bacmeiſterus* Lunæburgenſis, qui tum Reginæ Daniæ viduæ Chriſtiani III. Regis laudatiſſimi, piæ memoriæ, Concionator Aulicus eram Senatui judicatus & commendatus ſum a D. *Davide Chytræo* & M. *Joh. Poſſelio* etiam rogatu ſocrus meæ *Bordingiæ*, quæ mortuo ſuperiori anno Hafniæ marito ſuo D. *Jacobo Bordingo*, Roſtochium redierat ad veteres amicos ſuos una cum octo Liberis ſuperſtitibus præter meam conjugem. Nam *Bordingus* antea ſeptennium in hac Academia in Profeſſione & praxi Medicinæ ſtipendio Ducis *Henrici* Megapolenſis vixerat. Acceſſit etiam commendatio L. *Caſpari Paſelici* Conſiliarii & Oratoris Regii in Dania, qui tum forte hac tranſierat. Illi enim jam ab aliquot annis notus fueram in Dania. Quare Senatus proprio tabellario in Daniam Coldingam miſſo, ubi domicilium habebam, me in locum M. *Andreæ Martini* tum vacantem, per litteras legitime vocavit menſe Novembri (nondum enim annus gratiæ viduis concionatorum in hac urbe conceſſus erat, ut & ſupra annotavi). Cum igitur cauſas quasdam haberem deſerendi Aulam, & veniam profectionis a Regina impetraſſem, reſpondi Senatui, me non niſi perſpecta primum conditionis qualitate & ſtatu Eccleſiæ acceptare vocationem poſſe, ideoque me poſt exactas Ferias natalitias iter ingredi, ac Roſtochium DEO fortunante venire velle. Sic igitur die Epiphaniæ poſt concionem cum conjuge gravida diſceſſi Coldinga, & Roſtochium ſalvus DEI beneficio perveni 20. Januar. Cum vero poſtridie cognoviſſem de turbato & confuſo omnium ordinum in hac urbe ſtatu, valde dubitavi de amplectenda hac vocatione. Nam & inter Principes ac Senatum magnæ erant de rebus gravibus lites & de Academiæ Reformatione agebatur, quam ſibi tantum vendicabat Senatus contra Principes, eorumque Profeſſores, Miniſterium quoque cum D. *Kittelio* certamen habebat, nec prorſus cum Senatu illi conveniebat, & contentiones ſæpe non leves inter Senatum & 60. cives a plebe electos erant. Hæc non parum me abſterrebant, & locus in Dania mihi adhuc ſervabatur per ſingulares amicos. Sed hortantibus me D. *Chytræo*, M. *Poſſelio* etiam D. *Simone Pauli*, cum quo Wittebergæ mihi amicitia interceſſerat, ne mutarem animum, aut vocationem hanc rejicerem propter antedictas cauſas (ſperari enim a DEO meliorem & tranquilliorem omnium rerum ſtatum) rogantibus etiam ſocru & conjuge, ut huc migrarem, & ſimul ſibi & orphanis conſilio & ſolatio meo adeſſem, tandem acquievi ipſorum monitis. Ac primum vocatus ad Senatum, eoque audito, petivi, ut de vocatione hac cum Miniſterio mihi colloqui liceret, ejusque conſenſum inquirere. Atque hoc permiſſo conveni Miniſterium, quod in ædibus M. *Matthæi Flegii* tum una erat, forte mea inprimis cauſa, præter D. *Kittelium*. Ibi literas vocationis meæ exhibens & cauſas relinquendi prioris loci & hujus acceptandi exponens, ad vocationem illam Miniſterii hujus conſenſum impetravi, ita tamen, ut ad certos Articulos mihi propoſitas de *ratione gubernationis hujus Eccleſiæ* & *de diſciplina Eccleſiaſtica*, & *de diſcrimine Parochiarum* & *de obedientia erga Miniſterium* me ore & data dextra obſtringerem. Simul etiam materia *concionis probatoriæ*, ut vocatur, mihi injuncta eſt nimirum *Pſalmus 130: De profundis clamavi ad te Domine*; eam igitur DEO me juvante habui 26. Jan. in frequenti auditorio Templi Mariani. Et hac a Miniſterio & Senatu approbata, poſtridie in curiam vocatus ſum, & per COS. *Henricum Goldenitium* & Senatorem *Caſparum Freſen* mecum de *ſtipendio & loco certo inter hujus Templi Collegas* item *de profeſſione theologica in Academia* eſt transactum nomine totius Senatus, atque hoc ipſum litteris certis conſignatum. Conveni tamen quoque D. *Kittelium*, in cujus notitiam ſuperiori æſtate veneram, quando cum Conjuge Lunæburgo & Lubeca rediens, hac tranſiveram mari iturus Hafniam & inde Coldingam rurſus, & tum M. *Andreæ Martini* hoſpotio utebar.

Ante Bacmeiſteri adventum intercedente L. Pa-

§. 40. His igitur in initio anni 1562. confectis, ego in Daniam regreſſus ſum, & rebus meis compoſitis, bona cum gratia & hone-

felico compositio inter Klitelium & ministerium fit.

honesto testimonio Reginæ, quæ' diutius me retinere secum maluisset, inde discessi, & reversus sum Rostochium, primamque in suscepto officio Concionem habui ipso die annunciationis Mariæ. Erat vero tum in Ministerio usitatum, ut is, qui recens in Ministerium receptus erat, ab uno ex Collegis ejus Templi ad Cathedram usque deduceretur, quando primum concionari debebat. Idem & mecum observatum fuit *M. Bartholdo Dethardingio* me ex choro usque ad gradus Cathedræ comitante, idque testimonium erat legitimæ vocationis & consensus Ministerii. Interim dum ego in Dania abfui, crebri Senatus & Ministerii conventus fuerunt initio mensis Februar. de dissidio inter *D. Kittelium* & Ministerium componendo. Et quia Senatus Ministerium coram Principe *Ulrico* accusaveret, ægre id tulit Ministerium, atque inde acerrima concertatio orta est coram Senatu maxime quorundam Senatorum & *D. Laurentii Kirchofii* cum *M. Georgio Richio*. Ac diserte tum recusavit Ministerium judicem ferre Senatum in ista controversia, sed provocavit ad Principes. Factum id est die 5. & 6. Februarii. Cum vero 15. Februar. iterum *Kittelius* accerbiora quædam in Ministerium pro concione dixisse videretur, vix sperari reconciliatio potuit. Tandem tamen Senatus consilio & opera diligenti & prudenti *L. Caspari Paselici*, qui huc ex legatione sua redierat, usus, adhibitis etiam civibus aliquot primariis & DEI gratia aspirante, dissidium hoc diuturnum, triste & scandalosum feliciter composuit die 26. Februar, ac tum condonatis utrinque injuriis & offensionibus *D. Kittelius* in societatem Ministerii receptus fuit, non tamen ut *Superintendens*, sed tanquam unus ex Senioribus protestante ea de re Senatu, ne quid juri suo in constituendo *Superintendente* decederet. Consilium & factum hoc *Paselici* omnes pii, boni & docti in Academia, Ministerio, totaque urbe mirifice postea prædicarunt. Forma initæ hujus Transactionis & concordiæ obsignata a Senatu, *Paselico* & aliis, extat inter alia Acta.

Nec tamen Principes Kittelium Superintendentem agnoscere volunt.

§. 41. Non multo ante nimirum 10. Februar. Principes datis ad *D. Kittelium* litteris severe ipsi mandarunt, ut abstineret deinceps *a Nomine & Titulo Superintendentis, cujus constituendi jus non ad Senatum sed ad Principes tanquam Patronos omnium Templorum in urbe pertineret*, sic & a concionibus habendis abstineret, donec dissidium inter ipsum & Ministerium duraret, ad quod componendum suos consiliarios in urbe missuri essent. Exemplar harum litterarum in Actis extat. Ita ergo pax aliquandiu fuit in Ecclesia & Ministerio.

Lis ministerii cum D. Laur. Kirchofio componitur.

§. 42. Interim cum *D. Laurentio Kirchovio* Juriscos. & tum Academiæ Rectore aliquid incidit negotii. Fuerat ille partium *Draconitis* & *Kittelii* contra Ministerium. Sed *Draconite* hinc dimisso & controversia *D. Kittelii* cum Ministerio composita, cui Transactioni ipse etiam una cum *D. Georgio Kommero* itidem Senatus Juriscos. & Professore, interfuerat, existimavit ipse, neminem fore in Ministerio, qui offensionem aliquam contra Eum amplius haberet. Quare & Cœnam Domini accessurus, petivit a *M. Henrico Strevio* absolutionem, quam ipsi tum negavit. Itaque ad *Dn. Vitum Bergium* infimum Diaconum in Templo Jacobæo, sed in lecto decumbentem, accessit, & absolutionem impetravit. Qua re cognita *Strevius*, *Kirchovium* moneri curavit, ne sequenti die Dominica ad Aram accederet, nolle enim se Eucharistiam ipsi porrigere. Quod indignissime ferens, rem postea ad totum Ministerium detulit, & se in alio Templo admitti ad cœnam Domini petiit. Sed Ministerium hanc litem æquis conditionibus tandem diremit, quamvis difficilius, & *Strevius* quidem monitus est, ne deinceps absque consensu aliorum Ministrorum in re tam gravi aliquid ageret. *D. Kirchovius* vero, ne propter hanc rem male de Ministerio loqueretur, sed ut autoritatem & dignitatem Ejus tueretur, in sua Parochia Cœna Domini uteretur, & sic utrinque fieret condonatio & amnestia offensionum. Hac ratione illa quoque contentio per DEI gratiam sublata est, & *D. Kirchovius* deinceps singularis fuit amicus totius Ministerii.

Locus conventus ministerii certus in templo S. Johannis h. t. destinatur.

§. 43. Actum quoque fuit circa idem tempus a Ministerio cum Senatu, ut quia huc usque certus locus non fuit, ubi *conventus Ministerii* commode haberentur, de eo provideret Senatus. Cum vero videretur omnibus, in *Templo Johann.* aut vicinis ei veteris cœnobii ædificiis locum talem eligi & instrui posse, propterea quod in medio fere civitatis Templum hoc situm esset, tandem delectum est *facellum* illud, ubi etiamnum *conventus* habentur, quod Monachis maxima ex parte profugis, in Reformatione religionis, occupaverant Vitriarii, illorum qui ex reliquis remanserant, trium scil. consensu, qui etiam ædificia aliqua cœnobii inhabitabant. Igitur cum Vitriariis, qui & loca sepulturæ pro societate sua ibidem habebant, ita egit, ut *facellum* istud Ministerio permitterent, & in Templo vicino S. Johann. alia ad sepulturas loca eis attribuit; Id tamen juris sibi reservarunt illi, ut potestatem haberent in negotiis opificii sui ibidem inter se conveniendi, ideoque claves januarum ipsis concederentur, idque hoc modo factum est. „Usus autem„ hujus facelli etiam in Papatu fuerat, ut in„ eo, solennibus nonnullis festis, *Missæ* ce-„ lebrarentur, sicut ara initio conventuum„ Ministerii ibidem posita erat versus ortum,„ ubi jam infumibulum & fornax est. Erat„ & circuitus in eo editior, in quo consi-„ stere

„ſtere ſoliti fuerunt. Prior & cœteri dignio„res inter Monachos, quorum aliqui et„iam Doctores Theologi erant, (ordo e„nim fuit *Dominicanorum*, qui & *Prædi„catores* dicti ſunt) quando Miſſæ habe„bantur. In aliis vero ſellis inferioribus „conſederunt vel pauci alii ex Monachis, „vel etiam nonnulli ex Senatu aut civibus „primariis, ut Miſſas audirent. Poſt pau„cos vero annos Senatus curavit locum il„lum elegantius ædificari, pavimentum „attolli terra aggeſta, tabulatum quoque „altius evehi, circuitum ſuperiorem auſer„ri, feneſtras refici altiusque efferri, ne vo„ces loquentium foris exaudiri poſſent, re„mota etiam ara, infumibulum & forna„cem extrui. Qua in re Dominus *Joachi„mus Krohn* Senator & Camerarius operam „ſuam fidelem præſtitit„.

Kittelius indignationem Principis Ulrici incurrit, falſo licet apud eundem delatus.

§. 44. Menſe Junio ejusdem anni *D. Kittelius* apud Principes inprimis Ducem *Ulricum* delatus eſt, quod pro concione quædam gravius in Ceſſ. Eorum dixiſſet, quibus læſus eſſet honos & autoritas Eorum. Quare litteræ a Duce *Ulrico* ad Senatum & 60. cives miſſæ ſunt, quibus jubebatur, ut ſtatim ex urbe dimitteretur ſub gravi pœna. Senatus ergo die 27. Junii quando per totum fere diem in curia fuerat cum 60. civibus, eodem vocavit *D. Kittelium*, Me & *M. Matthæum Flegium* ſera veſpera ac propoſita nobis accuſatione in litteris Principis contenta, quæſivit ex *D. Kittelio*, an talia in Principes dixiſſet? ex nobis vero, an ea audiviſſemus? *Kittelius* gravi ratione ſe excuſavit, & quibus uſus eſſet verbis pro concione, palam oſtendit. Idem ego qui concioni interfueram, atteſtabar, *Flegius* item, qui ex me audiviſſet, cum ipſe eodem tempore ad *S. Georgium* habuiſſet concionem, qui etiam ex Senatu & civibus interfuerant concioni *Kittelii*, ſuum teſtimonium cum noſtro conjungebant. Id igitur & Senatus & 60. Cives Principi reſponderunt, ſcripſit etiam ipſe *Kittelius* ad Principem, & ſe de falſa delatione excuſavit.

Sverinus præfectus militum, ob ſcortationem excommunicatus eſt, diſſentiente Kittelio

§. 45. Aliquanto poſt nova cum *D. Kittelio* incidit συρραξις Miniſterio. Erat in urbe quidam Capitaneus Militum *Henrich Schwerin*, qui concubinam habebat, nec in uxorem legitimam ducere eam volebat, licet ſæpe monitus. Hunc tandem excommunicare decrevit Miniſterium, & formam in diſciplina Eccleſiaſtica recens conſcripta ſed nondum evulgata deſcriptam, uſurpandam eſſe cenſuit a *D. Simone* in Templo Jacobæo, quod in Parochia illa concubinarius ille habitaret. *Kittelius* vero quia conventui huic Miniſterii non interfuerat, & proceſſum nondum eſſe legitimum exiſtimaret, ſubſcribere noluit formæ. Intermiſſa tamen fuit Excommunicatio, cum *Sverinus* per cives aliquos ad *D. Simonem* & Me miſſos peteret brevem dilationem. Facta hæc ſunt menſe Auguſto. In proximo itaque Miniſterii conventu, cui nec tum interfuit *Kittelius*, acerbæ quorundam voces & ſententiæ in eum dictæ ſunt, reprehenſum quoque id, quod de conceſſa dilatione dixi, atque inde gravis concertatio orta. Decretum tamen fuit, procedendum eſſe cum *Sverino*, niſi coram aliquot in Miniſterio & civibus oſtenderet, ſe veram agere pœnitentiam & concubinam dimittere vel ducere velle. Cum vero paucis diebus poſt *Sverinus* ad conventum Miniſterii in Templum S. Jacobi, ubi etiam duo Senatores & quatuor cives aderant, bis terve vocaretur, nec compareret, unus ex Senatoribus & duo cives ipſum acceſſerunt, rogatu Miniſterii, & hortati ſunt, ut pareret, ſed reſpondit eis, ſe non morari excommunicationem, facere poſſe Concionatores quod vellent. Ita ergo die 23. Aug. ille in Templo S. Jacobi publ. excommunicatus eſt a *D. Simone Pauli*, forma ex *Paulo* deſumpta, idque in aliis quoque Parochiis denunciatum fuit, ut tota Eccleſia ſciret, eum excommunicatum eſſe legitime & pro excluſo ex piorum & Chriſtianorum cœtu habendum & vitandam eſſe ejus conſvetudinem.

Deſtinatio viſitationis Eccleſiaſticæ irrita evadit.

§. 46. Die 25. Aug. in Graphæum a Senatu vocati ſumus, *D. Kittelius*, *D. Simon*, *M. Joachimus* ad St. Petrum & Ego. Propoſuit Coſ. conſtituiſſe Senatum viſitationem Eccleſiarum in urbe inchoare, quod ſæpius Miniſterium & privatim petiviſſet, & in publicis concionibus crebro urgeret. Itaque delegiſſe Senatum ad hoc munus Nos IV. ex Miniſterio. IV. item ex Senatu, nimirum *Henr. Goldenis* Coſ. *Caſpar. Freſen*, *Frantz Quarten* & *Henning Beſelin*, Senatores. Similiter ex primariis civibus IV, qui & ipſi nominabantur: Reſpondimus, Nos quidem noſtro loco defugere hunc laborem non velle propter Gloriam DEI, Eccleſiæ utilitatem & totius Reip. ſalutem, ſed tamen etiam ex Parochia S. Nicolai, unum adhibendum eſſe maxime Paſtorem *M. Georg. Richium*. *D. Simon* vero petiit, ſe obtento prius Principum conſenſu, adhiberi ad Viſitationem, nec eam recte fieri poſſe, niſi Principes admiſerint etiam propter executionem, cum multa Bona Eccleſiaſtica extra civitatem ſint in Territorio Principum. Dn. *Joachimus Schröder* propter Deum petiit, ſibi parci ob ætatem & alias cauſas. Ibi Coſ. & Senatores præter *Beſelinium* ſe quoque ex numero illo tolli ac ſibi parci rogarunt, & addidit *Coſ.* qui *Vir gravis & prudens* erat, aliqualem increpationem, quod cum in concionibus noſtris ſæpe viſitationis inſtituendæ mentionem feciſſemus, jam onus & laborem viſitandi recuſaremus. Hic tum finis ejus actionis fuit.

De Profeſſoribus Ducalibus in con-

§. 47. Circa idem tempus ambo Principes *JOH. ALBERTUS* & *ULRICUS* inſtitute-

cilium recipiendis & dote Academiæ a Principibus constituta.

stiterunt iterum graviter, tam apud Senatum, quam apud Rectorem *D. Laurentium Kirchofium* & Concilium Academiæ, ut Professores sui etiam reciperentur in Concilium, & ad Honores publ. Rectoratus & Decanatus admitterentur. Itaque cœptum est agi de hac re & de aliis negotiis Academiæ, *in quibus sibi tantum Senatus jus & Jurisdictionem item Concilii ex suis tantum Professoribus constitutionem sumebat*, id quod Principes admodum indigne ferebant. Principes ex suis Professoribus delegerunt ad hanc actionem *D. Davidem Chytræum*, *D. Simonem Pauli*, *D. Johann Boukium* Juriscos. & *L. Joh. Bocerum*, Senatus ex suo numero etiam aliquot, quorum nomina ignoro. Tractatum quoque antea fuerat inter Principes & Senatum urbis de reformanda Academia, nimirum 1551. & Senatus adjunxerat sibi Legatos vicinarum urbium Lubecæ, Hamburgi & Luneburgi, qui per *D. Johann Rudelium* Syndicum Lubecensem, *Virum Doctissimum & Prudentissimum* diligenter in componendo hoc gravi negotio laboraverant, sicut Acta testantur, sed frustra, Rostochiensi Senatu nihil cedere volente. Jam igitur Tractatio illa gravius suscepta est a Principibus, maxime cum ante annos sex certos reditus annuos attribuissent suis Professoribus, nimirum 3000. aureorum ex Bonis Ecclesiasticis Cœnobiorum Doberanensis, Marienoensis & Salicampiensis, Sonnen-Kamp quod nunc usitate dicitur, das Neu-Kloster. Quibus postea adhuc 500. aureos addiderunt, ut integra jam summa sit annuorum redituum 3500. aureorum.

Cives & nonnulli ex Senatorio ordine detenti Gustrovii, ob lites cum Principe Ulrico.

§. 48. Die 2. Sept. litteræ a Principibus ad Senatum & 60. Cives allatæ sunt, quibus prohibebatur Visitatio instituta de Bonis Ecclesiasticis propter interesse Princip. in Jure Patronatus omnium Temporum parochialium. Paulo post die 10. Sept. cum Nundinæ essent Gustrovii, eoque cives Rostochienses cum mercibus suis se contulissent, præter omnem exspectationem illi arresto detenti sunt a Principe *Ulrico*. Hæc fama in urbem allata, Senatum & Cives vehementer perturbavit. Addita vero causa fuit, quod Rostochienses prioribus Principum litteris de dimittendo *D. Kittelio* non obtemperassent. Ablegati igitur ea de causa sunt a Senatu Gustrovium Dn. *Thomas Gerdes* Consul, Dn. *Laurentius Breide* Senator & *D. Georgius Kommer* Juriscoss. Senatus. Hi statim postquam adveniissent, & se audiri a Principe petiviissent, obstricti & detenti sunt ibidem, ne injussu Principis domo exirent. E contra vero cives Rostochienses dimissi sunt liberi, ita tamen, ut merces suas illic relinquerent. Quare sequente die Dominica mandavit Senatus *D. Kittelio*, ut a concione pomeridiana abstineret, eamque Me habere voluit, sicut & factum est die 13. Septembris. Fuerant autem non multo ante Gustrovii *D. David Chytræus*, *D. Simon Pauli*, & *M. Georgius Richius* illuc, ut dicebatur a Principe *ULRICO* vocati. Aliqua igitur in horum unum atque alterum suspicio derivabatur facti illius in obstringendis civib9 propter *D. Kittelium*. Porro qui in Ministerio nostro erant fruentes stipendio Senatus super hoc negotio convenerunt, & deliberarunt, cum videretur illis, non esse hunc cum *Kittelio* processum legitimum, quo & nostrum alii similiter causa non satis cognita, pelli facile possemus, placuit tamen eventum esse exspectandum, & interim rem DEO commendandam.

Controversia inter Senatum & 60 Cives, et & Ministerium implicatur.

§. 49. Hoc anno variæ inter Senatum & 60. Cives actiones habitæ sunt de modo colligendæ pecuniæ 80000. aureorum ex Principum debitis civitati impositæ. In quibus cum convenire inter se non possent, distractiones hinc ortæ sunt & factiones, fueruntque nonnulli in Ministerio etiam inter præcipuos, qui civibus assentiebantur. Unde inter nos ipsos quoque disceptari cœptum est aliquibus contendentibus, quod cives illi pars Magistratus in urbe essent, ac propterea non injuste Senatus decreta & sententias reformarent, simul etiam priora Senatus peccata accusabantur, & plerorumque malevolentia & vetus odium adversus Senatum erumpebat, qua de causa ego inprimis & una mecum Dominus *Joachimus Banfow*, & Dominus *Jacobus Metzmacher* a cæteris, quibus contradicebamus, graviter reprehendebamur, donec res ipsa sequenti anno ruentibus civibus in manifestam seditionem sententiam & judicium nostrum comprobaret.

D. Kittelii profectio ad Gryphiswald visitatio schola rum trivialium & alia.

§. 50. Porro Legatis Rostochiensium quoque a Principe obstrictis Gustrovii ut supra dictum est, Senatus per litteras a Principe dimissionem eorum suppliciter petivit, sed nihil obtinuit, nisi *Kittelius* statim dimitteretur. Itaque Senatus cum *Kittelio* egit, ut aliquandiu hinc alio concederet, donec Principis animus leniretur. Ipse vero sese ultro obtulit, *si salus Reipubl. in eo verteretur, velle se hinc omnino discedere una cum Conjuge & liberis, idque intra dies 12.* Verum Senatus eum hoc modo dimittere noluit, sed ut ad tempus alio tantum secederet, jussit. Sic igitur sequenti die nimirum Cal. Oct. curru Senatus vectus, in Pomeraniam se contulit ad *D. Jacobum Rungium* Gryphiswaldiam, ad quem & Senatus litteras dedit, conjugem vero & liberos hic reliquit. Eodem tempore & Buthovii in Nundinis Bona ac merces civium Rostochiensium jussu Principis detentæ sunt, quo nuncio allato, majores turbæ exortæ sunt in urbe. Senatus igitur de hac & priori detentione inprimis vero Legatorum Rostochiensium, in Camera Imperiali questus est, & impetravit Mandatum de relaxando, sed cum clausula, unde factum, ut Legati 14. continuis septimanis cogerentur hærere Gustro-

Gustrovii, ut suo loco dicetur postea. Circa idem tempus & Reformatio quædam *Scholarum trivialium* uti vocantur, quæ singulis Templis Parochialibus adjunctæ erant, suscepta est initio facto a Schola vicina Templo S. Mariæ. Ad quam rem Senatus deputavit Me & *M. Flegium* Concionatores Ejus Templi, Dominum *Henningium Beselin* Senatorem, & *Vicke von Herverden*, civem honestum & doctum. Deinde in aliis quoque Scholis idem factum est adhibito etiam *D. Simone Pauli* & Me. Cœptum est agi in Ministerio de examine publico Puerorum & Puellarum in Templis restituendo diebus Dominicis vel Sabbathi, sicut aliquot ante annis usitatum fuerat. Et quia in Nuptiis, quæ meridie tum inchoabantur, sponsis ante horam 11. in Templum deductis, deordinationes quædam fiebant, rogatu Ministerii Senatus eas quoque emendavit, ac prorsus abrogatæ sunt Nuptiæ Ancillarum, Servorum & aliorum tenuiorum, quæ *diebus Dominicis* vesperi post finitas ceremonias sacras haberi solebant. Sic & *Forma disciplinæ Ecclesiasticæ* tum delineata fuit & in Ministerio perlecta.

Actio nova de conjunctione inter Professores Acad. utriusque partis.

§. 51. Cæterum quia Principes apud Senatum & cives crebris litteris instabant, ut Actio de Academia recte instituenda serio institueretur & ut Professores eorum in Concilium reciperentur, & sic unum *Academiæ corpus ex utriusque partis Professoribus* fieret, tandem Senatus die 16. Oct. cum Professoribus Principum ea de re agere cœpit, ac sententiam eorum exploravit, utrum hæc actio & pacificatio civitatis juribus ac privilegiis quicquam incommodatura esset. In quo cum ita respondissent, & se declarassent illi, ut Senatui satisfieret, vicissim Senatus se quam primum actionem in nomine Domini inchoare velle, & ad eam certos Deputatos designare, idem quoque facerent Professores, sic ergo die 19. Octobr. initium actionis σὺν θεῷ factum est.

Thom. Fullens Actio adulterii in Joach. Flemming inanis.

§. 52. Plurimum negotii illo tempore fuit Ministerio cum Scoto quodam hic cive, *Thomas Fullens* dicto, qui *Joachimum Flemming* Rectorem tum Scholæ Jacobææ adulterii cum sua conjuge insimulabat, & propterea conjugium, quod cum puella quadam civis in hac urbe Filia contrahere volebat, magno conatu impediebat. Tandem tamen inquisitis sententiis, *D. Chytræi*, *D. Conradi Becceri* & *D. Joh. Wigandi*, Nuptiæ in ædibus *M. Georgii Richii* factæ sunt. Ex hoc conjugio nata fuit virgo illa, quæ primum hic nupsit *Hans Wenden* eoque defuncto *Joachim Kolblat* civibus honestis ac piis, & cum hoc eadem fœmina & ipsa pia & honesta adhuc in matrimonio vivit.

Reditus Kittelii Senatum in difficultates conjicit.

§. 53. Die 10. Novembr. in professo Martini, *D. Kittelius* huc rediit præter spem & voluntatem Senatus. Ego igitur postridie ex Auditorio publico; ubi *Oratio de Græca lingua* a *M. Nathan. Chytræo* habebatur, revocatus ad Consules, mandatum ab eis accepi adeundi *Kittelium* & indicandi, *quia negotia cum Principibus nomine Academiæ controversa adhuc agitarentur, nec Principes offensionem adversus Eum deposuissent, ideoque cognito Ejus in urbem reditu, magis forte tam Senatui quam ipsi indignaturos esse, forte etiam motum aliquem ab imperita plebe non modo contra Senatum sed & ipsum Kittelium fieri posse, propterea se petere, ut per octiduum vel 14. dies rediret in vicinum Pomeraniæ oppidum Bart, ibique sumptibus Senatus maneret, donec revocaretur. Sperare enim Senatum interea componi posse alia illa negotia;* verum ille respondit, *se non sine justis causis huc ultro rediisse, Conjugem enim gravidam diutius se non potuisse hic solam relinquere. Confirmari se quoque testimonio conscientiæ suæ, quod innocens esset, & injuste ob habitam concionem accusaretur. Velle se igitur hic manere, & exspectare omnes casus, ac DEO se suamque causam commendare, ac paratum esse ad responsionem suique defensionem, si modo eam impetrare posset.* Hoc responso accepto visum fuit Senatui & mihi, ut quam primum reditus *D. Kittelii* indicaretur *D. Davidi Chytræo*, cujus præcipua causa esset, *quod conjugem vicinam partui & propterea infirmiorem maritali affectu deserere diutius non potuisset; non quod in contemptum Principum aut temerario ausu huc tam cito reversus esset, velle tamen Senatum curare, ut vel domi se contineat* Kittelius, *aut rursus hinc discedat alio, si omnino absque incommodo ejus & conjugis id fieri posset. Rogare itaque Senatum, ut, si ab aliis Principum Professoribus mentionem fieri dicti reditus audiret, ita excusaret hoc factum, ne quid inde odii aut periculi Senatui & civibus in aula contraheretur. Chytræus* benignum & facilem se hic præbuit, & petitioni Senatus locum dedit, ita ergo *Kittelius* hic mansit. Legati tamen Senatus Rostochiensis interim Gustrovii detenti fuerunt, nec quicquam valuit mandatum Cameræ de dimittendo.

D. Röselerus Syndicus cum Ministerio in gratiam redit.

§. 54. Hæc cum agerentur, *D. Matthæus Röselerus* Syndicus quoque cum Ministerio reconciliatus est. Graviter enim & sæpius in prioribus actionibus cum D. *Draconite* & cum D. *Kittelio* læserat partim totum Ministerium, partim aliquas in eo personas seorsim & inprimis *M. Georgium Richium*, ideoque ad Cœnam Domini aliquandiu admissus non fuerat. Cum igitur *M. Richium* ex Ministerii monitio-

ne conveniſſet, & ſibi ab eo offenſiones condonari petiiſſet, ac ſimul polliceretur, ſe reconciliationis hujus cum Miniſterio coram Senatu meminiſſe velle, eumque hortari, ut deinceps Miniſterii dignitatem & autoritatem tueretur, quæreret, cum & pacem & conjunctionem piam & quemque ſuo loco foveret ac juvaret, atque ut ipſe *Röſelerus* idem faceret poſtea, in gratiam libenter receptus, & ad Cœnam Domini admiſſus eſt, ac poſtea oſtendit re ipſa, ſe Miniſterii amicum eſſe.

De repurgatione cœnobii Virginum ad S. Crucem.

§. 55. In initio menſis Decembris hujus anni 1562. cœptum eſt agi cum Conſulibus per Me & *M. Matthæum Flegium* de reformando Cœnobio Virginum ad S. Crucem, nam & Domina *Margareta Beſelins* & nonnullæ ex Senioribus, Pontificiæ religioni addictæ adhuc erant, & idola colebant invocatione Sanctorum & aliis abominationibus. Erant quoque in urbe eodem tempore *Sacrificuli* quidam, qui clam miſſas celebrabant in domibus, & in eo etiam Cœnobio. Et quamvis *M. Matthæus Flegius* a Conſulibus, qui Jus Patronatus ſibi vendicabant, Miniſterio docendi ſincerum de Chriſto Evangelium & juxta inſtitutionem Chriſti Cœnam Domini adminiſtrandi præfectus erat, atque officio ſuo fideliter fungebatur, ut converteret illas Papiſticas, tamen parum efficere potuit in animis veteri ſuperſtitioni immerſis ac nimium obſtinatis. Placuit ergo de certa reformatione diligentius deliberari, & aliquid conſignari de ſententia & conſilio noſtro, idque poſtea factum eſt.

Concertatio Senatus cum 60. civibus, qui ſibi Syndicum ſ. Procuratorem peculiarem arceſſunt.

§. 56. Hoc ipſo tempore 60. cives conjuncta ſibi majore aliorum civium parte varia & turbulenta cœperunt conſilia agitare contra Senatum, cum non modo de colligenda ſumma illa pecuniæ 80000. florenorum, de quibus antea dictum eſt, diverſas a Senatu haberent ſententias, ſed miſcerent alia quoque pro libertate civium, quæ videbantur jurisdictioni Senatus contraria eſſe. Sic & JCTUM quendam *Fridericum Robt* dictum aliunde acciverant, quo conſiliario, Syndico & Oratore uterentur, eique Stipendium ſatis amplum ex publico ærario promiſerunt, ac ſimul ærarium in ſua eſſe poteſtate voluerunt. Et erant in Miniſterio etiam nonnulli, qui facta eorum probabant ex veteri in Senatu odio & aliis de cauſis. Unde & in ipſo Miniſterio diſſidia & contentiones oriebantur. Miſer itaque & ſatis periculoſus apparebat Reipublicæ ſtatus, qui aſſiduis precibus DEO commendabatur. Quamvis autem ſexagenarii per ſex cives ex numero ſuo delectos acceſſerunt Miniſterium, illique ſe excuſaverunt, quod nihil contra Senatus dignitatem, autoritatem, & obedientiam debitam agerent, ſed quod publicum Civitatis bonum & pacem ſummo ſtudio & fide quærerent, ac Miniſterium hanc eorum orationem probavit, addita commonefactione neceſſaria; tamen interdum fiebat a nonnullis exorbitatio, qui & ægre ferre videbantur admonitiones publicas pro concione de reverentia erga Senatum & de ſtudio pacis ac concordiæ.

Transactio inter Profeſſores Academicos utriusque partis tandem perficitur, ubi de Boukio Principis conſilio.

§. 57. Die 17. Decembr. Actio de rebus Academiæ inter Senatum & Profeſſores Principum ſingulari DEI beneficio felicem ſortita eſt exitum, & Transactio in omnibus articulis facta, ea tamen addita conditione, ut Illuſtriſſimi Principes ex altera parte & communitas civium ex hac parte eam ratam haberent, & ut Profeſſores Principum dimiſſionem Legatorum Roſtochienſium ex diuturna captivitate apud ducem *ULRICUM* obtinerent, & pro reconciliatione *D. Kittelii* quoque intercederent. Id illi prolixe polliciti ſunt, & imprimis *D. Boukius*, cujus & ſupra in Hiſtoria Promotionis *D. Chytræi* & aliorum Theologorum, item Promotionis duorum LL. juris, *Clingii* & *Boceri*, quam *Boukius* peregit, mentionem feci. Fuerant inter ipſum & Senatum offenſiones nonnullæ aliquamdiu, quæ & tum compoſitæ ſunt. Erat *Joh. Boukius* Hamburgi natus, & primum in patria Schola, deinde in Schola Lunæburgenſi ſub diſciplina *Hermanni Tulichii* & *Lucæ Loſſii* optime inſtitutus, ingenio præclaro, facundia inſigni, in Jure & politicis rebus verſatiſſimus. Ideoque cum gratus eſſet factus Duci *ULRICO*, ſæpe ad Comitia & ad conventus circulorum ab Eo in magnis negotiis ablegatus fuit. Facile tamen offendebatur, & tenax erat offenſionum ac cupidus vindictæ, unde non ſolum ipſe lites cum aliis movebat levibus interdum de cauſis ſed etiam clandeſtinis practicis aliis nocebat. Obtinuit ergo a Senatu, qui per Eum majorem ſibi gratiam & clementiam conciliari poſſe apud Principem *ULRICUM* ſperabat, Fundum quendam multis annis vacuum in lata platea, ubi domus quædam cereviſiaria cum aliquot domunculis olim ſita fuerat, & in eum tres inſignes domos, quæ adhuc videntur, cum inſcripto nomine ejus & inſigniis ædificavit. Transactione inter Profeſſores Principum & Senatum ab utraque parte confirmata & obſignata, *D. Chytræus*, *D. Boukius*, & *L. Bocerus* Guſtrovium ad Ducem *ULRICUM* profecti ſunt, ut peterent dimiſſionem Legatorum captivorum, quam & impetrarunt. Cum vero Legati poſtridie ſe itineri accingerent, in vigilia Natalis Domini forte allatæ ſunt litteræ Ducis *JOHANN. ALBERTI*, qui ex Comitiis redierat, quibus petivit a Fratre *ULRICO*,

RICO, si nondum dimissi essent Legati Rostochienses, ut detinerentur ibidem usque ad suum adventum; ita rursus obstricti sunt in Diversorio suo facta nova stipulatione, *D. Kommerus* tandem dimissus fuit. Compertum vero postea est, aliam fuisse veram causam novæ obstrictionis Legatorum, quæ & aliquo modo *D. Beukio* imputata fuit. Impetraverant enim Legati dimissionem a Principe ad aliquod tempus, antequam ipse cum comitibus suis adveniisset, quod ipsi molestum fuit.

Collecta pro pauperibus circa nuptias instituitur.

§. 58. Hoc anno illud quoque constitutum fuit, ut in copulationibus sponsorum pelves exponerentur, quibus convivæ nuptiales pecuniam ad sustentandos melius pauperes imponerent. Hujus consilii autor fuit *D. Kittelius*, idque probavit Ministerium & cum Senatu ea de re egit, qui & ipse eam approbavit, & mandato ex Cathedris omnibus recitato in usum deduxit.

Anni 1563. difficilis initium.

§. 59. Atque hæc de Actis anno 1562. Annus 1563. & Ministerio & Senatui & toti Reipubl. valde gravis fuit propter intestinum maxime dissidium, quod inter Senatum & 60. Cives, qui totam plebem ad se pertraxerant, versabatur, & quotidie increscebat. Obiit vero in initio hujus anni mane circa 5. Jan. *Reverendus Vir Dominus Vitus Bergius Diaconus ad S. Jacobum* in bona senectute, cum diu languidus decubuisset. Locum ejus integre cum stipendio & accidentibus adeptus est *Casparus Leunculus*. His ipsis quoque diebus *D. Simon Pauli* & *L. Johann. Bocerus* Sverino reversi sunt, quo profecti erant ad Ducem *Johann. Albertum* pro impetranda confirmatione transactionis in negotio Academiæ & pro *D. Kittelio* in gratiam recipiendo. Sed in hac re parum obtinuerunt. Die Epiphaniæ valvis templi Mariani & curiæ affixum fuit decretum Hanseaticæ Societatis, quo Bremenses ob seditionem motam & ejectos Coss. & Senatores aliquot ex Societate illa excludebantur.

Scholarum trivialium visitatio & reformatio peracta; & Senatores Gustrovii detenti redeunt.

§. 60. Sequenti die reformatio Scholæ Marianæ in effectum deducta est per Visitatores a Senatu constitutos, & *Rectori Dionysio Krevet* additus Conrector, & duo Hypodidascali, qui tum vocabantur Astantes. Hoc exemplum secuti sunt docentes in aliis Scholis Trivialibus per deputatos a Senatu Visitatores. Die 8. Jan. tandem *Coss. Dominus Thomas Gerdes* & *Senator Laurentius Breide* post longam & difficilem actionem & multorum intercessionem impetrarunt a Principe *ULRICO* dimissionem ad 14. dies, ea quoque de causa, quod Coss. uxor gravida & vicina partui esset. Ita hoc die Rostochium redierunt.

Senatus amicum Ministerium in Graphæum vocavit; abfuerunt autem tres, *M. Georgius*, *M. Joachimus Schröder* & *M. Lucas Randow*. *Significauit Senatus de præsenti & turbido Reipublicae statu propter dissidium cum civibus, de modo colligendæ magnæ illius pecuniæ summæ promissæ Principibus. Nam Senatum tolerabilia & æqua media proponere in constituendo censu cerevisiario exemplo vicinarum civitatum, quæ & ipsæ ære alieno gravatæ essent: & tamen providere se velle, ne pauperes & egeni hoc censu gravarentur nimium. E contra cives hoc acceptare nolle, sed alia proponere Reipubl. intolerabilia & noxia, inter quæ illa quoque essent: quod bona Nosocomiorum ad usum solutionis pecuniæ debitæ transferre, & Nosocomiis subtrahere, pagos & prædia civitatis gravioribus tributis onerare, rusticos pluribus servitiis praeter usitatum morem gravare, & praefectum generalem constituere vellent, qui tributa & reditus severe exigeret, atque his rebus omnibus præesset. Ea igitur si procederent, periculum esse, ne Principes omnia illa bona civitati erepta ad se transferrent. Præterea Senatum assidue in metu esse, ne seditio excitaretur, & ab incondita plebe extorquerentur sibi jam dicta capita & forte etiam plura, quae ad totius civitatis ingens damnum facerent. Ideoque petere Senatum a Ministerio, ut in concionibus publicis omnes & singuli pro officii sui ratione cives ad concordiam & pacem cum Senatu fovendam ac retinendam & ad communem utilitatem totius Reipubl. quaerendam hortarentur, ac preces simul diligenter pro salutari & quieto Reipubl. statu facerent. Neque enim aliter Senatum scire, quam quod recte & juste ageret, ita ut coram DEO & quovis homine rationem ejus reddere possit, si tamen alicubi errare videbitur, velle se libenter correctionem & Consilium rectius admittere.* Ministerium re deliberata respondit: I. *Valde affici se hisce miseriis publ. & dissidio indies magis crescente.* II. *Nullum se melius & certius scire remedium, quam serias ad DEUM preces*, juxta dictum Josaphat 2. *Paral. XX.* Cum ignoramus, quod agere debeamus, ad te Domine in Cœlum oculos levamus. *Quare consulere Ministerium, ut certus dies publicæ precationi destinetur, in quo calamitates praesen-*

Ministerio actio, ut suam ad concordiam cum civibus conciliandam conferat operam.

tes DEO proponantur, fiat confessio peccati, & auxilium a DEO singuli serio petant. III. *Velle Ministerium, si ita Senatui videatur, cives 60. vel aliquos eorum convenire, & ad pacem ac concordiam cum Senatu ineundam eos hortari, & monere, ut Senatum pro legitimo Magistratu suo agnoscant & colant.* IV. *Petere etiam Ministerium, ut Senatus cum civibus humaniter agat, & quantum absque civitatis incommodo notabili fieri possit, aliquid eis largiatur, si forte hoc modo coalescere rursus animi possent.* V. *Sic & rogare Ministerium, ut Senatus diligentem Ecclesiarum & Scholarum curam agat, & Ministerium benigne foveat.* Hic etiam de capsa quadam dictum est, in qua *Litteræ* quædam *Fundationis beneficiorum ad Templum S. Petri pertinentium* asservantur, & quæ arresto Senatus detinebatur, ut illam & litteras in ea contentas Domino *Joachimo* Pastori ad S. Petrum inspicere permittat Senatus. Postremo monuit Ministerium, *ut Senatus deordinationes adhuc usitatas ac præcipue larvatorum discursationes & irruptiones in domos nuptiales singulari studio abrogaret.* Respondit Senatus: *se gratias agere Ministerio pro bono Consilio, & petere, ut dies certus precum ab eo constituatur, placere etiam sibi, quod offerat se Ministerium ad conveniendos, & ad pacem, concordiam & obedientiam debitam Senatui hortandos cives 60; velle quoque se cedere civibus & actiones lenire quantum omnino fieri possit absque Reipublicæ incommodo; velle se etiam Scholarum & Ministerii rationem piam & diligentem semper habere, cistam quoque dictam velle se præsente* Domino Joachimo *inspicere: Rogare denique, ut si quid esset, quod in eis adhuc desideraremus, id placide significemus, curaturos se ut corrigatur, ita & ad bonum ordinem & disciplinam honestam pertinentia velle se constituere, & de larvatis & aliis rebus velle se proxima Dominica Edictum proponere.* Ac sic tum dimissi sumus.

Dies publicarum precum constitutus & Minist. cum delectu 60. civium colloquium.

§. 62. In sequenti conventu Ministerii pleno quod cum Senatu actum fuisset, relatum est illis etiam, qui tum abfuerant. His omnia probata fuerunt, estque deputatus proximæ septimanæ dies Mercurii ad diem publicarum precum in omnibus Templis cum hisce ceremoniis, ut *hora septima conveniretur in templa, & cantiones sacræ ac precationum canerentur: Postea concio inchoaretur hora 8. ejusque materia esset precatio ex c. 9. Dan. desumpta. Finita vero concione, Litania caneretur, & sic quisque ad operas suas rediret,* idque per duos ex Ministerio significatum est Senatui, qui approbavit hoc Ministerii institutum. Gravior autem in Ministerio deliberatio fuit, imo & disceptatio non exigua de modo agendi cum 60. civibus, quibus plerique in Ministerio adhuc favebant, licet illud eos aliquo modo offenderet, quod ante dies non multos virga satis magna & densa sellæ Consulum in Templo Mariano affixa fuerat supra eorum capita, quod ipsum sexagenariis nonnullis imputabatur. Conclusum vero tandem ab omnibus fuit, cum civibus colloquendum esse certa forma, quam scripto delineare jussus est *D. Simon*, & inde orationem ad eos habendam desumere, in qua ut rectius persisteret, ego ei proxime astare jussus sum, & suggerere ubi opus esset. Habitum est colloquium istud in choro templi S. Joannis, quo rogati erant convenire 60. cives, quod & fecerunt fere omnes. Summa orationis hæc fuit: *Senatum proximis diebus nobiscum fuisse de statu publico & difficultatem in gravissimis Reipublicæ negotiis, quæ nunc tractarentur, aliquo modo nobis aperuisse, & de sua voluntate ad pacem & salutem publicam conservandam & retinendam, quantum omnino fieri posset, prolixe se declarasse, & denique precibus nostris assiduis & ardentibus totam Rempublicam ac præsentia negotia commendasse. Nos itaque consilium dedisse, ut ante omnia ad DEUM ejusque auxilium confugeretur, atque ita cum Senatu conveniisse, ut dies publicarum precum indiceretur primo tempore. Quod ipsum illis quoque significaremus, ut quia ipsi altera pars negotia hæc jam tractantium essent, de hoc Consilio ejusque causa non ignorarent, & eo ardentius cum suis & nobis omnibus orarent.* Secundo, *quia intelligeremus Senatum pacis & concordiæ cupidum esse, & Consilia sua ad hunc finem dirigere, Nos quoque petere & monere, ut & ipsi, quantum omnino fieri possit, pacis causa largirentur nonnihil, atque actiones cum Senatu moderatione quadam temperarent, earumque finem principalem considerarent, ut scilicet Respublica ex maximis illis oneribus liberaretur, nisi eam perditam omnino velint.* Tertio, *quia in præsenti Senatus & civium dissidio fortasse in vulgo aliqui esse possent,* (quod tamen nollemus referri ad alios) *qui rebus novis & tumultibus studerent, & inconsiderate in Senatum convitia spargerent, nos hortari, ne ejusmodi hominibus ullo modo patrocinarentur, sed ut debitam erga Senatum velut Magistratum suum legitimum obedientiam, & reverentiam retinerent, aliis quoque ut idem secum facerent, hortatores essent.* Hic *D. Simon* quædam ex Historia *Davidis & Absolonis* aliisque Historiis miscuit in hunc quidem finem, ut ostenderet, in optimo etiam Magistratu reperiri aliquid posse, quod culparetur, propterea vero non esse spernendum Magistratum, & subtrahendam esse debitam obedientiam. Non habuit autem ille mandatum hujus rei a to-

to

to Miniſterio, & offenſos eſſe ſexagenarios hujus exempli allegatione, ſtatim patebit. In concluſione petitum, ut hæc omnia a nobis per D. *Simonem* propoſita in meliorem partem interpretarentur.

Reſponſum a civibus 60. datum Miniſterio.

§. 63. Reſponſum ab illis eſt per *Valentinum Nigeman: placere ſibi ſtudium Miniſterii, quod adhiberet in hoc negotio ad ſalutem publicam pertinente, ac gratias pro eo agere. Conſilium quoque Miniſterii de inſtituendo die publico precum ſe omnino probare, velle ſe etiam una cum Familiis ſuis ad preces illas frequentes convenire, ſed tamen ſe interim actiones ſuas cum Senatu continuare velle. Quod vero oſtenderet Senatus, ſe pacis cupidum eſſe, & conſilia actionesque ita moderari velle, ut ad optatum finem & concordiam perducerentur, illud quidem ſe optare, ut cum verbis iſtis facta congruerent, ſed longe aliud ſe hactenus expertos eſſe.* (Ibi longa narratione, quam neceſſitatem ſibi elicere dicebant, ſuam diligentiam, curam, laborem & fidem in actionibus ſuis hactenus præſtitam commemorarunt; e contra vero Senatus negligentiam, inconſtantiam & pervicaciam in retinenda ſemel concepta ſententia, moroſitatem quoque & acerbitatem, ac varias adverſus cives criminationes retulerunt & accuſarunt) *Quantum tamē ad ſe attineret, ita ſe hactenus omnia egiſſe, ut coram Deo, Principibus, tota plebe, & omnibus vicinis civitatibus rationem eorum reddere poſſint & libenter velint, largiri quoq; libenter velle omnia, quæ poſſint, pacis cauſa.* Poſtremo, *nolle ſe ullam ſeditionis cauſam præbere, nec ſeditioſos illos tueri, aut quærere ſuam hic utilitatem, neque etiam ſe quicquam contra Senatus regalia, dignitatem & jurisdictionem conari velle aut cupere. Petiiſſe vero aliquoties a Senatu totius plebis convocationem, ideo ut ſe coram ea excuſarent de multis criminationibus, quibus ſupra modum ab aliquibus gravarentur, atque hoc modo famam ſuam honeſtam defenderent, verum id impetrare nondum potuiſſe: Oſtendebant etiam, ſe nonnihil offenſos eſſe* allegatione exempli *Abſolonis.* Reſpondit *D. Simon breviter: noſtram intentionem in hoc colloquio eam eſſe, ut pacis & concordiæ ſuaſores ſimus, & ad eam amice ipſos moneamus. Excuſavit etiam ſe, quod pro ſua tantum perſona non ex communi mandato Exemplum* Abſolonis *allegaſſet, & oſtendit accommodationem. M. Georgius* quædam poſtea dixit *de Viſitatione*, quam ut urgerent apud Senatum monebat, & addidit, *Jus viſitandi ad Principes pertinere, qui Patroni eſſent omnium in hac urbe Templorum. Itaque abs que eorum conſenſu & Deputatis ſeu Commiſſariis fieri eam non poſſe ſuo judicio;* addidit & alia ſed ſine mandato Miniſterii. Et hic finis fuit ejus actionis.

Denunciatio diei publicarum precum & Edictorum quorundam promulgatio.

§. 64. Sequenti die Dominica præſtitit Senatus, quod petiverat Miniſterium & aliquot *Edicta* proponi ex omnibus Templorum Cathedris curavit *de variis deordinationibus, ut, de pueris tumultuantibus in Templis ſub concione, de civibus deambulantibus poſt chorum in Templo S. Virginis, de occludendis tabernis publicis & cellis vinariis diebus Dominicis usque ad horam 10, de intermittendis larvatorum diſcurſationibus & irruptionibus in domos nuptiales.*

Civium querelæ variæ ſacro ordini communicatæ

§. 65. Ad diem 19. Januar. petiverunt 60. Ciues colloquium cum Miniſterio, eaque de cauſa Miniſterium convenit in loco ſolito, quo & plures convenerunt. Propoſitum ab eis fuit, primo *de precationum die a Miniſterio & Senatu conſtituto, quod & ſibi minime diſpliceret, ſed tamen ſe id indicare nobis oportere, quod Senatus ea re abuti velit ad impediendas vel ſane retardandas ipſorum actiones & plebis convocationem. Nam cum eam pridie a Senatu petiviſſent, illum hac ſpecie recuſaſſe, quod preces publicae prius habendae & aliquoties repetendae eſſent, quaerere ſe igitur, an id quoque Miniſterium ſvaſiſſet? Denn es ließ ſich anſehen, als gieng es verfänglich zu. Praeterea non eſſe DEO praeſcribendum modum aut numerum dierum juxta hiſtoriam Judith, & ex aliis locis biblicis notum eſſe, dies precum non ex intervallo ſed continue in populo DEI fuiſſe habitos.* Secundo *quia Senatus convocare plebem nollet, & tamen ſua intereſſet maxime id fieri, cogi ſe ut rationes invenirent, quibus reliquos cives & totam plebem congregent, idque has duas propter cauſas: primo, ut actiones ſuas omnes plebi demonſtrent, & ſic exiſtimationem ac famam ſuam, quae multiplici modo falſis traductionibus violetur, defendant, deinde quia Senatus permiſſione Juriſcoſ. ſeu Oratorem huc vocaſſent, Lipſia, & vocationem hanc Litteris & Sigillis ſuis confirmaſſent, jam vero Senatus eandem irritam facere conaretur, & aliquoties illum ex urbe diſcedere juſſiſſet, oportere ſe & hanc rem ad plebem deferre, ne levitatis in non ſervandis pactis arguerentur. Quare ſe a nobis petere, ut ſequenti die, qui publicis precibus eſſet deſtinatus, inter precandum hac etiam forma uteremur:* "Daſs auch" der liebe GOTT, wenn die Ge-" meine zuſammen kommen werde," Gnade verleihen wolle, daſs ſie" was

"was Gutes und Nützliches ver-
"nehme.

Quid a Ministerio Eccles. ad easdem responsum fit.

§. 66. Ministerium habita deliberatione sic respondit, *nostram sententiam hactenus de uno tantum die precum habendo fuisse, si vero id de pluribus acceperit Senatus, id nos ignorare.* "Es sey aber der Bete-Tag
"nicht verfänglicher Meinung ver-
"ordnet, sondern aus Christlichem
"Gemüthe, und da es die Gelegen-
"heit und Noht erfordern würde,
"mehr Bete-Tage zu halten, wür-
"de man solches mit dem E. Raht
"bereden, und darnach öffentlich
"abkündigen, damit sie auch als
"Christen würden zu frieden seyn."
Deinde *quod ad civium seu totius plebis convocationem attineret, hortari nos, ne quid agerent ea re contra Senatus voluntatem, sed communi cum ipso consensu negotia sua agerent, quærerent pacem & concordiam, nec ullis motibus causam darent. Itaque prius orarent nobiscum ad DEUM diligenter, & postea de Negotiis illis ulterius deliberarent.* Tertio, *quia negotia controversa inter ipsos & Senatum mere politica essent, de quibus nostrum non esset judicare aut statuere, necessario nos protestari, quod quæcunque hactenus cum ipsis egissemus aut nunc etiam ageremus, ea neutri parti præjudicare debere, Nos enim tantum ad pacem & concordiam quærendam, & ad debitam Magistratui obedientiam præstandam eos hortari ratione officii nostri. De forma verborum in publicis precibus addenda juxta eorum petitionem,* respondimus: *Nos ea uti non posse justis de causis, velle nos in genere precari, sicut & hactenus factum esset, ut DEUS corda Senatus & civium ad concordiam flectere, Consiliis & Actionibus eorum adesse velit, ut omnia ad pacem & utilitatem publicam dirigantur.* Sic illi dimissi.

Ministerii de iisdem relatio ad Senatum, & horum ulterior deliberatio.

§. 67. Eodem die post meridiem, Coss. qui forte intellexerant, Sexagenarios cum Ministerio collocutos esse, D. *Simonem* M. *Flegium* & Me, accersiverunt in Graphæum. Scire illi volebant, quid inter nos actum esset. Ibi cum quædam referremus, ipsi graviter conquerebantur de civium contumacia obstinata, *nolle eos audire Senatus sententiam, sed pro suo lubitu omnia agere velle, compellere eos sæpe Senatum immodeste & probrose fere*, & similia; *dixisse pridie unum, quando Consul eos hortaretur, ne injussu Senatus convocarent plebem, velle se tamen, quod e re sua esset, agere.* Petiverunt etiam Coss. *ut non tantum unus sed plures dies publicarum precum octidui intervallo haberentur.* Respondimus, *de pluribus diebus precum referre Nos ad totum Ministerium oportere, cum Civibus nihil aliud a nobis actum fuisse, quam quod hortati eos essemus ad moderatas & pacificas cum Senatu actiones, & ad præstandum Senatui debitum honorem & obedientiam. Reliqua Politica ad nos nihil pertinere;* addidimus vero & illud, *quod cives valde conquerantur, se passim apud multos iniquis obtrectationibus deformari ac premi, ideoque necessario se apud plebem purgare, & suarum actionum rationem reddere oportere, ob quam causam & convocationem plebis urgeant. Svadere igitur nos & rogare bono animo, ut Senatus quamprimum 60. illos convocet, & sepositis omni acerbitate cum eis placide agat, suam voluntatem eis declaret, ostendat studia conjunctionis, & jubeat, ut sepositis omnibus odiis una secum salutem & pacem publicam quærant & tueantur. Omittat etiam odiosum illud nomen* ACCISÆ *aliquandiu, donec rursus coalescant animi, & Senatui redeat major auctoritas, tum enim forte minori labore eam rem confici posse.* Coss. viciſſim: *Tentasse Senatum omnes agendi modos cum civibus & quidem placidissime, sed nihil efficere potuisse, persistere eos in suo semper proposito, quod si successerit eis, perditam iri totam civitatem.* De censu cerevisiario nihil aliud responsum, quam *non facile alium posse modum inveniri colligendæ pecuniæ.* Inter alia *de Jurisc. seu Oratore 60. Civium* conquerebantur, *illum prorsus contra Senatus voluntatem vocatum & receptum esse cum stipendio 200. Thalerorum annuo & libera habitatione. Senatum in scribam solummodo concessisse, ea addita conditione, ut is juramento peculiari obstrictus esset Magistratui. Sed hunc Oratorem suum nolle cives, ut Senatui ullo modo obstrictus sit, id quod manifeste pugnet contra Senatus dignitatem, jus civitatis & omnium bonarum Rerumpublicarum consvetudinem.* Addiderunt insuper aliquid *de visitatione*, quid cives promitterent, se in ea apud Principes effecturos esse. Verum id se probare ideo non posse, quia repugnet jurisdictioni & privilegiis civitatis, nisi forte Ducis *ULRICI* tanquam Episcopi, consensus petatur. Instabant vero iterum postremo, *ut plures haberentur dies precum & sequenti Dominica id denunciaremus publice.* Nos rursus respondimus, *non posse id fieri absque aliorum Collegarum consensu*, & tamen, cum urgerent, diximus, nos his verbis uti velle:
"So

"So es auch die Noht und Gelegen-
"heit erfordern würde, und es ein
"Ehrbarer Raht und das Miniſteri-
"um für gut anſehen, daſs man in
"den nächſten Wochen noch ein oder
"zweymahl Bet-Tage halten ſollte,
"wird man es den nächſten Sontag
"abkündigen, denn wir GOTT
"kein Ziel und Maſſe eben auf dieſe
"Bitte uns zu helffen fürſchreiben
"ſollen, ſondern ſollen immer mit
"dem Gebet fleiſſig anhalten". Id tandem COSS. placuit. Quare ego & *M. Flegius* ſtatim *M. Georgium Richium* & Dominum *Joachimum Schröder* acceſſimus, & hoc Conſilium noſtrum illis ut Senioribus aperuimus, qui id probarunt, & ſe idem pro concione dicturos eſſe promittebant.

Dies publicarum precum primus d. 20. Jan. celebrandus, cui bini adhuc alii ſequente hebdomade addendi decernuntur.

§. 68. Porro dies precum habitus eſt, ſicut convenerat die Mercurii 20. Januarii. Ac convenit in omnibus Templis magna frequentia hominum & ceremoniæ concioque, uti conſtitutum erat, una cum litania peractæ. Biduo poſt Senatus iterum inſtitit, ut adhuc plures dies precum conſtituerentur idque propter magnas Reipublicæ difficultates. Viſum igitur eſt Miniſterio poſt aliquam diſceptationem, deputare ad eam rem diem & *Hiſtoriam converſionis Pauli*, quod futura die Lunæ Feſtum iſtud alioqui incideret, idque ſignificatum Senatui & ſequente Dominica publice denunciatum fuit. Ibi ſtatim petiit Senatus tertium quoque diem addi: Et ne 60. Cives in eam id partem interpretarentur, quaſi hoc modo actiones eorum cum Senatu impedire vel retardare vellent, non repugnare ſe, quin in eadem ſequente ſeptimana die Veneris, tertius & poſtremus ille Precum dies haberetur. Id quoque ad Senatus petitionem approbatum & pro materia concionis deputatus *Pſalm. 133. Ecce quam bonum & quam jucundum habitare Fratres in unum &c.* ut hac occaſione etiam gravior ad concordiam fieret exhortatio.

De Balth. Schmidt & Jo. Chryſow, qui a 60. Civibus ſeceſſionem fecerunt, & quomodo cum priore in confeſſione & abſolutione a Bacmeiſtero actum.

§. 69. Cum hæc agerentur *Balt. Schmidt* civis primarius, & reliquorum 60. Civium χοραγὸς in gravem morbum incidit, ideoque me ut Confeſſionarium ſuum ad ſe accerſivit, & pia Confeſſione edita abſolutionem & Cœnam Domini a me petivit, quam & impartivi ipſi. Ea de cauſa in ſequenti Miniſterii conventu actum eſt, & a me quæſitum, quo pacto cum ipſo in Confeſſione egiſſem, & tam ipſius quam meæ Conſcientiæ recte conſuluiſſem? Fuiſſe enim eum, ſicut alii Cives referrent, primum Autorem electionis 60. Civium & actionis eorum inſtitutæ cum Senatu, jam vero cum res ad ἀκμὴν deducta eſſet, ipſum deſeruiſſe cœteros, & immemorem eſſe præſtiti juramenti, quo ſe invicem illi obſtrinxiſſent. Hæc peccata an ipſi propoſuiſſem, & an de eis dignam ac ſeriam egiſſet me audiente pœnitentiam, quærebatur. Reſpondi: Edidiſſe eum apud me piam Confeſſionem de omnibus peccatis ſuis, & cum de negotiis 60. Civium a me interrogatus eſſet, ſe ita ſe declaraſſe, ut mihi tanquam homini & Miniſtro verbi ſatisfeciſſet. Cor vero me introſpicere non poſſe, nec mihi omnia conſtare, quæ cives illi hactenus inter ſe egiſſent, & quomodo, de quibus relinquerem Deo Judicium. Confeſſionis arcana me revelare non poſſe nec debere. Juramentum quale ſit, quo ſe invicem Cives obſtrinxerint, me ignorare, nec quantum ego ſcirem, licere hominibus privatis juramenta exigere, niſi ſoli Magiſtratui, & videndum eſſe, ne juramentum aliquod fiat, quod ſit contra pietatem, honeſtatem vel ipſa DEI præcepta, quia DEUS magis timendus ſit quam homines. Tandem poſt diſceptationem non levem placuit, ut, ſi convaleſceret ille *Baltazar Schmidt*, a me moneretur, ut cum 60. Civibus in gratiam rediret, & refutaret eorum objecta. Forte vero *Baltazar* inde conſternatus, & in dubitationem de fœdere illo & juramento 60. Civium conjectus fuit, quod in Colloquio Miniſterii cum Civibus in Choro Templi St. Johannis habito, cujus ſupra eſt facta mentio, ubi ipſe inter primos ſuperiorem fere locum tenuit, utroque cruce in terram hiſcentem lapſus erat, quod mali ominis eſſe videbatur. Et conjugem habebat ex *Kirchoviana familia*, matronam pietate, prudentia & aliis Virtutibus excellentem, a qua haud dubie ſubmonitus eſt, ut rectius conſideraret, quid tam ipſe quam cœteri Cives agerent. Nam & *Johann. Chryſow* quidam Civis mediocriter doctus a ſexagenariis ſe ſubtraxit, unde magnam ipſi litem intentarunt, & valde eum perſecuti ſunt, quare ad Miniſterii præſidium & opem ille transfugit. Circa idem tempus cum Bachanalia appropinquarent, & Magiſtri ac Studioſi quidam ad comœdias exhibendas ſe præpararent, Miniſterium re cognita duos ad Magnificum Rectorem ablegavit, qui peterent Studioſis ab eo interdici, ne illo tempore actiones iſtas proponerent, ſed differrent in aliud convenientius tempus, idque impetratum fuit, nam & Senatus idem petiverat propter præſentis temporis mœſtitiam.

De Jo. Kittelii filiolæ recens natæ baptizatione in Templo Jacobæo.

§. 70. *D. Johann Kittelius* Roſtochii huc usque manſerat, Principibus nihil amplius contra eum agentibus, docebat autem in Academia ſimul, & in Eccleſia, interdum tamen ſed rarius accedebat conventui Miniſterii, & de multis bonis rebus monebat. Cum vero conjux ejus filiolam circa id tempus peperiſſet, petivit eam in Templo Mariano baptizari, cui ipſe etiam in Miniſterio verbi inſerviret. Sed nec Templi Jacobæi miniſtri *M. Henricus Strevius* & *Caſpar Leunculus*, qui abſente *D. Simone* in aula domi erant, nec reliquum Miniſterium conſentire in eam rem voluit ſervandi ordinis cauſa in diſtinctione Parochiarum (habitabat enim *Kittelius* in domo theologica ad forum lupularium, quod vicinum eſt Templo Jacobæo). Atque ſic infans a *M. Strevio* babtizata fuit, nec quicquam inde offenſionis erga Miniſterium poſtea oſtendit *Kittelius*.

Conventus aliquot a civium delectu & tota etiam plebe non ſine tumultu peracti.

§. 71. Sexaginta Cives, quod ante minitati erant, & Miniſterio quoque ſignificarant, re ipſa fecerunt in fine Januarii. Convocarunt enim omnes opifices in Templum Marianum, & iterum die 3. Februarii plures ex plebe accerſiverunt, injuſſu Senatus imo & contra ejus voluntatem ſæpius declaratam. Dictum fuit, ibi conjuraſſe omnes, daſs ſie die Acciſe nimmermehr auf ſich nehmen wollten. Manſerunt una in Templo usque ad horam quintam veſpertinam, cumque ſponſi tum copulandi eſſent, vix impetrari potuit, ut illi cum Miniſtro verbi in Templum admitterentur. Propoſuerunt etiam Saxagenarii reliquis civibus, & ex charta prælegerunt articulos & rationes colligendæ pecuniæ, quas hactenus Senatui communicaſſent, ut cæteri de eis judicium ferrent. Rurſus convenerunt poſtridie in Templo injuſſu Senatus, atque una manſerunt usque ad tertiam pomeridianam. Magnus inconditæ plebis tumultus & clamor erat, ita ut in muſæo meo eum exaudire poſſem, & de variis capitibus inter ſe egerunt, ac tandem decem Cives ad Conſulem gubernantem ablegarunt, qui peterent convocationem totius plebis fieri absque diſcrimine. Coactus igitur fuit Senatus hac in parte eis morem gerere, atque die 5. Februarii poſt habitam concionem die Veneris & decantatas Litaniæ preces in Templo Mariano Cives a Senatu vocati frequentes convenerunt. Acceſſit vero eos Senatus totus, & hæc propoſuit in ſumma, ſie wollten die Acciſe fallen laſſen, weil ſie den Bürgern zuwider wäre, und den hunderſten Pfennig eingehen, auch auf Handel und Wandel etwas legen, darzu die Gemeine etliche aus ihrem Mittel erwählen ſollte, die neben etlichen des Rahts ſolches berahtſchlagen und ins Werck ſetzen ſollen, bäten auch um gütliche und friedliche Handlung. His auditis 60. Cives ſeorſim congreſſi inter ſe deliberarunt, alii & plerique primarii Cives atque opifices etiam ſeorſim. Hanc deliberationem quidam *Andreas Junckherr* Civis pannicida vilioris panni in platea Monachorum habitans, primipilaris inter ſexagenarios homo valde clamoſus & audax, tumultu excitato prorſus turbavit clamitans, num reliqui Cives a ſexagenariis ſeparare ſe vellent & Senatui conjungere, quod nequaquam ferendum eſſet. Unde tantus eſt motus exortus, ut Senatus accurrere cogeretur, eumque ſua autoritate compeſcere, & ſic præcipui & prudentiores Cives tacere & deliberationem ſuam intermittere coacti fuerunt, ſexaginta tamen modeſte reſpondiſſe Senatui dicebantur. Turbulentus vero ille, quem antea dixi *Andreas Junckherr* clamitans iterum juſſit eos cives, qui cum Senatu ſentirent, ad alteram Templi partem conſiſtere, eos autem qui cum ſexagenariis facerent, ad oppoſitum latus ſe conferre, ſic deliberatione rurſus inchoata quidam *Victor Herman Lepeler* conſpicatus *Johann. Chryſomen* in Templo, qui, ut non multo ante dixi, ex 60. Civium numero fuerat, hortatus eſt Cives, ne hominem illum inter ſe ferrent, proditorem & perjurum vocans. Hinc novus iterum tumultus eſt exortus, ac *Chryſovius* iſte hinc inde protruſus & pulſatus ad Senatum confugit, & ex janua Templi evaſit. Petiveram ego & Collegæ mei antea, quoniam primum in Templo Cives conveniebant, a Conſulibus, ne id fieri permitterent, propterea quod illa domus ſacra lotio & aliis ſordibus fœdaretur a tanta hominum multitudine & inſanis clamoribus ac convitiis in Senatum aliisque modis profanaretur; ſed reſponderunt illi, neceſſario id ferendum eſſe, nam ſi in curia magna conventus fierent, periculum eſſe, nonnullos, qui non ſtatim voluntati & inſtitutis ſexaginta Civium eisque adhærentis plebis aſſentirentur, ex feneſtris curiæ in forum præcipitari poſſe a furente turba, atque idem certo accidiſſet *Chryſovio*, ſi in curia conventus fuiſſet. Senatus videns motum magis magisque increſcere, ita ut nihil amplius agere poſſent, petiverunt deliberationem totam differri in futurum diem Mercurii, atque ita circa primam horam e Templo diſceſſerunt. Poſt diſceſſum Senatus Juriscos. ille ſeu Orator Civium, cujus antea memini, a Sexageneriis in Templum vocatus, & ad totam plebem adductus eſt eique commendatus. Hæc illum magna cum acclamatione & conſenſu excepit, promiſit ei defenſionem adverſus Senatum & fidem in ſtipendii conſtituti in ſingulos annos perſolutione, imo

& aug-

& augmento addendo; erat enim Vir liberali vultu, ſtaturæ procerioris, & facundia grata ac ſvavi, moribus etiam politicis ac elegantibus.

Novus conventus die X. Febr. in eodem Templo eodemque cum ſucceſſu habitus.

§. 72. Hoc conventu habito, ex quo apparuit, deteriora indies fieri omnia, COSS. a Miniſterio petiverunt, ut ſinguli ſuo loco ſequente Dominica, quæ erat Septuageſima, auditores ſuos hortarentur ad pacem & concordiam quærendam in futuro conventu & ad conſiderandam communis patriæ ſalutem, item ad faciendas diligentes ad DEUM preces, ut ipſe omnium corda Spiritu pacis regeret. Idque a plerisque factum eſt ſingulari zelo ac ſtudio, ut animi auditorum viderentur non parum moveri attenta auſcultatione, gemitu aliisque ſignis editis. Conſtituto die Mercurii, quæ fuit 10. Februarii, 60. Cives una cum reliqua plebe iterum in Templo Mariano poſt meridiem convenerunt, cum quidem ea die ingens tempeſtas eſſet, quæ videbatur aliquid mali Reipublicæ portendere. Valde tumultuatum eſt in Templo. Quid vero inter Senatum & Cives actum fuerit, non cognovi. Illud tamen intellexi, miſſos eſſe aliquot Cives ad *Johann. Gryſow*, qui nomine totius communitatis civium domi ſuæ eum includerent, & ſub gravi pœna egredi illum vetarent. Id quod ipſe indigniſſimè ferens promittere noluit, quia poteſtas illa penes plebem non eſſet, deinde alios fuiſſe miſſos in domum illam, in qua cenſus cereviſiarius colligebatur, ut ſeram quandam propriam arcæ appenderent, quæ eſſet civium, ne Senatus pecuniam niſi cum voluntate 60. Civium inde ſumere poſſet. Tertio electos eſſe in locum duorum, qui defecerant, *Baltazari Schmidt* & *Johann. Gryſowen*, duos alios, ut compleretur numerus Sexagenariorum, eosque eſſe *Berend Reder* & *Chriſtoffer Butzow*, qui cum nollent parere, mulcta 20. Thalerorum ſingulis indicta eſt.

Felicior paulo exitus fuit conventus d. 12. Febr. habiti, in quo oratoris civium Frid. Rot opera enituit.

§. 73. Biduo poſt nimirum 12. Februarii iterum convenerunt Senatus & Cives in Templo ac tum DEI beneficio inter eos ita convenit, ut centeſimam bonorum partem quisque penderet, & deinde ut cenſus ſingulis capitibus imponeretur, nimirum tres ſolidi lub. Commiſſum præterea eſt Senatui & 60. Civibus a tota plebe, ut intra 4. Septimanas de pluribus mediis colligendæ pecuniæ inter ſe agerent, ac convenirent. Egregiam in hoc conventu operam navaſſe dicebatur *Fridericus Rot Civium orator*, cujus ſupra memini, monens Cives ad concordiam & pacem, ac refutans contrarias quorundam Sententias turbulentiores, unde tandem non exiguam etiam apud ipſum Senatum gratiam reportavit. Pro hac igitur amica transactione ſequente Dominica publice DEO gratiæ actæ ſunt tam Senatus quam civium nomine.

Nuptiæ Joach. Flemings Rect. Scholæ Jacobææ demum consummandæ a variis urgentur.

§. 74. De Nuptiis *Joachimi Flemings Rectoris Scholæ Jacobææ*, cujus & ſupra eſt facta mentio, multum negotii hoc tempore fuit Miniſterio, maxime, cum valde urgerentur per *M. Georgium Richium* & *Princeps Ulricus* mandatum dediſſet *D. Conrado Beccero*, *qui tum Superintendens Eccleſiarum in Epiſcopatu Sverinenſi erat*, & Butzovii habitabat, ac *D. Davidi Chytræo*, ut cauſa tota cognita apud Miniſterium efficerent, ne Nuptiæ diutius differrentur. Id igitur dicti Commiſſarii Principis multis argumentis adductis a Miniſterio obtinuerunt, eſtque promiſſa copulatio ſponſorum poſt Paſcha etiam ad voluntatem Illuſtriſſ. Principis, cui gratificandum eſſe cenſuit Miniſterium. Et quamvis tam Commiſſarii quam Miniſtrorum aliquot diligenter cum *Cive Thoma Fullens*, qui Nuptias huc usque impediverat, egerunt, ut fieret inter *ipſum* & *Flemingium* certis & æquis conditionibus reconciliatio, tamen ea obtineri non potuit apud Thomam.

Concionum paſſionalium habendarum diverſis temporibus diverſum inſtitutum.

§. 75. *Conciones Paſſionis Domini* in quadrageſima habendæ eo tempore ita in Miniſterio diſtributæ ſunt, ut in qualibet Parochia Hiſtoria ab uno *Evangeliſta* deſcripta prælegeretur & explicaretur populo, atque ita in Templo Mariano conſtitutum eſt *Matthæi Hiſtoriam* eſſe proponendam, in aliis Templis alias ſecundum ordinem Evangeliſtarum. Id vero duravit ad annos non ita multos, actum rectius fieri viſum eſt Miniſterio, ſi in omnibus Templis Parochialibus & aliis Noſocomiorum integra *Paſſionis Chriſti Hiſtoria ex quatuor Evangeliſtis* per *D. Johann. Bugenhagium Pomeranum* concinnata Eccleſiæ proponeretur; In duobus vero Templis ad *Divam Virginem* & *S. Jacobum*, ubi binæ conciones intermedia ſeptimana uſitate habentur, placuit *Pſalm. XXII.* & *Cap. LIII. Eſaiæ* per vices explicari, ut conſenſus vaticiniorum propheticorum cum ipſa hiſtoria rectius a piis intelligatur. Ita hic mos adhuc obſervatur.

Novi iterum animi motus ob J. Chryſovium, quem ex cuſtodia ſua per Senatus ſalvum conductum liberatum noluit civium multitudo.

§. 76. Dictum paulo ante fuit, quo pacto Senatus cum civibus in nonnullis articulis controverſis amice convenerit, proque eo gratiæ DEO actæ ſint publice, ea vero conjunctio non diu duravit. Cum enim *Johann. Chryſow Civis ſupra dictus* indigne ferret, quod a Sexagenariis & alia plebe in cuſtodiam quaſi domus ſuæ incluſus eſſet, ne egrederetur, petiit ille a Senatu, ut in tutelam ejus ac fidem publicam reciperetur, cujus judicio ſe ſiſtere vellet & reſpon-

ſpondere coram eo ad cujusvis accuſationes. Idque cum obtinuiſſet, Senatus publice illud ex Cathedris ſignificari voluit: Daſs ein Ehrbarer Raht Johann Chryſowen auf ſeine Bitte in ein frey ſicher Geleit nehme, und einen jeden, der ihn zu beklagen hätte, gebührlichen Rechts wider ihn verhelffen wolle. Factum id eſt 21. Februarii in Bachanalibus. Hinc ergo iterum exacerbati ſunt animi 60. Civium & paucis poſt diebus Senatum convenientes, aperte eum reprehenderunt ob antedictam publicationem Salvi Conductus *Chryſovio* conceſſi, & allegarunt poteſtatem ac libertatem civium hac in re, quod licitum ei eſſet, quemcunque vel Conſulem vel Senatorem vel civem inique agentem, cum liberet, domui ſuæ includere oder einlegen, idque non tantum ex libertate plebis eſſe, ſed etiam ex conſvetudine, cum etiam proximis annis idem feciſſet communitas Civium in aliquot Conſules Senatores & Cives. Itaque ſe velle, ut Senatus nuperum mandatum ex Cathedris promulgatum publice revocaret. *Chryſovium* vero ſe iterum obſtringere domi ſuæ velle, ſi vero Senatus eum ulterius tueri per Salvum Conductum voluerit, aut ipſe inobediens erit, periculum fortaſſe ſecuturum, cujus culpam a ſe removere velint. Hæc per Oratorem ſuum acerbe propoſuerunt. Senatus e contra, dici & fieri contra Senatus jurisdictionem, eamque ſibi hoc modo eripi reſpondit, deinde contra omnia divina & humana jura eſſe, eum, qui ſe ad cognitionem cauſæ & judicio ſiſti ac judicatum ſolvere offerat, audire nolle: Imo & contra ipſorum 60. Civium litteras id fieri, ubi expreſſe dicatur, wer ſich zu recht erbeut, ſoll auch zu Recht geſtatet werden, & plura addidit alia. Sed hæc omnia non ſunt a Civibus accepta, verum eodem die miſſis ad *Chryſovium* aliquot domui eum ſuæ iterum obſtrinxerunt, & ſimul petiverunt ad futurum diem Martis convocari totam plebem a Senatu.

Quid a Miniſterio cum reliquis Senatus aſſeclis, itemque cum Sverino excommunicato ac Jo. Chryſovio h. t. actum ſit.

§. 77. Eodem tempore cum multi adhuc in urbe eſſent Papiſticis erroribus & ſuperſtitionibus dediti Viri & Matronæ & quidem ex primariis familiis, aliqui etiam ſupererant ſacrificuli, & inter hos quidam *Lantrider* dictus, qui Miſſas privatim nonnullis celebrabant, quod & Monachi ſuperſtites in Cœnobio S. Johannis & in Cœnobio Fratrum facere dicebantur; Ea de cauſa in conventu Miniſterii decretum eſt, ut Concionatores in ſingulis parochiis eos ad ſe accerſerent, vel ipſi in ædibus ſuis convenirent eos, & ex Verbo DEI rectius erudirent, & ſic ad eandem nobiſcum fidem ac Confeſſionem per Spiritus Sancti gratiam adducerent. Id ergo poſtea diligenter a ſingulis factum, & hac ratione non pauci converſi fuerunt. De obſtinatioribus ad Miniſterium relatum eſt, quo cum illi vocarentur, molliores fiebant, & ipſi ultro ad ſe accerſebant aliquem ex Miniſtris verbi, cum quo de *Doctrina*, *de Juſtificatione*, *de Bonis Operibus*, *de uſu Cœnæ Domini ſub utraque ſpecie* colloquebantur, & ſic paulatim melius informati plane ad nos accedebant. *Landriderii* & paucos alios ſacrificulos ferri oportebat aliquamdiu donec morerentur, quia indies autoritas eorum vileſcebat maxime *Landriderii*, qui homo ſordidus & maledicus erat, & Poëta videri volebat. *Sverinus* ille excommunicatus, ut ſupra dictum, ſæpe multumque proterve in tabernis contra Miniſterium & inprimis contra *D. Simonem* locutus fuit, & recens, quando obviam venit tribus Eccleſiæ Miniſtris ſimul euntibus in platea publica, ſingulari petulantia & contumacia per medium eorum irrupit. Hæc res cum nequaquam ferenda eſſet, viſum fuit Domino Coſ. qui gubernationi præeſſet, id ſignificare, ac petere, ut excommunicatum illum una cum ſcorto ſuo Senatus urbe expelleret, & Miniſterii defenſionem ſuſciperet. Idque quatuor ex Miniſterio injunctum eſt *D. Simoni*, *M. Lucæ Bacmeiſtero*, *M. Lucæ Randovio* & *Domino Joachimo Banſow*. Conſul his reſpondit, *ſe libenter ad Senatum has querelas deferre velle, ſed Senatum ex præſenti cum civibus diſſenſione & turbis publicis tanta mœſtitia affici, ut quid agat vel agere debeat, fere ignoret, & apparere, quaſi DEUS cor & Conſilia eripiat gubernatoribus, ut ſæpe non videant, quid facto opus ſit, idque propter peccata ſua & populi. Velle ſe tamen curare, ut petitioni noſtræ ſatisfiat.* Hæc a deputatis Miniſterio relata non parum ſingulos affecrunt. *Johannes Chryſom* iterum ædibus ſuis incluſus a civibus, uti paulo ante dictum, illibenter paruit. Quare alio Conſilio uſus, petiit ſe ad Cœnam Domini publice admitti ſequenti die Dominica, eaque de cauſa *M. Matthæum* ad ſe accerſivit, & Confeſſionem ſuam coram eo edidit, quam & ſcriptam exhibuit, ut ille Collegis ſuis eam monſtrare poſſet, in qua de controverſia ſua cum 60. Civibus ita ſe quoque declaravit, ut a Sacramento arceri non poſſet. *Nos* vero redeliberata ipſi per *M. Matthæum* reſpondimus, *rectius Eum facere, ſi a publico Sacramenti uſu adhuc abſtineret aliquandiu, idque propterea, ne cives hoc pacto, ſi præter ipſorum voluntatem domo egrederetur, magis irritaret, & Senatui ſubique*

bique majus odium conciliaret, existimaturos enim cives ipsum magis ostendendæ libertatis suæ causa quam studio pietatis ad Sacramentum accedere, nos quoque male audituros esse apud cives, quasi nobis de ea controversia sumeremus inter partes judicium, & præceptum divinum esse, ut ab omni specie mala caveamus; sic ergo in Consilio nostro ille acquievit, verum plura cum ipso negotia Collegis ad S. Mariam fuerunt satis molesta, quæ non opus est omnia hic referre. Die 5. Martii cœpta est fieri descriptio singulorum in omnibus ædibus capitum in tota civitate, sicut inter Senatum & plebem recens convenerat.

De Sepultura Jo. Langenfeld, qui ex melancholia ἀυθέχειρ factus erat.

§. 78. Paucis post diebus *Johann Langefeld civis antea bonus pius & honestus*, cum per aliquot septimanas luctatus fuisset cum gravissima tentatione de peccatorum suorum magnitudine & de ira DEI, in qua nihil ad eum erigendum & consolandum intermiserant omnes Ministri Ecclesiæ, tandem seipsum noctu strangulavit, somno aliquantum obrutis, qui eum observare debebant. De ejus sepultura in cœmiterio Templi S. Petri vel S. Catharinæ amici pathetice egerunt cum Ministerio sicut & cum Senatu. Sed ita inter utrumque ordinem convenit, ut corpus absque ullis ceremoniis juxta murum cœmiterii S. Gertrudis extra urbem sepeliretur. Quod & factum est, & in similibus casibus deinceps observatum.

Gesta cum aula Gustrovienſi in causa Academiæ aliisque.

§. 79. Etsi supra annotatum est, actionem de Academiæ negotiis inter Principes eorumque Professores & Senatum Rostochiensem feliciter confectam esse, tamen inciderunt postea plures controversiæ, de quibus nondum conveniri potuit. Itaque Principes subinde monuerunt Senatum, ut in illis etiam conficiendis progrederetur, revocaverunt etiam Legatos Rostochiensium antea sub conditione dimissos Gustrovium, nec a *D. Kittelio* gratia obtineri potuit, ut in Urbe & Ministerio maneret. Quæ res valde offendebant Senatum, & in diversas sententias trahebant. Vero non multo post intercessione Professorum Principum Legati illi captivi Consul & Senator dimissi sunt a Duce *Ulrico*, datis sex vadibus civibus Gustrovienſibus & addita promissione, se bona fide redituros istuc, si revocarentur, sic 23. Martii domum reversi sunt.

Sverini concubina quomodo publicæ Ecclesiæ disciplinæ se subjecerit?

§. 80. *Henrici Sverini excommunicati concubina* accessit Ministerium, est ostenso dolore animi ob turpem vitam hactenus actam petiit, se in gratiam recipi nec subjici anathemati. Propositum ei fuit, ut vere & ex animo doleret de admissis peccatis, *Sverinum* huc redeuntem ad se non reciperet, in Templo coram staret, cum publice denunciaretur illius pœnitentia & in gratiam receptio, & tum una cum aliis uteretur Sacramento Cœnæ Dominicæ. Ipsa promisit quidem cœtera se facturum *sed nimis durum sibi videri, in peculiari loco stare in Templo, & digito monstrari, sed tamen se deliberare secum velle*, & per *Pastorem Dominum Joachimum* respondere, habitabat enim in Parochia Petrina. Verum in sententia jam dicta Ministerium perseveravit, ac mulier ista huic paruit, & sic recepta est, nam & antea publice ejus mentio ex Cathedra S. Petri facta fuerat cum comminatione Anathematis, nisi quamprimum ageret pœnitentiam.

Decreta Ministerii, quomodo in sella confessionaria cum judicialiter litigantibus, it. rigorosis debitorum exactoribus agendum sit?

§. 81. In conventu Ministerii habito 26. Martii graves actiones tractatæ sunt, ac primum Quæstio illa agitata fuit, *utrum illi, qui contendunt in Judicio cum aliis, digne ad usum Cœnæ Dominicæ admitti possint, præsertim cum vix fieri queat, quia inter agendum contra adversarium aliquid Livoris in pectore gerant?* Responsum in hanc sententiam fuit: Christum non abrogare politias & politica judicia, quibus ad dijudicationem controversiarum & inquisitionem veritatis opus est, unde etiam homini Christiano in judicio agere licitum est. Quando igitur contendentes in judicio ad Cœnam Domini accedere volunt, prius illos monendos esse in confessione, ut, si fieri possit, admittant amicam transactionem. Ea vero si locum habere nequeat, hoc addendum, ut litigans consideret, ne de re levi contendat, sed de re ad bona, famam, vitam, vitæque commoda pro cujusque statu pertinente, quæ proprie ad cognitionem & decisionem Magistratus seu judicis referenda est: Secundo, ut suam conscientiam examinet, an justam habeat litigandi causam, ne quid injusti defendat contra conscientiam. Tertio, ut, quod justum est, juste persequatur secundum præceptum divinum absque propriæ vindictæ cupiditate, absque convitiis, absque dolo & fraude, acquiescat etiam in sententia legum & judicis, nec odium alat contra adversarium, & si fieri possit, de hoc etiam animo suo testetur coram adversario. In hisce articulis si admonitus a Pastore suo recte & pie responderit, admitti tamen conscientia poterit ad

Abſolutionem & Cœnam Domini. Quia tamen in omnibus hominibus tanta eſt naturæ depravatio, & in quibuscunque controverſiis & earum actionibus ſemper aliquid hæreat in corde livoris ſeu odii, nec illud eximi ſtatim poſſit, aut propterea damnari homines, cum corda ſolus DEUS introſpiciat, monendi ſunt eo diligentius in judicio negotia habentes, ne affectibus ſuis privatis indulgeant, vel verbis aut factis adverſarium lædant, & cum cauſa ſibi litem principaliter eſſe non cum perſona, ſicut uſitate dicitur, cogitent. In hac ipſa deliberatione etiam Creditorum facta eſt mentio, qui debita ſua ab aliis interdum ſeverius & iniquius exigunt, quo pacto cum illis agendum ſit, ſi noti fuerint, & ſic concluſum, eſſe quidem licitum petere debita a Debitoribus, ſed fieri id debere placide, & aliquantum moræ indulgendum his, qui indigentes ſunt, viciſſim vero juſtum eſſe, ut Debitor ſubmittat ſe erga Creditorem, & amice petat ſolutionis moram aliquam, ac poſtea ſatisfaciat. Quia autem multi reperiuntur malitioſi homines, qui cum pecuniam, cereviſiam, frumentum vel alias merces mutuo acceperunt, ex propoſito malo & fraude ſolutionem protrahunt, atque ita ipſi fiunt iniqui & injuſti, ſicut de hujusmodi hominibus Siracides quoque ſcribit Cap. 29. Tales igitur juſte etiam ad judicium deferuntur. Nec propterea Creditor a Sacramento arcendus eſt, cum peccatum non penes ipſum ſed penes alterum hæreat.

Diſſenſus inter D. Simon Paul & Ge. Richium de Officiis Magiſtratus erga cives & viciſſim.

§. 82. Mota etiam in hoc eodem conventu Quæſtio eſt de Senioribus opificum, die Older-Leute, qui contra mandatum Senatus gratificati fuerant 60. Civibus in convocandis collegis opificii ſui ad conventus plebis, quo ipſo videbantur juramentum ſuum Senatui præſtitum violaſſe. De hac Quæſtione reſpondit D. Simon Pauli, etſi rectius factum fuiſſet, ſi non conveniſſent cives invito Senatu, tamen quia Senatus convocationem plebis diu a ſexagenariis petitam ob graviſſ. cauſas maxime, ut de negotiis publicis ad plebem referrent, diutius diſtuliſſet, ideoque illi de Senatus voluntate & promiſſis dubitare cœpiſſent, poſſe aliquo modo factum illud opificum & 60. Civium excuſari, præſertim cum publica utilitas in tali Civium conventu verteretur, nec animo lædendi Magiſtratum aut motum vel ſeditionem aliquam concitandi conventus factus eſſet. Verum *M. Georgius Richius*, cujus proximum erat votum graviter admodum hanc quæſtionem ferens cum magna animi commotione ita dixit: Nihil aliud hac quæſtione agi, quam ut cives condemnentur, & Senatus defendatur, ſe vero ita judicare, quod tam civibus quam Senatui cura Reipublicæ incumberet, quam ſi Senatus negligeret, merito eam a civibus ſuſcipi, cumque juramentum a civibus non modo Senatui ſed etiam toti civitati eſſet præſtitum, hinc quoque ſequi, non ſolum quid Senatus mandaret, verum etiam quem tota civitas & plebs vellet, & e Republica eſſe judicaret, reſpiciendum ac ſequendum eſſe: Imo licere plebi abrogare Senatui ſuam poteſtatem & novum eligere, quando Senatus ſuum officium non faceret, ſicut & a plebe hic Senatus electus & conſtitutus eſſet, nec id ſolum ſed etiam ſuſpendi & ſupplicio affici Senatum poſſe a plebe, ſi deliquiſſet, denn der Gemeine eben ſo wohl die Seligkeit, Wohlfarth und Beſtes der Stadt und die Gerechtigkeit zu befördern befohlen wäre als dem Raht, eſſe etiam digniorem plebem quam Senatum, denn es wäre die Gemeine GOttes, & tamen omnia a plebe in corrigendo Magiſtratu ordine & legitime fieri debere, hoc videlicet modo: ſi Gloria DEI & ſalus publica a Magiſtratu neglecta quæreretur, ac promovetur a plebe; addidit præter hæc multa alia ſatis atrocia.

D. Pauli Sententiæ pro autoritate Magiſtratus firmanda aſſumunt Bacmeiſterus & alii quibus hinc Richius cedit.

§. 83. Huic orationi D. Simon Pauli & M. Lucas Bacmeiſterus ſtatim contradixerunt, oſtendentes Magiſtratum DEI non plebis ordinationem eſſe, nec conceſſum eſſe plebi de ſuo Magiſtratu etiam iniquo ſupplicium ſumere, aut ex ſua Eum voluntate deponere, & novum conſtituere, ſed preces pro Magiſtratibus mandari divinitus, item honorem & obedientiam in omnibus, quæ non pugnant cum Verbo DEI. Ferenda potius quæ-

quædam Magiſtratus vitia eſſe & negligentiam in officio quam præter mandatum & vocationem divinam e medio tollendum, nec Eccleſiam aut coetum DEI liberum eſſe a Magiſtratu, quod & Iſraëlitæ in deſerto Moſi objeciſſent nec excutere populum debere legitimi Magiſtratus ſui imperium. Longe etiam digniorem eſſe Magiſtratum velut caput reliquo corpore plebis, ſicut tota Scriptura Sacra docet. Alteram vero ſententiam M. Georgii non abſimilem eſſe ſententiæ ruſticorum ſeditioſorum, & ſi ea in vulgus ſpargatur, occaſionem ſeditioni variisque motibus ac manifeſtæ inobedientiæ adverſus Magiſtratum præbituram eſſe, & alia plura addita. Hinc ergo acris contentio inter nos exarſit, quæ ſæpius poſtea recurrit, indeque factum, ut ipſa Biblia Sacra in conventus Miniſterii a nonnullis adferrentur, & inde teſtimonia divina de Magiſtratu ac ſubditis ac de utrorumque officio & poteſtate producerentur. Ex hisce tamen collationibus mutuis rectius edoctus & mollitus aliquantum M. Georgius petiit ſibi ignoſci, & ſuam ſententiam alienam eſſe a ſeditione voluit, maxime cum & alii fratres eum hortarentur, ne ſententiam iſtam ſuam ante dictam retineret, neve eam publice pro concione aut alioqui ad vulgus vel cives quoscunque proferret.

D. Kittelius de gratia per Eliſabetham Principis conjugem impetranda fruſtra laborat.

§. 84. *De D. Kittelio* ſupra dictum eſt, Principes & inprimis Ducem *ULRICUM* in hac urbe & Miniſterio eum ferre nolle, ſvaſu igitur amicorum litteras ille dedit ſupplices *ad Duciſſam ELISABETHAM ULRICI conjugem*, ut ipſius interceſſione placaretur animus Principis: Sed nihil reſponſum ab ea fuit, niſi illud, *ſe non poſſe in ea re quicquam agere propter indignationem Principis adverſus Eum vehementer conceptam.*

Pœnitentia a Sverini concubina publice peracta.

§. 85. Concubina *Henrici Sverini* excommunicati, quæ petiverat a Miniſterio receptionem in gratiam, ſubjecit ſe tandem conditionibus ſibi propoſitis, & Die Viridium ſeu Jovis ante Paſcha publice denunciata eſt ejus pœnitentia, ac ſtatim poſtea ad Cœnam Domini in Templo S. Petri acceſſit.

Solennior dici paraſceves celebratio inſtituitur.

§. 86. De Die Paraſceves ſolenniter more die Dominicæ celebrando in memoriam Paſſionis & Mortis Domini noſtri JESU CHRISTI & concionibus eodem modo in ſingulis Templis habendis ſæpius antea actum fuerat in Miniſterio, ſed difficulter apud plebem id obtineri potuit, nam opifices mechanica ſua paſſim in urbe tractabant; conſtitutum ergo eſt, ut Dominica Palmarum graviter monerentur tam Magiſtratus quam Cives ex omnibus Cathedris, ut diem hunc ſolennem & feſtum haberent, ſepoſitis aliis operis domeſticis impedientibus auditum Verbi Divini: item ut duabus horis a ſeptima usque ad nonam hiſtoria Crucifixionis & Mortis CHRISTI explicaretur. Ita paulatim aſſvefacti ſunt homines noſtri ad hanc rem, licet multi in veteri more adhuc perſiſterent aliquamdiu.

De electione Rectoris Academiæ e numero Profeſſorum Ducalium.

§. 87. In ipſo feſto Paſchæ litteræ *ab Illuſtriſſ. Principibus allatæ ſunt ad Rectorem & Concilium Academiæ, quibus Mandatum fuit, ne alium Rectorem quam ex numero eorum Profeſſorum, qui a Celſ. eorum vocati ſunt, eligerent, neve ille, qui tum erat Rector (is D. Laurentius Kirchovius fuit) diutius in hoc officio permaneret, cum jam diu ultra ſolitum Rectoratus tempus Magiſtratui præfuiſſet. Quod ſi vero aliter fieret, ſeorſim Principes ſuis Profeſſoribus mandarunt, ut præmiſſa proteſtatione ipſi alium ex ſuo numero Rectorem eligerent, Eumque ſolenni ritu introducerent, idque Mandato & autoritate Principum omnibus Studioſis publice ſignificarent.* Id ergo *D. Simon & L. Johann Bocerus* Rectori indicarunt, adhibito Notario & teſtibus. Rector reſpondit, *ſe rem ad totum Concilium poſtridie referre velle.* Hæc vero res ad Senatum primo relata, deinde a Senatu ad cives, inter quos convenit, quod ſequenti die certi quid reſpondere vellent. Ideo Concilio tum habito etiam nonnulli ex Conſulibus & civibus interfuerunt, ubi etſi initio *D. Simon* quædam acerbius *in Senatum opprimere volentem Academiam* dixit, tamen poſtea reſponſum fuit, *nolle Concilium alium eligere Rectorem, niſi re compoſita, & ut componi controverſiæ omnes poſſint, velle Senatum proxima ſeptimana conventum civium indicere.*

Sverinus excommunicatus editis ſeriis pœnitentiæ ſignis publicam receptionem & abſolutionem impetrat.

§. 88. *Henricus Sverin* miles Superiori anno die 23. Auguſti publice excommunicatus in Templo S. Jacobi die 20. Apr. hujus anni coram Miniſterio comparuit, cum prius per aliquot cives ſe audiri, & ad reconciliationem admitti petiiſſet, adduxit ſecum præfectum militum *Tarlernum Bilden nobilem Danum*, cum multis aliis civibus & militibus, qui tamen prius conſenſum Miniſterii inquiſiverunt, an *Sverino* ipſis adeſſe liceret in hac cauſa tra-

Ela-

ctatione; id conceſſit Miniſterium, quandoquidem *Sverinus* receptionem in gratiam ſpectaret. „Ibi *Sverinus per Henricum Brand* „civem & inſtitorem ſignificavit de animo „ſuo reconciliationis cum Miniſterio & to„ta Eccleſia cupido, de voluntate item „ſua DEO & Miniſterio deinceps obtem„perandi, ac præterea remitti ſibi admiſ„ſa graviſſ. peccata ſua & in ſocietatem „Eccleſiæ ſe recipi rurſus propter Deum „petiit, ut conſcientiam liberam & pro„pitium Deum habere poſſet, præſertim „cum in militiam profecturus eſſet in Da„niam, ubi vita aſſidue mille periculis expoſita eſſet. His auditis ipſe etiam *Sverinus* de ſua Sententia *a D. Simone* interrogatus fuit, *an vere & ex animo doleret de admiſſis peccatis, an vere & ex animo peteret remiſſionem, an pie & chriſtiane deinceps vivere vellet, & inſuper graviſſime admonitus eſt, ut ſe hæc omnia agere & loqui coram ipſo Deo ſtatueret, cujus nos Miniſtri eſſemus, & cogitaret de conſcientia ſua inviolata ſervanda.* Ad hæc omnia categorice & affirmative & demiſſe reſpondit. Re igitur deliberata in Miniſterio hi articuli ipſi propoſiti fuerunt, quibus approbatis in gratiam reciperetur. Primo *ut ſcortum eo ipſo die a ſe dimitteret, nec ſe ei in poſterum conjungeret extra vinculum conjugii, quod tamen an admitti poſſet, tum nondum conſtituere voluit Miniſterium.* Hic ſtatim addidit *Sverinus, velle ſe Miniſterio obtemperare, & ſi ex hac militia incolumis reverteretur, in Uxorem ducere concubinam illam legitime, ac pie & chriſtiane cum ea vivere. Secundo, ut ad proximum diem Jovis publice ex Cathedra poſt concionem a D. Simone denunciatio receptionis fieret ipſo in Templo præſente, & in loco conſpicuo conſiſtente, ut tota Eccleſia videret vere Eum pœnitere, & nunc in ſocietatem Eccleſiæ receptum eſſe. Nam etſi vetus Eccleſia, & aliæ etiam bene conſtitutae Eccleſiæ hoc tempore pluribus & gravioribus ceremoniis in abſolutione & receptione excommunicatorum uterentur, ut ſcilicet flexis genibus ad aram a DEO & tota Eccleſia veniam peterent, tamen velle nos cum ipſo ἐπιεικείᾳ uti certis de cauſis. Tertio, ut ſequenti die Dominica ad Cœnam Domini in eodem Templo accederet, ſi ad illum usque diem hic maneret, ſin minus in Dania, quo militatum ibat, id quamprimum faceret. Poſtremo ut de Miniſterio & ſingulis in eo perſonis deinceps honeſte loqueretur, nec, ut hactenus fecerat, convitiis aut maledictis quenquam deformaret, & in vita honeſtus ac pius eſſet DEO juvante.* Hæc omnia ſe facturum ſancte promiſit, & dextera ſingulis data *propter DEUM condonari ſibi peccata & omnes offenſas petiit.* Sic ergo ſequenti die Jovis *D. Simon* nomine totius Miniſterii & Eccleſiæ *Sverinum* pœnitentem & præſentem recepit, & ab excommunicatione publice abſolvit, Forma ipſi a Miniſterio præſcripta.

Paſchaſius Warnemund. Parochus tentationibus eluctatus Roſtochii placide obiit.

§. 89. Supra dictum eſt de *Domino Paſchaſio Paſtore Warnemundenſi*, qui in graviſſimam incideret *tentationem de indignitate ſua*, qua cum diu conflictatus eſſet, tandem divina clementia & ad preces Eccleſiæ ac conſolationes Miniſtrorum in hac Eccleſia liberatus eſt, & edita pia confeſſione coram Domino *Jacobo Metzmacher Diacono ad S. Petrum* abſolutionem petiit, & Cœna Domini uſus eſt, ac ſequenti die, qui erat 22. Aprilis, circa veſperam pie & placide obiit *in ædibus Domini Joachimi Schröders Paſtoris ad S. Petrum*, Viribus enim plane exhauſtus erat diuturna ac graviſſima tentatione, ad quam etiam corporis morbus acceſſerat. Biduo poſt Corpus *Warnemundam*, ubi Paſtorem egerat, devectum eſt, ibique honorifice ſepultum.

Joſias Richii Georgii Filii poſt miſtra i Dania fata, incolumis de mum redit.

§. 90. *Joſias Richius M. Georgii Filius* juvenis eruditus, & Theologiæ Studiis deditus *ex Suecia* rediens, quo inquirendæ conditionis cauſa iverat, venit *Haſniam*, ubi forte imprudentius quædam *in Regem Daniæ* locutus & ad Regem delatus, carceri in turri Arcis incluſus fuit. Quare ad petitionem Parentis *D. David Chytræus & ego Lucas Bacmeiſterus* litteras dedimus ſæpius ad Viros in aula Regis eruditos, & præcipue *ad D. Hieronymum Thennerum Juris Doctorem & Conſiliarium aulicum*, Virum præſtantem & ſingulari gratia apud Regem valentem pro ipſius liberatione. Hujus ergo *THENNERI* præcipue interceſſione ex carcere dimiſſus huc rediit liber magno cum gaudio Parentis ſenis. Factum id eſt 29. Aprilis.

Flemingii nu ptiæ diu retardatæ demum celebrantur.

§. 91. *Joachim. Fleming*, cujus cum *Thoma Fullens Scoto* litis ſupra facta eſt mentio, qui *Thomas* nuptias ejus impedire cupiebat, tandem obtinuit a Miniſterio, ut publice cum ſponſa ſua in Templo divæ Virginis copularetur, *Scoto* tum *Wismariæ* abſente. Convivium nuptiale fuit in domo *M. Georgi Richii*, cui & aliqui ex Miniſterio interfuerunt, ita tandem illa quoque res finem habuit, quæ diu & varie exer-

exercuerat Ministerium, facta sunt hæ nuptiæ 26. Aprilis.

Conventus Senatus & Civium aliquot habentur, difficiles fortiuntur exitus.

§. 92. Cum sequenti die Senatus cives convocasset, ad tractationem negotii Academiæ, tantum Sexagenarii & pauci alii accesserunt ideoque nihil actum fuit in ea re. Verum civis quidam *Dietrich Meinefeld*, qui in Templo præsto erat, a sexaginta civibus obstringere se coactus fuit ad captivitatem domesticam, eo quod in cives illos acerbius quædam dixisset, & cantilenam quandam olim *Lubecæ* in tumultu illis 60. Civium factam quibusdam monstrasse ferebatur. Id vero Ministris Ecclesiæ ejus Templi indignum videbatur, *hoc modo scilicet ex Templo fieri velut carcerem.* Die 29. Aprilis iterum cives a Senatu convocati sunt, idque sub Juramento & certa mulcta præcipue propter negotium Academiæ. De quo cum proponeret Senatus, cives inprimis Sexagenarii de captivitate domestica *Chrysovii* & *Meinefelds* attulerunt, eamque a Senatu prius approbari voluerunt, imo & publice revocari Salvum Conductum, quem *Chrysovio* dedissent publico programmate, neque id solum, sed ut insuper plebi concederent plenam potestatem vel civem quemcunque vel Senatorem vel etiam Consulem pro suo arbitrio & judicio captivitate domestica obstringendi, si ejus rei causam haberent. Hæc cum Senatus negaret, *se unquam facere velle aut posse, Cives vicissim se in negotio Academiæ, quod tum Senatus proposuerat, & conficere cupiebat, quicquam agere aut statuere velle. Quin & claves omnium portarum urbis a Senatu postularunt, & 200. Cives ordinarunt, qui excubias agerent.* Ita tristis hujus conventus exitus fuit, & *60. Cives sibi potestatem claudendi & reserandi portas sumpserunt.* Portæ vero toto isto die fere ad vesperam usque clausæ fuerunt, sicut & pridie. Postridie 30. Aprilis iterum conventus civium fuit, & portæ civitatis clausæ sicut prioribus diebus. Hic rursus postulata civium repetita sunt, & acta res acerrime, ita etiam, ut *Fridericus Rot* Orator & Syndicus eorum, cujus supra facta est mentio, circa horam primam e Templo discederet, dicens, *se rem adeo iniquam nullo jure nitentem, quæ nec ullius civitatis bene constitutæ exemplum haberet, approbare, nec coram DEO nec coram omnibus bonis & prudentibus hominibus defendere posse, ideoque se suam conscientiam adhibere nolle amplius.* Quamvis autem aliquoties ipsum revocarent Sexagenarii, tamen redire noluit in Templum. Deliberatum ergo ab illis fuit & concluſum, ut *XXIV. ex civibus eligerent, qui una cum Senatu pristino eadem autoritate Rempublicam tractarent.* Hic vero cives alii prudentiores, intelligentes quorsum ea res evasura esset, se interposuerunt, & petierunt, rem eam differri usque ad futurum diem Martis, quo iterum conventus fieret. Interim agendum esse cum Senatu, & tentanda concordiæ ac pacis media. Id approbatum fuit a cœteris, & sic conventus circa 8. vespertinam dissolutus est.

Ministerii publicæ ad concordiam cohortationes.

§. 93 In sequenti Ministerii conventu de hisce turbis facta est mentio, & constitutum, ut preces a nobis sedulo fierent, & simul gravissimæ ad plebem admonitiones, ne seditionem quisquam moveret, aut seditiosis assentiretur, addita pœnæ divinæ comminatione & hoc modo quisque nostrum officii & conscientiæ suæ rationem haberet, ne, quod DEUS avertat, seditione mota nos etiam peccati illius participes fieremus.

A quo & nonnulli ex civium delectu seorsim officii admonentur.

§. 94. Sub initium Maii Mensis Concionatores nonnulli cum quibusdam ex 60. civibus seorsim collocuti sunt, monentes eos, ne extra metas transirent, & totam Rempublicam turbarent. (Id enim ut fieret, in Ministerio antea constitutum erat): Illi sic persvasi erant, quasi *nihil agerent reprehensione dignum, & hoc ad plebem pertinere, ut, si Magistratus culpabilis sit, plebs suo judicio & arbitrio omnem potestatem ei abroget.* Moniti etiam sunt aliqui de eo, quod *Theodoricum Meinefeld* in ipso Templo captivitate obstrinxissent, id quod alio in loco fieri debuisset. In eo petierunt sibi ignosci, *quod præcipitantius fecissent, velle se cavere, ne in posterum simile quid fieret.* Additæ etiam sunt commonefactiones, ut *cogitarent de pace & concordia restituenda, ne gravior foret seditio, nec inutilia aut non necessaria monerent, alioqui Ministerium actiones eorum probare non posse.*

Atque de cavenda templi profanatione in medium consulitur.

§. 95. In proximo conventu Ministerii *D. Simon Pauli* proposuit, multos cives pios & honestos conqueri de plurimorum in plebe, quando conventus civium in Templo haberetur, *immodestia, compotationibus, temulentia, clamoribus, convitiis, exsecrationibus.* Ideoque rogare, *ut Ministerium huic pessimæ rei remedium aliquod admonitionibus suis gravioribus inveniret.* Et quia ad proximum diem Martis videl. 4. Maii hora 6. iterum conventus civium indictus esset, de precibus esse cogitandum. Quare constitutum est, ut eo die in Templis di-

vi Jacobi & Nicolai hora 5. matutina concio fieret, ac subjungerentur preces Litaniæ, atque admonitiones gravissimæ fierent, *de modestia & temperantia in istis conventibus & maxime in sacro Templi loco*, quando sequenti die Dominico conciones in omnibus Templis haberentur, idque juxta formam præscriptam, qua singuli uterentur. Sic ergo ad constitutum diem 4. Maii conciones in dictis duobus Templis habitæ sunt hora 5. matutina. In Templo S. Jacobi frequens Senatus fuit. Post conciones & preces conventus civium inchoatus est, ad quem *Fridericus Rot* Orator eorum revocatus rursus accessit.

In conventu d. 4 Maii, quæ intercessiones a Ministerio factæ, & quid D. Röselero contigerit.

§. 96. Convenit & Ministerium hora 7. *Johann. Chrysow* litteris datis ad Ministerium petiit, *ut pro eo intercederet apud cives pro causa ipsius vel transactione vel legitimo juris processu componenda, atque ut interim sibi liceret in civitate & in suis ædibus tuto & sine periculo vivere.* Re deliberata constitutum fuit, ut tres ex Ministerio nimirum *M. Henricus Strevius*, *M. Matthæus Flegius*, & *Dominus Joachimus Banfov* ad cives accederent, & aliquibus ex illis evocatis ex Templo petitionem *Chrysovii* nomine Ministerii proponerent, & pro Eo intercederent, cum illo non videretur iniquum postulare, & nos afflicto imploranti Consilium & operam nostram succurrere debere indicaremus. Huic sententiæ solus *M. Georgius* adversabatur, qui rem hanc in sequentem diem differri voluit, ne occasio inde majoris mali oriretur, de quo ipse protestabatur. Cessit tamen Ministerii Sententiæ. Habuerunt etiam in mandatis ablegati, ut *cives hortarentur ad moderationem, in qua cogitarent magis de pacifica actione cum Senatu instituenda, & de salute publica, quam de suis articulis & sententia contra Senatum obstinate defendenda, utque largirentur aliquid publicæ tranquillitati, ne occasio daretur totam Rempublicam turbandi & evertendi.* Hæc ablegati evocatis ex Templo tribus civibus proposuerunt nomine Ministerii, qui benigne responderunt de *Chrysovio*, se *rem ad cæteros deferre velle, & propter Ministerii intercessionem cogitare de mediis ad compositionem litis illius necessariis.* De altero capite ostenderunt, *suam voluntatem eo tantum spectare, ut privilegium civium salvum maneret, sed contra Senatum & Rempublicam se nihil moliri.* In ipso vero conventu civium & Senatus nihil magnopere effectum est eo die, utraque parte suum jus acriter defendente, nec cives mediatores aliquid apud Senatum obtinere potuerunt. Gravibus ergo insectationibus prosciissus fuit Senatus, orante ipsorum Syndico, qui tamen postea se ad quosdam ex Senatu excusavit, quod jussa civium exequi cogeretur. Cum autem vesperi hora 7. conventus dissolveretur, omnes Cives ad forum unanimiter euntes *D. Röselerum* captivitate domestica, missis ad eum IV. civibus obstringere voluerunt. (habitabat enim in ea domo, ubi nunc est Pharmacopolium) Sed ipse *se civibus subjectum esse negans, verum Rectori & Academiæ*, obtemperare noluit, aut manum civibus dare, si quid vero contra *ipsum haberent, id legitimo ejus Magistratui Rectori Academiæ aut Episcopo Sverinensi proponendum esse, atque ibi se juri & Sententiæ pariturum esse.* Ita eo ipso vesperæ in forum exivit, & ibi cum aliis deambulavit, quare cives gravissime fuerunt offensi. Liberior ille quibusdam dictis in cives fuerat, & in hisce actionibus existimabatur præcipue civibus adversarii & retrahere quosdam ex Senatu, qno minus cum civibus convenirent. Ex hisce causis ita contra ipsum agebant. Quamvis a *M. Flegio* & me *Luca Bacmeistero* privatim moneretur, ut cederet civibus, & aliquid tribueret publicæ tranquilliati, ac domi se contineret, tamen ipse in sententia sua perstitit, & in variis passim locis conspectus est. Unde cives magis irritati, ejectionem ex urbe ei minitabantur.

In conventu etiam sequentis diei res nihilo melius procedunt.

§. 97. Sequenti die iterum cives convenerunt, & prius propositum rursus magna vehementia urserunt, & quia videbat Senatus nolle ipsis morem gerere, Sexagenarii litteras ad Principes Megapolenses & vicinas civitates scriptas publice toti plebi recitari curarunt, quibus si alia via uti cogerentur, sese apud illos excusarent, & causam demonstrarent, cur in Republica formam prioris gubernationis mutassent. Decreverunt enim 24. *Cives ex plebe delectos Senatui adjungere, ut eadem cum illo essent autoritate, & Rempublicam una nomine plebis administrarent.* Hic valde institit Senatus, ut sibi spatium deliberandi concederetur ad dies 14. Sed cum id impetrare non posset, res eo per cives quosdam deducta est, ut usque ad diem proximum Lunæ, qui esset 10. Maii, res tota differretur, & tum Senatus plane responderet. De *Chrysovio* vero nihil in hisce conventibus actum fuit.

Ministerii deliberationes de causa divortii aliisque publicis privatisque negotiis.

§. 98. In conventu proximo Ministerii cum quædam mulier deserta, cujus maritus desertor citatus publice erat, non compareret, ipsa cum civibus aliquot adjunctis petiit divortium sibi concedi, & alteri nu-

nubere. Habebat eo tempore *M. Conradus Pegelius* jus Officiale nomine Episcopi Sverinensis in sua potestate, & negotia matrimonialia cognoscebat & decidebat, sed minus recte, quia senex erat, nec plures sibi adjunctos habebat viros intelligentes. Deliberatum igitur ea de re fuit, & cum Senatu quoque postea actum. De Papistis quoque, quorum multi in civitate tum erant, actum est. Variæ hic fuerunt sententiæ, nonnullis exemplo *Pauli* cum illis agendum esse consentientibus, qui *Hymenæum, Philetum & Alexandrum* excommunicavit, & Satanæ tradidit, cum aliquoties moniti se non emendassent. Verum mitior sententia obtinuit, ut quisque in sua Parochia tales diligenter erudiret, & moneret ad fugienda idola & errores, cumque id bis terve factum esset, nec illi obtemperassent, vocandos esse ad totum Ministerium, & cum eis de Religione conferendum, ubi si comparere nollent, nec locum dare piis monitis & veræ Doctrinæ, tum deliberari posse, quid de illis statuendum sit. Et hoc modo plures in veram pietatis viam per DEI gratiam deducti sunt. Sic & de iis actum, qui manifestis & notoriis flagitiis essent dediti, ut & illi a suis Concionatoribus graviter ad agendam pœnitentiam monerentur. M. *Georgius Richius* in hoc conventu dixit: *Se habere in animo, quod proxima die Dominica aliquid de controversia Senatus & Civium pro Concione dicere vellet, & Civium partes tueri, quandoquidem sibi videretur, Cives æquum postulare, & juste cum Senatu agere. Id vero ne faceret, cæteri omnes ipsum obtestabantur, ideoque* acquievit Consilio nostro.

Nova ministerii pro Jo. Chrysovio apud Wismarienses agente intercessio.

§. 99. *Johann. Chrysow* iterum misit litteras ad Ministerium, petens, ut pro se apud Cives intercessio rursus fieret. Simul etiam litteras ad Sexagenarios & totam plebem istis adjunxit, una cum exemplo earundem, ut scire posset Ministerium, quid continerent. Voluit enim eas per nos civibus exhiberi. Summa erat, *se subjicere plebi ejusque judicio suam causam, seque in urbem rursus admitti dato Salvo Conductu petiit, excusavit quoque quod hinc iisset Wismariam propter negotia summe necessaria, & quod durius antea contra cives egisset, id ex ignorantia juris & Privilegiorum plebis factum fuisse, ac propterea se in gratiam recipi petiit.* Has litteras *D. Simon, M. Lucas Bacmeisterus, M. Strevius & M. Flegius* obtulerunt LX. Civibus, quibus & alii ex plebe conjuncti erant in Templo S. Johannis. Responsum nobis est: *Velle se rem ad totam plebem deferre, & quantum in se esset, ita causam ejus agere, ut intelligeremus nostram intercessionem pondus apud se habuisse.*

Conventus d. X. Maji in apertum tumultum erupit.

§. 100. Die 10. Maii, quæ Lunæ dies erat, & constituta Senatui a Civibus, ut diserte & categorice ad articulum proxime propositum de *jure plebis in domesticis custodiis* responderet, convenit tota plebs in Templo Virginis hora 9. Constituta erat pœna illis, qui non adessent, dextræ manus amputatio, aut mulcta 20. Thalerorum. Itaque omnes adfuerunt. Respondit autem Senatus, quem Cives ad se in Templum accersebant: *se propter multas & graves causas civibus assentiri non posse, & litteras confœderationis civitatum Vandalicarum, quibus & de hoc negotio seu Jure Magistratus & de subditorum motu contra Magistratum constitutiones factæ sunt, monstrarunt, a quibus sibi discedere non liceret.* Ibi Cives irritati circa horam 3. pomeridianam circiter 200. ad id deputati Graphæum obsiderunt, & in ipsum Senatus aditum nonnulli ex eis intrarunt, abigerunt etiam Ministros Senatus, & statim excubias quartæ civitatis parti indixerunt, ut cum armis suis ad horam 8. vespertinam præsto essent. Eo facto, primipilares 60. Civium *Michael Boldoan, Joachim Eggers* & alii armatos illos disposuerunt, ut quidam in Graphæo & ante illius fores, quidam ad omnes cœmiterii aditus, quidam in vicinis plateis, in foro & reliquis civitatis partibus excubarent. Hæc species circumsessi Senatus, & clara die armatorum in urbe passim tristissima fuit, ac multis bonis displicuit, sed paucorum

quorundam furore & impetu res gubernata fuit, qui tamen seditionem dici noluerunt. Senatus ab hora 6. matutina congregatus fuerat, nec quicquam cibi aut potus eo die sumserat. Tanta vero civium infimæ plebis, qui in Graphæo & ante ejus fores dispositi erant, sævitia & furor fuit, ut cibum ac potum Consulibus & Senatoribus ex domo eorum missum, illi ministris & ancillis vi auferrent, & cum ludibrio ac convitiis devorarent atque exhaurirent. Quod ego *Lucas Bacmeisterus* ex Musæo meo videns accersivi ad me *M. Matthæum Flegium*, atque idem ipsi significans petii, ut una mecum *Michaelem Boldoan* ducem populi conveniret super hac re. Illi igitur ad Nos in cœmiterium evocato, cum armis indutus esset, & lanceam militarem gestaret, indicavi eadem, quæ oculis meis cum magno animi dolore vidissem, & monui, ut & ipse & alii concives moderatius cum Senatu tanquam Magistratu suo agerent, & si omnino eum liberum hac vespera dimittere nolint, cibum tamen & potum jam quasi captivis permitterent, qui non negaretur etiam illis, qui delicta morti digna commisissent. Addidit quoque suam commonefactionem *M. Matthæus Michael* (qui Filius Consulis *Henrici Boldoan* jam defuncti erat, & Vir juvenis, ingeniosus, facundus & audacior, ac sororio suo Domino *Thoma Gerdes* t.t. Consuli ob hæreditatis litem valde infensus, & hinc etiam aliquo modo plerisque in Senatu:) initio excusabat hoc factum civium, *quod ad tuenda jura & privilegia plebis quasi necessitate quadam compulsi hoc modo contra Senatum agere cogerentur, cum nihil æqui in tot actionibus obtinere a Senatu potuissent, nec tamen ideo se seditiosos esse velle, & quod Magistratui jure deberetur, ea adimere. Posse etiam hac hora dimitti Senatum, si consentire in propositum articulum velit.* De altero deinde respondit: *sibi nihil constare, nec probare petulantiam illorum posse, qui hoc modo cibum & potum allatum Senatui abripuissent. Velle se igitur curare, ut ministri Senatus, qui adessent, nunciarent in singulorum ædibus, quo cibus & potus eis afferretur, ac prohibere, ne excubitores illum auferrent sub gravi pœna.* Ita tandem circa 10. vespertinam allato cibo ac potu aliquantum recreati sunt. Antea vero in toto Graphæo & ipso Senatus consessu scrutati sunt cives omnia promptuaria & receptacula, existimantes eos cibum ac potum jam paratum illic asservare, item an aditus vel exitus occulti in Graphæo essent. Pridie ejus diei Wismarienses Legati, quorum alter Consul erat Dominus *Dionysius Sager* Vir eruditus & magnæ autoritatis, alter Senator, huc venerant, ut intercederent apud cives, & ad motum, qui metuebatur sedandum huc venerant, cumque peterent a civibus, se admitti ad colloquium & audiri, fere cum ignominia a tumultuante & incondita plebe rejecti sunt.

Ministerii pr Chrysovio ir tercessio iterum frustra est.

§. 101. Fuit & Ministerii conventus hoc die propter *Chrysovium*, qui per litteras iterum petiit sui rationem haberi a Ministerio, & in hoc civium conventu peti responsum ad nostram intercessionem die 5. Maji propositam. Ablegati ergo sunt ad cives *M. Henricus Strevius*, *M. Matthæus Flegius* & Dominus *Joachimus Bansow*. Hi tale responsum retulerunt: *prius rem cum Senatu componendam esse, postea facile Chrysovii negotium transigi posse.*

Senatus in Graphæo pe totam noctem obsess detinetur; varia injuria afficitur.

§. 102. Senatus arctissima custodia tota hac nocte obsessus fuit, & circa matutinum tempus excubiæ permutatæ sunt. Quidam ex Consulibus & Senatoribus cum & senes essent & vestitui tenuius tunicas suas subductas pellibus sibi adferri curabant sub noctem, sed horum ministri & Conjuges eas adferrentes a Vigilibus & aliis nefariis hominibus aliquoties rejecti sunt, additis etiam ludibriis & convitiis, & vix tandem petentibus Dominis admissi. Atque sic omnes quotquot in conclavi erant Consules & Senatores per totam illam noctem partim in scamnis, partim in terra subjectis culcitris cubare coacti fuerunt cum ingenti mœstitia.

Quid die se quente a Legatis Wismarienſibus i-

§. 103. Sequenti die 11. Maji, qui dies Martis erat, in eodem statu res omnes in urbe fuerunt, aditusque omnes & pla-

emque Ministerio actum & pro Academia impetratum.

& plateæ circa Graphæum armatis obsessæ, Sexagenarii in Templo convenientes Mariano, IV. ex suo numero ad Legatos Wismarienses ablegarunt, eosque ad se accersiverunt, & quid peterent, audiverunt. Ministerium quoque in hac rerum miseria hora 9. convenit, & deliberavit de nostro in tali statu & seditiosa perturbatione ac Senatus oppressione officio. Hic etsi nonnulli priora Senatus peccata repetebant, & exaggerabant, ideoque justam hanc esse pœnam putabant, rursus tamen alii de hoc præsenti statu potissimum esse agendum, sentiebant, & deliberandum quid ad pacem & salutem publicam pertineret, ne seditio hæc magis invalesceret & progrederetur, quam tamen aliqui non esse veram seditionem existimabant. Itaque constitutum est, ut vel totum Ministerium, vel aliqui deputati post prandium accederent tam Senatum quam cives, & utrosque ad pacem & concordiam hortarentur, & simul ardenti precatione totam Rempublicam DEO commendandam esse. Sic ergo hora 11. iterum convenit Ministerium. Qua ipsa hora omnes Professores Principum ad Senatum & plebem in Templum convocati fuerunt, armatis adhuc in cœmiterio perseverantibus, per quos tam Senatus quam ipsi transiverunt. Ibi ergo Academiæ actio tota sicut inter utriusque partis deputatos confecta fuerat, approbata ab omnibus fuit in nomine Sanctæ Trinitatis. Postulatum vero fuit a Professoribus vicissim tam a Senatu, quam a tota plebe, ut curarent illi Bona arrestata civium Gustrovii & Legatorum obligationem Principi datam liberi dimitti absque ulla mulcta a Duce *Ulrico*, item D. *Kittelio* gratiam impetrare, ut in urbe hac manere & in pristinum locum suum restitui posset. Hæc omnia Professores se diligenter acturos esse promiserunt.

Post varias Wismarienſium & Ministerii intercessiones Senatus demum e custodia dimittitur.

§. 104. Concionatores vero tres a Ministerio ad Senatum & 60. Cives ablegati sunt, *M. Lucas Bacmeisterus*, *M. Matthæus* & Dominus *Joachimus Banſow*, qui si necessitas flagitaret, nec fieret Transactio, eos accederent, & utrinque ad pacem hortarentur. Etsi vero Wismarienses Legati diligenter iutercederent, aliquoties plebem in Templo convenientes, parum tamen efficere potuerunt. Tres igitur illi supra dicti Senatum in Graphæo accesserunt, eumque in summa mœstitia & dolore considentem repererunt. Summa Orationis eorum hæc fuit. *Ministerium cum magno animi dolore intueri præsentem miserum Reipublicae statum, & vere affici cura publicorum malorum, ideoque conventu habito deliberasse, quid Consilii vel auxilii in hisce malis adferre posset, eaque in re Senatui animum suum declarare. Verum quia negotia politica essent, nec ad se pertineret eorum judicium, nihil amplius se facere posse, quam ut pacem suadeant, & ad moderationem cives hortarentur. Feciſſe autem se jam ea in re suum officium* (Nam Dominus *Joachimus Schröder* & *M. Lucas Randow ad* cives ablegati erant) *& quid solum præterea agere possent, orare se & publice & privatim velle, ut DEUS autor pacis hæc mala leniat, & animos ad pacem flectat. Cumque omnium calamitatum origo esset peccatum, monere etiam Ministerium, ut Senatus consideratis peccatis suis prioribus vero animi dolore & gemitu se ad DEum converteret. Sic enim DEum iram suam aversurum, & misericordiæ recordaturum esse. Postremo petere Ministerium, ut quæcunque largiri omnino civibus posset Senatus, ea ob præsentem statum largiretur, & sui totiusque Reipubl. in hoc fervore civium rationem haberet. Nos vero ipsis officia & studia nostra polliceri.* Hæc oratio & Ministerii erga Senatum testificatio benigne accepta, & gratiæ actæ sunt. Petitum vero a nobis rursus fuit, *ut quia res quam cives peterent, magni momenti, & quidem talis esset, quae etiam ad vicinas civitates pertineret, & Legati Wismarienses rogasſent, ut saltem aliquot dierum dilationem Cives concederent Senatui, intra quos rem hanc cum vicinis Consiliis communicare posset: Id si per illos Legatos non impetraretur, nos ea de causa Sexagenarios conveniremus.* Cujus rei etsi deputati a Ministerio mandatum non haberent, tamen promiserunt operam suam, si ea necessaria esset in eo maxime, ut controversia pendente Senatus vadibus datis liber dimitteretur. Verum Wismarienſibus post diligentes actiones nihil aliud efficere valentibus, & quia ipsi plura a suis majoribus mandata non haberent, in hanc sententiam tandem illi una cum nostro Senatu iverunt, debere & oportere eum ista suscipere, quæ ad suam & totius civitatis salutem pertinerent. Atque ita Senatus civium postulatis tandem assensit, præsertim cum civium Orator etiam promisisset de hac mitigatione addenda transactionis formulæ, quod cum domesticæ custodiæ quis obstringendus esset, Senatus quoque consensum accedere debere. Itaque intra 5. & 6. vespertinam res composita fuit, ac Senatus liber dimissus, armatique omnes una cum civibus discesserunt quisque in domum suam, & sic tranquillitas restituta, quam ut DEUS ad longam posteritatem conservet, ex animo precandum est. Hæc

de Westphal. Monum. inedit. Rer. Germ.

fere ſumma eſt actorum in hoc triſtiſſimo tumultu, in quo multa valde impotenter & immodeſte ab hominibus infimæ ſortis geſta magno cum dolore animi plerique vidimus, illi inprimis, qui circa cœmiterium habitabamus.

Bacmeiſteri concio huc directa, & actiones iterum cum Papatus quibusdam reſiduis aſſeclis.

§. 105. Poſtridie, quæ 12. dies Maji erat, ego *Lucas Bacmeiſterus* concionem ordinariam habui ex *Pſalmo LXI. Exaudi DEUS deprecationem meam*, qui eſt precatio pro Magiſtratu & politiis & doctrina de veris & firmis præſidiis Regnorum & pii Magiſtratus. Concione finita inter preces hæc verba de præterito tumultu addidi præmeditatus: „Wir haben die nächſten Tage eine Thorheit begangen, und dieſer Stadt einen Schandflecken angehangen, den wir ſo bald nicht auslöſchen werden, GOTT wolle es uns gnadiglich vergeben, und ſeinen Zorn weiter von uns wenden. His verbis ſexaginta cives valde offenſi, qui, ut a bonis hominibus monebar, de me prorſus ejiciendo ex urbe cogitabant. Sed ego me divinæ protectioni commendavi, quæ etiam mihi adfuit. Sequentibus diebus cum Monialibus in Cœnobio Virginum egerunt primo *D. Simon*, *M. Lucas Bacmeiſterus* & *M. Matthæus* de quibusdam religionis noſtræ articulis, ut *de Juſtificatione*, *de Invocatione Sanctorum*, *de Dubitatione*, *de Sacramento Cœnæ Dominicæ*. Poſtea etiam Conſules & Senatores nonnulli, ut admitterent inſtitutionem Concionatorum ex Verbo DEI, & errores ſuos Papiſticos mutarent, easdem graviter monerunt. Parum vero effectum apud eas fuit, quæ a teneris annis in Papatu natæ & educatæ erant. Et ipſa *Domina*, quæ ex familia Roſtochienſi *Beſeliniorum* erat, ſuo exemplo iſtas magis confirmabat.

D. Chytræi profectio ad Principem Jo. Albertum.

§. 106. *D. David Chytræus* ad Ducem *Joh. ALBERTUM* profectus, impetravit aſſenſum Principis in cauſa Academiæ, item ut liceret D. *Kittelio* manere Roſtochii. Dux *Uhicus* peregre aberat eo tempore, in Holſatiam ad Regem Daniæ profectus.

De cura pauperum rectius gerenda & abuſibus quibusdam tollendis Miniſterii conſultationes.

§. 107. In conventibus Miniſterii actum fuit de *cura pauperum diligentius & rectius inſtituenda in Noſocomiis*, & de *Eleemoſynis pie & æqualiter diſtribuendis*, & ſimilibus rebus, item omnibus fratribus injunctum, ut *ſæpius pro concione monerent populum, ut liberalius quisque ſubveniat pauperibus*. Actum quoque de *conviviis opificum die Amt-Koſte*, quæ exhibentur ſociis ejusdem opificii, quoties novus aliquis Collega recipitur, eaque magno conſtant, & magnis comeſſationibus præbent occaſionem. Unde multi, qui opificia ſuſcipiunt, antequam Oeconomias inſtituunt, plane exhauriuntur, & multum æris alieni contrahunt, ex quo nunquam poſtea liberari poſſunt. Denique de *reliquis adhuc deordinationibus in feſto Pentecoſtes abrogandis* actum, cum attingeretur quasdam antiquas commeſſationes & conventus reſtituere velle. Delecti ergo ſunt ex Miniſterio *D. Simon*, *Dominus Joachimus Schröder*, & *M. Lucas Bacmeiſterus*, qui ſuper hiſce rebus Senatum convenirent, & peterent, ut inter Senatum & præfectos Opificum certa conſtitutio fieret de convivis iſtis & receptione novorum ſociorum. Item ut Senatus publico edicto deordinationes iſtas & profanationes Feſti Pentecoſtes prohiberet ſevere.

Actiones non unæ inter Aulam & Senatum Roſtochienſem.

§. 108. *D. Kittelius* per aliquot ſeptimanas Roſtochio abfuit Berolini. Interea ex Camera Spirenſi huc miſſi ſunt ad Senatum Articuli, quibus a Principe *Ulrico* accuſatus fuit *Kittelius*, & excuſatum, quod juſta de cauſa ex urbe diſcedere juſſus eſſet, & Senatui injunctum, ut Eum ſtatim dimitteret, idque cum factum non fuiſſet, Legatos Senatus & bona civium juſte etiam Guſtrovii detenta fuiſſe. Articuli erant LXIX. inter quos aliqui prorſus etiam damnabant Conventum Lunæburgenſem anni 1561, cui etiam *Kittelius* interfuerat; quidam *Edictum Lunæburgenſe* a circulo inferioris Saxoniæ contra Concionatores promulgatum, & ejectionem *D. Tilemanni Heshuſii* & reliquorum Miniſtrorum verbi ante annum ex urbe Magdeburga factam, omnino approbabant. Hinc cujusmodi ſint Aulicorum judicia de negotiis Religionis apparet.

Cives Senatum ad impplenda ſua deſideria cogunt.

§. 109. Die 21. Maji 60. Cives poſtularunt a Senatu confirmationem & obſignationem *Articuli ſeu formulæ* nuper inditæ *des neuen Bürger Brieffs* (ſic enim aliqui appellabant) minitabantur etiam totius plebis iterum convocationem, niſi voluntati eorum ſatisfaceret Senatus, ita quoque ut fateretur, *ſe deliberato conſilio & benevola cum voluntate ac placida & amica transactione Civibus hæc conceſſiſſe*. Sic ergo facere Senatus coactus fuit. Et quamvis Senatus tum pro aliquibus Concionatoribus ſtipendia, quæ ex ærario publico ad præteritum Paſchæ Feſtum habere debuerunt a Sexagenariis, qui claves ærarii in ſua poteſtate habebant, flagitaret, tamen nihil ad id reſpondere voluerunt, ſicut nec ad alia, quæ Senatus propoſuit.

Senatus Miniſterium ſuis partibus minus favere ſibi perſuaſum habet.

§. 110. Cum ſupra dicti illi tres de rebus illis videl. de *cura pauperum*, *de conviviis novorum opificum* & de *aliis deordinationibus in futuro feſto Pentecoſtes abrogandis* Senatum conveniſſent, ad illas qui-

quidem satis benigne respondit, sed inter alia de civium erga se contumacia & inobedientia graviter ad eos questus est, & reprehendit Ministros verbi, quod illi minus hanc contumaciam taxarent, quam officium eorum requireret, & quod viderentur probare proximum tumultum civium contra Magistratum suum, eo ipso quod nullus fere eorum hoc tantum delictum pro concione ostendisset populo, & taxasset. Unde etiam hæ voces quorundam audirentur, *oportere jam Senatum agere, quæ plebi placerent, cum & Concionatores plebi assentirentur, & motum istum suo silentio probarent.*

Senatus edictum de tribus capitibus.

§. 111. Hæc & similia multa tum pro & contra dicta fuerunt. Dominica Exaudi 23. Maji Senatus *Edictum* propositum est in omnibus Templis, 1. de *Anabaptistis & Sacramentariis in urbe proximis nundinis non ferendis 2. de comessationibus, saltationibus & tympanis intermittendis in Festo Pentecostes. 3. De bombardis noctu aut interdiu non explodendis in civitate.*

Kittelius in Daniam vocatus haud obsequitur.

§. 112. *D. Johann. Kittelius* jussu Regis Daniæ a Concionatore ejus Aulico Seniore *M. Paulo Noviomago* in Academiam Hafnienſem vocatus tum fuit, sed ipse gratiis actis pro clementissima Regis erga se affectione & vocatione excusavit se, quod acceptare eam nollet. Sic in eventum mihi *Lucæ Bacmeistero* Functio illa oblata est, quam ut acceptarem certa impedimenta prohibebant.

Chrysovius iterum Ministerii intercessionem effla-gitat: & Sundenses etiam frustra sunt in petita Franzii cujusdam ordinatione.

§. 113. *Johann. Chrysov* item per litterias institit apud Ministerium, ut negotium suum apud 60. Cives urgeremus, & de nostra voluntate ipsum scripto certiorem faceremus, quod hactenus factum non fuisset. Nos re deliberata gravibus de causis litteras ad eum dare non voluimus, sed de iis quæ hactenus acta essent a nobis, & de nostra voluntate conjugi ejus per M. *Lucam Bacmeisterum* & M. *Matthæum Flegium* significandum esse duximus, & ex superabundanti iterum quosdam convenire ejus nomine posse. Deinde quidam *Joh. Franzius* a Senatu Sundensi huc ad *D. Kittelium* litteras attulit, quibus petebatur illius ordinatio ad Ministerium Ecclesiasticum, ad quod ille a Senatu vocatus erat. Denegata vero ipsi ea fuit a toto etiam Ministerio, propter has causas: 1. *Quod officium ordinationis ad Superintendentem in eo Ducatu* D. Jacobum Rungium *pertineret.* Deinde, *quod illi, qui Patroni erant ejus Parochiæ, ad quam Johannes vocatus erat, Pastorem suum ejecerant invito* D. Rungio, *nec de causis ejus rei nobis constaret.* Denique, quod *hic* Johannes *antea Medicum egisset, eoque vitæ genere relicto ad Ecclesiasticum munus se daret, & levitatis aliorumque vitiorum a quibusdam in Ministerio argueretur.* Et sic ille hinc vacuus dimissus est.

Chrysovio de receptione demum promissa fiunt.

§. 114. Hi, qui nomine *Chrysovii* quosdam ex sexagenariis Ministerii nomine convenerant, responsum tulerunt: efficiendum esse, ut Chrysovius de sua sententia in hac re ad ipsos perscriberet, de eo etiam utrum consentiret cum cœteris civibus in eam, quæ nuper inter Senatum & cives constituta fuerat, formulam privilegii. De quo si certi ipsi essent, velle se rem ad plebem deferre, & efficere, ut reditus ei in civitatem concedatur.

Tractationes de unione Academiæ conciliandadenuo suscipiuntur.

§. 115. Professores Principum cum Senatu hisce diebus egerunt, ut & ipse & cives tansactionem Academicam nuper initam obsignarent. Senatus vero & cives id se facturos promittebant, si prius sibi litteræ Principum exhiberentur, quibus Bona civium Gustrovii arrestata absque compensatione dimitterentur, item litteræ obligatoriæ Cos. *Thomæ Gerdes* & Senatoris *Laurentii Breiden*, item *D. Georgii Kommeri* redderentur: Professores vero se litteras illas in promptu non habere dixerunt, nec Ducem *Ulricum* eas restituere velle ante confectam totam actionem, & receptos Professores suos in Concilium Academiæ, ideoque nihil tum impetrare illi potuerunt de obsignatione. Postridie vero in vigilia Pentecostes, tandem post longam actionem eo res reducta est, ut Senatus & cives quidam *formulam transactionis* obsignaverint, cum obligassent se Professores, quod *litteras antedictas omnes bona fide* a Duce Ulrico *quamprimum petere vellent, & tum eas Senatui tradere, quando in Concilium Academiæ collocati essent, & tota actio perfecta.* Sic ergo Fer. 2. Pentecostes *D. Chytræus* & *D. Clingius* Gustrovium ad Ducem *Ulricum* profecti litteras illas omnes sibi tradi impetrarunt.

Transactio hæc Academica d. 3. Jun. h. a. demum confecta; & quinam tum ex utraque parte Professores fuerint, ordoque in concilii confessu constitutus.

§. 116. Quare die 3. Junii quod felix & faustum ad longam posteritatem DEUS esse velit, in effectum deducta est transactio negotii Academici, & introducti Professores Illustrissimorum Principum in Concilium Academiæ, præsentibus duobus Cos. *Henrico Goldenis* & *Johanne von Heerforden* & civibus circiter 16. aut 20. Fuerunt autem Professores hi: *D. David Chytræus* & *D. Simon Pauli* Theologi, *D. Johann. Boukius* JCTUS, *D.*

Ger-

Gerhardus Nennius Medicus, *Joh. Tunnigæus* Philoſ. & Medicinæ D. Licent. *Joh. Bocerus* Poeſeos Profeſſor & Poeta Laureatus, *M. Arnoldus Burenius* Oratoriæ & Lic. *Bartholomæus Clingius* Dialecticæ & Rhetoricæ Profeſſor. Erant vero jam antea in Concilio nomine Senatus urbis D. *Laur. Kirchoſius* JCtus, qui ad ſesquiannum Rector Academiæ fuerat pendente controverſia de Academiæ recta conſtitutione, D. *Joh. Kittelius* Theologus, D. *Matth. Röſelerus* JCtus & Syndicus urbis, *M. Conr. Pegelius*, *M. Bernh. Menſingus*, *M. Johann. Poſſelius* & *M. Henr. Warenius*, Artium Profeſſores. Medico enim Senatus tum carebat etiam in ipſa fere urbe. Et quia *Kittelius* hinc diſcedere cogitabat, nec ex parte Ducis *Ulrici* in gratiam redire poterat, Senatus & cives me *Luc. Bacmeiſterum* in ejus locum ſubſtituerunt, cum & hactenus Profeſſoris munus in Academia ſuſtinuiſſem, & alius in promptu nondum eſſet. Atque ſic ego una cum Profeſſoribus Principum ex parte Reipubl. in Concilium receptus ſum, per Rectorem ſuus cuique locus attributus eſt, ita ut per vices ordinarentur ſeſſionis loca. Sic *Chytræus* ſupremum obtinuit locum, poſt Rectorem, Ego proximum, tertium D. *Simon* & ſic deinceps. Locis ordinatis Coſ. *Goldenitzius* Vir prudens & facundus orationem ad omnes habuit, qua poſt gratiarum actionem ad DEum pro felici transactione hortabatur eos, ut omnia in *Concilio* deinceps jux-
„ta *formulam Transactionis* ſeu *concordiæ*, ut
„nunc vocamus, agerentur, absque ullis affe-
„ctibus & partium ſtudio, ſed pie, placide
„& candide negotia omnia, quæ ad ſalutem
„Academiæ pertinerent tractarentur.

Quæ a Rectore Acad. propoſita & hinc detreta fuerint.

§. 117. Poſtea Rector D. *Kirchovius* hæc propoſuit: *1. de Juramento Concilii uſitato ab omnibus jam receptis præſtando. 2. de novi Rectoris electione. 3. de Apocha a Profeſſoribus Principum danda Senatui, de 800. aureis Rhenanis remittendis, quæ olim dos fuerat Academiæ a Senatu Roſtochienſi attributa.* (Id quo pacto ſe habeat, in *Formula Concordiæ* eſt expreſſum.) *4. de reddendis litteris obligatoriis Conſulis, Senatoris* & D. Kommeri, *de quibus antea aliquotics dictum.* Re deliberata Profeſſores Principum reſponderunt: *Juramentum Concilii hactenus uſitatum ſe approbare & præſtare velle; Rectorem novum eo ipſo tempore eligendum eſſe, quod ad proximum diem Lunæ renunciaretur publice; Apocham de 800. aureis ſe dare velle bona fide. Obligatorias vero litteras tum reddere velle, quando renunciatio Rectoris facta eſſet, tale enim ſe habere mandatum a Principe.* In hoc articulo illud medium inventum: *Rectori electo ſtatim jam tradi debere ſigillum Academiæ a præſenti Rectore*, ac tum *D. Boukium ſigillum Facultatis juridicæ, quod ipſe penes ſe ſatis longo tempore habuerat, tradere futuro Decano velle atque ita etiam litteras obligatorias omnes præſentibus Conſulibus exhibere.* Hoc modo omnia Dei beneficio amice transacta fuerunt, Juramentum quoque e veſtigio a Profeſſoribus Principum & a me una cum illis Concilio præſtitum. Ac tum ſtatim novus Rector conſentientibus omnium ſuffragiis electus eſt *D. David Chytræus*, cui ſimul ſigillum Academiæ tradidit *D. Laurentius Kirchhoff*, Promotor ei adjunctus eſt *D. Matthæus Röſlerus.* Poſtea a Conſulibus nomine Senatus gravis exhortatio facta eſt ad omnes Conſiliarios, ut inter ſe pacem & concordiam tuerentur, & ſi quando operam ipſorum Senatus vel Respublica in dubiis rebus vel arduis requireret, faciles ſe exhiberent. Idem cives petierunt quoque per ſuum Oratorem. Reſponſum redditum qua decuit humanitate & benevolentia. Deinde etiam hoc addiderunt Coſ. & Cives, *quia adhuc in numero Profeſſorum Senatus aliqui deeſſent, iis vocatis & advenientibus locum patere debere.* Idem & Profeſſores Principum exceperunt, inter quos unus JCtus adhuc deſiderabatur. Hoc modo diu exoptatus finis actioni & negotio Academiæ impoſitus fuit, pro quo ſummæ gratiæ DEO debentur, & optandum, ut tota hæc actio & conjunctio ad gloriam nominis divini cedat, ac ſalutaris ſit Academiæ & Reipublicæ.

David. Chytræi novi Rectoris renunciatio & inauguratio.

§. 118. Die 7. Junii Renunciatio novi *D. Chytræi* Rectoris ſolenni ritu & inſigni pompa facta eſt. Rector inſignem & dulciſſimam *Orationem* habuit de *Academiarum origine, conſervatione, uſu & diſciplina ſcholaſtica.* Interfuit actui Baro quidam auſtriacus Dominus *Joachimus von Landaw*, qui tum forte hac ibat in Daniam Legatus *Ferdinandi* Imperatoris. Poſt renunciationem Rector ſplendidum convivium inſtituit, ad quod omnes Profeſſores etiam dictum Baronem invitaverat. Hanc de *Academiæ Roſtochienſis Reformatione, ſeu nova conſtitutione Hiſtoriam* hiſce Actis inſerendam eſſe putavi, quod hactenus pia inter Academiam & Miniſterium Eccleſiaſticum conjunctio ſemper fuerit, & omnes Miniſtri in rebus politicis Academiæ & Rectoris jurisdictionem agnoſcant.

XX. De

XX
DE
REBUS HOLSATORUM VICINARUMQVE
GENTIUM PRÆCLARE GESTIS,
LIBRI IV.
SEU
FOETUS ET PIGNUS
CARISSIMUM
CORNELII HAMSFORTII JUNIORIS
ANNO clɔ Iɔ LXXIX
INEUNTE AUTUMNO.

IN tenebris noſtræ & denſa caligine mentis
Cum nihil eſt toto pectore conſilii;
Turbati erigimus DEUS ad te limina cordis
Noſtra tuamque fides ſolius orat opem.
Tu rege conſiliis actus, Pater optime, noſtros,
Noſtrum opus & laudi ſerviat omne tuæ.

LEGENTIBUS SALUTEM.

Cur telam hiſtoricam non pertexuerit autor?

HAnc hiſtoriolam non quidem ut oportuit, & ut facturus ſum, ſi mihi a Deo Optimo Maximo vita concedatur, ipſius Numinis benevolentia ad finem & perorationem, quam præfatiuncula ad Triadem divinam pro Reipub. conſervatione & ſtatus decoram eſſe volebam, perduxi. Id factum eſt aliis ſtudiis gravioribus, quæ de pane lucrando fiunt, impedientibus & negotiis. Quid vero hoc opuſculum meum ſatis nimiumque rude (excultius potui reddere nactus temporis occaſionem) contineat, legentibus palam erit.

Summa libri.

Continet vero res Holſatorum cum Ditmarſis geſtas; bellaque Ditmarſica quæ fuerint, ſtrages cladesque internecinæ loquuntur & innumeri Ditmarſorum de noſtratibus triumphi, teſtantur & annales; nec plura. Quare cum hoc opellum bella Ditmarſica & Holſatorum res præclare geſtas habeat, exceptis Vagriis, quorum tantum mentio eſt, & Sleſvicenſibus: nam de his animus non fuit, qui ſi voluiſſet, ſeriem epiſcoporum Lubecenſium & hujus civitatis acta ex Bonno, atque Catalogum Sleſvicenſium Pontificum & Ducum enumeraſſet. Difficile id fieri in tanta rerum inopia, cum de propoſito ſatis laboris & penuriæ eſſet. Cum igitur ad hoc appulerim totum me, de quo orta eſt narratio, decrevi titulum hunc inſcribi diſtinctum per libros: *De bellis Ditmarſicis & rebus Holſatorum præclare geſtis*, quæ non ſolum de Holſatis & Ditmarſis eſt, ſed etiam geſtis vicinarum gentium mentionem faciat. Quo in argumento & inopia temporis & materiæ gravitas plura prohibuerunt. Quare ſeriem Epiſcoporum Bremenſium poſuerim, prologus declarabit, cum Ditmarſi titulotenus horum imperium confeſſi ſint, ne de vicinia dicam. Incepi hoc opelium, ut & alia, ſed eo non eſt perventum, ut volui; deſiderantur multa, ut quæ poſt fatum Johannis Danorum Regis: dum enim ipſius obitum, ſtaturam, quadratam faciem, habitum corporis, ingenium, mores, virtutes & vitia aggredior, ſicut & de aliis conſuevi; finis ſcribendi imponitur non opinanti: nam mihi diſcedendum fuit Wittebergam in patriam. Hujus mores depinxit Parvus fol. 9. 9. Sequuntur, quæ ſunt omiſſa acta ſub Chriſtiano II. Rege. (*a*) Hic conventum egit Flensburgi, & feudum poſtulat, ducit Eliſabetham Caroli V. ſororem, ſequitur bellum Sueonicum Duce Ottone Crumpio contra Stenonem Sturam interregem; quo occiſo ſuccedit Thuro Jonæ F. deinde bellum Lubecenſe, rebellio Sueonum, actio Holſatica ad Libenſium amnem & Bordesholmum 1522. defectio Cimbrorum, fuga Chriſtiani II. tragœdia & martyrium Henrici Molleri Zutphanii, quam hiſtoriam compoſui & operi addidi. Deſignatur Johannes ſenior, ſed poſt Fridericus pater Rex fit; Dania occupatur duce Johanne Ranzovio, profligatis & devictis Norbio & Ottone Stiſio. Chriſtianus II. ad Albim venit; evangelium in maritimis propagatur per Johannem Bugenhagium: *capitur* Nicolaus Cniphoſius ab Hamburgenſibus & gladio feritur; Chriſtianus II. in Norvegiam venit naufragus & capitur inſidiis Canuti Guldenſtern epiſcopi electi Othonienſis: mors Friderici Regis; ejus mores & comparatio cum Chriſtiano II. conatus Chriſtophori Oldenburgii & Alberti Megapolei (*b*) & aliorum Danorum & Lubecenſium: bellum Chriſtiani

Ratio tituli operi inditi.

Cur catalogus epiſcoporum Bremenſium operi inſertus.

Defectus & in opere hoc deſiderandorum cauſa.

Friderici I. mors Ao. 1534.

Ao. 1517.

Ao. 1524.

Ao. 1525.

(*a*) Qui patri Johanni, mortuo a. 1513 ſucceſſit.

(*b*) In occupanda Dania a. 1535.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ni III. contra Lubecenſes duce Johanne Ranzovio confectum; (a) Chriſtiani III. inauguratio facta a Bugenhagio; depoſitio Epiſcoporum, Lutheraniſmi inductio. Hunc Chriſtianum Ditmarſi principem dicunt tutelarem. Sequuntur & alia, ut diviſio Holſatiæ inter fratres. Vibo Petri filius Ditmarſus, propter rapta ſua bona coram XLVIII. viris cum cauſa cecidiſſet, patriam incendit; ſed Ditmarſi eum in Hilgelandia occidunt & inſulam vaſtant. Adolfi morum deſcriptio & Johannis ſenioris, eorumque comparatio. De Sophia regina; de Friderico epiſcopo morienti; de Johanne Ranzovio & Hinrico vicario filio ſuo; de Georgio pontifice Bremenſi, qui fratri Chriſtophoro ſucceſſerat. Mors Chriſtiani III. Regis, mores & virtutes, pompa funebris. Bellum Ditmarſicum & hujus gentis ſubjugatio. Friderici II. regis inauguratio, pompa. Mors Guſtavi regis ſuccedente Erico XIV. bellum Sueonicum, quibus ducibus & amiraldis geſtum. Anno Chriſti 1565. Imp. Maximilianus II. confirmat ſtatuta Principum; de Ditmarſis præſentibus oratoribus Georgio Lorichio & Valentino Heydo. Ao. 1566. capitur grex piratarum a Brodero Tacio Huſenſi. 1568. in Ditmarſia conſules præfectosque ordinant principes, quæ omnia ex chronologia vel potius indice patebunt, ubi plane perſpicuum fit, quem ordinem ſimus ingreſſi. *Series annorum cur omiſſa.* Series autem annorum omiſſa, quia ad marginem adſcribenda obſervatio Sleidani modo: quo quidem conſilio adhuc ſuperſedere nolui autoribus inter ſe diſcrepantibus, ut in hoc exemplo palam eſt; cetera judicio legentis committo. *Diſſidia biſtoricorum de clade Danorum in Borubovede.* Cranzius annum habet 1227., quo Lubecenſibus contra Danos Waldemarumque II. victoria ſtetit. Bonnus 1226. annales Holſatici annum 1236. (b) calendarium ſanctorum Saxonicum 1229. & alii multi, quos legi, 1228. Cum autem tanta ſit diverſitas in annotatione annorum, mirum non eſt, ut hi omittantur. Sunt & alia autorum errata, quæ ſilentio committenda potius, quam eliminanda. Utinam ille Petrejus, qui Holſatorum annales condidit, ut tuto eum ſequi potuiſſem, dediſſet librum, quem tamen obiter inſpexi: qui ſi ſemper fuiſſet ad manus illiusque ſcriptum memoriæ mihi tradendum, autoris carentia non eſſet, non ita contracta dixiſſem; protuliſſem copioſiora, lucidiora, majora. *Hiſtorici, quibus autor uſus eſt.* Ex quibus autem conflavi opellum autoribus hi ſunt: ſacræ literæ, Beroſus Chaldæus, Plinius, Tacitus, Plutarchus; Peucerus, Joh. Petrejus, Cranzius, Saxo Roſchildenſis præpoſitus, Fabricus, Lutherus, Virgilius Polydorus, Spalatinus, Sarcerius, Adam Trazigerus, Johannes Longus Fionus, Petrus Parvus, P. Comineus Argentonus, Chytræus, quorum nonnullos mentione attingo. *Alia autorvis opuſcula.* Ex his & aliis majora exorſus, de rebus geſtis videlicet, de Regibus Danorum (quam hiſtoriam ex literis & privilegiis eccleſiæ Othonienſis deſumpſi, nactus epiſcoporum Othonienſium & Roſchildenſium catalogum & Danicam brevem chronologiam & hiſtoriæ a Chriſtophoro III. Bavaro initium ſumentes) ſynopſin. Ne dicam de locis hiſtoricis per annos diſtinctis, ſed oborto negotiorum vento ſcribendi navigationem abſolvere non potui & felicem attingere portum, niſi Deus O. M. voluerit, cui tribuendum omne, quod bonum eſt & habemus. Cuſtodi nos Deus ab amicis minus amicis; aſcendunt montes, deſcendunt campi; de mane luctus, de veſperi lætitia. Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum.

Cornelius de Hamsfort profecturus in Italiam ſcripſit ad ſui memoriam Lectoribus de ſuo conſilio, ut conſervent ei libellum hunc ut ſuum fœtum & carum pignus.

INGRESSUS.

Cauſa, que autorem ad ſcribendum impulit. IMpetus non fert animi, qui, ob ſtudii amorem ſingularem muſici, otium, ſequi neſcit, quin quietum & literis deditum ad argumentum non ſolum elegantia pura, latina & perpetua ſcribendi materia dignum, ſed nobis etiam ipſis aptum, & aliis legentibus gratum, hortetur; ut fere ea ſunt, quæ rerum actarum ſeriem exponunt. Eam ob cauſam de diſcordiis & inimicitiis, quas Holſati cum Ditmarſis gente Martia habuere, ſcribam, quia iſta bella extremis periculis ſunt ab utrisque geſta. Priusquam iſtas turbas expediam, res gentis utriusque dicturus ſum, intermiſſo exordio. De Petroculis, de quibus Saxones, ut nonnulli volunt, deſcendunt, & Saxonum coloniæ Ditmarſi, quorum hiſtoriam & Cranzius autor gravis omnino fabuloſam ſibi eſſe perſuader. *Saxonum origo de Petroc. incerta.* Cujus facies eſt de Petroculo fugato e Cilicia ab Alexandro Macedone Orientis Imperatore, quem Cilicem, ejusque defuncti reliquias copiarum in hanc oram ad pelagus Balthicum duxiſſe colonias, ſequutos & alios ductores Angriam & Angliam impleviſſe. Sunt, de eorum reliquiis, qui memoriæ prodiderunt, occupatam Thuringiam ſobolemque Gothorum cujusdam principis Saxonum vafra calliditate: Stadium conditum oppidum & Hadelos devictos. Hæc ſunt de Petroculis, qui Saxoniæ vocabulum dedere. De Hengiſto & Horſto hiſtoria melior eſt & veritati reſpondens, qui cum Anglis gente Saxonica profecti Britanniam ob inteſtina bella, quibus tota Britannia laborabat, Anglicum regnum condidere; de origine Anglorum varia oritur diſputatio; alii hanc gentem ducunt de Angrivariis, alii ſequuntur conjecturas. *Hiſtoria de Hengiſto & Horſto certior.* Vir clariſſimus & apud

(a) A. 1559. in quo fuere Dux ſummus Adolphus, Fridericus electus Princeps, Johannes ſenior, Antonius Oldenburgicus; tribuni ſummi Johannes Ranzovius & Melchior Ranzovius.

(b) Quem etiam Autor retinuit L. 2. §. 50.

apud Holsatos illustris scrinii magister Adamus Trazigerus admonuit, ortum & originem ex Angilia trahere Anglos, quæ est provincia superioris Jutiæ, quam ducatum Slesvicensem nominant inter fretum Flensburgicum & inter amnem Sliam juxta pelagus Balthicum; quam opinionem sequor: nam cum Beda scriptore congruit, qui Vitas, Saxones & Anglos vicinas gentes facit. Etenim Holsati vere Saxones sunt vicini ab austro Angiliis: & vocabulum Sundevitia compositum e Sunde, id est ad meridiem, & a Vitis est; quod territorium a borea Angeliæ proximum: deinde Ptolomæus mentionem insularum Saxonum facit, quos idem Trazigerus existimabat Ariam, Alsiam, Femariam & alias. Quæ de Petroculis scio, ex volumine stemmatum gentilitiorum familiæ Saxonicæ & illustris Electoris Augusti omnia habeo, in quo scripto (a) præter alia fit expugnationis *Solredingi* a Saxonibus & eorum duce perpetratæ auxilium Gallis Mediomatricibus regeque Theodorico Notho, qui mortuo Clodovæo, primo apud Francos Christiano, patri successerat primus rex Austrasiæ, ferentibus, mentio, & Saxonum cum Longobardis in Italiam duce Vernechindo profectionis, & Sigeberti Mediomatrigum Regis, qui vacuum Saxonum agrum dono dedit Suevis. Apud Brothuphium in Genealogia Anhaltinorum extat Bertobaldi primi Ascanii Gallis contra Thuringos ferentis opem, & filii ejusdem nominis devicti a Clotario rege Galliæ superioris Theodorici Nothi fratre nomen. Sed hæc ad rem non faciunt, quia de Ditmarsis nostris est argumentum; sed tamen cum omnibus sit cognitum Ditmarsicam & Holsaticam gentem progeniem non solum, sed & Saxoniæ esse partem, ideo quid de Saxonibus in monumentis extat, id Holsatis Ditmarsisque pariter adtribuendum. Non est obscurum Saxones, quorum soboles & Ditmarsi & Holsati sunt, non tantum cum Gallis vicinisque gentibus bella ingentia gessisse, sed etiam cum Danis populo tantum armis devoto; ideo quoque utique in nostro opusculo faciemus eorum mentionem. Legitur in Danicis annalibus, quod Helgo Rex devicto Saxonum Rege Cundigo ad Stadium duello, & Jutia & regionibus Transalbianis, in quibus sunt Holsatia, Stormaria & Ditmarsia, potitus sit, ordinatis præfectis Hescone, Cire & Lero. Sunt nonnulli, inter quos Cranzius, qui Ditmarsos Frisios esse arbitrantur. Vocabulum Frisiorum vel Cattorum (nam una gens est) etiam Romanis fuit cognitum: nam ad Neronem Augustum cum donis legatos miserunt; sed hac de re supersedebimus. Tantum reliquum est, ut modum tractandi demus, qui in Ecclesiasticum & politicum est divisus; ordo politicus in patrocinium & clientelam. Voco autem patrocinium principatum superiorem, & clientelam dominatum superiori obnoxium; vulgus talem principem Vasallum appellat. Ecclesiastici sunt Bremensium pontifices, quibus inane dominii Ditmarsi dederunt vocabulum. Huic modo, cujus est mentio, addemus vicinarum gentium res gestas breviter, quia ipse libellus est breviarium ex inventis autoribus collectum, ut e Cranzio, Johanne Petrejo sacerdote Oldenburgensium & Annalium Holsatorum scriptore: e Saxone Grammatico, Hermanno Bonno, & ex epitome rerum Danicarum danice descripta & ab aliis, inter quos non minimam laudem Chytræus habet. Sed ad rem ipsam perveniemus.

Trazigeri sententia de origine Anglorum.

Sundevitiæ etymon.

Opinio de Petroculis ex volumine stemmatum gentilitiorum Electoris Augusti petita.

Brothuffii Genealogia Anhaltinorum.

Ditmarsi ab Holsatis descendentes Saxones sunt.

Ditmarsi an Frisiæ originis sint.

Modus tractandi & divisio operis.

Fontes, ex quibus sua hausit autor.

LIBER PRIMUS.

Origo Ditmarsorum incerta.

§. 1. AB incunabilis, cum mihi maxime difficile sit de Ditmarsis, non incipiam: a Sichardo Saxonum regulo, qui circa annum recuperatæ salutis DCXXXVI. floruit, primordium ducam, & a regionis Ditmarsiæ descriptione. In sacris literis scriptum invenimus Noam tres filios genuisse, inter quos Japhetum procreasse Gomerum nepotemque Aschenam, quem Berosus Chaldæus Tuisconem appellat, patrem Tuisconum seu Teutonum vel Germanorum, eorumque primum regem fuisse scribit, atque ei defuncto ordine successisse Ingevonem, Istevonem, Hermionem & Marsyum, a quibus Plinius & Tacitus Germaniarum ortas esse gentes in suis monumentis reliquerunt. Marsorum autem mentionem fieri a Plutarcho Chæronæo, Peucerus scribit, & vocabulum hoc Epirum seu locum declivem & mari vicinum significare & palustrem, horumque Marsorum reliquias Ditmarsos, Stormarsios, Crempermarsios, Wilstermarsos idem autor refert. Hanc sententiam verissimam esse arbitror, quia non tantum nomen, sed etiam loca Peuceri opinioni manus tendunt, nam hi memorati populi regionem palustrem & littora Britannico Oceano proximam incolunt, & dictio ultima est composita a *Dit* & *Marso*. Annales Holsatorum, quos Johannes Petrejus Oldenburgensis sacerdos condidit, nihil dissentiunt cum prædicta opinione, in quibus invenio gentes palustria loca inhabitantes a paludibus Marsos viros esse nuncupatos; dictione enim *Moras* paludem interpretamur & *Marsleute* juxta paludes sedem habentes vocamus. Porro ex iisdem annalibus colligo, Holsatos propter & nominis Marsorum & limitum distinctionem vocitatos ob silvarum & nemorum abundantiam, & quod inhabitent loca plana, solida & silvestria. Præterea sciru dignum est, quod vocabulum Ditmarsorum compositum sit a Dit & Marsis: Dit significat, cum corruptum sit nomen, Teutonem; cum vero integrum, Deum, quem Deum, Galli Romanique Teutonem appellant: a quo Teutones natio Germaniarum nominati sunt. Dit enim veteres Saxones antiquo loquendi modo numen appellarunt, unde vocabu-

Autor Peuceri sententiam de origine & etymo Marsorum approbat.

Marsi quid

Nec non Joh. Petrei sacerdotis Oldenb.

Ratio vocis Ditmarsiæ.

Dit nomen numinis apud Saxones.

de Westphal. Monum. ined. Rer. Germ.

(a) Cujus autorem indicat, Cranzium. Infra §. 5.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cabulum ſupereſt Ditericus. Ea de cauſa pro certo conſtat, Ditmarſos genus hominum e Teutonibus & Marſis eſſe conflatum.

Ditmarſia pars Nord Albingiæ.

§. 2. Regio Ditmarſia, quamvis non ampla eſt, ob ſtrages Holſatorum tamen non vulgariter cognita. Ea autem eſt pars regionum Transalbianarum, ſeu (ut Caroli Magni tempore loquuti ſunt) Nordalbingiæ, cujus limites ſunt Albis amnis & Eidora. Nam a meridie de Saxonia ſeu agro Stadienſi Albi fluvio ſeparatur, qui amnis e Bohemia, ubi ejus ſunt fontes undecim, unde & nomen contraxit, per Saxoniam juxta hanc regionem in Oceanum Britannicum, quem & Barbarum & Cimbricum vocant, influit; ab occaſu Ditmarſia eodem pelago cingitur, ibi eſt inſigni capacitate ſinus, cujus initium Albis oſtium, qui verſus zephyros & eorum ventos in occidentem ſolem variis anfractibus excurrens, deſinit, ubi Eidora marinis aquis miſcetur, qui amnis ad Boream Ditmarſiæ limes eſt a Friſiis Eiderſtadienſibus. Ad orientem ſolem Holſatiam Ditmarſia ſpectat.

Diviſio Ditmarſiæ in auſtralem & ſeptentrionalem.

Hæc quoque tellus in ſuperiorem, quam auſtralem vocant noſtrates, & in inferiorem, quam ſeptentrionalem, dividitur, & oppidis mediocriter conditis floret; inter quæ Heyde totius regionis eſt emporium & Meldorpia, quæ natura fere eſt munita, & Lundinum e regione Eiderſtadienſis agri & Friſiæ minoris, quam Danicam vocant. Præterea Ditmarſia per ſeſe omnium rerum abundantiæ inſignis genetrix eſt, licet ſit multum paluſtris; ubique ideo inexpugnabilis, & agri ſupra modum fecundi frumento, paſcua læta, & pecoribus optime ſaginandis ingigniter idonea. Nulla cœli aut loci gravitas, genus hominum ſalubri & robuſto corpore, audax, ingenio vafro, perjuroque & crudeli, belli & rebellionis ſtudiis aſperum, ſeditione egregie potens atque propriorum principum cædibus Holſatorumque ſtragibus admodum famoſum. Enim vero tantum hujus nationis uſus erat & peculiaris conſuetudo, fidem non ſervare & promiſſionibus non ſtare, hoſpitalitatem violare, leges ſpernere, non dicam divina humanaque nihili facere. Ad hæc Ditmarſi conſuevere latrociniis & præda vivere, magiſtratumque reſpuere, omnem dominatum patria prohibere, tantum voluptatibus & otio ſe tradere, quibus vitiis tota gens per ora omnium mortalium infamis evaſit.

Natura regionis.

Indoles incolarum.


§. 3. Ne ego ſcelerum Ditmarſicorum videar ſolus claſſicum canere, ipſum Cranzium Hamburgenſem teſtem advoco, qui perinde commemorat eorum flagitia, ac diris devoveat, non ego, quemadmodum falſe & frivole de Danis Johannes & Olaus Magni fratres Gothi & Pontifices Upſalenſium codicillares, qui tantum opus ſuum calumniis aſpergunt, & Danis noſtratibus convitia faciunt frivole, facio: nam probata & reperta ſcribo, nihil de meo addo, ſed hæc ad rem non faciunt; ad propoſitum redeundum. Olim Ditmarſiam & totam Nordalbingiam cum Jutia Cimbri incoluerunt Romanis populo Mavortio terribiles, quibus originem & vocabulum Cimerii a Gomero, de quo ſupra eſt mentio, orti, dederunt. De Ditmarſorum rebus geſtis liber noſter loquetur. Eorum inſigne olim fuit clavis erecta in campo rubro, uti conſpicitur in feneſtra *S. ædis Buſumenſis*; (*a*) & poſt

Teſtimonia ſcriptorum de indole Ditmarſorum.

Ditmarſia a Cimbris olim inhabitata.

Inſignia Ditmarſiæ libera & victa.

(*a*) Communis hic error eſt, quem *Johannes Adolphides*, vulgo *Neocorus*, *Buſumenſis* in *Hiſtoria Ditmarſiæ MSC. Libro I. §. 43. p. m. 205.* ita effert: *Dat Land Dithmarſchen heft vorhero vor de Fede, wo ut enen Fenſter in de Kercken büſen noch itzo to ſehen, dem Ertz-Biſchof von Bremen, de der Tit er Schutz-Herr geweſt, tho Ehren, enen upſtanden Schlötel in rohden Felde geförder*, (cujus formam oſtendit Tabulæ h. l. *numerus I.*) *welches wol tö mercken, da etliche der Menung ſyn, als hebben ſe vorhin enen Koploſen Rüter up dem Pevde geföhrt in der lincker Hand den Flögel, in de rechten en Schwerd holdend; als aat de Holſten den Ditmarſchen to Spott up dem Schloß to Segeberg in en Fenſter geſettet hebben. Na de Erobrung des Landes hebben de Holſten Herrn enen gewapenden Rüter mit dem Schwerd haven dem Hövede, den Ditmarſchen tom Wapen mitgedeblt, thor Antögung, dat ſe mit Krigs-Macht bedwungen, woby de Rüter dat beſte gethan.* Ratio vero, qua *Hamsfortius* & *Neocorius* inſignia Ditmarſiæ liberæ definiunt, nequicquam ad rem acit. Signum enim illud clavis erectæ, quod in parvula feneſtra Templi Buſumenſis colore rubro, cæruleo & nigro depictum conſpicitur, plane dubium, inſigniumque nomine fere indignum eſt, omnique nota & inſcriptione caret, certe, ut primo obtutu ipſius & veri ectypi *ſub n. II.* ſponte apparet, non eſt inſigne provinciæ Ditmarſiæ, ſed forte umbra inſignium ipſius archiepiſcopatus Bremenſis: cui quippe Ditmarſia olim paruit & Tutoris & protectoris elogia indulſit tribuitque, uti patet ex annalibus & diplomatibus Imperatoris Friderici I. de a. 1180. Philippi II. de a. 1199. ex Alberti Ducis Saxoniæ Charta Renunciationis juris ſui in Thetmarſiam de a. 1228. porro ex Bullis Pontificis Sixti IV. de a. 1476. 1477. & ut plura taceam, ex proteſtatione Archiepiſcopi Bremenſis contra occupationem Ditmarſiæ a 1559. facta, quæ exſtat apud *Gaſtelium in Volumine de Statu publico Europæ p. 254. ſeq.* Inde eſt, quod & alibi in multis locis, qui ad archiepiſcopatum Bremenſem olim relati ſunt, etiam nunc eadem inſignia archiepiſcopalia picta, ſculpta vel impreſſa in lapidibus, feneſtris, templis, refectoriis, monaſteriis & ædibus reperiantur inſtar memoriarum & reliquiarum. Ditmarſia igitur libera & Chriſtiana uſa eſt peculiari ſuo ſigno, a clave Bremenſi plane diverſo ſub numero III. h. l. ære expreſſo, quippe quo Viros XLVIII. *die Acht und vierziger*, vulgo Regentes Ditmarſicos, populum omnem repræſentantes, uſos fuiſſe teſtatum omnino & documentis, quibus hoc ſigillum adpendet, avthenticis haud paucis exploratum eſt. Diſſentiunt ſcriptores veterum Chronicorum Ditmarſicorum & cum his nuper *ANTONIUS VIETH in Deſcript. & Hiſtoria provinciæ Dithmarſiæ p.* 121. putans, quod Ditmarſiæ *liberæ & Chriſtianæ* ſignum *COMMUNE*, *Clavis Bremenſis*; *PARTICULARE* vero ſeu Regentibus Viris proprium, *imago S. Mariæ & alicujus Sancti fuerit.* Quæ tamen opinio ipſa ſigilli, quo communes Regentes uſi ſunt, formula inſcriptionis repudiatur. Concepta enim eſt verbis & nomine Univerſitatis: *Sigillum Univerſitatis Terre Thetmarcie.* Deinde etiam citati ſupra autores in eo aberrant, quod *Ditmarſiæ victæ* inſignia dixerint *equitem cataphractum*, quo quidem Ditmarſos poſt occupatam provinciam a Rege Daniæ & Ducibus Holſatiæ donatos fuiſſe autumant in memoriam rei geſtæ & victoriæ ab Equitibus præcipue reportatæ. Sed de his inſignibus ipſi provinciæ Ditmarſiæ poſt occupationem tributis & a *Neocoro*, ut numerus IV. habet, expreſſis; nullum in ipſa Ditmarſia reperitur veſtigium, nullum exemplum memoriæ vel uſus. Id vero conſtat, quod Ditmarſia *devicta*, divulſa & in partes Meridionalem ſeu Regiam & Borealem ſeu Ducalem diviſa, inſignibus liberæ olim univerſitatis veterumque Regentium valedixerit, eorumque loco uti cœperit ſigillis minoribus, quorum illud, quo Ditmarſia Borealis tum uſa eſt & etiam nunc utitur, imagine S. Mariæ Virginis & inſcriptione: *Sigillum des Norderdels Ditmarſchen*, conſpicuum eſt. vide Num. V Principes vero poſt occupatam & Holſatiæ reſtitutam Ditmarſiam, inſignibus Holſatiæ in rei geſtæ memoriam & indicium addidiſſe clypeum devictæ Ditmarſiæ, *Equite cataphracto & armato, albo equo in rubro ſolo inſedente* inſtructum; id quidem manifeſto conſtat & poſitum eſt extra dubitationem. Deſcripſit hoc augmentum inſignium Principum Holſatiæ, *THEOD. HOE PINGP. 5. de inſignium jure c. 6. p. 363. In Holſatiæ*, inquiens, *Ducum inſignibus Ditmarſia cataphractum armatum equo inſidentem oſtentat illoque clypeum Holſaticum munit & adauget. Originem res hinc repetere videtur, cum Ditmarſi per Fridericum III. Imperatorem Chriſtianum I. Danorum Regi in feudum conceſſi eſſent,*



Lucas Bacmeisterus
S. Theol. D. Profess. Pastor et Superint:
Rostoch. Natus Lüneburg. Aō. 1530. d. 18. Octob.
denat. Rostochiæ Anno 1608. d. 9. Julii Ætat: suæ 78.








N. I.



N. II.



N. V.



N. IV.



N. III.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

post amissam
præctur galea
Holsaticum ur
Jam rem ipsa
cujus supra fe
§. 4. Mos
(nam Saxonia
tempestate bel
put erat; hunc
pro rege colue
do effectum est
mus virum fort
tate insignem.
alea cum Franci
bella gessit. Er
licet anno a virg
rius, qui ætate c
Mediomatricum
regem dixerat; c
Rex inimicitias
inimicitiæ multo
re, nam ad arm
umque diversis
modo Saxones
gobertus Galliqu
Dagobertus auxi
structus Sichardu
cit & sibi tributu
Saxonem Cranziu
lunt & in prælio ac
petisse mortem.
habuit, sub cujus in
Ditmarsia erat.
intervallo Pipinus
gisi filius Mediom
roli Tutidis seu
pem Frisiæ devic
§. 5. Successit
filius bellicosus D
fortuna haud disi
turelam profiteba
bus ausis Gallos F
ut pater fecerat; n
ma intulit Carolo
cinur. Carolus v
diomatricum & to
bellionem non fer
& ipsum Ditericum
bus jugum imponit
latrociniisque dedi
bus excitavit. Q
riens bellum Saxo
Mediomatricum re
sha Diterici Saxon
tio Ditmarsia fuit
Vernechinus patriu
Burgo potitus est
nibus, quod omne
exsecraretur, ut qui

ipsi defuncto infidentes
auspicanter ad libertatem
asperunt; nec exigua c
pumque Holsatorum, cum
ſi, aliquoties ipsis servitu
Christiani I. nepotibus JO
nepote FRIDERICO II.
solutis fuerint. Idem
FELD & HENR. RAN
statu & ordinibus ad Ha

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

post amissam libertatem nunc est *eques cataphractus galea & ense armatus;* quemadmodum *Holsaticum* urtica nivea in purpureo clypeo. Jam rem ipsam putabimus, & ad Sichardum, cujus supra fecimus mentionem, veniemus.

1. *Conditio Ditmarsiæ sub Sichardo circa annum a C. 636.*

§. 4. Mos erat apud Saxones regem eligi, (nam Saxonia a duodecim viris gubernabatur tempestate belli,) qui totius expeditionis caput erat; hunc electum, donec vitam ageret, pro rege coluere populares. Ita cum Sichardo effectum est; quod nomen latine intelligimus virum fortunæ calore & pugnandi felicitate insignem. Hic Sichardus varia Martis alea cum Francis, qui Galliam occupaverant, bella gessit. Erat Rex Galliæ eo seculo, videlicet anno a virginali partu DCXXXVI. Clotarius, qui ætate confectus filium Dagobertum Mediomatricum ritu superiorum principum regem dixerat; cum quo Sichardus Saxonum Rex inimicitias aluit, causam ignoro: quæ inimicitiæ multorum laborum causa fuere, nam ad arma perventum est, pugnatumque diversis & incertis eventibus; nam modo Saxones Sichardusque modo Dagobertus Gallique victores extitere, donec Dagobertus auxiliis præsentiaque patris instructus Sichardum una cum suis fudit, devicit & sibi tributum pendere coëgit. Hunc Saxonem Cranzius & alii Sigibertum appellant & in prælio acriter dimicantem ajunt oppetiisse mortem. Talem exitum Sichardus habuit, sub cujus imperio cum aliis provinciis Ditmarsia erat. Non longo post temporis intervallo Pipinus cognomento Crassus Ansigisi filius Mediomatricum regulus, pater Caroli Tutidis seu Martelli, Ratbodum principem Frisiæ devicit.

Clotarius Rex.

An. 730. sub Ditrico Sichardi filio.

§. 5. Successit apud Saxones patri Sichardo filius bellicosus Ditericus, qui patri armis ac fortuna haud dissimilis, licet nomine numinis tutelam profitebatur. Hic pari odio & paribus ausis Gallos Francosque prosequutus est, ut pater fecerat; nam rebellionem fecit & arma intulit Carolo Tutidi, qui & Martellus dicitur. Carolus vero Martellus regulus Mediomatricum & totius Galliæ decus, ejus rebellionem non ferens, variis præliis Saxones & ipsum Ditericum superat, & ei & popularibus jugum imponit, quod gens libera & bello

An. 741. latrociniisque dedita non ferens magnas turbas excitavit. Quamobrem Martellus moriens bellum Saxonicum filio Carolomanno, Mediomatricum regulo committit. Hæc sunt acta Diterici Saxonis, in cujus ditione sine dubio Ditmarsia fuit. Filii ejus Edelhardus & Vernechinus patrium imperium diviserunt & Iburgo potitus est Vernechinus princeps laudabilis, quod omnes turbas, bella & simultates exsecraretur, ut quidem prodidit in libello suo Germanico de familia Saxonica Mauritii & Augusti Electorum Crausius nomine.

9. *Sub Etelhardo Diterici filio.*

§. 6. Absumpto Diterico Saxones, ne caput illis bellorum deesset, Etelhardum juvenem ferocem & inter arma educatum regem salutant; qui ad exemplum patris Diterici de integro bellum Saxonicum contra Francos resumit omnibus conatibus, impetu atque totius Saxoniæ viribus, sed magnis cladibus afficitur a Gallis duceque eorum Carolomanno, qui edita ingenti non solum vulgarium hominum sed quoque virorum illustrium strage Saxones eorumque Ducem perdomuit, & captivos triumphi in modum per ora Gallorum traxit, quo religiosa veste induto, abstumtoque in fratris imitationem Pipinus, cognomento brevis, qui deinde Rex Galliæ factus est, bellum in Etelhardum renovat. Nam frater ejus Grypho horrabatur Saxones, ut arma contra Gallos homines superbos & ignavos induerent ad patriæ defensionem, in quo bello cum aliis inclitis viris & Etelhardus periit, vir bellicæ rei gloria superiorum regum non impar; sed hoc vitio datur, quod Catholicæ religionis acerrimus hostis esset: reliquit filium regni & hæreditatis successorem Albionem virum Mavortium, de quo invenio præsertim apud Cranzium, Nordalbingiam tenuisse divisam in Ditmarsiam, Stormariam & Holsatiam & alias provincias. Hæ regiones Transalbianæ nominantur.

Carolomannus Saxones perdomuit.

Pipinus brevis.

4. *Sub Albione.*

Transalbiana.

§. 7. Nati sunt Wernechino Bruno & Wedechindus viri illustres & non ignavi patriæ defensores. Hunc Wedechindum Saxones defuncto Etelhardo patruo regem dicunt. Albio patruelis Wedechindi Transalbianam regionem tenet. Tum Rex Danorum potentissimus Gotricus consuetudine superiorum Danorum Regum & odio in Saxones atque amplificandi imperii cupiditate Saxoniam armis aggreditur, & facile in suam redegit potestatem; cujus rei Saxo Grammaticus meminit. Arbitror eam partem expugnatam, cui Albio præerat.

5. *Sub Witechindo.*

§. 8. Carolus Magnus ob invictam virtutem, felicitatem & rei bellicæ peritiam incomparabilis, dum sol splendebit, imperio patris Pipini brevis succedit una cum fratre Carolomanno. Quo mortuo bellum Saxonicum de integro more majorum resumit in Videchindum & Brunonem fratres, & in eorum patruelem Albionem. Causæ erant religio, sævitia & utriusque regni limites. Arma autem sunt sumpta, bellumque magno conatu gestum ad annos multos, de quo stylum reduco, quia multi has discordias literis mandarunt. His laboribus occupati, & bello Gallorum circumventi principes Albio, Bruno, Widechin-

Gesta in Saxonia a Carolo M.

An. 771. Bellum Saxonicum recrudescit.

ipso defuncto insolentes debitam subjectionem detrabere & considenter ad libertatem, ut & diu ante factum, aspirare cœperunt; nec exigua cum Daniæ Regum Comitum Principumque Holsatorum, tum lectissimorum etiam Nobilium strage, aliquoties ipsis servitus intentata est, donec a fortissimis Christiani I. nepotibus JOANNE & ADOLPHO atque pronepote FRIDERICO II. Danorum Rege Anno 1559. penitus subacti fuerint. Idem asseruerunt *JONAS ab ELVERVELD & HENR. RANZOVIUS Tr. de Holsatia ejusque statu & ordinibus ed. Hamb. 1592. Classe I. fol. C. 2.*

Eidara Dithmariam Borealibus alluit undis
Impiger, Hespericis oceanusque plagis.
Albis, ubi tepido late decurrit ab Euro,
Vicinum tumido conspuit amne latus.
Ense quid educto Cataphractus? Marte rebelles
Holsatico victos denotat esse viros.

Et *Classe 2. f. E. 3.*

Ditmarsæ victas pugnæ certamine gentes
Ensifer indicio sit cataphractus eques.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dus & alii inimicitias Gotrici regis Danorum, quo nemo ea tempestate in regionibus septentrionariis fuit viribus Martiis & rebus perpetratis clarior, deprecantur & illius opem contra Carolum Magnum totius Galliæ regem exoptant: quibus orationibus Gotricus Danus motus bellum Carolo indicit atque in Saxoniam tendit; quod audiens Carolus suis ne deesset filium, quem ante regem Germaniæ designaverat Carolum vocabulo adversus Danum mittit, editoque prælio dubius victoriæ Carolus filius & Danus inde discedunt. Nec ita deinde quievit Danus; classe enim comparata cum fortissimorum juvenum manu vela remosque in Frisiam direxit oppugnaturus Carolum ejusque subditos, sed eventus infelix fuit, nam Danus ille Gotricus a suis est obtruncatus successitque ei Olaus filius.

Danus C. Magnum in Frisia petit. An. 798.

Carolus Magnus Imper. Saxones debellat.

§. 9. Carolus Magnus deinde a Romanis Imperator Augustus, pius, felix salutatur atque omnibus viribus Saxoniam oppugnat & magnam incolis vastitatem infert. Quamobrem pagani principes Widechindus, Albio & Bruno supplices ad Cæsarem Carolum accedunt, deditionemque faciunt & lavacro aquæ lustralis sparguntur & Christo Deo Opt. max. cujus antea dogmatis hostes acerrimi fuerant, nomen dant. Tunc Cæsar præcones verbi divini per Saxoniam constituit Villehadum virum sanctum Bremæ & Eridagum sacerdotem Hamburgi.

6. *Sub Uthone præfecto C. Magni.*

§. 10. Carolus Magnus Cæsar vir superiorum imperatorum bellorum artibus & rerum gestarum decore haud impar post Albionem, qui cum aliis provinciis Ditmarsiam tenuit, Nord-Albingiæ, in qua est Ditmarsia, Uthonem quendam præfecit, qui ibi jus diceret æquissime. Ante diximus in præfatione de scribendi ordine; jam observabitur. Illud autem silentio non prætereundum, sed operæ pretium est dicere de Videchindo & Brunone fratribus, ne manca historia videatur. Videchindum, qui ob rerum gestarum felicitatem Magni cognomen invenit, nonnulli scribunt, prælio inter Suevos hostes cecidisse, relictis duobus filiis Videchindo minore, a quo familia principum ad Albim, Saxoniæ septemviratum tenentium, orta est, & Vigberto, filio altero qui avus fuit ex filio Valdeberto Regemberti, & Diterici Rigelemensium. Hujus Videchindi Magni frater Bruno vir fortis & pius genuit Ludolffum, de quo postea.

Quædam de Witechindo M.

Filii & posteri ejus.

Frater Witechindi M.

7. *Victæ a Carolo M. sub Willehado Bremensium præsule. Ditionis Stadensis descriptio.*

§. 11. Perdomita Saxonia a Carolo Cæsare antistes Bremensium constituitur Villehadus, cui ager Stadiensis & trans Albim Ditmarsia, ad quam Buza insula, quamvis parva, tamen fertilis, pertinet, subjicitur, ut sinceram Religionem Christianam subditos doceret. Ditio vero Stadiensis est inter Albim & Visurgim amnes & instar rostri in pelagus Britannicum late longeque excurrit, in qua est metropolis Brema, quam Phabiranum a Ptolomæo nominari Peucerus indicat. Stadiensis agri partes sunt Vorsingia, Stedingia & Hadelia. Erat vero Villehadus vir vitæ integritate, & morum atque doctrinæ sinceritate inter rudes homines illius tempestatis venerabilis, & Bonifacio, quem aliqui Germaniæ apostolum vocitant, discipulatu familiaris. Atque multa ob Christianum dogma, cujus fortis assertor erat, inter Saxones paganos, a Videchindo Magno adhuc Ethnico tulerat; quibus laboribus ereptus a Carolo Cæsare Antistes Bremensium appellatur, eique cum aliis provinciis Ditmarsia assignatur, quo Villehado homine sancto absumto concio sacerdotum Willericum virum spectata virtute dicit antistitem.

Willericus Brem. pontifex.

§. 12. Hamburgensibus & Holsaticis templis tum præerat Eridagus, de quo supra est mentio. Hic una cum Utone Nord Albingiæ præfecto a Slavis Vilsis, qui Vandali dicuntur, urbe expellitur & in exilium proficiscitur ob nimiam Slavorum tyrannidem, qui urbem Hamburgum direptam vexabant. Imperabat tum Vandalis Aribertus frater Visilai. Has turbas Cæsar Carolus audiens misso duce pacavit, & deinde filio Ludovico pio moriens per manus tradidit Germaniæ imperium. Hic Ludovicus Cæsar cum Henningo Dano, qui fratri Olao successerat, perpetuum fœdus percussit, teste Saxone Grammatico.

Eridagus præfectus Eccl. Holst. & Hamb. obiit 833.

Utho Nord Albingiæ præfectus. An. 810.

Carolus M. Ludovico pio imperium tradit. An. 815.

Bellum Ludovicicum Henningo Dano.

§. 13. Ludovicus pius Imperator deinde Ducem Saxoniæ Ludolffum dicit; nam jam Utho discesserat, eique totam Nord Albingiam obnoxiam facit. Erat vero Ludolphus subditorum hominum, ut latine intelligo vocabulum, suffugium, nec pietate & multi jugis virtutibus cuidam mortalium secundus. Circa hoc tempus Daniæ Rex moritur Henningus, & diversis studiis reges creantur Sivardus cognomento, Ringo a Sielandis, & a Cimbris Ringo: quamobrem lacrimabile bellum & intestinum exortum est, in quo uterque cecidit. Post quam stragem, Danorum factiones nondum quieverunt. Etenim Cimbri & Scanii Haraldum regem appellant & Silandi Sivardi occisi filium Regnerum cognomento Lothbrogum sequuntur; inter quos bellum novum sociale ortum est, sed tamen meliore Regneri fortuna, qui fusum fugatumque Haraldum regno expulit, & ad Imperatorem Ludovicum pium ire coëgit, apud quem infelix Haraldus patria profugus Christo Deo nomen dedit. Hic reversus in Cimbriam secum Ansgarium juvenem optimæ indolis Theologiæ studiosum sumit itineris socium. Regnerus Lothbroga totum imperium occupat, & Normannorum hominum Galliæ, Germaniæ atque totius fere orbis Christiani cladibus cognitorum caput est. Cum jam facta Daniæ & posthac futura est mentio, situm brevi exponam. A Ditmarsia & Holsatia separatur hoc regnum Eidora & Leventio amnibus, a Suecia *Definis* montibus; Versus Boream est pelagus aquilonare & ulterius hyperboreum; ad meridiem habet Balticum mare, cujus provinciæ sunt Jutia superior seu Cimbria & inferior, Frisia minor, Fionia insula, Sielandia, Monia, Falstria, Longelandia, Alsia, Lalandia, Aria & aliæ innumerabiles insulæ; huc accedunt provinciæ fertiles Scania, Hallandia & Blekingia, regnum omnium rerum fertile, & Hafnia omnium mercatorum & mercium foro celebre.

Tempore Ludovici pii sub Ludolfo Brunonis filio, Wittichindi M. & Brunone fratre nepote, Henningi Daniæ regis obitus & status Daniæ sub Regnero, Lothbrochio & Haraldo,

Haraldus rex Daniæ fit Christianus.

Daniæ descriptio, ejus limites.

Definis montes.

§. 14.

An. 833. Post obitum Eridagi Ansgarius a Ludovico pio constituitur Archipræsul Hamburgensis.

§. 14. Interea temporis moritur Eridagus Hamburgensium sacerdos; qua de causa ut aliquis Ecclesiis septentrionariis & Saxonicis atque Nord Albingicis, cujus regionis Ditmarsia provincia est, præesset sanctimonio & doctrina præditus cœlesti, Cæsar Ludovicus pius accersitum Ansgarium hominem Gallum, infulaque sacra decoratum pontificem Hamburgensium dicit. Non enim Imperatori ardor ejus erga doctrinam Christianam obscurus erat, quia ut dogma divinum propagaretur, una cum Haraldo patriæ exule in Nord Albingiam profectus fuerat, de quo supra, atque ejus hortatu templum hominibus Christianis condiderat. At Haraldus ut Regnero Lothbroga Daniæ tyranno morem gereret, fidem abjecit, atque apostata evasit, teste Grammatico Danicarum rerum scriptore, licet graviter ab ipso corriperetur. Ita Ansgarius primus Hamburgensium pontifex dictus est.

Haraldus Rex a fide recens ignita defecit.

9. Sub Leutberico Brem. præsule Saxoniæ Ducibus Ditmarsia in tutelam traditur.

§. 15. Leudericus interim defuncto Villerico apud Bremenses succedit, homo fastuosus, & non hominibus gratus, ut vocabulum contrarium moribus exponendum sit. Etenim iste Leudericus hospitium Ansgario viro sancto denegavit superbe, & alia fecit memoratu indigna. De quibus Cranzii Metropolis inspicienda est. Subjecta huic quidem fuit Ditmarsia, sed ab Normannorum Danorumque incursionibus & bellis consensu Imperatoris regio cum aliis provinciis ob antistitum impotentiam in tutelam Ducis Saxoniæ traditur.

10. Sub Ansgario Brem. & Hamb. præsule. An. 865.

§. 16. Mortuo Leuderico ultimo Bremensium antistite frequentia sacerdotum suffragia in pontificem Ansgarium Hamburgensium tulerunt, atque antistitem crearunt & Leuderici successorem. Ita Ansgarius insula Bremensium & Hamburgensium decoratus fuit duplici. Pietas enim & præsentis & futuræ vitæ fructus habet. Antistites vero Bremensium ad hunc usque Ansgarium fuere primus Villehadus, deinde Villericus, tertius Leudericus, cui hic Ansgarius successit.

Normanorum origo.

§. 17. Interea temporis Normani, quorum origo Cimbria & Norvegia fuit, Britanniæ, Galliæ, Germaniæ atque Saxoniæ magnum damnum inferebant, quorum præcipui duces fuerunt Regnerus Lothbroga rex Daniæ, postque ejus cædem filii Ivarus, Sivardus, Ericus, Biorno & Agnerus, qui paternum inter sese regnum divisere, alii maris imperium, alii terrestre sibi vendicantes; ad hos alii viri summo loco nati, Rodericus, Haddingus & Rollo accesserunt, qui Galliam populandi invaserunt. Dum talia a Normanis fiunt, interim filii patri Imperatori bella faciunt. Qui postea filiorum contumacia vexatus animam deposuit, relicto cum aliis Lothario imperii successore.

Filii Regneri regnum inter se dividunt.

Rollo quidam se filiis Regneri associat.

An. 841.

Res a Normannis gestæ sub Lothario Imperatore. Bellum inter filios Ludovici pii.

§. 18. Lotharius jussu parentis ideo, ut dictum est, Ludovici pii defuncti imperator evasit, ob quam dignitatem indignati fratres Carolus Calvus, Pipinus & Ludovicus cognomento Germanicus bellum indixere satis lacrimabile & detestandum. Hanc occasionem Normani Danique nacti divina humanaque populationibus defœdarunt. His civilibus bellis consilio doctissimorum virorum sopitis Ludovicus Germanicus rex Germaniarum appellatus est, ideo & Germanici cognomen invenit. Fabricius prodidit, eum Germaniarum provincias tenuisse, & de Ludovico secundo Cranzius scribit, qui Lotharii patris imperio successerat, eum Ducem primum Saxoniæ Ludolffum salutasse. Sed hæc sunt contra Peucerum, cujus semper sequi sententiam in animum induxi.

Vastatio Normanica. An. 840. Ludovicus rex Germaniæ.

§. 19. Ad Ansgarium pontificem calamum reduco, virum doctum, modestum & pium, cujus pietati pariter ac erga divina mysteria reverentiæ non solum laborum juxta ac molestiarum patientia, sed etiam vitæ castitas atque morum integritas ex æquo respondebant. Etenim summis viribus propagari sinceritatem religionis laborabat, præsertim apud Danos, sed impediebatur eorum statu turbulento, nam Cimbri, qui Haraldi apostatæ partes sequuti erant, odio Regneri Lothbrogæ liberorum Sivartum & Ericum viros bellicosos reges appellarunt, sed his a Sivarto, Ivaro & Brunone & aliis fratribus oppressis novæ turbationes exortæ sunt. Nam his fratribus aut cæde aut morte consumtis Ericum apostatæ Haraldi germanum quidam, inter quos Cimbri factionibus studentes, regem dixerunt; sed id ægre ferens Guntorinus, qui Erici pueri tutelam agebat, patruo Erico bellum fecit, in quo cum occisione familiæ regiæ & ingenti hominum strage ambo ceciderunt, superstite tantum Erico puero Sivardi filio & Lothbrogæ nepote, qui ad patrium sceptrum pervenit. Hæ turbæ in causa fuere Ansgario, ut segnius daret propagando Christianismo operam. Porro Ericus puer majorem sævitiam in doctrinam catholicam, quam majores unquam fecerant, exercebat; lege enim lata tollendos Christi fideles suppliciis, ni Nazarenam disciplinam respuerent, edixit. Qua de causa motus Ansgarius regem adiit, ut illius animum sævum pacaret, nec opinio fefellit, nam oratione facta effecit apud regem, ut Servatori nomen dederit & cum aliis Danorum proceribus Christianus dici voluerit. Imperitabat tum per Germaniam Ludovicus Germanicus, (de quo aliquid diximus,) homo non minore fortitudine, quam victoriarum felicitate. Præterea Ansgarius venerabilis pater multa passus est non solum opprobria, verum etiam exilium. Nam Danorum Normanorumque incursionibus vexatus Hamburgo fugit & solum mutat, qui urbi & aliis provinciis magnam vastitatem intulere. Imperabat tum Danis Canutus Erici pueri filius, cujus tutor erat Eningnulphus. Nec Sclavi eo tempore quietam vitam degere potuere; eam ob causam Ludovicus Germanicus ad suorum defensionem in hostes arma sumpsit, & Ansgario sedem pontificialem restituit. Ea ætate Ditmarsia Duci Saxoniæ subdita fuit, sed tamen venerabilis Ansgarius jus ecclesiastici officii in Ditmarsos habuit; de quo viro non am-

Ansgari in convertendis ad Christum gentibus diligentia.

præsertim apud Danos.

Sivertus & Ericus Reges Daniæ tumultuarii.

Ericus Haraldi filius Rex Daniæ.

Ericus puer Sivardi filius Rex Daniæ.

Ejus sævitia in Christianos.

Fit Christianus per Ansgarium.

Bella Normanorum sub Ludovico. Ansgarii fata & fuga.

Canutus Erici filius Rex Daniæ.

Ludolpho v. §. 15. & 26.

amplius, qui cum vitæ curriculum fideliter, non tamen sine curis, peregisset, animam deposuit sanctissimam.

10. *Sub Duce Saxoniæ Ludolpho & Remberto Archipræsule.*

§. 20. Peracto Ansgarii viri sanctissimi funere sacerdotum conventus Remberto, qui à nonnullis Robertus dicitur, pontificatum Hamburgensem tradidit. Iste erat pauperis miserique hominis filius, & ab Ansgario educabatur, nec vitæ sanctimonio & morum magistri successione indignus fuit.

11. *Sub Duce Brunone.*

§. 21. Ludolpho primo Saxoniæ Duci defuncto filius major natu Bruno successit nomine avito ita a parentibus appellatus, vir ob religionis sinceræ defensionem celebris. Dum hæc in Saxonia geruntur, interim Ludovicus Germanicus moritur, vir bellicosus, quem reges Germanorum ejus filii sequuntur Carolomanus, Ludovicus & Carolus Crassus cognomento. Hujus mortem animadvertentes Dani Normanique, Nordalbingiam & Saxoniam populabundi invadunt, prædas agunt, oppida incendio vastant, mortales trucidant aut captos ducunt. Ea injuria Saxonum Dux Bruno commotus ex omnibus provinciis copias scribit, opinor & Ditmarsos adfuisse, mittitque literas ad antistites & viros illustres, qui periculis intellectis aut accedunt aut auxilia mittunt. Rembertus Hamburgensis Pontifex interim domi manet & non solum precationibus & ad Deum suspiriis, sed & votis nuncupandis rem gerit. Nam Dani viribus superiores facta impressione multos occidunt, multosque gradum referre cogunt; quam ob rem palantes jam Christianos veluti pecora subvertunt, ipsum Brunonem in acie fortiter dimicantem cum aliis principibus viris & episcopis trucidant. Ceteros aut fuga servavit aut vincula & ensis absumpsit. Hac victoria Dani Normannique potiti majus direptionibus incursionibusque & cædibus damnum dedere atque præda onusti in patriam abiere. Rex tum Danorum erat Gormo Anglicus cognomento regis Frotonis filius. Iste Bruno, qui prælio occubuit, Brunsvigam urbem condidit. Quo sepulto frater Tanquartus dux Saxoniæ constituitur, qui in Ditmarsos vel imperium habuit, ut frater bello absumtus, vel Ditmarsiæ principem ei obnoxium habuit. Isto Tanquarto, a quo pars Brunsvigæ Tanquarodo dicitur, absumpto frater minor natu e filiis Ludolphi Otto cognomento Magnus succedit, vir prudentia & felicitate insignis.

Ludovici Germanici obitus A. 876. ejus filii. A. 880. Vastatio Nordalbingiæ sub Carolo Crasso.

Bruno occiditur a Normanis A. 861. vel 876.

Gormo Daniæ Rex.

12. *Sub Tanquarto.*

Otto M. Dux Saxoniæ.

§. 22. Per Germaniam imperium tenebat Carolomanus, quo defuncto frater Ludovicus succedit, qui fratris Carolomani filium Arnolphum educabat. Nec Ludovicus diu superstes fuit, qui moriens Carolum filium hæredem reliquit, tertius deinde Germanici filius Carolus Crassus, mortuo Ludovico Balbo Cæsare, imperator salutatur, vir quidem non infelix, cujus imperii anno octavo Rembertus Hamburgensis pontifex moritur a. 888.

Carolomani Imp. obitus A. 888.

Carolus Crassus Imperator.

Remberti obitus.

§. 23. Inferiis Remberti celebratis pontificatus Hamburgensis Adalgario viro virtutibus cognito traditur. Hujus tempore Carolo Crasso Cæsari imperium abrogatur & Arnulphus salutatur Augustus, quo morbo phthiriasi absumpto filius Ludovicus Imperator fit, homo adversa fortuna & sævitia præditus. Interea temporis Adalgarius pontifex moritur & comitia sacerdotum apud Hamburgenses sedem pontificalem Hogero committunt. Hi omnes jam memorati præsules ecclesiastico munere Ditmarsis præfuere. Hogeri pontificis ætate Otto Magnus dux Saxoniæ cum aliis defuncto Ludovico IV. Cæsare Conradum, Imperatorem dicunt, sed nonnulli Carolum posthumum regem Galliæ ad imperium vocant. Interea Otto M. vitam cum morte commutavit, & Saxones ejus filium ducem appellavere Henricum, qui ob studia puerilia nomen aucuparii meruit; hic quoque Caroli Posthumi contra Imperatorem Conradum partibus studebat.

Arnulphus Imp. A. 890.

A. 903. Adalgarius moritur A. 909.

Hogerus Archiep. Brem.

A. 903.

A. 912.

Henricus aucupis.

13. *Sub Duce Henrico Calvo s. pingui Rosenfeldensi i. Herfevel-densi.*

§. 24. Hujus Henrici Aucupis tempore, ut apud Cranzium invenio, apud Ditmarsos imperabat & apud Stadienses Henricus dupli-ci cognomine Calvus & Pinguis appellatus. Iste Henricus Rosenfeldis habitabat, nunc dicitur Hertzveld, princeps egregius, ut nihil supra. Etenim non invenio, quod Ditmarsos ac Stadienses exactionibus offenderit. Præterea scitu dignum, quod mentio cujusdam principis Stadiensium Gereonis vocabulo apud Peucerum extet; qui fueritne hujus Henrici Calvi filius aut prosapia cognatus, mihi plane obscurum est. Hic Calvus Ditmarsiæ & Stadiæ princeps, comitis titulo, ut tum mos loquendi erat, multos liberos genuit; inter quos Henricus Bonus fuit, qui Deo devotus religiosum habitum induit, & aliquantisper inter monachos vitam egit tranquillam; de quo postea.

Genealogiam Gereonis autor Tab. I. exhibet. Henrici Calvi posteritas.

§. 25. Circa hæc tempora pontifex Hogerus vir insignis vitam deposuit, & Reginwardus in successorem apud Hamburgenses evehitur, sub cujus ecclesiastica potestate exemplo antecessorum ager Stadiensis, Ditmarsia, Nordalbingia, Saxonia & omnes septentrionariæ provinciæ fuerunt. Hujus Reginwardi seculo Conradus Imperator filius Conradi Principis & Arnolphi Cæsaris nepos obiit, quare nonnulli Arnulphum Bavarum, alii Henricum Aucuparium imperatores dixere, sed Henrici studentes partibus superiores fuere tandem, ut Arnulphus nomen Augusti deposuerit. Ita Henricus Auceps primus e Germanis, primus e Saxonibus Cæsaris vocabulum meruit. Iste ad Nord-Albingiam ei subditam defendendam exercitum in Cimbriam duxit, regem Danorum Gormonem hominem sævum Haraldi superioris filium devicit, & marchionatum Slesvicensem condidit; unde nomen Danomarchia adhuc supereſt. Rex vero Danorum Gormo iste fuit, qui Thyram, fœminam pudicam & Christianam duxerat in thalamum; e qua peperit Canutum & Haraldum, qui hæredes a Britannis avoque materno appellati sunt Angliæ; cum vero Canutus prælio apud Hybernos cecidisset, & pater filii necem cognovisset, mœrore brevi post

Hogeri obitus A. 919. v. Tab. & Reginwardus succedit.

Conradus Imp. obiit A. 912.

Ao. 912.

Henricus auceps marchionatum Slesvicensem instituit.

Danomarchia unde dicta.

Gormo Rex Daniæ, ejus Conjux & liberi.

post extinctus est; cui successit alter filius Haraldus adhuc superstite matre Thyra Britannici sanguinis. Præterea Henricus Auceps Cæsar Sclavos in suam ditionem coëgit, *Henrici Aucupis victoria in Sclavos.* Hunnos sæpe populationibus Saxoniam invadere suetos multis præliis contrivit, gessitque alia domi militiæque, quæ jam brevitatis gratia omitto. Hoc principe mortem obiit *Reginwardus obiit Ao. 927.* Reginwardus Hamburgensis Pontifex, & Unnio mitra pontificiali decoratus sacris rebus *Unnio succedit.* præficitur. Hunc omnes Unni appellant.

15. *Sub Henrico bono. Henrici Calvi filio.*

§. 26. Exstincto Ditmarsorum & Stadiensium principe Henrico Calvor filii successerunt hæredes, sed minor natu Henricus vestem sumpsit religiosam, qui fratres cum essent omnes defuncti vita, proceres senatusque Stadiensium atque Ditmarsorum, (nam Ditmarsia olim & tum sub dominio Stadiensium Principum fuit,) nec non propinqui, ne talis illustrissima familia funditus exstingueretur, ad Henricum superstitem Calvi filium accedunt, ut deposita monastica vita paternum susciperet dominatum; quibus precibus stimulatus Henricus hæreditatem adiit fratrum jam defunctorum: huic erga Deum Opt. Max. & ejus religionem pietas pariter ac modestia Boni dederunt vocabulum. Etenim ante dominium vitam inter fratres cucullatos degebat severam & precibus refertam. In Republica sapientem, honestatis, tranquillæ concordiæ & religionis studiosum agebat principem. Cum igitur his virtutibus Henricus Bonus esset decoratus, ab omnibus, non solum a popularibus, sed etiam a vicinis prin- *Ditmarsia cum ditione Stadensi antistitibus Bremensibus olim subdita v. §. XIX. in tutelam Saxoniæ ducum traditur.* cipibus colebatur. Ideo Respublica Ditmarsiæ & Stadiensis ditionis in summa pace floruit. Nunc pauca dicenda sunt de Ditmarsica regione, quæ una cum ditione Stadensi antistitibus Bremensium subdita fuit; sed hi ad defensionem non satis validi contra Normanorum injurias, Imperatorum mandatis, has provincias in tutelam Saxonum ducibus tradidere. Postea hæ regiones peculiares dominos habuerunt; inter quos Henricus Calvus, de quo diximus, & iste Henricus cognomento Bonus superioris filius fuere. Hæc ideo notata volo, ne nascatur obscuritas.

Ao. 938. Otto M. Imperat.

§. 27. Morte absumpto Henrico Aucupe Cæsare, Otto, cui ob res gestas magni cognomen fuit, Imperator Augustus dictus est; quamvis ideo maximis periculis obnoxius fuerit, divino tamen subfultus numine hostium omnium machinas evasit. Etenim Tanquartus filius nothus ei arma intulit, sed cum *Contra quem varia seditio exorta est.* suo damno; nam a militibus circumventus ille spurius transfigitur. Porro Ottoni rebellionem fecere Henricus frater, Eberhardus Franco e superioris Conradi Cæsaris e fratre nepos, & Lotharingius Giselbertus, qui Cæsarianorum armis devicti triste posteris documentum dedere; solus Henricus frater Ottonis veniam impetravit. His tumultibus *Bellum in Slavos & Danos.* vix sedatis filius Ludolphus patri imperatori fecit bellum. Præterea Otto Magnus cum Sclavis, Hunnis atque Italis bella gessit: ad hæc bellum suscepit in Danos adhuc paganos.

de Westphalen. Monum. ined. Rer. Germ.

§. 28. Dani enim Saxonicas in Cimbria colonias atque marchionem Slesvicensem interfecerant; qua de causa Otto irritatus collecta fortissimorum juvenum manu Cimbriam per Holsatiam populabundus invasit, cujus præsentia territus Rex Daniæ Haraldus e Scania obviam occurrit hosti: sed prælium colloquio diremptum est, in quo Haraldus, quem antea Unnio Hamburgensis pontifex adiit, & Sueno Stivescegæ filius, qui & Suenotto dicitur, catholicæ fidei nomen dedere. Deinde Otto in patriam reversus est. *Marchionatus Slesvicensis interitus. A. 938.* *Ao. 936.*

§. 29. Unnio pontifex cum religionem Haraldo regi Danisque tradidisset, Sueciam adiit, ubi naturæ concessit; corpus quidem ejus Hamburgi, caput vero in Suecia tumulatum est. Vir erat pius & paganorum hostis, in quo religionis piæ sanctimonia cum vitæ & morum integritate ex æquo certabat. Decessit ex hac vita imperante adhuc Henrico Aucupe, Adaldago deinde Hamburgensium pontificalis dignitas committitur, viro optimo, deque religione catholica non male merito; ideo etiam hujus Ottonis Magni fuit scriniorum magister ejusque filii & nepotis. *Unnio obiit A. 936. ejus successor Adaldagus.*

§. 30. Otto Imperator seditionibus in Italiam vocatus tumultus pacavit & Romanum antipapam Benedictum relegatum Hamburgum in Saxoniam ad Adaldagum misit, deinde in inferiore Saxonia, ubi Nord-Albingia est, ducem designavit Hermannum Bilingium, qui filiorum suorum moderator ante fuerat. Hic Hermannus primus est Saxoniæ inferioris, & cum agro Luneburgensi provincias trans Albim subditas sibi habuit Holsatiam, Stormariam & Ditmarsiam, quæ tamen proprio, ut dictum est, regebatur principe. Interea temporis Otto Magnus Henrici Aucupis e Diderici Ringelhemii, (cujus genealogiam supra posuimus,) filia filius animam deposuit; quo post Carolum Magnum imperium Germanicum neminem præstantiorem tulit, sive spectaveris fortitudinem sive pietatem. Post hunc filium Ottonem Germani imperatorem dixere, quod male ferens Henricus Hezelo patruelis & Henrici Rixosi filius ei rebellonem fecit fretus auxiliis Haraldi Regis Danorum, sed rebellis propterea proscriptus solum mutare coactus est, & Haraldus vero Danus jam matre Thyra defuncta regno a filio Suenottone expulsus & tandem ab ejus milite Tagone sagitta percussus interiit. Postea Otto, cum vitam peregisset admodum tranquillam, fato concessit. Dictus fuit hic ob victoriam a Saracenis partam pallida mors Saracenorum. Itaque Germani filium ejus Ottonem adhuc impuberem imperatorem Augustum salutarunt. Hic septemviros constituit per Germaniam. 16. *Sub Duce Hermanno Bilingio.* *Ottonis M. obitus.* *A. 974. Ottoni II. Imp. sese plures opponunt, inter quos Haraldus Rex Daniæ.* *Ottonis II Imp. obitus & expeditio contra Turcas. Otto III. eligitur Imp.*

§. 31. Dum hæc in Germania geruntur, interim in Saxonia inferiore obiit Hermannus Bilingius primus Saxonum princeps ex obscura familia, tamen honesta, ortus. Hic etiam in Nordalbingos imperium habuit, postquam filii Benno & Lotharius diviso dominio succedunt, hic apud Holsatos & Stormarsos, ille vero ducatum paternum obtinet. Cum jam 17. *Sub Duce Lothario Hermanni filio. A. 984.*

facta ſit Lotharii Nordalbingiæ principis mentio, brevibus verbis de gentibus, quæ trans Albim olim habitarunt, expediam. Ad Albis amnis fere oſtium longo tractu Gambrivii agros coluerunt, & Marſi, a quibus hodie deſcendunt Ditmarſi, Stormarſi, Crempermarſi, Wilſtermarſi, reliquiæ vero Gambriviorum ſunt Hamburgenſes: juxta Albim loca tenuerunt Sabalingii, & his vicini erant Teutones; deinde Cimbri, qui longe lateque regnabant ad boream, uſque ad Sliam vero amnem Sigulones, mox Vitæ, proximi ad ſeptentrionalem plagam Chalichabi & Cobandi; tractum vero verſus orientem ad Cimbricum pelagus ſeu Balticum inhabitabant Heneti, quorum pars Wagri ſunt & tota Megapoleorum ditio. De Hamburgo vero invenio apud antiquos ſcriptores, urbem eam Trevam nuncupatam; unde vero Hamburgum nomen e Saxone Danorum ſcriptore Cranzius indicat, ab Hama, Saxonum pugile duello a Dano gladiatore Starcatero devicto. Quibusdam ex his nominatis regionibus Lotharius præfuit; nempe Holſatiæ, quæ Cimbrorum pars & Teutonum eſt, Stormaſiæ, quæ Marſorum; vocabulum enim eſt compoſitum e Stora fluvio & Marſis. Benno vero Saxoniam tenebat, & ob inſignes ejus virtutes primus Elector ſeu ſeptemvir ab Ottone puero Cæſare vocabatur. Horum fratrum erga imperium Romanum merita ingentia fuere.

Transalbini quinam ſint.

Hamburgi ſitus & etymon.

Stormarſia.

18. *Sub Sifrido majore marchione. 983.*

§. 32. De Henrico bono, qui Ditmarſiæ reipublicæ præfuit, ſupra ſatis dictum; quo abſumpto filii Ditericus & Sifridus apud Stadienſes & Ditmarſos ſucceſſerunt. Hi Marchiones appellati ſunt viri ſtrenui & patriæ defenſores, quorum autoritati pariter & felicitati ſcientia militaris non tantum etiam virtutes reſpondebant. Apud Danos regnabat Suenotto, cujus a religione ſincera defectio magnam pyratis Danicis, qui Aſcomanni vocabantur, licentiam prædandi dedit. Ideo hi prædones claſſe pelagus Britannicum transfretarunt, & oram Stadienſem tenuerunt. Ibi expoſitis copiis Stadium expugnatum diripuere, captos principes Ditericum & Sifridum cum magna præda abduxerunt. Sed Sifridus liberatus vinculis, deluſisque cuſtodibus ex eorum manibus ſalvus evaſit; quam ob cauſam ſupra modum indignati Aſcomanni Ditericum manibus pedibusque truncatis dehoneſtarunt. Sifridus vero elapſus copias non ſpernendas conduxit, & ſeptemvirum Bennonem Saxonem adiit, cum quo in hoſtes impetum fecit; quibus partim trucidatis, partim captis atque ſuſpenſis, fratrem Ditericum mutilatum reſtituit in libertatem. Sifridus poſtea vitam egit pacificam, ut nomen indicat, quod victoria cum pace conjuncta inſignem hominem intelligo. Ut Ditericus eſt Deo carus, & Henricus ſalute dives ſeu domi locuples.

Suenotto Daniæ rex. Aſcomanni.

Adaldagus moritur Ao. 988.

§. 33. Interea temporis mortem obiit Adaldagus Hamburgenſium pontifex, vir venerabilis & tribus Ottonibus Auguſtis a conſiliis & pœnitentiæ Suenottonis Regis Danorum autor. Nam occiſo Haraldo patre Suenotto *Striveſcega* imperium paternum occupavit, devictuſque ſæpe a Sclavis tandem ab Erico Sueonum principe regno exutus eſt: quo etiam defuncto filius Olaus, qui Jacobus dicitur, exilium ejus miſeratus Suenottoni regnum reſtituit. Converſus itaque ad Chriſtianiſmum Suenotto Popponem ab Adaldago pontifice in Daniam Brema miſſum præconem divini dogmatis conſtituit. Poſt Adaldagi deceſſum pontifex efficitur Hamburgi Libentius homo Italici generis & non vulgariter doctus: apud Nord-Albingos tum Reipublicæ præerat Lotharius & ſeptemvir Benno.

Suenottonis Reg. Dan. converſio. leg. Tiuſnega.

Poppo.

Libentius Archiep. B. Nord-Albingiæ principes.

§. 34. Dum hæc geruntur in Germania, animam depoſuit Otto Cæſar cognomento puer, qui, ut Peucerus ait, erat animi magni, ingenii, induſtriæ, conſiliorum & ſapientiæ argumentis ſummus. Et principes Henrici Hezelonis filium Henricum ſanctum cognomine & claudum imperatorem Auguſtum dixere. Huic ob eam dignitatem maxime adverſi erant Echardus Saxonum marchio, quem Lotharius & Benno Saxonum princeps ſeptemvir oppreſſerunt & fratres conjugis Conigundis Henricus & Theodoricus Metenſis.

Ottonis III. Imp. mors.

Henricus ſanctus Imperator. A. 1032.

§. 35. Benno apud Saxones ſeptemvir primus ſeu Elector ex hac mortali vita deceſſit relictis liberis Bernhardo & Ditmaro ſui dominii hæredibus, quorum alter Ditmarus Stormarſiam & Holſatiam obtinuit, alter Bernhardus Saxonum ſeptemviratum, viri impii & accepti beneficii immemores. Sequenti poſt obitum Bennonis anno Libentius pontifex Hamburgenſium morte defunctus eſt; poſt quem religioſorum hominum conventus ſacratam tiaram Unwanno tradidit, qui & Vurranus eſt vocitatus. Hic Unvanus magnas inimicitias cum Bernhardo ſeptemviro aluit; nam Bernhardus una cum fratre Ditmaro inſidias Henrico imperatori molitus fuerat, ideo ab Unvano correptus pontificatui Hamburgenſi non levia damna intulit. Ad hæc Ditmarus accuſatus crimine læſæ Majeſtatis, convictusque cum in duello cecidiſſet, ejus mortem ulturus arma in pontificem Unvanum cepit & urbem occupavit. Deinde Bernhardus Sclavos irritavit ad rebellionem; nam Obrotritorum regulus Miſtivous una cum fratre Mizodrago & patruis Nacone & Sederico Holſatiæ & Stormariæ magnam vaſtitatem intulit, cæde, direptionibus & incendiis urbem Hamburgum direptam ſolo fere æquavit, ſed tandem collatis ſignis prælio edito ſuperatus veniam pacemque petiit. Iſte Miſtevous erat filius Miſilai, qui Bellungo regulo Sclavorum ſucceſſerat, pace impetrata a Bernhardo ſeptemviro veram repudiati Chriſtianiſmi pœnitentiam egit, & moriens majori filio Anadrago homini crudeliſſimo Slavicum imperium reliquit.

Benonis obitus Ao. 1012. liberi ejus.

Libentii Archiep. Brem. obitus. Ao. 1013.

Unwannus ſucceſſ.

Bellum Slavicum.

Miſtevoi obitus Ao. 1057. Chytræus poſuit. 1063.

Anadragus ſucc. Conradus Salicus. Ao. 1025.

§. 36. Poſt Henricum ſanctum auguſtum Imperator Germanorum fuit Conradus Salicus, quamvis ejus privignus Erneſtus Suevus, & Gelphus Bavarus Conradum patruelem

lem elegerint. Hujus tempestate floruit rex Danorum potentissimus Canutus Magnus, victor Sueonum, Britannorum, Norvegiorum & Gallorum insignis, Suenottonis filius, cujus consiliis septemvir Bernhardus & Imperator auxiliis est usus. Huic Gotschalcus Sclavus militavit, cujus patre Udone ab Holsato transfosso, Ratibor Obotritorum imperium rapuit; quam ob rem Gotschalcus exul militatum in Daniam abiit. Hunc Canutum regem Danorum filii ordine successionis sequuti sunt, Haraldus Harefota, & Canutus cognomento Harda, & deinde ex pactis Olai viri sancti Norvagii filius Magnus, qui Ratiborem Sclavum per Holsatiam cladem Cimbriæ inferentem superavit. Hæc digrediens dixi: nunc calamum reduco ad Cæsarem Conradum, qui adhuc vivens filium imperii sui consortem fecit Henricum. Interim Pontifex Unvanus morbo absumptus est.

Canutus M. Rex Daniæ.

Godeschalcus Udonis filius.

Successio filiorum Canuti.

Henricus Conradi filius Imp.

19. *Sub Sifrido minore, Libentius II. Archiep. Brem.*

§. 37. Post Unvani obitum sedem Hamburgensem Libentius secundus hujus nominis obtinuit. Supra diximus de Diterico & Sifrido Ditmarsorum & Stadensium principibus, quibus defunctis Sifridus minor Sifridi filius paternam adiit hæreditatem, vir egregius & illustris. Nec invenio Ditmarsis & Stadiensibus gravem fuisse. Hic minor Sifridus genuit Udonem majorem, quem & Lotharium fuisse appellatum accepimus; de quo in sequenti Libro.

Udo Sifridi minoris filius.

§. 38. Itaque breviter a nobis est expositum de Ditmarsorum origine, vocabulo, moribus & rebus gestis, atque eorum illustribus viris & regulis, quemadmodum fuere Sichardus, Ditericus, Edelhartus, Albio & Vitechindus; qui gravissima cum Gallis bella gessere. Præterea Utho, Ludolphus, Brunoque, cujus fratres Tanquartus & Otto Magnus. Hos vero fuisse principes nonnulli conjecturis opinantur suis. Porro Ditmarsiam tenuisse Henricum Calvum, Henricum Bonum, Sifridum majorem & hujus filium Sifridum minorem, sententia est manifestior. Ad hæc, dictum est Ditmarsos pontificibus obnoxios fuisse & præsertim primum Bremensibus, quorum nomina posuimus; deinde Hamburgensibus, quorum seriem adscribere operæ pretium censeo. Hi autem fuere post Eridagum, Ansgarius, Rembertus, Adalgarius, Hogerus, Reginwardus, Unnio, Adaldagus qui & Adalgagus, Libentius, Unvanus & Libentius secundus; quo absumpto in pontificem evehitur Hermanus, qui tribus annis sedit. Nunc secundum librum incipiam: nam peractus liber annos CCCC. complectitur.

LIBER SECUNDUS.

20. *Sub Utone majore alii Lothario.*

§. 1. EXtincto Sifrido minore, filius a patre quasi per manus traditum Stadiensium & Ditmarsiæ iniit principatum Uto major vocabulo, qui & Lotharius a scriptorum nonnullis vocitatur, homo egregius nec majoribus virtutum splendore inferior. Hic in thalamum duxit principem mulierem Suevicæ originis, quæ Rodolphi Suevorum ducis, qui bellum cum imperatore gesserat, de qua re postea, amita fuit. Nec plura de isto Ditmarsorum principe apud autores invenio.

Origo & natales Friderici domini in Stade & Ulrici frat.

Hujus tempore mulier Britannica ob quædam negotia e patria in Saxoniam inferiorem profecta, cum jam Albim teneret, ingens tempestas ventorum exorta est, qua procella navi ad littus Stadiensis agri elisa fœmina naufragium facere coacta est, ibique cum filia juxta littus madida & enatans omniumque rerum inops ab hominibus est capta, & cuidam prædiviti viro vendita, cujus filia specie pulcherrima homini mediocris fortunæ nupsit, qui ex illa peperit tres filias, quarum unam facie honesta vir nobilis Reinaldus nomine in matrimonium duxit, eique partu edidit Fridericum Stadensem & fratrem Ulricum. De qua re postea.

Bezelinus successor Hermanni.

§. 2. Cum naturæ satisfeciisset Hermannus præsul, Hamburgensem pontificatum Bezelino viro optimo, quem & Alebrandum scriptores vocant, viri religiosi detulerunt. Hic magnifice restauravit Basilicam parietinas facientem, & satis ample Hamburgi palatium condidit. Hujus pontificis tempore post patrem Augustum Henricus Niger Cæsar imperator nuncupatus est, qui ante imperii cum Conrado patre consors fuerat. Hu-

Henricus Niger, Imp. Ao. 1040.

jus Augusti anno tertio Bezelinus, qui & Alebrandus, exitum fecit. Quapropter Hamburgensium homines sacris dediti suspensi de pontifice creando tandem pedum pontificale Adalberto, qui e Guelphorum Bavariæ principum familia genitus erat, viro illustri & ad hanc dignitatem idoneo dedere. Hic Sueonem Estritam Danorum regem diris ob quædam scelera & veneres devovit. Nam hic Sueno homo nimis in libidinem proclivus erat & pellicum amore flagravit supra modum, e quibus procreavit, qui deinde ei defuncto ordine successerunt, ut Haraldus. Canutus cognomento sanctus, qui Sclavos oppugnavit & Othoniæ in templo Albani Blaconis proditoris perfidia occisus est una cum fratre Benedicto, quem frater tertius Olaus sequutus, cujus tempore Dania magna caritate & fame laborabat; & alios filios habuit, de quibus postea. Hic Sueno Estrita etiam filiam Siritam genuit, quam Gotschalcus Obotritorum ob militiam meruit. Porro Adalbertus pontifex multa gessit domi forisque, quæ brevitatis causa silentio committo. Hujus tempore mortuo Henrico nigro nomine tantum Henricum filium cognomento seniorem & ob ætatem adhuc tali dignitate non idoneum Germani proceres Augustum salutarunt & matri Agneti imperium commiserunt, atque pueri tutelam gerenti Conrado homini Suevo. Sed his abrogatis Germani Adalbertum hunc pontificem Henrici novi imperatoris constituere tutorem, cujus indulgentiis, ut nonnulli posteris prodiderunt, puer male educatus evasit superbus & dissolutis moribus; cum autem vitam Augusti di-

Ao. 1043.

Adalbertus Bezelini successor, qui Sueonem Estritam diris devovet.

Mors Canuti M. Reg. Dan. & successio filiorum ejus.

Gotschalcus Siritam Sueonis filiam in uxorem ducit.

Henricus niger obiit, Henricus filius ejus succedit. Ao. 1057.

Adalbertus Henrici pueri tutor præmoritur obiit.

sciplinis & ejus educationi non respondisse intelligeret, mœrore contabuit.

Bernhardus obiit.

§. 3. His in Germania gestis interim Bernhardus septemvir inter vivos esse desiit, cujus filii Ordolphus & Hermannus hæreditatem paternam divisérunt, & alter Hermannus Holsatiæ & Stormariæ potitus est principatu, alter ut major natu Bernhardi patris septemviratum Saxonicum obtinuit Ordolphus. Circa hæc tempora Gotschalcus reversus in patriam Sclavoniam, dum populares ad fidem catholicam conatur adducere, a suis circumventus trucidatur misere, cujus filii, alter Henricus in Daniam, alter ad hunc septemvirum Ortolphum nomine Buthue confugiunt implorantes opem contra Critonem, quem Slavi regulum post Gotscalci necem salutarant. Ortolphus vero precibus Butue commotus exercitum ex Holsatis, Ditmarsis & Saxonibus conflat & contra Critonem in Butue auxilium mittit. Sed Crito Rugianus, homo felix, Butue obviam vadit atque multis occisis multisque in fugam conjectis ipsum Butam ad Glonam occidit. In hac historia fit Ditmarsorum mentio, qui contra Critonem cum Butue exercitu missi fuere; eam ob causam Cranzius arbitratur Ortolphi & superiorum septemvirorum Ditmarsiam imperio subjectam fuisse. Slavi vero in Christianos furiis incensi duce Blussone Holsatiam Stormariamque vastant, prædas agunt & pecora abducunt urbemque Hamburgum captam funditus diruunt: quam ob rem Adalbertus pontifex ex urbe miser excessit in alium locum contra Slavorum tyrannidem munitum. Tali ira in Christi fideles Crito Slavique flagrabant, ut constituerent totam gentem Christo sacratam aut radicitus delere, aut mortem oppetere.

21. *Sub Ortolpho.*

Slavi sub duce Blussone Holsatiam & Hamburgum vastant. Ao. 1066.

Adalberti obitus, cui succedit Liemarus Ao. 1072.

§. 4. Adalbertus non longo post temporis intervallo vitam deposuit maxime piam. Hic vir injurias non modo Saxonum principum sed etiam Slavorum persecutionem, qui ei non tantum mortem, sed supplicium crudelissimum minitati sunt, passus est & sentiit. Post hujus miseri exitum Ecclesiastica dignitas ad Liemarum doctrina & pietate non vulgariter insignem virum delata est. Hic ultimus Hamburgensium nomine fuit pontifex: nam postea Bremensium pontifices nominati sunt successores. Huic Liemaro adversus erat Ericus Eigotha, qui Canuto sancto apud Danos successerat; ea de causa Liemarus eum anathemate percussit; sed Danus hunc flocci fecit, profectusque ad Romanum pontificem Danis metropolim Eccleſiam impetravit. Erici Eigothæ frater Bero erat, qui Holsatiæ partem & Frisiam victoria tenuit, sibique Ditmarsos tributum pendere coëgit, cumque munitionem moliretur ad defensionem subacti populi, nempe Ditmarsorum & Holsatorum, inter concionem a quodam immisso percussore hic Bero occisus est; cujus mortem Ericus Eigotha frater ulturus filiam cuidam Acquino cum fraternæ cædis ultione mandato dedit.

Ultimus Hamburgensium præsulum.

Qui cum Erico Eigoth dissidia fovet.

Bero Erici Eigothæ frater occidtur a Ditmarsis.

§. 5. Ordolpho defuncto filii succesſerunt: nam Magnus major natu susscepit paternum septemviratum in Saxonia inferiore, alter Otto Holsatiæ & Stormariæ principatus iniit, cujus Ottonis liberis in bello ante patrem occisis ipsoque Ottone extincto fratris dominium Magnus adiit & cuidam Godofredo attribuit. Ita Godofredus Holsatiæ & Stormariæ princeps evasit.

Ordolphi obitus Ao. 1073.

§. 6. Hoc seculo prodigia horrenda & plurima fuere, ut Peucerus scribit, quæ omnium statuum mutationes indicarunt & bella civilia Germanorum; arsit sidus crinitum, fulsere igneæ acies, exauditi sunt strepitus confligentium exercituum, visa arma in cælo cruenta, & obsessæ civitates, faces ardentes, jacula ignita, monstrosi partus editi, loquuti infantes in utero materno, panes fracti fluxere sanguine.

Prodigia & bella civilia Germanorum.

§. 7. Nunc ad Henricum seniorem imperatorem redeo, qui cum ad maturam ætatem perveniſſet, Saxones ducibus Magno septemviro & ejus fratre Hermanno & aliis ei bellum intulere satis cruentum; sed cum ipsorum maximo damno resumserunt etiam de integro, in quo bello & Ekbertus Saxonum marchio militavit. Cum autem bellum adverso marte hi principes gessissent, constituere ducem belli designare, qua de causa contra Henricum Rodolphum, qui Imperatori ante faverat, Cæsarem Augustum dixere, sed hic a Cæsarianis duce Godofrido devictus una cum victoria vitam amisit. Hic fuit Suevus, cujus amita Utoni majori, ut dictum est, nupsit principi Ditmarsorum. Postea Saxones Romanorum pontificum autoritate nixi Hermannum Lotharingium Islebii principem salutarunt Imperatorem, sed ipse Henrico Cæsari supplex factus paulo post morte miserrima interiit. Interea Romani contra patrem nomen Augusti filio dedere Conrado, sed non diu superstes fuit, postremo Saxones Henricum juniorem filium contra patrem jam senio confectum imperatorem appellarunt, quo a filio Henricus senior devictus, omni augustali dignitate exutus est. Hoc intestinum bellum Saxonibus magnum detrimentum dedit; nam Ecbertus marchio in hoc bello periit, & Lotharii principis pater, qui Lotharius adhuc ætate juvenis Liemarum Hamburgensium pontificem e ditione expulit & cepit, quod Henrico Cæsari studeret. Item in hoc bello captus est Elector & Dux inferioris Saxoniæ Magnus, quem carceris squalor consumsit. Hoc Imperatore Godofredus Bulioneus, qui imperatori tulit opem contra Rodolphum Suevum, profectionem in terram sanctam instructus ingentibus Saxonum, Danorum, Frisiorum, Gallorumque copiis susscepit, atque expugnata Judæa fusis fugatisque Turcis & Saracenis primus rex Hierosolymitanus evasit.

Bella in Germania Imperatori & Ducibus Saxoniæ mota.

Rudolphus Imp. cujus amitam Udo dominus Ditmarsiæ in uxorem ducit.

Hermannus Lotharingus Imp. electus statim obiit.

Conradus Henrici filius Imperator.

Henricus contra patrem Imp.

Ecbertus marchio in hoc bello periit.

Magnus Electior captivus. Ao. 1106.

Godofr. Bulioneus primus rex Hierosolytanus.

§. 8. Quæ jam dixi, ad rem non faciunt: sed ea delectationis gratia legentibus addidi. Nunc calamum reducam ad argumentum, quo digressi sumus. Dictum est antea Utonem majorem, qui & Lotharius vocatur, Ditmar-

21. *Sub Utone minore marchione Soltwedelensi, qui confirma-*

tionem comitatus Stadæ & Ditmarsiæ ab Archiep. Bremensibus accepit.

marsis & Stadiensibus præfuisse principem; qui cum inter mortales esse desiisset, filius Utho minor, quem etiam Lotharium appellatum fuisse Annales Holsatici prodiderunt, patri Utoni majori succesit, vir laudabilis. Hic marchionatum Soltwedeliensem tenuit, & a Bremensi pontifice principatus agri Stadensis & Ditmarsiæ confirmationem accepit. Fuit hic igitur Stadiensium & Ditmarsorum Dominus, pontificum Bremensium cliens, quem beneficiarium appellant; Udonis vero nomen Ottonis vocabulo congruit, ideoque unam significationem habere, mea opinio est; nam Hassones Ottonem Hottonem vocant, quod patrem intelligit Lutherus. Post hunc Udonem minorem Ditmarsia & Stadiensi ditione potitus est Ludolphus, homo incertæ originis, de quo postea suo loco dicemus; Stadiensis vero regio, cujus sæpe memoriam facimus, est territorium, (ut etiam ante dictum est,) inter Viseram & Albim habens ab oriente Luneburgensem agrum, ab occasu oceanum Britannicum; quam provinciam olim Chauchi, qui & Caici & Chauchones uno nomine appellantur, incoluerunt, gens invicta & Romanis cognita.

sc. Adelberto.

Humbertus Liemari successor. An. 1103.

§. 9. Post Liemari ultimi Hamburgensium pontificis mortem sacerdotes Humberto Ecclesiasticam tradidere dignitatem. Hic Humbertus primus pontifex Bremensium fuit, & pontificalem honorem Bremensibus dedit, sedit annis tribus; quo absumpto Fridericus hujus nominis primus Bremensium pontifex creatus est. Nunc redeo ad Ditmarsos, a quibus digressus sum.

22. *Sub Ludolpho.*

§. 10. Post Udonem minorem, qui etiam Lotharius dicitur, Ditmarsis & Stadiensibus præfuit Ludolphus; quod nomen Germanico sono indicat virum insignem & mortalium decus & præsidium. Hunc ex aliena familia eaque obscura fuisse ortum, annales Holsatorum significant. Iste Ludolphus in thalamum illustrem duxit inclytam principem, Idam vocabulo, Cæsaris Henrici nigri ex fratre neptem: sed cum ea vitam non diu peregit; nam adhuc florentis ætatis juvenis morbo correptus diem obiit. Post cujus Ludolphi ex hac vita mortali decessum, Dedo princeps egregius Ditmarsiæ & Stadiensi agro præfuit; quibus provinciis connubio viduæ Idæ potitus est, quam unice dilexerat, & ideo matrimonio sibi copulaverat; sed ea successio & felicitas Dedoni male cesit. Enim vero tantus furor & dominii odium Ditmarsorum plebem invasit, ut extemplo consilia de ejus nece struxerint. Occasione ergo Ditmarsi nacta oppressum Dedonem miserrime obtruncarunt, hoc fato stupendo maxime indignum. Post hujus occasum tristissimum Ethelerus cognomento Candidus ob staturæ & formæ venustatem, relictæ Idæ infelicis feminæ nuptias ambiit, quæ propter Dedonis mariti cædem horrendam, mœrorem pariter & luctum contraxerat, quam cum in thorum duxisset, una cum ditione Stadiensium dotis loco & Ditmarsia est potitus, cum suo magno malo: nam eodem dolo malo, quo Dedo circumventus fuerat, Ditmarsi omnem dominatum exsecrantes ei incauto & tale nihil metuenti vitam crudeliter eripuere. Hunc infelicem exitum Ethelerus quoque habuit: hinc patet, quanta contumacia & erga magistratum rebellio Ditmarsorum hominum superbissimorum & sanguinolentorum sit.

Conjugem ducit Idam Cæs. Henrici nigri ex fratre neptem.

sub Dedone altero conjuge Idæ.

23. *Sub Ethelero tertio conjuge Idæ.*

24. *Sub Egberto Idæ filio. An. 1066. nisi error subsit. v. tab. Synopticam in fine.*

§. 11. Occiso itaque Ethelero candido apud Ditmarsos & Stadiensem ditionem principatum iniit Egbertus Idæ filius, spes & præsidium matris. Hujus tristem occasum etiam Ida vidit & deploravit; nam exortum est bellum levi ex causa, ut opinor, (nam armorum & discordiarum occasionem nondum, quod scio, legi) inter hunc Egbertum Stadiensium & Ditmarsorum principem & inter Udonem Soltwedelæ marchionem. In copiis Egberti Stadienses & Ditmarsi atque Saxones fuere pro patria & principe pugnaturi; sed Udo potentior erat & copiis militum superior: quapropter cum ad conflictum res pervenisset, & ab utrisque partibus framea, conto & telis fortiter equitum turmæ & cohortes peditum prælium gessissent, pars inferior cedere coacta est; itaque militum manus Soltwedelensium occisis multis atque in pedes conjectis victoriam deportarunt & Egbertum fortiter dimicantem oppresserunt, cujus cædes prælium & bellum diremit. Mater Ida filii Egberti audiens necem, antea satis ob inceptas inimicitias mœsta & anxia majorem, quam unquam habuerat, dolorem accepit & miseriam atque tota domus in fletus ivit una.

Bellum inter Udonem & Egbertum.

Sub Ida vidua.

§. 12. Post filii Egberti fatum infelix Ida rempublicam administravit & victorem, qui filium suum interemerat, Udonem Soltwedelensem adoptavit filium; etiam Oda, Idæ filia, Russorum regulo nupsit. Est autem Rusia feris & melle abundans regio, Oceano Hyperboreo, qui glacialis & piger dicitur, proxima, ubi Biarmia ad septentrionem natio Lapponum est: spectat Rusia ad ortum & meridiem Sarmatas, Polonos & Scythas; ad occasum sinum Phinnonicum. E Rusia juxta lacum album in Phinnoniam, quæ vulgo vocatur Finlandia, profectio terrestris versus plagam arctoam & in Norvagiam per Laponum solitudines atque in Sueciam circa Botnicum pelagus versus meridiem, patet. Botnicum enim mare e meridie longe lateque in Boream excurrit, ubi fit Sueciæ septentrionariæ & Phinnonicæ conjunctio. Est autem Rusia duplex; rufa, in qua Chiovia civitas, & alba, in qua insignis urbs Mosqua.

Oda Idæ filia Russorum principi nubit.

Rusiæ descriptio.

Idæ miseria & vita ærumnosa.

§. 13. Nunc redeo ad propositum. Fuit Ida ante alias mulieres longe miserrima. Quis enim mortalium, quem omnes calamitates quasi e composito oppugnant, infortunio alios non superat? Sicut hanc principem miseriæ innumeræ, ut sunt tristes maritorum & liberorum exitus, oppresserunt, atque ideo omnibus modis feminarum infelicissimam reddiderunt. Cui enim ærumnas experto felicitatis vocabulum non asignatur? Sed cum Idæ omnibus fortunæ telis opposita fuerit, mulierem nuncupare beatam non audeo; nam aliud ex alio malum tulit; nunc primi mariti Ludol-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

phi obitum, mox alterius Dedonis horrendam cædem, mox eſt experta tertii mariti Etheleri Candidi necem nefandam. Nec has miſerias tantum perpeſſa eſt Ida, ſed illius mœrorem auxere non ſolum triſtis filii Egberti exitus, ſed quoque popularium perverſus & rebellis animus; propter has miſerias, quibus patrui filio Cæſari Henrico ſeniori, de quo dictum, haud diſſimilis, femina in maximum dolorem incidit, & vitam traduxit imprimis ærumnoſam.

Sub Udone III.

§. 14. Poſt infelicis Idæ exſequias Udo hujus vocabuli tertius ejus adoptivus filius, Soltwedelenſis marchio, qui prælio Egbertum occiderat, apud Ditmarſos & Stadienſes ſuccedit. Quo tempore infelix Imperator, ut dictum eſt, Henricus ſenior Germaniæ imperium tenebat. Hic Udo hos liberos reliquit, Henricum longum, Rodolphum majorem & Udonem hujus nominis quartum, qui paternam inter ſe diviſere hæreditatem; de qua re ſuo loco.

Udonis III. filii.

Henricus junior Cæſ. patri ſuccedit. An. 1106.

§. 15. Imperiali dignitate dejecto & defuncto Henrico ſeniore, qui fuit vir invicta fortitudine, inſignique bellandi peritia & patriæ pater, qui ſexagies bis fortiter in acie dimicaverat, filius Henricus junior Imperator Auguſtus ab omnibus Germaniarum proceribus renunciatus eſt. Hujus ſeculo ſidus crinitum arſit & ingens peſtilentia graſſata eſt. Hic Henricus Cæſar poſt Magni ſeptemviri in cuſtodia defuncti mortem Lotharium Suplemburgicum in ejus Electoratum, Saxoniæque ducatum reſtituit: ſed hic malam gratiam Imperatori ob hoc beneficium retulit; nam Lotharius in Cæſarem arma meditatus fax & autor Saxonibus proceribus ad rebellionem fuit. Inde graviſſima bella nata, in quibus Saxones Lothariusque ſeptemvir benefacti oblitus Henricum juniorem ſæpe fuſum ſuperarunt. Hic Lotharius afflixit Liemarum pontificem Hamburgenſium ultimum, qui Adalberto (ut ſupra etiam eſt annotatum) Guelpho ſucceſſerat & a Bezelino tertius fuerat.

Cometa.

Lotharius ab Henrico Cæſare Electoratui & Ducatui Sax. reſtituitur. An. 1109.

Godofridi Nord Albingorum principis obitus.

§. 16. Antea Godofredi Nordalbingorum principis fecimus mentionem, quem paucis equitibus munitum ex inſidiis Sclavorum prædones, dum eorum agmina inſequitur, trucidarunt miſerrime. Poſt hujus itaque necem Lotharius ſeptemvir, qui, ut diximus, Saxoniam Imperatoris Auguſti licentia obtinuerat, & in Nord Albingos jus ideo habebat, Holſatiam & Stormariam Schaumburgio principi Adolpho, hujus vocabuli primo, e Salisvitarum familia oriundo commiſit. Ita Adolphus apud Holſatos ex alia familia primus eſt princeps Comitis titulo, ut tum mos erat. Circa hoc tempus in Dania Nicolaus regnabat, quem vulgus Kong Nils vocitabat. Hic tali modo ad regnum venit. Poſt Erici Eigothæ, (de quo ſatis antea,) in terram ſanctam profectionem, præfectus Danorum in ejus abſentia Haraldus Malus filius fuit, cujus Erici cognita (nam in Cypro vitam obiit) morte Dani de rege creando ſuſpenſi fuere. Itaque Suenone in itinere mortuo & in conventu Iſovenſi Imperium Ubbone propter ætatem ſenilem abnuente Nicolaum minimum inter Suenonis Eſtritæ liberos regem dixere. Hic duorum liberorum pater infelix fuit; nam alter Ingo inter equitandum ſocordia moderatoris lapſus miſere interiit; alter Magnus, qui Sueonum rex fuit, multarum calamitatum autor fuit: de quo poſtea.

Adolphus I. princeps Holſ. & Storm.

Nicolaus Rex Daniæ.

Nicolai regis filii.

§. 17. Abſumpto Friderico præſule religioſorum hominum caterva Bremenſis pontificem creavit Alberonem. Interea vitam Udoni III. mors eripuit. Cujus liberi hæreditatem inter ſe partiti ſunt. Major natu filius, (ut opinor,) Henricus cognomento longus ob corporis venuſtatem & proceritatem non diu vixit; ſuperſtites Rudolphus major & Udo IV. principatum diviſere, Udo Stadienſem agrum obtinuit, Rudolpho autem Ditmarſia & Soltwedelenſis marchia obvenit.

Status Ditmarſiæ ſub Rudolpho Udonis III. filio. Albero Brem. præſul ſuccedit Friderico.

§. 18. Udo IV., cum vitæ curriculum tranquille admodum egiſſet, naturæ ſatisfecit. Hujus filius adhuc impubis Henricus apud Stadienſes paternam hæreditatem adiit, ſed ob ætatem ejus principatum adminiſtrarunt tutores, inter quos eminebat Fridericus, cujus proſapiam in vita Udonis majoris diximus, hujus frater germanus Ulricus, ambo patre Rainaldo, matre Britannici generis nati. Iſte Fridericus, ut puerum Henricum hæreditate exturbaret, apud pontificem Bremenſium Alberonem & Lotharium ambiit fraudulenter dominium, quæ machinæ Rudolphum (ſc. majorem Udonis III. filium) Ditmarſorum principem arma ſumere juſſere.

Sub Friderico Henrici tutore.

§. 19. Rodolpho majori nati filii Rodolphus minor & Hardvicus. Nunc calamum ad propoſitum reduco. Fridericus manibus pedibusque in eam rem, ut ſibi principatum Stadienſem vendicaret, incubuit, & tandem precibus effecit, ut, ſubmoto ob pueritiam Henrico hærede, Stadienſium principis nomen adeptus ſit, conſenſu Alberonis Bremenſium pontificis, qui in hanc ditionem jus habebat, & imperatoris & ſeptemviri Lotharii licentia. Quam ob cauſam Rodolphus major animi anxius, ut fratris filii curam ſuſciperet, quemadmodum debuit, literas pro eo ad Alberonem Bremenſem & Lotharium Saxonem dedit, quibus Fridericum tutelaris officii immemorem & hominem ſceleroſum pupillo ſuo nepoti Henrico inſidias ſtruere & his machinis, quibus Stadienſem provinciam obtinuerat, ejus oppreſſionem moliri indicavit, interminatusque eſt bellum, ni verus hæres Henricus reſtitueretur in integrum. Poſtquam ſatis diu egiſſet injuriarum, & ei poſtulanti ſenatum nullum adverſum dediſſent, ſupra modum indignatus copias militum, quibus incurſiones & rapinæ cordi erant, non ſpernendas conflavit. Itaque Rodolphus, (cujus nomen re convenit; nam virum conſilio pariter ac ſubſidiis multum pollentem ſignificat,) fortiſſimorum juvenum manu inſtructus Fridericum perfidum dominio, quo ſemper indignus fuit, fuſum fugatumque expulit, & amiſſum Stadienſium principatum hæredi fratris filio Henrico reddidit, deinde Alberonis, qui Friderico dominandi licentiam dederat, ditionem Bremen-

Rodolphi majoris filii Rodolphus & Hartvicus.

Rudolphus major Henrici ex fratre Udone IV. nepotis jus defendendi contra Fridericum tutorem in ſe ſuſcipit.

Henricus amiſſum principatum Stadienſem recuperat.

Rudolphus ditionem

Bremenſ. Alberonis vaſtat. menſem populabundus invaſit, & ex agris prædas egit. Nec ita quidem nata diſcordia ſopita fuit. Friderici pulſi familiares & amici; id quod factum rati Henrico adoleſcenti homini nuper a patruo ſuis reſtituto venenum propinarunt; quo poculo infectus puer, annis creſcentibus dignus, vitam tenellam reliquit miſere. Nec meliorem exitum Rodolphus major patruus habuit.

Henricus veneno tollitur.

Sub Rudolpho minore interemto a Ditmarſis Rodelpho majore. §. 20. Interjecto deinde tempore inimicitiæ graves inter hunc Rodolphum majorem & ſubditos Ditmarſos exortæ ſunt. Nam cum tabulas contra eorum plebiſcitum ferret, Ditmarſi ingens odium concepere, & furorem maximum in ipſum propterea effudere, ita ut de ejus cæde conſilia agitaverint, & quidem eorum conſpirationi reſponſum eventus dedit. Enimvero Rodolpho circumvento vitam ferro Ditmarſi eripuere ſatis crudeliter.

Encomium Rodolphi majoris. Hunc exitum quidem Rodolphus habuit indebitum, qui domi militiæque multa egregie geſſit, quorum pars ad poſteros venit, pars perpetuis noctibus ſepulta jacet; filii vero

Rudolphus minor. ejus, major natu eodem nomine Rodolphus, ſed reſpectu patris minor vocitatus, hæreditatem patriam adiit, & Ditmarſorum provinciam atque Marchiam Soltwedelenſem jure obtinuit, ſed Stadienſis ager ſub ejus imperio non fuit. Nam Stadii principatum ab exilio reſtitutus Fridericus poſt Henrici pueri fatum poſſidebat Alberonis pontificis licentia minor natu Rudolphi. Hartvicus, qui habitum religioſum ſumpſit, & ab eodem pontifice munere Eccleſiaſtico donatus, Bremæ præpoſitum egit.

Rodolphi majoris encomium. §. 21. Erat autem Rodolphus major vir ſingulari beneficentia, talique ideoque cæde a popularibus Ditmarſis, ut dictum, perpetrata non meritus, ſed operæ pretium eſt ejus vocabulum poſteritatis memoriæ mandari; nam hos, qui aliis præſertim amicis auxilii loco fuerant, rerum geſtarum ſcriptores ob eam virtutem laudibus cœlotenus tulerunt. Hic vero princeps, ut oppreſſum nepotem libertati & imperio vendicaret, contra hoſtes arma induit. Eam ob cauſam magnum beneficium fratris filio præſtitiſſe, quis dubitat, omnique laude celebrandum? Enimvero, qui opitulatur, beneficus eſt, quemadmodum ipſe Rodolphus, qui Henrico nepoti opem contra Fridericum & pontificem, (uti dictum eſt,) tulerat. Certum eſt, qui aliis præſto eſt, eum dici benignum, atque ſuo auxilio & præſentia rem omnibus percaram agere, qui autem tale officium facit, vir eſt optimus.

Lotharius Imp. An. 1127. §. 22. Mortuo Henrico juniore, pars Germanorum Lotharium Saxonem ſeptemvirum, qui Magni Electoris demortui filiam habuit, ſed Conradum Franconem Fridericus Suevus patruelis & Leopoldus Auſtriacus Imperatorem dixere, atque ejus partes ſequuti ſunt; ſed Saxones tandem effecere, ut Lotharius ſolus auguſtam dignitatem retinuerit, & cum æmulo Conrado pacis conditiones factæ ſint. Hic Lotharius, (cujus etiam ſupra ſatis mentionis eſt,) multa domi militiæque ante imperium & poſt ſumptam Cæſaream dignitatem egregie geſſit, & inter alia bellum Bohemicum, in quo apud hunc imperatorem Auguſtum Hartungus Adolphi I. Schumburgii Holſatiæ principis major natu filius ſtipendia fecit, ſed infeliciter: nam prælio mortem oppetiit. Præterea hic Lotharius Danis bellum fecit. Erici Eigothæ filius Canutus Slesvicenſium dux quibusdam pactis cum Henrico Slavo contractis Obotritorum dominatum obtinuerat, & inſuper ab iſto Cæſare Sclavorum Rex erat renunciatus; nam poſt defunctum Sclavorum Henricum Regulum, qui Slaviæ dolis per equitem quendam Danici generis Critonem tyrannum ſuſtulerat, de quo ſupra diximus, ſucceſſit major natu filius Suentoplogus, Adolpho I. Holſatiæ principi amicus, & Canuti fratris cædis autor & fax: quo occiſio a Daſone, filius quidem Suentoplochum patrem imperio ſequutus Suinico; ſed non feliciter: quo etiam abſumpto ex pactis, ut diximus, Canuto Slesvicenſi Obotritorum regnum eſt traditum. Sed iſte honor ei magnum dedit periculum; nam Nicolai regis filius, qui apud Danos, ut ſupra eſt memoratum, rerum potiebatur Magnus Sueonum rex homo ſceleſtus Canutum virum pientiſſimum ob partam dignitatem perſequens, & Henrici Sueonis, (quem in itinere mortuum eſſe diximus,) filii flagitiis adjutus atque arctiſſimi fœderis & familiæ oblitus eum incautum occidit. Hujus Canuti cædes cum eſſet perpetrata, fratres Ericus & Haraldus malus ultionem meditati ſunt & præcipue Ericus, (nam alter Haraldus ad Magnum parricidam flexit perjuros pedes,) qui miſſis legatis auxilium & opem ab hoc Lothario imperatore petiit. Inde bellum inter Danos & hunc Lotharium conflatum, quod tandem a Nicolao & Magno deprecatum. Nec tam iſta cædes inulta permanſit. Etenim Canuti occiſi frater Ericus exercitu parvo fretus nacta occaſione Magnum parricidam oppreſſit prælio, & Nicolaum regem ſenio confectum facta conſpiratione ſuſtulerunt Slesvicenſes, poſt cujus mortem Ericus iſte apud Danos rerum potitus eſt. Hic fratrem Haraldum malum a Cimbris in concione Urnica regem ſalutatum una cum liberis excepto Olao, quem fuga ſervavit, propter perfidiam occidit. Nec Ericus periculis fuit vacuus; nam in concione Ripis a Plogo milite eſt obtruncatus.

Bellum Bohemicum.

Bellum Danicum.

Canutus Dux Slesv. & ex patris Dux Slaviæ.

Henricus Slaviæ rex Critonem occidere jubet.

Suentoplogus Henrici filius.

Canutus Henr. filius a Daſone occiditur.

Magnus Nicolai regis filius

Canutus Ducem Slesv. occidit.

Fratres Canuti eadem vindicant.

Magnus & Nicolaus perimuntur.

Haraldus malus ab Erico fratre interimitur.

Ericus Rex Daniæ occiditur.

§. 23. Poſt Canuti Dani cædem apud Slavos rebus præfuit Præbislaus Idæ filius & Buthue Obotriti nepos, cujus ætate Raca Rugianus e Critonis domo oriundus navigio & copiis prædonum populabundus in Vagriam venit & Lubecam antiquum oppidum de ſtirpe delevit. Hujus principis ætate Albero Bremenſium pontifex Vicelinum verbi divini præconem per Holſatiam & Vagriam in Sclavoniam miſit. Hac quoque tempeſtate Adolphus Scumburgis Stormariæ Holſatiæque princeps vitam reliquit, homo induſtria, patientia, labore, animi magnitudine præclarus; poſt quem minor natu filius Adolphus hujus nominis ſecundus, nam major filius Hartungus, (ut dictum eſt,) in Bohemico bello periit, patris prin-

Præbislaus Rex Slaviæ.

Race vel Raze Lubecam delet.

Vicelinus in Holſ. & Vagriam ab Alberone mittitur.

Adolphus Comes Holſ. obiit An. 1331.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Adolphi II. facta. principatum adeptus est, iste homo Vagriam Sclavis ademit & Lubecam novam adductis e Flandria, Frisia, Belgicisque provinciis coloniis condidit.

Rudolphus minor dominus Ditmarsiæ. §. 24. Apud Ditmarsos post Rodolphi majoris cædem rempublicam tenebat minor Rudolphus, vir strenuus & audax. Interea in Italia Lotharius Cæsar peste extinctus est, *Obitus Lotharii Cæsaris.* cujus discessu cognito gener ejus Henricus superbus Bavaricæ originis apud Saxones Electoratum obtinuit: deinde sibi augustalem honorem propter socerum defunctum deberi arbitratus imperium Germanicum ambiit *Contentio inter Henricum superbum & Conradum de Imperio. Ao. 1140.* quoque: sed res ei quidem male cessit; nam Germanorum proceres eo fastigio Franconem Conradum dignum rati imperatorem dixere. Se autem spretum Henricus superbus septemvir animadvertens subditos ad arma vocat; inter quos & Adolphus secundus Holsatiæ & Stormariæ princeps erat. Mox *Conradus fit Imperator.* Imperatori novo Conrado bellum indicit, res ad arma venit, pugnatum dubia martis alea, tandem Cæsariani victores, Saxones victi discedunt. Conradus Imperator itaque superior prælio Henricum superbum omni septemvirali dignitate exutum proscribit, & *Albertus Ursus septemvir.* Saxoniæ ducatus Alberto cognomento Urso tradit. Ita Electoratum Albertus obtinuit. Fuit autem Henricus superbus Bavariæ Princeps & ex Gelphorum familia ortus, primusque ex hac gente apud Saxones dux septemvir.

§. 25. Cum Albertus Ursus imperatoris licentia septemviratum accepisset, omni ditione hostes suos movit. Itaque Adolphum secundum Holsatia & Stormaria expulit, quod Henrici Gelphi partibus faviset. Pulso itaque Adolpho in exilium, in ejus locum sub- *Adolpho in exilium pulso surrogatur Henricus de Badevide.* rogavit Henricum Badevichium, virum animi magnitudine decorum, qui quidem non magno popularium favore Holsatis, Stormariis & Vagriis imperitabat.

Res in Daniæ gesta sub Erico. §. 26. Circa hæc tempora Danorum rex erat Ericus cognomento Lam, Fionius, Aquini nobilis viri & Annæ, patre Erico Eigothæ natæ, filius; cujus adversus fuit Olaus Haraldo malo progenitus, quem Scanii regem nuncuparunt. Nunc calamum ad imperatorem reduco. Conradus Augustus, ne solus imperio præesset, Henricum filium sibi consortem dignitatis fecit, cujus mortem pater imperator cito sequutus, gubernaculum imperii Germanis reddidit, qui diversis studiis modo Fridericum ejus filium Augustum designandum arbitrati sunt, sed ætas pueri prohibuit; tandem melioribus suffragiis augusta *Fridericus Barbarossa Imperator. Ao. 1152.* insignia Friderico, quem Itali Barbarossam, Virgilius Polydorus Barbarubrum, alii Ænobarbum diversis cognominibus vocant, tradidere. Hic demortui imperatoris erat fratris filius & sapientia clarus & rebus gestis.

Henricus Leo injuriam patri suo Henrico illatam vendicat. §. 27. Reliquerat moriens Henricus superbus teneræ ætatis puerum Henricum Leonem, qui coram imperatore Conrado, qui adhuc tum vivebat, sibi injurias fieri, quod ob delictum parentis Saxoniam & Bavariam amisisset, causatus, restitutionem petiit; deinde cum ei de hac re statim non daretur responsio, arma sumpsit in Albertum Ursum septemvirum, ejusque belli socios habuit Adolphum secundum Holsatia pulsum, & Rodolphum minorem Ditmarsiæ & Soltvedeliæ principem, & alios illustres viros, quibus fretus Albertum Ursum devicit non raro. Tandem apud Fridericum imperatorem effecit, ut Albertus Saxonico Electoratu discesserit, ipseque paternum dominium obtinuerit, quod parens ambitus accusatus & damnatus amisit. Ita Henricus Leo apud Saxones septemvir evasit, pulso, ut dictum, & devicto Alberto Urso Adolphus secundus auxiliis Saxonum patria & dominatu superatum prælio Henricum Badevicum ejecit, qui priusquam *Henricus de Badevi. de Nordalbingia ejicitur.* fugam capesseret, Hamburgum & alia oppida per Holsatiam, Stormariam & Vagriam vastavit. Ita quoque Adolphus hoste fugato suum recepit.

§. 28. In superiore capite & in aliis fecimus Rodolphi minoris mentionem, & apud *Rudolphus Comes Ditmarsiæ Henrico Leoni succurrit.* Ditmarsos patri Rodolphi majori succesisse annotavimus. Hic Rodolphus Leonis partibus studens bellum septemviro per Saxoniam Alberto Urso indixit, comparatisque copiis munitusque Henrici Leonis auxiliariis militibus hostem aggreditur: pugnatum quidem vario marte telis, sagittis & framea; tandem ipse Rodolphus militesque ejus superiores Albertum Ursum pariter ac Brandeburgicos pedem referre atque fugæ se mandare coëgit, qua victoria potitus non minimam viri fortis & felicis laudem est consequutus; deinde inter ipsum Rodolphum minorem & Ditmarsos ejus subditos, quemadmodum & patri Rodolpho accidit, discordia gravis est excitata.

§. 29. Hujus principis mors maxime est *Cedes Rudolphi & conjugis Valpurgis.* memorabilis & tristis, quam satis luculente Albertus Cranzius & Johannes Petrejus annalium Holsatorum conditor descripsere; cujus facies hæc est. Respuentes omnem dominatum Ditmarsi genus hominum seditiosum & adprime crudele rebellionem fecere atque proprium principem Rodolphum minorem immissis percussoribus, suorum popularium sævitia pariter ac perfidia in Bochelo *Vulgo Böckelnburg.* monte circumventum satis sceleste obtruncarunt. Nec illius cæde Ditmarsi contenti, quin etiam Rodolphi uxorem Valburgam captam vi, pedibus manibusque truncatam ac pariter naso auribus mutilatam in profluentem conjecere. Ita una cum marito infelix Valburga suorum tyrannide periit misere. Servat adhuc illius vocabulum fluvius, locusque perpetrati sceleris & Rodolphi minoris inclyti viri cædis ab incolis ostenditur. Nec *Henricus Leo cædem Rudolphi bello vindicat.* multi evasere Ditmarsi; Henricus enim Leo septemvir Rodolphi beneficii memor atque ad vindicandum tale facinus fœdum paratus de illis rebellibus & parricidis grave sumpsit supplicium. Hic fuit præstantis in sago & in toga viri & Valpurgæ, quam in illustrem thalamum duxerat, exitus non meritus.

§. 30.

Encomion Rudolphi minoris comparatione cum Rodolpho seniore facta.

§. 30. Erat autem Rodolphus iſte minor vi animi corporisque excellenti, ad omnem audaciam paratus, belli patiens, manu ſtrenuus & firmus, & ad ferenda amicis atque operis auxilia paratus, nec patri Rodolpho majori erat diſſimilis. Uterque enim pugnando ſtrenuus, & ad quamlibet controverſiam repellendam impiger: nam pater metuenda pati paratus fuit, ſi cominus inſtarent; hic vero filius malis quidem non ceſſit, ſed contra audentior ibat: porro in hoſtes victoria utrique & mavortia felicitas non deerat. Rudolphus enim pater Fridericum Stadienſem principem una cum Alberone pontifice Bremenſium ejus partibus ſtudenti armis devicit: filius vero Rodolphus Alberti Urſi ope imperatoris freti potentiam, ut diximus, bello fregit. Ambo etiam ad clientum defenſionem ſemper inſtructi & ob eorum cauſam a bello non abhorrentes. Enimvero hic filius, ut opem Henrici Leonis adoleſcentiæ præſtaret, arma in Urſum induit: Ille vero pater, ut nepotem ætatis puerilis Henricum & jam fere oppreſſum reſtitueret in integrum, tutori bellum fecit. Nec illis pro libidine & amore habendi bella cordi fuere, ſed pro amicorum auxiliis. Attamen utrique fortuna, quæ nunquam ſervat fidem, exitus triſtes dedit; nam patrem & filium diverſis temporibus populares Ditmarſi, ut dictum, necarunt tali infelice morte immeritos.

Hardvicus frater Ditmarſiam Eccleſiæ Brem. committit.

§. 31. Poſt occaſum Rodolphi frater Hardvicus apud Bremenſes eccleſiis præpoſitus, animi dubius & ob Ditmarſorum popularium ſævitiæ timorem, nam ab iis patrem, fratrem & alios illuſtres viros occiſos non ignorabat, & ob religioſi muneris officium, quo fungebatur, conſtituit Ditmarſiæ dominio valedicere. Itaque dum poſt Rodolphi minoris necem, ei hujus provinciæ hæreditas venit, ipſe Ditmarſicam provinciam Eccleſiæ Bremenſi committit atque pontificem Alberonem illius regionis hæredem dicit. Contra ſuum præpoſitum, vice verſa Hardvicum Ditmarſum Albero ſalutat Stadienſium principem, ſi vita fungeretur Fridericus. Ita facta permutatione Hardvicus Bremenſium præpoſitus Stadienſis agri fit dominus & pontifex fit Ditmarſorum. Interea temporis Fridericus moritur, cui ex ordinatione apud Stadienſes ſuccedit Hardvicus, quamvis ſibi Henricus Leo dominatum hunc vendicaret jure, ut verbis & re protulit.

Albero viciſſim Hardvico Stadam concedit.

Friderici Stadienſis mors.

§. 32. Bremenſium pontifex Albero quid geſſerit domi foriſque, ſatis metropolis Cranzii indicat: hunc autorem legito. Hic Bremenſis cum Rodolpho majore Ditmarſo inimicitias aluit; contra quem Friderico Stadienſi tulit opem: porro Ditmarſiam, Holſatiam, Stormariam peragravit. Hæ regiones Nordalbingicæ nominantur & Transalbianæ Stormariæ, ut etiam antea diximus. Vocabulum Stora amnis dedit. Separatur a Saxonia inferiore, (ubi tum temporis ſeptemviratus erat,) Bila fluvio. Hujus regionis partes ſunt, Crempemarſia ſic ab oppido arte naturaque munito Crempio dicta, & Vilſtermarſia, cui Vilſi Sclavonica gens nomen reliquere. Eſt autem Stormariæ metropolis Hamburgum. Proxima Stormariæ eſt Ditmarſia verſus ſeptentrionalem plagam, quæ, quemadmodum Stormaria, a Saxonia dividitur Albi fluvio. Huic regioni, de qua eſt præcipuum argumentum libri, ſubdita eſt parva inſula Buſa nomine, omnium rerum abundantia celebris: verſus corum eſt inſula alia quinque aut plus diſtans paraſangis, terra ſancta appellata, noſtro verum ſono Hilgelandia. Proxima Ditmarſiæ plagam orientem verſus eſt Holſatia, cujus olim emporium & caput novum monaſterium oppidum, nunc vero Chilonium & Rendesburgum, quod oppidum ad Eidoram eſt totius Holſatiæ propugnaculum. Terminі hujus provinciæ ſunt Eidora amnis, qui variis ambagibus oceano Britannico miſcetur, & ſinus Baltici pelagi Solthovius, atque fluvius Leventius, qui infra Chilonium ſeparat Holſatiam a ducatu Sleſvicenſi. Præterea, ut calamum reducamus, Albero pontifex antiſtitem deſignavit Vicelinum, virum, cui vera laude probitatis, diligentiæ & religionis, neminem antepono; hunc quoque in Sclavoniam miſit: ad hæc Bremenſis iſte una cum Henrico Leone, & Alberto Urſo bello ſacro contra Sclavos præfuit. Erat autem tum Sclavorum regulus Nicolotus poſt fratrem Præbislaum, homo impius & Adolpho ſecundo Holſatiæ principi inimicus. Nam cum ei bello ſacro preſſo ab Henrico Leone & pontifice atque Danorum regibus Adolphus Holſatus denegaſſet opem, indignatus Vagriam populabundus invaſit, oppidumque novum Lubecam incendit: ſed hic tyrannus crudelitatis & perverſæ religionis pœnas dedit; nam a Leone ſeptemviro prælio devictus multis vulneribus defoſſus interiit. Huic Nicoloto apud Sclavos filii Vertislaus & Præmislaus ſucceſſere; contra quos bellum ſacrum de integro per Henricum Leonem eſt reſumptum. Hæc digrediens dixi. Albero confectus ætate & curis tandem diem ſuum obiit; poſt cujus fatum in pontificatum Bremenſem homines religioſi Hardvicum præpoſitum ſubrogarunt: ita Ditmarſia ad verum hæredem iterum rediit. Iſte Hardvicus, ut ante de eo diximus ſatis, fuit homo plurimum autoritate, doctrina & vitæ caſtimonia valens: huc acceſſit familiæ ſplendor; nam ut annotatum a nobis eſt, §. 18. 20. 24. principum Soltvedelenſium & Ditmarſorum proſapia progenitus erat. Hunc virum integrum Henricus Leo ſeptemvir ob nimium faſtum tumidus & imperii amplificandi fame laborans odio ingenti eſt perſequutus: nam Stadienſem principatum ei ademit & Ditmarſorum dominum ſe eſt profeſſus.

Nordalbingia & Transalbingia.

Hamburgum metropolis Stormariæ.

Buza inſula deſcribitur.

Holſatia.

Chilonium & Rendesburgum.

Eidora fl.

Solthovius.

Vicelinus ab Alberone in Sclavoniam mittitur veræ doctrinæ propagandæ cauſa.

Bellum Sclavicum.

Nicoloti filii.

Alberonis mors, cujus ſucceſſor Hardvicus.

§. 33. Henricus Leo, qui omnem Saxoniam inferiorem & ſuperiorem, item Weſtphaliam, Friſiam & Sclavoniam tenuit, ſibi etiam Ditmarſiam vendicavit & pontificis Bremenſium Hardvici principatus. Hic cuidam militari homini Ditmarſos ſubdidit; iſte autem princeps ab Hiſtoricis Reinaldus appellatur nomine. Dum hæc in Saxonia gerun-

Sub Henrico Leone & qui ab eo delegatus, Reinaldo.

Bellum Danicum poſt

mortem Erici Lam inter Canutum & Suenonem.

geruntur, interim in Dania ingens lacrimabile bellum est natum; nam defuncto Erico Lam rege, Sielandici proceres Suenonem Erici a Plogo occisi filium regem salutarunt, contra quem Canutum Magno patre avoque Nicolao progenitum Cimbri sequuti sunt. Hunc Canutum auxiliis juvit Adolphus secundus Holsatiæ, Stormariæ & Vagriæ princeps; propterea supra modum indignatus Sueno ultionem cogitans Ethelerum hominem impigrum equestris ordinis e Ditmarsia regione oriundum contra Adolphum II. cum exercitu misit. Iste Ditmarsus ad Holsatorum principis perniciem totam Vagriam ferro & flamma pervastavit, ex agris prædas egit, oppida demolitus est, multos mortales captos & pecora abduxit. Hic Ethelerus Ditmarsici generis, regis Suenonis erat copiarum Dux & castris devotus.

Ethelerus Ditmarsus partes Suenonis sequitur.

Henricus Leo bellum contra Sclavos innovat.

§. 34. Henricus Leo inter alia, quæ gessit, bellum etiam de integro in rebelles Sclavos resumpsit. Etenim Verteslaus in custodia apud septemvirum habitus fratrem ad rebellionem literis hortabatur; propterea Leo ei Vertislao vitam laqueo eripuit, & fratri, qui rebellionem fecerat, Præmislao bellum fecit. In hoc bello Waldemarus Magnus Danorum rex fuit victor Rugianorum, qui occiso per Thelevum, Suenonis tyranni dolo, Canuto, quem Cimbri regem, ut est memoratum, dixerant, ipsoque tyranno ab ipso, prælio sublato, rerum apud populares potiebatur. Hic Waldemarus Canuti viri sancti & Slesvicensis ducis, atque Oborritorum reguli, (ut supra annotavimus,) filius erat. In hoc bello apud Henricum Leonem stipendia fecere Adolphus Holsatiæ & Reinhaldus Ditmarsiæ principes, quem in antecedente capitulo Ditmarsiæ dominum fuisse ab Henrico constitutum retulimus: porro etiam Henricus Leo septemvir abbati divæ Mariæ virginis & matris ad Stadium in Ditmarsia prædia cessit, cujus exitum postea recensebimus.

Waldemarus rex Daniæ in eo vincit.

Cui Adolphus & Reinaldus militarunt. v. §. 35.

Henricus Leo Abbati Stadensi in Ditmarsia prædia concedit.

§. 35. Adolphus II. Holsatus & Reinhaldus Ditmarsorum princeps sua præsentia & militum manu Henrico Leoni contra Sclavos tulere auxilia, sed infeliciter: nam ad Demini oppidi Sclavonici obsidionem ambo, & Adolphus & Reinhaldus, irruptione hostium oppressi vitam posuere; cadaver occisi Adolphi delatum est ad Mindam oppidum Vestphaliæ ibique tumulatum. Huic filius erat Adolphus tertius, qui ob ætatem impuberem patri quidem successit; sed ei tutores dati sunt Bruno & Marquartus & deinde Henricus Orelius, (*a*) princeps Thuringia ortus, qui Holsatiam, Stormariam & Vagriam aliquot annis rexit, atque Adolphi III. pueri matrem & Adolphi II. uxorem viduam Machtildem in thalamum illustrem duxit, e qua Adalbertum filium procreavit. Iste Orelius vir castrensis erat & viris religioni Christianæ devotis admodum durus. Reinhaldo vero interfecto a Sclavis, Hardvicus pontifex sibi Ditmarsiam vendicavit, nec diu deinde vitam egit, satis a Leone septemviro vexatus.

Adolphus II. & Reinhaldus apud Deminum cadunt.

Adolphus III. patris successor.

Adalbertus Orlamundanus.

Hardvicus sibi Ditmarsiam vendicat, sed obit.

§. 36. Post Hardvicum Ditmarsiæ hæredem defunctum, apud Bremenses inter sacerdotes de eligendo pontifice suspensos discordia exorta est: alii enim crearunt Sigfridum, Alberti Ursi filium; alii Otbertum designarunt pontificem: sed has controversias Gunzelianus Suerinensis adductis cohortibus ad præsidium urbis Bremæ adauxit. His vero designatis Sifrido & Oberto pontificibus ademptum est munus, & pontificalis infula ab Henrico Leone septemviro Balduino cuidam viro optimo est tradita. Hujus Balduini pontificis Bremensium res gestas luculente describit Cranzius. Hic ecclesiastici officii in Ditmarsos jus habuit, præsertim quod Hardvici vita defuncti successor fuit.

Balduinus Archiepiscopus Bremens. designatur ab Henrico Leone Ao. 1178.

Balduini Jurisdictio ecclesiastica in Ditmarsia.

§. 37. Post Henricum Orelium Thuringum Adolphus tertius hujus privignus apud Holsatos successit, homo impiger, nimius animi & ad manum paratus. Hic Henrico Leoni contra inimicos militavit. Nunc revertendum est, unde digressio est facta. Postquam aliquantisper pontificatui præfuisset summa cum laude Balduinus, senectute & morbo confectus diem obiit suum. Deinde sacerdotes Bartholdum subrogarunt; mox eo repudiato pontificem dixere Sifridum Ursi filium, cui ante repudium misere. Ita Sifridus Brandenburgensis decoratus Bremensium ecclesiastico munere insignis evasit. Iste quædam fecit, quæ ei a Cranzio dantur vitio.

Adolphus III. Henrici Orlamundani privignus.

Balduinus obiit & ei succedit Sifridus Ursi filius.

§. 38. Henricus Leo septemvir cum imperatoris augusti detrectasset edictum, ab adversariis crimine læsæ majest tis accusatus, tandem ab imperatore augusto Friderico Barbarossa ob contumaciam est proscriptus, ideo quod se suosque contra hostes defenderet. Exercitum vero comparavit, & auxilia evocavit ex omnibus provinciis ei obnoxiis; adfuere Adolphus III. Holsatiæ & Gunzelinus Suerini principes & alii cum copiis non spernendis, quibus sæpe adversarios fudit, sæpe in pedes conjecit, sæpe etiam delevit. Sed nescio quo furore Adolphum Holsatum odio atque jure prosequutus sit; nam apud illum rebellionis a Gunzelino & aliis frivole accusatum Adolphum III. jussit ire in exilium, & præfectos, ut illius proscripti provincias Holsatiam, Stormariam & Vagriam occuparent, misit. Ita infelix Adolphus patria pulsus pro beneficio damnum tulit. Audiens imperator Fridericus Henricum Leonem neque hostibus cedere, sed superiorem esse, & contra audentiorem ire, fortissimorum juvenum manu instructus Saxoniam e sententia proposita invasit, & iterum Henricum Leonem ad exilium damnavit, atque Bernhardum Anhaltinum Sifridi, (cujus supra est mentio,) Bremensium pontificis fratrem Saxoniæ ducem & septemvirum dixit, deinde Lubecam obsidione cinxit, qua deditione capta civibus privilegia dedit, atque ibi Adolphum Daslanum præfectum constituit. Erat autem tum Stadii Henricus Leo, qui cum sententiam pro-

Henricus Leo ab Imperatore proscriptus.

Adolphus III. ab Henrico Leone proscriptus.

Fridericus Imp. Henric. Leonem in exilium mittit.

(*a*) Henricus Orlamundanus.

proscriptionis & adventum Friderici Barbarossæ imperatoris audivisset, primum missis legatis scelerum veniam & bellum deprecatus est, deinde omni dignitate exutus navigio ad socerum in Britanniam abiit exul.

Henricus Leo veniam petens ab Imp. recipitur.

§. 39. Divus Fridericus Barbarossa imperator augustus dein patria expulso Adolpho III. amissas provincias Holsatiam, Stormariam & Vagriam reddit; hic vix restitutus cum Bernhardo Anhaltino novo Saxoniæ duce septemviro inimicitias suscepit. Istius Bernhardi prosapia usque ad Sigmundi tempora electoratum obtinuit, & sedem hujus honoris Vitebergæ, quod est ad Albim superioris Saxoniæ oppidum, posuit.

Fridericus Imp. Adolpho III. terras suas reddit.

Bernhardus Saxoniæ Dux & Elector.

§. 40. Cæsar Fridericus, ne solus imperii curam gereret, sibi filium Henricum asperum officii collegam fecit. Nec longo post temporis intervallo iter in Palæstinam suscepit, ut inde Turcarum & Saracenorum conatus reprimeret. Hujus profectionis inter alios principes viros socium imperatori se Adolphus III. præbuit, sed is priusquam patria discederet, Holsatiæ, Stormariæ & Vagriæ curam Adolpho Daslano Lubecensium præfecto commisit. Interea Sifridus Bernhardi per Saxoniam septemviri frater Bremensium pontifex mortem cum vita commutavit; propterea viri religione devoti Hardvicum, qui nuper Henrico Leoni ab epistolis fuerat, pontificem crearunt. Is fuit homo superbia insigni & ingratitudine vituperandus: hic enim Ditmarsiam in suam potestatem redigere est conatus; sed cum hic hujus gentis incidit nomen, exitum abbatis ad Stadium Deiparæ virginis, (cujus supra est mentio,) referre operæ pretium est. Hic abbas, ut exigeret sua nomina, in Ditmarsiam est profectus, sed plebs libertati assueta debitum pendere recusavit; ideo ipsum virum religioni Christianæ deditum, ne posthac illis molestias daret, ferro sustulerunt. O facinus fœdum! nec in hac nequissimorum hominum colluvie personarum aut dignitatis respectus est ullus.

Henricus asper patris in imperio consors Ao. 1190.

Adolphus de Dassel curam gerit regiminis Hols.

Hardvicus II. succedit Sifrido & Ditmarsiam in suam potestatem redigere est conatus.

Abbas Stadensis a Ditmarsis interficitur.

§. 41. In absentia Adolphi Holsatorum principis cum imperatore Friderico Henricus Leo ad repetendum suum in Saxoniam rediit, & ex omnibus provinciis, quas nuper habuerat, tantum agrum Brunsvicensem & Luneburgensem recepit; deinde Bardevicum delevit, & Holsatorum precibus vocatus in Stormariam & Adolphi III. ditionem venit, Lubecam occupavit, pulso inde Adolpho Daslone, cui omnes hæ provinciæ commissæ erant. Interim post lacrimabile Friderici imperatoris augusti fatum in patriam e terra Judæa rediit Adolphus III. Henricum Leonem omni sua ditione expulit, & Daslanum in suum restituit, deinde agrum Stadiensem invasit, obtinuit; sed ideo a pontifice Hardvico anathematis fulmine percussus Bremensibus hanc provinciam reddidit.

Henricus Leo absente Imperatore provincias repetit.

Adolphus III. Leoni provincias suas quas occuparat eripit.

§. 42. Submerso Friderico Barbarossa Cæsare, in quo imperatore magnitudo animi atque consilii, fides, constantia, moderatio, pietas adeo excelluerunt, ut nulla virtus magno viro & optimo principe digna defuisse videatur, extat insigne illius quoque apud Nicetam scriptorem Græcorum præconium. Succedit imperator Germanorum Henricus asper ejus filius, qui regnum Siculum pulsis inde Normannis occupavit. Eodem fere tempore Canutus post morte absumptum patrem Valdemarum magnum rebus Danicis præfuit; contra quem Scanii Suecum hominem Haraldum regem dixere, sed is cito fusus in patriam se recepit.

Encomium Friderici Barbarossæ

Canutus rex Daniæ.

§. 43. Hardvicus Bremensium pontifex, ut rebelles Ditmarsos in suam potestatem redigeret & illorum amissam provinciam Bremensibus restitueret, exercitum conscripsit, & Adolphum III. belli socium dixit, cujus & Holsatorum copiis adjutus Ditmarsiam invasit & ferre imperium coëgit atque tributum imposuit. Deinde eorum regionem Adolpho Holsatiæ principi, quod apud eundem Hardvicum in hoc bello stipendium & auxilium feciisset, compensationis loco commisit. Ita Adolphus Ditmarsiam obtinuit, & ideo totius Nord-Albingiæ princeps fuit opibus & potentia pollens. Sed nescio quam ob causam inter Canutum Daniæ regem, cujus frater Cimbriæ superioris, eodem tempore Valdemarus secundus dux erat, & inter ipsum lites exortæ sint, quæ ejus opes everterunt. Fuit autem Adolphus III. Holsatus Valdemaro Slesvicensium antistiti, Canuti, (quem a Thetlevo mala arte Suenonis tyranni oppressum diximus,) familiaris filio; iste antistes, quod insidias regi posuisset, ad vincula fuit condemnatus: interim Hardvicus præsul magnum æs alienum ob bellum gestum & alias res conflaverat; itaque, cum ei solvendo non esset, Ditmarsiam omnem Adolpho III. Holsato oppignoravit, & fere pontifex ob æris alieni magnitudinem a cuncta ditione, & Bremensium provinciis discedere est coactus. Ita fortuna, quæ a superbia supplicium sumere egregie callet, in hanc miseriam Hardvicum redegit pro meritis. His apud nostrates gestis interim Henricus Leo senectute confectus Brunsvigæ vitam reliquit.

Sub Adolpho III. qui provinciam ab Hardvico II. pro stipendio accepit.

Discordia inter Canutum Daniæ regem.

Henrici Leonis mors Ao. 1190.

§. 44. Erat Henricus Leo princeps omnium regulorum eo tempore magnitudine felicitatis nemini secundus & summum Germaniæ decus. Non enim est obscurum, quod, qui talibus virtutibus, (quibus hic fuit insignis,) decorati, Deum propitium habeant omnis felicitatis largitorem, & ideo infortunio cuncto inopes sint. Nam apud hunc virum non tantum erga Deum optimum maximum pietati, (quia propagator sinceræ religionis erat,) sed etiam justitiæ respondebat animi magnitudo atque rei mavortiæ peritiæ gloria, quia ob res præclare ab eo gestas Leonis cognomen invenit, quibus ornamentis ipse præditus contra quemlibet hostem prospero victoriæ calore utebatur. Sed qui tali sorte fruuntur, potentes evadunt, atque ob potentiam tumidi pro infimorum hominum conspectu nares crispant. Sic quoque Henricus Leo cum omnes principes viros magnis opibus atque imperio amplo longe anteiret, eum præter hæc vitia arrogantiam & fastum,

Ejusd. encomium.

Ejus vitia.

etiam ambitio immensa & aliorum contemtus æqualium, ut perspicue satis posteritati tradidit Spalatinus scriptor Germanicus & Saxo Grammaticus Danus, invaserunt. Nam cum amplissimas regiones obtineret Bavariam, Saxoniam, & una cum Vestphalia Frisiam, cujus Ditmarsia pars est, teste Cranzio, atque Sclavoniam, tamen major contra aliorum dominatus imperandi libido ejus animum irritabat. Ita ut in Fridericum Barbarossam imperatorem augustum rebellionem moveret, & cunctos socios præ sese contemneret. *Ejus infortunium.* Cum autem his vitiis, quæ Deo mortalibusque adversa sunt, laboraret, in causa fuerunt, ut in extremas calamitates inciderit, nam fortuna parit superbiam, superbia ignominiam, & tandem patria profugus, contemtus & extorris extiterit, e quo exilio atque ex Anglia mera imperatoris gratia revocatus in amissi imperii particula consenuit.

Divisio hæreditatis Henrici Leonis inter filios. §. 45. Post Leonis mortem filii hæreditatis partem patriam obtinuere, Otto Guelphus & Wilhelmus, qui in thalamum duxit Helenam, regum Danorum Canuti & Valdemari sororem, & Henricus, qui fuit Palatinus ad Rhenum. *Saxo Grammaticus laudatur.* Circa hæc tempora Saxo Grammaticus Danorum rerum gestarum insignis scriptor floruit, de quo hanc opinionem affero, inclytum annorum fuisse scriptorem & inde discordiarum notarium. Iste Danorum historiæ conditor fuit Absoloni & Andreæ Lundensium pontificibus familiaris & Roscildiæ præpositus, cujus monimentum in Basilica, ubi extat, a Flacco, ut me fecit certiorem Johannes Longus, natione Fionius ex oppido Asceniorum & Othoniæ ludi magister, positum.

Sub Waldemaro Episcopo Slesvic. §. 46. Nunc calamum ad Ditmarsos reducamus. Interea Ditmarsi Bremensium & Holsatorum jugum respuentes ad Valdemarum Slesvicensium antistitem accedunt, (cujus mentionem fecimus antea,) eique Ditmarsiam regionem offerunt supplices. Ita dominium, non cultum, hæc gens mutavit, quia divus Petrus apostolus & Bremæ & Slesvicæ colitur, ibique in ejus honorem fana sunt condita. Post Valdemarum, nam is ob læsæ majestatis crimen, ut dictum est, vinculis est traditus, Danis Canutoque regi deinde Ditmarsi paruere. *Canuti expeditio in Holsatiam, qui duce usus Waldemaro.* Postea rex Canutus expeditionem in Holsatos suscepit, & belli curam fratri Valdemaro Slesvicensium duci commisit. Quæ res huic genti Holsatorum, Stormariorum & Vagriorum terrorem incussit; nam singulari bellico apparatu & numero miltium Valdemarus dux rem & curam suscepit, mox trans Eidoram castris positis Holsatiam cum militum magna manu populabundus invasit, agros diripuit & oppida cepit, & Sigemontem, Plonam & alia; deinde ad Lubecam castra metatus deditione urbem obtinuit; mox occupavit Hamburgum, ibique singularibus ceremoniis est intromissus; deinde Adolphum III. amissa patria trans Albim, Stadium versus fugam capere coëgit, quem revertentem cepit. Erant autem in ducis Valdemari exercitu Ditmarsi, qui capto Adolpho necem & insidias struxere; postea dux hominem captivum per ora civium in triumphi modum duxit & fratri regi atque Danis infelicem Adolphum ad vincula misit. Subjugatæ itaque a Danis Holsatiæ & provinciis ei obnoxiis dux Valdemarus & alii præfecti præfuerunt. Post id tempus rex Canutus diem suum obiit, atque Dani ducem Valdemarum defuncti fratrem dixere regem. *Hamburgum capit. Adolphum captivum vinclis constringit Ao. 1186.* *Mortuo Canuto Valdemarus Dux Slesvicensis succedit.*

§. 47. In Germania post Henricum Asperum Cæsarem, imperator fuit Philippus Suevus frater. *Philippus Suevus Cæsar vel anti-Cæsar.* Contra hunc jussu Romani pontificis septemviri Bertholdo Carinthio augustum nomen tribuunt: sed ipse statim se dedit. Deinde imperator evasit Otto Saxo e Guelphorum familia Henrici Leonis, ut retulimus, filius, hic ingentia pro imperio occupando contra Philippum Cæsarem bella gessit. *Otto imperator vel anti-Cæsar Waldemarum Hamburgum ademit.* Hic quoque Hamburgum Valdemaro Danorum regi ademit; sed Holsatorum præfecti statim recepere: tandem Otto sublato per insidias Cæsare Philippo, Germanicum imperium solus accepit; sed brevi post tempore a pontifice Romano excommunicatus omnem augustalem dignitatem amisit, & Germaniæ proceres Fridericum Siculum augustum imperatorem dixere. *Otto solus Imper. Ao. 1209.* Hic Henricum filium imperii consortem fecit, & in Germaniam misit. Fuit vero Fridericus Cæsar magna vi animi corporisque homo, in periculis intrepidus, in utraque fortuna constans, in bello acer & providus, manu pariter & consilio promptus; præterea liberalis, & innumeras callebat linguas, sæpe Romanos pontifices ei insidias ponentes devicit, victor etiam Saracenorum & aliarum nationum, Judæam armis pacavit & alias provincias. Quibus rebus gestis insignis Fridericus tandem arte Romanorum mala periit, homo incomparabilis. *Fridericus II. Cæsar & Henricus filius ejus imperii consors Ao. 1213.* *Fridericus Imp. obitus.* Nunc ad propositum redeo.

§. 48. Defuncto, ut diximus, Canuto, frater antea Slesvicensium Dux Valdemarus regnum Danorum adiit. *Waldemarus Rex Dan. Nord. albingiam Alberto Orlamundano committit.* Is Adolphum III. Holsatum custodia emissum in exilium misit, qui dato regi sacramento in Saxoniam Scumburgum adiit, ut ibi posthac vitam degeret quietam. Deinde Valdemarus rex Holsatiæ provincias Adalberto Henrici Orelii filio & Adolphi patria profugi fratri uterino tradidit; deinde Danus antistitem Slesvicensium Valdemarum precibus Andreæ Lundensis vinculis liberatum ad exilium æternum damnavit, ejusque bona proscripsit. *Waldemarus præsul Slesv. in exilium mittitur.* Interea Hardvicus Bremensium pontifex naturæ satisfecit; post quem hunc Valdemarum Slesvicensem designarunt Bremenses, sed mente mutata sacerdotes regisque Danorum cognito consilio pontificatum Valdemaro abstulere, & Gerhardo Danorum auxiliis freto sedem sacram dedere. Ita Gerhardus Osnabrugensis contra Valdemarum pontifex Bremensium evasit. Cujus tempore sidus crinitum luxit. Nunc ad Fridericum Imperatorem redeo. *Hardvicus Brem. Epis. moritur & succedit Waldemarus, sed eo depositio Gerhardus eligitur Ao. 1220.* *Ao. 1211.*

§. 49. Fridericus Siculus devicto Othone Guelpho imperiali dignitate potitus est. Hic filium Henricum in Germaniam misit augustique nomen dedit. Hic Henricus Bardevicum

cum venit, ut captum regem Valdemarum a Sclavis principibus in integrum precibus aut minis reſtitueret. Hunc quoque regem Danorum ut liberaret vinculis, Holſatorum princeps Adalbertus in Sclavos arma indicit; ſed infeliciter: nam in prælio fortiter pro patroni liberatione pugnans ab Henrico Suerinenſi Sclavisque captus eadem, quæ rex tulerat, vincula ferre coactus eſt. Cuſtodia quidem evaſit rex Daniæ, ejusque beneficiarius Adalbertus, ſed gravioribus conditionibus; nam tota fere Holſatia eſt exutus. Defecit quoque hæc gens a Danis & inter alias civitates Lubeca. Ita omnes provincias in Nordalbingia Adalbertus amiſit. Poſtea Holſati pulſo rege Valdemaro libertati recuperandæ operam dedere.

Albertus regis liberandi cauſa bellum Sclavis movet, capitur.

Holſati a Danis liberari cupiunt.

§. 50. Interim Holſati pulſo Adalberto Adolphum III., qui Scumburgi erat, adeunt, & ut patriam Danis eriperet, orant: ſed cum is propter datam regi Valdemaro fidem illorum precibus auxilium denegaſſet, conſilio & opera feminæ Dieſtiæ, ejus filium Adolphum hujus nominis quartum, & qui ob res bene geſtas Magni cognomen arripuit, clam in Holſatiam ducunt & educant. Ita Adolphus Magnus, ætate adhuc puer, Holſatiæ princeps evaſit. Deinde tumultus exortus eſt, in quo Danorum præfecti trucidantur, & prælium editum, in quo Holſati victores diſcedunt. Poſt hæc Ditmarſi, qui Danico adhuc obnoxii erant imperio, miſſis internunciis transfugium Holſatis pollicentur. Urbs Lubeca quoque rebellionem movit & Danicum jugum ſublatis præſidiis demolitaque munitione excuſſit.

Adolphus IV. in Holſatiam revocatur.

Ditmarſi ſe Danico imperio ſubtrahere conantur.

§. 51. Defuncto Gerhardo Osnabrugenſi Bremenſes iterum Valdemaro Slesvicenſi pontificatum detulere; ſed eo mox expulſo ab æmulis & anathematis fulmine percuſſo Gerhardus ortus ex inclita Lippiorum familia infulam adeptus eſt pontificalem. Hic erat vir acer & felix. Eccleſiæ præfuit circiter 40. annos an. 1260.

Gerhardo ſuccedit Gerhardus Lippiacus.

§. 52. Nunc huic libro fere CC. annos complectenti finem imponemus, in quo Ditmarſorum principum ſeries poſt Sifridum minorem, cujus nomen eſt primo in libro, annotata eſt; quorum illuſtrium catalogus iſte eſt. Lotharius qui & Udo major Sifridi minoris filius; cui ſucceſſit Udo minor, qui quoque Lotharius dictus eſt, fuit Soltvedelenſium marchio, & Ditmarſiæ provinciam a Bremenſi accepit. Huic proximus Ludolphus primus Idæ maritus, deinde Dedo ſecundus, quo ſublato a Ditmarſis ſubditis poſtea eam regionem Ethelerus Candidus Idæ tertius maritus adeptus eſt, cui ſublato Idæ filius Egbertus & Egberti victor Udo tertius Soltvedelenſis ſucceſſere; hunc filius Henricus Longus & alter Rudolphus major, defuncto fratre, ſequuti ſunt. Poſt occiſum vero Rudolphum majorem a Ditmarſis, filius major natu Rudolphus principatum invaſit; quo etiam ſublato a popularibus Albero Bremenſium pontifex ex pactis cum Hardvico Ditmarſo factis Ditmarſicam provinciam adminiſtravit; deinde verus hæres Hardvicus pontifex; porro Henricus Leo Saxonum Dux ſeptemvir rerum apud hanc nationem eſt potitus, qui cuidam impigro viro hunc dominatum dedit Reinaldo nomine. Poſt Hardvici Ditmarſi pontificis mortem jus ſibi per Ditmarſiam ſucceſſores Bremenſes vendicarunt. Ideo Hardvicus ſecundus Bremenſium, rebelles prælio invaſit, & Adolphi III. Holſati auxiliis Ditmarſiam occupavit, & eidem commiſit Adolpho; poſtea Holſatorum & Bremenſium jugum excuſſere Ditmarſi, & ſe Valdemaro Slesvicenſi Danorumque regibus Canuto & Valdemaro ſubdidere, a quibus quomodo ſint digreſſi, ſequens liber indicabit. Nunc ſeriem Bremenſium pontificum ponemus; quorum primus Humbertus Limari Hamburgenſium pontificis ultimi ſucceſſor, poſt quem Fridericus, Adalbero, Hardvicus Ditmarſus, Balduinus, Sigfridus Brandeburgenſis, Hardvicus ſecundus Leonis ſcriba, Gerhardus Osnabrugenſis, Valdemarus Slesvicenſis, quo repudiato Gerhardus Lippius; de quo in ſequenti.

LIBER TERTIUS.

Belli inter Danos & Lubecenſes cauſa.

§. 1. BEllum inter Danos & Lubecenſes geſtum expediam, in quo Ditmarſorum perfidiam noſtrates experti ſunt. Lubecenſes tributo penſitando & omnibus faciundis preſſi ad rebellionem animum appulere, itaque nacta occaſione munitionem demoliti Danorum præſidium urbe expulere; mox quid eſſet perpetratum ab illis Fridericum imperatorem auguſtum certiorem faciunt & ab eo opem flagitant. Rex Danorum Valdemarus, rebellionem Lubecenſium cum cognoviſſet, ſupra modum indignatus ejus imperio obnoxios ad arma vocat & ingentibus copiis militum inſtructus verſus Holſatiam iter ingreditur. Adfuerunt juſſu regis auxilium Danis ferentes Ditmarſi cohortibus phalangariis, ſed ob pedum inſtabilitatem exſecrandi: Holſati interim cognito Danorum adventu una cum Lubecenſibus ſociis induunt arma, & imperatoris decreto e vicinia poſcunt opem. Itaque, ut ſubſidium Lubecenſibus faceret, acceſſit Gerhardus Bremenſium pontifex; adfuerunt etiam Albertus inter Saxones ſeptemvir, Adolphus Magnus homo juvenis & Holſatiæ, Stormariæ & Vagriæ princeps, item ejus pater Adolphus tertius, præterea Sclavorum principes & alii, Lubecenſium cohortibus præerat Alexander Soltwedelenſis homo impiger & bello aſſuetus. His copiis freta urbs in campum eduxit exercitus. Otto autem Guelphus Wilhelmi filius, qui deinde Brunſvicenſis & Luneburgenſis primus dux evaſit, ne Danis contra tot illuſtres viros & legiones Lubecenſium deeſſet, ad regem Valdemarum, cujus e ſorore erat nepos, adiit ſecum ducens fortiſſimorum ju-

venum manus. Post hæc Ditmarsi, qui in castris Danorum militabant, missis coricæis Holsatis & Lubecensibus transitum ad illos & a rege fugam promittunt.

Conflictus Waldemari cum Ditmarsis.

§. 2. Cæterum Waldemarus Danus tum Ditmarsorum & suorum, tum Ottonis Saxonis e sorore Helena nepotis copiis fretus per Holsatiam hostibus obviam vadit; nec hostes Lubecenses & Holsati ejus præsentia territi, etiam ei occurrunt de Ditmarsorum perfidia non ignari, neque pugnam detrectant, itaque prolatis aquilis, impetuque facto fortiter dimicatum, diuque prælium stetit varium, tandem victoria Holsatis cessit, nam Ditmarsi relictis sociis transgressi, quasi a tergo hostes invasuri; transfugium faciunt ad Holsatos & se hostibus adjungunt contra socios Danos, quibuscum arma perfida in Valdemarum regem Ottonemque Guelphum Saxonem vertunt, qua perfidia Dani subacti in pedes se conjiciunt. Evasit quidem fuga rex Valdemarus, sed inter alios præstantes viros Otto Guelphus captus est: ita Lubecenses, Holsatorum princeps Adolphus Magnus & pater ejus Adolphus Scumburgius, Gerhardus Bremensium pontifex, Albertus Saxo septemvir & Sclavonici principes de Danis victores evasere. Otto Guelphus vero pro custodiæ emissione titulum ducis Saxoniæ deponere coactus est, & postea ab imperatore Friderico Siculo, Brunsvicensium & Luneburgensium dux est appellatus; cujus posteritas ad hunc usque diem summa cum laude fortitudinis per Saxoniam inferiorem imperat. Locum autem prælii, in quo inter Danos & Lubecenses est pugnatum, scriptores *Bornhovede* appellant; at Sarcerius campum vocat *Miricanum.* (*a*)

& to Luneb. Brunsw. Dux.

Ditmarsi Giselberto Archiep. Brem. se subjiciunt.

§. 3. Hoc perjurio Ditmarsi Danicum excussere jugum & libertatem antiquam recuperarunt; nec post id tempus principes peculiares habuere, nisi titulotenus Bremensium pontifices & vice magistratus XLVIII. viros.

An. 1286. Post amissam Ditmarsiam rex Valdemarus multa fecit, & inter alia cum Adolpho Magno Holsatiæ & Stormariæ & Vagriæ principe perpetuum fœdus percussit, ejusque terrestribus auxiliis Lubecam urbem mari de integro expugnavit. Cæterum Danus filium regni consortem designavit Valdemarum III., qui adolescens sagitta de improviso percussus ante patrem Valdemarum periit; hujus post interitum senex rex vitam obiit, & filius alter Ericus Danicum suscepit sceptrum. Nunc obiter attingam res Adolphi Magni gestas.

Adolphi IV. res gestæ & vita monastica.

§. 4. Adolphus, qui ob res martias Magni cognomen accepit, cum adhuc puer recepisset, devictis Danis, patriam hæreditatem, domi militiæque multa & egregia peregit facinora, & præter alia cum Valdemaro Dano antea inimico amicitiam & fœdus iniit, & Livoniam adiit militatum, atque religionis opinione ductus Romam petiit; tandem tædio hujus molestæ vitæ precibus & sacris rebus se devovit, & religiosum sumpsit habitum ac liberorum suorum Johannis & Gerhardi, qui literis operam Lutetiæ Parisiorum dabant, superioris Valdemari demortui Danorum regis filio Abelo Slesvicensium regulo commisit tutelam & ad adolescentulorum ætatem omnes eidem Holsatorum provincias commendavit. Præterea Adolphus Hamburgi mysteriis divinis initiatus, cucullatis divi Francisci assectis Chilonii cœnobium condidit, ubi cum iis vitam satis asperam & a priore alienam egit & deposuit. Hujus demortui monumentum visitur vile & tali clarissimo viro indignum Kilonii in templo Franciscanorum seu Minoritarum, alias Closter Kirche.

Abel tutelam filior. Abbatis deponit.

§. 5. Abel autem Slesvicensis Adolphi, qui (ut dictum est) divi Francisci disciplinam professus fuit, filius Johanni & Gerhardo e Gallia reversis, paternam ditionem affinitatis consanguineæ non immemor reddidit. Atque ita post Abelum Johannes & Gerhardus Vagria, Holsatia & Stormaria patris provincias decorati principes illustres evasere. Hi ut Abelo affini parem gratiam referrent, ei contra fratrem Ericum Danorum regem auxilia tulerunt, quibus operis fretus Abel regem fratrem nihil mali suspicantem cepit. Ita Ericus a fratre captus gladio feritur, & per Lagonem hominem inimicum in Sliam lacum truncus regius projicitur. Postquam cædem Abel parricida Holsatorum principum ope Danicum regnum invasit; sed ista successio ei male cessit: nam Silandia ab Henrico Mildorpio equestris dignitatis viro expellitur, & tandem a Frisiis, contra quos arma sumpserat, ut sui exilii autores & miseriæ, circumventus, vita privatur pro scelerum suorum talione. Sunt autem Frisii hi Abeli victores & Erici regis cædis ultores pars Danici imperii, quorum provinciæ sunt Eiderstadia, Strandia, Sultia, Hilgelandia, Vindingardia, Forda & Halingia, atque aliæ insulæ Risimoriæ. Risimoria est provincia ad septentrionem & ad oceanum Britannicum in Cimbria superiore, cujus caput est Tundera; Eiderstadia vero Ditmarsiæ a meridie est proxima, a qua Eidora amnis separat, estque Chersonesus. Strandia autem & Siltia sunt insulæ inter se vicinæ, quarum hæc propior polo septentrionario, illa Ditmarsiæ. Versus meridiem & occasum Hilgelandia jacet insula, cujus sæpe mentionem fecimus, jam fere undis marinis submersa est. Hæc Frisia ad alterius Frisiæ distinctionem vocitatur minor & Danica, cujus nationis loquelam cum antiquis Anglorum scriptis convenire mihi, Adamus Trazigerus Holsatorum illustris scrinii magister retulit, & ideo

Abeli affines contra Ericum suppetias ferunt.

Ericus rex interimitur.

Abel fit rex Danie, sed ab Henrico Melsdorpio regno pellitur.

Abelis rei gis mors.

Frisii populi.

Risimoria.

Eiderstadia.

Strandia & Siltia.

Hilgelandia.

Frisia minor s. Danica.

Angli ab Anglis Slesvicen-

(*a*) Utrumque unum idemq; est; nam campus Bornehovedensis miricis consitus est dicturque inde Segeberger und Bornhöveder Heyde. Et occurrit vox *Merica* sæpiuscule in diplomatibus. Ita in *Conventione fratrum de Rabenaw de a.* 1436. *& in Venditionis charta a.* 1507. mentio fit *Mericæ apum*, der Zeidel Heyde, quæ sylva est, in qua aluntur apes. Pariter *in diplomate Ottonum Marchionum de a.* 1285. quo metæ civitatis Finsterwaldensis definiuntur, occurrit *Merica de byrkenbrüke. ROTHIUS de antiquiss. diplomate Ottonis IV. Stadensibus irrogato a.* 1809. *p.* 14.

fibus descendunt. Tvrazigerus. Ditmarsi an cædi Abelis interfuerint.

ideo hanc gentem Anglis dediſſe originem exiſtimavit. Ab his Friſiis Abel rex Danorum eſt trucidatus. Mea autem eſt opinio Ditmarſos huic prælio contra Danos interfuiſſe & Friſiis ſubſidium adverſus hoſtem invictum detuliſſe, tum propter vicinitatem, tum fœdera atque gentis utriusque morum & regionis ſimilitudinem. Nunc calamum ad Holſatos duco.

Diviſio hæreditatis ab Adolpho IV. relicta.

§. 6. Johannes & Gerhardus paterna potiti ditione hæreditatem patris Adolphi Franciſcani inter ſe diviſere: Gerhardus Holſatiam & Stormariam accepit; Johannes vero Vagriam & Chilonium oppidum retinuit. Eſt autem Vagria inter Suentinum & Swalam amnes regio, in qua Sigemons, Lubeca & alia oppida ſunt. Dividitur iſta tellus in Lubecenſem, in regionem Branneſiam, in qua oppidum Stargardia, quæ & Oldenburgum dicitur, & in Probaſtiam, quæ eſt pars Holſatiæ. Hi fratres ob inæqualem diviſionem adverſi arma in ſeſe induere; ſed res ad pacem venit, & ſopita eſt fraterna diſcordia optimorum conſilio. Genuit autem Gerhardus Holſatiæ & Stormariæ princeps Gerhardum, cognomento cœcum, & Henricum hominem ſtrenuum. Johannes autem Vagriæ & Chilonii princeps procreavit Johannem II. cognomine Coclitem, & Albertum, qui Hamburgi præpoſitum egit, atque Adolphum, qui ſe Pomeraniæ regulum jactavit. Nunc ad Fridericum Siculum imperatorem revertendum arbitror.

Wagriæ deſcriptio.

Probaſtia vulgo Probſtey.

Bellum inter fratres ob inæqualem diviſionem.

Gerhardi filii.

Johannis filii.

Conradus Imperat. An. 1250.

§. 7. Divus Fridericus poſt Henricum, qui propter rebellionem in vincula conjectus a patre fuerat, Conradum alterum filium imperii conſortem fecit, & auguſtali vocabulo decoratum in Germaniam miſit. Sed Germanorum proceres, Romani pontificis maximi inſtinctu & odio, hunc Conradum una cum patre imperatore proſcriptum repudiarunt, & Henricum Thuringium principem auguſtum ſalutarunt, qui contra Conradum pugnans juxta oppidum Sueviæ Ulmam ſagitta percuſſus interiit; quo occiſo Germani imperium Wilhelmo principi Batavorum dedere contra Conradum & patrem divum Fridericum Siculum. Iſte in thorum regium duxit Ottonis Guelphi Brunſvicenſium ducis filiam, de quo antea, ſororem Johannis principis Luneburgenſium, & Alberti Magni familiæ Brunſvicenſium conditoris. Hunc Wilhelmum Cæſarem nihil memorabile geſſiſſe omnes ſcribunt; interea Conradus auguſtus veneno dato periit tali exitu indignus; qui omnino patri Friderico, quem Manfredus nothus filius ſuſtulit fomento, ſimilis. Poſt hæc ſolus imperium tenuit Wilhelmus, quem pugnantem Friſii interfecere. Hi Friſii majores ob alterius nominis differentiam vocitantur, & Catti, quorum metropolis eſt Gröningia. Ita fere uno tempore Abelum Danum minores, majores imperatorem Wilhelmum edita ſtrage Friſii ſuſtulerunt. Poſt occiſum Wilhelmum Batavum per Germaniam interregnum fuit, & ad declarandum imperatorem principum ſtudia diverſa; nam alii Richardum Britannum Cornubiæ principem, alii Alphonſum Hiſpanum Caſtiliæ regem auguſtos dixere; ſed uterque nihil præter Cæſareum vocabulum habuere. Poſt horum repudium in Germania respublica plane miſera & ſubverſa, dum quisque imperii faſtigium ambiret, videbatur.

Henricus anti-Cæſar.

Wilhelmus Batavus anti-Cæſar An. 1254.

Conradus Imperat. veneno tollitur.

Wilhelmus ſolus ſed a Friſiis interficitur.

Friſii majores etiam Catti dicuntur.

Interregnum in Germania An. 1257.

§. 8. Poſt Abelum ad Danicum regnum magno tumultu reipublicæ pervenit, occiſi frater Chriſtophorus minor natu filius; iſte cum Ericum Ducatu Slesvicenſi expelleret, Gerhardus Holſatus & Johannes Vagrius in eum pro Erico Slesvicenſi jam fere oppreſſo, Valdemari Slesvicenſis filio & Abeli nepote, arma ſumpſerunt, & regem prælio in campo Leonis edito ceperunt. Ita Ericus in paternam Holſatorum ope reſtitutus eſt hæreditatem. Nec deinde Chriſtophorus Rex poſt cuſtodiæ emiſſionem diu ſupervixit, cui apud Danos ſucceſſit filius Ericus.

Chriſtophorus rex Daniæ

bellum gerit cum Erico Duce Slesv.

Ericus Dux reſtituitur.

Ericus Chriſtophori filius rex Daniæ.

§. 9. Johannes Vagrius devicto & capto rege Danorum Chriſtophoro, vim omnem belli in Lubecenſes convertit; ſed dubia martis alea ulturus injuriam ab ipſis acceptam. Interea temporis Bremenſium pontifex Gerhardus Lippius vita defungitur. Hic bello Lubecenſi interfuit, in quo Ditmarſi Danis ſunt facti transfugæ. Huic quorundam ſacerdotum ſuffragiis nepos ejus etiam Gerhardus dictus ex eadem ortus Lippiorum familia ſucceſſit; ſed maxima pars Bremenſium pontificalem apicem repudiato Gerhardo Lippio ſuperioris (ut dixi) nepote Hildeboldo, qui & Hildebrandus dicitur, ex Brochuſiorum oriundo familia dedit. Dum hæc fiunt, interim ex hac vita diſcedit Johannes Vagrius, cujus filius Johannes II. cognomento Cocles cum fratribus hæreditatem patriam ſuſcepit & principatum Vagriæ.

Bellum Johannis cum Lubecenſibus.

Gerhardus Lippius moritur An. 1260.

Johannes Wagriæ Dux obiit An. 1261.

§. 10. Poſt defunctum Gerhardum Holſatiæ & Stormariæ principem Johannis Vagrii fratrem, filii ejus ditiones paternas partiti ſunt, nam Henricus Holſatiam obtinuit, Gerhardus vero Cœcus Scumburgicum agrum & Stormariam ſortitus eſt. Henricus iſte Holſatiæ princeps, Johannes Cocles & Albertus fratres Vagrii tulerunt Erico & Valdemaro germanis Erici Slesvicenſis demortui filiis auxilium contra Ericum regem Daniæ; ſed ſine fructu & illorum commodo; nam Slesvicenſes a Danis Cimbria ſuperiori exuti regi Erico ſuplices tandem facti ſunt.

Diviſio hæreditatis Gerhardi.

Principes Holſatiæ tulerunt opem Ducibus Slesvic. contra Ericum Regem Daniæ.

§. 11. Bremenſium interim pontifex Hildebrandus Brochuſius vitam reliquit & ſedem apud Bremenſes adeptus eſt pontificalem Giſelbertus Brunchortius, ortus e gente Domicellorum. Huic Ditmarſi ob neceſſitatem (ut erit dicendum) obnoxii fuere. Circa hoc tempus in Germania imperium ambiit Otocarus Bohemus, ſed fruſtra; nam ſeptemviri, inter quos fuit Adalbertus Saxo Alberti filius & Bernhardi Anhaltini Electoris pronepos, ſceptrum auguſtum Rodolpho Habspurgenſi tradidere. Huic ſe oppoſuere Otocarus æmulus & alii; quo devicto & occiſo Auſtriam provinciam filio Alberto tradidit.

Giſelbertus Brem. Archipræſul An. 1273.

Rodolphus Habspurg. Imp. An. 1273.

§. 12. Interea temporis Ericus Rex Daniæ a ſuis

Ericus Erici fil.

Rex Daniæ. fuis occiditur, & ejus inter tres filios natu major Ericus ſuccedit, eique Valdemarus Sleſvicenſis tutor datur. Hujus matrem & interfecti regis viduam Johannes Cocles Vagriis defuncta priore conjuge, ex qua tres liberos ſuſcepit, inter quos Adolphus fuit, in thalamum illuſtrem duxit, quæ ei Johannem tertium cognomine largum & Chriſtophorum peperit. Nunc de bello Ditmarſico primo, quod Holſati geſſere, dicam.

Johannes Cocles conjugem accipit Erici Regis viduam.

Henricus Comes Holſ. Ditmarſ. ſubjugare intendit Ao. 1289.

§. 13. Henricus Holſatiæ princeps, de quo antea, imperii avidus, Ditmarſiam Holſatis obnoxiam jure arbitratus; nam Holſatorum principes per eam regionem opinione quadam ſibi vendicarunt jurisdictionem titulotenus. Itaque hac ſententia ductus Henricus, miſſis internunciis ad XLVIII. viros, Ditmarſos rebellionis incuſat, & hortatur ad Holſatorum imperium, ut ſervirium eorum ſuſcipiant, quod cum gens recuſaſſet, ſtatim Henricus exercitum conſcribit. Accedunt laturi contra Ditmarſos auxilium Gerhardus cœcus frater ſecum ducens Scumburgicas cohortes, Stormariorum manum egregiam, atque Johannes Cocles Braneſia & Vagria pube inſtructus. Hanc militiam rati Ditmarſi & ſuorum ſcelerum non immemores, ad Bremenſium pontificem Giſelbertum accedunt, & ab eo contra Holſatos præſidium flagitant. Hic eorum precibus motus iter ſuſcipit, periculum non recuſans, plebemque bellis rudem inſtruit, atque non minoribus præſidiis, quam omni armorum genere munit, deinde Giſelbertus miſſis ad Holſatos nunciis pacem molitur.

Sed auxilio Giſelberti freti conatus ejus impediunt.

Henricus fugit occaſione lepovis excitati.

§. 14. Henricus interim Holſatus fratris Gerhardi cœci & patruelis Johannis Coclitis copiis fretus ulturus Ditmarſorum incurſiones & ſcelera regionem hoſtilem invadit. Sed ecce tibi lepus e vicinis dumis exercitui obviam currit, quo animalculo viſo, qui in acie erant, læti extemplo clamorem excitant venaticum, quo ad aures hominum perlato, qui aciem claudebant, inter quos equeſtris ordo militabat, qui antea de fuga cum Ditmarſis fœdus inierat & bellum non clam detrectaverat, hoſtium adventum frivole rati, mox ſe in pedes dedere, hos ceteri milites ſequuti ſunt. Ita totus exercitus nemine inſequente fugam fœdam fecit atque victoriam hoſtibus Ditmarſis reliquit, qui paucos ex fuga retractos trucidarunt.

Perfidia equeſtris ordinis.

Henrici conjugium & liberi.

§. 15. Poſtea Giſelbertus Bremenſis hoc bellum ſopivit, & Henricum Holſatum & Ditmarſos in pacis conditiones coëgit, atque neptem ſuam Henrico in matrimonium dedit, qui ex ea ſuſtulit Gerhardum cognomento Magnum & Johannem fratres. Deinde Holſati principes ultionem contra equeſtrem ordinem meditati ſunt.

Vindicta Comitum Holſ. de equeſtris ordinis viris.

§. 16. Cum, equeſtris dignitatis virorum perfidia fugam exortam & de Ditmarſis victoriam amiſſam fuiſſe, Holſatorum & Stormariorum principes Gerhardus cœcus & Henricus & Vagriorum Johannes Cocles, Albertus & Adolphus fratres cognoviſſent, de nobilibus ſumpſere ſupplicium, & quosdam pro meritis in exilium jure damnatos patria expulere. Itaque pars eorum in Saxoniam, pars ad Ditmarſos abiit, ubi gentem ad ſuperioris belli injurias ulciſcendas proclivem precibus adverſus Holſatos principes facile irritavit. Horum exulum ſtimulis Ditmarſi commoti una cum fugatis gentilitiæ proſapiæ hominibus in Gerhardum cœcum ejusque fratrem Henricum & patrueles Johannem Coclitem, Albertum & Adolphum arma induere, & eorum provincias inimice invadere, oppida incendere, agros diripere, prædas agere, multos mortales trucidare atque pecora abigere. His de cauſis novum bellum ſervile inter principes atque Holſatam nobilitatem Ditmarſorum ſubſidiis fretam, exortum eſt, ſed Ericus Danorum Rex, quem Lubecenſes ſuæ urbis principem tutelarem dixerant, controverſias has inter Holſatorum principes & equeſtrem ordinem compoſuit.

Nobiles Holſati Ditmarſis ſe aſſociantes Comitibus inferunt arma.

Controverſia hæc ab Erico rege Dan. componitur.

§. 17. Gerhardus cœcus, qui tandem Lubecæ conſenuit, moriens reliquit Gerhardum III. & Adolphum filios, qui patriam hæreditatem inter ſeſe partiti ſunt; & Gerhardus III. Stormariam, Adolphus vero, a quo Scumburgica domus propagata eſt, Schumburgium principatum obtinuere. Ita Gerhardus III. Stormariæ princeps evaſit, cui multi filii fuere, inter quos Gerhardus IV. adoleſcens ingenuus. Nunc redeo ad Germanos. Poſt defunctum Rodolphum Habspurgenſem auguſtum Moguntini ſeptemviri ſuffragio Adolphus Naſſavienſis imperator dicitur, contra collegarum, qui Albertum Auſtriacum volebant, ſententias; ideo quoque breve poſt imperium ei abrogatum.

Gerhardi cœci obitus Ao. 1320.

Gerhardus III. Stormariæ princeps.

Gerhardus IV.

Adolphus Naſſavienſis Imp. Ao. 1292.

§. 18. Interea temporis Giſelbertus Bremenſium venerabilis pontifex animam poſuit, homo omni induſtriæ, laboris, patientiæ, & animi magnitudinis laude clarus. Hic a puero Gerhardum Magnum Henrici Holſati filium eduxit liberaliter & virtutibus & bonis moribus aſſuefecit hominem. Huic Giſelberto apud Bremenſes ſucceſſit pontifex Henricus Golthornius, qui non ſatis diu ſacram ſedem tenuit. Poſt occiſum prælio Adolphum Naſſavienſem victor Albertus Auſtriacus, Rodolphi ſuperioris, ut dictum eſt, filius, rerum in Germania potitus eſt. Hic amicitiam coluit & æternum fœdus cum Galliarum rege Philippo pulchro percuſſit, in cujus aula Gerhardus Stormarius, Gerhardi III. filius, operam conſiliis & ſcriptionibus dabat. Iſte Gerhardus IV. e Gallia reverſus, Lubecæ præpoſitum egit, & religioſum habitum ſumpſit, ſed fratribus vita ex ordine functis, ſolus ſuperſtes Gerhardus IV. depoſito eccleſiaſtico munere & ducta uxore Stormariam paternam ditionem ſuſcepit, ut poſtea dicetur.

Giſelbertus obiit.

Henricus Goltborni. us præſul Brem.

Albertus Auſtriacus Imp. Ao. 1298.

Gerhardus IV. Lubecæ præpoſitus, ſed depoſito eccleſiaſtico munere Stormariam ſuſcepit.

§. 19. Defuncto Henrico Golthornio pontifice religioſi homines, qui Bremæ eligendi ſucceſſorem habebant poteſtatem, inter ſe ſuffragiis ferendis diſcordes modo Florentium Brunchorſtium, modo Bernhardum e familia Velpionum progenitum dixere pontifices; ſed Bernhardus Velpius ſuis viribus diffiſus, & Brunchorſtii dignitatis & autoritatis

tatis non ignarus, ne ecclesiæ inferret inimicitias & eminens periculum propulsaret, pontificatum abnuit, atque suffragium in se latum & mitram sacram Florentio tribuit. Ita Florentius Brunchorstius e superioris Giselberti pontificis inclita Domicellorum familia procreatus Bremensem sedem obtinuit.

Florentius Brunchorstius Præsul Bremensis.

§. 20. Interea temporis Albertus Austriacus Imperator in Germania regnavit, cujus seculo Turcæ Othomanno duce pulsis & devictis Tartaris Scythis exordium imperii in Asia posuere, quod amplificavit & stabilivit Orchanes Othomanni filius & successor. Eodem tempore rex Danorum Ericus, quem diximus fuisse tutelarem principem Lubecensium, levi ex causa indignatus, Janum, qui & Johannes dicitur, Lundensium per Scaniam pontificem dignitate ecclesiastica exutum in exilium pepulit; quam ob causam Danus a Romano diris devotus scelerum suorum pœnas dedit.

Imperii Turcici initium.

Ericus rex Johannem præsulem Lundensem in exilium mittit.

§. 21. Janus autem Lundensium pontifex exul in Italiam ad Romanum pontificem abiit, atque pro miseria & exilio suo ab eo pontificatu Bremensi decoratus est. Itaque defuncto vita Florentio Brunchorstio sacerdotes, qui Bremæ erant & eligendi facultate præditi erant, Jano seu Johanni (nam Jens Danicum vocabulum modo Johannes, modo Janus est) mitram sacram dedere. Iste Janus in Gallia diem suum obiit, ut postea dicetur. Nunc redeo ad Germanos.

Johannes exul ad pontificatum Bremensem evehitur. An. 1307.

§. 22. Per Germaniam imperium tenebat Cæsar Albertus Austriacus, quem fratris filius Johannes invasit & trucidavit; post cujus cædem septimo mense septemviri imperatorem augustum dixere Henricum Lucelburgicum, hominem bellicosum & Italiæ victorem, quem Florentini veneno sustulere. Hujus Imperatoris filius fuit Bohemiæ Rex, de quo postea.

Albertus Austriacus trucidatur & Henr. Lucelburgicus veneno tollitur. An. 1309.

§. 23. Post sublatum veneno Henricum Lucelburgium imperatorem decimo quarto mense inter se septemviri discordes in eligendo diversa studia habuere; nam pars eorum Fridericum cognomento pulchrum Austriacum Alberti imperatoris superioris filium, pars Ludovicum Bavarum augustos imperatores dixere: inde bellum inter designatos intestinum & satis lacrimabile natum est. Favebat autem Bavaro contra Austriacum Rodolphus primus, Adalberti filius in Saxonia superiore septemvir, in quo bello Fridericus devictus imperium deposuit. Hos motus sidus crinitum indicavit.

Dissensio de eligendo Imperatore. An. 1314.

§. 24. Anno sequenti post electos imperatores Ludovicum Bavarum & Fridericum Austriacum, ut in annalibus Holsaticis est annotatum, Adolphus, qui Sigemonte habitabat, Johannis Coclis Vagrii e priore uxore filius ob vitium stupratæ Reventlovicæ domus ab Hardvico Reventlovio occupatur ex Ditmarsia oriundo. Nam Ditmarsi post omnem recuperatam libertatem ex regione pepulerant cunctas equestris ordinis familias, e quibus fuit gens Reventlovica, quæ huic Hardvico, qui una cum proprio filio Hardvico minore Adolphum Vagrium Sigemonte clam trucidavit, natales dedit. Hujus Adolphi cædes, quas lacrimas Johanni Cocli seni excusserit, omnes scriptores indicant: sed nulla calamitas sola est; nam majorem luctum patri Johanni tulit triste fatum Christophori e regia conjuge filii, qui præcipitatus de tecto sublimi animam efflavit. Ita Johannes Cocles Vagrius senex evasit miserrimus; nam primum bellum servile & odium equestris ordinis passus est; deinde e priore conjuge filiorum rebellionem & custodiam tulit, atque Adolphi & Christophori liberorum miserrimum vidit interitum. Præter has calamitates infelix Johannes lascivia puerorum & morionis esse famulos principis petentis incuria oculum amisit; Unde ei Coclitis vel unoculi vocabulum fuit. Hic e numerosa sobole reliquit Johannem cognomento Largum, qui patri Johanni Cocliti defuncto apud Vagrios successit.

Adolphus ab Hardvico Reventlovio interemtus.

Reventlovia gens ex Ditmarsia.

Johannis Coclitis infortunium.

Christophorus Johannis lusci filius de tecto decidens moritur.

Johannes a morione inter ludendum privatur oculo.

Johannes Largus patri succedit.

§. 25. Hardvicus autem Reventlovius parricida Gerhardum Magnum, qui Henrico patri una cum fratre Johanne apud Holsatos successit, a puero eduxit ob fortunæ tenuitatem, atque eum armis assuefecit & venationibus; nam ut daret operam feris insequendis juveni Gerhardo canes ad venandum idoneos dedit. Hic, ut diximus, post Henrici patris obitum patriam hæreditatem cum fratre Johanne partitus est & sedem Rendsburgi habuit, ob cujus inopiam Hardvicus Reventlovius Adolphum Sigemonte trucidavit, atque oppidum & omnes circa agros redegit in ejus ditionem.

Gerhardus M. a Reventlovio educatus.

§. 26. Johannes, cui liberalitas & beneficentia Largi cognomen dedit, Vagriæ princeps, fratris consanguinei Adolphi Sigemontani ulturus necem expeditionem contra Gerhardum Magnum molitus est. Eam ob causam Ditmarsorum auxilia flagitavit, & literas ad Adolphum Scumburgium Adolphi Scumburgii superioris, qui Gerhardi III Stormarii frater erat, filium dedit; in quibus fratris Adolphi Sigemontani cædem questus est & detestatus fœdum Gerhardi Magni facinus, quod Hardvicus in ejus gratiam perpetraverat, petiitque, ut milite instructus ad vindicandum hoc scelus accederet. His precibus Adolphus permotus cum fortissimorum e sua ditione cohortibus ad Johannem Largum accessit. Ditmarsi etiam revocantes bellum Henrici Holsati, Gerhardi & Johannis patris in memoriam, misere Johanni & Vagriis opem atque incursiones promisere. Gerhardus autem Magnus & Johannes fratres Holsati, Largum & Vagrios Scumburgico milite & Ditmarsorum auxilio & promissionibus esse munitos rati, singulari celeritate hostibus obviam vadunt, collatis signis multos subvertunt, capiunt, fugant, atque fortunæ faventis calore usi Vagrios omnes in pedes conjiciunt; ita Holsatorum exercitus superior primum fortissimi viri vocabulum Gerhardo imposuit & Magni cognomen dedit. Evasit quidem Johannes Largus ex hac infelici pugna; sed Adolphus Scumburgicus, dum fuga salutem quæsivit, e latebris extractus in manus hostiles venit: sed Gerhardus & Johannes fratres con-

Johannes Largus fratris mortem vindicans bellum suscipit in Gerhardum.

Ditmarsi Johanni & Vagriis opem ferunt.

Gerhardus cur cognomen Magni meruit.

Adolphus in bello capitur, sed mox liberatur.

de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.

consanguinitatis memores accepto mediocri argenti pondere salvum in patriam dimisere.

Bellum inter Gerhardum & Ditmars. Ao. 1317.

§. 27. Ditmarsi interim, qui fœdus cum Vagriis contra Gerhardum Magnum & Johannem fratres inierant, ne a sociis belli promissi incusarentur oblivionis, magnam Holsatiæ intulere vastitatem & incursionibus, populationibus ad sociorum tellurem usque accessere, insigni ubique petulantia usi: nam in quodam pago cocta recens cerevisia balneas habuere & alia edidere scelera horrenda, fœda, exsecranda. Quorum adventu irruptionibusque cognitis supra modum Gerhardus Magnus ob hostium crudelitatem, ut decuit, indignatus singulari & callido stratagemate, (jussit enim suos sese ramis amputatis & frontibus virentibus sumptis & corpus & faciem tegere & omnem ex hostium oculis conspectum eripere,) una cum fratre Johanne & fortissimorum juvenum manu Ditmarsos prædones adortus, fusos fugatosque trucidavit, & terga vertere coëgit omnemque eripuit prædam. Hac infelices Ditmarsi strage subacti in patriam inopes rediere. Postea bellum inter Gerhardum Holsatum & Johannem Vagrium Largum compositum est; sed Gerhardus novum bellum in Ditmarsos coxit.

Illustres viri in Nordalbingia Ao. 1320.

§. 28. Circa hæc tempora Gerhardus IV. princeps Stormariæ floruit, quo defuncto filius Johannes susceptit ditionem & Stormariæ princeps evasit. Ita uno tempore hos illustres viros Nordalbingia habuit, in Holsatia Gerhardum Magnum & Johannem fratrem, in Vagria Johannem Largum, in Stormaria Johannem Gerhardi IV. filium. Pontificatus autem Bremensis aluit Janum Lundensem, quem Danus tutelaris princeps Lubecensium Ericus in exilium misit. Huic Jano in Gallia defuncto in pontificatum Bremensem successit Burchardus e Grellarum ortus honesta familia; de quo postea.

Tres Johannes uno tempore.

Johannis præsulis Brem. successor Burchardus Grelle.

Ericus Menvit Rex Dan. obit Ao. 1313.

§. 29. Interea temporis Ericus rex Danorum & tutelaris Lubecensium princeps diem suum obiit, cujus demortui jussu & mandatis Dani Cimbrique Ericum Slesvicensem regem designarunt, sed Christophorus regis defuncti frater auxilio Johannis Largi Vagriæ principis uterini fratris repudiato Erico Slesvicensi regnum avitum obtinuit. Hic Holsatiam bello concussit & cum Holsatorum principibus inimicitias aluit. Hujus regni initiis bellum Ditmarsicum ab Holsatis est gestum secundum, quod superiori majus & periculosius fuit; de quo sequens capitulum loquetur.

Ericus Slesvic. Rex elegitur sed Christophorus regnum occupat.

Ao. 1322.

Bellum secundum Ditmarsicum.

§. 30. Gerhardus autem Magnus & Johannes fratres Holsatorum principes Ditmarsorum ulturi incursiones & suorum ab illis editam stragem, bellum XLVIII. viris totique Ditmarsiæ plebi denunciaverunt; contra quos Holsati suarum virium non ignari a circa regionibus missis literis & nunciis flagitarunt auxilia, gentis Ditmarsorum perversitatem, qui non solum omnem magistratum respuerent, sed etiam de medio immensa crudelitate tollerent, atque eorum latrocinia, quibus continenter transalbianas regiones vexarunt, questi. His lectis & cognitis moti illustres viri omnem belli laborem contra Ditmarsos libenti animo susceptere Henricus Henrici Hierosolymitani filius Megapoleus, Gerhardus Scumburgius superioris Adolphi (de quo diximus, captum fuisse in bello intestino & sociali Vagriorum) frater & alii clarissimi inclyto stemmate viri XII.: arbitror huic expeditioni interfuisse aut misisse opem Holsatis Johannem Stormariæ principem.

Gerhardi socii.

Expeditio Gerhardi M. in Ditmarsos.

§. 31. Hi igitur principes Gerhardus Magnus & Johannes Holsati principes & fratres, Henricus Leo Megapoleus, Gerhardus Scumburgius & fortissimorum manus Johannis Stormarii exercitum in hostilem Ditmarsorum regionem deducunt, sine fortunæ primum inclementia; agrum enim omnem hostium populati, Hamerstadiorum provinciam invadunt. Est enim Hamerstadia pars Ditmarsiæ, cujus indigenæ prælium non detrectantes obvios Holsatos facta impressione aggrediuntur, sed devicti misere trucidantur aut fuga evadunt. Hac victoria Holsati potiti in Suderhamios castra promovent. Est autem Suderhamia pars Hamæ versus meridiem, ut vocabulum sonat. Nam Ditmarsiæ partes sunt Hamerstadia, Hama, Suderhamia, Marslanda & insula Buza atque reliqua loca. Hi Suderhamii ingente strage superati Holsatis victoriam relinquunt & deditionem faciunt. Postea Gerhardus Magnus in Nordstrandiam Holsaticas copias & auxilia traducit, quæ Ditmarsiæ provincia ei finem victoriæ imposuit.

Hamerstadia.

Suderhamia.

Gerhardus M. in Nordstrandiam copias traducit.

Nordstrandenses bellum deprecantur.

§. 32. Nordstrandia pars est Ditmarsiæ versus boream, ut nomen indicat, quam cum Holsati vastarent incolæ timidi & victoriæ Gerhardi Magni non ignari & popularium Hamerstadiorum & Suderhamiorum cladis memores bellum deprecabantur & deditionem promittebant; quorum postulata cum principes recusassent, ad arma iterum ventum est, omnisque belli eventus ad regionis *unicum delubrum* stetit, quod Ditmarsi tenuere loco propugnaculi ad sui corporis defensionem. Sed Holsati, quos delendi genrem libido invaserat, omnem laborem susceperе ad expugnandum fanum, ignemque fecere, quo rectum delubri plumbeum combustum fere fuit, id gens Ditmarsorum rata, ut periculum præsens & extremum propulsaret; libentius in acie cadere, quam turpiter flamma perire maluit. Itaque globo facto hostem invadit, ingentique impetu agit atque recentis fortunæ calore usa multos trucidat, ceteros in fugam pellit. In qua tumultuaria pugna a Ditmarsis populo victore occisi sunt præter innumeram vulgi multitudinem XII. principes, paucos fuga servavit, inter quos Gerhardus Magnus Holsatus & Henricus Leo Megapoleus numerandi sunt, qui incolumes ad suos rediere.

Oldenwürden.

Holsati a Ditmarsis vincuntur.

Cum Christophoro Rege.

§. 33. Præterea Gerhardus Magnus alia bella gessit & imprimis contra Danos. Etenim Cimbri Danorumque purpurati repudiato Christophoro Erici Slesvicensis demortui filium

filium impuberem Waldemarum dixerant regem; cujus pueri gratia iſte Gerhardus contra regem Chriſtophorum arma ſumpſit ferens Cimbris auxilium: nec audenti defuit mars; nam ſæpe cum Danis conflictus ſemper victor extitit atque ipſum regem inimicum regno expulit. Nonnulli retulerunt eum devicta memorabili pugna Danorum acie regem Chriſtophorum cepiſſe, ſed alii negant. Pro iſto labore atque opere Valdemaro Sleſvicenſi puero præſtito ſtipendii vice e Cimbrorum agris reditus partim & oppida munimentaque partim habuit. In iſtis diſcordiis quidem & Johannes Largus Vagriæ princeps fuit, modo Danis regique Chriſtophoro opem contra Holſatos, modo contra repudiatum regem fratrem uterinum pro Holſatis Cimbrisque ferens auxilia. Neque Vagriorum principi ejusque labori defuit præmium: nam potiti munere Femaria inſula fuere. Eſt autem Femaria Slavis adempta provincia, quæ undique pelago Balthico cingitur, ubi mare Saxonicum, quod & Germanicum dicitur, aperiens terras Vagriorum & Holſatorum cedentia littora abigit, atque Travenam Lubecenſium portum verſus in arctum in iſtas regiones ſe inſinuans agitur. Separatur autem a Vagria hæc inſula modica freti latitudine ad occidentem ſolem & africum ventum, ubi in Vagria Grotenbrodicus pagus eſt, non procul ab oppido Hilgenhavio & vili inſula Flugia Femariæ proxima occaſum verſus. Habet ab auſtro & zephyro Holſatiam & Vagriam, a ſeptentrione & ortu ſolis Balticum pelagus, ubi Danorum inſulæ. Regio Femaria eximie fertilis, parvis oppidis habitatur, inter quæ Gambeca orientem verſus, quæ hodie Burgis dicitur a munimento, cujus parietinæ adhuc viſuntur: huic oppido ad aquilonem objectum eſt nemus Stamberum vocatum. Lanschirchia in medio eſt inſulæ & ſancti Petri pagus in occaſu. Præterea hæc inſula caret ſilvis, alioquin ob agri ubertatem inſignis. Verſus ſeptentrionem portus eſt Soltovius in Femaria, ubi ſereno cœlo Dania viſitur ab incolis. Hanc ſc. inſulam olim tenuere Slavi; ſed a Danis pulſi, Cimbri Sleſvicenſes & deinde Holſati inſulam ſibi vindicarunt.

Johannes Largus Femariam a Chriſtophoro accepit.

Femariæ deſcriptio.

Grotenbrode.

Inſula Flugia.

Gambeca hodie Burgum.

Stamber nemus. Landskerkia. Peterdorff.

Soltau.

§. 34. Habuit Rex Daniæ Chriſtophorus tres filios, Ericum, qui in bello patrio periit & ſepultus Soræ apud patrem & matrem Eufemiam, deinde Valdemarum & Ottonem. Hic Chriſtophorus moriens ſucceſſorem regni reliquit filium Valdemarum, qui pariter cum Cimbris Valdemaroque Sleſvicenſi atque cum Holſatis inimicitias aluit: nam germanus frater Otto de integro contra Gerhardum Magnum Holſatiæ principem bellum paternum reſumpſit, ſed infelici auſpicio; nam prælio captus pœnas odii & protervitatis dedit: ſed tandem imperatoris & Lubecenſium precibus vinculo emiſſus ad exemplum patris promiſſionibus non ſtetit, inde Holſati Gerhardusque princeps bellum Danicum adverſus Ottonem fœdifragum renovarunt, ac Cimbriæ inferiori magnam populationibus intulere vaſtitatem, & hujus calamitatis rex Valdemarus particeps fuit. Etenim ſuo & germani ſcelere regno ejicitur ſæpiſſime. Intera Gerhardus Magnus, dum Ottonis Dani perfidiam ſatis acriter ulciſcitur, Randerhuſiæ a milite quodam Cimbro Nicolao Ipſio clam nocte in cubili trucidatur miſere Ao. 1340.

Chriſtophori regis filii.

Bellum inter Ottonem & Gerhardum M. Otto captus.

Gerhardi M. mors.

§. 35. Hunc exitum habuit Gerhardus Magnus, vir præclarus, in quo cum fortitudine haud vulgariter inſigni æque ac feliciſſimo fortunæ tenore non inferior ſuperſtitioſa religio, quam induſtria ex æquo certabant. Hic ſub educatore Hardvico Reventlovio viro impigro & militari crevit, & in diſciplina pontificis Bremenſium Giſelberti fuit. Præterea a prima pueritia belli patiens ad arma, (inter quæ clipeum Mariæ Deiparæ inſignitum imagine habebat,) & ad venationes animum applicuit. Initio apud ſocerum contra ejus fratrem non recte patriam dividentem ſtipendia fecit & quidem conatibus ſuis fortuna, quæ alioquin volubilis, adjumentum attulit. Bello ſociali de Vagriis victor extitit, ſed contra Ditmarſos infelix fuit, ut diximus, a quibus ſuperatus fugam quæſivit, cujus cladis & ignominiæ ultionem cogitaſſe ex ipſius verbis conſpicitur: interrogantibus enim, unde ei tantum argenti pro exercitu ſolvendo pondus eſſet conflandum, reſpondit ſe militem in Ditmarſiam miſſurum, ibi aut victum periturum aut ſuperſtiti omnem prædam largiter eſſe daturum. Porro contra Danos felici ſemper eſt uſus ſucceſſu, quos promiſſionibus non ſtantes ſæpe fudit, ſæpe armis in pacem coëgit. At poſtremo miſere periit non virtute hoſtili aut fortunæ inclementia, ſed inſidiis ſuorum & proditoris perfidi, cui nimia credulitate fidem ante dederat, fraude atque oppreſſione, vir meliori fato maxime dignus: in quo ſingularis animi magnitudo, humanitas, erga ſuperos inferosque cultus ac aliæ invictæ virtutes quaſi in ſpeculo lucebant.

Gerhardi Magni laudes.

Ejus clipeus.

§. 36. Gerhardo filii fuere Johannes, qui in bello periit Danico, Henricus, qui ob animi impigri duritiem Ferrei cognomen reportavit, & Nicolaus, cui ab amiſſione oculi Coclitis vocabulum poſtea fuit. Hi patris ulturi necem, Henricus Selandiam conducta claſſe & Holſatorum fortiſſimorum manu populabundus, Nicolaus Cimbriam inferiorem cum exercitu hoſtili invadunt, & Scalinburgo expugnato homicidam patris Gerhardi Nicolaum Ipſium Equitem Danum capiunt & gravi ſupplicio tollunt. Rex Valdemarus ut præſens periculum declinaret in exilium abiit: quapropter Valdemarus Dux Sleſvicenſis opera Holſatorum Henrici ferrei & Nicolai regnum Danicum ambiit; ſed illis malam gratiam retulit pro meritis, non impune; nam ab Holſatis in venatione captus Niburgi in Fionia Danorum inſula tulit vincula, ſed data pecunia priſtinam recepit dignitatem: poſtea rex exul in Germania Holſatorum opera tumultus & Danorum turbas deſtantium in patriam rediit. Hi fratres Hen-

Gerhardi M. filii bellum in Danos movent.

Rege Valdemaro in exilium miſſo Waldemarus dux Sleſvicenſ. eligitur.

Gerhardi filii Stormariæ domini Ao. 1330.

ricus & Nicolaus obtinuere post Johannis Gerhardi IV. filii obitum Stormariam provinciam.

Johannis Stormarii virtutes.

§. 37. Fuit Johannes Stormarius homo egregius, cujus modestia singularis pacis ex æquo respondebat amori. Nam de eo nihil in monumentis annalium invenio præter nomen; unde tranquillitatis amantissimum fuisse pro certo habeo. Hujus defuncti ditionem Holsatorum subjecere dominio Henricus ferreus & Nicolaus fratres, ut dictum est. Supra fecimus mentionem Burgardi Grellæ pontificis, qui Jano Lundensi successerat; quo

Ao. 1344. Otto I. Bremens. præsul.

Grella defuncto Bremenses patagium pontificale Ottoni ex inclyta Delmhorstiorum gente orto dedere. De isto Ottone Bremensium pontifice hujus nominis primo, ejusque gestis, ut de ceteris, Cranzius satis copiose scribit in Metropoli: propterea tantum nomina proferre, quia gens Ditmarsica horum titulotenus profitetur imperium, proposui. Circa hæc tempora bellum fuit inter Britannos, quos Anglos vocamus, & Gallos, quod diu stetit; in quo apud Britannos eorumque regem Edovardum militavit Henricus ferreus

Henricus ferreus militat Britannis.

Holsatus: at contra apud Gallos Johannes Bohemiæ rex & Rodolphus II. Saxonum dux septemvir Rudolphi superioris filius.

Ludovici Bavari mors.

§. 38. Hujus Johannis Bohemiæ regis, qui Gallis militavit, in quo bello etiam periit filius Carolus, alio nomine Venceslaus dictus, ut est apud Cranzium, a parte septem-

Carolus, alias Wenceslaus, anti-Cæsar.

virorum in Germania Romani pontificis suasu & scelere contra Ludovicum Bavarum augustus est salutatus: sed ejus imperium nomine quidem fuit, postea veneno Ludovico venerabili imperatore sublato, qui fuit vir magnanimus, in gubernatione justus, suorum defensor non lentus, patiens contumeliæ, nemini enim intulit bellum, sed inferentes armis depulit, contra Carolum Bohemum Germanorum proceres Eduardum Britannum, qui nuper memorabili prælio Gallos superaverat, apud quem Henricus Ferreus Holsatus stipendia faciebat, augustum designarunt; sed ille gloria fretus & nominis sui magnitudine dignitatem abnuit. Postea septem-

Eduardus Britannus Germaniæ Imper. declaratur.

Fridericus per septennium Imperator.

viri Cæsarem dixere Fridericum Mysorum principem, cui pecunia corruptus Bohemo ante designato Cæsare suffragium reddidit; deinde Germani Guntherum Suartzeburgum declararunt imperatorem, quem veneno su-

Guntherus Suartzeburgius Imp. veneno tollitur.

stulerunt Bohemi. Ita Carolus, quem Saxo, Colonienſis, Trevirensis & Moguntinus antea designarant, uno Germanorum consensu imperium obtinuit solus.

Carolus solus Imp. Ao. 1350.

Bellum inter Waldemarum & Holsatiæ principes.

§. 39. Circa hæc tempora gravissima bella & mox induciæ inter Danorum regem & Holsatorum principes Henricum ferreum & Nicolaum fratres & Johannem Largum Vagrium fuere. Nec Valdemarus Danus adverso usus est marte, qui pristinum popularium statum in integrum restituere & agros oppidaque in patria hostibus adimere conatus sæpe signa manusque cum Holsatis contulit, sæpe victor abiit, sæpe victus. Etenim Holsati Henrico ferreo principe contra inimicos secunda semper fecere prælia, quo absente omnia ab Holsatis occupata recuperarunt Dani. Habebat Johannes Vagrius præter Femariam insulam etiam Lalandiam, quæ mari Baltico cingitur, Fal-

Lalandiæ descriptio.

striæ ab oriente & Langelandiæ, qua sol occidit, Danorum insulis objecta, separaturque versus boream a Selandia freto Gronsundio, meridiem versus pelago Baltico, quod & Germanicum appellatur, a Sclavanorum regionibus, provincia eximie fertilis, frumento, pecoribus & piscatura celebris. Hanc insulam Danorum esse ratus rex Valdemarus Johanni Largo, ut eriperet, bellum fecit, & quidem res ad conflictum veniisset, quia Vagrii Germanicis instructi copiis defensionem parabant, nisi Magnus Saxonum & Norvagio-

Magnus Sueonum rex discordias inter Waldemarum & principes Holsat. componit.

rum rex æquis conditionibus hoc malum composuisset inter cognatos. Etenim iste Johannes Largus erat regis Valdemari patruus; nam hujus pater Christophorus demortuus frater uterinus Largi fuit, ut supra est notatum. Res ita Sueone arbitro sopita, ut magno argenti pondere accepto Vagrii Danis restituerent insulam. Huic Magno Sueo-

Henricus ferreus Magno Sueonum regi militavit.

num regi militavit contra Tavastos, Finnos & Carelos Henricus ferreus, qui ante (ut diximus) stipendium contra Gallos meruit atque militatum abiit in Hispaniam, Italiam & in alias exteras regiones, de quibus rebus legito annales Holsatorum, quos Johannes Petrejus Oldenburgicus antistes condidit. In hu-

Nicolaus absente fratre Cimbriam inferiorem amittit.

jus Henrici absentia Nicolaus frater omnem Cimbriam inferiorem defectione amisit, & in Fionia prælio a Danis Valdemaroque devictus oculum amisit, & vix vincula evasit; inde Coclis cognomentum accepit. Nunc Sueciam, cujus regis fecimus mentionem, describam & omnes septentrionarias regiones obiter.

Suecia divisio.

§. 40. Suecia regnum amplissimum dividitur in tres partes, cujus primam sibi vendicat Finlandia, quæ ab ortu Muscovitarum pro-

Finlandiæ descriptio.

vinciis, ab occasu & meridie sinu Botnico & Suetico & pelago Phinnonico atque Sarmatico & quod Heneticum a populis accolis dicitur, a septentrione Botnia orientali clauditur; abundat lacubus & a fertili solo & pecorum abundantia nomen sortita est suum. Hujus incolæ sunt Careli & Tavasti atque ceteri Finni, contra quos, ut diximus, Henricus ferreus a Magno Sueone conductus militatum abiit. In hac regione Finlandia præcipua oppida sunt Abo & Viburgum contra Russos, gentis unicum propugnaculum. Altera pars ipsa Suecia est multas provincias complexa, quæ versus meridiem & orientem cingitur mari Sarmatico & sinu Botnico, & ad solem occidentem Dofrinos montes occupat, qui Sueciam a

Dofrini montes.

Norvagia separant. Provincia celeberrima in hoc regno est Helsingia, ob ferarum & lin-

Helsingia.

cum copiam, & Uplandia ob venas metallicas

Uplandia.

& metropolim Holmiam Sueonum. Terminus Sueciæ ad septentrionem Botnica occidentalis. Tertia pars est Gothia, quæ aut occi-

Gothiæ divisio.

dentalis est & dicitur Vestgothia, aut orientalis, cui nomen Ostgothia est. Ceteræ insulæ

Gothlandiæ descriptio.

sunt, ut Olandia & Gotia, quæ nunc Gotlandia dicitur, atque Elenholmia ac aliæ. Ostgothia ab

ab oriente proxima est Sueciæ & a Vestgothia separatur scopulis, quos Holvecos vocant. Vestgothia autem Daniæ est objecta ad occidentem. Ultra Sueciam ad polum arcticum est Botnia, quæ aut occidentalis aut septentrionalis in ultimo Sueciæ sinu, qui & Botnicus dicitur, ubi caput regionis Torna. Hic sinus multa nomina sortitur a vicinis regionibus. Etenim ad occasum Sueciam, unde Sueconium, ab ortu Phinlandiam, unde Phinnonicum pelagus dicitur, & in intimo sinu Botniam habet, unde Botnicum mare. Tertia pars Botniæ dicitur orientalis & est Finlandiæ terminis boream versus proxima. Post Botniam versus aquilonem habitant gentes barbaræ, ut Scricfinni, Lapones, ad Norvagiam Finmarchi, ad Muscovitarum provincias juxta oceanum hyperboreum Biarmii, quorum regionem Saxo Grammaticus duplicem facit. Deinde cuncta loca ad Livoniam usque tenent Russi, qui a finibus Finlandiæ arcentur propugnaculo Viburgo & sinu Henetico, in quo Hogelandia insula & Sciolla atque Ozilia. Etenim Finlandia Chersonesus est, quæ pelago undique cingitur, nisi ab ea parte, ubi Botnia est, ibi patet iter pedibus, ut etiam supra est annotatum, cui vicinæ sunt multæ insulæ. In sinu Botnico præcipuæ sunt Nerpia & Alandia inter Sueciam & ipsam Finlandiam. Præfuit autem tum Sueciæ & Finlandiæ Magnus, cujus pater eodem nomine devicerat Norvagiam, atque ita hic Magnus solus imperitabat septentrionariis. Est autem regio vasta & plena solitudinibus, quæ ad polum arcticum usque extenditur, & ad occidentem plagam habet oceanum aquilonarem & versus boream gentes barbaras, inter quas Gronlandia est, perpetuo cursu & variis anfractibus ad regionem Baccalaorum nuper a Cabodo Iberisque inventam extensa, quæ pars est explorati a Vesputio Americo atque aliis Hispanorum nautis orbis, ac pariter utrique polo subditi. Hanc regionem Gronlandorum pygmæi inhabitant, quæ, ut diximus, cum quarta orbis parte terrarum est connexa; ut multi affirmant; sed contra Gemmæ Frisii tamen opinionem, qui Gronlandiam magnam insulam esse fere existimat, nisi quod versus occiduum solem cum Tangutica & Balorica regione Asiæ majoris & extremæ in potentissimo Cathainæ imperio, ubi ditissimus principum Can ille magnus Tartarorum rex est, cohæreat atque modica freti distantia vix ab America sub eadem plaga separetur; apud nos autem vasta hæc pene insula sinu Gronvitico clauditur, ubi oceanus est hyperboreus: porro Norvagia Dofrinorum montium jugis perpetuis a Suecia sejunguntur, atque a Dania Trolheta maximorum ostio lacuum, sed versus zephyros & corum pelagus habet boreale, ut dictum est, refertum innumeris insulis, iisque Norvagico regno subditis; ut est Islandia variis miraculis cognita, quæ Gronlandiam jam memoratam e regione septentrionaria habet. Deinde Farogiæ insulæ & Orcades sunt Romanis antiquis cognitæ, quarum præcipua est Hetlandia. Littora autem variis ambagibus Norvagica alias habent, ut a polo incipiam, Stoppennam, Rodesholmiam, Saniam, Vastraliam, Londingiam, Varoam, Scorpenam, Fosenam & Hescho in sinu Nidrosiano, & sunt aliæ infinitæ insulæ. Oppida in hoc regno sunt imprimis cognita Berginum, Stafangerum, Asloa, palus Moos, Nidrosia, quæ civitas pontificalis olim dicebatur, Tronthemia, ubi insignem sinum oceanus efficit, in cujus intimo est Hescho insula versus septentrionem. Deinde civitas Nidrosia una cum regia munitione in Vicchia insula, sed in sinus ostio, quod occasum spectat, Fosena jacet; etenim sinus multis anfractibus ex pelago modo in orientem & meridiem, mox in boream excurrit & finitur. Abundat autem Norvagia, ut & aliæ septentrionales regiones, piscibus, e quibus arengæ seu haleces sunt, soleæ, rajæ & cuncta asellorum genera, nec non & balænas habet atque alia monstra: præterea omnibus fere brutis insignis est; etenim lynces, lupos cervarios, gulones, quos Jeveros vocant, alces, martaros, zobellos, item farandos mittit aliis nationibus non visos.

Sinus Botnicus.

Norvagiæ descriptio.

Gronlandia.

Islandia.

Orcades.

Nidrosia s. Tronthemium.

§. 41. Post amissam Lalandiam & recuperatam a Danis intercessione regis Sueciæ, (ob cujus causam prolixiores in descriptione regionum fuimus,) pacem, Johannes cognomento largus moritur homo mitis & pius, cui filius Adolphus apud Vagrios succedit. Hujus & patris tempore oppidum Holsatorum Chilonium ædificiis, mercibus atque divitiis crevit.

Johannes Largus obit eique succedit Adolphus.

Kilonii incrementa.

§. 42. Defuncto Ottone Delmhorstio Bremensium præsule, alii sacerdotum demortui agnatum Mauritium Oldenburgicum, quem ante Delmhorstius in successorem adoptaverat, alii Gotfridum hominem honestum & minori potentia pontificem dixere, qui submoto Oldenburgio pedum apud Bremenses solus obtinuit. Nunc redeo ad Holsatos. Henricus ferreus, qui quædam oppida & Calmariam in Suecia obtinuit, sponderat sororem Elisabetham regi Norvagiæ Haquino Magni Suenonis filio, sed Voldemarus Rex Daniæ re cognita filiam unicam Margaritam, (nam filium Christophorum in prælio navali contra Lubecenses & urbes Vandalicas ante amiserat,) Norvagio in thalamo collocat, quæ res multorum malorum causa fuit. Etenim Magnus Aquini Norvagii pater regno a suis pellitur Sueonico, & Henricus Ferreus rex designatur, quo abnuente, Magni sorore progenitus Megapoleus Albertus apud Sueones invadit imperium.

Mauricius Oldenburgius præsul Bremens.

An. 1359. Haquino regi Norv. Henricus ferreus sororem sponsam det.

§. 43. Interea temporis Gotfridus pontificatu Bremensi submovetur, ac Albertus Guelphus e Brunosvicensium familia procreatus, Magni superioris Brunosvicensis frater atque Magni Torquati minoris patruus pontifex ab omnibus declaratur. Hujus e fratre nepos Magnus cognomento, (ut diximus,) Torquatus seu minor cum tyrannidem apud Luneburgenses occuparet, cives ad unum omnes ductore Alberto Anhaltino Saxone, auxilio Venceslai septemviri patruelis & imperatoris tyrannum ducatu expellunt, in quo bello Venceslaus dux septemvir apud Saxones

Gotbfridus præsul Brem. abdicatur & succedit Albertus Guelphus.

Wenceslai ortus.

ad Cellam periit, cui filius in ſeptemviratum Rudolphus III. ſucceſſit, & ipſe tyrannus victus & occiſus a Scumburgio Ottone principe; de quo poſtea. Gotfridus autem poſt amiſſi pontificatus annum tertium Stadii mœrore obiit.

Valdemari regis mors. §. 44. Poſt defuncti Gotfridi pontificis duodecimum annum Valdemarus rex vitam obit & filia Margarita demortui Norvagiæ regis uxor una cum parvulo filio Olao Danicum obtinet regnum; quo anno divus Imperator Cæſar Carolus Bohemus Lubecam venit & omnes turbas inter Saxones, de quibus in priori, pacat & controverſias inter Lubecenſes & Hamburgenſes, quas cum Holſatis Henrico Ferreo & Nicolao Coclite aluere, tollit. Iſte Imperator ante obitum Venceslaum conſortem imperii fecit.

Margareta cum filio Olao imperium obtinet. An. 1375.

Wenceslaus Caroli ſucceſſor. §. 45. Defuncto Carolo Bohemo filius Venceslaus antea conſors imperii Cæſar Auguſtus a ſeptemviris ſalutatur, homo ignavus & deformis. Hujus tempore inventum eſt illud genus bellicæ machinæ, quod in maximam mortalium perniciem inſtructum eſt atque diſploſum. Dum hæc in Germania geruntur, interim Henricus ferreus Holſatiæ & Stormariæ princeps moritur, vir induſtria, patientia, labore, animi magnitudine præclarus; cui filii fuere Gerhardus, Albertus & Henricus, qui paternam obtinuere hæreditatem.

Pulveris pyrii inventum.

Henrici ferrei mors An. 1381.

Ditmarſi Holſatis bellum movent & a Nicolao repelluntur. §. 46. De Ditmarſis nihil invenio, dum Henricus ferreus vixit: poſt cujus fatum Holſatiam invaſerant, ut inde pecora abigerent, & prædas ex agris agerent; ſed res illis, qui ſunt tantum incurſionibus & latrociniis aſſueti, male ceſſit. Nam Nicolaus jam ſenio confectus cognita ipſorum irruptione, extemplo latronum globo cum parva inſtructorum ad militiam manu obviam ivit, atque edita pugna, hoſtibus aut fugatis aut trucidatis prædæ partem eripuit. Ita Ditmarſorum conatus in poſterum ab Holſatis prohibiti ac interfecti ſunt.

Regina Danorum Gerhardo Ducatum Slesvicenſ. tradit. §. 47. Interea regina Danorum Margareta & filius Olaus comitia habuere regia, in quibus fuere Holſatorum principes; quorum Nicolaus homo ſenex, qui Flensburgum tenebat, a Margarita filioque ac Danorum purpuratis Slesvicenſium Dux deſignatus fuit; ſed, eo abnuente ob decrepitam ætatem hoc munus, regina & Olaus filius ut aliquid beneficii huic genti præſtarent, in his comitiis Gerhardum inter Henrici Ferrei liberos majorem natu ſolennibus ceremoniis Slesvicenſium Ducem ſalutarunt, eique Cimbriæ ſuperioris tradiderunt ditionem. Hunc conventum Danorum & Gerhardi honores frater Albertus & Henricus & patruus Nicolaus Cocles Holſatiæ & Stormariæ & Adolphus Vagriæ principes ſua præſentia honeſtarunt.

Deſcriptio Cimbriæ Cherſoneſi. §. 48. Ducatus Slesvicenſis, cujus mentio fit, eſt pars Cimbriæ Cherſoneſi. Etenim Cimbrica Cherſoneſus inter ſuperum & inferum pelagus tres habet partes, marique Baltico & oceano barbarico cingitur, niſi quod ad Saxoniæ limites continens ſit, ideo peninſula dicitur; cujus prima pars Cimbria ſeptentrionalis, & inferior appellatur, quæ Venſoliam, cujus caput eſt Burgla pontificalis civitas, & Jutiam complectitur. Venſolia fere inſula eſt & a Jutia meridiem & afrum verſus Iſthmo Hirthalſico dividitur. Jutia autem Coldingenſi ponte & ſilvis Danicis atque Ripis a Ducatu Slesvicenſi, cujus citerior pars Aruſiam, ulterior Coldingam & urbem pontificalem Ripenſem ad oceanum habet, porro inſulas in mari Baltico Helmſiam, Morſam, Leſſoam & alias: in Britannico Myningam & Rimiam non procul a Ripis. Hæc regio percelebris ob promontorium in Venſoliæ finibus Scagenum. Altera pars Cimbria ſuperior, quæ & meridionalis ſeu Ducatus Slesvicenſis dicitur, eſt; in qua inſulæ ſunt in pelago Germanico inſignes Aria, Alſia, cujus urbes Sunderburgum & aliæ, ut Calloa & Borſoa in Sundevitiæ viciniis. Alia inſula Fioniæ eſt proxima. Alſia deinde inter Angliam & Sundevitiam, a qua Vagio freto anguſto, ſed profundo, ſeparatur. Sundevitia Cherſoneſus eſt Cimbriæ, cujus caput Flensburgum civitas maritima in portu Holeviſio ad boreum promontorium. Ex hac regiuncula prodiiſſe Vitas non nulli affirmant, quia vocabulum Sundevitia compoſitum e Sundis & Vitis eſt, quaſi dicas Vitas habitantes ad nothum. (*a*) Angilia alia pars eſt Slesvicenſis regionis: ſic dicta perhibetur ab Angule Humbli Gothi filio, teſte Cranzio & Saxone Hiſtoricis, ex qua provincia Anglos, qui Britanniam expugnarunt, profectos nonnulli volunt, Bedæ quidem teſtimonio, qui ſcribit, Saxones, hoc eſt Holſatos, Anglos, Angilios & Vitas, nunc Sundevitas, gentes eſſe vicinas. Ptolomæus autem Geographus mentionem facit Saxonum inſularum, quas Alſiam, Ariam & alias eſſe mihi Trazigerus Jurisconſultus retulit. Caput autem Angliæ & urbs Slesvicenſis ad Sliam fluvium, qui eſt hujus provinciæ terminus ad auſtrum. Sequitur Suantia peninſula celebris, in qua Eccleforda civitas maritima. Hæ regiones ſpectant omnes ſolis ortum pelagoque Balthico obnoxiæ. Nunc Cimbricæ ſuperioris ad oceanum dicemus partes, ut eſt ager Suaveſtadienſis, pontificis Slesvicenſis ſedes, & Friſia, cujus pars alia eſt continens, ut provincia Nordbulgia verſus ſeptentriones & Ripas Riſimoria, Haſtadia, Huſenſis ager & Eiderſtadia; alia pars Friſiæ eſt *inſularis*, ut ſunt Forda, Strandia, Siltia, Vindingardia, Halingia, Hilgelandia & aliæ Halingicæ inſulæ. Strandia etiam Strandania vocitatur. Hæ regiones omnes ſunt *paluſtres* & populi abundantia atque pecorum copia Ditmarſiæ ſimiles, nec moribus & antiquis veſtiariis conſuetudinibus diſſimiles, ſed harum omnium tenaciſſimi hodieque utentes nullo ſerico, nullis exterorum rebus veſtiariis, ſed pannis domi natis *Webbe* ſeu *Gewebe* dictis, & ſuperbientes tantum vel ſagis vel pellibus agninis, lanæ filis,

Venſolia.

Limites Ducatus Slesvicenſ.

Deſcriptio Ducatus Slesvicenſ.

Sunderjutia.

Vitarum nomen unde.

Angilia.

Slesvicum caput Angliæ.

Suantia.

Ekleforda.

Inſulæ Fördia, Syltia.

Strandia.

(*a*) ſeu auſtrum.

filis, vittis, caudis, velaminibus, flexuris crinium, fibulis, cultris, numis, haſtis, more vetuſtiſsimarum gentium, Saxonum præcipue, teſte Abbate Urſpergenſi. Memoria & adſpectu digna habe hæc antiquitatis ſigna, virginum & fœminarum virorumque *Ditmarſorum* & *Inſularium Cimbricorum* genera (*a*) veſtimentorum. Hæc de Ducatu Slesvicenſi, cujus termini auſtrum verſus ſunt Eidora & Lebentius amnis. Tertia pars Cimbricæ Cherſoneſi *Nord-Albingia* vocitatur, ea eſt Germanorum, ſicuti ſuperioris Danorum; quæ eſt aut ſolida aut paluſtris; ſolida complectitur Holſatiam, in qua caput *Chilonium* Adolphi Vagrii ſedes, urbs inſigniter egregia, & *Novomonaſterium* apud antiquos decantatum, & complectitur Vagriam, cujus ſunt partes Branneſia, ubi Oldenburgum, ager Lubecenſis, ubi Lubeca, inclyta civitas, & Utinum, pars Probaſtiæ, nam altera pars eſt Holſatiæ, & inſula *Femaria*: in Vagria ſunt Sigemons & Plona; ejus limites ſupra notavimus & notabuntur. Separatur autem a Megapolea ditione flumine Travena. Paluſtris Nordalbingia vocatur quoque regio Marſica, ut ſunt Stormaria & Ditmarſia hujus libri propoſitio. In Stormaria ſunt Crempemarſia, ubi Crempa civitas munita, & Vilſtermarſia, ubi Hamburgum urbs antiqua, olim ſedes pontificialis ad Albim fluvium Cimbricæ peninſulæ a Saxonia terminum. Ditmarſia autem dividitur in ſuperiorem & inferiorem, in Marslandam & inſulam Buſam. Hujus nationis populi ſunt in Ditmarſia celebres Hamenſes, Hamerſtadii, Suderhamii, Nordſtrandi & alii.

Nordalbingia. *Holſatia.* *Kilonium.* *Novomonaſterium.* *Oldenburgum.* *Lubeca.* *Utinum vulgo Probſtey.* *Femaria.* *Nordalbingia diviſio.* *Crempemarſia & Wilſtermarſia.* *Ditmarſiæ diviſio.*

§. 49. Interjectis interea annis Adolphus ſine maſcula prole ex hac vita deceſſit, princeps egregius & magnanimus, ultimus, quos Vagria tulit. Poſt cujus fatum Otto Scumburgius, cujus ſupra fecimus mentionem, hæredem ſe ratus demortui bonorum partem adire conſtituit: ſed Nicolaus Holſatus, qui defuncti Vagrii amicitia & propagine propinquior erat hæreditate, dato certo argenti numero oppidisque Bramſtadio, Pinnemonte & Hadersburgo conceſſis, Vagriæ & civitatis Chilonii obtinuit dominatum; Otto autem pecunia & quibusdam agris ditatus pro iſto principatu in patriam reverſus eſt. Sic Vagria ad Holſatos rediit.

Lis inter Comites Schaumburgicos & Holſatos an. 1390. *Wagria ad Holſatos redit.*

§. 50. Dum hæc apud noſtrates geruntur, interim Albertus Guelphus Brunoſvicenſis Bremenſium pontifex moritur. Poſt cujus mortem alii Johannem Monecum ſucceſſorem deſignant, alii defuncti ex fratre nepotem Ottonem Guelphum Magni Torquati Brunoſvicenſis filium dicunt pontificem, qui tandem ſubmoto Johanne Monaco ſolus Bremenſem retinuit ſedem.

Albertus Bremenſium præſul obit, & Otto Guelphus ſuccedit.

§. 51. Nicolaus Cocles poſtea Holſatiæ & Vagriæ princeps ex hac vita ſenio confectus deceſſit, vir laudibus cœlotenus tollendus; qui enim malis vitiis eſt imbutus, nonne dignus vituperio? At Nicolaus quantis virtutibus fuerit decoratus, vix effari poteſt. Nam hominis fortitudini juxta ac induſtriæ, tum pietas pariter & pacis artes, tum frugalitas virtutum omnium genitrix ex æquo reſpondebant. Patiens enim belli erat & ad arma natus: nam plebi Holſaticæ & tyronibus rerum bellicarum ignaris diſciplinas mavortias inculcavit, & ſtipendiis non ſpernendum equitatum ſemper aluit, quibus & veteranis inſtructis facile latronum Ditmarſorum globos rapinis & populationibus prohibuit, ſed quoque contrivit. Porro aſſentatoribus aures non præbebat, & omnes faſtus odio proſequebatur: ob has igitur virtutes proceribus juxta ac plebi carus fuit. Enim vero, qui talibus a Deo ſunt donis decorati, nonne laudem & amorem omnium merentur? Etenim ubique locorum non ſunt; quod rarum, diligitur: itaque tales cum pauci viri inveniantur, ſicuti iſte Nicolaus, dignum judico nomen ejus celebrari perpetuo.

Holſatiæ obit An. 1398.

§. 52. Poſt Nicolai obitum filii Henrici ferrei Gerhardus Cimbriæ regulus, Albertus & Henricus, (qui in Saxoniam profectus fuerat pontificatum Oſnabrugenſem petiturus, ſed moræ pertæſus mox in patriam redierat,) fratres Holſatiam, Stormariam & Vagriam obtinent: ſed inde inter germanos ob diviſionem exoritur controverſia, quæ bonorum conſiliis tandem ſopitur, ut ſolus quibusdam annis major frater Gerhardus totum Nordalbingiæ dominatum teneret; deinde cetera inter ſe fratres ſoli Albertus & Henricus inter ſe partirentur.

Diviſio Holſatiæ inter filios Henrici ferrei.

§. 53. Cæſar Venceslaus, cum propter deteſtandam ignaviam in odio omnibus eſſet, a fratre Sigismundo captus ab Electorum ſenatu imperio Germanico exuitur, bellua magis facie quam homo; quo repudiato alii auguſtæ dignitati præficiunt Jodocum barbatum Moravum ex eadem Luxelburgiorum familia genitum: poſtea ſeptemviri auguſtum deſignant Fridericum Guelphum Brunoſvicenſem Magni Torquati filium, Henrici & Bernhardi, qui agrum Luneburgenſem recepere, fratrem, quo arte mala Moguntini occiſo Rodolphoque Saxone ſeptemviro Venceslai filio capto, ac Sigismundo Anhaltino inſidiis elapſo ſociis itineris Germanorum proceres diadema Imperiale Ruperto Palatino ſeptemviratus collegæ tradunt, principi juſtitia, pacis artibus, religionis reverentia apprime inſigni: ex hujus proſapia rex Danorum Chriſtophorus originem duxit; de quo alibi.

Venceslaus Cæſar imperio exuitur. *An. 1400.*

§. 54. Hæc dum in Germania geruntur, interim Hamburgenſes victricibus armis de piratis victoriam adipiſcuntur; nam navali præ-

Stortebekerus & Gödeke Michaelis

lio

(*a*) Ditmarſica comparent tabulis impreſſa in opere Rantzoviano ſupra N. I. *Inſularium* Föhrenſium & Syltenſium, Sponſorum Sponſarumque Fœminarum, Mulierum ad templum, S. Cœnam, Baptiſmum, exſequias accedentium, ut & Puellarum ſtupratarumque Veſtituum figuras exhibent *Tabulæ ad h. l. num.* 1-16. Quibus conſimiles ſunt reliquorum inſularium mores veſtiarii.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

capiuntur. Ao. 1403. lio piratarum ducibus Nicolao Stortebecharo & Godeca Michaelo captis & necatis oceanum Britannicum ab omni deprædandi licentia repurgarunt. Post id temporis stella comata arsit.

Bellum tertium Ditmarsorum. §. 55. Nunc bellum Ditmarsorum tertium ab Holsatis satis infeliciter gestum aggredior tempore pontificatus Bremensis Ottonis Guelphi Brunosvicensis. Ericus princeps Lovenburgius, homo turbis deditus & inimicitiis, *Ao. 1403.* per Holsatiam irruperat infeste in Ditmarsiam ferro & flamma populabundus, quam ob causam XLVIII. viri ad Holsatos Gerhardum Slesvicensium regulum & Albertum dederunt literas immodeste, quibus illos accusarunt perfidiæ & læsi fœderis: hanc accusationem iniquo tulit animo Albertus Gerhardi frater, atque parva militum comparata manu inimicam invasit terram, dataque prædæ licentia populatus est; sed incursionem rati incolæ obviam iverunt. Tunc Albertus, *Albertus Comes Holsf. obit Ao. 1403.* dum instantes prædonum globos fugit, ex equo præcipitatus periit miserrime princeps animi dotibus insignis; qui hunc exitum habet, dum socero Erico Lovenburgio dat operam. Cadaver ejus ritu solenni Itzehoi majorum tumulis est illatum.

Gerhardus Dux Slesv. bellum contra Ditmarsos parat. §. 56. Gerhardus regulus, ut vidit fratris tam infelicem & miserabilem interitum, animi exulcerati dolore bellum in Ditmarsos meditatus est, conventumque egit, ratus de jure suo & Ditmarsiam esse Holsatiæ ditionis, inde frivole discessisse, sed etiam bello revocatam esse. Existimarunt quoque Holsati pariter & Cimbri ultionem Ditmarsicæ insultationis suscipiendam & Alberti principis necem armis vindicandam, atque opes augendas amplificandaque imperia esse devictæ hostilis regionis accessione; neque solum hoc commodo frui se opinati sunt, sed etiam æternam pacem & rerum recuperaturos tranquillitatem omnium.

Gerhardus Ditmarsis bellum indicit. §. 57. Gerhardus itaque Holsatorumque & Slesvicensium purpurati peditum cohortes & turmas equitum insignes conflarunt, quamvis Ditmarsi deprecati sint bellum legationibus & aliis conatibus, sed postquam animadverterunt, qua ira & indignatione, quibus copiis & instrumentis moliri Holsatos expeditionem, militibus & ferro depellendum capitis periculum & focos arasque defendendas strenue pro certo habuere. Postea Gerhardus ira percitus, & juvenum fortissimorum manu instructus, (inter quos viri equestribus insigniti & alii claro stemmate fuere,) bellum per caduceatorem fecialibus literis Ditmarsis inimicis & XLVIII. viris indixit.

Rutera ensis ab Holsatis in bello adhibita. vide L. 4. §. 15. §. 58. Res in hunc modum ad arma rediit. Et Holsati & Cimbri telis & ense, quem Ruteram vocant, armati hostilem petiere regionem: jam acies erat directa & milites hostium adventum & conflictum exspectabant. En ex improviso principis pueri (an milites qui Knapen, an vero pueri nobiles Pagen, Edel-Knaben dicuntur, & armigeri vel satellites ducis dicuntur, fuerint non constat) qui in acie erant, miserabilem ejulatum excitant. Gerhardus princeps hos fletus & ululatus cum audivisset, seditionem ratus aut hostium impetum violentum aperto capite advolat turbas sedaturus, sed ecce Ditmarsi ex insidiis positi e latebris occurrunt, infelicem Gerhardum circumveniunt male armatum nudo capite, circumventum opprimunt, oppressoque caput abscindunt, deinde hostes impressione facta Cimbrorum Holsatorumque exercitus invadunt, telo armisque subvertunt & reliquias in fugam agunt. Periere ex Holsatis una cum principe XII. aurati equites & equestris ordinis viri CCC. præter innumeram vulgi multitudinem. Locus, ubi Ditmarsis victoria stetit, fuit Hama, cum per Suderhamiam exercitus Gerhardi populabundus invasisset hostes. Tanta autem Ditmarsorum fuit crudelitas, ut trucidati milites inhumati permanserint & esca volatilibus fuerint, excepto principe, cujus cadaver propinquis est redditum & Slesvici tumulatum. *Gerhardus perit in loco Hamma dicto.*

§. 59. Magnus autem Slesvicenses & Holsatos ob amissum Gerhardum invasit luctus, præsertim conjugem, quæ erat Brunosvicensis de Guelphorum familia illustri, propter mariti ex insidiis cædem. Qui mœror in causa fuit, ut missis oratoribus ad Ditmarsorum XLVIII. proceres Cimbri senatusque Holsatorum peterent pacem certis conditionibus, quas jam omitto brevitatis gratia, vel quod exstent apud Cranzium & Holsatorum annalium scriptorem Johannem Petræum. Erat autem Gerhardus princeps ferox, marti assuetus & amplificandæ familiæ nimia aviditate prædibus, quæ vitia ei hunc tristem & celerem dedere interitum. Reliquit e conjuge Guelphica Henricum, Adolphum, & deinde posthumum Gerhardum filios, *filiamque Margaritam* quam duxit in thorum Theodoricus Oldeburgius. *Pax inter viduam Gerhardi & Ditmarsos.* *Gerhardi Ducis vitia,* *ejus filii.* *leg. Heilwigam.*

§. 60. Filii Gerhardi demortui principis Henricus & Adolphus & brevi post natus Gerhardus posthumus obtinuere patriam hæreditatem Holsatiam, Stormariam & Vagriam, sed Henricus solus ducatum Slesvicensem, quibus ob ætatem tutores fuere mater, Crummedichius & alii, & tandem Henricus illorum patruus reversus e Saxonia, qui spreverat, tædio exspectandi pontificatum, vi & armis contra purpuratorum decreta obtenuit puerorum tutelam. Iste Henricus principem Stormariæ appellari se jussit. *Dividitur hæreditas Gerhardi inter filios.* *Henricus Gerhardi frater præsul.*

§. 61. Interea Otto Guelphus Brunosvicensis, cum Bremensi pontificatui præfuisset annis duodecim, moritur. Cui sacerdotum suffragiis succedit Johannes Slamdorpius homo integer & Bremensi patagio dignus. Nunc redeo ad Rupertum Cæsarem augustum; quo defuncto fasces augustales, septemvirorum per Germaniam consensu meruit Sigismundus rex Pannoniæ & Bohemiæ, vir magnus & illustris, sed in viros sanctos injusta sævitia belloque & conjugio infelix: bis enim ante sumptum imperium a Turcis, (qui trajecto Hellesponto partem Europæ occuparunt Amuhrate Orchanis filio autore atque finitimis Pannonum regionibus incursiones *Ottoni succedit Johannes Slamdorpius in pontificatu celebrem.* *Sigismundus Imperator. Ao. 1410.* *Bellum cum Turcis gessit.*

fece-

1.



Sponsus Föhrensis ritu Sacerdotali connubii foedere jungendus fascia circa brachium distinctus à reliquis qui omnes nautarum more vestiuntur.

2.



Sponsa Föhrensis, vittis et Sýrmatibus decora, ritu Sacro initianda.

3.



Spons a Föhrensis ad Nuptias convocans, cingulum é panno nigro formatum nummisq deauratis distinctum in vertice, baculum ligaminibus varii coloris redimitum in manu gestans.

4.



Femina recens nupta Föhrensis, quæ celebratis Nuptiis templum frequentans, ornatum consuetum varii colo is in vertice gestat, qui ad obitum usq asservatur et ipsi Sepeliendæ adjungitur in Sarcophago.

C. F. Fröhsch. filius. Sculps.









5.



Mulier Föhrensis flexuris crinium intexta habens fila è lana rubra.

6.



Mulier Föhrensis templum frequentans.

7.



Fœmina Föhrensis ad Sacram coenam accedens

8.



Fœmina Föhrensis infantem è Sacro fonte levans, villis et caudis ornata.

C. F. Fahrsch. Filius Sculps.









9.



Foemina Föhrensis funeris exsequias prosequens.

10.



Puella vel ancilla Föhrensis pellibus agninis circumdata crinium flexuris circa caput in nodos collectis.

11.



Stuprata fœmina Föhrensis, panniculo rubro in fronte notata Vestitum cum reliquis servat communem

12.



Sponsa Sültensis quæ habitu semper obvelata ad templum deducitur.

C. F. Enhsch. fidiut. Sculpsit.









13.



Puella Syltensis Sponsam comitans, Braut Jungfer pectorale, quod deauratis numis coruscat, præ se ferens.

14.



Muliebris Syltensium vestitus communis.

15.



Vulgaris Syltensium vestitus à tergo, crinium texturis conspicuus.

16.



Fœmina Syltensis vestimento ex agnorum pellibus cincta.

C. F. Fokisch. Altus. Sculpsit

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf









fecerant, devictus, scilicet a Bajacete Amuhratis filio, qui paulo post a Tamerlane Tartarorum Sajataiorum imperatore captus fuerat. Deinde a Ceriscelebe Bajacetis capti filio hic Sigismundus est superatus; sed mox post acceptam suorum cladem, Ceriscelebis mortem & Orchanem demortui filium ad rerum summam a patruo Moise sublatum, inde intestina bella apud Turcas gentem Christiani nominis hostem, in quibus occiso Moise, Mahometem Orchanis fratrem imperio Turcico potitum orbi Christiano armis impiis excidium machinari cognovit. Fuit autem hic Sigismundus Caroli superioris Cæsaris filius & Venceslai ignavi frater consanguineus.

Ericus Pomeranus 3. regnorum Rex cum Margarita declaratur. Ao. 1411.

§. 62. Regina Margarita post filii Olai obitum ætate & molestiis imperii confecta Ericum Pomeraniæ regulum, ex inclyta Gryphonum apud Slavos familia, e patria accersitum senatus purpuratorum consensu & populi Danici regem dixit trium regnorum. Hic una cum Margaritha callide conatus est minis belloque Holsatis Cimbriam Slesvicensem eripere, quæ Henrico regulo, tutoribusque subdita, Danicæ tamen clientelæ erat; qua de re postea.

Holsatis Cimbriam Slesv. eripere conatur.

Concilium Constantiense Ao. 1414.

§. 63. Circa hæc tempora Sigismundus Cæsar Augustus concilium Constantiæ egit, in quo Johannes Hussus & Hieronymus viri sancti combusti sunt, quorum cædes magnum Germaniæ damnum dedit. Nam Hussitæ, qui & Orphani & Taboritæ dicuntur, genus Boëmicum, ulturi sanctissimorum virorum necem, armis victricibus Slesiam regionem Mysorum, Moraviam & alia loca pervagati sunt, divina humanaque violantes. In hoc concilio Friderico Norico principi, quem Burggravium vocitant, Marchiam & septemviratum Brandeburgensem delegavit divus Sigismundus Cæsar; quemadmodum paulo post defuncto vita Alberto Saxonum electore Rodolphi III. germano, ceterisque fratribus Anhaltici sanguinis, dignitatem apud Saxones septemviratum, repudiato Erico Lovenburgio illius honoris recta serie hærede, dedit Friderico Mysorum principi, qui imperatori in bellis Hussiticis magnam adjuverat partem. Ab isto Friderico septemviro, ejusque filio Friderico II. reliqui Saxoniæ superioris reguli descendunt.

Bellum inter Ericum Pomeranum & Comites Holsatiæ.

§. 64. Exortum est his fere temporibus bellum illud lacrymabile de ducatu Cimbrico inter Ericum regem Daniæ suasu Margaritæ reginæ & Danorum purpuratorum artibus & inter Holsatos Henricum Slesvicensium regulum Adolphum, Gerhardum posthumum & horum tutorem Henricum titulotenus Stormariæ regulum. In causa autem fuere Holsati, qui contra Henricum Stormariæ regulum, principum patruum, ob eorum tutelam bellum moverant intestinum, qui tumultus occasionem Danis reginæque Cimbriam Slesvicensem, occiso a Ditmarsis Gerhardo patre, recuperandi & hæredes pariterque tutores e ducatu expellendi animum addidere. Post rex Ericus potentia trium amplissimorum regnorum & amicitia atque sangui-

nis conjunctione Ottonis & Casimiri Stetinensium, Venceslai Vologastii & Alberti Neugardii Friderici marchionis & Cæsaris divi Sigismundi fretus, suasu reginæ & Danorum, magnis viribus terra marique contra Holsatos regulumque Henricum bellum suscepit; quamvis principes & Henricus Stormarius tutoresque alii prece pretioque regi supplices fierent, ac clientelarem tutelam exorarent, bellumque legationibus & literis deprecarentur. Huic Erico regi conjux fuit Philippi regis Lusitaniæ filia, quæ Sueonibus præerat. *Conjux E. rici regis.*

Comites Holsatiæ vim vi repellere statuunt. Ao. 1414.

§. 65. Regulus Slesvicensium Henricus, Adolphus, Gerhardus posthumus, mater, Henricus Stormarius & alii tutores atque Holsatorum senatus preces dimissas omnes rati irritas regis Danorumque vim vi repellendam statuerunt, atque ducatum Cimbricum a demortuo Gerhardo filiis relictum in animo armis defendendum habuerunt. Cum Gerhardi liberi & Holsati regiæ majestatis læsæ rei non essent. Attulerunt autem principibus & Cimbriæ superiori auxilia Henricus Stormarius tutor, Bernhardus Brunosvicensis, & Gellelmus Luneburgensis Guelphi, Adolphus Scumburgius, Ottonis superioris filius, Baltazar Megapoleus Slavorum princeps, Albertus exul olim Rex Sueciæ & a Margareta expulsus (ut dictum est,) Ericus Hojensis & alii principes; deinde etiam Holsatis tulere opem ob Danorum piraticas excursiones Hamburgenses, Lubecenses, Vismarienses, Rostochienses, Sundenses & alii maritimarum urbium incolæ, qui Vithaliani sunt dicti. Ita Holsati instructi impetus Danorum excepere fortiter, nam modo victores, modo victi abiere. Stetit enim hoc bellum diu vario marte, & induciis gestum, magnasque dedit strages, Flensburgum a Danis occuparum, Slesvigum, Femaria insula capto præside Henningio Ratlovio, sed mox hæc insula recuperata est ab Holsatis pulso Ivone Bruseka & Danicis præsidiariis; quam ob causam iterum expugnata a rege summa crudelitate vastatur, omnes ætates nulla habita ratione sexus aut conditionis a Dano milite trucidantur; Alsia oppugnata & aliæ insulæ. Holsati autem magnam dedere Cimbris inferioribus cladem. Dum hæc geruntur, Henricus Stormarius tutor principum moritur, homo optimus, qui aliquantisper ex podagra æger erat, sepultus est Itzeoi: quo mortuo Henricus regulus & fratres recepere Sigemontem & Rendesburgum. Nostrum autem propositum non est bellum Slesvicense describere, cum satis copiose exstet apud Johannem Petrejum libro III. annalium Holsatorum.

Vitaliani.

Femaria capta & direpta.

Henricus Comes Stormariæ obit Ao. 1421.

Ditmarsi Eiderstadiam invadunt. Ao. 1416.

§. 66. Hujus belli tempestate Ditmarsi tumultuario agmine, quod quatuor fures suæ nationis suspendio Eiderstadienses necassent, invadunt Frisiam atque edita pugna ad Toningam Eiderstadiæ oppidum a Frisonibus in fugam aguntur, pars aquis Eidoræ consumpta est, pars ferro; desiderati autem sunt a Frisonibus centum & quadraginta viri, a Ditmarsis vero D. & ultra. Postea Ditmarsi in ul-

tionem parati iterum navibus petiere Eiderſtadiam & applicuere portum Borchſandium, quorum præſentiam rati Friſones in fugam ſe dederunt, itaque hoſtes obvios trucidavere, oppida direpta *Vulvircum*, Veltenum, Cozebul; Tonningam Vulcano tradidere, territorum Everſcopiorum, Oldenwortum, Utholmum & Ulvesbul in præda Ditmarſorum fuere. Anno autem ſequenti Ditmarſi hoſtes tertio populabundi intrarunt Friſonum regionem direptionibus & igne Videswortum, Aldesvortum, Ulvesbul, Alverſeam, ſanctam Catharinam, Tendebul, Gardingum, Siemensbarchum & Lundebarchum ſatis crudeliter defœdantes, quam ob rem Friſones obviam Ditmarſis ſacerdotes miſere bellum deprecantes. Ita deinde pax ſancita & magnum pecuniæ hoſtibus pondus promiſſum. Hanc cladem Eiderſtadienſes accepere, dum Henricus regulus & Holſati, preſſi Danorum bellis, ſubditis opem præſtare non poſſent, ut Johannes Petrejus ſcribit libro III. annalium Holſatorum.

Vuleroicum.

Ao. 1417.

Ditmarſi partem Holſatorum contra Ericum ampkelluntur.

§. 67. Ericus rex, dum bellum gerebat, Ditmarſos ſibi amicos muneribus fecit, atque eorum primarium hominem Hibbecam Hanſium pecunia corrupit. Multis igitur donis gens commota ad Henricum regulum Holſatosque purpuratos literas dedit, quæ ſignificarunt, ſe regi laturos auxilia, ni Danis regique reſtituerent univerſum principatum Cimbriæ & Gottorpam; quorum cognita voluntate princeps ceterique proceres ad Ditmarſos miſere oratorem ſatis facundum, qui diſerta oratione opiniones illorum refutavit, perſuaſitque plebi agreſti, ut dein Holſatorum partes & amicitiam ſectata ſit.

Ditmarſi ſeſe Jo. Slamdorpio tradunt Ao. 1420.

§. 68. Circa hæc tempora Johannes Slamdorpius reſoluto corpore animam poſuit, pontifex bonus & pius; in hujus ſe titulo nomineque tenus ditionem tradidere Ditmarſi. Cæſar enim Sigismundus nationem hanc liberam ratus miſſis oratoribus tributum mandavit; quam ob rem Ditmarſi ſupplices adeunt præſulem iſtum Johannem, propoſitisque conditionibus, ſe ei, ut ſubditi eſſent, munera & vectigalia daturum, orant dimiſſe, ut vice illorum intercedat coram imperatore: ſed vana fuit gentis perfidæ & rebellis promiſſio; nam brevi tributi jugum eſt excuſſum. Huic Johanni Slamdorpio in pontificatum Bremenſem ſacerdotum ſuffragiis ſuccedit Nicolaus Delmhorſtius ex inſigni ortus familia. Nunc ad propoſitum.

Nicolaus Delmhorſtius præſul Bremenſis.

Holſati Flensburgum obſid. Ao. 1427.

§. 69. Non longo deinde hujus tempeſtatis belli Cimbrici intervallo Holſati Henricusque regulus Sleſvicenſium & Adolphus fratres mari terraque urbem Flensburgum obſederunt; navarchus claſſis Holſatiæ & Vithalianorum Gerhardus poſthumus erat. In qua obſidione periit Henricus regulus, dum enim conatur ſcala vallo adpoſita ſcrutari, quid ageret miles Danus, per vallatas ſtoreas, (quas ad munimentum cervis, pinnis & pluteis fecerat,) lancea trajectus occubuit miſere anno ætatis XXX. Corpus principis relatum eſt in monumentum majorum Itzeoi. Fuit autem hic Henricus innumeris inſignitus virtutibus; in quo enim tum pietas, fides, tum animus ſtabilis & firmus, non ſolum beneficentiæ, & cibi potusque mediocritati, ſed etiam fortitudini ac verecundiæ reſpondebant. Poſt hujus obitum Adolphus fratris interitum indignum lugens Sleſvicenſem obtinuit ducatum, cujus defenſionis contra Danos apud populares dux fuit & cum fratre Gerhardo poſthumo Nordalbingiam partitus eſt & germani demortui hærediratem.

In hac obſidione Henricus perit.

Henrici laus.

Adolphus fit Dux Sleſvicenſ.

§. 70. Adolphus deinde regulus oppugnationem Flensburgi reſumpſit, atque poſt diuturnam obſidionem proditione urbem cepit, mox arcem monti impoſitam & natura atque arte munitam obſidione cinxit, denique fame expugnavit; ſic etiam alias munitiones, quas Danus tenebat, aut captas demolitus eſt, aut præſidio impoſito munivit. Sed nunc redeamus ad propoſitum.

Ao. 1431.

§. 71. Dum hæc apud Holſatos geruntur, interim Ditmarſi Hamburgenſibus bellum fecere. Nam Niwercum in Saxonia oppidum Hamburgenſis imperii valida manu oppugnarunt. Eſt autem Niwercum e regione Ditmarſiæ Albis amnis alveo ſeparatum; quem locum cum Ditmarſi aggrederentur navibus, facile ab Hamburgenſibus oppidi munitione adjutis repulſi ſunt cum dedecore. Deinde civitas claſſem cum legato Martino Suartecopio ablegavit contra impetus Ditmarſorum ad defenſionem nautarum civium & Albis repurgationem. Hi claſſiarii una cum Martino Swartecopio nimis audaces ſine decreto ſe ad littus appulere & applicavere, hoſtilem ſpoliandi regionem gratia, ſed res illis male ceſſit. Etenim a Ditmarſis ad unum omnes circumventi occiſi ſunt, & Swartecopii corpus inter cadavera repertum capite truncatum, quod ludibrii cauſa circumgeſtatum a mulieribus Ditmarſicis, & palo affixum eſt. Poſt hanc acceptam ſtragem Hamburgenſes cum Ditmarſis iterum amicitiam inierunt & æternum fœdus percuſſerunt.

Ditmarſi Hamburgum aggrediuntur.] Ao. 1431.

Mart. Swartecopius præfectus claſſis Hamburg.

Hamburgenſes cum Ditmarſis pacem ineunt.

§. 72. Interea Gerhardus poſthumus Holſatus uxorem ducit Annam ex inclyta Badenſium familia, quæ ſeptimo menſe peperit gemellos; quare a mariti germano Adolpho regulo, homine ſuſpicioſo, ſubagitata ex Holſatia in patriam rediit, quam inſequutus maritus Gerhardus, ipſa jam mortua, Emerichi juxta Rhenum diem obiit. Aliquot deinde interjectis annis Adolphus regulus cum Mansfeldica principe matrimonium init; ſed infœcundum: nam moriens prolem non reliquit. Sueones circa hæc tempora contra regem Ericum Danosque rebellionem moverunt duce Engelberto, qui brevi rebellionis dedit pœnas occiſus ab adverſario Benzio. Hi Sueonum tumultus regem ſolicitarunt ad pacem cum Holſatis faciendam.

Gerhardi conjugium.

Adolphi conjugium.

Sueones contra Ericum arma ſumunt.

§. 73. Nicolaus Delmhorſtius cum aliquot annis pontificatui Bremenſi præfuiſſet, moritur, cujus ſucceſſio & ſacrum patagium ſuffragiis ſacerdotum defertur Balduino Abbati ſancti Michaëlis ad Luneburgum, qui numero poſt Gerhardum Lippium præſulem pontifex Bremenſium fuit XIII. ſed ab Ansgario

Balduinus ſit præſul Bremenſ. Ao. 1435.

Ao. 1442.

gario XXXVI. Mortuo enim Gerhardo Lippio hi pontifices ordine & recta serie inter se successerunt: Hildeboldus seu Hildebrandus Brochusius, Giselbertus Brunchorstius, Henricus Goltornius, Florentinus Brunchorstius, Johannes seu Janus Lundensis, Burchardus Grella, Otto Delmhorstius, Gotfridus, Albertus Guelphus, Otto Guelphus, Johannes Slamdorpius, Nicolaus Delmhorstius, cui hic Balduinus Abbas divi Michaëlis Luneburgici succedit.

Bellum ab Erico & Ducibus Holsf. finitum.

§. 74. Hoc quoque tempore bellum Slesvicense finem habuit. Rex enim Ericus habitis comitiis pacem Adolpho Cimbriæ superioris regulo in clientelam suam recepto dedit, & maritimis urbibus de Hansa, postquam hoc bellum summis cum periculis & damnis stetisset annos XXX., ut autor est Johannes Petrejus in annalibus. Peroravimus; superest, ut successionem principum Holsatorum & Stormariorum ponamus atque Vagriorum. Mortuo Adolpho IV. Franciscano filii diviso dominio successerunt Johannes in Vagria, Gerhardus I. in Holsatia & Stormaria. Johannem apud Vagrios sequutus est Johannes Cocles & fratres, Coclem Johannes Largus, cui filius Adolphus proximus, quo sine hærede defuncto data Ottoni Scumburgio pecunia obtinuit Vagriam Nicolaus Cocles Holsatiæ & Stormariæ princeps & deinde Henrici ferrei soboles. Post Gerhardi I. fatum apud Holsatos & Stormarios succedunt filii Henricus & Gerhardus II. cœcus. Hic reliquit Gerhardum III. principem Stormariæ & Adolphum patrem Scumburgiorum principem. Post Gerhardum III. filii apud Stormarios dominium habuere, quibus fato sublatis superstes Gerhardus IV. tum sacerdos deposito habitu hæreditatem patriam suscepit; cujus filius fuit Johannes ultimus ex hac prosapia in Stormaria princeps anno Servatoris MCCCXXX. Hujus dominium adepti sunt Henricus Ferreus & Nicolaus Cocles. In Holsatia post Henricum Gerhardi cœci fratrem regnarunt Gerhardus Magnus & Johannes filii. Defuncto Gerhardo Magno filii sortiti ejus hæreditatem Henricus Ferreus & Nicolaus Cocles. Hic fuit Magni Torquati Guelphi Brunosvicensis vitricus: ille moriens reliquit Gerhardum regulum Slesvicensem, Albertum & Henricum tutorem. Gerhardus vero Slesvicensis pater est Henrici ad Flensburgi obsidionem interfecti, Gerhardi posthumi & hujus Adolphi, cum quo rex Daniæ pacem iniit. Jam anni CC. absoluti sunt. Nunc quartum librum aggredimur, qui regum Danorum ex Oldenburgica familia successionem & res Ditmarsorum continet.

Successio principum Holsat.

LIBER QUARTUS.

Bellum intestinum in Ditmarsia Ao. 1437.

§. 1. Ditmarsi, cum bello externo vacarent, in propria viscera intestinum movebant, quod Lubecenses & cives oppidi Hamburgensis cum intellexissent apud XLVIII. viros, qui rerum summam apud hanc gentem tenent. Erat tum Germaniæ Imperator Albertus Austriacus, qui mortuo divo Sigismundo Cæsare dignitatem augustam septemvirorum suffragiis obtinuerat. Hic movens contra Amuratem Turcam, (qui Mahumeti successit,) expeditionem, mortuus est relicto posthumo filio; de qua re postea.

Albertus Austriacus Imp. obit Ao. 1438.

Alberto succedit Fridericus.

§. 2. Defuncto itaque Alberto Cæsare imperii dignitas apud Germanos septemvirorum consensu venit Friderico Austriaco viro generosi ingenii, (ut Peucerus scribit,) prudentiæ circumspectæ, qui adversæ fortunæ causa abhorrebat a bellis, calliditate ideo insigni. Hujus exercitus & belli gerendi duces fuere Albertus Saxo cognomento dextra manus imperii, Friderici II. Mysi septemviri filius & Ernesti Electoris apud Saxones germanus, atque Albertus Germanicus Achilles Brandenburgensis.

Erico abdicato Christophorus succedit Ao. 1439.

§. 3. In Dania rex Ericus curis imperii & Sueonum molestiis pertæsus regno abdicato Dantiscum abiit, inde in patriam Pomeraniam: quare Danorum, Sueonum & Norvegiorum proceres accersitum Christophorum Bavarum regem dicunt. Hic Adolpho Slesvicensium regulo habitis comitiis provinciam clientelarem Cimbriam superiorem omnem restituit. Nec multo post tempore Balduinus Bremensium pontifex animam po-

Adolphus terris suis restituitur Ao. 1439.

Balduinus

de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.

suit, cui sacerdotum suffragiis successit Gerhardus Hoja princeps illustris. *obit Ao. 1442.*

§. 4. Adolphus regulus, de quo diximus, regem ei ducatum confirmasse, habitis rationibus accepto Eiderstadiensium damno Ditmarsos XLVIII. que viros juber, ut ducenta millia marcarum argenti reddant, quæ a suis popularibus præter æquum extorta fuerant; sed legati excusationibus & mutuis debitis se excusantes postulationem principis in nihilum redegerunt & adhuc iste pecuniæ numerus persolutus non est.

Ditmarsi Eiderstadiensibus damnum resarcire nolunt Ao. 1439.

§. 5. Christophorus Bavarus, cum aliquot annos præfuisset imperio septentrionario, vitam obiit. Quare Dani Norvagiique imperium Adolpho regulo detulerunt, qui cum abnuisset, ejus monitis Christianus Oldenburgius Adolphi principis sororis filius omnium Danorum & Norvegiorum consensu rex declaratur. Soli Sueones imperium respuentes Carolum Canuti filium primum gubernatorem, dein regem dixere. Hic Christianus relictam Christophori conjugem Dorotheam in thalamum duxit, ex qua ei fuere filii Olaus puer mortuus, Johannes, Fridericus & filia regi Scotiæ nupta, quæ dotis loco obtinuit Orcades. His temporibus bis sidus crinitum apparuit.

Christianus Oldenburgicus rex Daniæ.

Cometa Ao. 1452.

§. 6. Post hæc Adolphus regulus Slesvicensium diem suum obiit, princeps egregius animi atque corporis dotibus insignis. In eo cum forma decora maxime, æque ac felicissimo fortunæ tenore, non inferior pietas, ingenium ac industria ex æquo certabant. Præterea

Adolphi mors Ao. 1459.

terea insignes in homine lucebant virtutes, erga omnes amor, studium, lenitas, clementia. Quare semper omnium mortalium oculi in eum conversi erant. Cadaver principis relatum est Itzeoam apud majorum monumenta.

Holsati cum Comitibus Schauenburgicis de hæreditate Adolphi transigunt.

Iste vir moriens nullum reliquit hæredem, quam ob rem Otto Scumburgius, liberique hæredes & successores se rati ad ambiendum dominium Nordalbingiæ Holsatos adeunt. Sed Christianus rex, & Gerhardus & Mauritius fratres, opibus & viribus potentiores, consensu procerum atque electione Arnoldi Lubecensium pontificis, omnem Holsatorum & Stormariorum ac Vagriorum principatum obtinuere, dato certo argenti Ottoni Scumburgio liberisque numero. Deinde Rex totum sibi soli dominium vendicavit, fratribus germanis pecunia expulsis. Ita Christianus ducatu Holsatorum potitus est, & jure & legibus Danicis; quemadmodum sine controversia Cimbriam superiorem receperat. Interea temporis Gerhardus Hoja moritur, cujus pontificatum apud Bremenses obtinet Henricus Suarzeburgius ex illustri montis nigri ortus familia. Gerhardus autem germanus regis Oldenburgius, qui cum isto pontifice magnam habuit controversiam, ut dicetur. Dum rex contra Sueones rebelles movebat bellum, occupat partem fraternæ ditionis in Nordalbingia, præsertim Vilstermarsia, fratrem regem certæ pecuniæ debiti incusans; ubi ab incolis acceptus gratusque fuit, præsertim Hemmingii Volsii, hujus loci primarii viri, intercessione. Quamvis hic Gerhardus sæpe variis modis Holsatia pulsus, enim vero proceres viri injurias ferre diutius non poterant, tandem a rege germano nobilitatis precibus Nordalbingia postremus est ejectus, auxilia Christiano ferentibus civitatibus maritimis, una cum sceleris & rebellionis complice Henningio Volfio Vilstermarsorum prætore.

Henricus Swartzburgius fit præsul Brem. Ao. 1463.

Gerhardus Oldenburgius partem Holsat. occupat.

Sed inde ejectus.

Henning Volfius in Ditmarsia confoditur.

§. 7. Henningius Volfius rebellionis accusatus, ut capitis periculum evitaret, solum commutavit atque in Ditmarsiam abiit, ubi brevi post tempore, causa ignoratur, a nonnullis confossus, animam scelere & perfidiæ crimine delibatam amisit. Gerhardus vero Oldenburgius artes suas auxiliis atque opera maritimarum urbium irritas evasisse ratus in mercatores omnem iram indignationemque derivat; quos mercibus spoliat, quos injuriis afficit, rapinisque infestat. Nec negotiatorum vexationibus contentus, aliis etiam molestias facit. Quam ob rem Henrico Suarzeburgio Bremensium pontifice oppugnatur omnibus viribus atque armis; pontifex enim Delmhorstium cepit. Hujus Gerhardi filius fuit Jacobus, qui patri successit misero. Cujus mentionem in vita Johannis Danorum regis facit Petrus Parvus Rosæfontanus. Hoc anni curriculo stella crinita arsit scilicet ante Caroli Burgundionis motus & bella, ut Peucerus scribit.

Gerhardus ab Henrico Swartzburgio bello petitur.

Gerhardi filius Jacobus.

Ao. 1472.

Vita Christiani I.

§. 8. Ut calamum reducamus ad propositum, vitæ curriculum regis enarrabimus ordine quam brevissimo. Christianus vir erat procera & quadrata statura, membris magnis ac lepidis, facie liberali, quæ quandam præ se ferebat mixtam clementiæ severitatem. Erat enim cuivis summorum suæ ætatis vel religione vel pietate vel animi magnitudine vel erga musas largitate insuperabili, (licet eruditione careret nec linguam calleret Romanam,) ut quoque schola publica Haffniensis demonstrat, vel fortunæ successu vel fama populari par. Natus est patre Theodorico ex inclyta Oldenburgiorum familia: matre vero Margaritha Holsatica Adolphi ultimi germana: qui cum post fata Christophori imperium respuisset Danicum, hic illius nepos regiam dignitatem tulit, ac Dorothea regis vidua potitus multos liberos procreavit, ut supra est memoratum. Mox rebelles Sueonas adortus sæpe fudit, sæpe in fugam pepulit, contra quos Gotiam & Ericum Pomeranum nuper regem defendit. De Britannis, quos præfectum regium Thulensium seu Islandorum trucidasse accepimus, bello navali contritis pœnas sumpsit. Post fugam Gerhardi germani, quem Holsatia expulerat, ut narravimus, iter in Italiam multis illustribus viris, in quorum numero Johannes Lovenburgius erat Bernhardi filius, ut testatur Chytræus, stipatus pontificem Romanum Sixtum IV. visere suscepit venerabundus; de quo itinere deflectens Cæsarem divum Fridericum imperatorem augustum adiit, a quo ducali titulo Holsatiæ & Stormariæ est decoratus & Ditmarsiæ provinciæ dono honestatus, in patriam rediit, mox etiam pacandæ Germaniæ studio Carolum Belgarum regulum accessit. Hujus rei mentionem facit Philippus Cominæus, qui tum floruit. Filioque deinde Johanni regi designato septemviri Ernesti Saxonis filiam Christinam conciliavit nuptiis, pronubo Alberto sponsæ patruo, qui dextra imperii dicebatur manus, qui pater Georgii & Henrici Saxonum est.

Ejus nativitas.

Ejus conjugium.

Ejus fortia facta.

Ejus iter Romanum Ao. 1472.

Ejus iter ad Imperatorem.

Johannis regis nuptiæ.

§. 9. Præterea Christianus conventum Rendesburgi, in quo Ditmarsorum & maritimarum urbium oratores aderant, egit; actum vero est, ut plebs Ditmarsica & XLVIII. viri Danicum subirent imperium, ac Holsaticæ ditionis pars essent, regique ut domino vitæ & necis omnem concederent potestatem & tributum Imperatoris decreto. Quæ cum peroraſſent regii assessores, ii, qui Ditmarsis a mandatis erant, gentem liberam neminique subditam, nisi pontifici Bremensi, qui illis in locis præfectum haberet, atque legibus juxta ac privilegiis Cæsarum atque Romanorum pontificum munitam, quæ donaria divum Fridericum latuisse aut ei astute occultata testati, Holsatorum respuerunt imperium regique denegarunt obedientiam.

Christianus Rendsburgi Ditmarsos subjicere conatur Ao. 1480.

§. 10. Finitis his comitiis nihil præterea cum Ditmarsis egit Christianus memoria dignum, nec diu supervixit. Erat deinceps & periculorum acervis & laborum tolerantia, atque curarum vi graviter obnoxius. In monte enim Brunchonis contra Sueonas Stenonemque Sturam pugnans ictu sclopetæ priores dentes cum vitæ periculo amisit, arte atque

Bellum Christiani I. cum Suecis.

atque dolo Rittingi Holmensis, a quo petitum fuisse magicis cantaminibus ac veneficiis notum est. In Burgundiorum & Caroli ditionibus vitæ discrimen adiit. Vexatus præterea ab equestris ordinis popularibus repetundis & aliorum injuriis, denique incursionibus inimicorum exulum satis crudeliter est subagitatus. Præ his calamitatibus nihil gravius tulit, quam Sueonum contumacem & impiam rebellionem, gentis Ditmarsicæ contemptum. Tandem post obitum pii ipsius manes atque cineres ore maledico, perjurio impio lacessiti Johannis Magni Gothi codicillaris Upsalensium pontificis, nequissimi & perfidissimi nebulonis, quietem non habuere. Obiit Christianus An. 1482. XI. Cal. Junii, quo tempore & regulus Brunosvicensis Villelmus naturæ satisfecit, ut in historiis asseverat Cranzius, princeps optimus, regique maxime amicus. Anno imperii divi Friderici XLII. Huic nostro principi ut domus Oldenburgica in Frisorum Ameslandia originem & incunabula, sic Roscildia Selandorum in trinitatis delubro tumulum dedit & funebre elogium. Vidimus ejus trabea auro & gemmis intermixta induti & amplo diademate insigniti effigiem, quæ robusti viri & magnanimi principis præ se ferebat certum argumentum ore atque habitu.

Johannis M. maledicta in Christianum sparsa. Christiani I. mors.

Ejus sepultura.

§. 11. Peracto funere Christiani regis senatus populusque Danicus Johannem majorem natu ipsius filium, quem ante regni consortem fecerant, regem dicunt & successorem. Fridericum defuncti principis minorem natu mater regina Dorothea proceresque, qui a consiliis fuerant & tutela ex defuncti genitoris testamento, regulum salutant Slesvicensium & Nordalbingorum, ac puero regio universum addicunt ducatum sacramentum a popularibus accepturi. Id rex germanus Johannes ratus, Holsatiam ingreditur, habitoque conventu sibi quoque jurejurando ordinem equestrem ac plebem devincit. Postea divisio peragitur omnisque Ducatus ditio in partes secatur, easque inæquales atque regi germano major, Friderico minor arte addicitur pars. Deinde jura privatis hominibus irrogata & leges confirmantur, tributum indicitur, tutela Friderici pueri & regionum Slesvicensium, Holsatorum, Stormariorum & Vagriorum regi germano committitur.

Johannes M. Christiani I. filius.

Fridericus Dux Slesw. & Holf.

Ducatus uterque in 2. partes dividitur.

§. 12. Inter cetera comitia rex Johannes conventum egit Itzeoi cum Ditmarsis, a qua gente tributum petebat, & principatum sibi & posteritati legibus a Cæsare confirmatum; sed plebis Ditmarsicæ oratores, qui a Bremensibus ablegati fuerant, nationem hanc legibus augustorum & pontificum stabilita olim libertate insignem, servitute immunem, Ecclesiæ duntaxat in Saxonia inferiori primariæ obnoxiam, respuere omne dominium Holsatorum indicarunt. Ita comitia Itzeoica finem habuere, interim rex in Ditmarsos bellum coquebat, ut genti jugum servitutis imponeret, quæ tam contumax spreverat imperium. Sequutum est extemplo, defuncta matre regina Dorothea, bellum Sueonicum contra Stenonem Sturam rebellium interregem. Sed nunc calamum reducamus ad imperium Germanorum; a quo longius progressi sumus.

Johannes convocat Ditmarsos Itzeboum sed frustra.

Bellum Sueco-Danicum.

§. 13. Cum ad labores jam ob confectam & decrepitam ætatem minus idoneus esset divus Fridericus Imperator Maximilianum ipsius filium septemviri augustum dixere & diademate amplo quasi honoris consortio donarunt. Nec multo post Cæsar Fridericus moritur, & Maximilianus totum Germanorum consensu obtinuit imperium; vir artis bellicæ peritus, pietatis gloria insignis, sed cursu fortunæ vario. Hic arma intulit Italis, Belgis, Bavaris, Gallis; bella meditatus est in Bajasetem patrem, maxime in filium Selimum Turcarum imperatores. Per eos dies Henricus Suartzeburgius pontifex Bremensium mortem cum vita commutavit. Hic contra pacta Christiani regis germanum Gerhardum Oldenburgium oppugnavit & assiduo martis labore exhausit ærarium. Post hujus fatum Johannes Roda vir doctrina &, familiæ licet obscuræ, honestate omnibus notus pontificatum Bremensem sacerdotum suffragiis gessit. Hic tenax fuit & ob præteriti præsulis sumptus nimios ecclesiæ idoneus. Huic datur successor Christophorus Dux Brunosvicensium ex illustri Guelphorum familia oriundus, Vilhelmi Brunosvicensis, (cujus mentionem fecimus capite decimo hujus libri,) pronepos & Henrici junioris frater germanus. Hunc Christophorum Bremensis ecclesiæ administratorem vocat Albertus Crantzius, qui eo tempore vixit & historias edidit de gente Saxonica, Vandalica, Danica, Sueonica, Norvagica, & metropolim. Fuit autem Hamburgensis & in patria Theologum egit & Decanatum habuit.

Maximilianus fit Imperator An. 1494.

Henricus Suartzeburgius obit & ei succedit Johannes Rode An. 1496.

Christophorus Dux Brunsv. Administrator Eccl. Bremensis.

Cranzii vita & scripta.

§. 14. Post subactam a Danis Sueoniam redactumque in ordinem Stenonem Sturam Magnus Johannis filius Lovenburgius Hadelos Gambriviorum & Phabiranorum, urbium ope a Pontifice Bremensi nuper occupatos, vi & milite, quem guardiam vocant, expugnaverat. Hunc exercitum advenam in agro Lunæburgensi & Stadensium ac juxta Visurgim amnem dispersum rex Danus Johannes & Fridericus Holsatus germani fratres conscripsere. Qui cum in Nordalbingiam Albi superato fluvio esset translatus, caduceatores una cum literis fecialibus mandato principum ad XLVIII. viros & plebem Ditmarsicam missi sunt, ut rebelles sine sanguine deditionem Holsatis facerent, & Regi & Friderico recta serie hæredibus imperium darent, quod si contumaciter obedientiam ejurarent, indicerent bellum. Fuerunt inter Ditmarsos pacis & tranquillitatis studiosi, qui deditionem suadebant; sed maxima pars hominum libertatis amans bellum maluit, quam servitutem, testata, æquissimæ dominationi, quæ non solum armis, sed etiam morte est repellenda, iniquissimam libere vivendi facultatem anteponendam. Audita gentis pertinacia fortissimorum hominum manus ex Holsatia, Cimbria & Dania evocatur tam equitatu quam peditatu egregia. Aderant auxilio Holsatis Adolphus & Otto Oldenburgii aliquot equitum turmis

Johannes Rex & Fridericus Dux Ditmarsis bellum indicunt An. 1500.

Ditmarsorum multi deditionem, plures bellum suadent.

ſtipati. Accedebant & alii e regionibus propinquis Marchia, Megapolenſi & agro Lunæburgenſi & Saxonia prædæ cauſa; peditum guardiæ, quæ phalanx eſt, ſex erant millia. Omnium autem primus anteſignanorum Johannes Aleveldius. Iſto exercitu principes Ditmarſiam ingrediuntur menſis Februarii initio, opinati ſe metum hoſtibus jam factione diviſis, ut relatu audierant, allaturos; ſed ſpes erat falſa. Nonnulli enim adventum hoſtium nihili facientes convivia agitabant, ceteri paludum & muſcoſæ regionis munitione vacui interiora petebant. Alii in agro Hamenſi ſtationem agebant. Interea Holſati, iter ab exploratoribus nacti incognitum, primo impetu Meldorpium expugnant, ac trucidatis ſine ætatis, ſexus, conditionis diſcrimine civibus præſidium imponunt ibique caſtra habent. Tulere hanc ſtragem Meldorpienſes Idibus Februarii. Ad hujus expugnati oppidi nuncium perculſi reliqui de deditione conſilia dabant. Alii rationis ambigui ſoli transmutationem & inſulæ Buzæ munimentum ſuadebant. Emiſerat exercitus ſpeculatores, quorum aliqui ex improviſo capti necati ſunt, uno ſervato Friſici generis, qui quæſtionibus & tormentis a Ditmarſis ſubjectus principum aperuit ſecreta. Quapropter hoſtes, ut aditum regiis intercluderent copiis, & arcerent a regione, munitionem vallo cratibus & longuriis conſerto foſſaque extruunt, & æneis machinis fere inexpugnabilem reddunt. Die poſt occupatum Meldorpium quarto, omnis peditatus & equitum turmæ caſtra moverunt, omine quidem infelicisſimo, arrogantia quorundam ducum, qui ita gentem hoſtilem contempſerant, ut victam iri digitulo arbitrarentur, ſpretis illis, qui ob tempeſtatis tum nivibus ac grandine tum imbribus aſſiduis commixtæ horrorem meliora ſuadebant. Ingreſſi itaque viam, qui ſcalas & inſtrumenta bellica ferebant, & alia ad expugnationem idonea, primum pervenere in locum inſigni anguſtia, quem incolæ *opus Dæmonum* vocant; hos ſequuta phalanx guardia, ſtabile agmen peditum; cui proximi, qui equo merebant. Poſtremo omnis generis ſarcinæ aciem clauſerunt, & omnem fugæ ademerunt poteſtatem. Eo die erant imbres, nimbi, procellæ, turbines, nives reliquæque tempeſtates Holſatis perquam graviſſimæ. Enim vero in loci anguſtiam maximam redacti neque movere ſe nec progredi neque recedere quicquam potuere, quippe hinc atque hinc paludes muſco obſitæ, ac ſordibus cœcæ, veſtigia pedibus incerta, ingentes pluviæ, fumi rapidi equorum, frigoris inclementia, quæ ita lædebant unumquemque, ut etiam inertem ad cuncta officia militaria ac pariter gelidum efficerent. Accedebat & ingens aquarum diſſolutis cataractis copia, unde non ſolum paludes impletæ, ſed quoque anguſtiſſimæ viæ notitia ex oculis militum erepta. Præterea ex propugnaculo Ditmarſorum ſine intermiſſione tormenta pilas magni ponderis ejucalabant atque eorum diſploſione peditum cohortibus ac equitibus diminutionem haud exiguam inferebant. Nec regiæ machinæ licet oneratæ, ut hoſtium munimentum concuterent, nullum tamen pulveris ſulphurei, propter aëris tempeſtatem & ingentes imbres incendium admittebant.

Expeditio in Ditmarſiam ſuſcepta.

Meldorpium expugnatur.

Conſilia Danorum ab explo-ratore pro-duntur.

Dani caſtra movent.

Vulgo Düvelswerff.

§. 15. Quod Ditmarſi, qui in propugnaculo erant bellatores CCCC, rati totis viribus militem gregarium & phalangem invadunt, ſed horum virtute cito haud exigua cum clade rejecti, iterum pugnam renovare conſtituunt, ut pariter cæſi atque fugati. Tertio reſumpto animo prælium aggreſſi incurſione & impetu acri Holſatorum peditatum adoriuntur ac magna mortalium multitudine trucidata, reliquias in fugam agunt. Mox poſt hanc peditum & phalangis guardiæ editam ſtragem in equites regios impreſſionem faciunt, qui neque enſem, quem *ruteram* vocant, ſtringere ex loci anguſti miſeria potuere. Ibi tum equorum atque hominum cædes, Ditmarſorum trucidantium violentia, tormentorum tonitrua, ſclopetarum cum crepitu grando, armorum fragor, tubarum & tympanorum clangor, equorum hinnitus, virorum clamores, tum morientium tum frigore exanimatorum, tandem miſerrima fuga exorta. At Ditmarſi fugientes inſequuti, multos tum ex fuga retractos, tum adhuc ſpirare repertos trucidarunt, ac volucribus & feris objecerunt inhumatos. Rex Daniæ Johannes & Fridericus fratres cum paucis elapſi in patriam incolumes ſunt reverſi. Cecidere Adolphus & Otto Oldenburgii, Johannes Aleveldius anteſignanus & alii nobiles viri, quorum nomenclationem recitare non eſt operæ pretium. Reliquorum 4000. deſiderata ſunt & ultra. Maxima autem pars militum aquis periit, quorum numerus ingens eſt. Præterea amiſere principes omnia tormenta & ſignum quod Danis Valdemaroque regi erat cœlitus datum, quibus Ditmarſi potiti ſunt victores. Tulere hanc cladem Holſati XIII. Calend. Martii, Cranzio & annalibus Johannis Petrei autoribus; ſed nemo horum bellum hoc Ditmarſicum luculentius deſcribit, quam Petrus Parvus Danicus eques.

Danorum clades.

Præter equites 4000. deſiderati.

Prædæ quæ Ditmarſis ceſſit.

§. 16. Audita Holſatorum in Ditmarſia ſtrage Sueones Stenone Stura, & Suantone Nicolai ducibus rebellionem faciunt, mox etiam iisdem autoribus Lubecenſes & ceteræ civitates maritimæ Danis bellum inferunt, quod vix ſopitum. Raimundi Cardinalis diligentia & Friderici regis germani induſtria, reducta regis conjuge Chriſtina Poſt fatum Stenonis Sturæ interregis, cui apud Sueones Stanto Nicolai filius ſucceſſit, a Lubecenſibus ſecundo reſumptum in regem Johannem iisdem ſociis atque viribus, quorum conſilio & Norvagia defectionem molita, bellum excitavit ſervile, quod Chriſtiano regis filio patris exercitus ductore eſt pacatum, qui eo in loco rex eſt declaratus ſine Friderici Holſati patrui ipſius conſenſu, ut teſtantur annales Petrei. Nunc filum hiſtoriæ abrumpo. Deſiderantur multa, ut quæ poſt fatum Johannis Danorum regis ſcilicet acciderunt. Dum enim ipſius obitum, regimen, virtutes & vitia deſcribere aggredior, ſicut

Bellum Suecicum & Lubecenſe contra Johannem.

Concluſio.

ſicut & de aliis conſuevi, finis ſcribendi imponitur non opinanti: nam mihi diſcedendum fuit Witebergam in patriam. Hujus tamen mores depinxit Parvus fol. 9. Sequuntur quædam quæ ſunt omiſſa & primas ulterioris hiſtoriæ lineas vide in tabula huic operi ſubjuncta p. 1735. ſqq. De Chriſtiano pio hæc addenda fuiſſent: Chriſtianus pius patria fuit Chilonienſis. Hinc laus Chilonii commemoranda. *Additamentum de Chriſtiano pio* Filius Friderici & Annæ Brandeburgenſis, parentum origo & laus, fortitudo, clementia, liberalitas, quorum ſimilis & ille, ut fortes creantur fortibus & bonis, educatus ſub Vulgango viro bono in patriis parietibus, deinde in aula Brandeburgenſium. Ex qua educatione evaſit pius, doctus, clemens, fortis, liberalis, ut ſciret, quid faciendum, quid imitandum, mores gentium. Poſt reverſus in patriam Dux Slesvicenſis fit, & poſt mortem patris & poſt bellum ſervile rex Daniæ, in his officiis egit, ut principem pium decet, usque ad vitæ exitum. Multa egregie geſſit publice foris domique quod apud Imp. fuit Vormatiæ, quod legatus miſſus fuit ad Imp. ab Johanne Saxone, ut proteſtans recepit evangelicam doctrinam repurgatam a Martino Luthero, patrem convertit, obſedit Hafniam cum patre; mortuo patre & regie ſepulto bellum gerit cum Lubecenſibus. Ejus apophthegma. Cum Clemente nauta Danis X. rex factus epiſcopos removet, doctrinam Evangelii concionari mandat. Bugenhagen erigit ſcholam Hafniæ. Fœdus cum Sueco accipit; interim fugat P. Noviomagum. Legem ſancit d. 1. Auguſti. Privatam Bibliothecam erexit, legit varias doctrinas tum hiſtorias patriæ tum exteras, diſputabat, amabat doctos; commendare ſe Deo cubitum diſcedens conſuevit; erat venator. Poſt bellum motum in imperatorem ab Mauritio mittit Chriſtianus Adolphum; Auguſtus ducit Annam, ter in Daniam venit Chriſtianus, naves condit; poſt confirmationem ducatus Adolphus ingreditur Ditmarſiam. De regis Chriſtiani ſtulto Bernhardo Dominicano. Redierat domum Adolphus, qui inimicitias cum Ditmarſis alebat, cum in eos arma ſumere ob ærarii ſui anguſtiam & fratris regis prohibitum non poſſet, animum convertit ad explorandam terram hoſtilem; in Ditmarſiam ergo ivit mentitus; nam ſub alicujus perſonæ fabula inimicorum lares intravit, ac explorata regione, locorumque ſitu intellecto ad ſuos rediit. Cum Ditmarſi cognoviſſent hoſpitis non fuiſſe ſed ſpeculatoris præſentiam, multis convitiis onerarunt, vocantes Adolphum exploratorem, nebulonem inopem, alieni appetentem, ſui profuſum; ſed hæc talia maledicta exitium illis dedere. Hæc foris: domi animum ad venationes adjecit, acceſſit ſæpe ad fratrem regem, quod & frater Johannes ſenior facere magis conſuevit, qui ſingulis annis ad regem, etiamſi a longinquo eſſet, proficiſcebatur. Iſte Johannes ad ſedem ſibi legit Hadersleviam; frater Adolphus vero Gotrupam, tertius germanus Fridericus, ut diximus, erat Hilſemienſium antiſtes: horum mater Sophia habitavit Chilonii, ad quam ætate præſertim hi filii ſæpe adierunt, ut eam ſororemque & gynecæum oblectarent ſermonibus & voluptatibus etiam ob aliquot cauſas. Præſes regius Holſatiæ fuit tum Henricus Ranzovius Sagamente. Sed ſingula tantum hic leviter delibata. Sequitur nunc *Martyrium HENRICI (a) MOLLERI, (b) Zutphanii, quod addendum huic hiſtoriolæ.* Anno 1524. *HENRICUS SUTPHANIUS* in Ditmarſia propter evangelii confeſſionem rogi ſupplicium tulit. Iſte ob renovatæ religionis ſuſpicionem Belgio patria pulſus Vitebergæ *Martinum Lutherum* audiverat atque inde Bremam ad Viſurgim ſeceſſerat, cumque ibi docendi dogma a Luthero nuper reſtauratum nil loci, inſtinctu pontificis Bremenſium & ſacrificulorum atque plebis tumultu inveniret, a *Nicolao Bojeno*, qui Meldorpii parochum agebat, in Ditmarſiam Brema accerſitur exul, ubi concionatoris officio functus populum ad evangelium convertit; quod prædicatores & Jacobitæ, id eſt genus hominum vitam agens ſolitariam ac Epicuræis ſordibus deditum rati, literis ſignificant pontifici & aliis addictis veteri religioni hominem impoſtorem, (ſic enim appellabant,) & Lutheranæ hæreſeos aſſertorem ad eos perveniſſe. Horum opera freti & propria maledicendi libertate nefanda tumultum gravem excitant & in caput viri pientiſſimi Henrici Sutphanii plebem Ditmarſicam ira & furore frementem ac ad omne facinus ſuapte natura proclivem commovent; navabant & egregiam operam Jacobitis & Prædicatoribus *Suinii & Nannii* & aliæ familiæ Ditmarſis cognitæ de occidendo viro innocenti. Horum conſiliis noctu in ædificiis *Boyeri*, parochi Meldorpenſis, a ſubornatis agreſtibus armatis & cereviſia Hamburgenſi ebriis capitur Henricus Sutphanius veſtimentis fere omnibus nudus & ad ſupplicium perducitur. Accuſatus itaque primo mane & condemnatus perverſæ religionis & perjurii, a prætore pecunia corrupto, homo ſanctus ſine aliqua fere aſtantium miſericordia ſcala alligatur gentis ritu, ac deinde multis verberibus fuſtibus & clavis multatus, dum a multitudine rogo imponitur, omine divino ſæpe extincto, a quodam apparitore de impro-

& de Martyrio Henrici Zutphanii.

De primo ipſius nomine appellativo. (a) Johannis nomen ſubſtituit autor *Compendii Gothani Hiſt. Eccleſ.* l. 2. c. 5. §. 6. p. 739. Nec male. Sacro enim Baptismatis lavacro initiatus accepit nomen Johannis, quod in Auguſtinianorum ordinem cooptatus, more Pontificiorum mutavit cum nomine Henrici; uti fide Chronici Ditmarſici MSC. *JO. NEOCORI Buſemenſis, JO. DETHLEVI Windebergenſis* aliorumque confirmat. *JO. HERM. ab ELSWICH diſqu. de autore hymni Hilff GOtt daß mirs gelinge* §. 13. & *b. MUHLIUS Differt. Hiſt. Theol. p. 414.*

Et nomine gentilitio Möller. (b) Quod nomen ipſi quoque attribuunt, *RESENIUS in Lutthero triumphante*; *CHRIST. KORTHOLTUS H. E. Sec. XVI. Sect. 2. §. 31. p. 74. CRAMERUS* citatus a B. *MUHLIO Comment. de martyribus eccleſiæ evangelicæ, inter diſſertationes ipſius p. 397.* qui tamen *diſſ. de vita Henrici Zutph. ibid. p. 413.* addit: *Sed vereor, ut luculenter ſatis id evinci poſſit documentis; ne quidquam de iſtorum* (beatum ab Elswich intelligit) *haud levi errore adjiciam, qui recentioris cantici, Hilff GOtt daß mirs gelinge, tritiſſima iſta verba, hat Heinrich Möller geſungen in dem Gefängniß Jein; abſone ſatis de Henrico Zutphanienſi interpretantur.* Sed nondum adeo Elswichiana conjectura eſt confutata & contuſa, ut ad abſonas plane referri mereatur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

improviso alabarda, qua scala erigebatur, declinante tandem transfoditur. Hunc exitum truculentum & dirum habuit vir sanctissimus Henricus Zutphanius, qui a plebe furiosa plagis fustium & clavorum graviter multatus lanceatusque crematur innocens autoribus Jacobitis & prædicatoribus horumque asseclis Nanniis & Suiniis, mens. Decembris die XI. ut annotat Eberus in Calendario historico. Hujus martyrium quoque describunt Mart. Lutherus (*a*) Hedio & Camerarius (*b*). Tantum!

Tabulæ synopticæ in libros Historiarum Hamsfortii.

Lib. I.

HENRICUS CALVUS

pinguis princeps Ditmarsiæ.

2. Gereo fil. qui mortuus. §. 24.
3. Henricus bonus.

5. Sigfridus marchio.
4. Theodoricus marchio dictus. §. 32. Hic quibusdam Sighardi filius Brunonis nepos Geronis pronepos & Henrici abnepos esse creditur.

6. Sifridus secundus minor §. 37.
7. Luderus vel Udo primus major l. 2. §. 1.
8. Luderus II. vel Udo Soltvedelensis Marchio minor.
9. Ludolphus §. 9. 10. 11.
10. Dedo §. 11.
11. Etelerus candidus §. 10.
12. Egebertus Idæ filius §. 11.
13. Udo III. Marchio Soltvedelensis tertius hoc nomine §. 14.
Udo IV. Stadiensis §. 18.
14. Henricus Longus §. 18.
15. Rudolphus I. Ditmarsus major §. 18.
Henricus puer §. 18.
16. Rudolphus II. minor §. 27. 44. 29.
17. Hardvicus Bremensis §. 30. 31.

Helgo rex Daniæ ad Stadium devincit Saxonem Cundingum & Jutia potitur constitutis præfectis Hescone, Cyre & Lero.
Tuisco, Mannus, Ingevon, Istevon, Hermon, Marsus; unde Marsi, Ditmarsi nomen a Dit vel Tischen vel Tuisconis & Marsi §. 1.

Berthobaldus Ascanius I. pro Gallis contra Thuringos.

Berthobaldus Ascanius victus a Gallis.

De Austrasiis.

THeodoricus nothus rex Austrasiæ primus mediomatricibus potitus mortuo patre Clodoveo primo Christiano a. 515. frater Gildebertus fuit rex Galliæ, & alii duo sua loca tenuere in Gallia. bellum Thuringicum.

Theodobertus filius Theodorici patri succedit 537.

Theodobaldus succedit 550. hoc mortuo sine liberis Clotarius succedit frater superioris Theodorici nothi, Galliæ monachus & Saxonum victor. Sigibertus Clotarii filius obtinuit e fratribus Mediomatrices. Hic Saxo-

---

Scriptores de elogiis vita & martyrio Henriei Zutphanii.

Lutherus. (*a*) In scripto vernaculo ed. 1525. sub rubro: *Historien von Bruder Henrich in Ditmar verbrand, samt den 10. Psalm ausgelegt*: quod recusum est in operibus Lutheri germanicis Witebergensibus Tom. VI pag 382-389. & Tom. III. Jen. germ. f. 30-35. Tom. III. Altenb. f. 32-40. Ipsum scriptum b. Lutheri legitur in *LUDOV. RABI, PAULI CROCII* aliorumque scriptis & historiis martyrum. Breviorem Lutheri epistolam de eodem argumento vide *Tom. VII. Witeb. f. 492. & apud AURIFABRUM in epist. Luth. T. 2. p. 252. SECKENDORFF Hist. Luther. L. I. §. 61. n. 169. p. 295.* adde *MELANCHTHONEM operum P. IV. in Epistolam ad Rom. p. 205. & in singulari epigrammate inter scripta ipsius publica Witeberg. Tom. 3. a. 1559.*

Melanchthon.

Camerarius. Chytræus. Crispinus. Pantaleon. Conzenius. Major. Paræus. Sylvanus. Langius. Heimrichius. Helduaderus. Neocorus Zepperus. (*b*) *In vita Philippi Melanchthonis p. 97. seq.* adde *DAV. CHYTRÆUM Chron. Sax. P. I. C. 7. ad a. 1523. JO. CRISPINUM in actionibus & monumentis martyrum evangelicorum a. 1560. ed. p. 41. seq. HENRICUM PANTALEON part. II. historiæ martyrum p. 35. sqq. add. CONZENIUM Jesuitam in Chronol. Jubil. Evang. p. 71. GEORG. MAJOR in dedicat. scripti Melanchthonis de obligatione Principum intuitu exstirpandæ idololatriæ f. 3. PARÆUM in dedicat. Commentarii in Epistolam ad Corinth. JO. SYLVANUM in Elegia contra obstinatos Papistas ad Christianum III. a. 1549. f. C. 2. JO. LANGIUM in historia Henrici Zutphanensis,* &, qui hanc laudat, *ANT. HELMRICHIUM* seu *WALTERUM in Chronico Ditmarsico L. 2. c. 7. HELDUADERUM P. 2. silvæ Chronol. p. 65. JOH. NEOCORUM* seu *ADOLPHI in hist. Ditmars. MSC. L. 5. p. m. 432. WILH. ZEPPERUM in dedicatione ad senatum Bremensem sylvæ homiliarum præfixa f. 2. E recentioribus VITUM LUDOVICUM a SECKENDORFF Comment. de historia Lutheranismi L. I. sect. 55. §. 139. M. DAV. EVERSBACH in scripto: Das Glaubens-Bekäntniß des sel. Märtyrers Bruders Heinrich von Zutphen, Evangelisten zu Antwerpen, Bremen und Meldorp in Ditmarschen ed. Hamb. a. 1713. D. HENR. MUHLIUM diss. de Memoria vita & gestis Henrici Zutphanii, martyris Ditmarsici a. 1714. ed. inter dissert. Theolog. p. 371. & 403. JO. MOLLERUM Introd. ad historiam Cherf. Cimbr. p. 631. LEHNEMANNUM in der historischen Nachricht von der im 16ten Sec. berühmten Evangelischen Kirche zu Antorff ed. Francof. a. 1728. p. 18. sq. JO. HELLMANN in Epit. Historiæ Ecclesiast. Ditmarsiæ Meridionalis in Vernacula a. superiori ed. p. 42-57. D. GERHARD. MEYERUM. in spicilegio de Henrico Zutphanio, primo Reipublicæ Bremensis ante ducentos annos Evangelista, dein martyre Ditmarsico ed. Bremæ a. 1722. ubi p. 23-28. ex JOANNIS RENNERI Chronico Bremensi MSCto historiam martyrii Zutphaniani* addidit, sub rubro: *Wo Broder Henrich in Ditmarschen verbrannt is*: Pertinent etiam huc interpretes propositionum quas *Henr. Zutphanensis Vitebergæ* a. 1521. disputavit, apud *MUHLIUM* c. l. p. 459. & ejusdem Martyris *positiones contra missam privatam, item acta Capituli Grimmensis Augustinensium a. 1522.* & literæ *JACOBI HYPERENSIS ad* D. *MART. LUTHERUM datæ de martyrio & combustione Henr. Zutphanensis apud literatissimum & industrium KAPPIUM* P. II. *der Nachlese nützlicher Urkunden zur Reformat. Historie p. 487. 536. 660. sq.*

Secken-dorff. *Eversbach.* *Mublius.* *Mollerus.* *Lehneman-nus.* *Hellmann.* *Meierus.* *Rennerus.* *Kapplus.*

Saxonum agrum dat Suevis. a. 565. occiditur a fratre Chiberico rege Franciæ.

Childebertus evadens in tyrannum ſuccedit patri.

Theobertus puer ſuccedit patri a. 600. ſub ductrice Brunechildi, & a fratre in prælio Theodorico rege Burgundione occiditur; Theodoricus veneno perit; Brunochildis avia moritur.

Clotarius autem Rex Galliæ ſuccedit 616. qui Dagoberto filio Auſtraſiam committit 628. (§. 4.)

Bellum Saxonicum. 636. Sichardus ſeu Sigebertus rex Saxonum pugnavit cum Dagoberto, (§. 1. 4.) fit Rex Auſtraſiæ 640. hic adoptat filium Grimoaldi m. eq. Itebertum, & procreatur Dagobertus ei filius, qui mortuo patre a Grimoaldo regno pellitur; ſuccedit Itebertus, qui occiditur & capitur a Grimoaldo.

Childericus a patre Clodoveo fratre ſuperioris Sigiberti rex Auſtraſiæ fit 658. qui in tumultu civili rex Galliæ electus occiditur in venatione.

Pipinus Craſſus Anſigiſi filius Dux Auſtraſiæ cum Martino rege Galliæ Theodoricum vincunt.

Friſicum bellum, in quo Rabodus a Pipino vincitur, moritur 714.

Carolus Tutides vel Martellus Dux Auſtraſiæ fit a patre, ſed capitur a noverca, ut Theobaldum nepotem augeret, ſed liberatur & multos reges creat.

Bellum cum Saxonibus Martelli 723.

Ditericus Saxo filius Sichardi contra Martellum 720. §. 5.

Carolus Martellus Francorum Princeps moritur 741.

MARTELLI filii

Carolomanus, Princeps Auſtraſiæ §. 6.	Pipinus brevis rex Franciæ fit, moritur 758. §. 6.	Gripho §. 6.

quorum bellum Saxonicum.

Pipini brevis filii

Carolomannus Novioduni rex moritur 771. §. 8.	Carolus M. Imperator.

Initium belli Saxonici 772. 798. cadit Gotricus Danus §. 8.

Carolus Imperator 801.

finis belli Saxonici 805.

Poſt Albionem, qui regiones tenebat Trans-Albianas.

Carolus Hamburgi ordinat Utonem vel Udonem §. 10.

Saxones

DIDERICI filii §. 5.

Etelhardus bellum gerit contra Pipinum & Carolomannum fratres §. 6.

Albio contra Carolum Imp. §. 6. 9.

Vernechinus, Princeps pacificus. §. 5.

Widechindus Magnus cum Carolo M. geſſit bellum primum cum Gotrico Dano §. 7. 8. 10.

Bruno. §. 9. 10.

Ludolphus, Dux Saxoniæ §. 10. 12. 18. 19. 20.

Videchindus Junior §. 10.	Vigbertus §. 10.	Bruno Conditor Brunſvigæ 861.	Tanquardus §. 21.	Otto M. Dux Saxoniæ §. 21.
	Valbertus.			

Rogenbertus. §. 10.	Didericus ſocer HenriciAucupis §. 30.

Henricus Auceps Imper. ſuccedit Conrado I. 920.

800. Carolus Magnus rex Germanorum prælium habet cum Gotrico §. 8.

810. Vandali vaſtant Hamburgum Vilſi dicti §. 11.

815. Ludovicus pius §. 11. Haraldus fugatus a Regnero Lodbrog fit Chriſtianus §. 12.

833. vide Eridagum.

840. tempore Anſcharii, Dani & Vandali vaſtant Hamburgum §. 18. 19.

bellum ſociale.

841. Lotharius. Imp. §. 17.	Ludovicus Germanicus obiit 876. §. 21.	Carolus Calvus §. 18.

Hoc mortuo Normanni occidunt Brunonem regnante in Dania Gormone Anglico.

Carolomannus, moritur 880. §. 22.	Ludovicus, moritur 888. §. 22.	Carolus Imp. 880. §. 22.

8. Arnoldus Imp. 891. §. 23.

903. Ludovicus Imp. §. 22.	Conradus.

10. Conradus I. Imperator 912. §. 23. 25.	Eberhardus
	Eberhardus contra Ottonem I. §. 26. Eccle-

Bremenſium Pontifices

1. Villehadus conſtituitur a Carolo M. §. 11.

2. Villericus §. 11.

3. Leudericus ſub quibus Ditmarſi §. 15.

Hamburgenſium Pontifices

Eridagus Presbyter a Carolo Magno factus moritur 833. §. 12. 14.

Huic ſuccedit Ansgarius metropolita §. 13. 14. 16.

de Weſtphalen Monum. ined. Rer. Germ.

ECCLESIASTICA.

Unnio Bremenſis & Hamburgenſis §. 16.
Ansgarius pontifex mortuo Leuderico & Bremenſis fit; moritur 865. §. 20.
Reges Danorum ſub Ansgario §. 19.
2. Rembertus moritur 888. §. 20.
Carolus Craſſus fit 880. §. 21.
Arnolphus fit 890. §. 23.
3. Adalgarius moritur 909. §. 23.
Ludovicus IV. Imp. 903. §. 23.
4. Hogerus moritur 919. §. 25.
Conradus Imperat. 912. §. 23.
5. Reginwardus moritur 927.
Henricus Auc. Imp. 920. §. 23.
6. Unnio moritur in Suecia 936.
Converſor Haraldi Dani filii tyranni Gormionis §. 28.
Otto Magnus 938. §. 27. 30.
7. Adaldagus moritur 988. §. 33.
Otto II. 974. §. 30.
De converſione Suenottonis & Poppone §. 33.
8. Libentius I. moritur 1013. fuit Italus §. 35.
Otto II. moritur 984. Imp. §. 30.
Henricus ſanctus Imp. 1032. §. 34.
9. Vurranus qui Unnanus, hic inimicitias habuit cum Bernhardo Saxone moritur 1029. §. 35.
Conradus Salicus 1025. §. 36.
Canutus Magnus rex Daniæ §. 36.

DITMARSICA.

Ditmarſia & comitatus Stadenſis erat ſub uno dominio, nempe pontificum Bremenſium; ante peculiares aut hos principes Saxonum habebant, quos vides. Bremenſes autem contra Normannos & Danos impotentes amiſerunt Ditmarſiam & Stadium, & eum defenderunt cum dominatu. Saxones Duces juſſu Imperatorum uſque ad tempora Henrici Aucupis §. 16. 19.
Henricus Calvus & pinguis tenebat Ditmarſiam & Stadium 921. Roſenveldis habitabat, nunc dicitur Hertzveld §. 24.
mentio Gereonis principis Luſatiæ vel Stadienſis §. 24.
mortuis Henrici Calvi filiis, Henricus bonus monachus ultimus eorum cogitur ab amicis imperium ſuſcipere §. 24. 26.
Sifridus major & Theodericus mortuo bono patre ſuccedunt, qui marchiones nominantur, 988. §. 32. Dani Suenottone rege Stadium & principes capiunt, ſed Sifridus elabitur & Theodericus IV. mutilatur. Danis a Bennone victis & ipſe reſtituitur §. 32.
Sifridus minor, Sifridi majoris filius, vir illuſtris & egregius, cui mortuo ſuccedit Udo filius princeps Ditmarſiæ §. 37.

POLITICA.

Ludolphus Dux Saxoniæ factus a Ludovico pio Imp. Fratres. Bruno conditor Brunſvigæ occiſus a Danis 861. Conditur Brunſviga; occiditur 876, vaſtatur Hamburga a Danis, tum rex Danorum erat Gormo Anglicus §. 21.
Tanquartus
Otto Magnus §. 21.
Henricus Auceps Imp. devicit Gormonem tyrannum Danorum & fit Marchionatus Sleſvigæ §. 25.
938. Otto M. Imp. bellum movet in Danos ob deletas colonias Sleſvici.
Hermannus Bilingius magiſter filiorum Imperatoris fit Dux Saxoniæ ab Ottone §. 30. moritur a. 984. Chytræus habet anno 986. §. 31.

EXTERA.

Cujus filii ſc. Hermanni ſuccedunt

Benno in Saxonia §. 31. obiit 1012. §. 35.	Lotharius in Holſatia §. 31. 33.

Bernhardus in Saxonia, hic ſe oppoſuit Henrico ſancto imp. cum fratre §. 35.	Ditmarus in Holſatia, hic in duello coram Imp. occubuit §. 35.

contra Vandalos res geritur. Miſtivous, qui rex Vandalorum erat, obiit, ut Chronicon Holſat. indicat, 1057. Sed Chytræus 1063. §. 35. Miſtivous cum fratre Mizidrogo & patruis Nacone & Sederico vaſtat Holſatiam & Hamburgum autore Bernhardo §. 35.

Lib. II.

ECCLESIASTICA.

10. Libentius II. moritur 1033.
11. Hermannus moritur 1036. an 3. pontif. §. 2.
12. Bezelinus, qui & Aldebrandus moritur 1043. §. 2.
Henricus niger Imper. 1040. §. 2.
13. Albertus ſeu Adalbertus moritur 1072. §. 5.
Henricus ſenior Imp. 1057. §. 2.
Gotſcalcus occiditur 1066. & vaſtatur Hamburgum per Bluſſonem §. 3.
14. Liemarus Ericum Eigot diris devovet §. 4. vir doctus captus a Lothario Saxoniæ principe §. 16. Hic pontifex moritur 1103. §. 9.
Bero Danus cadit §. 4.
Henricus minor Imp. moritur 1107. §. 15.
Archiepiſcopi Bremenſium vocantur.
15. Humbertus annis tribus 1109.
16. Fridericus I. 1123. & ultra 1127. §. 9. Hiſtoria Ditmarſica de Ida & aliis §. 10.
Lotharius imperator 1127. §. 27.
17. Adalbero obiit §. 32. mittit Vicelinum in Vandaliam; & alia multa §. 23. §. 33.
Conradus Suevus Imp. 1140. §. 24.
18. Hardvicus primus natus Ditmarſiæ princeps §. 27. 31. 32.
Fridericus Barbaroſſa 1152. §. 26.
19. Balduinus eligitur a Leone Saxone abdicatis Sifrido marchione & Otberto 1178. §. 36.
20. Sifridus marchio repudiato Bartoldo eligitur 1184. §. 37. 40.
Henricus 1190. §. 40.

21. Hardvicus II. hic occupat Ditmarſiam auxiliis Holſati Adolphi III. qui deficiunt ad Danos §. 46. 48.
Henricus Leo moritur 1190. §. 43.
Philippus Imperat. 1198. §. 47.
22. Gerhardus Osnabrugenſis eligitur contra Valdemarum 1220. §. 48.
Otto IV. Brunoſv. Imp. 1213. §. 47.
23. Valdemarus §. 50. Gerhardus de Lippia præfuit 40. minus annis 1260. §. 51.

DITMARSICA.

Lotharius qui & Utho primus major Sifridi minoris filius princeps Stadii & Ditmarſiæ. Hic duxit amitam in matrimonium Rudolphi Suevi contra Henricum IV. Imperatoris §. 6.
tempore hujus Udonis mater Britanna naufraga fit & ſervata, filia nupta viro §. 1.

2. Filiæ. Filia nupta Reinaldo §. 1.

Fridericus Stadenſis §. 1. — Ulricus §. 1.

Udo IV. Stadii Princeps, Rudolphus Udonis III. filius Ditmarſus princeps acer mortuo fratre Udone IV. Henricum fratris filium defendit contra tutorem Fridericum Reinaldi filium, de quo §. 1. & 18. ſed confirmatus Fridericus a Pontifice Alberone & Saxone Lothario per amicos tollit Henricum veneno §. 19. Albero ideo pontifex vexatur incurſionibus a Rodolpho Ditmarſo §. 19. Rodolphus occiditur a ſuis Ditmarſis §. 20. filii Rodolphi §. 18.

Rudolphus minor ſeu ſecundus Soltvedelenſis vincit Albertum urſum auxilio Henrici Leonis, occiſus a Ditmarſis in monte Bochelo & uxor Valburga auribus naſoque, pedibus, manibus mutilata in fluentem conjicitur §. 27. §. 29.

Henricus Leo ultor eſt in Ditmarſos cædis Rodolphi §. 29.

Henricus Leo conſtituit in Ditmarſiam principem

Reinholdum, qui una cum Adolpho periit ad Deminum §. 33.

Reinholdus princeps occiditur a Ditmarſis.

Abbas ad S. Mariam Stadii, qui prædia in Ditmarſia habebat ordinatione Henrici Leonis §. 31. 35.

Ditmarſi deficiunt ad Valdemarum Sleſvicenſem & Canutum regem §. 46.

Adalbertus conſtituitur a Valdemaro princeps Holſatiæ 1121. §. 48. Cometa luxit §. 48.

Defectio a Danis, Ditmarſi pollicentur transfugium Holſatis §. 50.

EXTERA.

Bernhardi Saxonis principis filii erant

Ortholphus in Saxonia §. 3. — Hermannus in Holſatia §. 3.

hic tulit Godeſcalco Vandalo & filio Butue opem contra rebelles, moritur 1073. ut vult Chytræus. Hujus filii

Magnus in Saxonia, hic captus ab Henrico IV. imp. in carcere obiit 1106. ut Chronicon Holſ. notat. — Otto in Holſatia mortuus §. 5.

2. liberi periere in bello vivente patre.

de Weſtphalen Monum. ined. Rer. Germ.

Hic Adalbertus pontifex fuit Henrici ſenioris pueri a conſiliis & gubernator §. 2.

Udo II. ſuccedit Udoni patri vel Lothario; factus eſt marchio Soltvedelenſis & feudum Stadii accipit a Bremenſi, dictus eſt hic Udo II. & Lotharius II. minor §. 8.

Ludolphus, quem alio genere ortum arbitrantur, ſuccedit Udoni II. cujus uxor Ida filia Henrici III. imp. fratris filia; mortuo marito duxit eam Dedo, qui occiditur a Ditmarſis, deinde eam Ethelerus candidus, etiam occiſus a Ditmarſis §. 10.

Egebertus Idæ filius cadit in prælio contra Udonem Soltvedelenſem.

Udo marchio Soltvedelenſis parricida Egeberti adoptatur ab Ida & ei ſuccedit 1067. vel magis 1106. §. 10. imperante Henrico IV.

Idæ miſeræ filia. Oda uxor Roſſi principis §. 12.

Udonis III. filii fuere Henricus longus cito mortuus §. 17.

Rudolphus primus Ditmarſiæ & Soltvedelæ princeps §. 17. &

Hardvicus præpoſitus Bremenſ. occiſo fratre, dum ei hæreditas venit, mutat Ditmarſiam pro Stadio ab Alberone pontifice, potitur Stadio mortuo Friderico §. 27. 31. pontifex deinde Hardvicus moritur §. 31.

Poſtea Adolphus II. quod tulerit auxilium Canuto contra Suenonem, Sueno Ethelero Ditmarſo Duce Vagriam populatur §. 33.

Occiſo cum Reinhaldo Adolpho II. tutores Adolphi III. fuere Bruno, Marquardus & Henricus Orelius, qui duxit matrem Machtildim, ex qua Adalbertus §. 35.

Adolphus III. cum Leone contra Imp. Fridericum proſcribitur a Leone §. 38. reſtituitur ab Imp. Friderico §. 39. cum peregrinaretur in terra ſancta; reverſus e terra ſancta fugat Leonem & Stadium obtinet 1186. capitur a Canuto rege Daniæ §. 46.

Hic Magnus conſtituit in Holſatia principem & Stormaria Godifridum §. 5. qui a Vandalis occiditur latronibus §. 16. Lotharius Saxo Magno ſuccedit 1109 ut eſt in Chytræo. Hic dat Holſatiam & Stormariam, occiſo Godfrido, Adolpho I. §. 16. qui moritur 1131. §. 23. cujus filius Hartungus periit in Bohemia §. 22.

Adolphus II. patri in Holſatia ſuccedit §. 23. hic Holſatia expellitur ab Urſo & Conrado III. imp.

ſuccedit ei Henricus Badevichius, qui iterum fugatur ab Adolpho II. victore Vagriæ §. 24. & 27.

HOLSATICA.

Valdemarus tenet Holſatiam, fit Rex §. 46.

Adalbertus ſuccedit, qui capitur §. 49.

Adolphus IV. puer revocatur in Holſatiam & fit princeps auxiliis feminæ Deeſtæ. §. 50.

Liber III.

ECCLESIASTICA.

Conradus Imp. 1250. §. 7.
Vilhelmus Hollandus 1254. §. 7.
Alphonſus & Ricardus imp. 1257.
24. Hildeboldus ſ. Hildebrandus Brochuſius repudiato Gerhardo Lippio ſuperioris nepote 1273. §. 9.
Rodolphus Habsburgenſis Imp. 1273. §. 11.
Adolphus Naſſovienſis Imp. 1292. §. 17.
25. Giſelbertus Brunchorſtius; hic defendit contra Holſatos Ditmarſiam & coluit & educavit Gerhardum.
Albertus Auſtriacus 1298. Imperator §. 18. 22.
26. Henricus Goltornius §. 19.
27. Florentius Bronchorſtius. §. 19. (contra quem eligitur Bernhardus de Velpa, qui abnuit) moritur Florentius 1307. §. 21.
Henricus Lucelburgenſis Imperator 1309. §. 22.
28. Johannes ſ. Janus Lundenſis ante in Dania pontifex moritur in Gallia §. 28.
29. Burchardus Grella 1344. §. 28.
Carolus IV. Imperat. 1350. §. 38.
30. Otto Delmhorſtius §. 37.
31. Gotfridus eligitur repudiato Mauritio Oldenburgio 1359. Pontificatum amittit, & Stadii moritur exul 1363. §. 42.
Venceslaus Imperat. 1376. §. 38. & 44.
32. Albertus Guelphus filius Magni Brunſvicenſis, frater Magni tyranni 1396. §. 43.
Fridericus Brunſvicenſis Imperat. 1400. & Rupertus Imp. §. 50.
33. Otto II. Brunſvicenſ. fit repudiato Johanne Moneco fuit Magni Tyranni filius, moritur 1407. §. 50.
Sigismundus Imp. 1410. §. 61.
34. Johannes Slamſtorpius intercedit pro Ditmarſis apud Imp. Sigismundum 1420. §. 68.
35. Nicolaus Delmenhorſtius 1435. §. 68. 73.
Albertus II. Auſtriacus Imperat. 1438.
36. Balduinus II. abbas S. Michaelis Luneburgi 1442. §. 73.

DITMARSICA.

1227. pugna in Bornhövete contra Valdemarum II. & Ottonem Brunſvicenſem, in qua Adolphus IV. puer, Gerhardus Bremenſis, Albertus Saxo, Adolphus III. ſenex, Alexander Solrvedelenſis & principes Vandalorum: Ditmarſi vero a Rege transfugæ fiunt §. 1. 20.
Ditmarſi & Friſii occidunt rebellem regem Daniæ 1252. §. 5.
Ditmarſorum magiſtratus XLVIII. viri 1286. §. 3.
Ericus rex Daniæ moritur, cujus viduam duxit Johannes II. Vagrius §. 12.
A. 1289. Bellum Ditmarſicum primum geſtum ab Henrico Holſato, & Vagriæ principe Johanne II. ob leporem infelix §. 14. in quo & Henrici frater fuit, Gerhardus cœcus princeps Stormariæ & Schumburgi.
Ericus rex tutelaris princeps Lubecenſium componit controverſiam inter Holſatos & nobiles §. 16.
Nobilitas fugata e Ditmarſia, e qua fuit Detlevus Reventlovius, qui Adolphum Sigemonte cum filio occidit 1315. §. 24. pater Johannes II. cocles infelix, qui captus a filiis, & quod amiſerat oculum, & quod Chriſtophorus lapſu mortuus, moritur infelix homo relicto filio Johanne III. Largo in Vagria §. 24.
Gerhardus Cœcus Scumburgi & Stormariæ princeps reliquit hos filios

Gerhardum III. principem Stormar. moritur 1320. §. 17. hic genuit	Adolphum a quo Scumburgi §. 17. 26.
p. qui mortui §. 18.	Gerhardum IV. §. 28. qui in Gallia fuit tempore Alberti Auſtriaci Imp. præpoſitus Lubecæ §. 18. mortuis fratribus princeps Stormar. 1320. §. 28.

Johannes Stormariæ princeps 1330. §. 28. 31. 36.
1322. geſtum bellum Ditmarſicum ſecundum a Gerhardo M. in quo devictis antea Hamerſtadiis & Suderhamiis, poſtea prælio in Nordſtrandia geſto ceciderunt XII. principes, qui Gerhardo M. opem tulerant §. 32. In hoc bello fuere Gerhardus M. Johannes frater, Henricus Leo Megapoleus, Gerhardus Scumburgius frater ſuperioris Adolphi Scumburgi capti. §. 30. 31.
1340. In bello Danico contra Ottonem regis Valdemari fratrem occiditur Gerhardus M. Randerhuſiæ a Nicolao Ipſio §. 34. 35. filii ejus ſuccedunt

Johannes, qui periit in bello Danico §. 36. Præconium Gerhardi Magni & Apophthegma de Ditmarſis §. 38.	Henricus ferreus invadit Seelandiam §. 36.	Nicolaus, hic Jutiam invadit & tollit parricidam §. 36. 39.

Carolus IV. Imp. Lubecam venit & turbas ſedat inter Holſatos, Henricum Ferreum & Nicolaum fratres & inter Lubecenſes & Hamburgenſes 1375. Eodem anno moritur Valdemarus Rex Daniæ §. 44.
1381. moritur Henricus ferreus princeps Holſatiæ & Stormariæ relictis filiis, Gerhardo, Alberto & Henrico §. 45.
Nicolaus Ditmarſos ex Holſatia fugat §. 46.
1402. cometa luxit.
1401. Hamburgenſes vincunt Nicolaum Stortebeckerum & Godecam Michaelem §. 54.
1403. Ericus Saxo populatur Ditmarſiam per Holſatiam; inde enatum tertium bellum, quod Holſatos perfidiæ accuſarent Ditmarſi, in quo cadit Albertus frater, & Gerhardus Dux ulturus fratrem invadens per Suderhamiam Ditmarſiam in tumultu ab hoſtibus occiditur 1404. Hamæ; princeps Gerhardus ſepultus in Sleſvicia, ſed ceteri inhumati manſerunt §. 56.
Ericus Pomeranus fit rex Daniæ 1411. §. 62.
Concilium Conſtantienſe 1414. §. 63.
Ditmarſi ſe ſubjiciunt Johanni Slamsdorpio, dum

dum Cæsar Sigismundus exigit ab iis tributum 1410. §. 63.
Henricus princeps Stormariæ moritur 1421. §. 65.
Ditmarsi fiunt inimici Hamburgensibus, nam Ditmarsi oppugnarunt Nivercum infeliciter & Hamburgenses in præda occisi cum duce navium Martin. Suartekop. §. 70.

HOLSATICA.

Adolphus IV. fit monachus, & Holsatiæ tutor est Abel Slesvicensis, deinde Adolphi IV. filii Holsatiam tenent §. 4.

Johannes I. Vagriam obtinet, moritur 1261. §. 9. succedit illi filius

Gerhardus I. Holsat. & Stormariam obtinet; bellum cum fratre gessit §. 5.

Gerhardus cœcus §. 6.

Henricus succedit in Holsat. & Stormar. cujus frater Scumburgum possidebat §. 10.

Johannes II. Cocles, hic cum Henrico patrueli bellum fecit Ditmarsis.

Albertus §. 10.

Johannes III. largus §. 24. 28.

Adolphus §. 41.

Henricus Holsatus & frater ejus Gerhardus cœcus, item Johannes II. Vagrius & fratres, Albertus, qui fuit præpositus Hamburgi, & Adolphus, qui se Ducem Pomeraniæ nominabat, pœnas sumunt de nobilitate Ditmarsis armata §. 16.

Henricus in Holsatia moriens reliquit

Gerhardum Johannem.

Educatio Gerhardi per Reventlovium & Giselbertum pontificem §. 25. 28. 35.
Ditmarsi 1317. fœdus contra Gerhardum M. & Johannem fratris Adolphi cædem vindicaturos ineunt cum Johanne Vagrio Largo & Adolpho Scumburgico §. 26.
Gerhardus M. ex Holsatia Ditmarsos pellit §. 27.
Ludovicus Bavarus & Fridericus Imperator 1314. §. 23. 38.
moritur Johannes Largus accepta pace a rege Valdemaro Daniæ, relicto successore Adolpho Vagrio filio §. 41.
1386. Gerhardus Dux fit Slesvicensis ab Olao & Margarita præsentibus fratribus Nicolao & Adolpho Vagrio §. 47.
1390. moritur Adolphus Vagrius succedit Nicolaus data Ottoni Scumburgico pecunia §. 49.
1398. moritur Nicolaus & succedunt filii Ferrei §. 51.
Gerhardus Dux, Albertus & Henricus tutor §. 52.
Albertus de equo cadens periit, dum hostes invadit 1403. §. 58.
Occiso patre Gerhardo succedunt filii Henricus, Adolphus & Gerhardus posthumus; substituti tutores cum matre §. 60. Henricus princeps Stormariæ §. 60. & 65.
Dani tempore belli 1414. Slesvicensis sub Erico rege Daniæ Femeram invadentes; Ditmarsi vero in Eyderstadia vincuntur a Frisiis, post horum populantur regionem; deinde fit reconciliatio, pecunia corrupti sequuntur partes Danorum, sed audita oratione amplectuntur partes Holsatorum §. 65. 67.
Ad Flensburgum cadit Henricus Dux 1427. §. 69.
Expugnata Flensburga 1431.

Liber IV.

ECCLESIASTICA.

Fridericus II. Austriacus Imp. 1440. §. 2.
37. Gerhardus III. Hoja 1463. §. 6.
38. Henricus II. Suartzeburgius capit Delmhorstium annis 33. præst. 1496. §. 6.
Maximilianus Imp. 1494. §. 13.
moritur Fridericus IV. Imp. §. 12. 13.
39. Johannes Rode 1500. cometa §. 13.
Carolus V. Imp. 1519.
40. Christophorus Dux Brunovicensis, qui vivit adhuc 1546. §. 13.

DITMARSICA.

Ditmarsi laborant bello civili, quod Lubecenses & Hamburgenses extinguunt 1437. §. 1.
Adolphus Dux Holsatiæ mortuo fratre Gerhardo ad Rhenum postulat pecuniam a Ditmarsis, moritur 1459. §. 4.
Conventus Rendesburgi, in quo Christianus I. rex agit cum Ditmarsis 1480. §. 9. recusant imperium Ditmarsi, 1482. d. 22. Maji Christianus I. moritur §. 10.
1486. cum patre Friderico IV. Maximilianus imperii fit consors §. 13.
Conventus Itzeoi Regis Johannis cum Ditmarsis ante bellum Suecicum §. 12.
1500. bellum Ditmarsicum regis Johannis & Friderici, in quo periere Adolphus & Otto Oldenburgii & Johannes Aleveldius signifer. Meldorpium expugnatum §. 14. & 15.

HOLSATICA.

Adolphus succedit fratri. Christophorus fit rex Daniæ 1439. ab hoc accipit feudum Adolphus 1440. §. 3.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Succedit Adolpho Chriſtianus in Holſatia rex Daniæ data pecunia Ottoni Scumburgio §. 5. 6.

Chriſtianus I. Rex fugat fratrem Gerhardum & Vilſtermarſorum Ducem §. 6. Hemmingius Volffius, qui in Ditmarſiam confugerat, confoditur §. 7.

Chriſtianus Rex 1472. Romam proficiſcitur.

Cometa luxit 1472. ante motus Caroli Burgundi §. 7.

Mortuo Chriſtiano ſuccedunt Johannes rex & Fridericus dux Holſatiæ §. 11.

1499. Magnus Saxo cum guardiis expugnat Hadelos, quos ei pontifex Bremenſis ademit; his utitur contra Ditmarſos Johannes rex §. 14.

Huc uſque pertingit Elaboratio Operis.

1513. moritur Johannes rex Daniæ; ſuccedit Chriſtianus II. His temporibus Petrus Longus Friſius pirata. Ditmarſi in timore propter regem bella coquentem 1517. bellum Suecicum, Lubecenſe. Henricus Sutphanius vocatur Brema in Ditmarſiam a Nicolao Bojeno Meldorpii parocho; verberibus mulctatus, confoſſus crematur autoribus Jacobitis & prædicatoribus, & autoribus Suiniis & Nanniis aſſeclis XI. Decembr.

1524. hoc anno aufugit Chriſtianus II. e Dania deſignato Johanne ſeniore; rex fit pater Fridericus I. & Dania occupatur Duce Johanne Ranzovio.

ECCLESIASTICA.

1558. m. Auguſto arſit cometa.

portenta de radiis.

1559. Bellum Ditmarſicum, in quo fuere Dux ſummus Adolphus, Fridericus electus princeps, Johannes ſenior, Antonius Oldenburgius, tribuni ſummi, Johannes Ranzovius.

Bellum Danicum & Suecicum, in quo ex parte regis erant Johannes Benzius & loco regis Chriſtophorus Trunemius, qui tarde acceſſit.

DITMARSICA.

Vibo Petri filius Ditmarſus propter rapta ſua bona coram XLVIII. viris cauſa cum cecidiſſet, patriam incendit. Sed Ditmarſi eum in Hillegelandia occidunt & inſulam vaſtant.

HOLSATICA.

Chriſtianus II. cum exercitu ad Albim venit. Evangelium in maritimis Johanne Bugenhagio promulgatur, 1525. capitur ab Hamburgenſibus Nicolaus Cnifoſius pirata Danus navigaturus in Norvegiam.

Chriſtianus II. venit in Norvegiam & capitur.

1434. moritur Fridericus Rex, & Chriſtophorus Oldenburgius, Lubecenſes & Albertus Megapoleus occupant Daniam.

1535. bellum Danicum Chriſtiani III. qui fit rex. Hunc Ditmarſi tutelarem principem dicunt.

Ao. 1565. d. 26. Aug. Imperator Maximilianus II. confirmat ſtatuta Holſatorum de Ditmarſis confirmata, miſſa legatione Georgii Lorchii & Valentini Heideri 1566. capitur grex piratarum a Brodero Tacio Huſenſi.

Tabula.

Gereo I. Comes Stadenſis præfectus Limitis Brandeburgenſis.

Bruno præfectus limitis Brandeburgenſis.

Meinfridus. Hermannus. Hugo. Sighardus præfectus

Ditericus Marchio pulſus §. 32.

Udo Comes Stadenſis Marchio v. l. I. §. 37.

Udo II. pulſus Brandeburgenſi ditione a Primislao Com. Stadenſi.

Henricus Comes Stadenſis Marchio Soltvedelenſis.

Rudolphus Comes Stadenſis.

Otto.

FINIS.

XXI.

NORDALBINGIA

SIVE

HISTORIA RERUM PRÆCIPUARUM IN NORDALBINGA A TEMPORIBUS CAROLI MAGNI AD ANNUM PRÆSENTEM clɔ Iɔc XLIII. A PRINCIPIBUS ET POPULIS GESTARUM SUCCINCTE JUXTA ANNORUM SERIEM COMPREHENSA

A

LAMBERTO ALARDO, STORMARO.

Optimus vindex insolentiæ rerum humanarum vicissitudo.

Syllabus Autorum, quorum testimoniis in hoc opere usi sumus.

Abrahamus Bucholzerus.
Adamus Trazigerus.
Angelius.
Bonnus.
Bordingus.
Chytræus.
Christoph Helvicus.
Christianus Solinus.
Dresserus.
Dania Crantzii.
Eberus.
Erpoldus Lindebruch.
Funccius.
Fincelius.
Georgius Waltherus.
Heldvaderus.
Hieronymus Osius.
Johannes Cluverus.
Jonas Elverveld.
Jo. Crügerus.
Jonas Coldingensis.
Lutherus.
Lubecense Chronicon.
Metropolis Crantzii.
Manuscripta non una.
Phil. Melanchthon.
Peucerus.
Petræi Chronic. Holst.
Ranzovius.
Rendesburgense Chron.
Saxo Grammaticus.
Saxonia & Suecia Crantzii.
Schaffnaburgensis.
Sebast. Franck.
Selneccerus.
Sethus Calvisius.
Sleidanus.
Schlavonic Chronic.
Wandalia Crantzii.

Serenissimo Potentissimoque Principi ac Domino, *Christiano Quarto*, Dei Gratia, Daniæ, Norwegiæ, Vandalorum Gothorumque Regi, Duci Sleswigeni, Holsatiæ, Stormariæ & Diethmarsiæ, Comiti in Oldenburg & Delmenhorst.

D. D.

Serenissime, Potentissimeque Rex,

Domine Clementissime.

NOn diu nec quasi ex bilance deliberandum habui, qua potissimum majestate operis hujus vestibulum præmunirem. Præterquam enim quod ea exstat Vestra in me clementia, ut dudum ipsi submittendum censuerim aliquem studiorum meorum fructum animi grati obsidem; ille præterea est regni Vestri admirabilis splendor, ut omnes mortales rapiat in sui cultum & obsequium, cunctaque terrestria ei applicare magis se gestiant, quam coërceri. Et me quidem tanto rapuit proclivius, quod ea insuper tua Majestas naturæ est benignitate, ut quantum valet fortunæ amplitudine, id totum aliorum experiatur commodis. Qua de causa laudum tuarum coronam lectam & comprehensam in Camœnarum hortis perpetuare & immortalitati consecrare constitui. Quæ enim major & omnibus communior voluptas, quam notare regiminis felicitatem & seculi raritatem; gratulari sibi & posteris de tanto Principe, quem divina benignitas singulari indulgentia ut carum depositum terris credidit? Leniet officiosam temeritatem religiosum obsequium, quod debita veneratione jam in me accensum succedens annorum felicitas auxit & consummavit. Natales, clementissime Rex, ab eo habes parente, cujus quondam virtus, nunc memoria cœlestis est. Nemo tantæ originis & felicitatis auspicia ex se aut inferiori luto sumit: Deus, & qui Deo proximus, illis vitæ munera distribuit. Quid enim similius Deo, quam optimus Princeps? Quis hunc creare & constituere dignior, quam ipse Deus? Electus autem in prima juventute ad regni moderamen, talem educationem nactus es, qualem Cyro suo Suada affinxit Attica, cum non unum Principem describeret, sed omnes formaret. Hac enim feliciter jacta ad sublime fastigium vectis honorifica quædam servitus imponitur, ut veræ virtutis cultores viam vitiis & tyrannide vacuam insistere audeant & sollicite decurrant. Nam ut majoribus pulchrum & laudabile fuit gloriam parere & suis relinquere, ita his turpe erit eandem a majoribus acceptam tueri & augere non velle. Hinc ita virtuti

tuti doctrinæque innutritus es, ut semper aliquid majus annis tentaveris, & jam tum documenta magna dederis, quantæ fruges virtutis & industriæ maturioribus annis futuræ essent. Nimirum majorum gloria & bona institutio non tantum posteris lumen, sed & ad summa quæque incitamentum est. Ita enim virtus nuper orta necessitatem quandam æmulandæ alienæ gloriæ sibi imponit, & quasi perpetuo adhærens monet, nulla ratione committendum, ut partum decus sua socordia deserat. Quapropter jam a prima ætate non Princeps sed exemplum principatus fuisti: in quem bona omnia Dii immortales certatim contulere, & pro quibus unusquisque supremo Numini obligatur. Regnum enim habes non amplum modo, sed & vastum, quod se in terram & mare latissime diffundit. Quod ut firmares, auream illam pietatem semper ducem habuisti, quæ vitæ moribusque facem præferret. Neque enim existimandum est, Principes tanto Imperio sine Numinis supremi cultu feliciter præesse. Tales namque sunt, qui divina vice erga genus humanum funguntur, qui sortem totius mortalitatis statumque orbis quasi nutu temperant proximi supremæ majestati. Idcirco probo more & pio cultu Numen propitiari æquum censent. Quod Majestatem tuam semper divino Christianoque zelo egisse, & adhuc agere noti pariter & ignoti deprædicare norunt. Sacris ritibus non solum ipse frequens interes, sed & omnes ad officia ecclesiastica admittendos audis, & pro ratione talenti sanæque doctrinæ promoves. Infra vigesimum quintum ætatis annum ex lege nuper sapienter ad præscriptum Veteris Instrumenti sancita neminem ad tam venerabile munus admittis. Nil Tibi cum hæresibus a præscripta verbi divini norma aviis. Berolino ante aliquot annos ob introductum schisma ardente ipse pio zelo viginti quinque fidei articulos a Parente piissimo, anno 1569. publicatos de novo revidisti subditosque ad eorum sanctam observantiam adstrinxisti. Comitia Theologica Haffniæ inter ipsas Bellonæ turbas agitasti, ubi de collapsa ecclesiæ disciplina asserendaque ministerio utriusque clavis autoritate consilium salutare cepisti. Ita nimirum fit, ubi supremum Numen ante omnia colitur, ut tales rerum moderatores dentur, qui ad divinæ voluntatis sententiam omnes porro actiones suas temperent & instituant. Hinc non minus illarum, quam totius Regni felicitas orta, quod ut stabilires non vicinorum incommodo, sed tuorum cum augmento post pietatis studia semper enixe laborasti. Sic ante hos triginta duos annos Regnum alta in pace possidens passim ædificiis arcibusque nos ortum debemus: fossa valloque præter multorum spem feliciter communisti; Fridericiburgum in Seelandia magnificentia vere regali instruxisti. Christianopolin ad fines Sueciæ, Tychopolinque in Stormaria e locis palustribus, ubi ne spes quidem urbium antea erat, excitasti. Haffniæ novam civitatem in insula Amagger contigua addidisti. Soræ in Seelandia e cœnobio Academiam e quæstrem excitasti, additis ei amplissimis reditibus. Patrias, Crempas post nuperum bellum non modo aquæ circumluvio, sed & quatuor aquæ ductibus non sine ingenti arcendi hostis commoditate donasti. Exercitationes tuæ quæ & quales? Feram subsistere & ferire, aërem & ventos provocare? Ea vero in postremis habes, & raro attingis, quæ alii Principes in diariis exercitiis, immo deliciis, habent. Sane quam per omnes artium equestrium numeros iveris, ostendit illud tempus, quo publica festivitate primos inaugurationis dies celebrasti, cum inter tot victores solus lemniscatas coronas retulisti. Ostendit etiam nuper nuptialis filii festivitas, ubi primus palæstram petiisti, lucta contendere, saltu certare, omnemque certaminis aleam subire paratus fuisti; mox geminare pilam, insperato reictu reddere & cadentem revocare; mox armis ludere & composito ad præliandum gradu clausis undique membris captare simul & vitare petentem visus es. At citra hanc temporis necessitatem potior tibi cura salus & tranquillitas reipublicæ, quam non modo proprio regno, sed & toti Germaniæ vicinisque populis conciliare semper sancte studuisti. Ita anno abhinc trigesimo nono, quam primum regno inauguratus esses legatione missa pacem suasisti Batavis cum Ibero, tandem annis aliquot post cum Sueco post diuturnam belligerationem feliciter pepigisti. Eandem Brunswigo cum Duce suo Fr. Ulrico conciliasti. Eandem porro cum Polonus arma capesseret in regnorum limitibus cum Sueco confirmasti. Eandem apud Imperatorem jam tum, cum militem Saxoniæ nostræ intruderet, maturo consilio ursisti: quam etiam armorum interventu deinde feliciter pepigisti, & adhuc conservas cum maximo subditorum emolumento. Vicinis enim populis adhuc dissidentibus, sola fama virtutis & potestatis Tuæ inexpugnabiles muros patriæ exstruxit. Eandem quoque viciniæ totique Germaniæ ereptam, si velit, magno & pientissimo conaru revocare anniteris. Majori igitur jure Tibi potius, quam aliis belli triumphus debetur, qui horridam Erinnyn, minacem Bellonam, qui humano cruore perspersam Tisiphonem vinculis adstrictam & captivam ducis. Cedat jam livor, pacificum Regis nostri animum nequicquam sugillans. At tecum Deus immortalis faciat Rex Serenissime & de annis plurimorum (quod solemne votum est) annos majestati tuæ addat, ut communi voto diu superis, qui tantopere pro salute Christianitatis totius vigilas cum omine nomen gerens. Ceterum ut omnia cum admiratione, ita non sine singulari fortunæ, quam non ab astris, sed a Deo habes, gessisti. Vicinam Gambriviorum rempublicam libertati nimiæ deditam illa animi generositate & felicitate Tibi devinxisti, ut ira adversus eam incensi eripere malint munera possessori data, quam concedere. Ita homagium a civibus accepisti annis abhinc quasi triginta duobus: Quod cum nuper depreciassent, novum vectigal rebus Holsatiæ imponendo nomothetam novum in Albi senserunt, quem amicum

cum

cum habere potuerant. Aemulos dominationis amolitus es, & juſtam defenſionem Tuæ, Holſaticæque rei adſeruiſti. Leges moleſtis regni cuſtodibus dediſti, quas figere maluiſſent. Straleſundam vero mari orientali proximam nuper contra Fridlandicas minas cum electo regni Principe Chriſtiano V. & Duce Friderico, filio regio, ea ſtrenuitate defendiſti, ut maximarum virium, & majorum minarum immunis hactenus perſtiterit. Peregrinationes in Angliam bis inſtituiſti ad adfinem Jacobum VI. magnæ Brittanniæ Regem & feliciter regno redonatus es. Contra Principes potentia ſublimes & rerum ſecundarum eventu inflati ab ultimo terrarum receſſu, qua oceanus horrore inacceſſus, legatos ad Te adorandum, tanquam rarum aliquod in terris Numen, properarunt. Novimus & mirati ſumus, rebus ad nutum fluentibus tumidos, flectere Tibi cervices, fœdera offerre, connubia & lætos hymenæos petere. Grœnlandos vero Tuos, ſuo frigore, ſuo cælo, ſuis tempeſtatibus armatos, ea generoſitate viſitas, ut tanquam feras in venatione capias. Extremos vero Norwagiæ fines non ſemel adiiſti & nobile verbi divini cimelion incolis demandaſti. Argenti venas puriſſimi mira Dei benedictione ibi locorum reperiſti, ubi antea nil niſi ſilvarum & ſaxeorum montium ſpes eluceſcebat. Non conſectabor ſingula fortunæ Tuæ; revocat tamen procedentem marita, quæ majeſtati Tuæ e domo Brandenburgica adſumta venit. Quæ hac familia celebrior, quæ gens ea celebrior? Quid illa ſanctius? Quid caſtius? Quid pulchrius? Quid decenti verecundia & obſequii fide & promtitudine ſtudioſius fuit? cui omnes veſtales & flaminicæ adſurgunt palmamque porrigunt? Quinimo majus Tibi gaudii pondus ex conjugii fœcunditate cum Auguſtiſſima Heroina Anna Catharina exortum, dum Tibi tria maſculi ſexus pignora reliquit: Chriſtianum IV. Regni Principem, Fridericum Archiepiſcopum Bremenſem, & Uldaricum Epiſcopum Butzovienſem & Suerinenſem, quos ad ſumma dignitatis faſtigia evectos pater felicisſimus adſpexiſti. Quid majus a Deo exſpectabis? quæ divinior beatitudo contingere poteſt in his terris? Nam quid bellicas Tuas virtutes & trophæa commemorem? Oppida & arces loco inſuperabiles & arte capi poſſe, hoſti pariter & orbi probaſti. Teſtem laudo ducatum Brunſvicenſem, oram Transalbinam, ducatum Schaumburgenſem & Luneburgenſem, Luſatiam & Sileſiam. Quid dicam dubiis præliis ſubjugatam per majores Dithmarſiam, at poſt nuperum bellum cum Cæſare, non tam armis quam formidine majeſtatis recuperatam? Suecia vero diuturno attrita bello & iliaca clade fracta conſperſam cinere faciem oſtentans inter ancipites metus acceleratam pacem ſuſcepit. Unde non parva diffidentium hodienum partium a Majeſtate Veſtra trepidatio, quorum mœnia & arces tanquam tonitru irati Jovis concutiuntur. Norunt enim, ubi animoſam illam mentem tubæ cornua accendunt, ipſi certam vel victoriam vel pacem armis introducendam, non hoſtem ante oculos verſari. Sine horrore eloqui non poſſum, quæ conſentiente omnium rumore fama in Te celebrat: Nulli ſuorum rogatu commoveri Majeſtatem Veſtram potuiſſe, quin ſæpiſſime invicto animo ſtaret in acie, hoſtem feriret, dubiamque Martis aleam experiretur, manuque mortem quaſi provocaret. Teſtis Lothera & Vorda transalbina. Unde prudentes cenſendi illi, qui virtuti Veſtræ intercedunt, ut periculis ſe magis ſubducat, quam ingerat, quo ea diu regno ſuperſit, quod ab eadem vitam habet & fortunam: Nam ut omnibus eſt vivendum. Hinc ſubditi pro Te excubias agunt, ſomnum Tuum defendunt, latera objecti tegunt & inacceſſa benevolentiæ arce muniunt. Hinc quoque cæleſtes Quirites pro Te excubant & e præſentisſimis vitæ periculis conjectum explicant, prout eorum ſubſidio caſui prope Bretſtadium, mox lapſui prope Hamelam, mox deinde maris periculo, ſic volente & annuente Deo, ereptus es. O ingentia altisſimi Numinis beneficia, quibus Majeſtatem Tuam quotidie cumulat. Etſi vero virtus militaris & conferta pericula pro republica & civium ſalute exhauſta ad cælum ducunt: tamen hæc ipſa non ita regias curas occupant, ut togatæ virtuti nullus ſit locus. Majeſtatem regiam juſtitia tueris, imperium clementia temperas, vultum ſeveritate læta oſtendis. Non ſedes in cauſis, ut fiſco tuo divitiæ accreſcant, ſed ut recti ſententiam definias, delinquentes ſuppliciis compeſcas, innocentes pœnis eripias & iniquitatibus magiſtratuum intercedas. Præclarum opus & multitudini famæ inſerendum, abdicandis vitiis & virtutibus provehendis aptum, præmiis bonos afficere, malos coërcere. Ita annis ab hinc aliquot, alias regiones æruſcatorum panurgia infeſtante, obicem graſſanti malo in Tuis limitibus mature poſuiſti. Ita in nupero bello multis fugitivis & deſperata contra loci Principem conſilia cum adverſa parte capeſſentibus miram clementiam præſtitiſti, eosque hactenus, quamvis non meritos, inter reliquos ſubditos toleraſti. Nihil Tibi venale in judicio, nulla ſuffragia emuntur. Ipſus ſæpe ſepoſita majeſtatis dignitate per regni provincias oberras, turbæ Te immiſces, civium mœſtos aut lætos vultus captas, audis querelas, & exquiris, ut magiſtratus æmulentur Tuam juſtitiam. Nil perit opulentis, non ferunt injurias miſeri. Abeant jam Principes tenebras captantes, & nemini oris ſui uſuram commodantes, quas januæ ferratæ portæque adamantina firmitate includunt, quorum latus, ſi palatiis ſuis prodeunt, undiquaque ſatellitum teſtudo claudit, tanto ſæpius numero, ut cælum excitato pulvere obducant. Noſter Rex ſolio regio, velut cælo, relicto ſubditis deſcendere, oculis civium ſe ingerere, animorum votis obhærere amat. Hinc Nobilitas Te patronum, civitates legum cuſtodem, populus patrem patriæ ſalutat. Confidenter putabis, omnes ſua morte animam Tuam redimere paratos, infeſtis mucronibus ſe objicere, & ſi per armatas phalanges eundum, latera ſua oppo-

de Weſtphalen Monum. ined. Rer. Germ.

opponere velle. Sane vel hinc conſtat, non minus potenter urgeri obſequium ſedata poteſtate, quam imperioſa tyrannide. O Regem, in quo felicitas ſeculi pulſam & errantem virtutem reduxit, apud quem toga & ſagum tam feliciter contendunt. Aſt prævertere me ſine ad alia potentiæ Tuæ fulcra, quæ in mari regnum ambiente & interluente habes longe excellentiſſima. Imperium tenes, non modo in undivagas maris incolas piſces, ſed in ipſam ejus naturam, quæ, quas toti alias orbi indomita majeſtate leges præſcribit, a Te accipit. Teſtis eſt Tychepolis, Bredſtadium, & alia loca quamplurima, quorum jacta feliciter fundamenta, illa vi maxima & ſæviente ira ſic annuente Deo evertere non poteſt. Navibus vaſtitate miris oceanum armas, piratas domas, & nervos rerum gerendarum colligis. Dominos maris Balthici novos & re & titulis exuis. Nullus locus pelagi immenſitate, alta caligine & quaſi deficientis jam naturæ fine ab orbe noſtro divellitur, ſive gurgitibus vorticoſis aut præruptis montium ſive ſolis ardore aut hiemis frigore defenſus, quem non virtus Tua claſſe munita penetret. Teſtem cito Grœnlandiam & remotam Indorum Ceilanen, quam anno hujus ſeculi decimo octavo claſſe viſitatam, optimarum artium prodigam ſubſequente vigeſimo ſecundo anno ſenſiſti. Ad hæc omnia nihil commoditatis reliquum, ſive litora in portus recedentia ſive porrectos ſinus commercio patentes ſive fretum illud coëuntibus terris mare incluſum premens ſpectes, quod frequentia navigantium vectigali auro fœcundius, quam Tagus ille Iberiæ aut Ganges Indiæ. Ex quo Pactoli aureos rivos in regium ærarium quotannis derivas; Ut taceam alios proventus, qui velut peremni fonte traducti quotidie exundant & perpetua felicitate regium palatium ſuſtentant. Quid memorem maria Tuo ingenio ſiccata, æquatas rupes, flumina contracta, quæ cum nihil forinſecus niſi effrænam haberent feritatem, jam ſe arte Tua victa eſſe oſtentant & gloriantur? Ubi vigorem animi in mari experiri libet, non exſpectas officia nautarum, ipſe gubernaculis adſides, ipſe fluctuantia vela colligis aut laxas, ventos captas, & jam directos ſequeris, jam reluctantes obliquata velificatione domas; mox fluctus obvia molitione frangis, mox incidis. Si quando incerta pelagi fides navigantem deprehendit, unde comites timenda leti imagine ſanguinem amittunt; Tua animoſitas imperterrita non præſtituram clamat fortunam iſtud mundo ludibrium, ut Regis animam fluctibus impendant. O vocem invicti animi interpretem! & non minus annalibus dignam, quam illa olim Imperatoris fuit, nautæ perterrefacto acclamantis: Quid times, Cæſarem vehis? Ad hæc omnia regnum, quod in terra ampliſſimum habes, in Te ordiris, hoc eſt, ſemper imperas Tibi, ne cum ceteris imperas, cuiquam amplius ſervias. Corpus plenum majeſtate, & in quo totius regni inſtar eſt, obtutu ſolo alios terret, alios invitat; qualem olim Achillem & Agamemnonem Græcorum virtus aſpexit. Summos rebus Tuis adeſſe homines ſemper voluiſti, qui conſilio & dexteritate pariter pollerent, cum ipſe tamen eodem ante omnes maxime excelleres; quales ſunt Hoegius, Roſæcrantzius, Pentzius, Thomæus, Ranzovius, Alefeldius, ut alios taceam. Atque inter hæc omnia tamen ita vivis, ut mortalitatem mature cogites ipſus omnem mortalitatem ſupergreſſus. Unde annis abhinc duodeviginti ſplendidum ſepulturæ monumentum exædificare cœpiſti, quod nulli proavorum ſarcophago loci & ſumptuum amplitudine cedit, qui non Capitolii aut obeliſcorum inſanas exſtructiones, aut cælo certantia culmina contuleris, quo ut ſerius indigeas ſubditi Tui & univerſus orbis ſupremam Numinis majeſtatem quotidie ſollicitant. Sed næ ego cum ratione deſipio, qui celſisſimam Tuam Majeſtatem tam diu morari auſus ſum, qui cæleſtem ejus dignitatem, qua omnia mortalia ſupergreſſa eſt, mortali animo æſtimo. Qua in re ſi gloriam Tuam non ſatis digne veneratus fui, ſi laudes Tuas profanus attigi, ignoſce, veniamque religioſo obſequio clementiſſimus indulge. Adumbratam enim hanc virtutum Tuarum & admirandæ felicitatis coronam non tanquam judicium exhibui, ſed æſtimans divinitatem Tuæ Majeſtatis humano ingenio, tanquam elogium publicum produxi. Unde contemplatus eminentem & cæleſtem imaginem & recte factorum conſcientiam animus ſeſe erigens inæſtimabili pulchritudine vere ſibi placeat & præſumtione optimæ famæ perfruatur. Ideoque virtutes Tuas non adſcititiis fuſcis illitas, ſed nudas, inornatas & naturali pulchritudine inſignes comprehendere earumque ſpirantem effigiem quadam animi & ſtili pictura exhibere volui. Neque enim opus eſt aliena illis quærere, quæ nativo ſuo ſplendore ſatis enitent, laudabili & fortaſſis honeſto errore eorum, qui a ſervili adulationis vitio ſunt alieni. Si quicquam deſiderari hic poſſit eorum, quibus divina benignitas vires ſuas in explenda felicitate Veſtra uſa eſt, in ea fuſius ſe NORDALBINGIA hæc noſtra diffundet, ab incremento ætatis diſertior facta & vires quaſi adſumens. Proinde jam velut in transcurſu Regiam Tuam Majeſtatem, ut aliquod Numinis ſimulacrum a fani limine & propitia huic meæ NATÆ fata quæro, eam de manu in manum eidem Majeſtati Tuæ tradens, & de meliori nota commendans. Si enim ad Majeſtatem Tuam debitum ſolutura accedit religio, politicum procumbit regimen, Indicis exoticisque mercibus locupletata properat mercatura, terra ipſa diu reconditos auri argentique effundit theſauros, immo propugnaculis & urbibus decorata patria accedit Holſatia; quidni Muſæ quoque ſereniori benignitatis Veſtræ aura ſubnixæ vota reliquis jungere Tuumque implorare favorem auderent? Quippe ea eſt, o Regum Maxime, naturæ Tuæ majeſtas & judicii ſoliditas, ut tali cumulet dignatione literaturam omnem humaniorem, ut eam ultro invites, ultro allicias: hæc vero monumenta hiſtorica adeo non ſubmoveas, ut contra ſic hactenus habeas in deliciis, in æſtimio, in honore, ut ad ipſa potiſſimum

mum reſpicias, velut ad eminentiorem Pharum, quo oneraria reipublicæ Tuæ navis per procelloſum vitæ hujus fretum dirigatur in tranquilliſſimum portum publici boni, publicæque quietis. Nam (ut prudentiſſimi ſenatoris Marci Tullii verbis utar,) unde facilius, quam ex annalium monumentis, aut res bellica aut omnis reipublicæ diſciplina cognoſcetur? Certe Alexander Severus, (ut de eo Lampridius teſtatur) ſi de re militari tractaret, maxime eos adhibebat, qui hiſtoriam norant: requirens, quid in talibus cauſis, quales in diſceptatione verſabantur, veteres imperatores vel Romani vel exterarum gentium feciſſent. In quibus ipſis ea, quæ in NORDALBINGIA cum ipſis gentis incunabulis contigerunt, a nemine hactenus æſtimata, aut ſparſim collecta, nunc per me Latii ſermonis cultu exornata, & decentis methodi veſte induta, veritate autem rerum magiſtra exaſciata, oculis Serenisſimæ Majeſtatis tuæ ſiſtuntur ejusdemque munita protectione, ſuſtentata robore, irradiata fulgore, publicum adſpectum petunt, vitam ſibi a Majeſtate Tua ſperantia, quam priſcis virtutis Holſaticæ ruderibus heroumque in his oris neglectis trophæis promittunt. Si enim excelſis animis, nihil unquam majus & divinius viſum, quam æternitati famæ nomen inſerere & conſecrare, ejusque incredibili cupiditate incenſæ illuſtres & ſublimes animæ aſpera quæque & gravia perferre, ipſam denique animam hoſtili dexteræ debere minime dubitarunt; quis non videt, me vero & legitimo pretio labores & ſtudia mea æſtimaſſe, dum certam manſuræ gloriæ ſpem manibus patriæ animis & eorum Ducibus libo & deſtino? Ita ſperare & ominari me jubet gentis celebritas, & præclarorum factorum ſublimitas. Quippe ſic plane miraculoſo Dei auxilio ſublevata ſemper & munita fuit præſidio, ſic quoque hodienum extra communem ordinem beatur & ſervatur, ut contra naturæ ipſius morem cuncta in ſenium vergentia hebetantis ac fatigantis NORDALBINGIA noſtra ab eadem illa ætate & opes ducat & animos, transformata rurſus in novam juventutem, quæ explorata per adverſa, per ſecunda, quaſi duplici vi labori ac conſtantiæ ita ſuam adprobavit magnanimitatem, ut multorum populorum conſenſu audiat Saxoniæ ſuæ unio, Germaniæ ocellus. Quam ſupremi Numinis faventiam ſic ambabus excipit manibus, ſic obviis amplectitur ulnis, ſic grato fovet ſinu, ut eam mereatur propriam perpetuamque. Macte hac gente, macte hac Tua, Rex Potentisſime, NORDALBINGIA noſtramque ipſi impenſam opellam clementiore favoris libra expenſam benigniore ſuffragii calculo adproba, novasque huic homini ſpiritus & vires a Clementia Tua inſpira, ut in incepto ſtudiorum Philologicorum & Theologicorum ſtudio & ſtadio, quamvis faſtidioſo hoc, & ingrato ſeculo omni miſſione ejurata pergat ad candidam calcem. Nos qui e literarum iſthoc otio hoc ſolatium ſolum petimus, ut nihil a Majeſtate Veſtra hoc tempore, quam ſincerum laborum noſtrorum æſtimium exſpectemus: in iisdem laudum ve-

de Weſtphalen Monum. ined. Rer. Germ.

ſtrarum coronam, gloriæ templo, velut votivam tabellam dedicamus, ubi tam diu ſuſpenſa hærebit, donec nova ſuccreſcens laurus ei ſuccedat. Interea quam nulla temporum fuga delere, nulla ætatis injuria obſcurare, nulla poſteritas carpere poteſt; illi annorum ſequentium (ſi qui in poſterum futuri ſunt) ſeries, ſemper aliquid ad ſplendorem & æſtimium conferet. Cui rei ut benignior naturæ Tuæ Majeſtati æquas vires & firmos lacertorum toros largiatur, ne deſerta animoſitas virium auxilia fruſtra deſideret, donec Te terris ad tempus commodatum cæli patrii recipiant, ſubditi Tui & univerſus orbis precantur, quos inter me licet numeres loco infimum, at cultu obſequioque primum. Dabam Brunopoli Veſtræ Anno clɔ Iɔc XXXVI. poſtridie Nonarum Septembrium.

Veſtræ Sereniſſ. & Potentiſſ.
Majeſt.
humillimus & devotisſimus
ſervus
LAMPERTUS ALARDUS,
Guilielmiades.

Ad LECTOREM.

MIraberis forte, humaniſſime Lector, quod ego homo Theologus extra limites quaſi vocationis meæ progreſſus hiſtoriam ſcribam, & illam, quæ eſt patriæ, magno cum primis ſtudio collectam cum aliis ejus generis monumentis in publicum proferam. Nec enim dubito, quin multi hoc ſtudium, velut jam olim alia in humanitate & polymathia mihi poſita, ſint calumniaturi; quibus bilis movetur, quoties me vident præter poſtilla aliquid ſapere. Et ſane ſi ego tempus, quod meditationi rerum divinarum debeo, in ſtudia humaniorum literarum conferrem, culpa fortaſſe non vacarem. Quamvis quæ vera & ſolida rerum Theologicarum ſcientia absque linguarum & hiſtoriarum cognitione haberi poteſt? Nonne cortice veſcuntur & vitrum lambunt, qui ea ipſa deſtituuntur, nuclei ipſius ignari? Sed quando non aliis horis hæc ago, quam quibus alii otiantur vel in mundanis deliciantur, nec alium in finem, quam ut fugitivæ antiquitati gratam me præſtem ſobolem patriæque ruderibus vitam & populorum trophæis meritum honorem diſtribuam: quis eſt tam impudens, qui alacritatem ingenii mei aliorum deſidiæ poſtponat, vel voluntatem patriæ inſerviendi (cui tamen nati ſumus) reprehendat? Si enim nihil homine libero indignius videtur, quam ſi geſta ſuæ ætatis aut gentis ignoret: profecto nil ei glorioſius aut conducibilius fuerit, quam ſi inclutis quibusque in nationibus obſervarit res ab ætate ſua remotas aut ævo ſuo geſtas. Fecere id apud Ægyptios ſacerdotes; apud Perſas Magi, apud Indos Brachmanes. Græcorum autem ſapientia, quamvis alias celebratiſſima, cum hac in parte Solonis adhuc tempore deficeret; eos propterea Ægyptius ſacerdos ſemper infantes ajebat. At quos ille tum infantiæ arguebat; hi ſucceſſu temporis

ante ætatem evaſerunt ſenes grandævi. Nam multi poſtea ea in gente morituram antiquitatem revocarunt longeque in illa plures ſingulis exſtitere ætatibus, qui res proderent ſui temporis, quam apud alios alii longis ævi intervallis. Neque minus Theologis opera Dei varia in dirigendo rerumpublicarum regimine & ordinanda temporum viciſſitudine ſunt propoſita, quam aliis quibuscunque hominibus, ut iis trutinandis bonitatem Dei magnifacere, potentiam metuere, ſapientiam admirari diſcant & eam poſteris commendent. Hinc in bibliis non ſolum univerſales temporum ſupputationes cum adſignatis rebus geſtis traduntur, ſed & peculiarium chronicorum mentio fit a ſacerdotibus conſcriptorum & in gratiam poſteritatis adſervatorum. Sic 1. Paralipomen. 29. v. 29. libri hiſtorici non ſolum Samuelis videntis, ſed & libri prophetæ Nathan atque volumina Gad videntis laudantur, in quibus univerſa regni Davidici & fortitudinis temporumque, quæ tranſierunt, ſub eo commemorantur. Ita laudantur 2. Paral. 9. v. 29. verba hiſtorica prophetæ Nathan, quibus omnia opera Salomonis priorum & noviſſimorum temporum conſignata fuerunt. Verba Semeiæ proph. & Addo videntis diligenter expoſita de Roboami primis & noviſſimis introducuntur 2. Paral. 12. v. 15. ſermones videntium in genere referuntur 2. Paral. 33. v. 19. Taceo jam Theologos omnium temporum proximiores, quibus unicum hoc & laudabile ſtudium poſt officii curas ſcribere hiſtorias, componere annales, perpetuare res hominum geſtas. Quis ergo hodie mihi vertet vitio, ſi idem in veteribus NORDALBINGIÆ noſtræ monumentis attentem, niſi qui calumniandi libidine potius, quam ſani judicii rectitudine diſtinetur? Quibus ego quidem ut illiberalibus ſtudiorum æſtimatoribus ob literatum otium, an negotium, vapulo; ſed quos ego ob deſidiam dicam an ruditatem nullius aſſis facio. Malo enim invidiam hominum, quam miſericordiam. Iccirco animam contra ſtentoreas eorum obtrectationes jam dudum obfirmavi. Illi hoc vel illud invenient quod reprehendant; at ego, quæ reſpondeam. Tu autem, benevole Lector, quisquis es, cui extra patriam ſtudia mea non improbantur, laborem hunc a manu mea accipe, & ſi quem inde fructum perceperis, Deo primum, deinde animo Tui ſtudioſiſſimo commodisque Tuis inſerviendi paratiſſimo adſcribe. Si autem quicquam rerum geſtarum in hac vel illa patriæ familia deſideraveris, non ſtudio meo, ſed impetrandi difficultati imputa. Quod ad votum, ſi quid ego impoſterum conferre potero, non patiar vel fidem vel induſtriam in me deſiderari. Interim hæc habe hactenus, & Alardo Tuo, quod facis, fave, a quo propediem Pathologiæ N. T. continuationem & Harpocrationis Lexicon cum Commentario habebis, ſi tamen explicationes in epiſtolas dominicales præceſſerint, quæ jam abſoluta, typothetæ manus Jhenæ expectant. Vale & æternitatem veram cogita.

Ad reverendum, clariſſimum, & excellentiſſimum virum Dn. LAMPERTUM ALARDUM Phil. Mag. Poet. Laur. Cæſ. & Paſt. Brunopolitan. Philologum, Polyhiſtorem & Theol. præſtantiſſimum.

PHœbi voluptas, Lux decusque Muſarum
ALARDE, quem ſublimibus potens Fama
Tollit veredis per ſerena Parnaſſi
Sioniique templa collis, æternæ
Cinctum decore frondis: ecquid ut quondam
Memor Bulæi priſtinas alis flammas
Virtute ſuccenſas & eruditarum
Ab artium calentioribus tædis?
An abditus ponto ſoloque Dithmarſo
Tibi canis Deoque conjugem curans
Dulcesque liberos, parum movens rerum
Sortem mearum Lipſiæque vaſtatæ?
An inter umbroſum latens jugum Pindi
Aut ſqualidum ſitu repertus autorem
Canasve Nordalbingiæ vetuſtates
Et horridas ab inferis cies barbas
Ævi magiſter temporumque corrector?
Aut entheis flagrans amoribus, ſanctos
Pangis calores, queis amas tuum Jeſum
Melliginem nectarque cordis ardentis?
Aut Muſicam qualis fuit doces priſcis?
Aut plurium eruis reperta librorum?
Aut ævitate Semones honoratos
Inſculpis, erudita dona miratus,
Queis literario ſuperbiunt orbe?
Aut ex amicis hunc & hunc & hunc docto
Sonare plectro pergis, atque fortasſis
Illic nec ultimam tenere me ſedem
Ut aſſolebas ante, plenus ingentis
Jubes Amoris? ob meam tibi vitam
Nomenque debeo: Quid ergo Tu noſtri,
Quid immemor ſis? Ante deſines Muſas
Charitilla me perire, quam Tuo labar
ALARDE vultu, tu meo relabaris.
O & Voluptas melque Corque BULÆI.

CHRISTOPHORUS BULÆUS. S. S. Theol. Doct. Epiſcopatus Miſnenſis Superint. Paſtor. Wurzenſis Conſiſtoriique Aſſeſſor ibidem.

Aliud ad eundem.

LAMPERTE, Aonidum lampas, vir debite Muſis
Qui nunquam vitæ tempus inane teris.
Sed mox Germani Latiique poëmata pangis,
Nec minus Ebræi Cecropiique ſtili.
Mox ſenſu illuſtras Phryxæi velleris auſus,
Quos retulit doctis Flacca Camoena modis.
Aſt mox ſalvifici cæleſtia ſemina vulgas
Eloquii atque Novi fœderis omne pathos.
Mox veterum fuerit quæ Muſica ab ore diſerto
Eque ſchedis variis lecta reperta doces.
Lexica mox Graii ſermonis in ordine ſtipas,
Quæque Harpocraticon liquit, ab arte polis.
Nec diræ invidiæ livente moveris ab œſtro,
Vela velis genii quo properare retro.
Perge tuis, Frater, doctis inſueſcere Muſis
Et ſervire homini, ceu facis, atque Deo.

Jamque

Jamque tua auſpicio ſe Nordalbingia fauſto
Conjungat reliquis, non moritura, libris.
Si phthonus oſtendet genuinum, oratio franget,
Quæ tibi de volgi ſcripta calumnia agit.
Crede patrocinium patriæ pater ipſe parabit,
Jure cui merito Muſa dicavit opus.
Fata Tuis indulgebit quoque mitia Muſis,
Ut cœptum posſis perpetuare ſophos.

JOHANNES NIFANIUS
Phil Mag. Paſt. Marn. Canonicus Sleſwicenſis & Conſiſtorii Meldorfienſis adſeſſor.

In hortum hiſtoricum

Viri admodum rev. piisſiimi & excellentiſſ.
DN. L'AMPERTI G. F. ALARDI
Phil. Mag. & Poët. Laur. Cæſ. Paſt. Bron.
Amici intimi.

PRædeceſſori fuit excultisſimus hortus,
Sic fama paſſim commemorante, tuo.
Et Davidiadæ fuit Alcinooque Cyroque
Hortulus, Elyſiis æquiparandus agris.
Hortos Heſperidum quisquis reputabit, ovabit
Auricomi fructus, quem peperere, memor.
Nec minus exſiliet bifidi viridaria paſti
Qui contemplatur florida mentis oclo.
Sed Tibi, Alardiade, multo eſt inſignior hortus
Judicio veri ſic ſtatuente Sophi.
Hiſtoricus labor & liber iſte paratus, & abs te
Ornatus pulchre ſcilicet hortus is eſt.
Verborum rerumque meris hic floribus halat,
Lilia, qui vincunt qui ſuperantque roſas.
Queisque vel ipſius Floræ dictamine cedunt
Caltha colore ſuo, Nardus odore ſuo.
Tales iccirco flores quicunque cupiſcit
Colligat ex horto, me monitore, tuo.
Aurea deinde volens decerpere poma, ſalutet
Hortum, quem dico, & aurea poma leget.
Omnigenas ſortis formas utriusque docentes,
Quæ facienda bona & quæ fugienda mala.
Denique cordiprema curarum mole gravatus
Eximie refici ſi quis homullus amat.
Hunc iterum introëat celeri pede protinus hortum,
Sit licet exanimis, vivificandus erit.
Divorum adflatu, qui repperiuntur in illo
Adjuncti Charitum Theſpiadumque Duci.
Ceu alios inter ſunt facundisſimus Arcas
Candor, pura fides, Suada, Minerva, Venus.
At nos pro tanta fabrica tam nobilis horti
Quæ conſecremus præmia, Adelphe, Tibi?
Scilicet optamus picto ridentis in horto
Fortunæ vivas ſecula Neleidis.
His lapſis vireas cæli ſtellantis in horto,
Hortulus ipſe Dei floſculus ipſe Dei.

JOACHIMUS RACHELIUS
P. Laur. Cæſ. & Archi-Diaconus Weſſelborei Dithmarſorum.

Epigramma ad eundem.

QUi vetus atque novum potis depromere Paſtor,
Oeconomus Chriſti judicio bonus eſt.
Tu Gulielmiade præſtas me judice id ipſum
Hiſtorias veteres hiſtoriasque novas:
Sacras non ſacras large promendo: Quis ergo
Oeconomum te non diceret eſſe bonum?
Scilicet, Oeconomus Chriſti es bonus, atque capeſſes
Oeconomi Chriſto præmia dante boni.
Subdubitas? dubii velum removeto nigellum,
Sic etenim: MERCES ſum tua magna, ſonat.

Idem qui ſupra.

In Momum anagramma e nomine Autoris.

LAMPERTUS ALARDUS:
Arte amplus duras.

ARte amplus duras in ſeræ tempora vitæ
Neſtoreos ſuperant & Tua ſcripta dies.
Momus ad hoc quid, tonſor equi? ſtupet, oſcitat, odit.
Nempe Tuos neſcit Neſapa ferre dies.

AUGUSTUS BULÆUS,
Miſnicus S. S. Theol. Cult.

* * *

In Nordalbingiam Polyhiſtoris excellentisſimi Dn. LAMPERTI ALARDI, Phil. Mag. Poet. Laur. Cæſ. & SS. Theol. Lic.

CRantzius Arctois manſura volumina terris
Edidit Hammonii fama ſecunda ſoli.
Hinc immortalem ſibi nomine reque coronam
Crantzius eſt meritus Cimbricus Hiſtoricus.
Quid tuus hiſtoricus labor & liber ille meretur?
Florida ſerta ſoli, florida ſerta poli.

F. JO. ELFRINGIUS
P. L. Cæſ. Paſtor Steinmarn. in territorio Ritzebuttel Senior.

SECULUM PRIMUM ANNI SEPTINGENTESIMI.

TOtus ille *terræ tractus* (1) qui incluſus eſt inter Albim & Eidoram fluvios, a veteribus appellatus eſt Nordalbingia, quatuor continens principatus, Wagriam, Stormariam, Ditmarſiam & Holſatiam. Wagria *ad orientem* (2) a mari Balthico per Lubecam uſque

Nordalbingiæ vet. deſcriptio & limites.

(1) Eadem paucis mutatis vid. apud *Henning. Theatr. genealog.* P. *III. Tom.* 2. *p.* 243. *ſqq.*

(2) Wagria tunc omnis iſte tractus erat, qui inter Travam, Sualam & Stentinam amnes, deinde a ſeptentrio-

que ad Albim extenditur. Stormaria ab Albi versus austrum, & Bilenam initium habens per Storam fluvium ab Holsatia separatur. Dithmarsia ad occidentem mari magno clausa Holsatiæ ad latus adhæret. Holsatia vero mediterranea est, & a Wagria, Stormaria, Dithmarsia, & Sleswico cincta, in Eidora fluvio terminatur. Slesvici Ducatus Holsatiæ versus septentrionem adjacens olim Jutia australis dictus est, qui inter duo maria Orientis, & Occidentis 12. milliaria Germanica complectitur, & ab Eidora usque ad pontem Coldingæ in 20. milliaria se extendit. Hisce principatibus *Crantz. Sax. lib. 7. cap.* 40. addit Ratzeburgensem; de quo ille videri potest. Adde *lib.* 8. *cap.* 15. *lib.* 5. *cap.* 27. Hanc Nordalbingiam Crantzius lib. primo Saxoniæ suæ scribit fuisse ab omni ævo Saxoniæ annumeratam, atque in quantumvis gravissimis Danorum & Wandalorum incursionibus limitem Daniæ atque Teutoniæ permansisse idolorumque cultui studiose deditam fuisse usque ad Carolum Magnum. *Sax. Crantz. lib.* 5. *cap.* 27. Describentibus ergo historiam veterem Nordalbingiæ ab ejus tempore ordiendum est, quia superstitiosi Saxones ante Caroli M. tempora barbariei subjecti litteris nihil mandarunt, quod de Nordalbingia ad posteros pervenire potuisset, fastos & annales condere inepti.

Saxoniæ pars fuit.

Ao. 739. Saxones subjugati & ad fidem Christianam adacti.

Anno Christi 718. Carolus Martellus Dux Brabantiæ, & tutor ac major domus Theodorici IV. regis, cœpit grave illud & diuturnum bellum Saxonicum contra Dietericum, avum Witekindi, regem Saxonum, ad cogendos dæmonicolas Saxones sub fidem Jesu Christi, subjugavitque illos circiter annum 739. quo Beda Anglus Doctor obiisse scribitur 31. Maji. Anno 741. II. Cal. Nov. discessit Carolus Martellus, cum regnum a nobilibus oblatum recusasset, cujus filius Pipinus dignitatem paternam decennio administravit in Galliis. *Chron. Philippi.* Anno 751. Pipinus Martelli filius, Dux Brabantiæ, succedens Hilderico stupido Gallorum regi & a S. Bonifacio unctus (qui postea a. 755. d. 5. Junii occisus est in Frisia) hoc bellum continuavit, imponens victis Saxonibus tributum 300. caballorum a. 758. juxta *Lambertum Schafnaburgensem.* Chron. Philippi Melanchthonis. Anno 772. Witekindus, Saxonum rex, uxorem habuit sororem Sigefridi, Daniæ Regis, ex qua Witpertum filium genuit. Anno 773. Carolus Magnus inchoavit Saxonicum bellum, fugatis Saxonibus, ad fontes Lippiæ amnis, unde in Italiam discedens regnum Longobardorum, Desiderio sublato, occupavit. *Chron. Phil. Mel.* Anno 774. Carolus Magnus, Pipini filius, regni sui anno sexto Saxonicum bellum feliciter perfecit, devictisque hostibus suis ad Osnabrugum ingressus Saxonicam arcem Syburch cepit idolumque Irmensul in Mersburg subvertit, arcem vero Eresburg a Saxonibus eversam munivit & proximo anno reversus Saxones multos baptizari præcepit. Anno 777. Carolus Magnus rediens, cum omnes principes juberet convenire, Witekindus primarius Dux pro contrahendis auxiliis fugit in Daniam ad affinem Sigfridum. Carolus occupavit interim Angriam, præcipuam Witekindi arcem, & constituit in Osnabrugo primum genti Episcopatum. (3) *Sax. Crantz. lib. 2. c.* 10. 11. Anno 778. Carolus Magnus cum Saracenis in Hispania bella gessit, a quibus prælio victus cæsus est cum patre Milone Rolandus, Caroli ex sorore Berta nepos, cujus statuæ ubique in Saxonia visuntur. Rebellans itaque Witekindus auxilio Danorum vagabundus usque ad Rhenum penetrat, ad quem reprimendum Carolus cum exercitu reversus in arce Hartesborch idolum Crodo (quod Saturnum fuisse putant) subvertit, & fœdera inter principes Saxoniæ fecit ordinato episcopo in Salingstede, quæ nunc dicitur Osterwyk, unde postea episcopatus in Halberstadt est translatus. Anno 781. Carolus ex Italia reversus expeditionem in Saxoniam rebellantem iteravit, inque castello Magdeburg ad Albim subvertit fanum Drusi & Germanici ducum Augusti (quod idolum fuisse putant Veneris vel Charitum ex tribus conjunctis puellis conflatum) Carolo autem vix in Galliis constituto Witekindus iterum se opposuit. Anno 782. Witekindus legionem Caroli relictam in loco Sundthall delevit, & in 85. annum rebellis permansit, cæsis tribus Caroli ducibus, & aliquot discipulis S. Willehadi in Saxonia docentibus Christum. Quam stragem ulturus movit exercitum in Saxoniam, sed Witekindo se occultante, rebellium 4500. gladio percussit, constituto Paderborni novo episcopatu, & filio Carolo cum exercitu ad præsidium relicto, qui anno sequente 783. Witekindum feliciter ad Paderbornum oppressit, & aliquot præliis victos Saxones quiescere coëgit. Anno 785. Carolus octava vice Saxoniam visitans fide publica evocavit in Bardewik Witekindum Saxonem, & *Albionem Holsatorum*, (4) principem, eosque per quendam aulicum suum adductos sua mansuetudine ad baptismum & firmam amicitiam inclinavit, susceptosque in grati-

Ao. 774. Irminsula destructa, Christiana religio promota.

Ao. 777. Witekindo ad quærenda auxilia abeunte

Episcopatus in Sax. primus Osnabrugæ instituitur.

Ao. 778. Witekindus rebellans repressus,

Ao. 781. iterumque

Ao. 782. legio Caroli cum doctoribus quibusdam Christianis prostrata; binc Saxonum strages.

denuo oppressi.

Ao. 785. Witekindus Saxonum & Albion Holsatorum principes baptizati.

ne & oriente mari Balthico Lubecam usque concluditur: quæ terra nostra ætate magnam Holsatiæ partem constituit. Nam Lubecam, Sægebergum, Odesloam, Plœnam, Niestadium, Lutkenburgum, & Altenburgum complexus est, Bangert. in not. ad Helmold. L. I c. 12. p. 34. citat in Evermot. chronic. Episcop. Aldenburg. a Paulino edit. in syntagm. rerum German. p. 137. de Wagria prolixe. Danckwerth. Holst. Chron. p. 195. Nordalbingiam Saxoniæ annumeratam. Saxones hos (Nordalbingos) fuisse & ante Caroli M. Imp. tempora has regiones possedisse ex Ptolemæo quoque constat, qui in cosmographicis suis tabellis Saxones in dorso Cimbricæ Cherssonesi collocat. *Henning. Theatr. geneal. P. III. Tom.* 2. *p.* 243.

(3) Anno 776. Wilhadus Anglus, Saxonum borealium & Holsatorum apostolus a Carolo M. primus in hasce transalbinas oras missus est fidem de Christo cœcis gentibus prædicaturus. Hic ipse Wilhadus basilicam Bremensem ex ligno ædificari curavit, quam deinde successor ejus Willichius ex lapide coctili parari fecit. Itzehoënses Willichius hic etiam in confiniis atque in Dithmarsia Evangelium docuit, ecclesiamque Milientorfensem sive Meldorpensem sæpius visitavit; Itzehoa vero tum temporis nondum fuit exstructa. *Andr. Hojer. Conc. p.* 38.

(4) Patruelis Witekindi Albion qui Nordalbingiam tamquam patrimonium suum possederat, fidem Christianam suscipiens in eadem a Carolo confirmatus est. *Hennig. Theatr. Geneal. P. III. Tom. II. p.* 243.

gratiam ipſe ſuis manibus Witekindum de baptiſmo honoris gratia levavit. Anno 788. Carolus Bremenſem eccleſiam erexit, ut eſſet ſuffraganea Colonienſi, in quam epiſcopus ordinatus eſt Willehadus Anglus, qui multis jam annis evangelium in maritimis Saxoniæ locis docuerat: atque tum demum Saxonia ſubacta & in provinciam redacta in octo Epiſcopatus eſt diviſa: *Sax. Crantz. lib. 2. c. 14.* cf. *Schafnaburg.* Anno 789. Carolus primus exterorum principum Albim cum exercitu tranſiens, accepit in fœdus Megalopolenſes. *Wand. lib. 14. c. 33.* Anno 790. Carolus domuit Wilſos Wandalos (qui nunc Stetinenſes) factis duobus trans Albim pontibus, inde venit ſequente anno in Nordalbingiam, evertens in oppido Hamburgo idolum Hammonis Jovis, & hoc eodem tempore in media Weſtphalia in loco Mymingrode fundavit epiſcopatum, qui nunc a monaſterio dicitur Monaſterienſis: alium præterea in loco Kinutede, qui poſtea translatus eſt in Verdam. Witekindus converſus permiſit Cæſari ad Viſurgim arcem ſuam, ut in eo firmaret epiſcopo locum, unde Myndyn dicta eſt, quæ eccleſia intra muri ſepta fundata eſt. *Sax. Crantz. c. 16.* Eo tempore cum Carolus Nordalbingos ſubjugaret, & Hamburgum vaſtaret, fuit Hamburgum unicum Nordalbingorum præſidium, (qui Nordalbingi tunc Holſati & Stormari præcipue ſunt dicti,) unde ſe contra Wandalorum & aliorum hoſtiles incurſiones defendere ſunt ſoliti, ut ex bulla Papæ Nicolai, qui tempore Ludovici XI. vixit, patet; in qua ponitur caſtellum, Hamburgum ſedes Nordalbingorum, ut Thracigerus Hamburgenſium chronologus fatetur. Anno 794. Carolo cum Saracenis bellum gerente Saxones invito Witekindo deficiunt, quos per Duces ſuos anno 95. acceptis obſidibus ſedavit, Hadelerios quoque anno 96. rebellantes ipſe victis jam Saracenis domuit, fixis caſtris ſuis in loco maritimo Carlſant. Anno 794. celebrata eſt Synodus ſub Papa Hadriano, & Willerico epiſcopo Bremenſi ac Barthardo doctiſſimo Abbate Herveldenſi in urba Frankofurda ad Mœnum, in qua damnata eſt hæreſis Feliciana cujusdam Felicis, qui docuit Chriſtum ſecundum humanam naturam non eſſe verum Dei filium, ſed adoptivum. *Schafnaburg. & Chron. Chytr.* Anno 796. Carolus poſt obitum Albionis dedit Holſatis Uthonem præſidem, qui in Hamburgo munitionem ædificavit ibique habitavit. *Chr. Holſ.* Anno 798. Transalbini Saxones (ita vocati ſunt Holſati, & Stormari) præfectos Caroli obtruncarunt & Wandalis Obotritis Cæſari fœderatis arma intulerunt, ſed a duce ipſorum Traſicone victi & cæſi ſunt ad 4000. Holſatorum, *Sax. Crantz. c. 18.* quando Carolum a Godefridi Danorum regis claſſe irritatum in Nordalbingiam veniſſe ſcribit *Chytræus* in *Chronicis.*

Ao. 788. Adelhadus Brem. epiſcopus.

Saxonia provincia facta.

Ao. 789. Megapolenſes Carolo fœdere junƈti.

Ao. 790. Carolus M. ad Nord-Albingos penetrans.

Monaſter. & Mindenſis epiſcopatus.

Ao. 794. Saxones deficientes domiti.

Ao. 794. hæreſis Feliciana in ſynodo Erfurt. damnata.

Ao. 796. Utho Holſatis præfectus Hamb.

Ao. 798. Transalbini Sax. re-

fractarii compreſſi.

SECULUM SECUNDUM
ANNI OCTINGENTESIMI.

ANno 801. Carolus fundavit & ædificavit templum cathedrale in vico Hamburgenſi. (5) Anno 804. Holſatis motus continuantibus Carolus jam in quartum annum Cæſar bellique pertæſus miſit exercitus, qui XIII. expeditione transtulit decem millia Transalbinorum in Franciam (qui deinde Brabanti & Flandri vocati) pagoſque eorum dedit habitandos Obotritis, quo tempore contra Carolum venit Gotfridus Danorum rex in Sleſwicum limen regni ſui, ſed cum a proprio filio ob matrem repudiatam occiſus eſſet, bellum quoque Normannicum eſt finitum. (6) Anno 810. Pomerani Wandali Hamburgum funditus vaſtarunt, pulſo inde Cæſaris præfecto Otthone, ſed anno proximo reſtauratum eſt & juſſu Caroli impoſitum Albi flumini caſtellum Hohenburg contra Danos & Wandalos. *Schafnaburg.* Miſſus quoque eſt illuc ſacerdos Eridagus, ut habitaret in Hamburgo quaſi metropoli Danorum & omnium Slavorum, & Holſatia facta limes Romani imperii, qui ab Auguſto Cæſare Albis fuerat (7) *Sax. Crantz. c. 19.* Anno 814. Carolus Magnus obiit Aquisgrani d. 28. Jan. anno ætatis 71, imperii 46. circa quæ tempora Witekindus bello Suevico conſumtus ſcribitur, relicto Saxonibus filio Wigberto, qui pacata jam Saxonia adeo factus eſt devotus, ut Romam profectus ſanctorum inde reliquias in Wilderhuſen tranſtulerit collegio ibidem exſtructo. Anno 825. Ludovicus pius Cæſar Epiſcopatum in Hildesheim conſtituit, & S. Anſcharium patrem Corbejenſem in regalem ſuam Abbatiam ejusdem nominis ad Viſurgim translatum miſit regi Haraldo, nuper per Saxones in Daniam reſtituto, doctorem verbi divini dato ipſi collega Gandberto, qui primi fuere Danorum & Suecorum concionatores, multos ab idolomania gentilium convertentes. *Crantz. c. 25. 26.* (8) Anno 830. Henningus Danorum rex cum Ludovico pio fœdus pacis juramento confirmavit, & mox cum Haraldo Sueco a Wandalis Vinetis factione civili diſſidenti-

Templum Hamburg.

Ao. 804. Transalbinorum inquietorum in Franciam translocatio;

quibus Obotriti ſubrogati. Gotfridus Dan. R. Carolum Imp. oppugnans a filio obtruncatur.

Ao. 810. Hamburgum a Vandalis vaſtatum; hinc caſtellum ibi exſtructum. Holſatia limes R. I. facta.

Ao. 814. Carolus M. obiit itemque Witekindus; ejus filius ſucceſſor valde religioſus.

Ao. 825. Epiſcopatus Hildeſ.

Ansgarius in Daniam miſſus.

Henningi R. Dan. cum Ludov. Imp. fœdus

---

(5) Anno 801. Cæſar Carolus M. Hamburgenſes ad fidem Chriſti convertit, primumque eccleſiam Chriſtianam, Baſilica quæ dicitur, ibi fundavit. *Jo. Mull. in præfat. Luth. defenſo p. 2.* Anno 802. Carolus M. Holſatos e regione ſua in Brabantiam ire juſſit. *Spangenb. Chron. Mansfeld. f. 80. b.*

Itzeboa caſtellum.

(6) Anno 809. Carolus M. Itzehoam, quæ primum Eſſehoë ſeu Etzehoë in loco tunc temporis Eſſefeld dicto, Storæ fluvio vicino ut propugnaculum contra gentes Danicas & Wandalas exædificari curavit, moxque antiquis incolis ad certum tempus in Galliam deductis inhabitari conſtituit Comiti Eggebrechto ſedem hanc tradens committensque. *Hojer. conc.*

(7) Wigbertus filius Witekindi poſt patrem defunctum A. C. 807. rexit ditionem Nordalbingiæ annos 18. *Henning. Theatr. Geneal. Part. III. Tom. 2. p. 243.*

(8) Anno 829. Ansgarius natione Friſius Monachus cœnobii Corbejenſis juſſu Ludovici I. Itzehoæ & in circumjacentibus oris docuit; dictus primus Nordalbingenſium epiſcopus. Eo tempore templa & cœnobia in hiſce terris ædificari cœpta, prouti Ansgarius baſilicam Ripenſem & cœnobium virginum in Preze exſtruxiſſe ſcribitur. *Andr. Hojer. conc. p. 39.*

Cœnobii Prezæ initia.

dentibus ſollicitatus contra Saxones concives, delevit junctis armis VVinetam maximam Europæ civitatem in oſtio Oderæ ad mare Balthicum ſitam, unde poſtea emporium celeberrimum VVisbue excitatum creditur. *Wandalia Crantz. lib. 2. c. 20.* Anno 833. Ludovicus Cæſar presbytero Eridago exſtincto fecit Anſcharium primum Hamburgenſium epiſcopum jurisdictione ejus extenta usque in Demmyn VVandaliæ, qui circumquaque multos gentiles convertit & in primis Ericum regem Danorum perſequentem Chriſtianos ad fidem Chriſti adduxit, atque per hunc eccleſiam Ripenſem & Sleſwicenſem ædificari curavit, in quibus ipſe verbum Dei docuit & in Slya multos homines baptizavit, deinde pergens in Sueciam Olaum regem convertit ac baptizavit, Jacobum cognominans. *Chr. Holſ. p. 7.* Anno 839. Ludovici tempore ſacerdotes coacti ſunt deponere cingula aurea, & omnia ornamenta pellicea. Anno 840. Ludovico primo pro Cæſare nuper defuncto & filiis de regni diviſione digladiantibus Normanni Dani duce Sivardo Friſios tributarios fecerunt, hac de cauſa, quod apud illos Haraldus, quem regni hoſtem putavere, moraretur: cumque per Albim aſcenderent, Hamburgum ſecunda vice deſtruxerunt, incenſis eccleſiis cum bibliotheca, Anſchario pæne nudo evadente. *Sax. Crantz. l. 2. c. 27. Sax. Gramm. l. 9. fol. 93.* Anno 841. & circa ea tempora imperavit in SaxoniaVValbertus filiusVVigberti fine prole defunctus, cui ſucceſſit Ludolphus Brunonis filius. *Chron. Holſat. fol. 12.*(9) Anno 849. Ludovicus ſecundus Cæſar permiſſione pontificis Nicolai ſecundi, unionem fecit Bremenſis & Hamburgenſis eccleſiæ, conſtituit Anſcharium (ſede ſua pulſum & in Ramesloh a ſe fundato jam diu exulantem) primum archipræſulem. Anno 853. fame & peſte ingens hominum multitudo periit, & in Galliis parentes liberos ſuos impavide devorarunt. Anno 861. Bruno III. dux Saxoniæ, Ludolphi filius, VVidekindi abnepos, & Henrici Aucupis patruus, condidit urbem Brunſwigam. *Sax. Crantz. c. 31.* Anno 865. S. Anſcharius pie obiit, cum tandem abrogari procuraſſet ethnicam iſtam conſuetudinem vendendi homines ad ſuorum idolorum Prone & Radegaſt ſacrificium VVandalicum in Holſatia, patronus inde dictus egenorum piorum. *Chr. Holſ. f. 4.* Anno 876. Ludovico II. Cæſare mortuo, qui Normannos fortiſſime ſemper repreſſerat, irruerunt Dani in Holſatiam, ſub Gormone Danorum omnia ferro igneque vaſtantes. Hamburgum tertia vice everterunt & transmiſſo Albi Lunæburgenſem ditionem turbarunt eccleſiis ubique dirutis, quibus Bruno III. Saxonum Dux, Ludolphi filius occurrens cum octo epiſcopis & duodecim comitibus ad unum cæſus occubuit in Ebbeckſtorff Lunæburgenſis ditionis, quorum corpora tam principum, quam militum nudata dignoſci haud potuerunt, & condita ſunt in cœnobio virginum. *Sax. Crantz. c. 31.* (10)

Vineta deſolata.

Ao. 833. Eridagus epiſc. religionis Chriſt. ſtrenuus promotor,

eccleſia Ripenſ. & Slesvic ſtructa,

Olaum R. Suec. baptizavit.

Ao. 839. Sacerdotum quædam ornamenta abrogata.

Friſii Danis tributarii fiunt.

Hamburgum denuo deſtructum.

Ao. 841. Bruno Sax. princeps.

Ao. 849. Eccleſiis Brem. & Hamb. unitis archipræſul præficitur Anſcharius.

Ao. 853. Fames & peſtis.

Ao. 861. Brunſvigæ primordia.

Ao. 865. S. Anſcharius obit abrogatis victimis humanis.

Ao. 876. Dani invadunt Holſatiam vaſtantes Hamburgum ceteraque crudeliter. Bruno Sax. D. & comites ad unum omnes cæſi.

SECULUM TERTIUM
ANNI NONGENTESIMI

ANno 919. Cunrado I. Franco Cæſare mortuo Dani vice quarta Nordalbingiam vaſtantes Hamburgum deſtruxerunt Chriſtianis miſerabili ſtrage ubique cæſis. *Chron. Holſ. fol. 8.* Sed cum Saxoniam invaderent, maximo prælio fuſi & prorſus contuſi ſunt a Reginberno Comite de Ringelheim, *Sax. Crantz. lib. 3. c. 3.* cujus neptem ex fratre poſtea Henricus Cæſar duxit. Anno 920. Henricus Auceps Cæſar filius Ottonis Saxonis (qui frater fuit Brunonis cæſi a Danis, & nepos Arnulphi Cæſaris ex filia) ordinavit ſacellanum ſuum *Unni* Archiepiſcopum Hamburgenſem, qui profectus eſt in Daniam ad Haraldum V. regem atrociter Chriſtianos perſequentem, convertitque ſummo periculo filium ejus Haraldum VI. poſtea in Sueciam pergens ibi mortuus eſt. Anno 923. Henricus Auceps intentus in omnes ſui regni fines, Gormonem Danorum regem Holſatiam vaſtantem expulit & Sleswicum fecit coloniam Saxonum, conſtituto ibi Marchione Hedyba, qui paulo poſt, cum Henricus Cæſar obierat, trucidatus eſt a Gormone cum ſuo præſidio. Debellavit quoque Henricus Wandalos, & Brandenburgum urbem vix multis laboribus expugnatam, provinciam ſibi ſubjecit ibique epiſcopatum fundavit. Peucerus ſcribit, aſperrima hieme caſtra ipſum poſuiſſe ſuper glaciem & tandem vicem: (al. legitur arcem) belli cepiſſe, anno 927. *Chr. Chytr.* (11) Anno 938. Otto Magnus Cæſar Aucupis filius (cujus mater Malhildis fuit ex ſtirpe Witekindi Weſtphali) audita rebellione Danorum poſt obitum patris per Holſatiam cum exercitu profectus Jutiam a patre ſubjugatam usque in Scaniam vaſtavit Finniamque ſubegit, regemque Haraldum cum Suenone filio baptiſmum ſuſcipere coëgit, quem de ſacro fonte levatum Suenotthonem cognominavit. Deinde Sleſvicenſem epiſcopatum Marconi primus dedit, Ripenſem & Aldeburgenſem fundavit, Marchionatum autem Slesvici abrogavit, & urbem munitam Slesvicum, cum tota Jutia Danorum regi his conditionibus reddidit & permiſit, ut regnum Daniæ Romano pareret imperio, idque a Cæſare ut feudum rex acciperet, in quas Haraldus cum filio conſenſit. *Crantz. Sax. lib. 3. c. 26. lib. 4. c. 16. Chr. Holſ.* Suenotthonis mater Tyra limitem poſtea fodit regni ſui ſubvecto aggere a Slesvico usque in oceanum occidentalem, quem Dennenwerk vocarunt, munitum poſtea muro cocti lateris a Waldemaro primo. (12) Anno 946. Otto Magnus Havelbergenſem epiſcopatum condi-

Ao. 919. Nordalbingia a Danis vaſtata, Hamburgum dirutum Chriſtianis crudeliter cæſis, in Saxonia deleti.

Ao. 920. Unno Hamburg. Archiepiſc. Danos Chriſtianis amicos reddidit.

Ao. 923. Henricus auceps Gormonem Dan. R. repreſſit conſtituto Marchione Slesvic. poſt trucidato. Wandalos in Brandeb. ſubegit.

Ao. 938. Otto M. Danos compeſcuit Suenonem R. fil. ad Chriſtianam relig. amplectendam adegit.

Marco Slesvic. epiſc. primus, marchionatu abrogato. Epiſcopatus Aldenb. & Rip. fundatus. Dani R. I. tributarii fiunt.

Agger Danicus ſtructus.

Ao. 946. Havelb. epiſcopatus.

(9) Anno 848. Ericus rex Daniæ primarium Sleſwicenſis urbis templum Deo vero dicavit. *Elverfeld. p. 237.*
(10) Anno 876. ex *Spangenberg. Chron. Mansfeld. f. 98. b.*
(11) Anno 925. cf. Tabul. Chronol. p. 8.
(12) Anno 930. Haraldi regis Danorum monumentum ſepulcrale vid. in *Lindenberg hypotyp. arcium ab Henrico Rantzovv conditorum. p. 121. ſq.*

condidit. D. *Chytræus.* Anno 950. Otto Magnus profecturus cum exercitu in Italiam contra Berengarium & factiosos Papas Joh. XII. & Benedictum V. divisit Saxoniam a Ducibus Saxoniæ integre gubernatam, retinuitque sibi superiorem, inferiorem vero cum Nordalbingia defendendam dedit contra Wandalos Nobili HERMANNO *Bilingk* de Stubbekeshornia Luneburgensis ditionis (qui humili loco natus pædagogus fuerat filiorum Cæsaris atque septem tantum mansionarios rusticos possederat eosque omnes de furto accusatos suspendi jusserat,) hunc ex Italia reversus creavit propter fidelitatem & sapientiam ducem Lunæburgensem, Lowenburgensem & comitem Holsatiæ donato ipsi pro insigni cæruleo leone rubeis rosis in campo aureo conspersо. *Crantz. Sax. lib.* 4. *c.* 8. 15. Per eundem HERMANNUM Cæsar Otto Magnus putatur ædificari mandasse fortalitia in Izehoë & Boklenborch propter crebras Danorum excursiones & Wandalorum postea factas, Nordalbingia adhuc sine certo domino existente. *Chr. Holf. Angel. Sax. Crantz. lib.* 4. *c.* 8. 16. Anno 970. HERMANNUS Bilingk exstruxit arcem in monte eamque vocavit Lunæburg a vicino loco monasterii Luene ad rivum Elmenow, atque prope arcem constructit monasterium S. Michaëlis, quod hodie in urbe consistit. *Sax. Crantz. c.* 16. Obiit vero anno 984. cujus posteritas sub comitum titulo annos circiter 150 Nordalbingiam administravit, teste *Peucero.* (13) Anno 988. Dani & Normanni sub Zuenone rege per Albim ascendentes prope Stadam maritimam Frisiæ vastarunt capto Marchione Sifrido & aliis. *Metrop. lib.* 13. *c.* 41. (14) Anno 999. Bernhardus Zuenonis filius gentem Winulorum primum per avaritiam oppressit, postea Bremensem & Hamburgensem ecclesias & totam transalbinam regionem oppugnavit, sed interveniente episcopo Hamburgense Unwano supplex factus Henrico Cæsari in Scanderborg, opera ipsius rebelles Wandalos ad obedientiam redegit, eumque duce ipsorum Mistiwoi futuro suo genero Cæsarem in Calabriam Italiæ bellantem secutus est cum 1000. armatis. Reversus vero feliciter, postulavit Mistiwoi sponsam suam, cui Theodoricus Marchio respondit, indignum esse facinus cani tam nobilem puellam tradere, ob quam ignominiam &repudium in furorem versus indignabundus discessit & magnum exercitum ex Stargardia contraxit, quo anno insequente, vel circiter absente Bernardo duce in superiori Germania Nordalbingiam totam cum conterminis vastavit, occisis ignominiose 60. presbyteris in Wagriæ Aldenburgo, & Hamburgo quinta vice cum omnibus incolis prorsus deleta. Alii hanc vastationem adscribunt anno millesimo primo.

Ao. 950. Herm. Bilingk Holsatiæ præfectus.

Itzehoë & Boklenburg. ex structa

Ao. 970. Luneburg. arx.

Ao. 988. Dani Frisiam vastantes

Ao. 999. Wandali Nordalbingiam infestantes submoti.

Mistiwoi indignabundus eam vastat.

SECULUM QUARTUM
ANNI MILLESIMI.

ANno 1003. præter propter Hermanni filius dividens cum Bennone fratre principatum, factus est comes Holsatiæ, Stormariæ & Ditmarsiæ, mortuus sine hærede. Vixit sub Cæsare Ottone tertio, quo exstincto & electo rursus Henrico Claudo restitit fideliter seditioso Egberto Marchioni Saxoniæ imperium ambienti jocose dicens, ex quatuor rotis ad currum imperii vix unam ipsi esse, quem tandem opera fratris Bennonis victum occidit Polodii. Habuit uxorem Emmam, quæ Bremensi Ecclesiæ pratum ab urbe feracissimum donavit, quod muscis numquam infestari dicitur. *Chr. Holf. fol.* 14. Anno 1005. Tiethmarus Bennonis filius successit, qui in seditione fratris sui Bernhardi, ducis Saxoniæ, contra Cæsarem Henricum Claudum Stadæ existentem de insidiis Cæsari in silva structis a proprio satellite accusatus & vocatus a Cæsare in Werben factum pernegavit, quare jure Saxonum illi in purgationem duellum impositum est, in quo cæsus est, discedens sine hærede. *Sax. Crantz. lib.* 4. *c.* 23. *Chron. Holf. fol.* 14. cæsus anno 1045. Anno 1006. fames grassata est sæviss̃ima, ita ut ex inopia & peste insequente multi animam exhalarint, dum mortuos suos sepelierunt. *Chron. Rensb.* Anno 1010. Benno dux Saxoniæ obiit, vir sanctus & ecclesiarum defensor, cui filius Bernhardus successit. Anno eodem pestis generalis per totum orbem sæviit. Anno 1012. temporibus Henrici II. Cæsaris, & Bernhardi Ducis Saxoniæ inferioris clades magna Holsatiam invasit, ob cæsum a nobili Holsato Udonem filium Mistiwoi principem Wagriæ, tyrannum. Nam filius ejus Gotheschalcus studiosus Lunæburgensis cœnobii contracto nebulonum exercitu, iterum vasta-

Ao. 1003. Hermanni fil. comes Holsat.

Ao. 1005. Tiethmarus.

Ao. 1012. Holsatia hostiliter per Vandalos afflicta ob trucidatum Udonem principem.

(13) Anno 934. Henricus Auceps imperator, cum e territorio regis Vandalorum in Saxoniam reverteretur, regiones quasdam, Brandenburgensem, Pomeraniam, Rugiam, Holsatiam & Vandaliam, quantum fieri necesse erat, præsidiis munivit. *Spangenb. Mansf. Chron. f.* 122. *a.* Anno 946. *Havelbergense episcopatum condidit.* cujus primus pastor & provisor erat Udos Dudo. vid. *Evermot Chron. Episc. Aldenburgens. p.* 156. Anno 948. Otto imperator exercitum suum per Holsatiam in Jutiam duxit, *Spangenb. Chron. Mansf.* f. 122. b. Anno 950. *sententiæ* de sex (ita enim dicit, non ut Alardus in Nordalbingia) rusticis ab Hermanno Bilingio suspensis subscribit *Fischer Diopt. p.* 8. allegans Chron. Holsat. cum Alardo sentit *Solin. Chron. Holsat.* p. m. 12. b. Anno 952. vel secundum alios 948. ab Ottone M. fundatus est episcopatus Aldenburgensis, (fundavit enim Otto VI. episcopatus recensitos loco mox citando pag. 156.) in Wagria. Maximus autem, ditissimus & latissimus fuit episcopatus Aldenburgensis. Subdidit enim Otto primo pastori Marconi totam Wagriam cum omni Obotritorum terra a terminis Holsatorum usque ad fluvium Panym & urbem Demmyn, nec non usque ad civitatem Heidebium. Sic enim veteres vocabant Sleswig. Non est in vicinia amplior parochia, quam nostra olim fuit. Genuit illa tres alias magnas diœceses, Sleswigensem, cujus primus pastor erat Haroldus. *Dauckwart Holst. Chron. p.* 118. Razeborgensem, ubi primo docuit Aristo Hierosolymitanus, & Mekeleborgensem, cui primum præficiebatur Joannes. vid. *Cunradi Evermot. Chron. Episc. Aldenburgensium cum not. Paulini* (inter scriptores ab eo editus est,) *p.* 157. seq. Anno 965. Benedictus V. Papa romanus ab Ottone M. propter dissidium cum Johanne XIII. ex Italia pulsus Hamburgumque deveniens ibi in fata concessit, cujus exuviæ in templo cathedrali terris concreditæ sunt sepulcro propter eminentiam lapidis coctilis super id ipsum evecti, cuivis adhuc obvio.

A. 952. Aldenburgensis episcopatus amplissimus.

(14) Anno 988. Aldergius a Meindorf Hermannum Bilingium, qui ante Schawenburgenses comites in Cimbria imperium habuit, commendans Ottoni I. II. III. imperatoribus (quibus carissimus fuit) obiit. *Elverfeld* pag. 275.

de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.

vaſtavit Holſatiam, Stormariam & Dithmarſiam, cæſis ubique Chriſtianis, & dirutis omnibus eccleſiis, exceptis duobus præſidiis, Itzeho & Bokelenborch; cum vero cædem parentis crudelius ultus eſſet, magna ductus pœnitentia, & ex carcere a Duce Bernhardo dimiſſus in Daniam ad Canutum II. diſceſſit. Adminiſtravit Bernhardus Saxoniam annis circiter 40. ſub Cæſaribus Henrico II, Conrado II, Henrico III, & IV. mortuus anno Chriſti 1050. vel ut alii 1097. *Chron. Sclav.* ponit hoc factum non ſub Henrico ſed Conrado II. *Chr. Holſ.* 15. 31. Anno 1020. Henrico II. Cæſare imperante circulus iridis inſtar viſus eſt circumdare ſolem tribus horis, quem tres aliæ lineæ diviſerunt, ſecuta eſt magna inundatio Albis, multum hominibus damnoſa, peſtis quoque multos abſumens, corpora ſerpentibus adeo replevit, ut vix ſepeliri potuerint. (15) Anno 1029. Bernhardus dux Saxoniæ renovandis oppidis poſt cladem VVandalicam cum Libentio Hamb. epiſcopo operam dedit, & Hamburgi juxta templum quatuor firmiſſimis turribus præſidium ab incurſione munivit, & cum epiſcopo ſæpe per dimidium annum eam urbem inhabitavit, ubi quoque Canuto duro regi Danorum obviam facti de communi pace provinciarum collocuti ſunt. *Saxon. Crantz. lib. 7. cap.* 38. Anno 1032. Adolphus de Salingſtete nobilis & ſtrenuus vir apud Cæſarem Conradum II. eccleſiæ Mindenſis dignitatem & conſervationem ſua induſtria promovens donatus eſt beneficii loco ab epiſcopo Mindenſi ditione Schouwenburgenſi feudali, atque interceſſione epiſcopi de hoc feudo ab imperatore eſt inveſtitus in comitiis Mindæ habitis, nomineque comitis decoratus. Hinc eſt quod comites Schouwenburgici non agnoſcunt alium ſupra ſe principem quam imperatorem. Anno 1057. Hermannus II. ſucceſſit patri ad Albim in comitatu, Ordulphus vero in Ducatu; quos adoleſcentes cum Cæſare puero ſeptenni Henrico IV. VVandali contemnentes temporis opportunitate freti rebellarunt, occiſo primum principe ſuo Godſchalcko ob Chriſtianiſmum ſibi inviſo VII. Idus Junii in urbe Leontio ad Albim, cum presbytero ſuo Ippone & Answero Racisburgenſi, poſtea Johannem epiſcopum in Mekelenborch per plateas ductum manibus & pedibus truncarunt, caput vero in ſignum victoriæ idolo ſuo *Radegaſt* immolarunt. Megalopolenſes enim adhuc principem ſuum Radegaſtum anno 413. in Italia a Stilicone captum & occiſum pro Deo coluerunt in ſignum perpetui amoris. *Chr. Schlav.* Anno 1060. juxta Chronicon Holſatiæ 1066. Pluſſo (Pluſio) affinis & ſororius Godſchalki ſeditioſorum dux ludibrio habuit relictam Godſchalki Siriten, Canuti regis Danorum filiam, Suenotthonis ſororem eamque cum paucis mulieribus nudam dimiſit e Meklenburgenſi regione, magnaque turba irruens in Holſatiam Hamburgum ſexta vice vaſtavit, arce, quam dux Bernhardus ad Alſtriam communierat, funditus exciſa. Sleſwicum quoque populoſiſſima civitas ex improviſo Vandalorum incurſu everſa eſt. VVagirenſes cum VVandalis conſpirantes omnibus Chriſtianis exciſis paganiſmum usque in octoginta annos coluerunt, & fugiente Henrico Godſchalki filio in Daniam, Critonem Rugianum & idololatram creaverunt principem Nordalbingiæ exoſi avaritiam Saxonicorum Ducum, qui ſæpius cum VVandalis pugnantes nulla ſunt victoria potiti. Ordulphus fratre ſine prole manente novam arcem Hamburgi conſtruxit, veteri juxta templum neglecta: duodecimo poſt patris obitum anno mortuus eſt. Anno 1063. Goslariæ in templo concertaunt epiſcopus Hildesheimenſis & Abbas Fuldenſis. A. 1066. cometa in feſtis paſchalibus quatuordecim fere noctes continuas apparuit, quo tempore atrox prælium commiſſum eſt in partibus aquilonis, in quo rex Angli-Saxonum tres reges cum infinito eorum exercitu usque ad internecionem delevit. *Lamb. Schaf.* Anno 1069. MAGNUS Dux Saxoniæ ex ſorore Danorum regis patri Ordulpho ſuccedens ſollicitatus eſt a Buthue majore Godſchalki filio ad recuperandam Nordalbingiam ex tyrannide Critonis, ſed impeditus ob diem nuptiis ſuis dictum miſit exercitum ex Bardis, Stormaris, Holſatis & Dithmarſis, ex quibus ille Bardos expeditos aſſumens Plœnenſe præſidium dolo cepit, ſed fraude Wandalorum (quod vindictam paternæ cædis metuerent) occiſus eſt. Anno 1070. Nordalbingia Critoni ſub tributo ſervire coacta eſt defenſionis inops ob graviſſimum illud Saxonicum bellum, quod Otto Saxo Bavaria pulſus cum principibus Saxoniæ ſibi confœderatis contra Henricum IV. Cæſarem geſſit, quamobrem ſexaginta familias ferunt ex Holſatia tyrannidis Wandalicæ faſtidio egreſſas inque montes Hercynicos migraſſe & in hodiernum diem ibi habitare. *Wandal. Crantz lib.* 3. *c.* 9. A. e. Bero, frater Erici Boni Danorum, præfectus Sleſwici Holſatos & Dithmarſos ſubegit, & munitionem inhibendæ defectionis cauſa molitus vallo foſſaque provinciam cinxit, cujus dominationem popularium quidam privatim peroſus concionantis latus haſta transfixit. *Saxo Gramm. lib.* 12. ad cujus necis ultionem Hacquinus quidam ſuam operam pollicitus eſt, cui præmii loco Ericus rex filiarum ſuarum unam nuptum dedit. Anno 1071. Magnus dux ſociali bello ab Henrico IV. Cæſare invictiſſimo per deditionem ſpontaneam in arce Hartesborch captus, & ſua arce Lunæburga privatus ſcribitur a *Lamberto Schafnab.*; ſed poſt triennium violenta manu Hermanni patrui una cum arce recuperatus iterum anno 1075. cum patruo in captivitatem conceſſit, in qua ſenio & pedore carceris confectus obiiſſe dicitur anno 1106. *Crantzius* autem *lib.* 5. *Sax. c.* 20. ſcribit vixiſſe in patria liberum, ſed decrepitum. Atque in hoc Magno ſine hærede extincto proſapia *Bilingii* poſt annos 150. prorſus interiit. *Chron. Holſ. fol.* 15.

Bernhardus Sax. D.

Ao. 1029. Bernhardi D. Sax. cum Vandalis pax.

Ao. 1032. Adolphus de Salingſtede Schaumburgenſium princeps conſtitutus.

Ao. 1057. Vandalorum conatus crudeles.

Strita Godſch. vidua ludibrio habita,

Hamburg. & Slesvic. urbes dirute,

Chriſtiani peremti.

Crito princeps Nordalb. ſuffectus Saxonum Ducibus turbas ciet moleſtiſſimas.

Ordulphus obit.

Ao. 1066. prælium atrox.

Ao. 1069. Buthue Nordalbingiam ſibi vindicaturus perit.

Ao. 1070.

Holſatorum quædam familiæ emigrant in ſilvam Hercyn. Holſati & Ditmarſi a Danis ſubacti.

Ao. 1071. Magnus captus liberatur,

denuo carcere detentus obiit.

(15) Anno 1022. Vandali per Holſatiam, Ditmarſiam exercitum duxerunt ibique omnia vaſtarunt *Spangenb. Chron. Manſf. f.* 167. *b.*

An-

Ao. 1073. Erici II. Dan. R. cum Henr. IV. Imp. ad debellandos Saxones fœdus

Anno 1073. Henricus IV. Cæsar cum Erico II. Danorum rege Romam forte proficiscenti secreto colloquium facit & cum eo magna parte Saxoniæ, quæ ad Uthonem Marchionem pertinebat, paciscitur, ut in conficiendis rebus, quas animo cogitabat, auxilio sibi foret, & se Saxonibus ex uno latere bellum inferente ipse eos ex alio latere adoriretur, *Schafnab. lib.* 8. qui cum exercitu navali ad Saxoniam adplicuit & igne ac ferro regionem infestare parabat, sed miles ejus pugnam detrectans, quod ipsis contra externorum hostium incursiones Saxones pro muro semper, nec ullis unquam injuriis ab illis incessiti fuerint, rex veritus, ne in eo discrimine a milite desertus ludibrio fieret hostibus, naves retrahi jussit & nulla clade illata Saxonia excesit in Octobri. *Schafnab.* Anno 1075. Saxoniæ principes victi ab Henrico Cæsare in campis Thuringiæ & fugati supplices facti sunt, & in conspectum Cæsaris procedentes absque ulla exceptione ipsi se dediderunt, inter quos fuerunt Fridericus Palat. Comes, Magnus Dux Saxoniæ & patruus ejus Hermannus Comes Holsatiæ, duo episcopi, quos rex paulo post rupto fœdere per Galliam, Italiam, & Burgundiam deportari fecit, beneficia eorum suis militibus distribuens. *Schafnab. Sax. Crantz. lib.* 5. *c.* 5. Anno 1076. cum a Papa Hildebrando Cæsar excommunicatus esset & Romam ad synodum evocatus multique principes Holsatiæ consilia inirent de republica calamitatibus liberanda, Metensis episcopus nonnullos ex principibus Saxoniæ, quos a rege in custodia habendos susceperat, inscio rege ad sua liberos ire permisit. Inter hos Hermannus patruus Ducis Magni Comes Holsatiæ cum aliis plerisque rediens arrepta juventute Saxoniam peragravit, castellaque, quibus rex præsidium imposuerat, alia deditione, alia militari manu, brevi omnia recepit custodibus spoliatis & cum sacramento non redeundi hostiliter in Saxoniam dimisis. *Schafnab.* Anno 1081. Rudolphus Dux Sueviæ a Papa Romano contra Henricum IV. Cæsarem adfinem suum electus missa corona cum inscriptione

irritum.

Ao. 1075. Saxoniæ principes a Cæs. devicti.

Ao. 1076.

Herm. com. Holsatiam ect. recuperat.

Ao. 1081.

Petra dedit Petro, Petrus diademaRudolpho,

Rudolphus, Anti-Cæsar infaustus perit.

secundo cum Cæsare congressus prælio victus est ad Mersburgum, amputata ipsi dextera, quæ cum decumbenti adferretur, dixit ad principes & episcopos adstantes: hæc est ea manus, qua juramentum præstiti Henrico Domino meo, & vobis urgentibus toties infeliciter pugnavi, ite implete primam regi vestro fidem; ego enim viam patrum meorum ingredior. Occisus est episcopus Magdeburgensis VVizelo, spoliatus hoc prælio Dux Magnus, captus vero Hermannus patruus comes Holsatiæ. Anno 1096. Gotfridus Bulionis & Buloniæ dominus, quem Henricus IV. Lotharingiæ Ducem ob præstita sibi auxilia contra Rudolphum creaverat, suscepit cum fratribus Balduino & Eustachio, patrimonio omni divendito, expeditionem illam memorabilem in Palæstinam, atque recuperata Hierosolyma a. 1099. d. 15. Julii coronatus est in regem corona spinea publice imposita, cum Saraceni illam 460. annis tenuissent. *Sax. Crantz.* Præcesserat hanc expeditionem non ita pridem prodigium illud muscarum & vermium in aëre volitantium tanta multitudine, ut manu vel virga tangi possent, quibus mille passus in latitudine & tria millia passuum in longitudine impleta fuerunt. *Sax. Crantz. lib.* 5. *c.* 13.

Ao. 1096. Expeditio sacra duce Gotfrido Bulion.

An. 1099. Hierosolyma recuperata.

SECULUM QUINTUM
ANNI MILLESIMI CENTESIMI.

ANno 1100. Ericus Magnus II. Danorum rex cum regina Hierosolymam versus proficiscens a Liemaro Archiepiscopo Hamburgensi antea excommunicatus impetravit in itinere translationem metropolitanæ sedis in Lundensem ecclesiam a papa Romano. Saxo Grammaticus lib. 12. scribit regem per Russiam & Constantinopolim profectum esse & primatum Lundensis ecclesiæ profectione Romana antea consecutum. A. 1103. recepit Henricus Godschalki filius Wagriam cæso sub convivio Critone idololatra in Plone, consilio Sclaviæ uxoris ipsius, qua in uxorem ducta vocatus est rex Sclavorum & Obotritorum, & dominatus est in veteri Lubeca. *Chron. Sclav. c.* 15. juramentum præstitit Duci Saxoniæ Magno subjectionis & fœdus fecit cum Holsatis, quorum auxilio vicit primum Wandalos in Smilow repugnantes; deinde Rugianos Lubecam obsidentes fudit in Raneberg monte. *Wand. lib.* 3. *c.* 20. 22. *Chron. Holsatiæ. fol.* 39. Postea per filium Mistiwoi Havelsberg obsedit & cepit, atque sub hujus patrocinio ecclesiæ post diuturnam vastitatem in Holsatia ædificari cœperunt. Anno 1106. Gotfridus a Duce Saxoniæ Magno & patruo Hermanno comite occupatis intestino bello Saxonico præfectus fuit comitatui Holsatico habitavitque Hamburgi, cujus tempore Wandali Stormariam cæcia Hamburgum deprædati sunt; quos dum Comes non expectatis auxiliis cum solis 20. equitibus insequitur, a latrunculis per insidias circumventus & cum suis cæsus est, caput vero ipsi amputatum in signum victoriæ ad idola VVandalorum deportatum est. (16) A. c. Henricus V. Cæsar concessit post Magnum extinctum totam Saxoniam inferiorem Ludero vel Lothario Comiti de Supplenborch in feudum, quod jam per conjugem Rixam Nordheimum & Brunsuicum possederat, & modeste Saxones cum vicinis VVandalis gubernarat. *Sax. Crantz. c.* 25. Anno 1108. Henricus VVagriæ ob negatam sibi maternam in Dania hæreditatem, multis ac crebris incursionibus Ducatum Slesvicensem devastavit, quare avunculus Nicolaus rex classe per Travennam advectus Lubecam cepit,

An. 1100. Ericus M. Hierosolymam cum conjuge abit.

An. 1103. Henricus cæso Critone Wagriam recipit vasallus Ducis Sax.

Vandalos & Rugianos supe. rat.

Havelbergam cepit, ecclesias Holsat. restituit.

Ao. 1106. Gottfridus Holsatiæ præfectus.

Vandali Stormariam deprædantes eum cædant.

Lotharius de Supplinborch Saxoniæ infer. Vandalisque imperat.

Ao. 1108. Henricus Wagr. ob negatam ipsi hæredit. Slesvicensem Duc. præ-

de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.

(16) vid. monumentum Hamburgi in templo cathedrali repertum, ap. *Spangenb.* vid. *Schaumb. Chron.* p. 71. conf. *Ankelmann inscriptiones Hamburgenses, Lindenbrogii scriptoribus septentrion.* additæ p. 7. v. 11.

dabundus peragrans Lubecam amittit, Nicolaumque R. Dan. superat. Ao. 1109. lis composita.

& congressus cum Henrico victus est, vulnerato Haraldo patrueli: Canutus quoque defatigatus periisset, nisi generosus eques Danicus sub prætextu colloquii apprehensum manu equitem VVandalum equo detraxisset, & dominum suum Canutum denuo imposuisset & abduxisset. *Chr. Holf.* Anno 1109. vel circiter Elino Sleswici præfectus ob victum Nicolaum Danorum negantem Henrico VVagriæ hæreditatem perfidiæ damnatus & præfectura ac patrimonio suo privatus est, substituto Canuto Erici Magni filio, qui cum Henrico amitino sæpius confligens tandem certa pecuniæ summa data hæreditatem redemit & firmam cum ipso amicitiam coluit. *Sax. Gramm. lib.* 13. Anno 1113. Lotharius Dux Saxoniæ dedit post Gotfridum obtruncatum Adolpho Comiti de Schowenborch Comitatum Holsatiæ & Stormariæ in feudum Saxoniæ, cujus avo Adolpho de Salingstede viro strenuo & militari ante annos 84. datus erat in feudum Comitatus de Schowenburg, de quo eum imperator Cunradus II. intercessione episcopi Mindensis investiverat in comitiis a. 1052. Mindæ habitis. Adolphus autem confœderatus fuit Henrico principi VVagriæ ac Obotritorum, cumque hujus filio Zventeplago expugnavit urbem VVerlo & Cissinum. Rexit Holsatiam tranquille annos 17. inque ea obdormivit, relinquens filios Hottingum & Adolphum. *Wandal. Crantz. l. 3. c. 31.* Creditur sepultus in minori ecclesia Hamburgensi. *Sax. lib. 9. c. 12.* Anno 1118. cum Adelbero episcopus Bremensis provinciam suam transalbinam vastaret, rogatus est in Meldorp Ditmarsorum ab Holsatis, ut idoneum verbi divini doctorem illis concederet, quibus misit *Vicelinum* oriundum de Quernhameln Saxoniæ, pædagogum Comitum olim de Eberstein & nunc ludimoderatorem agentem scholæ Bremensis, cui mox Holsati domicilium dederunt in VVippendorp, quod postea Foldera vel Niemunster est vocatum. Hic auxilio collegæ sui Dithmarsi cantoris Bremensis avocavit Holsatos ab ethnica idolomania, cum audirent post hanc vitam aliam æternam restare, in quam fideles mortui revocandi essent. Vicelinus postea electus est undecimus episcopus Altenburgensis cum VVagria tota jam annos 84. sub idololatria vasta fuerat. Construxit sibi ædiculam in Marsia Haseldorpiensi ad Bithorst (al. Buthorn) in parochia Utersen, in qua pro incursione crebra VVandalorum libros suos & sacras vestes adservavit. Anno 1119. Henricus VVagriæ & Obotritorum princeps jam senescens & ex filiorum suorum inertia totam stirpem de proximo perituram prænuncians, consensu Lotharii Cæsaris præfecit filiis & provinciæ suæ Canutum Sanctum Sleswici Ducem amitinum suum, quem defuncto Henrico & filio ejus Zventeplogo ac nepote Swinicone brevi sublatis, a. 1122. Lotharius in administratione VVandaliæ confirmavit, & perpensis ejus natalibus ac virtute coronam ei regiam decrevit & imposuit, regem appellans VVandalorum & Obotritorum. *Chr. MS.* Anno

Ao. 113. Adolphus Schaumb. annis 17. regnavit.

Ao. 1118. Vicelinus ab Adalber. Brem. episc. missus.

post episc. Altenburg.

adicula Buthorn.

Ao. 1122. Canutus S. R. Vand. & Obotr. appellatur.

1124. Pomerani & Megalopolitani ad fidem Christi conversi sunt. *Chr. MS.* Anno 1125. Canutus jam nominatus omnium primus occupavit montem Alberg, quem nunc dicunt Segeberg, mansiunculas illi imponens contra seditiosos VVandalos. Sæpe apud S. Vicelinum Falderensi usus est hospitio, firmam cum illo amicitiam colens. Vicit prælio Pribislaum & Nicolotum, principatum patruelium suorum ambientes, eosque manicis ferreis captivos abduxit in Sleswick. *Chr. MS.* A. e. monasterium in Niemunster fundatum est per Vicelinum I. præpositum. *Chr. MS.* Anno 1126. gelu adeo intensum fuit ut aves cœli enecarentur. *Chr. MS.* Anno 1130. Canuto proditorie in Daniam vocato & nefarie a Magno patrui sui Nicolai Danorum regis filio æmulo trucidato, filiisque Henrici ambobus Canuto & Zuenteplogo cum filio ejus Swinicone in diversis locis ad eradicandam stirpem Godeschalki per seditiosos oppressis, Pribislaus Buthuë filius successit in VVagria & Razeburgo; Niclotus vero Obotritis imperavit. *Crantz. Wandal. lib. 3. c. 37. Chron. Holsat.* 45. Anno 1131. Adolphus II. litterarum studio adprime deditus, successit patri in Holsatia & Schowenburg, (cum Hartungus minor natu & successor in Holsatia ex testamento patris declaratus in expeditione Cæsaris Lotharii in Bohemiam occubuisset) vocaturque & adsumitur mox a Lothario Cæsare (ab Erico vocato) in societatem belli contra Magnum parricidam Canuti Sancti, quibus cum Nicolaus rex cum filio Magno obviam procederet in firmissimam urbem Sleswik, pacem hac conditione impetravit, ut Magnus fiat vasallus Romani imperii & pro parricidio commisso ingentem multam Cæsari pendat, qua conditione fucate impleta Lotharioque in Holsatiam revertente, & vix Eidoram cum exercitu transgresso, Magnus violenta manu sequitur, & Adolphum transire volentem a tergo adoritur tanta celeritate, ut armatura abjecta fugere & equo generoso Eidoram tranare vitamque audaci facinore redimere coëgerit; nihilominus æstate sequente Magnus ab Erico fratre Canuti victus, & die Pentecostes cum IV. Episcopis occisus; pater autem a civibus Sleswicensibus cæsus, alter parricidii, alter defensionis ejus justas pœnas luerunt. *Chron. Holf. fol.* 45. *Sax. Crantz. lib. 6. c. 4.* Circa hunc annum Rico quidam constituitur Sleswicensis Pontifex. *Dac. lib. 5. c. 19.* Anno 1134. Lotharius Cæsar temporibus Pribislai ex consilio & monitu S. Vicelini firmavit & perfecit arcem Segebergæ ecclesiamque infra montem ædificavit, quam sex pagis locupletavit Vicelinoque regendam commisit. Arcem vero Pribislao ereptam Hermanno cuidam ex suis aulicis contra Wandalos idololatras commendavit. Hoc vero annis paucis post mortuo Lotharius Segebergam donavit Marchioni Alberto cognomine Urso, qui misit in Holsatiam præfectum Comitem Henricum de Badewide pulso Adolpho Comite, quod consobrino Henrico Bavaro faveret.

Ao. 1124. Pomerani & Mecklenb. suscipiunt relig. Christ.

Ao. 1125. Canutus Segebergam expugnat. Pribislaum & Nicolotum vincit.

Ao. 1130. Canuto & Henrico posteris trucidatis Pribislaus Wagriam sibi sumit.

Ao. 1131. Adolphus Com. Holf.

Fœderatus Imperatori parricidium de Nicolao R. Dan. ulciscitur.

Nicolaus cum filio truci datus.

Ao. 1134. Segelberta arx perfecta, ecclesiaque ibidem structa,

expulso Adolpho Holsatia committitur Henrico de Badewide.

veret. (17) Anno 1137. Lothario Cæsare profecto cum S. Bernhardo in Italiam, ubi ex peste exstinctus fuit, a. 1138. Pribislaus Wagriæ princeps in veteri Lubeca ad fluvium Swartow residens recuperare tentavit Segebergam a Lothario sibi ereptam, vi cepit oppidum & cum cœnobiis flammis absumsit, fugientibus doctoribus cum suo præposito Dithmaro (a Vicelino & Pribislao ordinato) in Nienmunster arcem defendente milite præsidiario. Hieme vero sequente Henricus de Badewide Holsatorum auxilio totam VVagriam usqe ad mare Balthicum spoliavit. Critonis nepos Rugianus Race vel Kaze eadem occasione moti classe armata Travenam appulit, Pribislaum seditiose opprimere sperans Lubecæ, quo absente arcem veteris Lubecæ cum aliis præsidiis destruxit, & sacerdotes latilibus se abscondentes in vicinis paludibus fugere compulit, tandemque ingenti cum præda discessit. *Sax. Crantz. lib.* 6. *c.* 9. *Holf. Chron. Wandal. Crantz. lib.* 3. *c.* 39.

Ao. 1138. *Segeberga tentata, Wagria spoliata.*

Race Rug. pr. Lubecenses affligit.

A. 1139. Adolphus secundo anno vix elapso exul defunctis vita Lothario Cæsare & Pribislao VVagriæ Domino reversus est cum Henrico Catulo Lotharii genero ex Bavaria, & expulso ex Saxonia consobrino Alberto, eisdem armis adjutus Holsatiam recuperavit, quem fugiens Henricus de Badewide destruxit in abitu arces Segebergæ & Hamburgi, quas Adolphi mater opere murato exstruxerat. Holsati igitur præsidium Mœne firmissimum totamque deinceps VVagriam occuparunt & post obitum Henrici Catuli tutoribus filii Henrici Leonis adsentientibus Holsatiæ usque in hodiernum diem conjunxerunt, quam misere vastatam continuis bellis, Comes Adolpus adductis novis coloniis Holsatorum (olim a Carolo Magno translatorum) ex Phrysia & VVestphalia replevit, redinstaurato oppido & cœnobio Segebergæ atque arce muro firmata cinctaque. *Saxon. Crantz. lib.* 6. *c.* 9. A. e Rudolphus Comes fuit in Dithmarsia & cum Friderico Palatino Bremam occupavit, diripuit atque episcopo ereptam Henrico Saxoni subjecit. *Sax. Crantz. lib.* 6. *cap.* 9. & 10. A. 1140. Adolphus Lubecam inter fluvios VVakenisse & Travenam a Critone Rugiano ante annos 40. fundatam & hactenus desertam serio studio & felici ædificavit, in monte Buku, ut utrinque esset civitas irrigua fluviis. Ne vero novella civitas ab hostibus suis destrueretur, fœdus fecit cum Nicloto Obotritorum principe & autoritate Henrici Leonis aliorumque principum transegit cum Henrico de Badewide, ut Adolpho cederet VVagriam armis jam occupatam. Ipse vero Raceburgum cum vicinis locis in Polaborum gente possideret; quæ transactio omnibus placuit & rata permansit. *Sax. Crantz. lib.* 6. *cap.* 10. *Chron. Holf. fol.* 37. & 47. Anno 1142. Rudolphus comes Dithmarsorum cæsus est a subditis in arce Boklenborch & comitissa Walpurgis truncatis ipsi naso & auribus abjecta est in flumen, quod hodie cognomen inde retinet Walburgsowe. Hanc cædem vindicaturus Dux Henricus Leo cum exercitu illos aggressus punivit & terram uni suorum nobilium in feudum dedit. Non diu vero post cæsum Rudolphum Hartwicus frater ejus facta commutatione ecclesiæ Bremensi dedit Dithmarsiam & recepit Comitatum Stadensem. *Chron. Holf. fol.* 20. Anno 1146. Niclotus Wandalorum princeps obsedit novam Lubecam d. 28. Junii. Anno 1147. Cunradus III. Cæsar misso exercitu Niclotum Obotritorum principem ad fidem Christi cogere injuriasque ab illo acceptas ulcisci voluit, qui implorans Adolphum confœderatum & repulsam ferens Wagriam clam invasit & classe Travenam appellens Lubecam inopinato occupavit, ipsis in nundinis, eamque spoliatam & direptam cadaveribus CCC. civium fœdatam reliquit. Equitatus Wagriam vastans centum Phrisionibus Sussetam inhabitantibus est retardatus, qui consilio & fortitudine sacerdotis Gerlavi (in altero oculo & femore vulnerati) fossa se tutantes jam diu se defenderant, donec Adolphus Wagrios ad arma convocans Wandalos fugere & magna cum præda discedere coëgit. *Wandal. lib.* 4. *c.* 3. Anno 1148. Waldemarus I. S. Canuti filius a Suenone Dux Slesvici factus. *Sax. Gram. lib.* 14. *Dan. lib.* 5. *c.* 27. Anno 1151. Sueno Canutum regni competitorem auxilia in Eidorstadio contrahentem & ad Mildam fluvium oppidum fundantem profligat quamplurimis cæsis, reliquis ad MM. libris argenti mulctatis. *Dan. lib.* 5. *c.* 30. Anno 1152. Fridericus I. Barbarossa Cæsar Cunradi III. ex fratre Friderico nepos Mersburgi in conventu imperii coronavit & in regno Daniæ confirmavit Zuenonem III. Erici filium, & Canutum competitorem Magnique parricidæ filium inter duces jussit haberi, cui ex veteri familiaritate se adjungens Adolphus ex Slesvico munito consilio & opera Etheleri Dithmarsi bello petitur, & auxilio Canuti confœderati perfide destitutus a Zuenonis exercitu ad villam Schallebui Eidoram transeunte pene obruitur, sed a familiari de insidiis admonitus, primum transeuntium agmen cum 4000. Holsatis aggressus, multosque partim opprimens, partim deturbatis equis, ipse quoque dejectus & per suos in equum restitutus, consilio Holsatorum poplites Danicorum equorum incidit, eoque stratagemate hostes in fugam convertens Ethelerum proditorem occidit, regemque Suenonem in altera ripa spectantem suorum cladem & valde perterritum in fugam conjecit, multaque præda locupletatus Danos superstites captivos abduxit, iisque ingente ære multatis & dimissis, omne æs alienum antea contractum persolvit. Hæc prima cum Danis glorioſa fuit Holsatorum Comitum conflictatio. Cæterum ossa condita sunt ante arcem Rensburg superstructo sacello. *Chron. Holf.*

Ao. 1139. *Adolphus in Holf. revertitur.*

Henricus fugiens Segebergæ & Hamb. arces destruxit.

Wagria Holsatiæ juncta novis coloniis adductis.

Ao. 1140. *Lubeca nova ædificatur.*

Adolphus cum Henrico Badev. transigit, huic cedit. Raceburgum cet.

Ao. 1142. *Rudolphus Ditm. Com. cum conjuge a suis interfectus: hinc Henr. Leo vindex.*

Ditmarsia ceditur episc. Brem. Ao. 1146.

Lubeca obsessa. Ao. 1147. *Adolphus Nicloto Obotr. auxilium denegat: hinc Lubeca occupata & direpta.*

Vandali in Wagria disjecti. Ao. 1148. *Waldemar. D. Slesvic.*

Ao. 1151. *Sueno Canutum regni emulum fugat.*

Ao. 1152. *Sueno III. R. Dan.*

Adolphus Canuto Duci auxilians feliciter cum Danis confligit.

(17) Privilegium hanc in rem concessum a Lothario vid. in *Henning. Theatr. Genial. P. III. Tom.* 2. *p.* 244. quod hæc anno 1137. gesta esse docet.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ao. 1154. Vicelinus obit.

Holſ. fol. 48. Wand. lib. 4. c. 6. Anno 1154. S. Vicelinus Aldeburgenſis epiſcopus obiit pridie Idus Decembris, ſepultus in Nyemunſter miniſterio epiſcopi Raceburgenſis, cum jam annos triginta Holſatorum Evangeliſta fuerat in Faldera & quinquennio functus eſſet episcopatu atque triennium ex paralyſi decubuiſſet. Cujus ſingularis amicus fuit Comes Adolphus trium linguarum Latinæ, Germanicæ & Wandalicæ peritiſſimus, qui dedit Vicelini rogatu eccleſiæ Aldenburgenſi trecentos manſos in Euthyno & Gamelo, duoſque pagos Gudefeld & Wobeſſe in Borſovio domumque ad forum Aldenburgenſe ſitam.

Ao. 1155. Geroldus ei ſucceſſor idola Prono & Pogaga deſtruit, cœnobium Segebergæ collocat, arx Eutin. & eccleſiæ quædam ſtructæ, Vandalorum ſuperſtitio elimi-nata.

Chron. Holſ. fol. 52. Wandal. lib. 4. c. 25. Anno 1155. Geroldus Suevus ſucceſſor Vicelini VVandalos VVagriæ perſuaſit abjicere idolomaniam, & deſtruere idolum ſuum *Prono* in Aldenburg, atque *Pogaga* in Plœne, diruit cœnobium Hageriſtorfenſe, & transtulit Segebergam. Conſenſu quoque Comitis Adolphi ædificavit arcem Euthynenſem, & eccleſias in Bornhovede, Lutkenborch, Ratkow, Suſle exſtrui curavit. Rogatu quoque Brunonis (qui poſt annos 90. deſertionis Wandalicæ primus ſacerdos Altenburgenſis, & fundator templi S. Joannis Baptiſtæ fuit) Comes Adolphus abrogavit ethnicam Wandalorum jurandi conſuetudinem, jurandi in nomine arborum, fontium & lapidum & crucifigendi ſceleratos in ignominiam Salvatoris.

Ao. 1157. Danorum exactiones.

Wandal. cap. 26. Anno 1157. Sueno III. Danorum a Conrado ſocero reverſus ex Germania a Sleſwicenſibus cenſum extorſit Ruſſorumque merces copioſe ibi advectas diripuit, militibusque ſtipendia perſolvit.

Ao. 1158. Lubeca incendio conſumta; locus Henrico L. ceditur, qui novam molitus urbem privilegiis ornatam.

Dania lib. 5. c. 38. Anno 1158. Lubeca civitas tumultuarie conſtructa conflagravit incendio, cujus cum adhuc mercatu florentis & nunc flammis abſumtæ regimen & jus commune Comes Duci Leoni negaſſet, occluſa mercatoribus via publica & venis ſalinæ inciſis in pago Oldeſlo compulit Dux Comitem, ut tandem ſibi permitteret inſulam Lubecæ, cum præſertim alteram ad Wakeniſſe (ſed maximo cum mercatorum incommodo) molitus eſſet, qua tunc deſerta magno civium concurſu & gaudio novam ædificavit, quam incredibili multitudine civium brevi auctam privilegiis, legibus & moneta propria donavit atque omnia regna Aquilonaria ad hoc emporium invitavit vectigalia non oneroſa imponens. *Chr. Holſ. fol. 51.*

Ao. 1159. Henr. L. Saxoniam adminiſtrandam tradit Adolpho, qui cum Niclo-to fœdus pangit,

Wandal. lib. 4. c. 30. Anno 1159. Henricus Leo Lotharii Cæſaris ex filia nepos valde dilexit Adolphum, eique cum in Bavariam profectus eſſet contra vitricum ſuum omnem ditionem Brunſwicenſem & Lunæburgenſem ac Saxoniam adminiſtrandam commiſerat, quando interpellatus a Nicoloto ſeditioſos ejus ſubditos nomine Ducis feliciter compeſcuit & Nicloti firmam amicitiam ſibi conciliavit.

eum in Angliam ablegat nuptiarum ſibi procuran-darum cau-a.

Quapropter in expeditione Cæſarea Dux in Italia Comitem militiæ ſibi aſſumſit, in qua Mediolano expugnato & Duce Leone dimiſſo cum Epiſcopo Colonienſi miſſus eſt in Angliam, ubi de nuptiis Henrici Ducis eſt tractatum.

Ao. 1160.

Wandal. lib. 4. c. 34. Anno 1160. Niclotus princeps Obotritorum violans in abſentia Henrici Leonis pacem cum Waldemaro rege ſanciram apud Ducem reverſum in Ertenborch accuſatur, & a Leone bello impetitur, in quo cum ex inſidiis equites pabulatores ſub tunicis loricatos invaderet, equo deturbatus periit, vir nobilis & fortis, cujus caput amputatum ad Ducem defertur, qui Obotritorum terram Nicloti filiis eripuit, ſolumque præſidium in Werlo circa Roſtochium reliquit, & Gunzelinum Comitem in Zuerino conſtituit.

Nicolotus fœdi fragus ab Henr. L. bello petitur, in quo pugnans occumbit.

Sax. Crantz. lib. 6. c. 19. Dan. lib. 6. c. 8. Anno 1162. Waldemarus I. Danorum Hieroſolymam proficiſcens ab Adolpho in itinere humaniſſime excipitur in Holſatia & Bremam uſque deducitur.

Ao. 1162. Waldemarus Hieroſolymam petit.

Dan. lib. 6. c. 15. A. e. Erbernus Sleſwici pontifex præfecto occiſo per ſimultatem ceſſit exulans.

Dan. lib. 6. c. 14. Anno 1163. Altenburgenſis epiſcopatus conſenſu Ducis Leonis translatus eſt Lubecam jam populoſam factam per Geroldum Vicelini ſucceſſorem, qui ædificavit eccleſias S. Joannis ad arenam & S. Mariæ ad forum hodie conſpicuas, ordinatis XIII. præbendis canonice viventium, quibus Adolphus donavit villas prope Lubecam, & Dux ſingulis de telonio duas marcas Lubecenſis monetæ, præpoſito aſſumto Athelone ſacerdote, qui ante biennium urbem ſervaverat ab incurſu latente filiorum Nicloti, levato ponte catenato ſupra Wakeniſſe.

Ao. 1163. Epiſcopatus Altenburg. Lubecam translatus; urbis incrementa.

Wandal. lib. 4. c. 37. Eodem tempore Wandaliam ad auſtrum Kiſſinorum tenuit Albertus Urſus Marchio Brandenburgenſis, eamque uſque ad Albim & ſaltum Bohemicum ſub jugum Chriſti adegit, deficientibuſque Wandalis colonias novas ex Hollandia, Selandia & Flandria adduxit multiplicatis eccleſiis.

Vandali auſtrales Chriſtiana relig. initiati; deficientium loco novas colonias ſubſtituit.

Chron. MS. Geroldus Lubecenſis epiſcopus conſilio Adolphi Comitis & ſeveriſſimo mandato Ducis Leonis petit decimas ab Holſatis obſtinate reluctantibus atque tandem impetravit, quod in præſentia Ducis promiſerunt exemplo Polonorum, Pomeranorum, Polaborum & Obotritorum ſolvere de manſo ſex modios ſiliginis & octo modios avenæ, quos vocant hymptones, eamque conventionem litteris & ſigillis Ducis ac Epiſcopi roborari voluerunt.

Geroldus Epiſc. Lub. decimas ab Holſatis conſequitur.

Wand. lib. 4. c. 36. & 39. A. e. Pribislaus & Wercislaus germani fratres Nicloti filii provincias amiſſas recuperare ſtudentes novos motus concitarunt, ſed per Gunzelinum ſeditioſa machinatio Henrico Duci manifeſtatur, qui expedita militum manu Duces, antequam invaleſcerent, in Werlo obſedit, & admota machina lignea, qualem in expugnatione Mediolani viderat militiſque jacula quædam ex turri in hoſtem deſuper emittere jubens, Wandalos omnes conterritos de deditione conſultare coëgit. Pribislaus itaque Dux interceſſione Adolphi in gratiam receptus fratrem Wercislaum cum nobilibus dedit obſidem hac conditione, ſi fidem violarent, ut pro arbitrio illis abuterentur; ſed Wercislaus fidei atque periculi ſui oblitus per fidiſſimos ſuos fratrem ex vinculis ad bellum & ſeditionem incitavit, qui copiis clam coactis Magnopolin abſente præfecto Henrico de Scaten vi cepit, & omnes Saxonici ſexus viros

Nicloti filii nova molientes ab Henr. D. repreſſi.

Wercislaus obſes fratrem ad bellum ſollicitat; qui Magnopolin occupat in Saxonea furit, cet.

ac

ac fœminas obtruncavit. Deinde Malachow & Cuſſinum in deditionem accepit, & hoſtem expectavit Ducem Henricum, qui Waldemari claſſe & exercitu Alberti Marchionis ſtipatus ad arcem Malachow acceſſit, ibique Wercislaum perfidum principem in conſpectu fratris Pribislai ſuſpendi fecit, atque habito concilio quatuor fortiſſimos duces Adolphum Holſatiæ, Reinholdum Dithmarſiæ, Chriſtianum de Oldenburgo, & Gunzelinum de Zuerino Comites præmiſit cum equitatu ad oppugnandam arcem belli Demmyn, quam jam Pribislaus cum Pomeraniæ Ducibus tenebat. Ubi caſtris locus occupatus eſt, cœperunt Wandalorum primores fraudulenter de pace agitare, tria marcarum millia pacifcentes. Sed ubi ex congentilibus Wandalis Wagirenſibus conſilia Adolphi & Ducis Henrici moram pro voto cognoverant, ſummo mane ex improviſo hoſtes ſecuros & defatigatos ex via quadrato agmine adorientes, Holſatos & Dithmarſos primum obvios & cinctos a ſociiſque diviſos cum Ducibus Adolpho & Reinholdo ad unum omnes occiderunt, amiſſis Wandalorum ſuorum bis mille quingentis. Henricus Dux ſerius accelerans Adolphum amicum mortuum deflevit, ejuſque corpus diligenter curatum & conditum ſepulcro patrio intulit Mindæ, quia Holſatia nondum monaſteria aut inſignes eccleſias præter unam Hamburgenſem habebat. *Wandal. lib.* 5. c. 6. Anno 1164. 14. d. Calend. Martii tanta tempeſtas ventorum, fulgurum & tonitru orta eſt, ut multæ ædes incenſæ & ſubrutæ fuerint. Maris quoque tanta inundatio concitata eſt, quanta numquam antea audita, quæ omnem oram maritimam Albis & Viſurgis in Friſia & Hadeleria inopinato obruens multa hominum & jumentorum millia perdidit & mortem Comitis Adolphi præceſſit. *Wandal. lib.* 5. c. 12. Incolæ hanc inundationem vocant S. Valenthins Fluth. Wandali cæſo Adolpho diripiendis caſtris intenti a Gunzelino & Chriſtiano obruuntur, ac partim cæſi, partim fugientes Demmynum ſe recipiunt, nec exercitum Ducis expectare auſi oppidum & arcem incendentes in Pomeraniam abierunt. Quos Leo uſque ad Stolpe perſequens omnibus viribus exutos debellavit, ac Pribislao in gratiam recepto omnem paternam ditionem reſtituit, præter Zuerinum accepto fidelitatis perpetuæ juramento, de qua ſubactione in hæc verba ſcribit Helmoldus: Wandali Danorum impugnationes pro nihilo habent, imo voluptuoſum ducunt cum illis manum conſerere. Solus illis Dux Henricus Leo eſt formidini, atque protrivit robur Wandalorum ſuper omnes duces & reges, qui fuerunt ante eum, plus etiam, quam ille magnus Otto atque miſit frænum in maxillas eorum. Anno 1165. Dithmarſi poſt mortem Reinholdi occiderunt Abbatem S. Mariæ prope Stadam, cum veniſſet auferre reditus annuos ab Henrico Leone donatos in pagis Dithmarſiæ Lendberg, Bockwold & Herpe prope Meldorpium, mutatiſque pagorum nominibus reditus negaverunt, quo tempore nobilitatem, quæ inter illos habitavit, terra expulerunt. A. e. Mathildis Adolphi vidua Holſatiam adminiſtravit cum tutoribus filioli impuberis Brunone ſacerdote Aldenburgenſe & Macrado Holſato patris teſtamento in Wandalia ordinatis, quibus bello poſtea in Holſatia exorto Dux Leo attribuit gubernatorem Henricum Thuringum comitem de Orlemunde. *Wandal. lib.* 5. c. 8. *Sax. Crantz. lib.* 6. c. 21. Anno 1167. Henricus Leo Brunſwicum dilatavit, muris includens arcem oppido adjacentem, eccleſias quoque S. Blaſii & Baptiſtæ exſtruxit, vallum & mœnia per rubeta & paluſtria loca circumdans, poſtea in Raceburgo & Zuerino eccleſias ædificavit hodiernas. Anno 1168. Waldemarus I. rex Danorum S. Canuti filius poſthumus auxilio Cazimiri & Bugislai Pomeranorum, & Pribislai II. Obotritorum principum, Rugianos Wandalorum pertinaciſſimos debellavit, & ad fidem Chriſti datis obſidibus adegit (eamque pari cum Duce Leone poteſtate ex fœdere gubernavit excluſis Pomeranorum principibus) deſtructo *fano* & idolis illorum *Swanewito* (quem ſuſtentatione generoſi equi albi ad hoſtes ſuos perſequendos religioſe coluerunt.) Item *Rugiemo* & *Porenutio* quatuor quinque & ſeptem facies in uno capite habentibus concrematis, de quibus nulla miracula, ſed ſola hæc Dæmonum ferebantur præſtigia, quod adulteri mulierculis alienis quaſi canes cohærendo dirimi diu non poterant & ridiculo ſæpe ſpectaculo in publicum producti cernebantur. *Saxo Gramm. lib.* 14. *fol.* 170. *Wandal. lib.* 5. c. 15. 19. Anno 1170. cœptum eſt muniri oppidum Roſtochium, quod hactenus ruſticis caſellis circa arcem, ubi nunc D. Petri baſilica in colle cernitur, conſtructum erat, ad cujus defenſionem contra ſuſpectos præſidiarios Nicolaus Wercislai filius fortalitium erexit in albo colle, quod etiamnum veteri nomine Borchwall nuncupatur, hoc eſt arcis vallum. *Wandal. lib.* 5. c. 8. Eodem tempore Hannovera inſigne Saxoniæ oppidum amplificatur a Duce Leone, quod antea ſub Comitatu in Lœvenrode vile & nullius momenti fuerat, arce (al. acri) exiſtente in loco, ubi nunc eſt nova civitas ultra Leynam. *Saxon. lib.* 6. c. 27. A. e. Waldemarus I. rex miſit filium ſuum nothum Chriſtophorum Sleſwici præfectum cum epiſcopo Roſchildenſe Abſalone & mille equitibus in Wagriam piratas foventem, qui urbem Altenburgum cum tota regione uſque ad Suentinum fluvium devaſtarunt nullique hominum præterquam ſacerdoti Brunoni pepercerunt cum ſuis domeſticis, quibus tutores Holſatiæ Bruno & Macradus expedito agmine occurentes fortiſſime utrinque conflixerunt circa Preze in loco, qui campus Danorum vocatur, ſed victoria neutri inclinante Dani ad claſſem ſuam receſſerunt. *Wandal. lib.* 5. c. 17. 35. *Chron. Holſ. fol.* 55. Sleſwico hoc tempore 60000. armatorum impoſita ſunt. *Wandal. c.* 36. Anno 1171. Waldemarus I. auxiliis Ducis Leonis & Rugianorum ſubditorum ducta per Zuinam fluvium claſſe advectus Julinum Wandalorum

Wercislaus ſuſpenſus.

Demmina oppugnata

Holſatorum & Dithmarſorum cum Duce Adolpho ibi ſtrages.

Ao. 1164. Tempeſtas ſeva & inundatio.

Vandali debellati.

Pribislao patria redit ditio.

Ao. 1165. Dithmarſi Bremenſibus tributum denegant Abbate occiſo.

Adolpho III. impub. tutores 6. annos conſtituti.

Ao. 1167. Brunſvicum ampliatum.

eccleſiæ Raceb. & Suerin.

Ao. 1168. Rugiani devicti idolis eorum deſtructis.

Ao. 1170. Roſtochium munitur.

Hannovera aucta.

Waldemar. R. piratas in Wagriæ perſequitur.

Ao. 1171. Julinum dirutum.

rum emporium celeberrimum Danos piratica semper infestans (Pomeranorum Ducibus fugatis) cepit & incendio absumsit, quo tempore Demmynum & Coscona urbes flammis consumtæ numquam respirarunt. *Wandal. lib. 5. c. 39.* Anno 1172. Henricus Leo profectus est in terram sanctam per Ungariam cum comitatu mille ducentorum virorum ad arma expeditorum, & quo inhumanius habitus a Bulgaris tanto honorificentius exceptus est a Manuele Imp. Græcorum, atque a summis pontificibus, principibus & optimatibus ad latus Cæsaris incedens deductus est per plateam purpuream aureis lampadibus & coronis ornatam usque ad tentorium auro & gemmis splendidissimum, inde in ecclesiam juxta Cæsarem singulari throno ad sacra spectanda collocatus, deinde in mensa regio luxu instructa variis sermonibus habitis episcopus Wormatiensis meminit disputationis veteris Græcorum & Latinorum de processione Spiritus Sancti, cumque Græci ex evangeliis & patrum scriptis multa attulissent Spiritum Sanctum a solo patre procedere, Henricus Abbas Brunswicensis (postea episcopus Lubecensis) doctissimus demonstravit disertissimis verbis ex S. patribus disputationem hanc non de re, sed de verbo esse, & Spiritum Sanctum ex patre & filio procedere, ita ut omnibus Græcis & Duci suo obscuram rem dilucidissime exponere visus sit. Atque postea Dux Henricus tanta panni serici copia donatus a regina fuit, unde omnem suam familiam vestire potuit, tradita unicuique pelle zabelina. *Saxoniæ lib. 6. c. 31. 33.* In reditu vero ex Judæa in loco Axarat amicissime a Soldano excipitur & cum osculo atque complexu consanguineus salutatur (Russorum enim Dux ex Germana conjuge procreatam filiam Soldano cuidam nuptum dederat) donatumque aurata tunica maximi pretii, triginta caballis generosis auro ornatis, sex camelis, & duobus leopardis humanissime cum conductu est dimissus, anno revoluto domum reversus. Anno 1173. Cunrado episcopo Lubecensi in sancta peregrinatione Ducis Leonis mortuo Tyrique sepulto suffectus est ab Henrico Leone hic Abbas Henricus S. Ægidii in episcopum III. Lubecensem, qui anno sequente 77. fundavit cœnobium S. Joannis in civitate Lubecensi, in quo sui episcopatus anno 15. est sepultus. Cœpit quoque cum Duce Leone ædificare majus templum S. Joannis Baptistæ, quod Lubecæ hodie extat. Anno 1177. Soldanus victo Emanuele Græcorum Imperatore per legationem dono misit Friderico I. Cæsari preciosa munera, inter quæ fuit cantharus Smaragdineus capiens sextarium balsami pistici cum multis aliis preciosis gemmis. *Sax. Crantz. lib. 6. c. 37.* Anno 1180. Fridericus episcopus Slesvici pleno velo in Daniam navigans, subversa navi cum omnibus periit, sepultus Sorani in Cœnobio Zelandiæ. *Dan. lib. 6. c. 46.* A. e. Henricus Leo communi sententia imperii proscriptus est ob multiplicem superbiæ mixtam contumaciam, quod Cæsari Friderico a. 1176. se humiliter vocanti ad vindictam rebellium Mediolanensium (quos tunc quarta vice expugnatos coëgit eximere dentibus ficum ex culo asini, eo quod ipsi imperatricem inverso ad caudam vultu impositam contumeliose per civitatem eduxerant) personalem congressum non tantum negavit, sed accusatus a principibus quarto ad comitia vocatus comparere atque 5000. marcarum mulctam pendere recusavit. Ducatu vero Saxoniæ attributo Bernhardo de Anhold, ipse anno proximo ex consilio Cæsaris exulavit triennio in Anglia apud socerum Richardum regem. A. e. Adolphus III. peregrinator dictus militavit Duci Henrico in Westphalia contra episcopum Colonienſem, quo victo Adolphus invito Duce retinens pro suo salario & lucro 72. captivos suos expulsus est cum matre a Leone ex tota Holsatia (cum vitricus ejus Henricus de Orlemunde, & jam octennium tutor, anno 1178. vita functus esset) substitutis ipsis vicariis Macrado Holsato in Plœne, & Ludolpho Bavaro in Segeberga, qua arce difficulter expugnata Adolphus confugit in tutelam Friderici I. Cæsaris. *Sax. Crantz. lib. 6. c. 39.* Anno 1181. Fridericus Barbarossa expulsurus Henricum Leonem contumacem ex Saxonia & Holsatia evocavit ad colloquium Waldemarum I. Danorum regem in castra ad obsessam a se Lubecam, & duobus suis filiis junioribus totidem regias filias in matrimonium despondit. Lubeca vero ex permissione Ducis Leonis Stadii morantis Cæsarem intromittens Cæsarea facta est accepitque privilegia confirmata & aucta per Fridericum I. Adolphus præter Holsatiam recuperatam donatus est a Cæsare dimidietate telonii & tributorum de trapezitis ac molendinis beneficio feudali. Hamburgensibus quoque Comes Adolphus eodem tempore insignia, quæ extant, privilegia impetravit. *Crantz. lib. 6. c. 43. (18)* Anno 1183. Sigfridus Bremensis Archiepiscopus conatus est eripere Adolpho Dithmarsiæ Comitatum & fratri Bernhardo Saxoniæ Duci attribuere, sed utriusque armis Comes se opponens Dithmarsiam pro sua retinuit & defendit. *Sax. c. 45.* Anno vero 1186. Dithmarsiam reddidit & armis subdidit ecclesiæ Bremensi, retinens sibi ex pactione ducentos modios avenæ ex Soderstede & vicinia ejus in sustentationem arcis Hanrow, idque beneficium ducentis annis penderunt usque in annum 1404. quando Dux Gerhardus ad Hammam cæsus fuit. Dithmarsi autem proximo mox anno tributum grave ecclesiæ negantes ab Hardewico deficiunt ad Waldemarum episcopum Sleswicensem sub Daniam. *Chron. MS.* Anno 118.. Adolphus III. novum præsidium ad ostium Travenæ erexit, & ex donatione Cæsaris vectigalia exegit,

Demminum & Coscona incendio absumta.

Ao. 1172. Henricus Hierosolymam profectus honorifice habetur Cpoli.

Itemque a Soldano Axarate.

Ao. 1173. Conrado episc. Lub. succedit abbas Henricus; cœnobium S. Joh. & templum ædificatur.

Ao. 1177.

Ao. 1180. Fridericus episc. Slesvic. naufragio perit.

Henricus Leo proscriptus ob inobedientiam. de Mediolanensibus gravem vindictam sumit Imperator.

Saxonia traditur Bernhardo Anhalt.

Adolphus III. Holsatia exul.

Ao. 1181. Lubeca facta Cæsarea.

Adolphus ab Imp. reditibus auctus. Hamburgensibus insignia priv. concessa.

Ao. 1183. Adolphus Ditmarsiam contra Sigfrid. Brem. Archiep. defendit.

Ao. 1186. eam ipsi tradit.

Ditmarsi deficiunt ad episc. Slesv.

Ao. 1184. Lubecenses redimunt vectigalia aliaque.

(18) *Henning. Theatr. geneal. Tom. III. P. 2. p. 117.* ubi de factis Henrici Leonis agit, ita scribit: Adolphum Holsatum & Bernhardum Razeburgium Comites in exilium pellit 1182.

egit, sed nova, exemplo Henrici Leonis. Lubecenses igitur interpellato Cæsare Friderico redemerunt totalem libertatem fluminis usque ad Oldeslo, & dimidietatem tributorum ac pascuorum ab Adolpho pro quingentis marcis, eamque transactionem litteris Cæsaris confirmarunt. *Sax. Crantz. lib.* 6. *c.* 53. *Wandal. c.* 26. Anno 1186. Meinardus monachus Zegebergensis navigans cum mercatoribus in Livoniam fidem ibi Christianam prædicavit & contra Lithuanorum incursiones arcem Kerchholm ad Dunam fluvium fundavit, atque postea episcopalem sedem Rigæ primus erexit. *Sax. lib.* 7. *c.* 13. A. e. Adolphus III. ædificavit cœnobium Reinfeld, idque præsidiis & pascuis ad Travenam donavit. *Chron. MS.* Eod. a. Adolphus Duci Bernhardo ob vim Holsatiæ illatam arcem Lowenborch destruxit. *Chron. Holf. fol.* 57. (19) Anno 1187. Canuti VI. mater desponsata Ludovico Landgravio Thuringiæ excipitur a sponso ad Eidoram & ab Adolpho deducitur per Holsatiam laute & hospitaliter tractata. *Dan. lib.* 7. *c.* 5. (20) Anno 1188. Adolphus III. profectus est cum Cæsare Friderico I. in terram sanctam ad recuperandam Hierosolymam nuper a Saracenis Christianis ademtam, in qua expeditione Cæsar ad se refrigerandum in amnem Armeniæ inter montes vorticosum cum equo descendens in conspectu exercitus unda abreptus & submersus est. Henricus Leo interim reversus ex Anglia contra datam Friderico discedenti fidem adempta recuperare volens ab episcopo Bremensi Comitatum Stadensem impetrat, inde obsidens Bardewicum (præsidio Ducis Bernardi sibi a Cæsare subrogati occupatum) arctius cinxit, ob contumelias ante septennium in transitu suo in exilium audi as de muro, & nunc contentiose pugnantium invicem repetitas, fortiusque oppugnans cepit tandem die Simonis & Judæ, direptumque flammis absumsit. Macradus deinde Holsatus, Adolphi olim tutor, aliique simul Holsati exules nobiles Ducem Henricum Leonem in Holsatiam reducunt, tradentes omnia præsidia, sola arce Segeberga defensa ab Eygone Sturen, (fideli Adolphi) fugientibus Adolpho de Dassel socio & vicario Adolphi Comitis cum filia & familia in Lubecam. *Sax. lib.* 7. *c.* 2. Anno 1189. Henricus Leo exercitum suum transtulit ad Lubecam, quæ territa exemplo Barderwici intercessione sui episcopi dedidit se Leoni hac conditione, ut Adolphi conjux cum patre Adolpho salva discederet, sed paulo post Adolphus de Dassel expeditam contrahens militum manum infestavit Lubecenses, cui Duces Henrici Leonis ex urbe occurrentes victi sunt, captusque Helmoldus de Zuerino & Jordanus in Segeberge pertracti, atque tandem nongentis argenti marcis sese redimentes dimissi fuerunt. A. e. Henricus VI. Cæsar Barbarossæ filius juste indignatus ob ereptam absenti Adolpho Holsatiam oppugnavit Brunswicum Leonis sedem, sed re infecta discedens a. 1190. his conditionibus Leonem in gratiam recepit, ut Adolpho Holsatiam integram & dimidiam Lubecam redderet, murosque Brunswici quatuor in partibus diruret. A. e. Canutus VI. ob repudium matris & sororis suæ a Cæsare sine honore domum remissæ per Wandalos jussit Holsatiam vastari, totamque Nordalbingiam sui juris esse adseruit. *Dan. lib.* 7. *c.* 6. Eod. a. Saxo Grammaticus obiit Rothschildæ præpositus & Doctor, Danorum historiographus. *Chr. MS.* Anno 1191. Adolphus III. Tyri in Palæstina cognoscens Holsatiam ab Henrico Leone occupatam, rediit in Germaniam & apud Cæsarem de violentia Leonis questus magnifice est donatus, inque Schowenborch cum spe recuperandæ Holsatiæ dimissus. *Sax. Crantz. lib.* 7. *c.* 7. Anno 1192. Adolphus ex Judæa redux auxiliis Bernhardi Saxonis & Ottonis Marchionis fratrum restituitur Holsatiæ, cum omnes reliquos aditus Leo Dux ipsi præclusisset, atque mox cum Bernhardi junioris copiis Lubecam obsedit, claudens Travenam trabibus, sed Bernhardus a Leonis copiis immissis in fugam pulsus Raceburgum concessit. Adolphus vero in Holsatiam ex urbe similiter excurrentes fortissime repressit hostes. Bernhardus itaque junior auctus viribus reversus copias ex Stadio missas a Leone (in qua & pater Bernhardus erat) noctu ex urbe propter inopiam commeatus discedere conantes celeriter antevertens inopinato stravit, magnumque Stadensium civium numerum cepit; quo nuncio Adolphus Segebergæ ægrotans ad sanitatem est recreatus, civesque captos sine mulcta dimittens ad recuperandum Stadium spem sibi per illos fecit. Proinde Hamburgi mox comparato exercitu movit in Kedingensem provinciam incendio late grassans usque ad civitatem Stadensem, quam ubi ex dissensione civium deditione cepisset, Lubecenses simul adegit in suam potestatem, inde proficiscens ad Cæsarem Henricum impetravit sibi confirmari omnes urbis proventus, & Stadensem comitatum similiter ab episcopo Bremensi in feudum accepit *Sax. lib.* 7. *c.* 7. Anno 1193. Waldemarus Slesvici episcopus regnum affectans captivatur in Slesvick, rex in Nordalbingiam vastabundus processit ob auxilia ab Adolpho lata episcopo & mulcta accepta Adolpho reconciliatur. *Sax. lib.* 7. c. 5. Anno 1195. Henricus Leo ætate & laboribus defes-

Ao. 1186. Livoni ad Christianismum reducti & episcopatus Rigens. institutus.

it. Reinfeld cœnobium.

Lauenburg. arx destructa.

Ao. 1187.

Ao. 1188. Adolphi in terram S. cum Frid. I. Cæs. profectio.

Imp. aquis submersus Henr. Leo rediens Stadensem Comitatum recipit, Bardevicum arctius obsidione cepit & solo æquavit; in Holsatia recipitur.

Ao. 1189. Lubecam deditione capit.

Brunsvicum ab Henr. VI. Imp. oppugnatur frustra.

Ao. 1190. Adolphus in Holsatiam reducendus.

Vandali Holsatiam vastant, Nordalbingiam sibi postulat Henricus Leo.

Ao. 1191. Adolphus redux ex Palæstina a Cæs. benigne exceptus.

Ao. 1192. Adolphus tandem in Holsatiam restitutus.

Bernhardus jun. ipsi socius cum Henrico L. constigit fausto omine.

Stadium capit & tractum Lubec.

Ao. 1193. Nordalbingia præda Danorum exposita.

Ao. 1195. Henr. L. obit.

(19) A. 1186. bellum in Nordalbingicis oris gestum est, cujus præfectus constitutus fuit Otto Burggravius Lisnicensis & comes Groizensis, qui eodem tempore Ranzoviorum generosissimam familiam exstructione arcis Ranzoviæ nomine instauravit. *Elverf. p.* 237.

(20) A. 1188. Henrico Saxoniæ duci in expeditione contra Lubecenses & alios, Hamburgum, Itzehoe se proprio motu dederunt. *Spangenb. Chron. Mansfeld. f.* 377. *b.* Imperatore Friderico profecto ad terram sanctam Stadensem & Holsatiæ comitatum recepit Henricus Leo A. C. 1188. *Henning. Theatr. Geneal. Tom.* 3. *P. II. p.* 117. In tabula vero huic paginæ affixa, quæ typum monstrat divisionis ditionum Henrici Leonis ad insignia Holsatiæ legitur:

Sincera prævalet fides,
Holsatiamque possidet.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

defessus multisque regibus præclaris gestis comparandus de recuperanda pristina majestate desperans, Brunswici obiit, honorifice sepultus in ecclesia S. Blasii a se exstructa, cujus sepulcro cives imposuerunt propter cognomen æneum Leonem, non ideo quod, ut quidam fabulantur, Leonem secum ex Judæa adduxerit. *Sax. lib. 7. c. 8.* Anno 1197. Adolphus cum Henrico VI. Cæsare iterum profectus est in Judæam ad liberandam Hierosolymam a Saracenis, sed Cæsare Neapoli detento ipse cum exercitu Cæsareo ultra hominum 60000. in Cyprum pervenit, inde Ptolemaidem, ubi in itinere prope Sareptam Sidoniorum Adolphus in prælio occidit fortissimum ducem Saracenorum, expugnata arce Beryth Christianis semper infestissima, reperta armorum & commeatus magna copia, gloriaque sua apud totum exercitum magni facta. Ubi vero de inopinata Cæsaris morte certiores facti sunt duces, principem Tyri creaverunt regem Hierosolymorum & in Germaniam reversi sunt. *Saxon. lib. 7. c. 10.*

Ao. 1197. Adolphus iterata cum Cæs. in Palæstinam profectione feliciter agit.

SECULUM SEXTUM
ANNI MILLESIMI DUCENTESIMI.

Ao. 1200. Adolphus Com. Vandaliam invadit, sed astute cedit Canuto VI.

ANno 1200. Adolphus Comes cum Ottone Marchione Wandaliam circa Tributes regi Danorum subjectam militari manu invaserat, quare exasperatus Canutus VI. Henrici Leonis gener cum exercitu venit ad Eidoram, sed astuto consilio usus Adolpho tunc potentiori ad tempus cessit, & exercitum copiosum Ducis ludificans suum reduxit. *Chron. Holf.* A. e. Adolphus ædificavit turrim Travemundæ. *Chr. MS.* A. 1201. Canutus reversus Rensburgum Adolpho extorsit, idque probe munitum facto ponte per Eidoram clavem sibi paratam fecit in Holsatiam. Adolphus vero bis ictus necdum sapiens aut quiescens, sed arcem Lowenborch Canuto oblatam expugnans, Dithmarsiam Daniæ subditam vastavit, & Nobiles aliquot Holsatos partim ære gravi & insolito mulctavit, partim ditione expulit. Waldemarus autem Slesvici Dux exulum Holsatorum stimulis incitatus cum Adolpho prope Itzehoam ad Stilnow conflixit, eoque victo & fugiente Hamburgum Itzehoam cepit atque Plœne diripuit. Deinde mox cum victore exercitu procedens Hamburgum occupavit, & Razeburgum, Wittenburgum & Gadenbuschum. Lubeca similiter se regi dedidit. Adolphus ex urbe Stadensi vires reparans, Hamburgum recuperavit, dumque id communire studet, ab exercitu ducis Waldemari in ipsa bruma obruitur, cumque esset undique hic Albis glacie, illic exercitibus conclusus in manus venit Waldemari Ducis, qui ipsum vinctum & ignominiose per Holsatiam tractum Slesvici in carcerem misit ad Waldemarum Episcopum, cum quo in regem seditioso a. 1193. regis provincias ultra Eydoram depopulatus erat, pacemque 1400. denariorum marcis redimere coactus suas secundas res primum labefactarat. *Chron. Holf. fol. 64. Dan. lib. 7. c. 9. 10.* (21) Anno 1202. Canutus VI. Danorum Lubecam ingressus honorificeque a populo & Clero exceptus salutatus est rex Danorum, Wandalorum & Nordalbingiæ, sed paulo post in regno (ut fertur) veneno exstinctus; frater Waldemarus II. succedens proximo vere Lowenburgum arcem firmissimam hac conditione cepit, ut Adolphum Comitem perpetuam pacem (datis ad decennium duobus filiis obsidibus) confirmantem dimitteret liberum, qui vinculis laxatus abiit in Schowenborch anno ætatis XL. ubi major septuagenario obiit, relictis tribus filiis, Brunone Episcopo in Olmuntz, Conrado Comite in Schowenborch, & Adolpho in Holsatia. *Sax. lib. 7. c. 21.* A. e. Waldemarus Slesvici Dux nuptias celebravit Hamburgi cum sorore Ottonis IV. Cæsaris, cujus frater Wilhelmus Dux Brunswici vicissim accepit regis Canuti sororem Helenam. *Dan. lib. 7. c. 12.* Anno 1204. Waldemarus II. rex Canuti VI. frater, legislator dictus, quiete jam possidens Holsatiam, Lowenburgum atque Raceburgum, vicarium constituit ditionibus his cis Albim Adelbertum Comitem de Orlemunde Adolphi III. pulsi fratrem uterinum, quare Holsati pertæsi jugi Danici relinquentes sua prædia in Marschiam Wilstrensem concesserunt. *Chron. MS.* Anno 1205. Nobilis domina de Deest, vel potius de Heest (al. Seest) in Kellingdorf Crempensis Marschiæ miserata adversam Holsatorum fortunam, profecta est ad Adolphum III. in Schowenburch, & multis tandem precibus ab ipso extorsit juniorem filium Adolphum, eumque in paludstria Wilstriæ secum abduxit, cujus præsentia exhilarati Holsatorum proceres, postularunt a præfecto regio Segebergæ jus Holsaticum sibi restitui; nam Danicis legibus se parere nec velle nec posse: quibus cum ille responderet se mox introducturum canem in medium, qui jus non scriptum illis delatret, ipsi gladiis eductis jus suum sese defensuros affirmantes præfectum fugientem confoderunt, arcemque Segebergensem statim occuparunt atque præter fortalitia quædam Marschiæ Itzehoam oppidum ingenti fossato circumducto communiverunt, in quod cum regii præfecti ad hanc necem vindicandam exercitus conducerent, & novo jacto aggere factoque ponte oppugnationi instarent, ferunt Storam fluvium bis de die in tantam excrevisse altitudinem, ut ponte subverso exclusis Danis cives obsessos tueretur: ob quam miraculosam liberationem dies hæc nativitatem

turrim Travemundæ struit.

Ao. 1201. amittit Rensburgum, Lowenburgum arce obsessa & aliis inimicæ patratis prælio vincitur a Woldem. D. Slesv. cum plurima jactura.

Lubeca occupatur.

denuo congressus captivus circumducitur.

Ao. 1202. Canutus Dan. R. Lubecam intrat salutaturque R. Vand & Nordalb. paulo post obit, itemque Adolphus.

Waldemari Sl. D. itemque Wilhelmi Brunsv. nuptiæ.

Ao. 1204. Adelbertus I. Com. Orlam. Holsatiæ vicarius annos 20.

Holsatis indignantibus.

Ao. 1205. Adolphi III. fil. in Holsatiam adductus.

Stora exundans Holsatos contra Danos tuetur Itzehoæ: unde Bürgertag.

(21) Refert hæc omnia *die Geschicht der Hertzogthümer Schleßwig, Holstein* in 4to *p. 31. seq.* in A. C. 1200. *Lindebergius in hypotyposi arcium Henr. Ranzovii 4to. p. 65.* ita scribit occasione descriptionis prædii Stelnow: Famosa adhuc est pugna illa infausta inter Slesvici ducem Waldemarum, Canuti Daniæ regis fratrem, & Adolphum Holsatiæ comitem facta, qui non procul ab hoc prædio victus ad Hamburgenses confugit. Versibus hæc inclusa sunt sequentibus:

Non procul hinc Comitem Dux Waldemarus Adolphum
Vicit, difficilem compulit inque fugam.
Sic humanarum nulla est constantia rerum,
Passibus ambiguis Diva rotunda volat.

tem S. Mariæ proxime præcedens civium dies (Bürgertag) in hunc usque diem nominatur. *Sax. lib. 7. c. 22.* (22) Anno 1207. Adelbertus Comes & præfectus Holsatiæ jussu regis sui Waldemari II. expugnavit arcem Suerinum & Boizenburch confregit, eo quod Henricus & Gunzelinus II. Comites nobilem Joannem Gantz de arce sua Grabow expulerant. *Sax. c. 27. 38.* Anno 1208. Waldemarus Episcopus, Magni parricidæ filius ejicitur Stada a Burchardo præpositi, cui in defensionem rex Waldemarus ponte per Albim facto transiens præsidium arcem Honeburg firmavit. *Dan. lib. 7.* Anno 1209. Dantiscum ædificatum est. *Chr. MSC.* A. c. Waldemarus II. rex Danorum ministerio Jarimari Rugianorum principis fundavit urbem Stralsundensem, denominatam a proxima insula Strela, quasi Strelæ faux. Quo anno Lubeca proprio conflagravit incendio, consumta usque ad quinque domos; unde vicus quinque domorum hodie appellatur, occupatur a Waldemaro 1. Septembr. *Chron. MS. Wandal. lib. 7. c. 52.* Anno 1215. Otto IV. Cæsar eripuit adfini Waldemaro Hamburgum, quod vicissim anno sequente rex cum Comite Alberto dura obsidione cinxit, exstructa arce ad Albim, ubi nunc parochia D. Nicolai est, in loco, qui hodie dicitur urbs nova, cui e regione ad orientem prope villam Steinbeke Comes Albertus aliud fortalitium erexit, occluso quoque Albi trabibus & catena ferrea, ne quicquam alimentorum invehi posset, unde fame coacti cives libertatem pacti regi se dediderunt, qui Comiti pro 700. argenti marcis Hamburgum in perpetuam possessionem donavit, id quod literæ quædam Alberti supra quibusdam juribus urbi datæ testantur. *Wand. lib. 7. c. 4. Sax. lib. 7. c. 36.* (22*) Anno 1218. Albertus Comes Nordalbingiæ navigavit in Livoniam pugnaturus contra infideles, convocante quotannis Alberto Livonienſi Episcopo viros militares & studio indefesso Christianam religionem in annos XXX. propugnante, quo tempore VValdemarus II. Danorum brevi Albertum secutus Revaliam in Esthonia Livoniæ exstruxit, & provinciam ad Christianismum coactam Ecclesiæ Lundensi subjecit. *Sax. 37.* Anno 1223. VValdemarus II. Danorum rex vocavit in Daniam literis fiduciæ Comitem Henricum de Suerino ad transactionem expulsi Nobilis Joannis Ganz de arce sua Grabovienſi, sed cum iniquas pacis conditiones proponeret, Comes Henricus regem ex venatione lassum, & a suis ebriosis male custoditum inque tentorio alto somno oppressum gula apprehendit, & ore obturato in navem præparatam pertraxit, & sine ulla Danorum commotione mox abductum in Danneberg arcem Lunæburgenſis ditionis gravi custodiæ mancipavit. *Sax. lib. 7. c. 39.* Anno 1224. Adolphus IV. dictus Religiosus, occasione capti regis VValdemari motus, auxilio patris Adolphi III., Gerhardi Bremensis Episcopi & Comitum Henrici de Swerino & de VVerle occupavit transalbinam regionem patrum suorum; Albertum vero de Orlemund regium vicarium manu militum sibi occurrentem Henricus de Suerino cepit, & apud regem suum avunculum integro triennio custodiæ tradidit, quando reddita arce Lowenburch Alberto Duci Saxoniæ dimissus est. *Dan. lib. 7. c. 18.* Anno 1225. VValdemarus II. rex biennium jam captivus & redemtionem sui per Henricum affinem Cæsaris filium & Engelbertum Colonienſem Episcopum frustra attentans, redemit tandem se quadraginta quinque millibus argenti, exceptis muneribus & clenodiis in amicos Comitis distributis, (quæ ad 3000. marcarum æstimata sunt) jurejurando confirmare coactus, numquam se Nordalbingiam armis repetiturum, & arcem Lowenburch traditurum. *Chr. Holst. VVand. c. 9. Sax. lib. 7. c. 39.* Anno 1226. VValdemarus rex subsidio Ottonis Ducis Lunæburgenſis sororii sui Holsatiam frustra tentavit recuperare Adolpho IV. heroica virtute suam patriam defendente. *Chron. Holst.* A. c. Lubecenses jam in annum 25. pertæsi Danici jugi, quod præfecti arcis multa per insolentiam tentantes etiam vicos de militum & regis nomine censerent, exemplo Adolphi IV. incitati pro libertate recuperanda supplicant Friderico II. Cæsari, ut se juxta privilegia patrum suorum imperio Romano restituere dignetur, qui mox vicinis principibus mandavit, ut Lubecensibus suppetias ferant. Cives itaque negligentem arcis custodiam observantes armis sub vestibus absconditis, clam arcem ingressi resistentes sibi facile enecarunt, reliquis salvis dimissis, arcemque mox confractam fratribus prædicatoribus consignarunt, unde hodie vocabulum Borch dimanavit. *Wandal. lib. 7. c. 8.* Anno 1227. rex VVoldemarus comperta rebellione urbis sui regni vires in expeditionem convertit, & trans Eidoram vastando progressus Ottoni Brunswicensi & Lunæburgensi atque Dithmarsis subditis suis se junxit. A Lubecensibus erant Episcopus Bremensis, Albertus Saxoniæ Dux, Comes Henricus de Suerino, Burewinus Obotritorum, & Adolphus IV. Holsatus. Dux vero exercitus erat Adolphus III. Schawenburgensis Comes fere septuagenarius. Dithmarsi tot principum arma in regem expediri perpendentes, clam Adolpho indicarunt, & fidem fecerunt, si salvis privilegiis suis contra Danum ipsis auxilio esse velit, se relicto rege suo jam pugna ferveſcente transituros

Ao. 1207. Adelbertus Suerinum & Boizenburch expugnat.

Ao. 1208. Stada Waldemarus episc. ejectus Honeburga arce excipitur a Dan. R.

Ao. 1209. Dantisci initia.

Waldemarus urbis Sundæ fundamenta ponit, Lubecam deflagratione in vicum reductam occupat.

Ao. 1215. Hamburgum ob Imp. sibi ereptum Waldemarus recuperat & socio Alberto Com. cedit.

Ao. 1218. Alb. Comes infideles Livonos Christo adducit.

Revalia conditur.

Ao. 1223. Waldemarus II. R. ab Henr. Com. Suer. captus.

Ao. 1224. Adolphus IV. sibi vindicat Transalbiam, Albertum Orlam. capit.

Ao. 1225. Waldemarus II. are libertatem acquirit.

A. 1226. idem frustra Holsatiam tentat.

Holsati a præfecto regio pressi pro libertate supplices fiunt Friderico II. Imp.

Lubeca occupata.

Ao. 1227. R. Woldemarus prælio ad Bornhoved. victus.

de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.

(22) Anno 1205. vel juxta alios 1265. cœnobium monialium nobilium, quod initio Ivenslethi in Crempensi Marschia fuerat exstructum indeque a Comite Gerhardo Adolphi IV. filio primum Beientsletham translatum, mox deinceps anno dicto Itzehoam cum templo translatum est, ubi & ipse cum multis posterorum suorum dormitorium suum sortitus est. *Hojer. Encœnial.* p. 39.

(22*) Anno 1215 templum S. Laurentii Itzehoë exstructum creditur. *Henrico Ranzovio*, & qui ductum ejus sequitur, *Ardr. Hojero* in *Encæniis vetustificati templi* A. 1661. d. 29. Mart. celebratis. vid. *conc. Encœnial.* p. 24.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

fituros esse ad ejus signa, quod militari symbolo inversorum clipeorum testari velint, quibus conditionibus cum Adolphus annueret, voto in laudem Dei facto congressus est cum rege circa Bornehœvede, & multis jam undique cæsis, Dithmarsi inversis clipeis in regis exercitum se converterunt, atque Dei beneficio solis splendore ab Holsatis in Danos conversо feliciter illum attriverunt. Rex cum filio Christophoro vix est elapsus & Otto Brunswicensis ab Henrico Suerinensi captus in redemtionem sui coactus est concedere Alberto Saxoniæ Duci Hiddesakker.

Adolphus IV. recuperat Holsatiam.

Adolphus IV. tunc plane recuperavit Holsatiam; Lubecenses vero recuperata libertate, amplioribusque privilegiis a Friderico II. Cæsare donati, hujus victoriæ memoriam quotannis peragunt, data stipe larga paupe-rioribus suis. *VVand. lib. 7. c. 8. Dan. lib. 7. c.* 19. Anno 1228. VValdemarus rex non quiescens infesto agmine obsedit Rensburgum, arcem Holsatiæ liminarem, ejusdemque clavem, quem Adolphus IV. ope Henrici Suerinensis ab obsidione depulit aliquot cæsis & captis. Rex vero pergens in Dithmarsiam in colas ob perfidiam in se commissam graviter adflixit, multis illorum cæsis. Inde se convertens ad Itzehoam nonnihil detrimenti ab Holsatis concurrentibus est passus, denique ingenti agmine Holsaticis viribus impari terram pervastans Segebergam arcem aliquamdiu obsedit, aliudque præsidium ad oppugnationem firmavit, sed frustratus in regnum suum rediit. *VVandal. lib. 7. c. 9.* Anno 1219. Abel filius regis VVoldemari II. hoc tempore Ducatum Sleswicensem administravit, & ducta in uxorem filia Adolphi IV. primus in filios suos gubernationem derivavit. *Dan. lib. 7. c. 21.* Anno 1229. Adolphus IV. pacata Holsatia arcem firmavit ad Albim flumen prope Hamburgum, cujus nulla hodie exstant vestigia, forte eodem loco, quo ante illum rex Daniæ fortalitium erexerat. *Saxon. lib. 8. c. 4.* Anno 1233. Adolphus IV. donavit oppidum Itzehoam jure Lubecensi, idque pratis & silvis locupletavit. Exemit quoque Holsatico jure Chilonium, Aldenburgum & Plonam, iis concessit jus Lubecense, ut eo commodius incrementa caperent, quæ privilegia Johannes & Gerhardus filii a. 1260. postea confirmarunt. (23) Anno 1237. Adolphus IV. privatus a Lubecensibus beneficio parenti suo a Friderico I. Cæsare in urbe donato, regis VValdemari sibi jam reconciliati auxilio Lubecam terra marique obsedit, duo fortalitia in utraque Travenæ ripa exstruens, & ostium fluminis ductis catenis ac nave ingenti saxis completa in alveum demersa obstruens, quæ Travenam occluserunt, sed naves mercatorum onerariæ Revalia reduces his conspectis impetum plenis velis facientes catenam disruperunt & civibus conjuncti hos Travemunda depulerunt, aliumque alveum effoderunt. Rege vero a. 1241. regni sui XL. exstincto mox dejectis præsidiis in gratiam redierunt. *VVand. lib. 8. c. 12. Chron. Holsat.* Anno 1238. Adolphus IV. commissa Abeli genero Holsatia, cum uxore sua devotionis gratia profectus est in Livoniam, militaturus contra infideles ibique biennium commoratus est, patriam pietatem in peregrinatione imitatus. *Saxon. lib. 8. c. 7.* A. e. Lubeca tertia vice ultra dimidium sui exusta est. *Chr. MS.* (24) Anno 1239. VVismaria a Gunzelino II. Zuerinensi ad littus maris est fundata, posthabita Magnopoli oppido immunito & in longum porrecto (quod nullis vallis & muris firmari potuit) eaque urbs novella brevi tempore adeo crevit, ut omnis memoria urbis Mecklenburg, quantumvis magnæ, sit abolita. *VVand. c. 11.* Hoc tempore Lubecenses metu Lithuanorum, omnem Livoniam vastantium & nostratium aliquot mille cæsis, aggerem suæ urbi versus Holsatiam prætenderunt. Monachi quoque Benedictini liberiorem vitam expetentes, Lubeca relicta Cismaram ad littus maris VVagrici exstruxerunt & inhabitarunt. *Chr. MS.* Anno 1240. Adolphus IV. Monachus dictus, rebus in Holsatia pacatis, cum filii Johannes & Gerhardus studio litterarum Parisiis operam darent, Holsatiæ gubernationem cum filio parvulo Ludero permisit Duci Abeli genero suo, ipse ordinem Minorum ingreditur Hamburgi XIII. Augusti cum duobus militaribus de Gickow, ad quod se fertur voto obstrinxisse, ut in Bornhovede victoria potiretur. *Sax. lib. 8. c. 7.* (25) Anno 1242. Johannes & Gerhardus exacto studiorum suorum biennio Parisiis per Coloniam reverterunt, detentusque est ab Episcopo VValdemarus studiorum socius & sororis ex Abele Duce filius. Ipsis vero feliciter patriam ingressis summoque cum gaudio ab Holsatis exceptis traditum est dominium hæreditatis paternæ a sororio Duce Abele, qui bellum cum fratre Erico gerebat. *Sax. lib. 8. c. 15.* A. 1243. Ericus V. Danorum rex desperans Lubecensibus patrium jugum imponere, comprehendit cives in Scania piscantes & pro arbitrio suo ære mulctavit. Quare cives Lubecenses armata classe portum mercatorum invadunt, regiamque arcem expugnatam funditus evertunt, atque præda onusti victores revertuntur. *Saxon. lib. 7. cap. 14.* A. e. Tundera oppidum sub Duce Abele donatum

Ao. 1228. Waldemarus Rensburgum obsidens repellitur.

Dismarsos male afficit,

ab Holsatis afflictus.

Ao. 1219. Abel Dux Sleswicens. hæreditavius.

Ao. 1229. Hamburgensis arx.

Ao. 1233. Itzehoa jure Holsat., donata itemque Chilonium, Aldenb. & Plona.

Ao. 1237. Lubeca ab Adolphi IV. oppugnatione se defendit.

Ao. 1238. Adolphus in Livoniam abit contra infideles pugnaturus.

Lubeca conflagratio.

Ao. 1239. Wismaria fundata detrimento Magnopolis opp.

Lubeca munita.

Cœnob. Cismar.

Ao. 1240. Adolphus IV. religiosorum ordini se adjungit.

Ao. 1242. Johannes & Gerhardus Wagriæ Com.

Ao. 1243. Erici V. R. Dan. injurias sibi illatas ulciscuntur Lubecenses.

Tundera privilegiis ornata.

Itzehoa privilegiis instructa.

(23) Juxta *Petersen.* sed & paulo post A. 1228. Ceterum. A. 1234. templum apud Hamburgenses Nicolaitanum ædificari primum, & turri pulcherrima ornari cœpit.

(24) Anno 1238. Itzehoa optimo privilegio & civitate donata est a Comite Adolpho, quod privilegium adhuc in originali servatur in Archivo civico Itzehoënsi, sed corrigendus hinc est *Jo. Petersen in seiner Holst. Chron.* p. 197. ubi dicit: Adolphus hat die Stadt Izehoe mit Lübischem Recht begnadet, und mit Weide und Holtzungen begabet im Jahr 1233. Man will auch, dass er das Schlos und die Stadt hat anfänglich lassen bauen. Erat enim in anno, dum 1233. ponit pro 1238. A. 1239. Comes Johannes civitatis Hamburgensis privilegia & libertates confirmavit, cujus rei quam plurimi Duces, Comites atque Episcopi tamquam testes litteris inserti sunt. *Elverfeld. p. 264.*

Hamburgensium privilegia.

(25) Anno 1242. Joannes Comes Holsatiæ urbem Kilonienſem privilegio donavit. quod vid. in *miscell.* MS. 4. lit. A. p. 115.

it. Kilienſ.

natum est civica libertate & privilegiis juris Lubecensis. *Chr. MS.* A. e. Johannes & Gerhardus in gubernatione dissidentes ex consilio procerum hæreditatem diviserunt. Johannes Wagriam cum Chilonio, Gerhardus junior Stormariam cum Holsatia regendam accepit. Sed de Chilonio ad Holsatiam pertinente iterum contendentes, Gerhardus auxilio Alberti Saxonis & Lubecensium frustra Chilonium occupavit & obsedit, atque cum fratre transigens pacifice imposterum ambo vixerunt, illo forte contento successione patrui in Schowenburg, quam posteri ejus tenuerunt. A. 1244. cum rex Ericus V. in fratrem suum Abelem Ducem Sleswicensem exardesceret, affines Johannes Wagriæ & Gerhardus Holsatiæ defensionem Abelis susceperunt, atque Rensburgum a Danis hactenus occupatum obsederunt, ideo Gunzelinus II. Zuerinensis regi militans oppidum Oldeslo cepit, & aliquot civibus interfectis reliquos præsidiarios in fugam compulit, oblitus recentis beneficii, quod nuper ob captum Waldemarum patrem Erico regi per intercessionem fratris Abelis reconciliatus erat. *Wand. c.* 24. *Sax. lib.* 8. *c.* 17. A. e. Adolphus IV. de more fratrum minorum pedes abiit Romam ad Papam Innocentium IV. & a pœnitentiario absolutionem effusi in prælio sanguinis accepit atque ad suscipiendos sacros ordines dispensatione Apostolica admissus Subdiaconatum mox in urbe acquisivit, anno Innocentii primo: postea D. Francisci loca invisens rediit in Holsatiam, & Hamburgi in conventu fratrum suorum publice missan in die S. Gregorii cunctis collacrymantibus peregit. *Sax. lib.* 8. *c.* 7. A. 1247. Adolpho IV. relicta Hamburga curavit in Chilonio monasterium erigi sui ordinis, ad cujus ædificium ipse suis manibus multa est molitus, atque insuper operariis victum a civibus ostiatim emendicavit tanta humilitatis devotione, ut dum sibi ollam lactis emendicati ad refrigerandum operarios portanti, filii Comites sublimes equis cum magno comitatu in publica platea obviam essent facti, primum rubore perfusus hydriam sub cuculla abscondere voluerit: sed animum mox recolligens hydriam super caput levatam evertit, seque in conspectu filiorum totum a vertice lacte perfudit, verbis his usus stomachabundis: Quid infelix erubescis Christi pauperiem, quin in capite ostende quod portas. *Sax. l.* 8. *c.* 7. A. e. Johannes Wagriæ in conventu principum imperii Nussiæ a VVilhelmo Comite Hollandiæ rege Pomeranorum designato cum multis aliis principibus cingulo militari decoratus est, & auratus miles factus. *Sax. lib.* 8. *c.* 16. A. 1250. Ericus V. rex fratrem Abelem de successione in patrio regno secum contendentem gravius persequens tantum odii fraterni incendium concitavit, ut Abel in necem fratris sui sibi prælati alto cordis dolore varie molitas flammas ejus exstinguere haud potuerit: Cum enim reconciliati essent & rex contemto somnio, quod de martyrio suo nuper habuerat, Abelem amice visitaret, nihilque mali timens in Schachia luderet, a fratris militibus nefario facinore captus & in navim abductus securi a quodam Lagone hoste suo est cæsus, inque Slya alligatus saxo demersus est, Augusti die decimo. *VVand. lib.* 7. *c.* 24. *Dan.* 21. (26) A. 1251. duo montes in Burgundia imperiali ab invicem discessere, valle intermedia magno hiatu scissa per quinque millia passuum rustica plebe aut absorpta aut saxis obruta. *VVand. c.* 25. A. e. Lubeca ad dimidium sui conflagravit incendio, die Barnabæ, quod adhuc tota lutea esset, ideoque senatus decrevit domos deinceps non ex argilla sed ex lateribus esse ædificandas, atque sic primum facta est lateritia, quæ intra centum annos a fundatione ter incendio periit. *VVand. lib.* 7. *c.* 15. *Sclav. c.* 37. A. 1253. Abel rex Danorum VValdemari II. filius ex tertia uxore Portugallica natus ad vindicandum se in seditiosos, in Frisiam est profectus, improvideque pugnans in Nordstrandia cæsus est a plebe rustica atque Sleswici sepultus, fratricidii pœnam juxta fratris vaticinium simili exitio luens. *Dan. lib.* 7. *c.* 23. Ferunt postea cadaver effossum atque in paludem Poel defossum esse. *Chron. MS.* A. e. Lubecenses expugnarunt urbem Sundam & diripuerunt abductis secum civibus locupletioribus domum. *Chr. MS.* A. 1254. Johannes Comes VVagriæ redemit captum VValdemarum Abelis filium & nepotem suum 6000. aureorum, cui mox a Christophoro rege & patruo permissa est administratio Ducatus Sleswicensis. *Dan. c.* 3. A. 1260. Johannes VVagriæ Comes, cum Lubecæ versaretur, occidit in platea pertinaciter se præcedentem ad D. virginem nobilem Burchardum Borth jampridem ex Holsatia a se pulsum. Quapropter Comes a civibus in turrim ecclesiæ compulsus deductus inde est a consulibus in prætorium urbis, ubi paucis diebus detentus, vulgique ira jam defervescente in ipsa meridie clausis foribus civium, demissus ex fenestra a ministris suis in stratum equum, atque nemine prohibente iracundus discessit in VVagriam non sine dissimulatione senatus. *Sax. lib.* 8. *c.* 24. A. e. Crempensium civitas donata est primitus privilegiis & jure Lubecensi per Gerhardum Holsatiæ Ducem Adolphi IV. filium, quæ quando condi cœpta & a quo, in historiis non habetur. Obtinuit nomen a fluvio Crempa, qui urbem interluit e Stora ortum trahens. A. 1261. Adolphus IV. obiit Chilonii monachus, sepultus in choro cœnobii a se exstructi, cum annos quatuordecim in religione vixisset, & cum Prælatis visitationi adhibitus effecerit, ut fratres monasterii familiarius, quam decebat, mulierculis adhærentes procul illas a se dimittere cogerentur. *Sax. lib.* 8. *c.* 7. 23. A. e. VValdemaro

Job. & Gerhardus hereditatem dividunt: binc lites. huic Holsatia, item Chilonium cedit.

Ao. 1244. Ericus R. fratri bellum infert; huic succurrunt Job. & Gerhardus.

Adolphus pœnitens Romam pedes abit.

redux.

Ao. 1247. Chilonii monasterium procurat.

istius humilitas.

Johannes miles fit auratus.

Ao. 1250. Ericus R. a fratre Abele in fidiose perimitur.

Ao. 1251. Hiatus montium in Burgundia.

Lubecense incendium.

Ao. 1253. Abel R. trucidatus.

Sunda capta.

Ao. 1254. Waldemarus Abelis filius ere liberatus; binc Dux Sleswicens.

Ao. 1260. Johannes Com. ob percussum quendam Lubecæ periculum effugit.

Crempa privilegiis a Gerh. donatur.

Ao. 1261. Adolphus IV. Chilonii obit, vitæ monasticæ suorum emendator.

Christoph. I. R. Hol-

(26) A. 1251 Hamburgum totum conflagratione interiit, unica solummodo domo in vico qui dicitur Bohnen-Strasse servata.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Satiam affectans in pugna Lobeid. capitur.

maro II. Duce demortuo, rex Christophorus I. frater Abelis rapuit ad se parvulum filium VValdemari Ericum, ut hoc tutelæ prætextu Ducatum Sleswicensem coronæ Danicæ conjungeret, quod ægre ferentes avunculi Johannes & Gerhardus indicto regi bello expeditis copiis congrediuntur in Loheyde Ducatus loco, ubi Marte diu ancipiti multisque cæsis ac captis rex Christophorus cum regina captus est, & Hamburgum abductus die S. Panthaleonis. *Dan. lib. 7. c. 23. Chron. Holf. fol. 74.*

Johannes Wagr. Lubecensium injurias bello persequitur.

Johannes I. VVagriæ nondum dimissum exercitum mox duxit in Lubecenses ad vindicandum ignominiam captivitatis gladio & igne in civium prædia sæviens, illis autem congressum potentis exercitus intra mœnia declinantibus cum opima præda discessit. *Sax. lib. 8. c. 25.*

Ao. 1262. hi vicissim Wagriam vastant.

Anno 1262. Lubecenses primo vere junctis copiis cum Alberto Duce Brunswici VVagriam vastarunt, urbemque Aldenburgum cum præsidio ceperunt, Chiloniumque Comitis sedem integro mense obsederunt, sed Comite eruptionem & pugnam recusante cum præda Lubecam redierunt. *Sax. d. l.* A. e. Lubecenses auxilio Johannis Obotritorum funditus destruxerunt arcem Darsow,

Johannis Wagr. Darsow arx destructa ob prædones susceptos, præfectus supplicio affectus.

ad intimum sinum maris Megalopolitani sitam, quæ fuit Comitis Johannis de VVagria, cujus præfectus ob susceptos hospitio prædones a Johanne suo Domino publico gladio cæsus fuerat, successor vero eodem flagitio obnoxius suspensus est a Lubecensibus, qui a principibus Obotritorum privilegium impetrarunt, ne ad ripas istius rivi ad aliquot passuum millia a mari umquam arx exstruatur.

Ao. 1264. Rensburgum conflagrat.

VVand. lib. 7. c. 33. Anno 1264. Rensburgum exustum est & multi homines perierunt. *Chron. MS.* A. e. Johannes I. VVagriæ comes

Johanne I. mortuo succedit Johannes II. monoculus annis 52.

in fata concessit, tumulatus in cœnobio Reinfeldensi, quod avus ejus Adolphus III. exstruxerat, relictis ex filia Alberti Ducis Saxoniæ Johanne II. monoculo, qui in VVagria successit Adolpho, qui filiam Mistiwoi Pomerani sterilem duxit, & Alberto præposito Hamburgensi, unicaque filia desponsata Marchioni Ottoni. *Sax. lib. 8. c. 23.* Successores & nepotes omnes hujus Johannis sepulti sunt in Rheinefelda, excepto Adolpho nepote, qui cæsus Segebergæ tumulatus est in cœnobio arcis. *Sax. lib. 8. c. 23.* Anno 1266. Wismaria novum oppidum fere totum incendio periit, die ascensionis dominicæ, ut integrum ex lateribus postea exstrueretur. *Wand. lib. 7. c. 33.*

A. 1270. Ericus VI. R. Danorum Slesv. ducatum appetens resistentibus Joh. & Henrico Comitt.

Anno 1270. Ericus VI. rex Danorum patri succedens cœpit occupare arces & dominia præcipua Ducatus Sleswicensis, prætendens se velle suscipere patrimonium relictorum demortui Erici Ducis filiorum, sed Comites Johannes II. Wagriæ & Henricus I. Holsatiæ dolum regis & privationem hæreditatis amitinorum suorum timentes contracto exercitu Eidoram transgressi nepotes suos Ericum & Waldemarum violenta manu in Sleswicensi Ducatu defenderunt. *Sax. 27.* Cum autem VValdemarus fratri superstes adolevisset, interventu communium armorum impetratum est, ut si Dux Sleswici susciperet a rege feudum, quod prius recusaverat, recuperaret omnem terram, quæ Ducatui dudum debebatur, sed cum ille repugnaret & ferro decertare mallet, captus est, & arx Tunderensis subversa, atque tandem simul ambo in gratiam redierunt. *Dan. lib. 7. c. 24.* Anno 1276. Lubeca jam quarta vice per negligentiam proprio incendio conflagravit, quod novissimum fuisse scribitur; unde illo ordine, qui nunc cernitur, urbs reædificata est, quo in longum veluti per dorsum duæ tenduntur plateæ, ex lateribus autem velut costæ derivantur viculi; hinc ad Travenam fluvium, inde ad lacum VVakenissam, qui utrinque civitatis muros alluunt & tutantur. *Wand. lib. 7. c. 34.*

de feudo Slesvic. lites.

Ao. 1276. Lubeca quartum incendio attenuata, qua jam est, facie struitur.

Ao. 1281. Hamburgi ad dimidium consumptum.

Anno 1281. Hamburgum vetus Stormariæ oppidum ultra sui dimidium incendio periit, civibus multis, qui rebus suis extrahendis occupati erant, flamma interceptis. *VVand. lib. 7. c. 38.* A. e. in Schaga Jutiæ captus est piscis marinus leoni similis, quod prodigium proxime excepit clades Gallorum, qui Panormi in Sicilia implacabili odio cæsi sunt, adeo ut mulieribus prægnantibus occisis etiam fœtus ex utero extracti fuerint, ne quid Gallici hominis vel nominis ibi remaneret. *VVand. ibid.*

flagratio.

piscis prodigiosus.

vesperæ Siculæ.

Ao. 1283. Gerhardi cum Dithmarsis fœdus.

Anno 1283. Dithmarsi promiserunt in obsignatis litteris se cum posteris Comiti Gerhardo Holsatiæ & liberis ejus promtam opem latosque intra & extra ditionem suam, contra omnes vim injustam ipsi inferentes. *Chron. Holf. f. 107.* Anno 1285. Gerhardi I. Comitis Holsatiæ postrema mentio fit in *Saxonia Crantzii cap. 26 & 27. lib. 8.* unde conjicitur circa hæc tempora illum obiisse. Scribitur præter bella, quæ cum fratre contra communes hostes gessit, transtulisse cœnobium virginum de Ivenflete Crempensis Marschiæ ante oppidum Itzenhoënse, & majoribus prædiis locupletasse, quale nunc est. Reliquit ex filia Johannis Obotritorum (quem Knese Janeke vocarunt) duos filios Henricum I. & Gerhardum II. cœcum dictum cum duabus filiabus, quarum alteram dedit Waldemaro Burewini III. filio Rostochii Domino, altera desponsata est Johanni Duci Lunæburgi (qui diligentem operam salinæ suæ impendens novam & uberem venam inpetravit) cujus intercessione rex Christophorus magna & regia mulcta libertatem redemit. Sed mox ut in regnum restitutus est, diem obiit. *Sax. d. l.* Anno 1287. Rensburgenses cives templum ex lateribus cœperunt exstruere. *Chr. MS.* A. e. Johannes II. duxit Erici VI. Danorum regis a domesticis occisi viduam Augustam, Ottonis Marchionis filiam, ex qua genuit Christophorum (qui puer Chilonii ex sublimi arcis fenestra in fossam decidens collum confregit) & Johannem cognomento Largum in VVagria successorem. *Sax. lib. 8. c. 40.* Anno 1288. VValdemarus IV. Sleswici Dux pro minoribus Erici regis occisis filiis administrationem subiit, quod inter principes agnatos plurimum ipsi fideret regina vidua. Cum vero in concilio procerum intelligeret, Erici regis parricidas (ut vindictam sanguinis præ-

cœnobium Itzeh.

Gerhardi liberi.

Christoph. R. libertatem redemit.

Ao. 1287. Rensburg. templum. Joh. II. matrimonium.

ex quo filius Joh. Largus Wagr.

Ao. 1288. Waldemarus IV. Dux Sleswic. tutor filiorum R. Erici de parricidis pœnas sumit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

prævenirent) de ipso quoque opprimendo occulta consilia capere sumtis armis in omnes, quos reos judicavit, desæviit, quorum aliquot gladio stravit, aliquot captos in Alsen insulam vinculis mancipavit. *Dan. lib. 7. c. 25.*

Ao. 1289. Henr. I. Holst. & Joh. II. Wagr. de subigenda Dithmarsia consilium & expeditio irrita.

Anno 1289. Henricus I. Holsatiæ, & Johannes II. VVagriæ cum exercitu Dithmarsiam invadentes subjicere sibi cogitabant illam. Dithmarsi autem ab Episcopo Bremensi Gisalberto impetratis militibus subsidiariis ad pugnam sese accingebant, ibi tum ante Holsatorum agmen approximans lepus quidam trans viam præcurrit, quem dum milites venatico clamore alta voce exagitarent, posterius agmen hujus rei ignarum atque conterritum fugam iniit, quod intermedium secutum, primum jam nudatum & hostibus expositum fuga sibi quoque consulere cœpit, ex quo quidam cæsi, reliqui capti sunt. Comites vero hoc factum quibusdam meticulosis nobilibus imputantes illos Holsatia expulerunt, & cum Dithmarsis pacifice transegerunt per Giselbertum illorum Episcopum, cujus neptim Helwigam ex fratre Domino de Brunkorst Henricus Comes uxorem duxit.

Ao. 1290. prædonum receptacula varia diruuntur.

Sax. lib. 8. c. 33. A. 1290. Lubecenses propter deprædationes negotiantium inter Hamburgum & Lubecam subverterunt auxiliis principum Wandaliæ latronum receptacula in inferiori Saxonia, idque consensu Ducis Alberti nempe Walrow, Klopstorp, Carlow, Mostin, Dusow, Linow, Slaveckstorp & Nannendorp, & præsidiariis aufugientibus exercitum præda onustum reduxerunt. *Wand.*

Ao. 1296. Lites de Lalandia compositæ.

lib. 7. c. 21. A. 1296. Ericus VI. rex Danorum cognomento pacificus duci Waldemaro IV. bellum intulit, qui cum majori exercitu regi occurreret, amicorum interventu ante commissam pugnam omnis causa hac conditione est composita, ut Duci Lalandia permitteretur, quæ dissensionis erat materia. *Dan. c. 26.*

Ao. 1299. Holsatorum quidam expulsi patriam depredantes funduntur.

A. 1299. Gerhardus II. Stormariæ & Schawenburgi Comes cæcus appellatus (quia in grandæva ætate cæcus factus erat) & Henricus I. Holsatiæ fratres, atque Johannes II. VVagriæ princeps unanimiter expulerunt nobiles quosdam inobedientes & novissima expeditione Dithmarsica fugientes, qui contracto exercitu equitum octingentorum depopulati sunt cum Alberto Duce patriam suam ferro & igne, a fluvio Bilena usque ad Travenam & ulterius procedentes. At Comites Nordalbingiæ regressum illorum ad vadum fluminis expectantes commissa pugna multis cæsis, reliquos retrocedere coëgerunt.

Lubecensium opera transigitur.

Interventu autem Lubecensium juxta Comitum voluntatem causa composita, Dux Albertus redditis captivis & omni præda cum expulsis nobilibus & magno suorum damno & discrimine in sua rediit, sed Holsati nobiles propter impeditam sibi ampliorem prædam hanc pacificationem ægre ferentes multos ex Lubecensibus civibus ad Stuppendorp oppressérunt. *Sax. lib. 8. c. 37.*

SECULUM SEPTIMUM
ANNI MILLESIMI TRECENTESIMI

Ao. 1300. Johannes Obotr. pr. ex captivit. Dat. masc. redux.

ANno 1300. Johanes Obotritorum princeps adfinis Gerhardi I. reversus est ex captivitate Soldani Damasceni, in qua XXVI. annos infeliciter pugnans detentus fuerat, ac toto illo tempore a famulo suo fidelissimo Martino arte textoria in sericis & auro nutritus incredibili gaudio a conjuge, & cum tripudio summo familiæ & patriæ susceptus est. *Wand. lib. 7. c. 45.*

Lubecenses atteruntur ab Ottone D. Br. & Lun., per Ericum Dan. R. cum illo reconciliati.

A. e. Otto Dux Brunswicensis & Lunæburgensis missis CCC. equitibus cuncta prædia circa Lubecam igne & ferro deformarunt, quibus cives occurrentes, & cum exigua hostium cohorte congressi a majore manu ex insidiis erumpente circumventi sunt, cæso præfecto suo cum centum civibus reliquis aut captis aut in fugam conjectis. Quapropter Lubecenses Ericum VII. regem Danorum elegerunt in defensorem suum ad annos decem, consignantes illi mille marcas annuas, qui paulo post Lubecenses reconciliavit Comitibus Holsatiæ & Alberto Duci Saxoniæ, unde cognomen pacifici meruit. *Wand. lib. 7. c. 46.*

Ao. 1301. Ditmarsi c. exulibus Holsatis rebellantes fugantur.

Anno 1301. militares Holsatiæ exules nondum quiescentes cum Dithmarsis fœdera junxerunt, fortique manu ex palustribus VVilstriæ & Dithmarsiæ contracta convenerunt in villa Uterssen ad Comites suos opprimendos, sed hi ex finibus suis eductis quantocyus copiis congrediuntur cum seditiosis, pugna quidem difficili, sed victrici; qua istorum primipilarius cognomento Pelz captus, & tamquam patriæ proditor quadripartitus est, reliqui primores capti capite sunt mulctati. Alii fuga Lubecam sese receperunt, quod Comes Gerhardus II. in amicis suis ægre ferens, Travenæque ostium claudere volens præsidium ad mare fixit, quamobrem cives illi indixerunt bellum, accersentes jussu regis Erici Ducem Sleswici VValdemarum IV. Comes autem auxilio Henrici Megalopolensis Travenam utrinque obsedit firmatis in utraque ripa præsidiis, ut navigationem & eruptionem civibus intercluderet, sed illi violenta manu utrumque rursus dejecerunt. Rex tandem Ericus se interponens anno 1309. reconciliavit disidentes partes, ita ut Comites Holsati suos quoque militares in gratiam recepe-

Lubeca hinc infestatur.

per Ericum R. reconciliatio facta.

rint. *Sax. c. 35.* Anno 1302. Gerhardus III. cæci filius Stormariæ princeps admodum adolescens Parisiis studia litterarum colens interfuit nuptiis regiis Cæsaris Alberti cum filia Philippi Francorum regis, ibique adeo profecit, ut paulo post præpositurum Lubecensem cum sacro ordine sit assecutus (27). Anno 1304. Henricus I. Holsatiæ instituit in Munsterdorp, pago VVelnæ prope Itzehoam fraternitatem Calendarum, (sicut illi per visionem relatum fuit), quam postea Gisalbertus de Brunkhorst archiepiscopus Bremensis confirmavit sub patrocinio S. Anscharii & Vicelini

Ao. 1302. Gerhardus III. Stormariæ præpositus Lubec.

Ao. 1304. Fraternitas calendarum Munsterdorp. instituta & ornata.

(27) Anno 1304. divisio hæreditatis paternæ inter Adolphum Comitem Holsatiæ & in Schawenburg & fratres Gerhardum & Henricum Comites Holsatiæ confecta est, de quo vide diploma.

celini apoſtolorum Holſatiæ quotannis in Majo excolendam, eamque Gerhardus Magnus Henrici filius vicaria ibidem fundata ornavit & duobus manſis donavit cum omni jure feudi. Coluerunt, & ut fratres venerati ſunt hanc Calendarum ſocietatem multi illuſtres Holſatiæ principes ſequentes: 1. Henricus I. Comes Holſatiæ fundator & uxor ejus. 2. Helwigis de Brunckhorſt, Epiſcopi Bremenſis neptis 3. 4. Comes Gerhardus Magnus & Giſalbertus, fratres filii Henrici primi Holſatiæ, quorum ille vicariæ fundator cæſus in Jutia. 5. Domicellus Adolphus, qui cæſus eſt in Segeberge anno 1315. 6. Comes Henricus ferreus II. ſepultus Itzehoæ anno 1381. 7. Comes Henricus III. electus Osnabrugenſis Epiſcopus Ferrei filius anno 1405. 8. Comes Nicolaus, qui habitavit in Oſterhoff prope Itzehoam a. 1399. 9. Eliſabetha uxor Nicolai ſepulta Itzehoæ anno 1388. 10. Eliſabetha filia Nicolai Comitis Duciſſa Saxoniæ Erici anno 1406. 11. Comes Adolphus VVagriæ Joh. Largi filius nomine VI. anno 1390. 12. Anna uxor Adolphi, filia Alberti Magnopolenſis. *Wag. lib.* 8. *c.* 21. 13. Dux Gerhardus Sleſwicenſis Henrici Ferrei filius anno 1396. 14. Dux Henricus Gerhardi filius qui transfoſſus eſt prope Flensburgum anno 1427. 15. Comes Albertus ferrei filius, qui equo in Dithmarſia lapſus periit a. 1403. 16. Dux Albertus de Meklenborch rex Sueciæ exul a. 1403. qui obiit 1406. 17. Dux Adolphus Sleſwicenſis & Margaretha Duciſſa a. 1438; *Crantzius* Dorotheam vocat. 18. Chriſtiernus I. rex Danorum & Dux Sleswici ac Holſatiæ, qui obiit a. 1481. 19. Dorothea conjux Johannis Marchionis Brandenburgenſis filia, vidua Chriſtophori regis quæ obiit a. 1511. 20. Anna Duciſſa Holſatiæ Friderici I. Conjux, filia electoris Johannis Marchionis, quæ obiit ſepulta in Bordesholm.

ejus ſocii primarii.

Ao. 1307. Joh. I. Com. filii patrem a bigamia retardant; dein ditionis partem obtinent.

Anno 1307. Johannis II. Comitis VVagriæ tres filii ex priore conjuge captum patrem in Bramhorſt Chilonium abduxerunt, quo digamiam ejus impedirent, ſed a fidelibus ſuis e carcere ereptus Lubecam deductus eſt, ubi permanſit integrum annum, poſtea diviſit cum filiis VVagriam, ut haberent unde familiam & alimenta ſuſtentarent, traditis tribus arcibus Segebergenſi, Oldesloënſi & Bramhorſtenſi, ſolo Chilonio ſibi reſervato. *Sax. lib.* 8. *c.* 10. Johannes II. morionem in aula ſua aluit, qui in prandio ab aulicis vexatus & irritatus arrepto oſſe de menſa, caſu principem jactu petiit, & altero oculo privavit. *Chr. Holſ.* Anno 1308. Dantiſcum urbs diruta eſt, & rurſum ædificata in loco, ubi nunc ſita eſt. *Chr. MS.* A. e. Comitiſſa de Mansfeld filia Comitis de Luckow cum inviſeret parentes, deprehendit in merica Luneburgenſi Vandalum fodientem patri decrepito, ligato, aſtantique & ejulanti foveam in fruticeto, qui rogatus ab illa cauſam, reſpondit, patrem amplius labore victum quærere non poſſe, ſeque domi multos parvulos fovere, nec

Job. II. caſu oculo privatur.

Ao. 1308. Dantiſcum dirutum reſtituitur.

Vandali cujusdam in patrem impii pauperias ſuſtenta.

enutriendis omnibus ſufficere, inutilem ergo ſenem ſepulturum. Illa impietatem filii, & pauperum ruſticorum oppreſſionem ac miſeram ſortem commiſerata, aliquot argenteis datis patri vitam prorogavit. *Wand. lib.* 7. *c.* 48. Anno 1309. VValdemaro IV. Duci Sleſwicenſi diſcordia erat cum comitibus Holſatiæ Johanne & Gerhardo, & his vicisſim cum ſuis nobilibus, quos omnes cum Duce Alberto Saxoniæ evocatos in inſulam Fimbriam rex Ericus pacificus de ſingulis cauſis litis manibus conjunctis reconciliavit. *Chr. MS.* Anno 1310. Henricus I. Holſatiæ vectigal conſtituit Hamburgi de mercibus exterorum, repugnantibus civibus & ſenatu urbis; mortuus autem ipſe eſt & ſepultus Itzehoæ. Quo e. a. cathedralis eccleſia fundata eſt in Euthyn per Burchardum Epiſcopum. *Sax. lib.* 8. 41. & *lib.* 9. Anno 1311. Gerhardus Henrici I. filius totam adoleſcentiam in litteris conſumſit hortatu avunculi ſui archiepiſcopi Bremenſis, expectans magnam in eccleſia dignitatem, ſed illius morte ſpe fruſtratus habitavit Rendesburgi in caſella granaria venatione ſe ſuſtentans, cui in contemtum ſuorum Hardwicus Reventlow jumenta & arma donavit, ut honore Comitis incedere poſſet in publicum. Factus deinceps vir fuit incomparabilis, cui pro geſtorum ſuorum magnitudine cognomen Magni tributum eſt, qui opera avunculi ſui Epiſcopi Bremenſis fertur ædificaſſe rotundam turrim Rendesburgi, quæ hodie in arce cernitur, & elocaſſe ſororem ſuam Erico Duci Sleſwicenſi. Anno 1313. Margaretha Hollandiæ Comitiſſa peperit ſimul eodem tempore 365. vivos infantulos, perfectam humanam formam & membra habentes, quantitate inſtar ranarum, qui omnes per aquæ aſperſionem baptizati ſunt, quod ipſi contigiſſe ferunt ob calumniam, qua militis cujusdam uxori gemellos edenti objecit, tam hoc eſſe poſſibile fœminam ex una parente duos filios concipere, quam ſe tot ſimul fœtus concipere quot ſunt unius anni dies. *Chron. Schlav. fol.* 24. Anno 1314. Adolphus Wagriæ Comes Reventlovios equites ex Dithmarſia oriundos violentia ac injuriis illatis in ſe irritavit: Quare Hartwicus primarius & eques auratus in amicitiam & defenſionem Gerhardi Magni in Holſatiam ſe contulit, ut damna ſibi & ſuis illata ejus opera ulciſceretur. *Chron. MS.* A. e. Adolphus V. vivens cum fratribus ex tenuibus reditibus, ſubditos ſuos rapinis & tributis gravavit, mittens interdum trituratores in horrea militis cognomento Splyth, qui injuriæ illatæ impatiens triturantes captos, pedibusque truncatos Comiti in curru domum remiſit. *Chr. MS.* Anno 1315. Adolphus Johannis II. filius Segebergæ occiſus eſt in lecto ſuo ab Hardewico Reventlow ad latus Comitiſſæ una cum puero Hardewici proprio filio, quorum monumenta viſuntur hodie in monaſterio Segebergenſi. Cauſas parricidii diverſas adducunt, alii quod Adolphus multo ære alieno gravatus fœdus fecerit cum Chriſtophoro Danorum

Ao. 1309. Lites inter Waldemarum D. Sleſv. & Holſatiæ Comites nobilesque per Ericum R. compoſitæ.

Ao. 1310. Hamburgenſibus tributum impoſitum. templum Eutin ſtruitur.

Ao. 1311. Gerhardi IV. Magni Holſat. tenuis quondam victus.

Ao. 1313. partus 365. liberorum.

Ao. 1314.

Adolphi V. & fratrum violentia in emiſſariis ejus punita.

Ao. 1315. Adolphus Segebergæ violenter trucidatus.

cædis cauſa dulia.

norum & Marchione Brandenburg. ut Gerhardum Magnum cum fratre Johanne Holsatia privaret, quod ubi juniores Comites resciscerent, miserunt Hardewicum Reventlow ad capiendum Adolphum, qui nocturno tempore via occulta sibi cognita conscensis muris arcem ingressus Comitem repugnantem & nudum cum proprio filio cubiculario (ne proditor sui Domini haberetur) interfecit invitus. Alii scribunt Adolphum stuprasse Hartwici præfecti sui uxorem vel filiam, qui dolore animi per impatientiam motus, diluculo fores cubiculi pulsans Comitem ad venationem conspecti ferarum gregis excitavit, & ipsum venationis cupidum prodeuntem nudum confodit cum proprio filio. *Sax. lib.* 8. *c.* 40. A. e. Gerhardus Magnus Holsatiæ exstincto Adolpho arcem Segebergam mox occupavit parricida Hartwico Reventlow Romam profugiente, ubi in pœnitentiam hujus homicidii a Papa ipsi injunctum fuit, ut omnia sua bona in honorem Dei distribueret, unde postea dormitorium in Cœnobio Itzehoënsi ædificatum est. *Chron. Holf.* Anno 1316. Gerhardus III. cæci filius, qui defunctis fratribus suis sine hærede auctoritate Apostolica uxorem duxerat, audiens & commiserans multiplicem calamitatem patruelis sui Johannis II. in VVagria, & præsertim horrendum casum cæsi filii Adolphi, relicta Stormaria Lubecam migravit ibi, ut confidebat, securior futurus a furore quorundam prioribus bellis commotorum, apud quem institisse ferunt Christophorum Danorum, ut Lubecæ resideret, accepta pecunia Johanni III. Largo patrueli suo Stormariam permitteret, sed Gerhardum recusasse, quod non solum sibi filius Johannes superstes esset, verum etiam patrueles plures ex Henrico patruele in Holsatia sanguine propiores. *Sax. lib.* 8. *c.* 41. Anno 1317. Johannes III. cognomine Largus Wagriæ consanguineus Adolphi cæsi frater, ex quadam exsuscitata controversia incusavit Gerhardum Magnum esse causam interfecti principalem fratris sui, qui arcem ejus Segebergam occupasset. Convocatis itaque subditis ad prælium evocatoque in societatem belli Adolpho patruele ex Schowenborch vindictam sumere decrevit de Gerhardo IV. & Johanne IV. fratre ejus, qui de adventu illius certiores facti conscriptis suis subditis ex Wilstria, Hademarschia, Schœnefeldio, Nortorpio, Kellinghusa & Westeda expectarunt eum in Bramstede adoriri antequam Johanni conjungeretur, atque difficili pugna collatis signis Adolphus tandem fugiens abscondit se sub ponte in Bramstede, unde a Gerhardo extractus in die decollationis Johannis cum CXX. captivis suo se ære redimere est coactus. *Sax. lib.* 9. *c.* 9. Anno 1318. Ditmarsi suppetias laturi Johanni III. Wagriæ contra Gerhardum Magnum fœdaverunt ferro & igne Schœnefeldium, Nortorpium & Neomonasterium atque penetrarunt in ipsam civitatem Chilonienſem, ubi civibus superato jam equestri agmine inutiles & onerosi habiti, astute ficta longa chorea educti sunt ex oppido, ac jussi sunt prædantes per aliam viam in patriam regredi. Cum itaque per Bornhovedum grassantes transirent, inque cervisia recenti ibidem insolenter sese lavassent, superato vico Bunsingk in merica secure pernoctarunt, quibus Gerhardus occurrens in aurora, jussit quemque suorum militum ramum virentem sublatum portare, ne ab hostibus agnoscerentur facile, specie ergo nemoris adproximantes Dithmarsis, occiderunt incautos CCCCC. reliquos in rivum mergendos propulerunt die Alexii. *Sax. lib.* 9. *c.* 9. Anno 1319. Gerhardus cum fratre Johanne IV. feliciter militavit Comiti Magnopolensi Henrico Leoni amitino suo contra Marchiones Brandenburgicos Woldemarum & successorem illius Ludovicum, filium Cæsaris Ludovici Bavari, quibus bellis Henricus gladio obtinuit & confirmari sibi impetravit a Marchionibus Brandenburgicis terram Stargardiæ. *Wand. lib.* 8. *c.* 4. A. e. Johannes IV. Holsatiæ captus est in bello amitini sui Henrici Leonis cum Marchione Ludovico recrudescente, & exacto triennio ea lege laxatus est, ut accipiat uxorem relictam Johannis de Brandenb. & pro dote reputet redemtionem captivitatis. *Wandal. lib.* 8. *c.* 6. Anno 1320. diluvium aquarum in civitatibus maritimis præsertim Lubecæ magnum damnum dedit. *Chron. MS.* A. e. Gerhardus III. Stormariæ pacifice vitam suam finivit Lubecæ, relinquens filium Johannem V. principem Stormariæ, in quo ultra decennium imperante & sine hærede decedente defecit linea Gerhardi II. *Sax. lib.* 8. *c.* 39. Gerhardus Magnus duxit uxorem filiam Johannis Ducis Saxoniæ inferioris, ex qua genuit Henricum II. Nicolaum & Johannem. Anno 1321. Johannes III. dictus Largus Wagriæ Comes, contra ultimam voluntatem decedentis Erici VII. Danorum & votum multorum nobilium, qui Ducem Ericum Slesvicensem præferebant, promovit sua auctoritate & industria armisque suis invexit Christophorum uterinum suum fratrem in regem Danorum e regno pulsum a fratre Erico (unde Johannis apud senatum regni æstimatio conjicitur); qua propter Christophorus rex restituit Johanni Largo, & in hæreditatem donavit Femariam insulam VVandalis pridem a Danis ademtam. Johannes Largus pacis studiosissimus incommoda a Lubecensibus suis antecessoribus illata a posteris avertere cupiens, evocatis civibus in Sussel vendidit Travenam, dum villam cum omni jure fluminis pro quater mille marcis Lubecensibus, donata insuper turri, & captura generosorum esocum, (*die Laßwöhre* vocant) ante urbem, atque ita Lubecenses fecit cum omni jure dominos portus Travenæ, ob quam liberalitatem Largus est cognominatus. A. e. Johannes Largus impetravit a fratre Christophoro rege Danorum libertatem deponendi merces ex Dania advectas (*der Stapel* vocant) in Chilonio, quod nactenus Lubecæ fieri consueverat, unde Chilonienses rebus aucti & luxuriantes ædificarunt splendidas domos, quales hodie

quo facto Gerhardus occupat Segebergam,

ex profugi parricidæ bonis struitur dormitorium Itzeh.

Ao. 1316. Gerhardus III. Lubecæ commoratur.

Job. III. Largus Stormariam appetit.

Ao. 1317. bellum movet Gerhardo M. & Job. IV. fratribus; sed captus libertatem rediimit.

Ao. 1318. Job. III. auxiliantes Ditmarsi terram populantur; quorum 500. a Gerh. occisi.

Ao. 1319. Gerhardus militat Henr. Leoni Meckl.

Job. IV. captus sub conditione nuptiarum dimissus.

Ao. 1320. Inundatio circa Lubecam.

Gerh. III. obiit; cum Job. V. Storm. ejus stirps intercidit. Gerhardi M. filii.

Ao. 1321. Job. largus Christophorum fratrem in Daniæ regnum introducit.

Travena liberum usum vendit Lubecensibus.

Chilonium rebus auget.

die ibi viſuntur, confiſi in ſuo Comite, qui hoc oppidum impenſe præ aliis dilexit & magnis privilegiis ornavit. *Chron. Holſ.*

Sunda urbs fruſtra magna vi oppugnata. A. e. Sunda urbs maritima obſeſſa, ſed non expugnata eſt a rege Danorum Chriſtophoro, & Birgerio rege Sueciæ & XII. principibus, inter quos fuerunt Sueno Dux Sleſwici & Gerhardus magnus ac Johannes frater Comites Holſatiæ cum ſocero Erico Duce in Lowenborch, qui captus & Marchioni Ludovico miſſus eſt, a quo poſt triennium 16000. marcis argenti ſe in libertatem redemit. *Wandal. lib.* 8. *c.* 5.

Ao. 1322. Gerh. M. & Joh. IV. in Ditmarſia expeditio. Anno 1322. Gerhardus IV. Magnus & frater Johannes IV. cum XII. principibus in vigilia natalis Mariæ ingreſſi ſunt Dithmarſiam per viam Suderhamme & vadum Hemmingſtede penetrarunt ad cor Dithmarſiæ Norderſtrand, ubi cum hoſtibus congreſſi bis in fugam retroactis Dithmarſis occiderunt viros MDCC, reliqui in templum Oldenworden ſeſe includentes illud in modum caſtelli munierunt, cum vero Holſati ignem admoverent, deditionem principibus, & ſubjectionem obtulerunt; ſed illi verſutis diffidentes propiuſque cum igne accedentes, plumbo de tecto jam deſtillante, Dithmarſi furibundi turmatim proruentes Holſatos jam ſecuriores invaſerunt, & auxilio ſuorum de latibulis prorumpentium interceptos hoſtes bis mille ad internecionem dederunt, & trucidarunt. Sed Gerhardus Magnus cum Henrico Leone Comite de Magnopoli amitino ſuo, qui ad ſigna pro more militiæ agmen tenuerunt ſuperſtites fuere cum ſuis. *Chron. Holſat.* 83. *Sax. lib.* 9. *c.* 9.

Ao. 1323. Henricus Leo Com. Meckl. marchiones Templini coercet ope Comitum Holſ. Roſtochienſibus gratificatur. Anno 1323. Henricus Leo Comes auxilio Gerhardi & Johannis Comitum Holſatiæ obſedit & cœpit Templin & Marchiones inquietos compeſcuit. *Wandal. lib.* 8. *c.* 4. A. e. Henricus Leo Magnopolenſis, cum permiſſa ſibi eſſet urbs Roſtochium, multis jam annis regi ſubjecta, gratificatus eſt novis civibus & ſubjectis petentibus demoliri munitionem, quam Ericus VII. Danorum ad oſtium Warnoviæ firmaverat acceptaque pecunia ingenti vendidit libertatem nunc nullo auro venalem. *Wandal. lib.* 8.

gelu maximum. *c.* 7. Fuit hac hieme tam intenſum gelu ut per glaciem Lubecenſes mercatores in Daniam & Pruſſiam proficiſci potuerint. *Chron. MS.* (28)

Ao. 1326. Ritzerow arx ſtructa. Anno 1326. Johannes Comes ædificavit arcem Ritzerow. *Chron. MS.*

Ao. 1329. Chriſtoph. R. Sleſv. ducatum affectat Gerhardo reſiſtente. Anno 1329. Chriſtophorus II. Danorum rex exemplo anteceſſorum ſuorum Ducatum Sleſwici coronæ adjungere quærens rapta ſibi tutela Waldemari decennis pueri filii Erici III. Ducis ex ſorore Gerhardi Magni relicti, arces omnes Ducatus excepta Gottorpienſi in ſuam poteſtatem recepit, quæ cum a fidelibus Waldemaro defenderetur, rex exercitu magno eam obſedit, caſtra locans in monte contiguo Heſterberg. Gerhardus vero Magnus patrocinium nepotis ſui ſuſcipiens contractis undecunque auxiliis regem ab obſidione depellere volens juſſit ſuos milites alba induſia ſuper arma geſtare, ſanctamque Mariam, cujus imaginem collo ipſe geſtabat tribus vicibus invocare hac cantilena: Nos hac die tibi gregatos ſerva Maria (quam virgines in Itzeho altera manu deciſa in prælio monſtrare ſolent, quam nullus ſtatuæ denuo poterat aptare artifex.) Quos cum Dani cernerent albicantes accedere, per contemtum dixerunt, Holſatos muliebre agmen in pugnam adducere, cui Holſatus quidam Danis militans reſpondit, ſi recte, inquiens, novi virtutem Holſatorum hodie ſe demonſtrabunt viros fortes, conſpicio enim arma fulgentia, atque mox conſertis utrinque manibus, plurimiſque cæſis Holſati alta voce clamaverunt: fugiunt, fugiunt Dani, unde poſtremo territi in fugam verſi ſunt omnes & obſidio feliciter ſoluta eſt. *Sax. lib.* 9. *c.* 10.

Ao. 1330. Waldemarus Dux Sleſvic. Anno 1330 Dani Sleſwicenſem Ducatum Waldemaro permiſerunt, qui Gerhardo avunculo ſuo tradidit arcem Gottorp in pignus pro recuperandis impenſis factæ expeditionis, & in præmium tutelæ Ducatus Sleſwicenſis. *Chron. Holſ.*

Ao. 1331. Chriſtoph. R. ob crudelia facta ſuorum odium incurrens regno pellitur. Anno 1331. Chriſtophorus II. rex multos ſuorum procerum accuſans de proditione, quod ſe abjecto fratrem cuperent creare regem (teſtimonio tamen multorum innoxios) ſuſpendio enecavit; quo facto omnes ſubditos in ſe concitavit, cum jam pridem uterinum quoque fratrem Johannem III. Wagriæ a ſe avertiſſet. Proceres deinde Jutiæ in regem ſuum provocaverunt Comites Holſatiæ Johannem & Gerhardum, qui claſſe in Fioniam advecti arcem Nuborch expugnarunt, & incolis ſponte ad ſe accurrentibus regem regno depulerunt, qui multo ære corraſo Roſtochium navigavit, ubi impetrata ope Wandalicorum principum, conducto exercitu reducitur in regnum, ſed armis inter ſe conſpirantium iterum ejicitur, atque conſilio Comitum Waldemarus Sleſwici Dux puer duodecennis ſucceſſor regni declaratur, qui mox habito ſenatu avunculum ſuum Gerhardum Magnum creavit Ducem Sleſwici, & Johanni Largo permiſit Lalandiam, Falſtriam & Cimbriam exhibita ſibi officia liberaliter compenſans. *Dan. lib.* 7. *c.* 31.

ope Vandalic. principum reſtitutus iterum ejicitur Waldemaro in regem ſuſceptо; hinc Gerhardus M. Dux Sleſv. Johannes Largus reditibus auctus. A. e. Segeberga arx Wagriæ ex pacto & conſenſu Gerhardi Magni (arcem Werdingborch in Selandia per commutationem accipientis) a Germano quodam milite occupata eſt, in pignus pro 4000. marcarum ſed brevi poſt muris noctu transſcenſis præter ſpem capta eſt, milite cum ſuis ut proditore ſceleſto de muro deturbato. *Sax. lib.* 9. *c.* 10.

Segeberga capta & recepta. *Ericus Chriſtophori filius in obſidione arcis Sleſv. irrita ex vulnere perit.* A. e. Ericus Chriſtophori pulſi filius in abſentia Gerhardi Magni & contemtu Johannis patruelis auſus eſt militibus aliquot ex ſuis præfecturis contractis obſidere Gottorp arcem, ſed Johannes Largus forti militum manu obſidentes invaſit & commiſſo præ-

Sleſvicum obſidione liberatum.

(28) A. 1324. Gerhardus Holſatiæ & Stormariæ Comes, bona eccleſiaſtica ad epiſcopatum Lubecenſem pertinentia per vim invaſit: Cui reconciliationis emerendæ gratia injunctum eſt, ut comitatus XXIV. nobilibus a cathedrali Eccleſia Hamburgenſi uſque ad Lubecenſis ſummam aram nudis pedibus iter faceret, & ab Epiſcopo Henrico Borckholt veniam delicti flexis genibus ante ſummum altare peteret ſupplex, quod & ab ipſo exſecutioni datum eſt. *Elverfelt. p.* 263. Comiti comites adfuerunt, Hartwig de Reventlow, Conradus Wolffius, Nicolaus de Krummendik ſenior, Nicolaus de Krummendik junior, Dethlevus & Bartholdus Wenſiniani.

prælio Ericum vulneravit lethaliter, ex quo vulnere brevi post obiit & soluta est obsidio arcis. *Dan. lib.* 7. *c.* 31. A. e. Christophorus II. rex exulans Lubecam descendit, & per interceſſionem amicorum pacem impetravit a Comitibus Holsatiæ in hanc formam, ut rex Comitibus persolveret 80000. marcarum puri argenti, & in pignus, donec summa solveretur acciperent silvam, quæ dicitur Danica, cum octo circumjacentibus parochiis, atque Dux Waldemarus relicto regno in Ducatum suum rediret. Quibus confirmatis rex reducitur in Werdingborch, sed proceres quidam huic transactioni repugnantes regem in arce obsederunt, qui ope Comitum facile se defendit. *Chron. MS.* A. e. Comites Gerhardus Magnus Holsatiæ & Johannes Largus Wagriæ graviter inter se dissidebant (forte ob occupatam Segebergam); quare rex Christophorus fratri Johanni cum copiis suis in Todesło moranti sese conjungere volens, & ingenti exercitu in Ducem Waldemarum movens, constituit arcem Gottorp primum expugnare, ordinatis in vallo Danico aliquot cohortibus, quæ obsidentes ab Holsatis defenderent & impetum arcerent. Gerhardus vero quantocyus contracto ex amicorum provinciis exercitu regi transitum ad fratrem conatus prohibere Rensburgi omnes congregavit, atque cum 400. equitibus incolis egressus (capitaneo equitum peregrinorum præter spem a civibus sumtuum solutionem urgentibus detento) cum duplo majore numero, ipso die S. Andreæ ferventi animo confligens in vallo Danico regis agmen disrupit, multos occidit, aliquot cepit, rex cum filio Waldemaro vix elabitur, & quia ad Sleswicum declinare præ hostibus non poterat, iter Chilonium versus fratris Johannis oppidum instituit, qui ipsum in Oldesło operiebatur. Interim Burchardus de Itzehude capitaneus, de congressu domini sui audiens cum paucis ad inquirendum pugnæ exitum egreditur usque in Seestede, ubi nocturno tempore equites accelerare sentiens, hostiliterque incurrens omnes ilico cepit, in quibus erat rex Christophorus, quem mox Gerhardo Comiti in Gottorp custodiendum tradidit, & vulneratum ac languentem Comitem hoc insperato spolio recreavit. Fuit in hac turba Comes de equo suo deturbatus, atque per rusticum Wilstrienſem ex pago Buttel mox repositus: propter quod beneficium pagum istum a tributo annuo liberum fecit. Occisi sunt quoque duo nobiles Comiti chariſſimi, quos deflevit, & alteri ante Rensburgum crucem in Satisſow erigi fecit. *Chron. Holsat.* Anno 1332. monasterium Niemünster dictum, translatum est in Bordesholm per Henricum Swineborch Lubecensem Præpositum XV. qui obiit a. 1343. *Chron. MS.* A. e. Johannes III. Wagriæ cum patruele Gerhardo egit de relaxatione captivorum, data ipsi in possessionem Fionia, & aliquot arcibus. Dani vero fœdifragi facti Holsatos Lundis in Scania repertos omnes obtruncarunt, & obsidentes arcem Helsingborch, quam Gerhardus tenebat, cum reliquis arcibus capiunt, ejectis custodibus nihil mali timentibus, in quibus tumultibus rex Christophorus a. 1333. obiit, cum regnasset annos XII. *Chron. Holsat.* Anno 1333. Waldemarus III. Christophori junior filius regno succedit, cujus frater Otto natu major, renovatis in Holsatia bellis nihil profecit, nam Gerhardus Magnus ipsi in Jutia non longe a Wiburgo occurrens multis cæsis Ottonem cepit, atque secum abductum in arce munitissima Segeberga per fideles custodiri jussit. Gerhardi ingentem spiritum multi admirati rogarunt, unde tot militibus diu cumulata stipendia solvere velit? respondisse fertur, victores se in Dithmarsiam missurum, ubi si res prospere succedat stipendia ex prædis ampla ipsos habituros, sin vero occubuerint, nil opus esse stipendiis. *Sax. lib.* 9. *c.* 13. Anno 1335. cete grandia ex mari Balthico Travenam ingressa pervenerunt ad urbis viciniam, longitudine 18. 20. & 24. pedum, quæ nondum adultorum sed media ætate crescentium magnitudo est. *Wandal.* 8. *c.* 17. A. e. principes Saxonici circuli cum Episcopo Lubecensi & Comitibus Holsatiæ multisque nobilibus Lubecæ convenerunt, tractantes de pace generali in sex annos sancienda, & viis publicis ad securitatem negotiantium a prædonibus purgandis. Quo eodem tempore seditio Hamburgi orta de severa pœna adulterii ab ecclesiasticis infligenda politicis per episcopum Bremensem sopita fuit. *Wand. c.* 17. Anno 1337. Henricus ferreus, cum interfuisset nuptiis Alberti Megalopolensis, cum Euphemia Magni Sueciæ regis sorore navigavit cum sponso in Sueciam. *Suecia lib.* 5. *cap.* 28. Anno 1340. Otto Waldemari III. frater per interceſſionem Lubecensium ex imperiali mandato certis conditionibus ex carcere liberatus implere illas recusavit. Gerhardus Magnus itaque conscripto novo exercitu militum, quos a brevi habitu cognominarunt *die Gunßhouwer*, omnem Jutiam usque ad Randershusen penetrans sibi subjecit, in quo oppido cum castra haberet indiligenter custodita a nobili & potente Juto *Niels Jepſen*, (qui Comiti militans castrorum ejus consuetudinem norat & cum sexaginta viris velut excubitor noctu castra erat ingressus) Comes in strato suo cum sacellano & nobili quodam Wittighove perfide est occisus sabbatho ante Dominicam Oculi atque parricida clam in fugam se conjiciente luctus ingens cum illucesceret in castris est exortus de miserabili casu fortissimi Ducis. Henricus autem filius cum fratre Nicolao & Johanne VI. consolatus est exercitum, & patrem sollenni funere Itzehoe tumulandum misit, ubi pater Henricus cum avo Gerhardo I. sepulti fuerant. *Sax. lib.* 9. *c.* 12. *Dan. lib.* 7. *c.* 32. A. e. Henricus & Nicolaus filii in ultionem paternæ cædis justo dolore ardentes, audiverunt parricidam istum in Schallingborch Jutiæ cum magna manu considere, illuc properantes & fortissime oppugnantes arcem tandem expugnarunt diluculo omnium sanctorum, atque bis mille Danis cæsis Niels Jepsen captus est, & ut scelestus prodi-

Christophorus R. cum Comitibus pactus in regnum redit; a suis obsessus liberatur.

Gerhardi M. cum fratre Johanne grave dissidium, Christophorus huic auxilians capitur.

Ao. 1332. Cœnob. Bordesholmii institutum.

Joh. C. cum Gerhardo paciscitur de captivis reddendis. Dani perfide obtruncant Holsatos in Scania. Christoph. R. obit, cui Ao. 1333. Waldem. III. succedit. Otto ejus frater contra Gerh. M. belligerans capitur.

Ao. 1335. cetorum copia prope Lubecam.

De pace Lubecæ tractatur.

Seditio Hamburgi ob pœnam ab eccleſiaſt. in adulteros statutam restincta.

Ao. 1337. Henricus ferreus Sueciam petit.

Ao. 1340. Ottone liberationis pretium renuente Gerh. M. Jutiam occupat; sed sceleste a quodam suorum trucidatur.

Henricus II. ferr. Nicolaus & Johannes VI. ejus filii cædem pat. magna Danorum clade vindicant, parricidam in supplicium trahunt.

tor Domini sui quatuor rotis divisis membris affixus. Postea Henricus pergens in Sialandiam prospera fortuna, multa oppida & arces, in quibus & Kallingborch fuit, occupavit præsidioque impositio discessit. *Dan. d. l.*

Selandia occupata.

Otto vinculis laxatus fratri cedit regnum & fratribus Teutonicis se adjungit.

A. e. Otto Waldemari regis frater per adfinitatem duorum Wandalicorum principum, qui duas Johannis Largi filias in uxores ducebant, vinculis laxatus soli fratri reliquit sceptra regni, & accepta sacra veste religionis in ordine fratrum Teutonicorum contra perfidam Lithuanorum gentem militaturus in Prussiam abiit. *Wandal. lib. 8. c. 23. Dan. c. 34.*

Waldemarus V. regno Dan. potitur, quod tamen

A. e. Waldemarus V. Dux Slesvici jam pridem in pueritia rex creatus, ope Holsatorum nunc regnum ambiebat, & peregit, ut rex Waldemarus III. per Gerhardi cæsi factionem regno depelleretur. (29) *Dan. lib. 7. cap. 33.*

Ao. 1341. interc. Ludovici march. Lubecensium defensoris Woldemaro III. iterum cedit nuptiis interpositis.

Anno 1341. Ludovicus Marchio venit Lubecam & a civibus ex mandato patris Cæsaris defensor urbis salutatur, & honoratur annuo stipendio, quem rogarunt Comites Holsatiæ Johannes Largus & Henricus ferreus, ut post diuturnam regni Danici tumultuationem, ipsius opera rex regno in tranquillitate restitueretur, isque mox effecit, ut Dux Slesvici Waldemarus corona posita regem junctis Comitibus reduceret, & vicissim omnia reciperet quæ olim paternæ ditionis fuerant. Dux vero Waldemarus, ut in reliquum tempus firmior esset amicitia, sororem suam pulso regi Waldemaro III. conjugem dedit, & nuptiis regali luxu in Sunderborch peractis regem auxilio Comitum in Wiborch Jutiæ deduxit, quo totius regni proceres evocati sunt abolitisque omnibus injuriarum fomitibus sacramenta fidelitatis regni renovata fuerunt.

Ao. 1342. Holsatorum quorundam in Dania præsidiorum cædes.

Wand. lib. 8. Anno 1342. orta est inter Danos & inter præsidiarios Henrici milites contentio in Sialandia, in qua primario quodam Dano oppresso, Dani ad arma conclamantes, nomen Holsaticum execrati trecentos Holsatos una nocte occiderunt, qua de causa pluribus militibus Henricus arces suas custodiri fecit. *Sax. c. 13.* A. e. Johannes III. Largus ædificavit in Wagria ad Bilenam fluvium arcem Trittow, ut inde prædantes ex arce Linow Saxoniæ commodius coërcere posset,

Trittow arce ædificata.

paci studet.

qui nunc factus locuples & fortunatus, terramque pacatam possidens, nulli se amplius bello, nec parruelium quidem, immiscere voluit, paci nullam rem precioſam anteponendam esse existimans. *Saxon. c. 14.* A. e. Dani iniquis oculis aspicientes Holsatorum in Fionia dominium, arcem Scalingborch oppugnarunt, obsessi vero fortiter pugnantes statum rerum suarum Comitibus aperuerunt, qui missis per mare sexcentis armatis obsessos recrearunt, atque ad primum conspectum sociorum turmatim erumpentes interceptos Danos ad bis mille occiderunt, inter quos fuit Capitaneus omnium malorum causa, qui in Gerhardi necem conspiraverat. *Dan. c. 33.*

Dani Holst. in Fionia dominio infensi præliantes magna clade afficiuntur.

Ao. 1343. Anno 1343. Waldemarus V. Dux Slesvici ingratus Comitibus suis amitinis fratribus & tutoribus hostilem illis animum ostendit, ipsi vero non armis, sed insidiis, Ducem reprimendum esse rati observant tempus venationis, in qua captum abduxerunt in Nuborch Fioniæ atque biennio detentum magnoque ære mulctatum tandem dimiserunt. *Dan. lib. 7. c. 34. Sax. lib. 9. c. 16.* Anno 1344. Waldemarus III. rex invidens quoque Holsatorum fortunæ, quod præcipuas in regno arces tenerent, quas se exulante stipendium militiæ suæ acceperant, obsedit terra marique arcem Kallingborch; sed Henricus Comes mari adnavigans congressus est cum obsidentibus prælio magno atque Danorum aliquot cæsis, aliquot demersis, nonnullisque captis & secum abductis solvit obsidionem. *Dan. lib. 7. c. 34.* A. e. contentio fuit gravis civitatibus Lubecæ & Hamburgo cum Comitibus Holsatiæ Henrico & Nicolao fratribus, quorum nobiles suspectos habebant de latrociniis & deprædationibus mercatorum suorum. Ast quia nobiles defendebantur in calumniis a Comitibus, civitates impetrarunt a Johanne Largo Wagriæ, ut ducentos ab illis Equites Segebergæ contra prædatores reciperet, qui sæpius excurrentes Holsatos male suspectos fatigabant. Quod ægre ferens Henricus Comes similem a Johanne patruele petiit conniventiam in defensionem suorum: qua sibi concessa oppidum Segebergæ conniventibus civibus quadam nocte ingressus ducentos civitatum equites cum equis abduxit, æreque gravi mulctatos dimisit; Lubecenses vero hæc ad Cæsarem referentes impetrarunt Marschallum imperii Fridericum de Löcken, qui cum ducentis equitibus in Holsatiam irruens usque ad Danicam silvam Comitibus oppignoratam sævit & ingenti præda Lubecam secum abducta discessit. Magnus proinde Sueciæ rex Holsatis favens captivavit in regno suo Lubecenses mercatores, qui vicissim per suum Fridericum emissum in Scaniam incautos ac inermes Suecos ac Holsatos ibi piscantes ceperunt & Lubecam abduxerunt. Tandem imperator Ludovicus per Guntherum de Swartzborg Lubecam missum discordiam hanc finali transactione sustulit, non sine damno utriusque partis. *Sax. lib. 9. c. 18.* A. e. inundatio aquarum sævissima fuit circa festum S. Magdalenæ, quæ multis locis præcipue ad Visurgim abripuit viros & mulieres cum parvulis ac animalibus ac domunculis miserabiliter ubique in undis natantibus. Incolæ vocant S. Magdalenen-Fluth. *Chr. MS.* A. e. Henricus Comes qui ab invicta virtute ferreus dictus est, ex Dania Marte fatigata transiit in Sueciam, ubi regi Magno IV. militans Finnos rebelles feliciter armis subegit, arcemque Kalmaren in pignus & stipendium militiæ a rege gubernandam accepit, de eventu belli collocutus cum Domina Brigitta in Wattstern opinione sanctitatis & spiritu prophetico illis temporibus clara. *Sax. lib. 9. c. 23.*

Waldemarus V. D. Slesv. Comitibus hostilia parans capitur; binc libertatem ære redimit.

Ao. 1344. Waldemarus III. R. Comites oppugnans repellitur.

Hamburgenses & Lubecenses contendunt cum Comitibus Holst.

Holsati prædones repressi per Jo. Largum.

Gerhardus Lubecensium præsidia Segeb. capit,

bis succurrit Imp.

motus tandem compositi.

Inundatio.

Henr. ferreus C. Finnos sub obedientiam Regis Suec. redigit.

An-

(29) A. 1340. Transactio firmata est nobiles Hummelsbuttelenses inter & senatum Chilonienſem. *Elverf. p. 279.*

Ao. 1345. R. Waldem. III. ex Palestina reduxHolsatos in Selandia oppugnat.

Anno 1345. Rex Waldemarus III. ex peregrinatione in terram sanctam, (ubi ab Erico Saxoniæ Duce itineris sui comite apud dominicum sepulcrum auratus miles factus erat) reversus, cœpit reliquas Holsatorum arces oppugnare, atque in Selandia obsedit Werdingborch. Johannes autem Comes Holsatiæ armatis aliquot navibus suppetias obsessis tulit, sed rex Sueciæ Magnus intercepto bello transegit litem, ut rex Daniæ 8000. marcarum argenti Comiti persolvens Selandiam suam reciperet. *Dan. lib. 7. c. 34.* Anno 1346. Henricus ferreus commissa Holsatia fratri Nicolao secum assumtis Holsatis aliquot profectus est in militiam ad Edwardum III. Angliæ regem cum Philippo Valesio decennium jam de regno Galliæ conflictantem (juxta *D. Peuceri chronicon lib.* 5.) atque in magno isto prælio ad Cressiacum (in quo victo Philippo & cæsis 30000. Gallorum) cepit Johannem regem Bohemiæ cæcum, eique duas aureas catenas detraxit, quem cum ad regem Edwardum adducturus erat, in manibus Henrici ab invidis cæsum ferunt. A. e. Nicolaus Comes in absentia fratris Henrici Holsatiam administrabat arcesque sibi in Dania oppignoratas diligenter custodiebat, ad quem Jutus quidam nobilis cognomento Kalff defecit a rege cum duabus, quas tenebat, arcibus atque fidelitatis juramentum præstanti Nicolaus tertiam in Jutia concredidit. Postea vero a rege persuasus est & perfide Comitem deserens Waldemaro tres simul arces suas tradidit, qui subridens jocose astantibus dixit: Bonus hic est vitulus, cum duabus enim arcibus a nobis discessit, cum tribus vero ut fœcundus taurus revertitur. *Sax. lib. 9. c. 25.* A. e. nobilis Holsatus Nicolaus Lembeke possedit cum ducta in uxorem quadam vidua arcem Dœningk. Contemtus autem a subditis Jutis, ex consilio uxoris numerosum ex Holsatis comitatum coactus est circumducere, quamobrem factus Waldemaro regi suspectus & quasi hostis invisus est habitus. Rex ergo juramentum fidelitatis ab illo postulavit, quod in Jutia habitaret. Ille cum se Dominis suis obstrictum esse frustra clamaret; tandem respondit: quando rex juramentum pertinacius a me requirit, juro me numquam futurum regi fidelem. Cui rex, verum, inquit, mihi jurasti, talis enim hactenus fuisti, nec mutaberis. Postea per salvum conductum vocatus a rege in arcem Wedingborch, nihil de fide regia hæsitans nave illuc advectus est, & arcem jam petiturus obvium forte fortuna habuit puerum regis cubicularium, (cui Nicolaus sæpe munera dederat,) qui dixit illi: Domine, nisi mox discesseris, conjicieris in cacabum ferventis jam aquæ elixandus; quibus verbis Nicolaus fidem adhibens continuo in navem suam paratissimam reversus, nec umquam deinceps quamvis sæpius vocatus regi se credidit: sed ut vicem regi perfido rependeret, cuidam garrulo & noto episcopo secretum nulli velandum in aurem susurravit; multos esse in regno qui toxico regem tollere studeant, idque rex mox resciscens suspicioni varæ magis indulgens ex regno discessit, peregrinatus longo tempore in Bohemia, egitque apud Carolum electum Romanorum Cæsarem causam Romuli Marchionis Brandenburgici contra adulterinum Marchionem. *Sax. lib. 9, 26. Dan. 7, 36.* Anno 1347. Edwardus III. Angliæ rex auxilio Henrici ferrei cepit Caletum Galliæ II. mense obsidionis, 3. Nonas Augusti, atque ob singularem fortitudinem & virtutem charum habuit Henricum, cumque multis Anglorum principibus ipsum anteferret in odium venit Comes nobilium, qui astutis practicis vitæ & æstimationi ejus insidias struentes observarunt ipsum in Galliis pabulatum cum suis castra egressum & jam redeuntem ex insidiis quasi hostem infesti armis invaserunt, quos Comes bene cognitos dissimulans fortiter repressit, & partim vulneravit, partim occidit, atque sic singulari angelorum tutela periculo ereptus est. Quamobrem Angli ipsum regi accusantes ut insidiatores suspecti repulsam passi sunt. Commorato autem Henrico aliquamdiu in aula Anglica, invidi alia via insidiati sunt illi in absentia regis patroni deferentes ipsum apud reginam, quod ignobilis Saxo prosapiam principum mentiens præferatur nobilissimis Anglis. Impetrarunt tandem, ut per leonem nobilitatem explorarent; capta igitur occasione ex vigilantia Henrici, qua omni diluculo solitus est discinctus intra arcem deambulare, & portarum claustra, & custodiam scrutari, leonem hac spe ab ipsis vinculis laxatum, ut Comitem noctu vagantem laceraret præter opinionem obvium habuit rugientem. Cui Comes intrepida voce dixit: quiesce, quiesce ferox canis, ad quod durum verbum leo pedibus ipsius prostratus, cumque summa admiratione eorum, qui de latibulis suis prospexerunt, in caveam suam reductus est. Simile quid accidit Marchioni Wiprechto a Cæsare Henrico V. in Italia anno 1506. Alii referunt Henricum aliquando astantem ad leonis cancellos provocasse suos invidos & calumniatores ad imitandum, quod facturus esset, atque mox crinale capiti suo detractum fortissimo omnium leoni imposuisse in cavea, atque animo intrepidum regressum esse stupente ac cubante leone & conversum ad Anglos dixisse: Si quis fidit nobilissimo stemmati suo repetat coronam leoni impositam, sed illos rubore perfusos abiisse. Regem ergo reversum Comes adiit conquestus se nihil minus speraſſe, quam ut pro fide & laboribus regi exhibitis ex domo regia sit canibus abigendus. Cedere se velle Anglis male erga se affectis, quem Rex multis & magnis promissis in conditione detinere frustra studens munifice auro donatum clementissime tandem dimisit, additis insuper obsignatis litteris, ut si Henricus cum omni posteritate sua regi singulis annis obsequia detulerit, quotannis pro donativo accipiat a rege ducentos aureos Nabulos. *Saxon. lib. 9. cap. 24.* A. e. Waldemarus III. rex ipse obsedit arcem Fioniæ Hakessow, quam Comites Benedicto ab Alefeld equiti aurato commendaverant, eamque frustra oppugnans primum per pueros armigeros regios deinde per rusticos amis-

rei are transacta.

Ao. 1346. Henricus ferreus militat Eduardo III. Angl. R. contra Gallos.

A. 1347. Nicol. Com. Holsatiam administrat.

Juti cujusdam perfidia.

Nicolaus Lembeke nob. Holf. fidem recusat Regi Dan. insidias sibi paratas effugit, Regem suspicione injecta regno profugum reddit.

Ao. 1347. Henricus ferreus ob fortia facta Eduardo Angl. k. carus, nobilibus exosus.

leo in ipsum emissus haud nocet.

a Rege muneribus large affectus dimittitur.

Waldemarus frustra oppugnat arcem Hakessow in Fionia.

amissis multis cum damno ingenti discedere coactus est increpatus a suis, quod munitam arcem cum pueris & rusticis cogitaret debellare, respondit: Video vos pugnam detrectare. utor iccirco illis, qui dicto sunt obtemperantes, quorum mater nondum obiit. *Dan. Crantz.*

Nicolaus Comes ex rusticis delectum militarem sibi parat,

A. e. Nicolaus Comes erga omnes subditos suos humanus & beneficus rusticos in rebus bellicis diligenter exercuit, utque paratos haberet injunxit illis communibus impensis alere in singulis majoribus pagis unum generosum equum cum equite, in duobus vero minoribus similiter unum, quorum armatura sit pileus ferreus, thorax coriaceus densus beneque consutus, duæ ferreæ armillæ & manicæ, cum clypeo & lato militari cingulo, quorum ducentos eduxit in obsidionem Bramberg vel Manberg arcis in Fionia sibi rebellantis: Dum vero rex VValdemarus exercitum suum quoque adduceret, comes jam occupatus fuit in sepultura uxoris Benedicti ab Alefeld, & ex improviso a Danis obrutus, maxima pars suorum cæsa & capta est, ipse oculum in pugna amisit, deturbatusque ex equo captus fuit a quodam Dano & spoliatus clipeo atque omni armatura sua; fide vero revertendi data dimissus fuit, votoque in summis periculis facto, de exstruendo in honorem virginis Mariæ cœnobio, graviter vulneratus per familiarem quendam reductus est in Holsatiam. Rex autem cum prædam recenseret, vidit & facile in manibus militis discrevit ab aliis loricam Nicolai Comitis, cumque rogatus cujus esset? respondit ille, equitis cujusdam Nicolai de Rendesborch, quem fide mihi præstita abire permisi. Vero, inquit rex, se nomine appellavit, eum si retinuisses prudenter feciſſes. Unde miles sero intellexit, se Holsatorum Comitem cepisse. *Sax.* 9. 51. Anno 1348. Comes Nicolaus Flensburgum possedit & civibus concessit muro oppidum suum cingere, cumque bella gereret cum Danis arcem dimidio milliari ab oppido in præsidium exstruxit, ibique frequentius diversatus exercitum collocavit expeditum in monte proximo, collectum ex VVilstria, Schœnefelda, Hademarschia, Westeda, Nortorpio, Bramstedio, Kellinghuso & Koldenkerken in defensionem civitatis. Quo tempore Waldemaro rege exercitum contrahente ad obsidendam arcem Dorningk, Comites ab Henrico Lambeken præmoniti miserunt ipsi in præsidium centum fortes milites, quos Dani binis castris ad menses aliquot obsidione urgentes ad extremam famem compulerunt. Id periculum ubi Henricus Lembeke per famulum suum nomine Raspen Comiti indicasset, ille contracta quantocyus militum manu appropinquat, quorum adventum obsessi certa hora judicantes agnoscentes, turmatim ex arce proruerunt vigilibus imperantes, ut hos solummodo intromitterent revertentes qui clamarent: Holstenland, Frauw vom Himmel, atque cum Nicolao Comite alterum saltim castrorum utriusque hostiliter & animoso classico (Frau vom Himmel, Holstenland) invadentes occisis multis, ducentos Danos cum ingenti præda cepe-

a Rege inopinato oppressus, graviter vulneratus capitusque effugit.

Ao. 1348. Flensburgum munitur.

Dani ab obsidione arcis Dorning disjecti.

runt, reliqui perterriti relictis castris aufugerunt. *Saxon. lib.* 10. *c.* 9. Anno 1349. nobiles de Hummelsbuttel possidentes arcem Hogenstech accusati sunt apud Comites Holsatiæ, de latrociniis & deprædationibus publicorum itinerum; obsessi itaque sunt a Comitibus Henrico & Nicolao fratribus. Rex tandem Waldemarus (qui istos contra suos Dominos incitaverat) pacificatores mittens perfecit, ut Dominus fortalitii acceptis a Comite marcarum 5000. omnia sua Comiti relinquens patria excederet, & præsidium solo coæquaretur: quod factum ut ominosum præjudicium magnates accipientes contra Comites suos conspicarunt ducibus Marquardo Westensee & Ludero Krummediek, qui dum arcem Rendesburgum cum attinentibus pro pignore occuparent atque oblatam pecuniam suam recipere recusarent, expugnarunt hanc Comites ope civitatum maritimarum dejectis simul duobus fortalitiis Lackensen & VVoltorff, ubi quoque reliqua seditiosorum nobilium devicta est. *Sax. lib.* 9. Cum vero Marquardus VVestensee in expugnatione arcis Rensburgi postremus de sua familia transfixus esset sagitta, rogarunt quidam nobiles Comitem Nicolaum, ut spurium istius prosapiæ superstitem nobilitatum donaret insignibus familiæ, qui respondit: misericors Deus Aspriolus non conscendet impositum arborem (serpentem enim rubeum insigne habuerunt) insignia defunctorum fuerunt nobis molesta, nolite ista resuscitare. *Sax. lib. X. c.* 9. *Chor. Holsat. fol.* 98. A. e. Albertus et Johannes Comites Megalopolenses sunt donati & ornati Ducatus titulo a Cæsare Carolo IV. *Sax. lib.* 9. c. 27. A. e. Lubecenses destruxerunt arcem Linow. A. 1350. pestis sævissima Lubecæ exstinxit in profesto S. Laurentii spatio 24. horarum mille & septingentos homines, atque paulatim 9000. absumsit; quare senatus urbem amplificare cogitans sententiam suam mutavit. *Chron. Sclav.* Narratur eodem tempore mirabile præsagium audivisse præfectus coquinæ in conventu prædicatorum Lubecæ, intempesta nocte ad fenestram coquinæ clamans; Coce, coque cibum abituris fratribus, cui responsum fuit, quot sunt abituri: de conventu, ait, triginta sex, & duo advenæ cum illis. Hæc iste ut sibi ignota phantastica reputare volens, dum tamen dubitans per foramen in domum hospitalem respiceret, vidit assidere jam mensæ in albis vestibus numerum fratrum nuper auditum, velatisque frontibus ut fieri solet jam tumulandis. Horrens itaque recubuit & visionem donec eventu comprobata erat, celavit. *VVandal. lib.* 8. *c.* 29. Anno 1352. Johannes Largus VVagriæ Comes pie discessit ex hac vita, apud parentes sepultus in cœnobio Rheinefeldiano, relicto filio Adolpho VII. viro strenuo & latronum acerrimo hoste, qui filiam Alberti Megalopolensis Annam accepit uxorem, quæ fuit soror Alberti junioris regis Sueciæ & sterilis permansit. *Sax. c.* 32. *Wandal. lib.* 8. c. 21. Anno 1353. Henricus Ferreus variis atque arduis bellis gloriosum jam nomen sortitus, cum videret fratrem Nico-

Ao. 1349. Hobenstega arx a Comitibus obsessa, hinc ære acquisita.

magnates Holsat. contra comites insurgunt; Rensburgum occupatum Comitibus redit.

Familiæ Westensensis ultimus exstinguitur.

Alb. & Johannes Meckl. salutantur Duces.

Linovia arx diruta.

Ao. 1350. Lubeca peste attenuatur.

visio antecedit.

Ao. 1352. Jo. Largus obiit.

Adolphus IV. ejus filius sine prole.

Ao. 1353. Henrico ferreo filii nati sunt.

Nicolaum ſterilem habere uxorem Eliſabetham, ne Holſatia principibus orbaretur, animum ad conjugem applicans duxit filiam Henrici (vel potius Alberti) Megalopolenſis in uxorem, ex qua tres filios hæredes ſuſcepit. *Sax. lib. 9. c. 32.* Anno 1354. Otto cognomento Roſa, Comes de Suerino mortuus eſt ac Comitatus ereptus eſt ejus Comiti de Tekeneborch, & translatus ad filium & Alberti regis Sueciæ Ducem Megalopolenſem ſuſceptum ex filia Ottonis defuncti. Quo tempore Albertus ſenior cum Lubecenſibus evertit hæc latronum latibula Duſow, Laſſow, Radewin, Domniz, Mejenborch. & Meggenborch *Wand. lib. 8. c. 33.* A. 1355. Henneke Lembeke filius Nicolai, Dominus arcis Dörningk oppreſſit quosdam cives Chilonienſes circa *Goſebecke* proficiſcentes mercatum in Eklenforde aliquot vero captivos abduxit, ob hanc cauſam, quod duos ſuos famulos publice decollarunt, ut latrones, quam nobilis violentiam Adolphus Comes graviter ferens, utpote privata vindicta, ſine legitima accuſatione civibus ſuis illatam, hoſtilia minatus eſt Henningo. Cum vero illum vidua Henrici Ducis Sleſwicenſis defendendum ſuſciperet, bellum ipſi Adolphus indixit, vocato in ſocietatem belli Nicolao Holſatiæ Comite, atque expugnatas arces Haterſchleben & Tunderen occuparunt. *VVand. lib. 8. c. 36.* Anno 1358. Ericus IV. Dux Sleswici interfuit conventui illi magnifico VVandalicorum principum Lubecæ cum rege Danorum VValdemaro & Henrico, Nicolao & Adolpho Holſatorum Comitibus, qui omnes fœdus pacis contra viarum latrunculos ſanxerunt. *VVand. lib. 8 c. 36.* Anno 1359. Chriſtophorus regis VValdemari Danorum filius a Lubecenſibus in pugna navali ob ingravata vectigalia regni bombarda ictus brevi poſt diem ſuum obiit. Anno 1360. Lubecæ per incuriam famulorum ſuccenſum prætorium conflagravit. *VVand. lib. 8. c. 37.* A. e. Magnus Sueciæ Dux & rex deſpondit Haguino filio ſuo Norwegiæ regi ſororem Comitum Holſatiæ Elizabetham annorum 22. virginem conſenſu omnium procerum his pactis conditionibus, ut ſi Haquinus conjugium non conſummaret, Sueci depoſito Magno Henrirum Ferreum regem vocarent & coronarent. Contra ſi Comites a pacto reſilirent, Henricus amitteret arcem Sueciæ Calmaren, quam oppignoratam habebat, data inſuper mulcta 60. auri pondo, vel marcarum juxta *Crantzium*. Æſtate ſequente inviſit rex D. Hermannum de Vitzbeke auratum equitem ad deducendam ſponſam in regnum, cui mox nomine ſui regis, ſtans inter Nicolaum & Adolphum Comites, publice in arce Plœne eſt deſponſata & regina conſalutata, deinde ornatu, apparatu & comitatu regio equiti Hermanno tradita, qui ſabbatho 4. temporum ante natalem Domini ex Travena ſolvens in Sueciam navigare contendit, ſed ſæva tempeſtate in Daniam appulſi hoſpitaliter a rege VValdemaro recepti ſunt: qui intellecta conjugali cauſa aſtute hos ſecum detinuit, donec vocato rege utroque, tam patre quam filio tandem effecit, ut Haquinus repudiata Elizabetha in filiam ſuam Margaretham unicam regni hæredem (exſtincto nuper filio Chriſtophoro) conſentiret, eamque mox nuptiis peractis conſortem tori acciperet; quam perfidiam alto cordis dolore mœrens ſponſa Elizabetha in Sueciam perrexit, & cœnobio virginum in VVatſtein ſeſe mancipavit. Nobilitas Sueciæ quoque hanc fraudem ægerrime ferens in extremam ſuæ nobilitatis ignominiam a rege admiſſam de ſervanda Comitibus fide data conſilia agitavit. *Chron. MS.* Anno 1361. Henricus Ferreus contemtum juſto dolore vindicare ſtudens in Suecum perfidum validiora præſidia arci Calmariæ immiſit, procereſque regni de implendis ſancte pactis conditionibus ſollicitavit, qui honorifica legatione, in qua duo epiſcopi: Dn. Carolus de Tuſten Mareſchallus, Dn. Nicolaus Sturſen dapifer, & Dn. Ericus Cartſen cubicularius, omnes aurati equites cum aliis nobilibus Comitem Henricum juxta obligatam fidem debita reverentia in regem Sueciæ eligunt, eique fidem ſanctam usque ad ſanguinis ſui effuſionem offerunt. Sed Henricus collaudata fide ipſorum & recuſata ob ingraveſcentem ætatem regia corona, legatos hos ad ſocerum ſuum Albertum Ducem Megalopolitanum ablegavit, cum mandatis, ut quemcunque ex tribus ipſius filiis (quos ex Euphemia ſorore Magni regis Sueciæ genuerat), eligerent, ſeſe illi ipſi in locum ſuum confirmato, omne jus, quod in regnum Sueciæ haberet, traditurum & conſignaturum eſſe. *Chron. Holſ. fol. 99.* A. e. Johannes de VVi-teborch proconſul Lubecenſis, præfectus claſſis maritimarum civitatum, ex carcere, in quo biennium integrum detentus fuerat, productus in judicium gladio cæſus eſt, quod licentius egreſſis militibus ejus ad prædandum Dani ſex majores naves ipſi abduxerant, ægreque omiſſa omni præda reverſus eſſet. *VVand. lib. 8. c. 37.* Anno 1362. proceres regni Sueciæ profecti in VVandaliam & perbenigne ab Alberto ſeniore accepti expoſita cauſa adventus ſui ex productis in conſpectum tribus filiis habita optione elegerunt Alberti filium natu medium Albertum in regem Sueciæ, eumque cum patre in regnum abduxerunt, ubi comitiis indictis rex citatur objectis reſponſurus; quia vero comparere noluit, deſtituitur regno atque Albertus electus unanimi procerum voto in locum ejus conſtituitur & conſecratur. Quem dum Magnus armis ſuis fruſtra impeteret, cogitur angulum deligere & in eo conſeneſcere in dignam perfidiæ pœnam. *Chron. Holſ.* Anno 1364. civitates maritimæ, quas vocant An Seeſtädte, numero LXX. fœdus inter ſe ſanxerunt de privilegiorum in variis regnis inter mercatores ſuos conſervatione. *Chr. MS. Thracigeri.* Anno 1365. ſcholaſticus Lubecenſis, ut ſecretius dormiret in concamerato muro ſe recludens ſeptennium integrum dormivit, & a quodam capſas domus curioſius ſcrutante inventus eſt atque concuſſus excitatus fuit, ſtatim-

Ao. 1354 Suerinenſi Comitatus traditus Alberti R. Suec. filio. latronum latibula devaſtata.

Ao. 1355. Henneke Lembeke in Chilonienſes quosdam violentia punita.

hinc Nicolai Com. Holſ. cum Henrico D. Sleſw. diſſidium.

Ao. 1358. Vandalicorum principum Lubecæ conventus.

Ao. 1359. Chriſtophorus Dan. R. filius in pugna navali contra Lubecenſes perit.

Ao. 1360. Lubecenſe prætorium conflagrat.

Haquini R. Norw. cum Eliſab. Holſ. matrimonium & pactæ conditiones.

cujus in itinere R. Waldem. exceptæ loco ipſi collocat filiam.

A. 1361. eam injuriam vindicat Henricus ferreus.

coronam Sueciæ ſibi a proceribus oblatam transfert in Alb. D. Meckl. filium.

Jo. de Witeborch proconſul Lubec. capite plexus.

A. 1362. Albertus Meckl. R. Sueciæ electus.

Ao. 1364. Hanſeaticarum civitt. de conſervandis privilegiis fœdus.

Ao. 1365. de puero Lubec. ſeptennium dormiente narratio.

ſtatimque a notis ſine ulla corporis macera-
tione agnitus deprehenſus eſt ante ſeptennium
diſparuiſſe. Nihil potuit narrare, quid ſe-
cum actum fuiſſet, quam quod profundo le-
thargo ſopitus fuerit; vixit poſtea multos an-
Ao. 1366. Brema capta. nos. *VVand. lib. 8. c. 39.* Anno 1366. Bre-
ma capta eſt die Veneris in Pentecoſte. *Chr.*
MSC. Anno 1367. Civis Lubecenſis, Mor-
Ao. 1367. Civis Lubecenſ. exactiones ex pacto ſibi debitas facians a Bockwaldiis captus & trucidatus. injuriam Lubecenſes ulciſcuntur. keke dictus, captus, illuſus, & in chordas
contumelioſiſſime expanſus fuit a nobilibus
Holſatiæ de Bockwolden indigne ferentibus,
quod redituum, quos in prædiis ipſorum a
ruſticis emerat ſolutionem ſua privata auc-
toritate, juxta litteras tamen contractus ſeverius
& ſæpius extorqueret; Cumque conniven-
tibus Comitibus mortui caput inſuper deſe-
ctum palo adfigerent, cives armata manu
ſævitiam hanc ulciſcentes igne devaſtarunt
munitiones ipſorum VViddole, Henning-
ſtorp, Seykerde, Swynekule, Stonekamp &
Ratkerſtorp. Præterea aliquot hujus faci-
noris auctores captos publico gladio cecide-
runt, ut turbatores publicæ pacis a princi-
Ao. 1368. Comites Aldenburgenſes in Phryſia fuſi. pibus ſancitæ. *VVand. lib. 8. c 39.* Anno
1368. Mauritius & Chriſtianus Comites de
Oldenborch oppreſi in Blexem terra Phry-
ſiæ cum ſeptingentis perierunt. Quam cla-
dem Cunradus Comes vindicare volens ſe-
quenti anno cum exercitu reverſus quingen-
tos infelici puga iterum amiſit. *Sax. lib. 9.*
Ao. 1369. Bellum Vandalicarum civitt. cum Wald. Dan. R., quo fugato Hafnia, aliæq; urbes occupantur. *c. 33, 34.* Anno 1369. VVandalicum bellum
a civitatibus confœderatis ob nova onera mer-
catorum in Waldemarum regem ſuſceptum
continuatur, quo cum rex fugatus eſſet ex
regno, oppugnaverunt arces præcipuas, &
ceperunt Haffniam, Helſchenœram, Nico
pingiam, Falſterhode, Schonœr & Ansholm
Rege autem reditum diutius differente, quod
perſuaſum haberet, veneno ſibi a ſuis inſi
diari, proceres regni habito conſilio conve-
nerunt cum hoſte, ut redditis occupatis ar-
cibus, civitates Scaniam per annos ſedecim
pax ſancitur. cum omni jure regali teneant in accepti da
mni compenſationem, quibus exactis pignus
reſtituant, juxtaque has conditiones firma
Ao. 1370. Nicolaus Com. privigno Alberto Sax. D. Harburgam arcem occupatam reſtituit. pax ſancita eſt. *Wand. lib. 8. c. 39.* Anno
1370. Albertus Dux Saxoniæ privignus Ni-
colai Comitis bellum gerens cum Magno
Duce Lunæburgi vocavit in ſocietatem vi-
tricum Nicolaum ad expugnationem arcis
Harburg ad Albim: cui ille promtum ſe ex-
hibens vocavit ab incolis VVilſtrenſis Mar-
ſchiæ ducentos ſubſidiarios, qui in Comitem
promtiſſimo animo affecti mille miſerunt.
Quorum forti opera uſus Nicolaus privigno
ſuo arcem cepit & ſubjectam tradidit. An-
Ao. 1371. Mons calcarius a Luneburgenſibus occupatus, arx diruitur. Magnus Dux ei recuperandæ intentus caditur. no 1371. Luneburgenſes in vigilia purifica-
tionis virginis ſub veſtibus armati, quaſi ad
veſperas ituri montem calcarium ante urbem
occupant, cæſis cuſtodibus, moxque arcem
cum monaſterio ad imum demoliuntur. Quod
Magnus Dux tyrannicus moleſtiſſime ferens
urbem per inſidias capere tentavit, condu-
ctis ſeptingentis fortiſſimis militibus, qui
duce Johanne de Homburg Barone in nocte
Urſulæ virginis muros ſcalis aptaris conſcen-
derunt, & in aurora dimiſſis civibus ad quie-
tem forum occupaverunt, quos Capitaneus
Ulricus de Weiſſenborch aſtute facta ſpe de-
dendæ urbis pauliſper vino producto retar-
davit, donec jam armati cives pugnam pro
libertate eligerent, in qua hoſtibus renun-
ciata ipſe Capitaneus cinctus primus cecidit
cum tribus conſulibus de familia Garlopia,
Viſchale, & de Molen. Hoſtis a civibus in
fugam compulſus ad portam rubram magna
parte cæſus, ceteri in vincula conjecti, par-
tim decollati, partim ære gravi mulctati ſunt.
Ao. 1365. Waldemarus III. Dan. Rex obit; ejus fata & dicta ejus impia. *Sax. lib. 9. c. 38.* Anno 1365. Waldemarus
tertius Danorum rex obiit in arce Gorrha cum
regnaſſet annos quadraginta duos, varia re-
rum viciſſitudine jactatus: quem ferunt o-
ptaſſe ſibi a Deo pro regno cæleſti concedi tria
fortiſſima Daniæ propugnacula in ſedem per-
petuam, Werdingborch, Gorrhe, & Hel-
ſchencœre. Papæ quoque Romano decimas
ſeverius poſtulanti reſcripſiſſe: Corpora a
Deo creatore habemus, patriam a parentibus,
fidem autem Chriſtianam a te ſumme ponti-
fex, quam ſi nobis invides, remittimus tibi
per præſentes. Ægrotum vero fama fert de
tribus maximopere pœnituiſſe. Primo quod
Margaretham filiam in cunis non necarit; ſe-
cundo, quod maritimarum civitatum lega-
tos ad cœnam invitatos non ſuffocarit in hy-
pocauſto; Tertio, quod Nicolaum Lembe-
ken in aquam ferventem non conjecerit, ut
decreverat. Deſperans igitur de omnium
Sanctorum Dei pro animæ ſuæ ſalute inter-
ceſſione, de tribus ſaltim operibus in res ina-
nimatas collatis maximam fiduciam concepit,
earumque ſuffragia in agone mortis vocans
clamavit: juva me Ezrom, juva me Zora,
& tu amplisſima Lundinenſium campana,
tribus tantum his cœnobiis ſe bene feciſſe
confeſſus. Margaretha filia Norwagiæ re-
Margaretha filia ipſi ſuccedit. gina ſepeliri patrem curavit primum in Wer-
dingborch, deinde in Zora cœnobio, ſuſce-
pitque poſt eum adminiſtrationem utriusque
regni ſatis felicem usque in annos triginta
Ao. 1375. Carolo IV. Lubecam viſenti duos. *Dan. Crantz.* Anno 1375. Carolus IV.
Cæſar venit viſere Lubecam urbem imperia-
lem, & a civibus magnifico apparatu exci-
pitur, atque ab Electore Brandenburgico
& Saxonico cum regina deducitur in hoſpi-
tium domus angularis plateæ S. Johannis,
quæ eſt Dominorum de Daſſow; ubi cum per
Comites Holſati deferunt querelas de Hamburgenſibus, qui iſtis adjudicantur. dies decem commoraretur, Comites Holſa-
tiæ Henricus & Nicolaus accuſarunt Ham-
burgenſes, quod contemtis Comitibus ſuis
Dominis liberam & imperialem civitatem ſe
habere prætenderent ex privilegiis ſuis a Fri-
derico I. Cæſare collatis. Imperator audita
utraque parte juſſit Hamburgenſes Comiti-
bus parere ſalvis libertatibus, quas a Cæſare
haberent. Reverſi itaque domum dejecerunt
ſtatuam Rolandi, quam in ponte ejus nominis
in libertatis ſignum erexerant & Comitibus
Ao. 1379. Henricus ferreus a Papa Urbano militiæ dux conſtituitur; ad quod ſe ſubdiderunt. Anno 1379. Urbanus VI.
Papa audita Henrici Ferrei invicta & animoſa
fortitudine evocavit eum litteris & magnifi-
cis promiſſis ad ſe in Italiam, & venientem
Bononiam elegit ducem ſui exercitus in Apu-
lia & Calabria exiſtentis Romamque ablegavit,
ubi

munus suscipiendum profecturus pericula incurrit & sumtuum jactura facta redit.

ubi Comes divertit ad hospitem Germanum sub signo gladii, quem postero die ducem itineris sui in Apuliam adsciscit. Fama vero adventum novi Ducis in castra Papalia præferente, dux exercitus manum expeditam in insidiis collocat, quæ Henricum, antequam ad exercitum accederet, tollere jussa erat. Hos milites hospes in illo monticulo viæ imminenti conspiciens Comitem de structis sibi insidiis admonens Romam redire hortatur. Id Comes Henricus, ut vir imperterritus deque nullo Italorum unquam male meritus, sed Papæ jam miles stipendiarius cum recusaret, hospitis tamen sui consilio arma saltim & vestes suas cum quodam familiarium suorum commutavit, atque turmæ appropinquans hostiliter impeditur, quantumvis clamarent se amicos esse, nec cessarunt hostes donec militem armatura Comitis indutum occidissent, atque tunc denique adventus sui causas reddere jussi, ut captivi ad Papæ ducem sunt adducti (quem *Johannes Baleus de vita Pontificum Romanorum* scribit vocatum Johannem Haucuth Anglumque fuisse) qui intellectis rebus gestis in via simulavit se graviter excruciari miserabili casu Ducis in primo pugnæ congressu. Illi vero interitum Ducis sui prætendentes inutiles sese jam fore questi, in patriam se redire affirmabant. Dux vero admiratus singulares in Henrico virtutes & heroica indicia, addubitans de morte ejus, petiit sibi personam Comitis, si vivat, indicari, addito juramento, se nihil amplius hostile tentaturum. Comes habito cum suis consilio statuit veritatem detegendam esse, cum præsertim captivi essent, seque Duci indicari, quo facto Dux Comitem Henricum reverentia & honore principe digna excepit, multaque cum illo locutus subjunxit, Papæ Romani se esse ad certum confirmatumque tempus ordinarium Ducem totius exercitus. Inique igitur facere illum, quod ex tam remotis terris ante constitutum terminum alium successorem vocarit. Quod tempus si comes expectare voluerit, se ipsi libenter cessurum esse. Quod cum abnueret Henricus & Bononiam potius redire mallet, permisit illi. Quod ubi iter confecerant, & dies aliquot spe conveniendi Papam ibi commoratus esset neque a Papa revocaretur, intellexit impensarum suarum solutionem sibi denegari, sumtusque causatus ad Ducem Mediolani deflexit, a quo honorifice susceptus, & per comitatum adjunctum Coloniam usque deductus est, ubi a mercatoribus aurum, quo in Holsatiam proficisceretur, mutuo accepit, idque postea Lubecæ bona fide exsolvit. *Chr. Holf.* Anno 1380. ars tormentorum bellicorum a Monacho inventa est, qui postea a Cæsare occisus fuit. A. e. Lubecæ publicum equile cum omnibus inclusis equis incendio periit. Hamburgensium quoque turris ad ostium Albis lignea, navigantibus in signum exstructa, negligentia custodum simul conflagravit, ut latericia exstrueretur. *Wand. lib. 9. c. 5.* Anno 1381. Comes

Ao 1380. Tormenta bellica inventa. Lubecæ & Hamburgi quoddam incendium.

Ao. 1381. Henricus

Henricus Ferreus diem suum extremum clausit post exhaustos gravissimos labores in Holsatia, Dania, Suecia, Anglia & Italia, sepultusque est Itzehoæ honestissime apud patres suos. Reliquit filios tres, Gerhardum qui Dux postea factus est Slesvicensis: Albertum, qui Holsatiam retinuit: & Henricum qui postulatus fuit Episcopus Osnabrugensis, nec introductas vel consecratus est ob schisma capituli, tutorque suorum nepotum fidelis mansit in Holsatia. *Chr. Holsat.* Anno 1382. venti per totum annum non spirarunt in Germania, & annonæ vilitas fuit ubique. *Chr. MS.* Anno 1383. Dithmarsi ex agnata insolentia & perpetuo in Holsatos odio flagrantes prædam ipsis magnam levi de causa abduxerunt, quod cum innotesceret Comiti Nicolao, triginta fortissimos equites ex aulicis suis, rusticos in parochiis Schœnefeldio & Hademarschia arma illico capessere mandavit, quibus prædatores insecutus explorator præmissus magnam & fortissimam retulit esse turmam hostium, exigua hac manu non aggrediendam. Cui Comes; misericors Deus! quare nos exterres, nolite timere, sequimini me, oportet ad minimum vos videre hostes, qui vos deprædantur: Pergens porro ad locum Tiperslo in conspectu hostium intrepida voce dixit: perpetuam nomini nostro maculam adspergemus, si nobis adspicientibus nostra abduxerint. Hæc est illa puellarum chorea, quam sæpius jactatis; in nomine Domini hostes aggrediemur: indignus erit deinceps consortio nostro, quisquis se subtraxerit ex hoc congressu. Atque hæc locutus hasta sua hostes infestos petiit, quem militares secuti agmen hostile deturbarunt, donec rustici secuti æqualibus viribus cum Dithmarsis a tergo certarunt, ex quibus unus procerus & robustus, indutus thorace pelliceo denso, progressus ad singularem gloriam venandam Comitem aggressus est, manu illum conatus dejicere: qui illi aliquantisper colluctatus gladio tandem caput ipsius, uno forti ictu discidit; similique fortitudine reliqui Holsati non exiguam hostium manum occiderunt, cæteris in fugam compulsis. Dithmarsi vivente Nicolao Holsatos deinde non spoliarunt, sed inducias cum ipso hac lege sanxerunt, ut si imposterum Holsatia Dithmarsis, vel si hi ab illis injuria affecti fuerint, privata vindicta nihil tentandum, sed jure potius disceptandum, idque litteris & sigillis utrinque est confirmatum. *Sax. lib. 10.* Anno 1384. cursus ille idololatricus ex omnibus regionibus cœpit in Wilsnack oppidum Prignitze Wandalorum, propter hostiam quandam sanguinolentam, a sacerdote ejus loci post villæ & templi incinerationem in altari repertam. Anno 1385. cives quidam Lubecenses mechanici conspiraruntin nocte D. Lamberti urbem tradere quibusdam Holsatis, quorum Capitaneus fuit Dethlevus Gundendorp, eorumque auxilio consulatum interficere, domus patriciorum & mercatorum spoliare, atque hac via & occasione gubernacula civitatis occupare. Seditio-

ferreus denatus filios relinquit tres, Gerhard. D. Slesv. Albert. Holst. & Henric. qui episcopatu Osnabrugensi excidit.

Ao. 1382.

Ao. 1383. Ditmarsi Holsatiam deprædantes a Nicolao Com. fortiter disjecti pacemque pacti.

Ao. 1384. Concursus idololatricus ad hostiam sanguinolentam Wilsnæ.

Ao. 1385. Lubecenses prodidores puniuntur.

ſorum auctores fuerunt Henricus Paternoſtermacher, Arnoldus Finnige (al. leg. Franige) pellifex (in cujus domo cruentum conſilium habuerunt) Johann Kalefeld, & Hermannus de Mynden piſtores. Hi clanculum brevisſimo tempore multos in ſodalitium ſuum adduxerunt, atque in veſpere S. Lamberti arma ſumentes fuiſſent intromiſſuri Holſatos diluculo patefactis portis, niſi Deus miſericors avertiſſet hoc malum. Veſpere enim D. Lamberti Holſatus eques, velata facie accurrens Johannem Parſevallen compellare petit, eique in abſentia patris filius grandior natu vitrum cereviſiæ præbuit, quam cum guſtaſſet clara voce dixit: tibi vitro, nulli autem mortalium revelo arcanum, niſi caute proſpectum fuerit cras ante meridiem hæc urbs erit ſepulcrum Conſulum, patriciorum & bonorum civium, adeo intus & foris omnia ſunt plena proditorum, atque hæc dicens projecto ad parietem vitro equo avolavit. Senatus vero ſumma vigilantia cuſtodias ubique & excubias collocans, quatuor factionis principes noctu in armis comprehendit atque vinculis mancipavit, qui conſœderatos ſuos prodentes quadripartito corpore rotis ſunt impoſiti, reliqui partim rorati, partim magno numero decollati ſunt. Ab hoc tempore dies S. Lamberti ex ſenatus conſulto quotannis celebris & feſtus habitus eſt. *Wand. lib. 9. c. 15.* Anno 1386. Margaretha Hagwini Norwegiæ regis vidua & nunc Danorum regina vocavit ad ſe in Jutiam Comites Holſatiæ Nicolaum & Adolphum Wagriæ filiosque Henrici Ferrei Gerhardum, Albertum & Henricum: communi procerum voluntate decernens uni ex illis Ducatum Sleſwicenſem tradere jure feudi in poſſeſſionem & legitimam honeſtorum liberorum ſucceſſionem hac lege, ut Dux cum hæredibus ſuis perpetuo fœdere obnoxius ſit coronæ Daniæ, & homagium, quoties opus ſit, præſtare non recuſet. Cum autem Nicolaus & Adolphus, ob ingraveſcentem ætatem, & qui ſine hæredibus eſſent, Ducatum recuſârent, electus eſt Gerhardus Henrici primogenitus, quem mox Olaus Margarethæ filius in præſentia multorum Danorum procerum juxta veterem ritum publice cum vexillo inveſtivit & Ducem Sleſwici appellavit. *Sax. lib. 9. c. 10.* Anno 1387. Olaus Margarethæ filius electus rex Danorum obiit, mater regnum perluſtrans præfecturas ſingulas viſitavit, & bene ubique omnia diſpoſuit, atque in ſequentem annum comitia ſtatibus regni in Nuburgo indixit. *Chr. MS.* Anno 1388. Duces Lunæburgenſes devicerunt civitatis Lunæburgenſis exercitum Winſii ad Alram fluvium. *Chr. MS.* A. e. Gerhardus Dux Sleſwicenſis cum Nicolao & Adolpho patruis interfuerunt comitiis Danorum in Neuburg: ubi feudi Sleſwicenſis traditio renovata & confirmata eſt in hanc formam, ut Comites Holſatiæ cum ſucceſſoribus ſuis legitimis & honeſtis Ducatum Sleſwicenſem a corona Daniæ juxta vetuſtum regni morem in feudum accipientes atque debita obſequia promittentes hæreditario jure poſſideant. Decretum quoque & utrinque approbatum fuit, ut contentione inter

Ao. 1386. Gerhardus V. Dux Slesv. creatur Margarethæ homagio ſe obſtringens.

Ao. 1387. Olaus Mar. fil. obit, ipſa regnum ſtudioſe luſtrat.

Ao. 1388. Lunæburgenſes a Ducibus ſuperati. Comitia Nyborg.

in quibus de componendis in poſterum Danorum & Holſat. litibus tractatur.

Danos & Holſatos orta Dani binos & Holſati itidem binos ex ſuis ſequeſtres eligant, qui ſi controverſiam dirimere nequeant, licitum ſit principem aſſumere, atque ſic juxta ſuffragia majoris partis transactio rata fiat. *Chr. Holſ.* A. e. Dethlevus Gadendörp Holſatus per ſtipendiarios Lubecenſes interfectus eſt & fruſtulatim in villa ſua comminutus, ideo quod ante biennium Heynonem Scharpenberg præfectum ſtipendiariorum in Molne ex inſidiis adortus & usque ad Chilonium profugum cum novem ſociis ipſius ante portas trucidaverat. *VVandal. lib 9. cap. 19.* A. e. Nicolai Comitis Holſatiæ uxor Elizabetha pie defuncta eſt & ſepulta in Itzehoënſi choro in die S. Agathæ virginis. Anno 1389. Gerhardus Dux Sleſwici Nicolaus & Adolphus Comites evocati cum vicinarum urbium oratoribus in Oldeſlo tractabant de communi pace, & iter facientium ſecuritate, conſervanda in Holſatia: ibi plures ex latrocinantibus conglobatim contemtum decretorum contra ſe factorum pecora oppidi abigere auſi fuerunt. Comites itaque arma qualiacunque rapientes & præfecto Lubecenſium cohortem militum in campis habenti ſeſe conjungentes, inſectatique prædatores prædam omnem recuperarunt, & poſtremis proſtratis reliquos in profundas ſilvas compulerunt. *Sax. lib. 10. c. 12.* Anno 1390. Adolphus VII. Wagriæ Comes diſceſſit ſine hæredibus, poſtremus ex linea Johannis primi, qui fuit filius Adolphi religioſi. Quia vero Comites de Schowenborch vel eodem cum Nicolao vel uno gradu defuncto Adolpho priores eſſent, maluit Nicolaus terram ab uno deinceps gubernari Domino. Conceſſit igitur Comitibus in Schowenburg præter magnam argenti ſummam juxta formulam conventionis numeratam tres præfecturas juxta Albim in Holſatia perpetuo poſſidendas, nempe Pinnenberg, Hattesborch & Bramſtede, quas uſque in hunc diem tenent, integra Wagria ſecunda vice Holſatiæ jam adunita. A. e. Hamburgenſes ædificarunt arcem Glindeſmor contra civitatem. Anno 1391. Mollen oppidum totum exuſtum eſt. *Chron. MS.* A. e. Dux Gerhardus uxorem accepit Catharinam filiam Ducis Magni Lunæb. (qui catenatus dictus eſt) ſororem Bernhardi, Henrici & Friderici, Ducum Brunſwici & Lunæburgi, ex qua genuit filios Henricum, Adolphum & Gerhardum, filiaſque duas Elizabetham & Ingeburgam. *Sax. lib. 10. c. 23.* Anno 1392. Lubecenſes magnis ſumtibus amplam foſſam duxerunt ex oppido Molne in rivum Elmenow, & deinceps in Albim excurrentem, qua ponderoſæ mercaturæ præſertim ſalis ex Lunæburgo minoribus impenſis Lubecam uſque per rivum Stekeniſſe devehi & inde rurſus in Hamburgum auferri poſſent. *Wand. lib. 9. c. 26.* A. e. Ericus Dux inferioris Saxoniæ Bernhardus & Henricus de Lunæburgo, Gerhardus de Sleſwico & Nicolaus de Holſatia Comes fœdera inierunt quadriennialia, ut adverſus omnem undequaque ſurgentem vim, ſi juſtitia negaretur, armis decertarent, quæ fœdera a malevolis quibusdam contra civita-

Dethlevus Gadendorp a Lubecenſibus vindicantibus præfecti cædem trucidatus.

Elizabetha Holſ. defuncta.

Ao. 1389. Comitum Holſ. contra prædatores conſilia; horumque incurſio repreſſa.

Ao. 1390. Adolphus VII. Wagr. obit. Comites Schowenb. ſuccedunt.

Ao. 1391. Mollen opp. exuſtum. Gerhardi ducis matrimonium filique.

Ao. 1392. canalis Lubecenſium in Albim deductus.

FœdusDD. Sax. & Luneb. cum D. Sleſv. & Com. Holſ.

tes

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tes facta acceptabantur. *Sax. lib.* 10. *c.* 16. (29*) Anno 1393. magna peſtis maritimas urbes pervaſit, numerata ſunt Lubecæ hominum capita 18000. numerus exercitui idoneus. *Wand. lib.* 9. *c.* 29. Anno 1394. grando circa Mariæ in Auguſto decidit humanæ faciei præferens imaginem, tam barbatorum virorum quam fœminarum capita criſpantibus involuta peplis, quod prodigii loco habuerunt. *Wand. lib.* 9. *c.* 32. Anno 1397. Ericus Dux Saxoniæ, & Albertus Comes Holſatiæ vaſtarunt in diœceſi Suerinenſi, & incenderunt omnia canonicorum prædia, colonis abductis, eo quod epiſcopum ſuum Rudolphum de Stargardia ab adminiſtratione dejecerant. *Wand. lib.* 9. *c.* 34. (30) Anno 1398. Nicolaus Holſatiæ Comes exſtruxit in Wagria cœnobium Arensbœke in honorem S. Mariæ juxta votum olim in pugna Fionica Deo factum, idque proventibus ditavit, evocatis de Itzeho & Preze ſacris virginibus, quod poſtea anno 1402. mutatum eſt conſenſu Ducis Gerhardi in domum Carthuſienſium, reditibus auctis per Albertum Rodenborch Canonicum Lubecenſem divitem. Comes enim in ſenecta ſua totus ſe ad religionem & cultum Dei a politicis negotiis convertit, Chriſtianam rem ſuis bonis amplificavit, & abuſum cœnobiorum per canes venaticos principum introductum, quibus alendis magni ſumtus fiebant, abrogavit. *Chron. Holſ.* Anno 1399. gelu vehemens brumale terram ac maria adeo conſtrinxit, ut ex Lubeca per mare in urbem Sundam, & inde in Daniam pedibus iter facere licuerit; qua opportunitate fretus Comes Holſatiæ Albertus, Friſios Eidorenſes debellans coëgit multa 16000. marcarum totius terræ vaſtitatem redimere, cauſa belli non manifeſtata. *Sax. lib.* 10. *c.* 18.

Ao. 1393. *peſtis in civit. marinas furit.*

Ao. 1394. *grando prodigioſa.*

Ao. 1397. *Suerinenſis diœceſis prædationibus vexatur.*

Ao 1398. *Arensbœc. cœnobium inſtitutum.*

Ao. 1399. *Albertus Holſ. Comes frigore magno opportunitatem nactus ab Eiderſtet. tributa exigit.*

SECULUM OCTAVUM.

ANNI MILLESIMI QUADRINGENTESIMI.

Ao. 1400. *Nicolai Com. vita funeſti laus.*

ANno 1400. Nicolaus Comes Holſatiæ pie ex hac vita diſceſſit in Oſterhoff villa ſua, prope Itzehoam ad Storam fluvium, in cujus oppidi cœnobio non magnifica pompa funerali tumulatus eſt apud patres ſuos. Commendatur inde uſque a morte regis Waldemari in ſumma tranquillitate, juſtitia, & pietate Holſatiam gubernaſſe. Ruſticorum querelas non gravatus ipſe admiſit, ſed quoties a gravioribus negotiis vacaret, ex arce ſua ſæpius in publicum prodiit, ut omnibus & ſingulis ad compellandum ſe occaſio & liber aditus pateret. Si qui vero præ timore non ſunt auſi colloqui, hos ad ſe vocatos interrogavit, quid deſiderarent & quare acceſſerint. Magna namque benevolentia ſuos ſubditos complectebatur, nec paſſus eſt quemquam in-

de Weſtphalen Monum. ined. Rer. Germ.

juſte lædi aut violenter opprimi; qua virtute illos ſibi viciſſim arctiſſima fide & obedientia adſtrictos & ſubjectos habuit. Mimos & ſcurras ſeveritate principe digna non magni fecit: Haraldum enim quendam ex Dania muſicum ſplendide veſtitum & donis ex auro & argento quamplurimis jactabundum ad ſe Itzehoæ ſpe munerum accedentem cum ſuis citharœdis prandere juſſit atque quatuor inde ſolidis donatum dimiſit. Reprehendenti id vero cuidam ex conſiliariis, quaſi hoc exiguo dono Comes detractioni apud alios principes anſam dediſſet, Nicolaus reſpondit: Clementiſſime Deus! quare iſti ardelioni ſplendidius me ipſo incedenti plura donarem ad declinandas ipſius calumnias; ego me notiorem principibus eſſe confido, quam ut detractione viliſſimi hominis vel maculer, vel prædicatione nebulonis extollar. *Sax. lib.* 10. *c.* 17.

Anno 1401. Gerhardus Dux Sleſwici ſublato patruo ſuo Nicolao graviter in diviſione hæreditatis cum fratribus diſſidebat. Comites volebant Gerhardum contentum eſſe Ducatu ſibique cedere omni jure Holſatiam: Dux vero in paterna ſucceſſione partem ſibi arrogabat & Ducatum a corona deſcendere prætendebat; Fratres econtra Ducatum permiſſum eſſe omnibus Comitibus Holſatiæ: ſi ergo Dux petat partem in Holſatia, permittendam ſibi viciſſim eodem jure partem in ducatu. Ad dirimendam hanc controverſiam convenerunt in Todeslo Albertus, rex Sueciæ, captivitate ſeptennali jam laxatus. Henricus Dux Luneburgenſis, Ericus Saxoniæ, Adolphus de Schowenborch Comes, diuque rem tentantes, varia concordiæ media fruſtra perquirentes ſine fructu diſceſſerunt, Comitibus pertinaciter ſua defendentibus, Nobiliras vero Holſatica diſſidia fratrum continuari non paſſa, diligentius & frequentius de tranſigendo hoc negotio colloquia habuit, tandemque partium voluntate in hanc ſententiam conſenſerunt: Senior inter fratres Ducatum poſſideat, & quoniam laborioſa ſemper fuit provincia, tertiam inſuper teneat Holſatiæ novem annis, quibus decurſis totam fratribus permittat Holſatiæ Comitatum. *Chron. Holſ.* A. e. cometa toto ferme menſe in quadrageſima luce ſua terruit orbem, ſequutæ ſunt multorum principum neces & alia quamplurima mala. *Wand. lib.* 10. *c.* 4. A. e. Hamburgenſes navali pugna ſub Hylgeland inſula Holſatiæ vicerunt piratas Vitalianos dictos (*Victalie-Brüder*) deprædantes mercatores Anglicanos, cæſis quadraginta, eorumque Capitaneos Claus Stortebecker & Wichmannum cum ſeptuaginta viris captivos Hamburgum adductos decollari fecerunt. *Wand.* 10. *c.* 6. Regreſſi mox iterum in mare ceperunt Gœdecke Michaëlem & Wichbaldum, artium magiſtrum, cum octoginta ſociis, qui D. Vincentii martyris reliquias in tutelam circum-

Ao. 1401. *Gerhardi cum Com. fratribus de hæreditate Nicolai adeunda diſceptatio diſcuſſa tandem.*

Cometa.

Hamburgenſes pugna navali vincunt prædones.

Oldenburgenſibus datur Jus Lubec.

(29*) A. 1392. Nicolaus Comes Holſatiæ ac Schawenburgenſis & Gerhardus Dux Sleſwicenſis dederunt civitati Oldenburgi jus Lubecenſe, poteſtatemque poſt Michaëlem nundinas celebrandi. *Elverfeld. p.* 206.

(30) A. 1397. Godfridus Gadendorpius litteris diviſionis ditionum factis inter Albertum & Henricum Holſatiæ & Schawenburgii Comites teſtis deſignatus eſt. *Annal. Holſat. fol. p.* 2. *a.*

cumferebant, eoſque ſupplicio capitis affecerunt. *Chron. Tracig.*

Ao. 1402. Pſeudo-Olaus crematus.

Anno 1402. Maria trium regnorum regina cremari publice fecit in Valſterbode quendam, qui ſe Olaum jactavit eſſe defunctum reginæ filium, ex notis arcanis a nutrice acceptis formaque & ætate Olao ſimilem exiſtentem.

Wilhelmus Pſeud-Apoſtolus Lubecæ combuſtus.

Chr. MS. A. e. Lubecenſes cremarunt quendam fratrem Wilhelmum, qui albis veſtibus indutus magnaque ſimulata abſtinentia pro Apoſtolo ſe geſſit: tandem vero fœminabus ſeſe inſinuans diverſis erroribus ac hæreſi infectus eſſe deprehenſus fuit. *Chron. Sclav. fol.* 29.

Alb. Com. Holſ. matrimonium.

A. e. Albertus Comes Holſatiæ uxorem duxit filiam Ducis Erici Saxoniæ, ex qua nullos liberos ſuſcepit. *Chron. MS.*

Ao. 1403. Jo. de Goers nob. a Mecklenburgenſ. ob raptam quandam uxorem ſuſpenſus.

Anno 1403. Wiſmarienſes ſuſpenderunt in patibulo publico Johannem de Gœrs nobilem Magnopolenſem, contemnentes tam preces quam minas Ducis ſui volentis ad ſe revocare. Judicium de facinore illius, quod uxorem Johannis Schlep civis ſui cum clenodiis auri & argenti abduxerat non repugnantem.

Hæreſium autores combuſti.

Wand. lib. 10. *c.* 8. Sundenſes e. a. quendam ex ſuis Presbyteris, Roſtochiani vero mulierem, Wiſmarienſes Bernhardum quendam convictos ſingulos de hæreſi & pertinaces exuſſerunt.

Ericus D. Sax. Ditmarſos depræda tur; Hi vero injurias queſti bello opprimuntur ab Holſatis graviterque afflicti.

Wand. lib. 9. A.e. Ericus Dux Saxoniæ junior, ſocer Alberti Comitis ſimultatem alens cum Dithmarſis præſumta voluntate generi abſentis tacitus per Holſatiam magnam ex Dithmarſia prædam cum aliquot captivis abduxit. Dithmarſi ad vicinas urbes & principes accuſarunt Holſatiæ Comites de perfidia contra fœdera & privilegia in fovendo hoſte ſuo commiſſa; Quod cum ægre admodum ferret Dux Gerhardus, & fratrem ſimul quaſi hujus facti conſcium, increparet, ille vero innocentiam ſuam juramento purgaret literis ad Ditmarſos datis temeritatem ſcribentium increpantes infamiæ hujus ſatisfactionem condignam poſtularunt. Dithmarſi intellecta Comitum innocentia retributionem calumniarum obtulerunt, ſed Holſatis bellum optantibus, civitates Lubeca & Hamburgum fruſtra aliquot tractatus inſumſerunt. Gerhardus autem & Albertus frater paulo poſt cum expedito agmine Dithmarſiam invadentes Meldorpium ceperunt, multamque ex vicinia prædam abduxerunt, atque firmum præſidium in Deelbrugge ad Krumſtede erexerunt. Unde poſtea Dithmarſi cum dejicere id conarentur depulſi aliquoties fuerunt. Similiter ab Hanerow, Tileborg & Suaneſtede ſæpius afflicti ſunt, captivi abducti ac occiſi. Albertus Comes iterum Northamme invadens magnam prædam coëgit, ſed Dithmarſi conglobati deleviſſent illum cum ſuis, niſi Eidora tunc increſcens ipſos ab inſequendo tunc arcuiſſet tamdiu, donec Holſati per anguſtam ſemitam cum præda evaderent. Albertus autem Comes properans adacto calcaribus equo, agmen ſuum indignabundus coëgit, atque cum equo lapſus ita eſt conquaſſatus, ut brevi finem faceret vivendi, ſepultus Itzehoæ veſpere S. Michaelis. *Chron. Thracig.*

Albertus ex lapſu moritur.

Ao. 1404. Gerhardus D. Sl. totam obtinet Holſatiam; a quo pacem petunt Ditmarſi variis vexati.

Anno 1404. Gerhardus Dux Sleſwici poſt obitum fratris Alberti prolem non relinquentis Comes factus totius Holſatiæ interpellatus eſt ſæpius per Hamburgenſes & Lubecenſes de pace Dithmarſis firmanda, quam ille niſi ſubditi & tributarii eſſe velint ſimpliciter negavit. Iſti autem mortem præ ſervitute eligentes magnam argenti vim una via Duci ſe daturos promittunt, qui magna ſpe Dithmarſiæ potiundæ concepta annum poſtulavit atque privilegium produxit obſignatum proavis ſuis a. 1283. quo Dithmarſi ſancte ſe obſtrinxerunt opem laturos in perpetua tempora Comiti Gerhardo & poſteris ſuis contra omnes ipſum invadentes. Id vero cum non ſinceræ fidei judicaretur, promiſere tamen amore pacis ultra ſummam pecuniarum exponendam, ſe aliquot expeditis militibus auxilium Comitibus contra hoſtes hac conditione laturos, ut in periculis ſuis Holſati idem beneficium rependerent. Dithmarſi interea oppugnarunt fruſtra præſidium Deelbrug amiſſo Capitaneo Raleff Bouken filio, cujus caput Holſati palo affixerunt, & depulſis hoſtibus circumquaque pagos incendio perdiderunt. *Sax. lib.* 10. *c.* 21.

Holſatorum in Ditmarſia ingens clades.

A. e. Dux Gerhardus confidens ſe armis coacturum Dithmarſos, ut imperata faceret, exercitu firmo terram ingreſſus eſt die Oſwaldi, quæ eſt 5. Auguſti per viam Suderhamme (quæ munitio eſt in plano ante paludes triplicibus foſſis cincta arboribus ac dumetis denſis conſita, per quam arcta via lapidea utrinque profundis foſſis clauſa ſtrata eſt); ſignum ſagittariorum Henricus ab Alefeld, primarium vero Nicolaus frater gerebat. Dux cum cohorte conſtitit ad ſigna in faucibus ingreſſus Hammæ; ſagittarii autem longius circumvagantes de parochiis Lunden & Weddingſtede prædam coëgerunt, nec ſatis mature ad regreſſum properabant, quod ægre ferens Nicolaus fratrem admonuit de tempeſtivo egreſſu, qui animoſior haberi cupiens molendinum prius evertere maluit, dum Dithmarſi interim congregati exitum viarum, in quem Dux reſpexit, circumvallavere, prodeuntes turmatim ex rubetis & foſſis, quibus ſe abdiderant. Præmiſſi ruſtici cum parte prædæ ſalvi in Hanrow pervenere, appropinquantes tandem cohortes ad exitum præmiſerunt pueros Dominorum ſuorum clipeos & haſtas præferentes, quos primum ex inſidiis aggreſſi hoſtes clamorem cum ejulatu excitarunt. Dux arbitratus rixari illos nullam apprehendens inermi capite ad compeſcendos tumultuantes advolat, qui mox a XII. ſaltim Dithmarſis oppreſſus & diſciſſo capite exanimatus eſt.

Gerhardus occumbit.

Quod videntes armigeri omnes per viam aufugerunt; reliquus exercitus conterritus inſequitur, in quemque deinde ſævitur, atque ex inſidiis concurſu facto totum agmen circumvallatur, idque partim cæditur, partim in anguſtiis viarum conculcatur, ſemivivi quoque enecantur & in cadavera crudeliter ſævitur. Vix principem cum paucis ſepulturæ permiſerunt; ceteros canibus, lupis & vulturibus devorandos expoſuerunt. Occubuerunt cum Duce milites aurati

rati XII., militares nobiles utriuſque regionis trecenti duo ſequenti die ſub cadaveribus inventi, Wolff Pogwiſch & Rantzow capti ſunt, qui pro redemtione ſui demolitionem novi præſidii in Deelbrugge impetrarunt. Signa militaria duo capta, alterum in Meldorff, alterum in Oldenwurden in templis affixerunt. Ferunt in auro, argento, margaritis, equis & armis magnum theſaurum inventum fuiſſe. Hæc eſt ſecunda Holſatorum clades in Dithmarſia, prima facta eſt 1322. ſub Gerhardo Magno hujus avo, qui tunc quidem ſuperfuit, ſed majores copias amiſit. *Sax. lib.* 10. *cap.* 22.

Ao. 1405. *pax cum Ditmarſis firmata.*

Anno 1405. vidua Ducis Gerhardi Catharina cum tota Holſatia luxit principem ſuum, & quamvis mœſtiſſima, effecit tamen poſt honeſtam Domini ſui ſepulturam Itzehoæ factam firmari cum Dithmarſis inducias, vetuſque fœdus de vectigalibus & cauſis utriuſque regionis non violentia, ſed jure per arbitros decidendis renovari & denuo obſignari, addita hac appendice, ut, cui recedendum a fœdere utile videretur, ſex ante ſeptimanis renunciet parti alteri. Trium filiorum, quos Dux Gerhardus reliquit, major Henricus ſeptimum agebat annum, Adolphus tertium, Gerhardus in utero erat poſthumus patri. Filiarum alteram regina Margaretha in Sueciæ moneſterium Watſtein intruſit: altera Ingeburga (alii Hedwigam vocant) elocata eſt Balthaſaro principi Wandaliæ, quo brevi poſt defuncto nupſit Theodorico de Aldenburch Comiti, cui peperit Chriſtianum regem trium regnorum, Mauricium & Gerhardum. Dux vero Gerhardus teſtamento prius facto juſſerat tutores filiorum eſſe Ericum Krummendick, Sigfridum Seeſteden, & Laurentium Heſten milites, qui tunc adminiſtrationem Ducatus Sleſwici & Holſatiæ ſuſcepere runt. A. e. Lubecæ peſtis abſumſit a feſto corporis Chriſti uſque ad Martini octingentos homines exceptis pueris. *Chr. MS.* A. e. Comes Henricus electus Oſnabrugenſis Epiſcopus, audito Gerhardi fratris ſui caſu, venia impetrata a capitulo venit in Holſatiam tutorio illam pronepotibus nomine adminiſtraturus; (Hunc primum ſe principem Stormariæ ſcripſiſſe litteræ ejus exſtantes docent;) tutores vero commoti adminiſtrationem illi non permiſerunt. Ille vero ſe origine ſua Comitem eſſe Holſatiæ, ideoque ſucceſſionis jure aliquam partem ſibi in patria deberi contendens admittitur ab Holſatis in arces Segebergam & Rensburgum, quas mox cum aliis quibusdam occupavit, reluctante ipſi vidua Ducis in Gottorp reſidente, quæ bellum minata per tutores eductum exercitum Comiti obviam miſit, quorum unum Comes ſuperans in Bramſtede reliquos coëgit Holſatiam relinquere & in Ducatu cum vidua permanere, qui tumultuarie res adminiſtrantes, ſalvoque conducto conſules Flensburgenſes vocatos captivarunt. Quam perfidiam ægre ferentes plurimi nobiles, imprimis potens ille Nicolaus Lembeke, dominus in Dorningk, hoſtilia denunciavit Erico Krummendyk faci-

Gerhardi D. poſteri.

Henricus Comes tutorio nomine Holſatiam occupat.

noris hujus in conſules auctori præcipuo. *Chron. Holſat.*

Anno 1406. eclipſis ſolis horrenda viſa eſt die S. Viti hora ſexta matutina, quo anno turris Lunæburgenſis ad D. Johannem combuſta eſt. *Chr. MS. Thracig.* A. e. Margaretha trium regnorum potens regina, cum audiſſet poſt mortem Gerhardi Ducis diſſenſionem eſſe inter tutores provinciarum, ducta eſt pœnitentia de permiſſo Ducatu Sleſwicenſi Comitibus Holſatiæ in hæreditatem, habitoque cum proceribus regni conſilio, decrevit accipiendam eſſe optimam occaſionem ſibi datam ſine moleſtia Ducatus recuperandi, deinde Holſatiam cum civitatibus maritimis æquo florentioribus opprimendi. Proinde aſtute ad ſe vocavit viduam Duciſſam cum tutoribus & primoribus in nobilitate, atque tandem muneribus ac largis promiſſis impetravit admitti in ſocietatem tutelæ juniorum principum. Cum porro noſſet Duciſſam ære indigere, accepit a vidua arcem Lütke Tundern in pignus mutuati argenti, quod exactione ſtatim inſtituta a ſubjectis Phryſonibus recepit. Aliam deinde arcem Grodebuy proprio arbitrio demoliri fecit, ſubjectaque prædia Canonicis Sleſwicenſibus dedit, qui pro ſua & majorum ſuorum ac totius poſteritatis memoria quotidie ante meridiem miſſas celebrarunt. *Sax. lib.* 10. *c.* 23.

Ao. 1406. *eclipſis ſolis.*

Margaretha Holſatiæ inhiat.

Anno 1407. regina Margaretha ſeniorem Gerhardi filium Henricum, tribus in familiam adhibitis miniſtris educandum miſit in regnum, obſidem habitura, ſi quid ab Holſatis attentaretur. Supererat ex Nicolao Comite filia Elizabetha, quæ arcem Apenrade ſibi permiſſam tenebat, hanc regina deſpondit Erico Duci Saxoniæ & dote ex ſuis numerata arcem ſibi vindicavit. Adolphum, quia tener admodum annis erat & generoſus puer, dilexit vehementer patruus ſuus Henricus Comes, eumque ad Burggravium Norinbergenſem ablegavit educandum. Margaretha autem regina donaverat Adolpho ornamentum quoddam pileolo ſuo adfixum, ob quod ille pileum averſatus geſtare deinceps noluit. Affigi id denuo curavit illa ſuper manicam tunicæ ſuæ, unde ipſe manu ſua idem avulſit, tandem dorſo alligatum puer dorſum parieti allidens avellere tentavit, quod regina conſpiciens dixit: Hic puer, quando adoleverit, acerrimus regnorum noſtrorum hoſtis eſt futurus. *Chron. Holſat.* A. e. dives quidam ruſticus in Nikelſwald fertur habuiſſe duodecim tonnas pecuniarum. *Chr. MS.*

Ao. 1407. *Henricus Gerh. fil. in Dania educatur.*

Adolphus apud Burggrav Norib., recuſans ornamentum ipſi a regina datum ominoſe.

ruſticus dives.

Anno 1408. Lubecenſis civitas ſenatum ſuum per tumultum urbe expulit ob adauctas conſuetas collectas ad exſolvendum æs alienum in excipiendo Carolo Cæſare contractum, cujus maxima pars cum proxima ſua cognatione a vicinis urbibus Hamburgo & Lunæburgo hoſpitaliter excepta eſt: reliqua vix quarta pars domibus ſuis incluſa manſit, numquam in publico vel prætorio viſa. Plebs vocato Epiſcopo monſtrans ſubſellia ſenatus ex contemtu urbis ac civium ſua ſponte a conſulibus vacuefacta, ipſo renitente & fruſtra

Ao. 1408. *Lubecenſium cum ſenatu diſſidium.*

dissuadente novum consulatum per protestationem elegit, partim de mercatoribus partim de mechanicis, singulisque annis consulatum renovavit usque in octennium. *VVandal. lib. 10. c. 12.*

Ao. 1409. quorum exemplo Wismarienses, Rostoch. & Hamburg. senatui adjungunt LX. viros. Lubecenses praterea addunt sibi XII.

Anno 1409. Wismarienses, Rostochiani & Hamburgenses incitati malo hoc exemplo elegerunt LX. viros, ut capiendis consiliis & regendis rebus senatui adessent, quos Lubecenses vicissim imitati novo suo consulatui jam sordescenti LX. itidem viros adjecerunt; super hos vero universos crearunt viros XII. quos plenipotentes ideo vocarunt, quod deliberata in senatu & a LX. viris adprobata his vel rejicere vel confirmare licuit. *VVand. lib. 10. c. 15.* A. e. Ericus Dux Saxoniæ vicit Molnam oppidum. *Chr. MS.*

Molna capta.

Ao. 1410. Dannenberg. pugna.

Anno 1410. commissa est memorabilis pugna in Dannenberg vesperi omnium apostolorum. *Chr. MS.* A. e. Jordanus Pleskow proconsul Lubecensis exul egit causam expulsorum collegarum Heidelbergæ apud Rupertum Cæsarem, qui citatis adversariis commendavit judicium Gunthero Comiti de Schwarzburg, a quo novus consulatus nihil justitiæ consentaneum contra exules producens sententia publica condemnatus est. *Chr. MS. Thracig.*

Novus Lubecensium senatus removetur.

Ao. 1411. Ericus D. Pomeran. successor regni Dan. constitutus Holsatiam affectat.

Anno 1411. regina Margaretha jam senescens adoptavit in filium & trium regnorum aquilonarium successorem Ericum Pomeraniæ ducem ex sorore nepotem, cujus prima cura fuit Slesvicensem Ducatum Holsatis Comitibus eripere, & quod Margaretha jam cœperat felicius absolvere. Vocatum mox Comitem Henricum suorum nepotum tutorem Coldingam callido consilio postulavit de restitutione damnorum sexennio proximo Danis illatorum ab Holsatis, qui de Danorum violentia vicissim multa questus jus æquum appellavit. Citatus proinde in Fioniam paulo post regem in Hansepagel accessit, ibique coram regio tribunali gravissimis querelis impetitus, interventu quorundam ex regio concilio persuasus est fidem dare de persolvendis 11000. aureis, atque interim in pignus tradere oppidum Flensburgum cum nova area a Comite Nicolao fundata, quam cum Comes dissuadentibus frustra quibusdam amicis regiæ fidei traderet, rex ingenti mox fossa cingi murumque magis firmari curavit. Comes vero cum aliis tutoribus nepotum pactam pecuniarum summam intra anni metam offerens restitutionem oppidi aliquoties frustra postulavit, rege varias belli causas perfide comminiscente. *Saxon. lib. 10. cap. 26.* A. e. Margaretha interim regina velut harum rerum ignara Slesvicam ad Ducissam viduam contendit, simulans se litem de Ducatu cum rege facile composituram, si ad comprobandam amicitiæ firmitatem in arcem Gottorp admittatur. Vidua in angustiis constituta bellumque aversans permisit reginam ingredi arcem, quæ mox factæ a se cruci in muro turris osculum taciturna addidit & postulatis clavibus cum Ducissa ad mensam considens, inter prandendum consiliarium suum equitem de Scharpenberch cum mandato in aurem dicto ablegavit, qui egressus & in fastigium forte respiciens turris videt speculatorem cum sociis potantem, atque territus existimavit conclusam inibi in præsidio magnam militum manum reversusque visa retulit reginæ suæ in aurem, quæ incandescens Ducissæ flens dixit: an hæc est data fides tua? referam tibi suo tempore gratias, atque mox abscessit in Daniam. Ducissa rerum ignara primum expavescens, postea reginæ animum intellexit, deque ultroneo ejus digressu mira exultatione gaudens cautius sibi deinceps prospexit, atque quantocyus filium Henricum ex Dania clanculum in Gottorp revocavit. *Sax. lib. 10. c. 27.*

Flensburgum impetratum munitumq; reddere renuit.

Margaretha Gottorpio inhiat frustrata.

Ao. 1412.

Anno 1412. tempestas ventorum inundationem causata est nocte S. Cæciliæ. *Chr. MS.* A. e. Ericus rex duce Abrahamo Brodersen nobili Sueco obsedit arcem Sunderborch in Alsia, quam cum ille crebris incursionibus expugnare nequiret, indignatus rex de stupro aliquot virginum accusatum decollavit, omnibusque bonis suis in Suecia spoliavit cum pudore obsidionem solvens. Paulo post Magnus Munke & N. Scharpenberch equites contracta forti militum manu ex Flensburgo & arce Suavestede, quam episcopus Slesvici Johannes perfide regi Erico tradiderat, Phrysonibus magnam prædam eripuerunt. *Chron. Holf.*

Ericus R. Sunderburgum frustra oppugnat.

Phrysones prædatione exagitati.

Ao. 1413. Adolphus Schowenb. Danos prælio fundit relatis opimis spoliis.

Anno 1413. Henricus senior Comes cum Ducissa & tutoribus considerans Margaretham cum rege Erico hostilem gerere animum, vocarunt in defensionem impuberum Ducum Comitem Adolphum de Schouwenborch cum aliis ex Westphalia militaribus & Lunæburgo 800. equites præter pedites, ut arces Ducatus ereptas recuperarent. Rex obviam his misit exercitum 15000. equitum, quem Johannes Slesvici Episcopus præterire videns, his verbis benedixit: Deus benedicat invictum regis exercitum, potentem subjicere sibi & Domino nostro omnem inter Albim & Rhenum provinciam. Appropinquantes vero cernens Ductores Danorum Magnum Munken, & N. de Scharpenborch Adolphus dux Holsatici agminis cordata voce suos ad præstandam fortitudinem & eximiam cum præda gloriam parandam cohortans, Danos circa villam Egebeke aggressus est, & Germanis fortissime Danos cædentibus Munke omnium ditissimus occisus est: Scarpenborch vero captus decem millia in sui redemtionem persolvit reliquis magno numero captis Holsatorum arces, turres & oppida replera sunt, qui datis pro lytro 60000. marcis dimissionem redemerunt. Hac victoria animosiores Holsati redditi Flensburgum astutia Erici Krummendik noctu vigilum incuria oppidum a mari ingressi redegerunt in suam potestatem arce defensa a Danis. Cum autem rex classe navium oppugnationem oppidi pararet, Ducissa fratres suos Duces de Brunswico advocans exercitu 140.. equitum juncti Adolpho Erico regi ante Flensburgum occurrerunt, sed Margaretha insidiose de

Flensburgum occupat.

pace

pace agente, Dani quoque interim tumultum excitarunt, qui ab Adolpho advigilante mox oppressi sunt. *Chr. Holsat.*

Ao. 1414. Flensburgum a Danis receptum probeque custoditum.

Anno 1414. cum rex Ericus arcem Flensburgensem contra datam fidem in sua potestate retineret Ducissa fratrem suum Henricum revocavit, qui minoribus, quam antea, copiis accelerans ad oppugnandam montis arcem ingressus est oppidum, sed fluxu dysenterico milites adfligente oppugnatio remissa est, qua occasione rex oppidum vi expugnans consules & primores, ut perfidos proditores gladio & rotis punitos necavit, arcem cum oppido majori diligentia communivit. *Sax. lib.* 10. *c.* 30.

Ao. 1415. Primores quidam Holsati ad R. Dan. deficiunt, præfecti hinc arcibus. Exercitus Danorum ab Holsatis afflictus. Ditmarsorum cum Eiderstadiensibus contentio ob quatuor istorum suspensos;

Anno 1415. cum Ericus occupata urbe & arce Flensburga Ducatum jam potenter recuperare visus esset, primores quidam Holsatiæ, incertum, quibus de causis, a Ducissa ad ipsum defecerunt; quibus rex arces Ducatus firmissimas commendans, regendas novas insuper in Angulia & circa fluvium Slyam exstruxit, exercitumque suum ante Sleswicum ad Jurgensborch adduxit, quem Holsati nocte ponte facto invadentes spolia ampla retulerunt. *Sax. lib.* 10, *c.* 31. A. e. Dithmarsi in hoc arduo Ducum bello pertæsi fœderis ante paucos annos cum Holsatis pacti ad vindicandum quatuor fures Dithmarsos suspensos turmatim invadunt superata Eidora Phrysiam aquilonarem prope Tonningam, quibus Eiderstadiani resistentes Dithmarsos multos prostraverunt, reliquos in Eidoram mergendos compulerunt. Perierunt Dithmarsorum quingenti, Eiderstadianorum centum quadraginta. Qua clade Dithmarsis patefacta Eidoram omnes ad Borchsande trajicientes Phrysones territos & fugientes adflixerunt, atque parochiis aliquot incensis & vastatis provinciam Everstorp & Utholm marcis 8000. mulctarunt, inque sua redierunt. Mulcta vero brevi nondum solutare versi proximo anno flammis latissime grassati sunt, donec pastores sacramento occurrentes causam his conditionibus componerent. Ut Phrysones pro quingentis Dithmarsis occisis 30000. marcas darent, & litigiosis causis duos Dithmarsos & unum Phrysonem arbitros & judices haberent, quibus articulis jam litteris & sigillis confirmatis Duces bello gravissimo occupati non consenserunt sed Dithmarsos litterit sæpius missis justitiæ admonuerunt, sed frustra. Damna Phrysonibus illata pensitata sunt ad ducenta marcarum millia. *Sax.* 34.

Eiderstadiensesgraviter afflicti.

Otto Schinkel desiciens Holsatos vexat; mox terra pulsus.

A. e. Otto Schinkel Holsatus arcis Thylen præfectus in Ducum suorum cum Danis bello deficiens, multam equorum prædam ex Holsatia abegit & in Dithmarsia vendidit. Henricus vero Comes præsidium illud obsidens & expugnans solo æquavit, præfectumque in exilium pulsum Rostochii inter Carthusianos finire vitam coëgit. *Chron. Holf. fol.* 122. A. e. Henricus junior Dux humiliter a rege petiit Ducatum Sleswici sibi in feudum confirmari, quod cum ipsi denegaretur multi principes vicem orphanorum miserati auxilium illis tulere, inter quos Balthasar Wandalorum & Albertus Dux Megalopolenses fuere, quorum ope Holsati circa Sleswicum Danis sæpius confligentes novas arces sine præsidio relictas facile dejecerunt. Tunderen quoque præcipuam arcem reginæ jam dudum oppignoratam & Erico Krummedikio commendatam, cum ille forte abesset, sub præfecto suo Nicolao de Tynen nihil tale metuenti eripuerunt, magnaque iterum Danorum manu jussu regis iterum oppugnatam fortiter defendentes reinuerunt atque subditos illius Phrysones juramento sibi adstrinxerunt. *Chr. Holf.* 117. A. e. Ericus rex in classe sua navali se continens dictus est Fiber ab Holsatis, quod terræ se non crederet, mora sua sperans se Holsatos fatigaturum, qui fraude percepta militibus prædam permiserunt ad extrahendum bellum. Rex proinde exercitum suum incontinentem educens Sleswicum cum arce oppugnavit atque tandem oppidum, in quo Dux fuit Albertus Megapol. expulsus Sueciæ rex cum viris 100000. expugnavit, Ducemque pacem petentem his conditionibus dimisit, ut juramento firmaret se numquam tria aquilonis regna bello impediturum. Arcem autem Gottorp majori exercitus parte obsedit, reliqua Fimariam insulam ferro & flammis ubique grassans invasit, præsidiumque Glambelle Henrico Ratlowen commendatum superavit, capto præfecto subditisque juramento ad obedientiam obligatis. Quod cum Clerici quidam populo dissuaderent crudeliter sunt interfecti. Rex vero acceptis obsidibus pro 20000. marcis, Gottorpium rediit ad obsidionem. Cum autem Sleswici commoraretur Chilonienses in mari ad prædam excubantes cepere navem Danicam vehentem preciosas res regis, & senatus regni, in auro, argento & vestibus cum supellectile pontificali Lundensis Archiepiscopi, qui Sleswigæ officium metropolitani peragere constituerat. *Chron. Holf.* 117.

Henricus IV. dux Sleswici & Comes Hol. sociorum opera ditiones recuperat.

Slesvicum cum arce ab Erico R. expugnatum.

Ao. 1416. Henricus sen. Hamburgensium acquirit auxilia.

Anno 1416. Henricus senior Comes Holsatiæ considerans secum grave fore Ducibus in hac obsidione Gottorpii fœdus Wandalicarum civitatum cum rege, & præsertim Hamburgensibus, qui jure suberant Comitibus Holsatiæ; contendit propere Hamburgum mutuatum pecunias ad gerendum bellum: sed admonitus a nobili Henrico Broktorp itineris Comite, ut auxilia potius populi, quam pecunias postularet, invectus curru ob adversam pedum valetudinem in urbem senatui & populo vocato propria voce statum præsentem juniorum Ducum exposuit, petiitque, ut, qua possent omni virtute, suis Dominis ferant suppetias in justissima causa laborantibus, atque animo secum reputarent, si principes a tanto rege forte vincerentur de urbis suæ actum esse libertate. Facilius ergo & tutius communi hosti in longinquo, quam in propinquo loco, ad urbis mœnia resisti posse. Senatus privilegia Cæsarea opposuit, quibus Hamburgensibus permissum, ne Ducibus Holsatiæ contra suos hostes militare cogantur; præ-

præterea a novo fœdere civitatum cum rege inito primi discedere noluerunt. Sexaginta vero viri & tota civium communio impetrarunt promitti a senatu principibus suis, quanta possent, auxilia usque in belli finem, ideoque litteras hostilia regi nunciantes Comiti tradiderunt; quibus acceptis nuncius quidam refert captam urbem Sleswigam & Albertum Ducem salvum esse cum Holsatis dimissum. Comes Rensburgum reversus mœstam ibi inventam matrem cum filio majore Henrico consolatur litteras Hamburgensium ostentans auxiliaque mox secutura promittens, totum sese Ducatum ex arce Gottorp recuperaturos esse persuadet: regem quoque, ubi litteras hostiles accepit, timor incessit, auctus sparso rumore, Dithmarsos cum Hamburgensibus appropinquare, solutaque ex consilio principum obsidione Ekerenforde exercitum suum deduxit, idque immunitum incendit, inde illi Slyam mox trajicientes multis submersis in Daniam reversi sunt. *Chron. Holf.* 119. A. e. Margaretha trium regnorum regina annis deficiens concessit in fata spiritum efflans in navi ad oppidum Flensburgum, in tantis regnis non nacta vel unius pedis latitudinem, ubi quiete moreretur. Dux Henricus Brunswicensis orphanorum Ducum avunculus pro expeditionum suarum impensis 6000. marc. postulavit, pro qua summa traditas accepit arces, Gottorp, Plone, Haseldorp & Hanrow. Cum autem paulo post totam summam postularet, nec mox in tantis rerum angustiis impetraret, regi arcem Gottorp hac conditione obtulit, ut Ericus Dux Saxoniæ illam tamdiu teneret nomine regis, donec regi summa exposita penderetur. Sed dissuadente Erico Krummedick, quod brevi arx armis obtineri posset, frustrata res fuit. Ericus vero Dux insidiator Holsatiæ, Oldeslo oppidum in flammas redegit. Duces quoque Magnopolitani Johannes & Albertus ut causam belli prætenderent dotem 6000. marcarum ex relicta Adolphi Wagriæ consanguinea sua proposuerunt; sed Comes Henricus placabili responso omnes studuit continere. *Chron. Holsat.* 120. A. e. Henricus senior Comes & Dux Henricus Danorum imperium in Fimaria insula non ferentes, exercitum magno silentio per villam Grotenbroth ducentes insulam occuparunt, quem cum incolæ conspicerent suis viribus imparem, per pastorem oppidi Borch egerunt cum principibus, se, si arcis Domini fiant, facturos post, quod postularetur. Cingentibus ergo illis arcem arcta obsidione, dum intra octo hebdomadas nihil commeatus obsessis ex Dania advehebatur, Capitaneus arcis Ivo Bruseke commeatum ex Dania clam digressus advexit, ab Holsatis autem invehere in arcem prohibitus, arx fame tandem expugnata est. Incolæ proinde juramento se Comitibus obstringentes 6000. marcas in mulctam dederunt. *Chr. Holf.* A. e. Tartari primo in Holsatiam venerunt. *Chr. MS.* A. e. Ericus rex ingenti cum exercitu Fimariam appulit, quem incolæ Holsatorum fiducia fortiter repulerunt, multis Danorum cæsis. Conversus itaque rex in Hilgenhaven 8. die post Petri & Pauli arcem & oppidum Oldenborch vastavit, pagosque maritimos igne absumsit, ac Fimariam iterum invadens repulsus est. Tertia autem vice oppugnans fortitudine Holsatorum & incolarum 1500. Dani occubuerunt, in quibus fuit Dux Bartensis ex Pomerania regis patruelis. Dani tandem animo ad victoriam vel mortem obfirmato pugnantes superioresque facti crudeliter in omnes utriusque sexus & status sævierunt, templa spoliata, domus exustæ, virgines & viduæ stupratæ atque jugulatæ, tanta immanitate, ut rex ipse, quoties ejus diei recordatus fuit, amare fleverit. Arx Glambeke expugnata firmiori præsidio firmata est. Danis in regnum reversis Holsati Glambeke obsederunt, sed expugnare non potuerunt. *Chr. Holf.* 123.

hinc Dani recedunt Eckernforda incensa.

Margaretha exstincta.

Henricus D. Br. belli impensas postulat.

Oldeslo exusta.

Henricus sen. item Henr. Dux Fimbriam a Danis vindicant.

Tartari in Holf. advenæ.

Dani impetu in Fimbriam facto sepius repulsi tandem eam occupant, multaque crudelissime faciunt.

Oldenburg. vastatum.

Anno 1418. Henricus Comes Holsatiæ magno consilio & labore Ducatum Sleswik & Holsatiam patruelibus defendens etiam ob podagricos dolores deficiens, quieti se tradidit atque monasterium Bordesholm Canonicorum regularium sæpius visitabat, ubi cum inter cantores putaret sese audire vocem angelicam præ gaudio exultans fratribus illis villam Lœp cum omni jure possidendam donavit; qualem vocem & S. Vicelinum fundatorem monasterii Nyemünster olim audivisse ferunt. Revocavit quoque Henricus a Norimbergensi Burggravio Friderico Adolphum patruelium medium, ante alios dilectum in patriam, & redeunti arces Segebergam & Rendesburgum reddidit, dum Henricus frater Ducatum administrarer.

Ao. 1418. Henricus Com. Holf. quieti studens cœnob. Bordesh. dotat.

Adolphum VIII. revocat.

Anno 1419. Dux Henricus suppetias tulit Wilhelmo Lunæburgensi contra Bremensem ecclesiam, ut auxilia propinquorum suorum contra Danorum regem promereretur. *Sax. lib. 9. c. 4.* A. e. Lubecenses & Hamburgenses obsederunt arcem Bergerdorp in Saxonia cum equitibus octingentis & bis mille peditibus & vi tandem ceperunt. *Chr. Thracig.* A. e. Ericus rex instructa classe Alzen insulam statuit subjugare per Capitaneum Ivonem Bruseken Holsatorum summum hostem, quem, cum exercitum exponere vellet, nobilitas & populares insulæ repulerunt. Atque Ivo paulo post diem suum obiit, navesque tempestate disjectæ summo cum periculo in Daniam redierunt, quæ deprehensas ibi Hamburgensium naves bellicas duodecim ex spoliata ob ereptas sibi aliquot antea naves Jutia occidentali, domum cum spoliis redire contendentes hostiliter invaserunt. Sed acri prælio Dani superati, tres naves cum 120. captivis cesserunt Hamburgensibus, qui perforatis & demersis navibus captivos domum abduxerunt, & mulctatos dimiserunt. *Chr. Holf.* A. e. Lubecenses ceperunt in mari piratas viginti duos fugientes in Hilgenhaven, eosque abductos Lubecam ibi decollarunt.

Ao. 1419. Henr. D. Wilhelmo Luneb. suppetias fert.

Bergedorp arx a Lubec. & Hamburg. capta.

Ericus rex ab inf. Alsen submotus.

ab Hamburgenf. impetu navali in eos facto superatur.

Anno 1420. rex Ericus desperans de recuperando armis Ducatu Slesvicensi litteris publicatis ad Papam, Cæsarem & vicinos principes atque civitates, accusavit Duces, quod

Ao. 1420. Erici R. de Ducatu Slesv. ad varios delata que-

rela bineq; impetratum fœdus.

quod Ducatum Sleſwicenſem coronæ immediate ſubjectum & parenti ſuo Gerhardo perſonaliter non in legitimam hæredum ſucceſſionem in feudum conceſſum violenta illi manu poſſiderent idque æquo jure ſe poſſe demonſtrare. Quibus litteris multos ſibi conciliavit principes, & præſertim urbes Wandalicas, quæ Hamburgenſes Ducibus adhærentes fœdere excluſerunt. *Chron. Holſ.* & *Thracig.* A. e. Lubecenſes nomine regis conventum egere cum Holſatis in templo Euthyniano, ubi proconſul Jordanus Pleskow ad ſenatum principum Holſatiæ verba faciens poſtulavit, Comites Holſatiæ reſtituere regi Danorum Ducatum Sleſwici, quem regno vi ereptum injuſte jam poſſideant, vel de jure ſuo coram Cæſare reſpondere: ſeque interea cum Wandalicis urbibus juſtiſſimæ regis cauſæ deeſſe amplius haud poſſe. Cui cum Schacko Ranzovius reſponderet, ſe certo noviſſe, ſuos principes Ducatum iſtum poſſidere optimo jure ſucceſſionis in feudum, quod legitime a parentibus acceptum & multis jam annis ſit uſurpatum ideoque ad cauſam coram Cæſare dicendam nullo jure cogi poſſe; conventus diſſolutus eſt. *Chron. MS. Thracig.* A. e. Ericus rex Dithmarſorum primores quoque in ſuam ire ſententiam ſollicitavit, non tam variis & precioſis muneribus, quam declaratione judicii de cauſa ſua, qui confeſtim Ducibus regis cauſam æquam eſſe exponentes, auxilium ſeſe illi laturum ſuſceperunt. Duces vero ſimili aſtutia uſi, ſubmiſerunt ad Dithmarſos, (adhuc incorruptos a rege) virum prudentem, qui diſputando jus feudi explicavit rudioribus, cumque litteris publicatis teſtarentur, ſe judicio vicinorum principum & Dithmarſorum non diffidere cauſam ſuam ſubjicere, in fide illos & amicitia retinuerunt. *Sax. lib.* 10. *c.* 27. A. e. Sigismundus Cæſar a Dithmarſis ſicut a vicinis provinciis Romano regno ſubjectis tributum poſtulavit, ſed illi ſupplicarunt Archiepiſcopo Bremenſi Johanni Glamerſtorp, promittentes Bremenſi eccleſiæ, a qua defecerant, omnem debitam obedientiam, & quæcunque epiſcopi ex Dithmarſia olim acceperant, ſeſe ſine ulla contradictione ipſi & ſucceſſoribus quotannis penſuros, modo a Cæſare liberentur. Epiſcopus petitioni illorum conſentiens ſcripſit Cæſari Dithmarſos ſuos eſſe ſubditos, qui annua tributa eccleſiæ ſuæ pendant, ſeque in terra illa conſiliarios habere & præfectos, atque hac interceſſione illi a tributo cæſareo liberati, *deinceps nihil eorum quæ Epiſcopo promiſerant præſtiterunt.*

Lubecenſes efflagitant reſtitutionem ducatus Slesv. a Comitt. Holſ.

Ditmarſi tam a R. quam ducibus Holſ. ſollicitati ad rem dijudicandam.

Ditmarſi interceſſione Archiep. Bremenſ. a tributo Cæſ. liberantur ſubdole.

Ao 1421. Rensburg. templum corroboratum.

Anno 1421. Rensburgenſis templi columnæ & fundamenta quadratis lapidibus emendata ſunt. A. e. Henricus Comes Holſatiæ & princeps Stormariæ electus Oſnabrugenſis Epiſcopus, qui jam dudum omiſſa eccleſia nepotibus prudentiſſimo ſuo conſilio præfuerat, podagra vitam finiit, tumulatus Itzehoæ, relinquens Ducatus filiis cæſi Gerhardi. *Chron. Thracig.* A. e. bellum hoc grave & diuturnum Papæ etiam Romano innotuit, cujus man-

Henricus Com. Holſatiam relinquens ſuſcipit epiſcopatum Osnabrug.

dato Epiſcopus Lubecenſis Johannes Schelen ſuſcepit pacificationem inter regem & principes Holſatiæ, nam profectus ad regem impetravit conſenſum ejus in tractatus, & inducias ab utraq; parte conſignatas, vocatisque multis utrinque principibus cauſæ mediatoribus nihil tamen ſalutare eſt effectum, cum ſuæ partis commoda promovere unusquisque contenderet. *Chr. Holſ. p.* 126.

diſſidia Regis cum Comitibus componere Papa per Epiſc. Lubec. fruſtra annititur.

Anno 1422. Henricus Dux Sleſwici & Adolphus frater militarunt Wilhelmo Lunæburgenſi contra Johannem Epiſcopum Hildesheimenſem, quo in bello Erici Saxoniæ filius Canonicus cæſus eſt, & arx Grœne expugnata. *Chron. MS.* A. e. Dani inſtigante Erico Krummendick hoſtiliter oppugnarunt arcem Tundern minorem, cumque Holſati præſidiarii tacite ſimularent, ſe harum rerum inſcios admotis ipſis ſcalis mœnia circumquaque conſcenderunt; hi vero tantam opportunitatem nacti appenſas vallo trabes ſolventes dejecerunt in aſcendentes, & reliquos ſagittis & tormentis abegerunt, cæſo Timone Ronnow cum quadringentis viris præter vulneratos. Dux Henricus exercitum duxit octingentorum equitum & 30000. peditum, qua obſedit arcem Konichsborch in Suanzia nuper a rege ad Sleſemund exſtructam, inde movens Haderslebiam 3000. marcas a civibus in mulctam extorſit, poſtea vicit & ſolo æquavit Stubbe & Freſingborch. A. e. Lubecenſes cum Hamburgenſibus obſederunt tandem & expugnarunt urbem Dockum plenam raptoribus publicis, eripueruntque Erico Lowenburgenſi nobiles 30. prædatores. *Chron. Thracig.* A. e. mare inundans tempeſtatibus ſubvertit magna parte Dordracum urbem Hollandiæ cum parochiis ſedecim, quarum laceræ reliquiæ cernuntur mari per vices decurrente. *Sax. lib.* 11 *c.* 8.

Ao. 1422. Henr. D. Sl. & Adolph. fr. auxiliantur Wilhelmo Luneb. contra epiſc. Hildeſ. Dani ab arce Tundera min. fugati.

Henr. D. Danis eripit Konigsborch, Stubbe & Freſenborg.

urbs Dockum una cum raptoribus ibi morantibus capta.

Dordracum Belg. & vicina inundatione ſubverſa.

Anno 1423. rex Ericus derivavit cauſam ad Sigismundum Cæſarem, qui ad componendum hoc diſſidium miſit ducem Sileſiæ Rempoldum oratorem, quem cum Epiſcopo Lubecenſi profectus uſque Flensburgum poſtero die inſecutus eſt Dux Henricus Sleſwici cum exercitu adducens in comitatu Ducem Wilhelmum Brunſwicenſem & Adolphum Schawenburgenſem, portisque occupatis & dejectis claſſico civitatem intravit. Rempoldus vero inarmatus expoſuit adventus ſui cauſam eſſe pacificam inter illum & regem compoſitionem, qua manſueta oratione permovit Ducem in ſua redire & eventum rei expectare. Regis animum deinde quoque emollivit, & ad favorem Ducum inclinavit, optimasque pacis conditiones proponens, rem perfeciſſet, niſi inmedia actione correptus peſte obiiſſet ſepultus honorifice in Hadersleben. Interim Duces abaliis perſuadentur cauſam ſuam committere judicio Cæſaris & Electorum, in quibus plurimum confidebant, conſenſu utriusque partis definito loco & die, quo coram Cæſare finalem ſuæ controverſiæ ſententiam ſint audituri. Dux Henricus major natu non detrectavit viam longinquam & periculoſam conficere in Bo-

Ao. 1423. Rempoldus Sileſ. Dux mittitur ad componendam litem inter R. & Duc. Flensburgum ab Henr. D. occupatum.

res ad Cæſ. defertur incaſſum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

hemiam, ubi cum nullum ad agendam causam neque judicem neque actorem reperiret, de fide & diligentia sua protestatus domum reversus est. *Chr. MS.* A. e. gelu tam intensum fuit, ut equites e Gedano Prussiæ in Lubecam & e Magnopoli in Daniam transire per glaciem potuerint. *Chr. MS.* A. e. Sigismundus Cæsar Doctorem misit in Holsatiam ad investiganda documenta hujus controversiæ, qui præfinivit Ducibus locum Flensburgi, ubi suas darent legendas litteras, illi in hostili loco negabant, in Sleswico vero libenter daturos: contumaciam ergo Ducibus imputans accepta a rege attestatione ad imperatorem redibat.

gelu magnum.

legatus a Cæs. missus ad pacandas lites.

Anno 1424. rex Ericus in autumno profectus est in patriam suam, ubi cum aliquamdiu commoratus esset, & aulicos complures in Daniam dimisisset cum quadraginta equitibus abiit ad Cæsarem Budæ in Hungaria agentem, quo & Duces Sleswici citavit comparere. Illi vero convocato in Bornhovede concilio deliberavere, an personaliter ipsis vel per legatos Commissarios causa hæc sit tractanda. Episcopus Lubecensis Cæsari notissimus in corona concilii testabatur, sese ex Cæsare audivisse, non futurum illum præcipitem ad exhæredandos juvenes principes, compositioni causæ potius studendum esse. Qua oratione Duces moti legationem mittendam decreverunt. Consiliarius autem quidam vir sensatus prodiens diversum suasit, has ob causas gravissimas. Quod Henricus Comes nuper in Bohemiam citatus frustratus sit compromisso, item quod nec judex, qui sit Erici regis consobrinus, nec locus extra imperii limites definitus, sit æquo judicio competens, certisque privilegiis apud Comitem Schwartzburg asservatis, Germanis principibus exemtus. Consultius ergo esse ab illa citatione ad summum Pontificem provocare. Sed posthabito hoc consilio & re communicata cum episcopo & Nicolao Zachowen Lubecensi Canonico Henricus Dux cum his Comitibus iterum contendit ad Cæsarem, sperans ipsum opera Electorum causam suam legitime judicaturum. *Sax. lib.* 10. *c.* 28. A. e. Henricus Dux, cum perveniisset Budam in curiam, Cæsar assumtis, qui aderant, Principibus nonnullis & Baronibus instructus ad causam documentis, quæ nuper ex Dania legatus attulerat, sententiam sine præsentia & consensu Electorum promulgavit. Henricum Adolphum & Gerhardum Holsatiæ Comites Ducatum Sleswici injuste possidere, eosque ad restitutionem condemnari perpetuo silentio injuncto. Lata hac sententia Sigismundus compositioni se interponens exhibuit regis nomine danda Ducibus in vim concordiæ trecenta millia florenorum & Lalandiam insuper ad Ducatus possessionem. Henricus vero Dux hæc aversatus ad summi Pontificis Martini V. audientiam appellavit, missoque in eam causam procuratore ad urbem Nicolao de Schachow obtinuit causam hanc committi Theodorico Colonienſi Archiepiscopo de integro tractandam. Cæsar vero indignatus Pontifici, quod causas coram se per sententiam terminatas attrectare tentaret, multa fecit, ut Papa commissionem revocaret: Sed ubi causa juris prosequendi substitit, cetera militari manu sunt expedita.

Ao. 1424. Causa coram Cæsare tractanda Budæ.

Regi restituendus decernitur ducatus cum indignatione Holsat. comitum frustra ad Papam appellantium.

Anno 1425. rex Ericus impetrata pro se Cæsaris sententia profectus est in terram sanctam, atque per proditorem viva ejus imagine Turcis præmissa, in itinere captus non sine ingenti mulcta est dimissus. Cumque domum reversus esset, omnibus viribus ex tribus regnis contractis contendit sententiam Cæsaris contra Duces exsequi & Ducatum Sleswicensem recuperare. Duces vero Sleswicum oppidum sui juris factum communierunt fossatis vallis & propugnaculis, timentesque vim belli in Gottorp vertendam, arcem præsidio firmarunt.

Ao. 1425. Hinc Ericus R. in terram S. profectus capitur & magno ære libertatem redimit.

redux attentat Ducatum Slesv.

Anno 1426. Ericus rex fortissimo exercitu obsedit oppidum Sleswick & arcem Gottorp facta per montem Hesterberch lata & profunda fossa usque in Slyam, ut obsessis magis noceret. Duces acceptis sexcentis scloperariis Hamburgensium accelerant cum suis militibus, & portum Slesemunde obturant, quem Dani violenta manu iterum aperuerunt, sæpius cum Holsatis per velitationes, numquam vero aperto Marte confligentes. Dux interim Henricus, dum Gottorp obsidetur, Lubecensem senatum sollicitavit de auxiliis sibi præstandis contra regem, in mentem revocans beneficia vetera ab Holsatis in urbem collata. Lubecenses cum proximo anno obiisset Jordanus Pleskow consul, considerantes Holsatorum præclara erga se merita, consiliaque cum Wandalicis urbibus communicantes, detestati sunt regis callidam in Comites versutiam & in suos mercatores iniquitatem, relictoque ipso Ducibus se junxerunt, habito tamen prius conventu Rostochii & legatione nova pro pace ad regem missa, qua repudiata & omnibus regiis nervis ad bellum intentis civitates fœdere cum Comitibus icto bellum regi indixerunt. Qua defectione cognita, rex motus obsidionem urbis & arcis solvit exercitumque Flensburgum abduxit relicto Holsatis omni bellico apparatu in præsidio obsidionis suæ. Gerhardus vero Dux & civitates classem navium bellicarum expedierunt, ut Danis ingressum in regnum prohiberent, sed frustrati secundo vento, & hieme appropinquante dissoluta est expeditio ista. *Chron. Holst.* 130. A. e. Holsati numero viginti die Simonis & Judæ intempesta nocte Fimariam insulam intrantes præsidium Glambeke classico magno excitato oppugnabant, clamantes adesse civitatum auxilia, simulque sagittis & scloperis tonantes. Obsessi certiores ante facti de solutione obsidionis Gottorpii, deque classe Wandalicarum civitatum in mari, credebant verum esse rumorem, atque de auxiliis præsertim Danorum in hieme desperantes & tantæ oppugnantium vi impares sese reputantes Holsatis sponte arcem tradiderunt & discesserunt, cumque illusos se cernerent sero pœnituerunt. Eadem hieme Dux Henricus firmam arcem Wilsspange nuper ad hostem

Ao. 1426. Sleswicum Gottorpiumque a R. obsessum.

Lubecenſium auxilio Comitibus missio liberata.

expeditio navalis civitt. Vandal. adv. Dan. R. irrita.

Holsati occupant Fimariam,

Wilsspange arcem ex-

Flens-

pugnatam diruunt. Flensburgo arcendum in via ædificatam obsedit, & multo sanguine expugnatam solo æquavit, repertosque in illa viros sexaginta cum equis & spoliis abstulit. *Chr. Holf.* 131.

Ao. 1427. civitates spoliant insulas Danorum. Anno 1427. civitates primo vere instructa classe bellica adjunctoque sibi Gerhardo Comite spoliarunt Danorum insulas, & spolia ampla retulerunt, patefacta quoque ipsis voluntate Ducis Henrici de oppugnando Flensburgo naves suas sub montem oppidi appulerunt. Dux porro Henricus valido exercitu obsidionem maturavit, aggere per Phrysones in propugnaculum facto, oppugnatione vero propter adducenda tormenta in Festum Ascensionis destinata. Militibus vero vespere Ascensionis globos ignitos in hostium castra projicientibus clamor incertus exoritur Hamburgensium milites jam esse in hostilibus septis; quo audito Dux loricam suam vix constringens, & me, inquit, adesse convenit pro me laborantibus. Cum vero quieta omnia inveniret arrepta scala (ex inconsiderantia & juvenili ardore omnes prævenire cupiens) ascendit sepem fossæ ab hostibus prætensam, speculaturus quid ab illis agatur, quem dum nobilis Henricus ab Alefeld increparet, quod temerarium & omnibus periculosum facinus tentaret, quidam hostium excubantium audiens principem esse, qui scalæ incumberet, lancea sepem penetrans Ducem sub lorica lethaliter vulneravit, impositusque mox scalæ ut in tentorium deportaretur, impatientia vulneris se vertere volens, decidit duplicato dolore in terram, & paulo post spiritum efflavit, vix trigesimum attingens annum. Princeps fuit præditus præclaris virtutibus, fide, constantia, sobrietate, justitia, beneficentia, verecundia & imprimis castitate. Sepultus in Itzehoë. Sponsam habebat ex familia Ducum Brunswicensium, quæ cognita ipsius morte, suam Deo virginitatem consecravit, nullum maritum præ amoris integritate cognitura. Luxit quoque Ducem suum profusis lacrymis omnis exercitus, qui mox dilapsus est, Lubecensibus auxilia Wandalicarum civitatum ad defectionem incitantibus, quamvis Dux Adolphus mœstissimus belli omnem molem in se recepturum esse protestatus vehementer, ut manerent, rogaret. *Sax. lib.* 10. *c.* 40. A. e. Hamburgensium Capitaneus Johann Kletzingk consul domum reversus incarceratus est, quod negligentia ejus Ducis interitus causatus esset, & postea in conversione Pauli decollatus est. A. e. Lubecenses & Hamburgenses naves bellicas aliquot militibus circa Magdalenæ instruxerunt ad deducendos & tutandos mercatores suos contra Danos, hac dimissos cum instructione, ut se in Aquilonari maris parte (*Nort-Sunde* vocant) tamdiu continerent, donec mercatores appropinquarent. Rex vero classem suam quoque in mare adducit, ut fortunæ suæ maritimæ experimentum faceret. Cum autem gubernatores urbicarum navium viderent regias adproximare, quid facto opus foret, consulunt armisque suis confisi pugnare cum Danis eligunt instructionis suæ obliti.

Flensburgi earum vpe obsessio.

in qua perit Henricus Dux.

ejus laus.

sponsa exercitusque lugentes.

hinc obsessio ista irrita.

Consul Hamb. ob negligentiam cædis Henr. D. causam capite plexus. Hamburgensium & Lubecensium expeditio adv. Danos infausta.

de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.

Lubecenses primo hostem aggressi difficili & ancipiti diu pugna in fugam vertuntur. Hamburgenses vero ab illis separati circumventique vincuntur, & Hafniam pertrahuntur. Tribus horis vix elapsis veniunt mercatores, quos expectasse oportuerat: hos magno prælio aggressi Dani, usque in multam noctem durante, amittunt quidem mille suorum, sed victores facti triginta naves preciosis rebus repletas ceperunt; unde rex non mediocri affectus est lætitia. Lubecenses Capitaneum suum Tydemann Stein senatorem accusatum morti damnarunt. Cum vero judicium senatus appellaret quadriennio captivus domi suæ inclusus mansit. Hamburgenses autem suos captivos permiserunt se redimere 10000. florenis a Danis inter quos fuerunt duo consules. *Hojer & Voss.* A. e. rex Ericus studens civitates maritimas a Ducibus avellere scripsit ad societates & communitates urbium, senatum illarum contra vetera privilegia egisse & contra unionem ac confœderationem nuper secum factam, petiitque, ut ad servanda pacta magistratus suos cohortarentur, se deinceps clementem esse experturos regem. His literis ubique sparsis in maritimis civitatibus seditio ingens exorta est. Rostochienses pulsis quatuor consulibus novos consules creaverunt, publicatis veterum domibus & bonis. Wismarienses in adventu Domini incarcerarunt proconsulem Johannem Bantzkow & Henricum de Haren, eosque crudeliter in foro decollarunt. Sed filius Bantzkovii innocentiam patris jure defendens statuam patri publice poni perfecit. *Chron. Slav.*

Ericus R. literis concitat civitates maritimas, ut secum faciant.

hinc Rostoch. & Wismarienf. seditio.

Anno 1428. una salis lasta vendita est centum viginti marcis minoribus. E. a. Luneburga allatum est Dantiscum tantum salis, ut una lasta vendita fuerit viginti quatuor marcis. A. e. civitates singulæ naves suas numero ducentas sexaginta continentes 12000. milites ad bellum armaverunt, quorum Capitaneus fuit Dux Gerhardus cum aliquot Holsatis & octingentis Vitalianis, qui proprio stipendio & lucro illi militabant. Classis hæc circa Wismariam congregata statuit oppugnare Hafniam regiam. Sed rex portum ante arcem navibus bene instructis ita custodivit, ut nullus hosti accessus pateret. Frustrata est ergo expeditio ista, cum ne portum quidem obstruere possent. *Wand.* A. e. Wilhelmus Lunæburgensis militans stipendio Wandalicarum urbium cum 2000. equitibus sub Adolpho Duce, junctisque militibus Lubecensium, Hamburgensium & Lunæburgensium populatus est Jutiam, ac uno mense multa oppida & arces expugnans magnam prædam 3000. taurorum & vaccarum præter auri & argenti thesauros abduxit Gottorpium Cum autem Wilhelmo Lubecæ innotesceret, quod patruelis ejus Otto Dux Brunswici absentis ditionem invasisset, in patriam regressus, contractis undique copiis oppidum Pattenhusen expugnat & diruit, arcemque Hallerborch obsidione cingens late populatur, donec subditis & amicis deprecantibus (consiliariis & consulibus urbium utriusque ditionis causa ab utroque Duce

Ao. 1428. vilitas salis.

Civitatum expeditio navalis duce Gerhardo inita.

Adolphus D. ope Wilhelm. Lunæb. popu-latur Jutiam.

idem Wilh. causam suam strenue agit contra Ottonem D. Brunsv.

commissa) Ducatuum permutatio ad placandum Wilhelmum facta est, ut Wilhelmus Brunswicensem Otto Lunæburgensem acciperet. *Sax. lib.* 11. *c.* 17. A. e. Bartholomæus Voëth spoliavit Bergam Norwagiæ & incendit regiam Bursam, abducens Wismariam ducentas naves *Chr. MS.*

Bergа Norvag. spoliata.

Ao. 1429. *Ericus R. impetu in Sundam infeliciter facto*

Anno 1429. Philippa regina Erici Danorum misit naves minores 75. refertas mille quadringentis viris in mare ad urbem Sundam affligendam. Cives autem, quanta potuerunt celeritate, septem naves instruxerunt, quibus Danos difficili prælio aggressi tandem superavere, captis trecentis, reliquis partim cæsis partim submersis. Rex domum reversus uxorem gravidam male tractavit ob non impeditam infelicem hanc expeditionem, quæ proximo mox anno in vigilia trium regum obiit sepulta in Wattstein Sueciæ monasterio. Fuit autem Portugalliæ regis filia pro dote adferens unum aureum magno pondere & valore, multa millia pensantem. *Wand.* A. e. in Majo Lubecenses & Sundenses vicerunt Danos ante Sundam captis plurimis ex nobilitate.

male tractat conjugem.

Ao. 1430. *Vitaliani intercipiunt Dan. Regis navim ditissimam.*

Anno 1430. Vitaliani milites Holsatis addicti eripuerunt regi navem Kham dictam cum reditibus, quos ex Suecia quotannis excipere solitus erat, eumque thesaurum Rostochii & Wismariæ inter se diviserunt. *Chron. MS.* Civitates Wandalicæ pro pace in diuturno hoc bello regi supplicarunt, qui tandem post varias actiones aliquot articulos proposuit, quos Rostochiani & Sundenses receperunt, sociarum urbium fœdus relinquentes, reliquæ quatuor urbes & præsertim Hamburgenses pacificationis formulam non receperunt, ideo quod nullam principum suorum mentionem faceret, & nihilominus de pace cum rege egerunt, illamque æquis conditionibus impetrassent, nisi Ericus Krummendick eques homo inquietus hoc apud regem impedivisset. Dum vero de pace tractatus aguntur Dani Altzen insulam Holsatorum bonis repletam navibus advecti invadunt, quos Vitaliani & alii ex præsidiis Sunderborch ac Alborch stipendiarii fortiter repressерunt, tempestas quoque simul exorta 10. naves conquassavit, reliquæ a Capitaneo ægre Hafniam reductæ fuerunt. *Chron. Hols.*

Rostoch. & Sundens. cum ipso pacati a sociis deficiunt. reliqui non item.

Danorum impetus in inj. Alsen a Vitalianis fortiter repressus.

Ao. 1431. *Ditmarsorum cum Hamburgensibus aoncertationes.*

Anno 1431. Dithmarsi Hamburgensibus infesti, quod conarentur frugum ab Albi in alienas regiones devectionem, impugnaverunt turrim Nienwerk ab Hamburgensibus in ultimis Hadeleriæ finibus ad littus maris in communem navigantium salutem exstructam & sustentatam aliquot viris invicem occisis & vulneratis. Quam ob causam urbs ad tutandas naves suas de Anglia & Flandria redeuntes misit 600. per Albim satellites præfecto Martino Swartekop viro consulari. Dum autem moram in Albi faceret, milites ad salitas carnes nauseantes recentesque appetentes, prædam ex Ditmarsis hostibus auferre voluerunt. Præfectus vero nullam sibi deprædationem ullius terræ mandatam aut concessam respondens, tumultuantem contra se turbam coactus in littus exposuit, cum ipse in littore cum 200. remaneret, reliqui prædatum egressi domorum stulta incensione Dithmarsos congregari fecerunt, a quibus dum repellerentur, ad signa revertentes aquæ jam defluxerant: Superati itaque multitudine hostium pene omnes ceciderunt, paucis ad naves ulteriores relabentibus. Præfectus cæsus exenteratur, cujus stomachum hastæ cujusdam fœminæ infixum in victoriæ signum circumtulerunt. Paulo post Dithmarsi per amicos cum Hamburgensibus vicinis suis reconciliati sunt. *Sax. lib.* 11. *c.* 17. A. e. reconciliatione cum rege Erico frustrata Duces vim suam omnem & consilium ad recuperandum Flensburgum contulerunt, ductuque cujusdam expulsi civis sub concione sacra diei Palmarum in urbem introducti foroque a militibus occupato signa volitantia prætulerunt; unde major civium pars inermis coacta est Ducibus jurare, reliquis partim in arcem, partim in monasterium fugientibus; quorum hi paulo post Ducibus accessere, illi vero quotidie in arce sunt numero aucti. Duces per octingentos Phrysones latam fossam circa montem fecerunt, ne quis accedere vel recedere posset habitoque consilio de periculosa arcis natura munitæ oppugnatione auxilia a Lubecensibus & Hamburgensibus postulavere ad defendendam urbem occupatam, quibus impetratis obsessi commeatu brevi tempore deficientes, naves ex Dania quatuordecim impetrarunt, quamobrem urbes aliquot naves bellicas miserunt, qui commeatum importantes prohibuerunt. Passi igitur obsessi iterum extremam famem ab equis & canibus non abstinuerunt, desperantesque amplius de Danorum auxiliis permiserunt Ducibus arcem pacti liberum cum bonis suis discessum. Duces arcem firmantes & præsidium militum forte relinquentes novam domum destruxerunt, aliudque insuper forralirium hostium Rudkanf inflammarunt circa nativitatis Mariæ. *Chron. Holsat.*

inter se pacantur.

Flensburgum a Ducibus recuperatum.

Anno 1432. Broderus Sueno præfectus classis regiæ observans Lubecenses ex Livonia redeuntes captus est ab illis cum ducentis viris, reliquis qui in navi sua erant submersis, & D. Erico Krummendik fugam cum suis ineunte. Quo anno Revalia urbs ex proprio igne incensa cum ecclesiis conflagravit. *Chron. Slav.* A. e. cum in hoc diuturno bello Danico mercatura civitatum varie impedita & collapsa externisque mercatoribus præsertim Hollandis via in regnis his negotiandi patefacta esset: civitates Wandalicæ in his belli induciis conventum indixere Suinburgi, ubi Prælati ac nobilitas Danica magno numero congregata Germanos torvo vultu aspexit, quod Principibus Holsatiæ in recuperando Flensburgo operam navarant. Tractatum quidem est de pace per mercatores, sed nihil effectum, nisi quod alius conventus in Werdingborch consensu partium indictus est, induciis interim sigillis utrinque confirmatis. Cum autem Dani nullatenus a prædationibus mercatorum in mari abstinerent, idque delatum ad regem valde displiceret, prædatio tamen nautica jam usita-

Ao. 1432. *Broderus Sueno Dan. classf. præf. cum suis captus.*

Revalia conflagrat.

Civitatum Vandal. ob commerciorum detrimenta per Danos sibi allata conventus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

usitata prohiberi ubique non potuit, Danis nihilominus severe in urbibus Wandalicis negotiantibus. *Chron. Holsat. fol.* 136. A. e. Gerhardus Dux Slesvici frater Adolphi cum conjugem accepisset Annam de domo Marchionum Badensium, nuptiisque mox peractis in patria ejus prægnantem secum in Holsatiam duxisset gravi lapsu partum properavit septimo mense gemellos pariens. Infantes vero nihil imperfectum præferentes malevolis occasionem præbuerunt, quasi non ex Duce, sed ex alio, concepti essent. Re delata ad Adolphum convocatæ sunt ex vicinis urbibus & nobilitate præsentes fœminæ prudentes ad examen puerorum, quæ omnes Gerhardo patri infantes adjudicarunt. Physici quoque consulti testati sunt honeste fieri posse partum in septimo mense a primo die concubitus, cum lapsus præsertim accesserit. Sed his testimoniis pudicitiæ contemtis, Adolphus magna indignatione concepta fœminam gravans in patriam suam retrocedere coëgit. Abeuntem maritus, ut revocaret, secutus inque itinere deficiens mortuus est in Emmerick ad ripam Rheni. Parvuli postea separati sunt. Puella monasterio dicata diu postea extra patriam vixit, masculus vero in pueritia obiit, de cujus interitu ferunt inconsolabiliter postea luxisse Adolphum Ducem. *Sax. lib.* 11.

Gerhardi maritæ ob partum septimestrem injuria oblata, quam Gerhardus fugientem prosecutus obiit.

Anno 1433. Hamburgenses expugnarunt Embdam Frisiæ & diruerunt Sybeldesborch. *Chr. MS.* A. e. Adolphus Dux post mortem Gerhardi duxit Dorotheam sororem Comitum de Mansfelt, quæ sterilis propterea mansisse fertur, quod Adolphus fratri legitimam sobolem invidisset. *Chron. Thracig.*

Ao. 1433. Embda expugnata a Hamburgens. Adolphi matrimonium sine prole.

Anno 1434. Nobilitas Suecica, consilio habito præfectos regis Erici populum exactionibus & novis tributis vexantes regno expulit, Capitaneo electo quodam Engelberto, homine industrio, qui urbes & castra regis expugnavit, atque exactiones abrogavit. Rex missis litteris nobilitatem prius severe ad tranquillitatem cohortatus, ipse postea proficiscitur ad tumultus populi sedandos, sed a Suecis angustatus comitatu paucorum mutatisque vestibus coactus est in Daniam redire. *Chr. MS.*

Ao. 1434. Danici præfecti ob tributa aggravata Suecia pulsi.

Anno 1435. Ducis Adolphi & quatuor Wandalicarum urbium Lubecæ, Hamburgi, Lunæburgi & Wismariæ oratores definito die regem adeunt in Werdingborch causam transactionis renovantes. Daniæ proceres urgebant jus regium apud Cæsarem quæsitum, ut Dux cedat Ducatu: præterea ut rex pro arbitratu suo vectigalia vel tollat vel augeat. Cum autem multi dies inutiliter consumerentur, & legati frequentius se regem honorasse & tantum irrisos fuisse conquesti abire statuissent, simulque magis serio negotium hoc imposterum sese acturos palam protestari essent: Danorum proceres perræsi vastationis insularum & bellorum assiduorum, tumultusque majores timentes, ne forte civitatibus Sueci confœderentur, persuaso rege Erico legatos ad hujusmodi compositionem causæ revocarunt. Juri, quod apud regem Romanorum quæsitum sit, non incumbendum, sed Ducatum Slesvicensem cum suis attinentibus Duci in feudum esse tradendum, nec umquam id bello attrectandum; deinde regem restituturum esse civitatibus damnum irrogatum; tertio mercatoribus permittenda vectigalia vetera in regno pendenda, regni quoque incolas ab urbibus nullis gravandas esse novitatibus, sed suis utrinque immunitatibus gaudendum esse. Hac pacifica transactione sigillis confirmata & voce præconis ubique divulgata cuncti exultaverunt, & legatos suos urbes honorifice exceperunt, cum bellum hoc gravissimum plus quam triginta annos durasset invidia gestum.

Ao. 1435. Difficulter tandem componuntur controversiæ Adolphi D. cum R. opera 4. civitt. Vandal.

A. e. Adolphus Dux Crempensibus renovavit & confirmavit sua privilegia. A. e. Dithmarsi Kruse Johann & Radeleff Castens invicem bellum gesserunt. *Chron. MS.*

Crempensium privilegia confirm.

Anno 1436. tempestas circa omnium sanctorum sævissima, qualis antea non audita arbores dejecit, fluminaque inflans aggeres ubique disrupit, pereunte infinita hominum jumentorumque multitudine, quam secutum est gelu incompertum usque in Quadragesimam. *Wand. lib.* 11. A. e. Rendesburgi maxima campana formata est. *Chron. MS.*

Ao. 1436. Tempestas cum inundatione maxima.

Anno 1437. Wandalicis civitatibus per missos legatos renovata sunt in regno vetera indulta regiis litteris. *Chron. MS.* A. e. Dithmarsi domesticis malis vexati in duas se partes diviserunt, & Capitaneis sibi electis mutua damna prædis, incendiis, & cædibus sibi intulerunt. Hamburgenses parti illi, quæ crebriores passa erat injurias, immiserunt quingentos sagittarios, quæ adversarios atrociter persecuta sæviendo tam amicos quam cognatos obvios stravit, donec Capitaneus ejus per insidias interceptus periret. Cum vero nec dum a cæde prorsus conquiescerent, Consulares Lubecæ & Hamburgi missis commissariis rem compacarunt, statuentes ex incolarum assensu ut homicidium deinceps centum marcis & proscriptione æterna mulctaretur, idque approbarunt, litteri populi sigillo confirmatis, atque hoc modo execrabilis motus iste conquiescere cœpit. *Wand. lib.* 12. *c.* 3. *Sax. lib.* 11. *c.* 27.

Ao. 1437. Vandalicarum civitt. privilegia in Dania confirmata. Dithmarsi inter se digladiantes pacati.

Anno 1438. pestis sævissima abstulit Lubecæ a festo Baptistæ & Martini 10000. homines. *Chr. MS.* A. e. Nicolaus Sachow natione Lubecensis Episcopus electus est, qui hospitali Oldenburgensi ante urbem, ubi olim Lubecensis Episcopus habitavit, donavit tredecim marcas annuorum redituum. *Chr. MS.*

Ao. 1438. pestis Lubec. Nicolai episc. Lubec. liberalitas in hospitale Oldenburg.

Anno 1439. Ericus rex male confidens suis proceribus & a Suecis insuper expulsus, abire ex regno decrevit, thesaurisque suis in navem clam deportatis Dantiscum solvit, sed requisitus a senatu regni atque persuasus rediit Wardingburgum ibique hiberna peregit: metuens autem majorum bellorum tumultus in regno, secunda vice clanculum discessit in Pomeraniam, ubi quiete vitam suam finivit in arce Rugewold, cumque vidisset hostes suos Holsatiæ Comites ad regium culmen regni Danici evectos mortuus est a. Chr. 1459. A. e. Dani Erico se regno abdicanti successorem elegerunt Christophorum Ducem Bavariæ, Erici

Ao. 1439. Ericus regno pulsus decessit.

Christophorus Bav. rex Daniæ coronatus.

regis ex sorore nepotem tamquam proximum ipsius hæredem, qui circa festum Paschæ Lubecam cum decenti apparatu veniens a proceribus regni honorifice exceptus, & in regnum deductus solennibus ceremoniis atque populi tripudiis coronatus est. *Wand. lib. 12. c. 10.*

Ao. 1440. Adolphus ducatum Sleſw in feudum accipit a R. Dan. suaq; recuperat.

Anno 1440. Adolphus Dux Dominica Cantate Sleswicensem Ducatum in feudum accepit a rege Christophoro homagium præstans regi: restituta quoque sunt illi omnia usque ad limitem Ducatus Coldingam arcem regiam, quæ ad Ducatum olim pertinebant quæque longo tempore inquieta fuerant a diebus cæsi patris sui, cum primum Margaretha regina & postea adoptivus ejus filius Ericus rex multa inde per annos triginta abstulissent, de quibus bello concertaverant usque ad novissima tempora regis Erici, qui regnum relinquere volens nondum Adolpho juxta transactionis pacta ablata tradiderat. Christophorus vero, ut fidum haberet principem vicinum & vasallum, mandavit omnia usque ad pontem Coldingæ ipsi in quietam possessionem restituenda esse. *Sax. lib. 11. c. 31.*

Ao. 1441. Luneburgum munitur metu Bohemorum.

Anno 1441. Lunæburgum timore Bohemorum sæpius in Saxoniam excurrentium magno impendio cœpit communiri; salinæ proventibus non exiguum ad hoc opus adjumentum conferentibus. *VVand. lib. 12.*

Ao. 1442. Rusticorum Jutic. tumultus sedatus.

Anno 1442. Jutica plebs rustica per seditionem occidit & in frusta comminuit nobilem Ezehonem Brock, qui multos annos tyrannice illos oppresserat. Rex vero tumultum hunc ægerrime ferens contracta militum manu rusticos aggressus sexcentos interfecit, & reliquos ad obedientiam compulit. *Chr. Slav. f. 36.* A. e. Lubecensis senatus prætorium novo ædificio in foro exstructo dilatavit, facto inferius amplo Hamburgensis cerevisiæ cellario. *Chr. MS.*

Prætorium novum Lubecæ struitur.

Ao. 1443. Christophori R. Dan. cum principibus conventus habitus Wilsnaci contra civitt. irritus.

Anno 1443. nix copiosa fuit Dantisci die Philippi Jacobi. *Chr. MS.* A. e. Christophorus rex Danorum infestus urbibus Wandalicis conscripsit in Wilsnackum Prignitzæ Fridericum Marchionem, Henricum Megalopolitanum, Ottonem, Wilhelmum & Henricum Brunswicenses multosque alios principes ad confœderationem contra civitates, atque circa purificationis ad hunc conventum in habitu peregrini cum octoginta equitibus Lubecam facto itinere properavit, sed cum Adolphus Dux Slesvici venire recusaret dissolutus est conventus frustratumque regis propositum. *Chr. Slavon.*

Ao. 1444. Adolphus Frisios contra Dithmarsos vindicare frustra studet.

Anno 1444. Adolphus Dux cum solus Holsatiæ præesset recordatus veteris querimoniæ suorum Phrysonum in Dithmarsos, quod Phrysiam sæpius incursassent, quod iniqua lege per vim constituta unum Dithmarsum duobus Phrysonibus compararint, ingentemque pecuniæ summam nempe 220000. marcas juxta supputationem Ducis factam ipsis ademerint pecuniam & damnum datum ab illis repetiit. Cum vero Dithmarsi contra sua damna exaggerarent nec convenire partes possent, compromiserunt causæ arbitrium in præpositum Hamburgensem ordinarium Dithmarsorum judicem & in consules duarum urbium Lubecæ & Hamburgi adjecta pœna non parenti decem florenorum millia alteri parti numerandorum. Sed cum nullum certum tempus sententiæ dicendæ præfinitum esset, controversia hæc temporibus Adolphi suspensa hæsit. *Chr. MS.*

Ao. 1445. Qualiæ nuptiæ funestæ.

Anno 1445. nuptiis celebratis in Quale, villa prope Lubecam, multi cives Lubecenses cum familiis adfuerunt vespere, cunctis hilaritate perfusis de domo ex camini igne improviso accensa decidit tectum stramineum in convivas, quorum centum & octodecim utriusque sexus fumo suffocati sunt, quod januas invenire nequiverint, sponso vero cum sponsa nudis per fenestram elapsis. Postero die maxima cadaverum pars illæsa inventa est, solo fumo enecatis hominibus. Quæ miseranda clades diu proverbium fecit infortuniis inopinatis: Qualiæ nuptiæ. *VVand. lib. 12.*

Ao. 1446. inundatio circa Dordracum.

Anno 1446. die 16 Aprilis circa Dordracum Hollandiæ, aggeribus ruptis mare submersit parochias sedecim & homines centum mille cum pecudibus. *Sebast. Franck. p. 1122.*

Ao. 1447. R. Christophori nuptiæ.

Anno 1447. Christophorus rex Daniæ Sueciæ & Norwegiæ in uxorem duxit Dorotheam filiam Johannis Marchionis Brandenburg. fratris Alberti Achillis Electoris, regali luxu nuptiis celebratis Hafniæ Danorum in præsentia patris sponsæ Wilhelmi Brunswicensis, Ludovici Landgravii Hassiæ, Friderici Ducis Bavariæ, Balthasaris Ducis Silesiæ & Comitis Ernesti de Hoënstein pluriumque Dominorum & militum. *Chr. Slav.* A. e. rex Christophorus magno in Suecia thesauro collecto solvens in Daniam periculosum fecit naufragium, pluribus suorum submersis, thesauro & clenodiis deperditis 100000. florenis comparato. *Chr. Slav.*

ejusd. naufragium;

Ao. 1448. obitus.

Anno 1448. Christophorus rex Danorum obiit diem suum in Helsingborch, cum diceretur ingentem argenti thesaurum cumulasse ad recuperandam regno urbem Lubecensem. Senatus & tota regni nobilitas honorifica legatione in regem rursus elegerunt Adolphum Ducem Sleswicensem, qui regium honorem prorsus abnuit, suoque loco commendavit Christianum suum ex sorore nepotem, Comitem Oldenburgi & Delmenhorsti, quem a puero educaverat, & in omni equestri exercitio instituerat. *Spang. Chron. lib. 4. c. 1.* A. e. consiliarii regni Sueciæ conventum habuerunt Upsaliæ in regno, & contra pacta vetera inconsultis vicinorum regnorum nobilibus elegerunt in regem Carolum Cranzium prædivitem nobilem, quem vivente Erico antea per seditionem nominarant. *Chr. Slav. 38.* A. e. postquam Dani comperissent Suecos de fœdere recessisse ex consilio Ducis Adolphi elegerunt communi consensu in regem suum Christianum Comitem de Oldenburg & Delmenhorst, nepotem Adolphi ex sorore, quem Dux Adolphus a teneris educarat, eique indito nomine Christierno solemniter coronato Dorotheam viduam regis Christophori de omnium nobilium

Adolphus D. Sl. rex electus commendat Christianum Oldenb.

Car. Cranzius rex Sueciæ electus.

Christianus I. Oldenb. Rex Dan. & Dux Slesv

lium regni consensu uxorem dederunt, quæ mox ab illo imprægnata intra anni currentis spatium peperit filium Olavum in pueritia mortuum. Postea vero Johannem & Fridericum, qui post patrem tria regna & duos principatus gubernarunt, filiamque unam regi Scotiæ in uxorem desponsatam, atque hoc conjugio opprobrium sterilitatis ultra sexaginta annos durans a domo regali Daniæ remotum fuit. *Chr. Holf.*

Ao. 1449. Arnoldus episc. Lubec. edificat arcem Eutin.

Anno 1449. Doctor Arnoldus Westphalus factus Episcopus Lubecensis ædificavit arcem Euthyn & templum Lubecæ restauravit. *Chr. MS.* A. e. rex Christiernus I auxilio Adolphi Ducis Slesvicensis expugnavit urbem Wisbu, & totam Gotlandiam insulam expulso rege Erico cum Suecis, qui tempore Christophori regis vi illam possederat. *Chr. Slav.*

Christianus R. expugnat Wisbu & Gothlandiam inf.

Ao. 1450. Crempa exusta.

Anno 1450. Crempa oppidum Stormariæ magna parte flammis absumtum est. Constantinopolin quoque Turca cepit. d. 29. Maji. A. e. Rensburgensium templum testudine lapidea exornatum est. *Chr. MS.*

Rensburg. templum exornatum.

Ao. 1456. Plœna conflagrat.

Anno 1456. Plœne oppidum VVagriæ circa festum Pentecostes incensum conflagravit fere totum malitia Dani cujusdam de civis violentia sese vindicantis. *Chr. MS.*

Ao. 1457. Carolo aufugiente Rex Suecie eligitur Christianus Dan. R.

Anno 1457. Carolus rex Sueciæ propter tyrannidem odiosus militaribus & clericis regni, collecto ingenti thesauro clam in navem deportato aufugit in Prussiam. Senatus regni sollemni missa legatione vocarunt & elegerunt regem Christiernum Danorum, eumque per Episcopum Upsaliensem more regio coronarunt homagium unanimiter ipsi præstando. *Chr. Slav*

A. 1459. Adolphus D. obit.

Anno 1459. Adolphus Dux Slesvici & Comes Holsatiæ pie ac tranquille obiit die S. Barbaræ, nullo vero corporis sui hærede relicto. Ducatus Slesvici recidit sub coronam Daniæ, unde ad Comites Holsatiæ venerat; quod reges antea diu exoptarant & magnis impensis sumtibus quæsiverant. *Sax. lib.* 11. *c.* 37. A. e. gravis contentio orta est de successione in Comitatu Holsatiæ inter regem Christiernum sororis Adolphi filium & Ottonem Comitem de Schowenburch, qui remotiori quidem gradu distans ex masculino tamen succession is latere credebatur in hoc Romani imperii feudo præferendus, qui adhuc superstes octo habuit filios. Sed proceres Holsatorum diu conventibus habitis in Nyenmunster & Lubeca dissidentes tandem elegerunt in Comitem Holsatiæ regem Danorum Christiernum primum. Quia vero Otto Comes Holsatiæ jus masculini generis prætendebat nec facile illi cedebat; convenerunt in Oldeslo dissidentium partium commissarii compositionem contentionis pacificam facturi. A parte regis fuit Arnoldus Episcopus Lubecensis, Gotschalcus ab Alefeld & alii nobiles Holsati: Ottonis vero Engebertus præpositus Hildesheim. Ludovicus a Veltheim &c. Ubi tandem in hæc capita consensum fuit. Rex Christianus dat Ottoni 43000. floren. Rhen. certis terminis solvendos.

Christiani I. cum Ottone Schowenb. Com. lites de Holsatia: hic pretio accepto jus suum cedit.

Comes Otto contra omni jure cedit, quod se habere putat in dictos Comitatus Holsatiæ & Stormariæ, idque litteris, suo & filiorum suorum sigillo munitis testatur. Rex insuper Christiernus Ottoni promittit assistentiam contra omnes hostiles comitatus Schawenburgici incursus idque similiter litteris sigillo regio munitis confirmat. Qui Comitatus hactenus etiam Comitibus Schawenburg. integer remansit juxta pacta Chilonienſia a. 1390. facta. Elegerunt ergo proceres Holsatiæ regem in successorem Comitatus dicti facientes ipsi solemni jure homagium: non ut regi, sed Comiti suo, Ottonique dantes 43000. florenos. Quos quod historiographus Schawenburgensis in suis Chronicis 1614. vulgatis numquam solutos adserit, gravem & se indignum committit errorem: siquidem apochæ (quas ille numquam visas magis dicit, quam probat) in cryptis Gottorpianis sancte adservantur, prout eas parens meus suis olim oculis usurpavit. Falsum etiam est, quod transactionem hanc a filiis universis Ottonis non fuisse subscriptam adserit: siquidem *Chytræus* contrarium demonstrat in *Suppl. Crantz. fol.* 93. Facta est hæc transactio in Oldeslo Domin. Cantate. *Sax. lib.* 11, *c.* 37. A. e. Henricus Reventlow Holsatus occisus est cum servo suo a Dithmarsis, dum prohibere voluit demessionem patri cujusdam quod suum esse contendebant; illi vero ob pacem ad regem miserunt. *Chr. MS* A. e. Lubecenses decollarunt circa Michaëlis 35. piratas, qui a Dantiscanis ad pacandum mare conducti quoscunque obvios spoliaverant, saltim uno adolescente vita donato. *Chr. MS.*

Dithmarsi interfici-unt Henr. Reventlow; post pacem petunt a Rege.

Lubecenses capite plectunt 35. piratas.

Anno 1461. Christiernus primus accepto ab Holsatis homagio profectus mox est Hamburgum, postulans a senatu & civibus, ut solemni juramento suum ab ipso feudum acciperent. Cives detrectarunt juxta veterem urbis consuetudinem privilegiis confirmatam juramentum præstare petentes, ut promissione obedientiæ & fidelitatis acquiescat more antecessorum, cumque diu utrinque res agitata esset: rex tandem æquam civium petitionem judicans, & integram ipsis antiquam consuetudinem permisit. *Chr. Holf.* 140. *Wand. lib.* 12. *c.* 26. A. e. rex Anglorum cum regina & duobus liberis a subditis regno pulsus est. A. e. Christianus rex ordinatis præfectis in arcibus & præfecturis Slesvici ac Holsatiæ regreditur in Daniam, ut in Suecia quoque gubernationis formam collapsam restauraret, ubi quum inquireret de thesauro, quem fugitans rex Carolus in regno reliquerat, fratres prædicatores verbis regiis territi prodiderunt thesaurum, habentem, ut ferebatur 7000. marcas & viginti duo vasa argentea magna & parva. *Chr. MS.*

Ao. 1461. Christianus I. R. homagium ab Hamburgens. postulat.

Angli ejiciunt Regem cum familia.

Christianus regno probe constituto in Suecia eruit thesaurum a Carolo fugiente relictum.

Anno 1462. Hamburgi exustæ sunt triginta domus proprio igne festo purificationis. *Chr. MS.* A. e. Christianus rex infestus Wandalicis urbibus convocavit circa Lætare complures principes Wilsnacum: ingressurus vero Lubecam petiit salvum conductum pro omnibus comitibus, sed senatus hoc ut insuetum illi

Ao. 1462. Hamburg. incendium. Christianus I. contra Vandal. civit. convocat principes.

Lubecenſes ipſius comitatui tranſitum egre permittunt.

illi negavit, atque quadringentorum vel quingentorum tantum conceſſit tranſitum, cautiſſime cuſtodiens urbem in defenſionem, ut ferebant, regii Comitatus, quamvis contrarium rex abituriens illis exprobraret *Chr. Slav.* A. e. Wandalicæ urbes circa Trinitatis conventum egerunt Hafniæ cum rege,

Vandalicarum civitt. ad regem delatæ querelæ.

multa querulantes de ſpoliis ſibi & præſertim Dantiſco ablatis, ſed nihil ultra privilegiorum veterum confirmationem impetrarunt. *Chr. Slav.* A. e. Mauritius & Gerhardus Comites de Oldenborch bellum geſſerunt de arce

Comitum Oldenb. diſſidia propter arcem Delmenh. præliumque.

Delmenhorſt, quam Mauricius ope Bremenſium & Comitum de Hoya oppugnans fame expugnare contendit; ſed rex Chriſtiernus fovens partes Gerhardi obſeſſi, advocavit ipſi litteris & nunciis in auxilium Epiſcopum Monaſterienſem & Ducem Brunſwicenſem Wilhelmum, qui cum obſeſſis commeatus importare anniterentur, Dux conſpecto hoſte agmen ſuum in merica ad vadum Sibergæ tamdiu circumduxit, donec hoſtes ſolem in conſpectu haberent, commiſſoque mox prælio ancipiti, Dux equo dejectus atque per fideles ſuos cæſis hoſtibus reſtitutus victor tandem evaſit, prudenter ante pugnam militibus aliquot auratis creatis, quorum virtutem in periculo expertus eſt. Capti duo de Hoya Comites, pluribus militibus in acie corruentibus. *Sax. lib.* 12. *c.* 2.

Ao. 1463. *acantur.*

Anno 1463. Comites de Oldenborch de ſuis controverſiis inter ſeſe tranſegerunt, laxatis quoque omnibus captivis. Mauricius accepit Delmenhorſt. Gerhardus manſit in Oldenburch perpetuus mercatorum hoſtis.

nobiles Holſati complures ob contractum æs alienum profugi.

A. e. Holſati nobiles complures profugerunt, non valentes ſolvere reditus in villas ſuas receptos. Fidejuſſores itaque, dum rex in Suecia aberat, violenta manu bona ipſorum invadentes damna ſua recuperare ſategerunt. *Chr. Slav.*

Ao. 1464. *nobiles Holſati auxilium petunt a Lubecenſibus contra Gerhard. Com. Oldenb. peſtis ſævit.*

Anno 1464. Dominica Palmarum nobilitas Holſatica petiit a Lubecenſibus auxilium contra Comitem Gerhardum ſibi prævalentem. *Chr. MS.* A. e. peſtis ſæviſſima graſſata eſt in regnis aquilonaribus ac Lubecæ & Hamburgi, cum priore anno de Rheno initium ſumſiſſet, quæ omnem curam medicinæ reſpuit. Nam ubi manus medentis acceſſit, venenum illico quaſi furens atrocius in omnem corporis partem ſæviebat, ſed contrariis potius remediis infirmi ſæpius contra omnem ſpem curabantur, duravitque ad

piratæ 43. Hamburgi ferro percuſſi. Gerhardi Com. Oldeb. de Holſ. contentio

Martini. A. e. circa D. Margarethæ decollati ſunt piratæ quadraginta tres Hamburgi. *Chr. MS.* A. e. Gerhardus Comes de Oldenborch exſtincto fratre Mauritio venit circa Bacchanalia in Holſatiam depoſcens a nobilitate 40000. florenos, quos ſibi & Mauricio promiſſos affirmabat, quando fratri Chriſtierno Holſatiam permitterent. Cum autem nemo militarium hanc ſummam exponere vellet, Gerhardus hoſpitaliter ingreſſus arces quasdam hac ſpecie occupavit, quod æquo jure hæres eſſet cum fratre Holſatiæ. Nobilitas vero contra Gerhardum principis ſui fratrem nihil hoſtile attentans regi in Suecia degenti rem omnem expoſuit, qui circa Paſchatis feſtum accelerans conventum Chilonii egit, ubi Gerhardo poſtulanti aut partem ſibi in Holſatia concedi, aut 40000. florenos antea promiſſos numerari, conſtituti ſunt termini dierum ad ſolvendam auri promiſſi ſummam, qua litteris & ſigillis confirmata in ditionem ſuam diſceſſit. *Chr. MS.* A. e. Chriſtianus I. rex Daniæ Hamburgenſibus privilegio conceſſit, ne quis frumenta cujuscunque generis per auſtralioris Albis fluxum ſuperne in alias oras deveheret Hamburga præterita.

Privilegium Hamb. a Chriſt. R. datum de frumenti devectione.

Anno 1465. Dorothea Ducis Adolphi relicta vidua reverſa eſt ex patria ſua in Holſatiam deducente eam Erneſto Comite Mansfeldenſi patrueli, quem cum Benedictus ab Alefeld potens nobilis caperet, Dorothea de hac injuria regi conqueſta eſt, exprobrans ingratitudinem & ignominiam pro educatione & plurimis aliis beneficiis ſibi & fratribus in aula Ducis Adolphi exhibitis redditam. Rex quamvis præciperet dimittendum eſſe comitem, nihil tamen effectum eſt, antequam Comes 4000. florenos in mulctam daret, quos Lubecæ diu commorans permiſſus eſt colligere. A. e. rex Chriſtianus Steinburgum oppignoravit Hamburgenſibus pro 10000. marcis & aliis debitis, quibus antea aggravata erat. Sed anno 1485. eandem recuperavit pro 20000. marcis.

Ao. 1465. *Dorothea Adolphi D. vidua revertente Comes Mansfeld. a nob. quodam Holſ. captus ære libertatem redimere cogitur.*

Steinburgum Hamburgenſibus oppignoratum.

Anno 1466. Dorothea Adolphi vidua Rensburgum tenuit, atque in Thuringiam abiens Nicolao de Wiſch equiti arcem commiſit, quo pulſo Gerhardus Comes omnia viduæ vitalia bona ſibi rapuit immemor benefactorum ſibi & fratribus ab illa impenſorum. Cum vero reverteretur, lacrymisque regi alumno ſuo vim illatam conquereretur, vix obtinuit ſingulis ſibi annis aliquam de iſtis prædiis pecuniam mitti in Thuringiam. *Chr. Slav.* A. e. rex Danorum extorſit precario grave æs ab Holſatis, licet in electione ſua immunitatem in multos annos ſubditis promiſerat.

Ao. 1466. *Gerhardus Com. indigne eripit Dorotheæ poſſeſſiones.*

Rex tributum grave ab Holſatis exigit.

Anno 1467. Gerhardus Comes Oldenburg. reverſus eſt in Holſatiam ordinatus a rege vicarius in Holſatia. Ille vero militum contracta manu occupavit oppida & arces Gottorp, Rensburg, Segeberg & Hanrow: humanus fuit & affabilis vulgo, intractabilis vero nobilibus, qui adverſantes ipſi cauſati ſunt, quod regi fratri non ipſi juramento obſtricti eſſent, atque mox Chriſtianum ex Dania in Holſatiam revocarunt, ut cognoſcerent, reginæ an fratri Gerhardo parere ipſos oporteat; rex quantocyus occurrens fratrem ad colloquium in Segeberg vocavit, ibique in honeſto conclavi, non tamen ut captivum, cuſtodiri fecit, donec promiſſam transactionis ſummam penderet, qua ſequenti anno tradita, acceptoque viciſſim juramento, quod Gerhardus cum hæredibus ab omni jure ſuo in Holſatiam abſtinere deinceps velit, redire ipſum permiſit in Comitatum ſuum. A. e. rex a Lubecenſibus magnam pecuniæ ſummam mutuo accepit ad certum terminum reſtituendam, datis fidejuſſoribus in hanc legem, ut præfinito termino pecunia numeratum

Ao. 1467. *Gerhardus Com. fit vicarius Holſ. nobilibus infenſus redit ad ſua.*

Ad ea per Regem a Lubecenſibus mutuo ſumtum rependendum

multi facultatibus se exuerunt.

numeretur, Lubecensibus permissa sit facultas evocandi fidejussores in urbem suam, nec inde egressuros, nisi solutione peracta. Unde factum est, ut multi pro rege expenderent omnem facultatem, seque ac liberos suos in extremam pauperiem redigerent. *Sax. lib.* 12. *cap.* 7.

Ao. 1468. nauta quidam cum multis civibus Lubecensibus submersus.

Anno 1468. nauta quidam Lubecensis Frame post Martini festum solvit in Livoniam submersusque est ad Finlandiam cum multis divitibus mercatoribus numero ducentis, & plusquam 200. Therlingis (ut vocant) panni optimi: unde ingens Lubecæ auditus est luctus atque senatusconsulto mox decretum; ne posthac ulla navis solvat post festum Martini ex Lubecensi portu. *Wandal. Crantz.* A. e. Christianus rex mercatores Anglos afflixit, quod priori anno vicarium suum in Islandia confoderant, quodque magna pars annuorum redituum ab avunculo suo Henrico ferreo obsignatorum in Anglia adhuc restaret. Captas igitur quatuor Anglicas naves mercibus onustas distrahi fecit. Germani e contra capti in Anglia & omnibus spoliati sunt, unde exitiale bellum exarsit, Anglisque multa in mari damna irrogata sunt, quod tandem Mastrichi a. 1474. compositum est. A. e. regis Christiani nautæ eripuerunt Lubecensibus duas naves mercibus refertas, quarum altera fuit ex Travena, altera ex Livonia reversa erat. Lubecenses per secretarium suum erepta bona repetiverunt, sed nihil impetrarunt, quæ in multorum manus distributa erant. A. e. Dithmarsi triginta Lubecam venerunt, & nomine totius patriæ suæ cum Lubecensibus ad annos decem fœdus inierunt. *Chr. Slav.*

Danorum cum Anglis bellum.

Lubecensium naves 2. a Danis spoliatæ.

Ditmarsorum cum Lubecensibus fœdus X. ann.

Anno 1469. Christianus rex cum Gerhardo fratre Lubecam venit conventum acturus cum Suecis, quos dum propter ventos adversantes diu expectaret, ex agnata liberalitate & senatus interventu jussit mercatores urbis damnum ereptorum bonorum computare, cumque summa superaret 25000. marcas Lubecenses, nec illa regi in promtu esset, Lubecanis tandem pro hoc notorio ad calculum revocato damno oppignoratum est oppidum Chilonium hac lege, ut Johanni Ranzovio istud tenenti 5000. marcas darent, ut cedat. Senatores mox præfectum eligentes, qui Chilonio præesset, in præsentia regis fide sibi senatum Chilonensem obstrinxerunt solemniter ut hac occasione portu potirentur Holsatiæ ad quamcumque fortunam. *Chr. Slav.* A. e. Crempa se oppignoravit Gerhardo ab Oldenburg. A. e. cum rex Christiernus in regnis suis, Dania, Norwagia & Suecia occupatissimus esset, raroque in Ducatus suos Sleswicum & Holsatiam egrederetur, in quibus Gerhardus contra regis voluntatem multa proterve ageret, atque ex vultu, verbis & factis atrociora sibi in dies nobilitas metueret, convenerunt Chilonii in Majo nobiles centum quadraginta, fœdusque defensionis inter se formabant, contra omnes & singulos ferro, depræ-

Ao. 1469. Christianus R. cum Suecis conventurus Lubecensibus oppignorat Chilonium.

Crempa Gerhardo Oldenb. oppignorata.

Nobilium Holsf. fœdus adv. Gerh. C. ipsis iniquum.

dationibus aut igne se invadentes, nec æquo juri causam suam committere volentes, statue-

runt quoque quotannis hoc fœdus bis renovare, proximo die post Michaelis ad Vollradsbecke, & feria quarta Paschatos in eodem loco. Denique in majorem certificationem quisque litteras fœderis sua manu subscripsit, & sigillo proprio confirmavit. *Chr. MS.*

Ao. 1470. Christiani I. infaustus in Sueos imperatus.

Anno 1470. Christianus rex Sueciam tempore densæ nivis clam intraturus, proditus est a Suecis, ab iisque illico congregatis occisi sunt de regis exercitu in via stricta silvestri, quam Holweg vocant, viri quingenti, in quibus multi fuerunt militares. *Chr. Slav.* A. e. Lubecam venerunt duo Comites de Hennebergk & Mansfeld cum imperialibus litteris contra Gerhardum de Oldenborch, quod spoliaverat cognatam suam Dorotheam illustrem viduam Ducis Adolphi vitalitiis suis in Rensborg. Evocatus Gerhardus Lubecam audivit legi litteras, sed parere & satisfacere viduæ non curavit. Regina autem Danorum ægre ferens nobilem Dominam de rege optime meritam diutius queri, conventione facta accepit dotalitia memorata, & promisit de suo aureos pro retardatis 2200. constituitque se posthac soluturum annuos 800. & ita composita lis est. *Wand. lib.* 12. *c.* 4. A. e. Gerhardus Comes reversus est in Holsatiam præferens litteras regias jubentes Crempenses, Wilstrienses & Eiderstadanos Marsos, agnoscere ipsum Dominum suum. Populus Comiti favens sine ulla recusatione juramentum præstitit. Brevi autem post in Majo mense aliæ litteræ prioribus contrariæ missæ sunt a rege, quas Marsi non receperunt, etsi plures putarent priores falsas fuisse. Rex ubi difficultatem rei cognovit, celerius in Holsatiam contendit. Gerhardus vero in Wilstrienſi Marschia sese continuit, ubi omnes pro illo mori paratissimi erant, cumque rex litteras suas a Marsiæ incolis contemni seseque contumeliosis verbis affici cerneret, auxilio civitatum Lubecæ & Hamburgi nobilitatisque Holsaticæ aggressus est fratrem, qui inferiorem se rege cognoscens a paucis suorum seditiosorum deductus est noctu per viam arcanam ex Holsatia & in Comitatum suum discessit. Rex confœderatus civitatibus & Holsatis repetiit homagium amissum, sed Phrysones & Crempenses illud ideo recusarunt, quod Gerhardo obligati essent. Mulctati ergo grandi pecuniarum summa & consueto Saxonico suo jure spoliati, Holsatico jure redonati sunt. Rustici seria civitatum intercessione difficulter persuasi, & a rege vix ferro & flamma tandem compelli potuerunt, qui Comiti Gerhardo jurarant, ut regi fratri denuo homagium facerent. *Chr. Slav.* A. e. Holsatiæ, Stormariæ, & Dithmarsiæ Comitatus in unum Ducatum coaduniti sunt. A. e. Comes Gerhardus domi residens vicinis omnibus conquestus est, se a Lubecensibus & Hamburgensibus ejectum esse ex hæreditate sua, constructoque fortalitio super Visurgim bellum indixit mercatoribus civitatum maritimarum & Danicarum. Rex frater litteris missis suasit, ut desisteret, ne infamis fieret & cum tota posteritate exu-

Dorotheæ viduæ damnorum compensationem recusat Gerh. C. præstat regina Dan.

Marsorum difficultas in deferendo Gerh. & præstanda Regi obedientia.

Holsatia, Stormaria & Dithm. unite titulo Ducatus.

Gerh. C. mercatores Lubec. & Hamb. cet. ob præstitum Regi auxilium diu infestat.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

lare cogeretur. Ille autem nihilominus præda & rapinis terra marique insistens reliquam vitam traduxit. *Chr. Holst.*

Ao. 1471. Inundatio Storæ. Anno 1471. inundatio fuit Storæ circa Epiphanias. A. e. rex magnas pecunias precarias accepit præter illas quas priori anno frater Gerhardus extorserat, pergensque Lubecam conduxit militem, eumque mox in Aprili in Sueciam abduxit, ubi post mortem Caroli regis bellum ferveſcebat, aliis ex nobilitate Christiernum eligentibus, aliis rejicientibus. *Chr. Slav.* A. e. annus adeo fuit fertilis, ut Marsi Crempenses multum hordei Lubecam venale advexerint patria undique repleta.

Rex cum magna argenti summa in Sueciam tendit.

Fertilitas agrorum.

Ao. 1472. Cometa. Ao. 1472. cometa magnus apparuit per integrum Januarium, dirigens comam versus zephyrum, secuta est lues quæ miro modo absumsit mortales circa Rhenum, multaque acciderunt mala per totam Europam, per famem, bella & pestes. *Chr. Slav.* A. e. Phrysones & Marsi Storam accolentes revocarunt Comitem Gerhardum in Holsatiam, qui mox navigio Husum adplicans aptatas trabes advehebat, unde facillime poterant erigi munitiones. Rex vero ubi intellexit celeritate opus esse, priusquam frater hostis invalesceret, conscripta militum manu ex ducatu Megalopolensi & vicinis urbibus exercitum duxit in Wilstriam, & quoscunque deprehendit ex adversæ factionis capitibus gladio feriri jussit. Elapsus vero est celeri equo vir primarius & rusticorum dux Henneke Wulff perveniens in Dithmarsiam, ubi non diu post consueta insolentia usus cæsus est, & bona ejus confiscata. Filius ejus gladio cæsus est, alii grandi ære mulctati. Gerhardus clam dilabitur rege fratre dissimulante, perque longa devia in sua reversus non rediit iterum in Holsatiam. *Sax. lib. 12, c. 9. VVand. lib. 13, c. 8.*

Gerhardus a Frisiis Marsisque Stor. revocatus exterminatur a Rege severe in factiosos animadvertente.

Ao. 1473. Frider. I. natus. æstus ingens. Lubec. & Hamb. ob novum vectigal cum Luneb. dissidium per Regem sopitum. Anno 1473. natus est Fridericus I. filius Christiani I. A. e. solis æstu continuo multæ silvæ incensæ sunt in Germania. A. e. dissensio orta fuit Lubecensibus & Hamburgensibus contra Lunæburgenses propter novum vectigal ab ipsis erectum, cumque rex Christianus vetaret sal Lunæburgense vendi in regnis suis, vectigal illud remiserunt. *Chr. Slav.*

Ao. 1474. Christianus R. in itinere Romam cum comitibus suscepto benigne excipitur a Cæs. filio

Anno 1474. rex Christianus Romam peregrinaturus profectus est ex Reinefelde cœnobio 8. Januarii cum 150. aulicis, adscitis in sodalitium tribus principibus, Duce Johanne de Lowenborch, Comite Burchardo de Barby & Ludovico in Helfenstein, atque Alberto Klitzing præposito Berlini. Pervenit 8. Februar. Rotenburgum ad Tuberonem flumen, ubi Maximilianus Friderici III. Cæsaris filius eum excepit in campo cum quingentis equitibus, mansitque apud Cæsarem septem diebus, factaque mentione contumaciæ Dithmarsorum Cæsar illos subjecit regi, atque in unum Ducatum univit tres principatus (31) Holsatiam, Stormariam & Dithmarsiam, datis illi insuper litteris ab electoribus imperii obsignatis, concessitque nova vectigalia de mercibus mercatorum in districtu regis, non obstantibus aliquot privilegiis vicinarum urbium. Appropinquans 24. Febr. ad Oeniponten exceptus est primum a Ducissa Sigismundi Austriæ cum tribus deauratis curribus refertis matronis & virginibus nobilibus, quas pone sequebantur 50. virgines in equis, tandem ab ipso Duce cum trecentis equis honorifice in urbem deductus. Brixiæ 11. Martii a Capitaneo arcis, deinde Malopagi 12. Martii a D. Koyæ cum quingentis equitibus unius coloris excipitur. 13. Martii Trevilium accedens regio honore a Duce Galeazo Mediolanum introductus, muneribusque amplissimis donatus est: Hinc navibus usque ad limites Mantuani Ducis ductus, ubi statim a Ludovico Marchione affine suo in campo splendide susceptus, & Mantuæ integro biduo regaliter tractatus est. Veniens tandem ad Aquam pendentem, misit illi Papa Sixtus IV. in occursum Cardinales quatuor, cum quibus Romæ appropinquans introductus est ab omnibus simul Cardinalibus, Episcopis, Prælatis & Senatoribus ac nobilibus Romæ existentibus deductusque usque in palatium Pontificis ubi data regi & singulis Comitibus manu, permisit ipsi Papa pedes oscular 6. Aprilis qui fuit dies Mercurii ante Pascha. Commoratus est in palatio dies 21. cum personis viginti, communicatusque ab ipso Papa die festo Paschatis, die Lunæ mox pro more donatus rosa aliisque muneribus speciosis & sanctis. Rex vero vicissim Papam halecibus, salpis & pellibus ferarum donavit. Itali omnes præsertim Romani ingenti desiderio expetiverunt videre regem Gothorum vel Suecorum, a quibus olim a. Chr. 378. Roma devicta & occupata fuit; quibus regis proceritas visa miraculo. Prælatis autem linguæ latinæ inscitia invisa fuit. *Chron. Slav.* 60. A. e. rex Christianus 27. Apr. Roma profectus per Florentiam & Bononiam venit Mantuam 9. Maji, ubi cum sex diebus quievisset, per Cumanum lacum navigans Augustam Vindelicorum d. 3. Junii attigit, ubi Cæsar Fridericus cum Electoribus multisque aliis principibus regem expectavit. Dissidebat enim eodem tempore Episcopus Colonensis cum Capitulo atque in defensorem suum elegerat Carolum Ducem Burgundiæ, qui valido exercitu Nussiam a Capitulo occupatam obsidione premere parabat. Missus ergo rex cum legato Papæ in castra Caroli spe certa persuadendi Ducem, ut dimisso exercitu totam hanc causam æquo judicio transigi permitteret, suscepitque rex legationem, ut hoc officio apud utramque partem gratiam iniret. Sed non prosperatum est opus, quod cerro certior Dux erat, se oppidum deditione aut armis brevi capere posse. Vulgus vero malignum interpretabatur hanc profectionem de fœdere contra Wandalicas civitates inito, quasi earum libertas principum

impetrat. que Holsatiæ unitæ

Ducatus titulum Ditmarsis ipsis subjectis.

Oeniponte magnifice habetur ab. libique.

Papæ pedes osculatur & ab ipso dona reportat.

Rex admirationi Romanis est,

in reditu fungitur legati ad Carolum Burg. D. episcopi Colon. causam cum exercitu agentem manere incassum, suspicionem apud civitt. incurrens pangendi contra ipsas fœderis.

(31) De quo vid. Imperatoris Friderici diploma in collect. diplomatum *MS. fol.*

pum oculis gravis esset. Discessum est itaque sine fructu, magnis in Colonia factis sumtibus. *Wand. lib.* 12. A. e. Ditmarsi comperta actione Christiani I. nuncium ad Cæsarem ablegarunt, qui doceret terram suam subjectam esse ecclesiæ Bremensi, cumque impetrassent in judicio causam hanc agitandam esse, ipsi tamen segnitie sua suspensam neglexere. *Sax. lib.* 12. A. e. Henricus Episcopus Monasterii & administrator Bremensis obsedit Gerhardum Comitem de Oldenborch in arce sua contra pactum cum Christiano rege fœdus, eamque perfidiam rex Cæsari & Electoribus in reditu conquestus, impetravit severum Imperiale mandatum de abducendo exercitu ab Oldenborch, utque permitteret causam quiescere in conditionibus pactis usque ad regis adventum; Similiter rex controversiam, quæ fuit Cæsari cum Duce Mediolani totam composuit juxta promissionem Duci factam. Posthac cum Marchione Alberto 1. Julii Augusta discessit Onoltzbachium, ubi nuncium accepit Oldenburgum esse ab obsidione liberatum. Brunswicum ubi descenderet relatum est Aug. 12. Nussiam a Duce Carolo obsessam esse; ubi quoque reconciliavit rex Magnum Ducem Megalopolitanum & Hildesheimensem Ecclesiam cum Ducibus Brunswic. Wilhelmis, patre & filio, diuturnas inimicitias alentibus. Tandem die S. Bartholomæi rediit in cœnobium suum Reinfeldam Wagriæ, salvus cum omni comitatu, & quamquam præter summos ipsi impensos honores a multis principibus & urbibus subministrati sunt sumtus gratis in tota peregrinatione, consumsit tamen insuper 25000. florenos Rhenenses. *Chr. Holsat.* 157. A. e. Fridericus III. Cæsar & Dux Burgundiæ Carolus missa legatione vocarunt regem Christiernum in diœcesin Colonien-sem, ad pacificandum & tollendum dissidium Episcopi & Ecclesiæ suæ. Cum autem rex natura pacificus cruentum hoc bellum compositurum se putaret, sine cunctatione die Simonis & Judæ ex Holsatia Dusseldorpium usque ad Rhenum profectus est cum 120. equitibus aulicis & 7. principibus 160. equites ducentibus. Deductus est a regina & filio Johanne per Wilsnacum usque Lunæburgum, prope Susatum autem incidisset fere in turmam Colonien-sem, nisi ab amicis præmonitus festinantissimo cursu per Lippiam declinasset. Exceptus est honorifice a Duce Carolo ex castris ad Dusseldorpium regi obviam facto cum quingentis ornatissimis equitibus. Amictus erat Carolus chlamyde pretiosissima gemmis intexta, cujus pretium æstimatum est 100000. coronis: Coralla vero galeæ imposita 100000. florenorum Rhenensium. Deductus ad cœnam in tentorium Ducis tractavit de articulis pacificationis inter Episcopum & Capitulum. Pergens deinde post conceptionis Mariæ Coloniam deductus fuit a Cæsarianis Andernacum de eadem causa post trium regum cum Cæsare & Electoribus, qui partes Capituli tutabantur, fideliter egit. *Chron. Holsat.*

Ditmarsi Regis imperium apud Imp. detrectant.

Rex in itinere Gerhardum Comit. ab impetu Henrici episc. Monast. liberat.

controversiam Cæs. cum D. Mediol. componit

itemque Magni D. Meckl. & eccl. Hildes. cum D. Brunsv.

Reinfeldam redux factus.

itineris sumtus.

Rex ad pacanda dissidia Colon. profectus rem transigit.

Ao. 1475. Anno 1475. die conversionis S. Pauli, Co-

de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.

loniam rex repetivit, sed in via ex arce Rolandsegge præter salvum conductum bombarda hostiliter tribus ictibus impetitus fuit. Unde turris incensa 30. viros in arce exstinxit, ob quod maleficium Capitanei a Duce Carolo evocati in castris ante Nussiam suspensi sunt. Sabbatho sequente abiit cum fratre Gerhardo & filio ejus Adolpho atque Comite Jacobo de Reppyn versus Dusseldorpium, ubi commoratus est usque ad festum corporis Christi, tractans de pacificatione inter Episcopum ejusque defensorem Carolum: atque inter Capitulum, ejusque protectorem Cæsarem & principes Coloniæ agentes cum legato Papæ, qui insimulabantur corrupti muneribus connivere cum Carolo, alioquin ipsum facile perdere potuisset. Rex autem nihil tractando proficiens post Trinitatis festum ex Dusseldorpio devectus est ad Rhenum, ubi navibus adornatis feliciter navigavit in Albim, & ulterius per Storam in Itzeho atque sic octiduo salvus in Holsatiam pervenit. Reliqui principes comites itineris per Hassiam equitarunt, inque suam quisque ditionem prospere sunt reversi. Sumtus regii sodalitii æstimati sunt in hac profectione ad 45000. florenorum.

Anno 1476. Stora inundavit die S. Galli in Stormaria eamque salsa aqua corrupit & infœcundam fecit. *Chr. MS.*

Anno 1477. Rex Christianus misit legatos nempe Episcopum Albertum Lubecensem, Ericum Ossen magistrum equitum & Albertum Klitzing præpositum Hamburgensem ad Electorem Saxoniæ Ernestum cum potestate ducendi filio suo Johanni electo regi uxorem, filiam electoris natu majorem, Christinam, quam cum 20000. florenis Rhenens. Dux Saxoniæ despondit filio regis uxorem. A. e. Lubecæ consummata est nova porta Holsatica & vallum ante Lubecam ad occidentem congestum, & fortalitiis postea firmatum. Hamburgenses quoque vallum fecerunt ad civitatis plagam orientalem. A. e. Travemundæ incinerata sunt ædificia viginti novem civium, & in Oldeslo multæ domus igne similiter absumtæ sunt. *Chron. MS.*

Anno 1478. Albertus Dux Saxoniæ die S. Bartholomæi cum Episcopo Mersburgensi & multis Comitibus deduxit Christinam fratris Ernesti Electoris filiam per Rostochium ad mare Balthicum cum 42. curribus auratis & equitibus octingentis splendide regio more adornatis, ubi cum biduum quievissent, Wernemundæ excepti sunt honorifice a D. Nicolao Ronnowen regni Marescallo & deducti in præparatas naves prosperoque vento pervenerunt Stubbekopingiam, unde pedestri itinere perrexerunt Haffniam. Ibi rex Christiernus pater occurrit sponsæ cum quingentis equitibus fusco colore amictis eaque salutata in arcem rediit. Secutus eum mox sponsus Johannes cum septingentis equis prasini coloris ducens secum nobilitatem regnorum congregatam, qua comitante sponsam honorifice per urbem in regiam deduxit, ubi Dominica sequente 6. Septembr. copulata fuit electo regi in ecclesia cathredali per Archiepi-

tractatio causæ continuata.

Capitanei præsidiarii in Rolandsegge ob Regi factam injuriam plectuntur.

Rex redux in Holst.

itineris sumtus.

Ao. 1476. Storæ inundatio.

Ao. 1477. Johanni R. fil. despondatur Christina Sax.

Lubec. porta & vallum ad occid. structa, it. Hamburg. vallum orient. Travemundæ incendium.

Ao. 1478. Sponsa Johannis advenientis splendide excepta.

nuptiæ celebratæ.

homo silvestris captus

donatur Alberto D. Sax. munera que sponse comitibus data.

scopum Londensem nuptiis in diem usque Veneris celebratis. Christiernus rex Duci Saxoniæ Alberto donavit silvestrem hominem Lappum captum in Demptra Norwegiæ in venatione, cute cervina indutum & oblongis ligneis calceis ferro ad glaciem calcandam cum arcu aptatis. Comitibus vero & reliquis nobilibus ultra centum generosos equos, & pretiosas animalium pelles donavit eosque rursus honorifica legatione deduci fecit per Fioniam & Jutiam, atque Ducatus Slesvici & Holsatiæ Lubecam usque urbem imperialem, ubi a senatu decenter exceptus & tractatus est. Nobilibus quoque suis vesperi ad faces in foro hastis concurrentibus ipse in prætorio superiori nobilem hasta secum concurrentem dejecit. Reliquum noctis diei Ursulæ choreis absumtum est. Placuere cuncta Duci Alberto præter subterraneum fœminarum discursum obvolutis vultibus, quem morem a senatu petiit emendari, ne fœminis pudicis ansam impudicitiæ præstaret idque senatus mox evulgato edicto perfecit. *Sax. lib.* 12. *c.* 28. *Chr. Holf.* 16. A. e. ventorum magna tempestas sæviit in Holsatia. *Chr. MS.*

mos fœminarum Dan. indecorus abrogatur.

Ao. 1479. confœderatio nobilium Holf. a Rege disrupta. Henn. Pogwischii crudelia facta.

Anno 1479. Henningus Pogwisch de Verna potens nobilis postulavit a nobilitate Holsatiæ juxta litteras confœderationis suæ auxilia contra regem Christianum, cujus summam indignationem cum filiis suis incurrerat propter tyrannidem in administratione arcis Tunderen commissam, (quam a rege pro 25000. marcis oppignoratam tenebat,) quod pater colonum quendam ob negatam expeditam contributionem naso & auribus obtruncaverat: filius vero mulierculæ cuidam ubera abscidit, quod recusarat abjecto filio proprio filiolum nobilis lactare: Nec tibi, inquiens, nec mihi lactabis. Rex ubi confœderationem nobilitatis cognovit, obsignatas litteras postulavit, quæ Euthynii primum ostensæ & postmodum Segebergæ sunt traditæ, ibique mox cassatæ & suis sigillis privatæ ac perforatæ sunt. Ne vero de causis fœderis alicui occasio conquerendi dari posset, rex in proximo conventu, decretum valvis templorum in Ducatibus affigi fecit, in quo sub pœna capitis, bonorum & omnium privilegiorum vetuit quemquam suorum subditorum lædi, de jure suo pelli aut incarcerari. Nobiles quoque mandavit mercatorum negotiationes non prohibere, sed promovere, vim nullam sibi invicem bellando vel prædando inferre, sed coram rege suas causas jure agere. Ideoque civitates vim quamcumque a subditis & mercatoribus tenebantur sub pœna privilegiorum suorum depellere. Nemo denique, cujuscumque sit status, tributa imponet incolis vel peregrinis sive pedes sive eques; nec tributa exiget a prælatis & nobilibus, imprimis a Lubecensibus, qui certis privilegiis ab oneribus excepti sunt. *Chron. Holf.*

Ao. 1480. In comitiis Rensburg. Ditmarsi renuunt Regis imperiam.

Anno 148[illegible]. Christianus rex circa Margarethæ solemnia indixit comitia in oppido Rensburgensi, ad quæ vocati sunt Lubecenses, Hamburgenses & Dithmarsi, quibus rex imperialia decreta de donatione Dithmarsiæ prælegi fecit postulavitque, ut iis parentes promitterent in unum Ducatus corpus cum Holsatis & Stormaris se copulari, utque regem homagio dominum suum agnoscerent. Dithmarsi responderunt, Cæsarem male informatum dedisse terram certo domino spirituali subjectam regi alieno in feudum. Parere enim se Episcopo Bremensi ab illo tempore, quo post obitum Comitis Hardwici Archiepiscopi Bremensis Ditmarsia consensu Imperatoris Friderici I. sit commutata cum Ecclesia pro Comitatu Stadensi: sub hoc domino se vivere & mori velle nec a D. Petro discessuros. Replicatum est multas principatus Dithmarsiæ factas commutationes post obitum Hardwici Episcopi, nunc fuisse sub Waldemaro II. rege Danorum, nunc sub Comitibus Holsatiæ; hoc vero tempore se verbo magis Episcopo parere, quam opere, ejusque præfectos esse in terra ad vanam speciem, sed administrationis nihil habere. Nisi igitur pareant imperialibus litteris, hoc se facturum, quod opus fuerit ad extorquendam obedientiam. Interventu autem consiliariorum conventus dissolutus est. *Chr. Holf.* A. e. Christianus I. rex accusatum in conventu de tyrannide nobilem Henningum Pogwischen, cum filiis cedere ex Holsatia jussit, non auditum, non convictum, nec damnatum. Ille cum adesset permitti sibi respondendi veniam orabat luiturus corpore & rebus omnibus, nisi se de objectis purgaret. Sed rex implacabilis iræ equum conscendens Borsholmiam abiit. Henricus vero cum filiis & paucis bonis comportatis ad Albertum Megalopolitanum discessit in Gustrow exulans melioraque sperans. Rex castrum ipsius Varwe circa Oldenburgum solo æquavit omniaque ipsius bona confiscavit. Parer nulla qualicumque intercessione valens gratiam recuperare in exilio obiit, filii vero quamvis multa tentaverunt hostilia, similiter regis hujus favorem impetrare nequiverunt. Eodem tempore dejectus est Joachimus Rantzovius de castro Plœne ob violentiam post mortem patris sui in subditos patratam, ob non solutam sibi pecuniam a patre expositam, cum rex Christianus in Ducem Holsatiæ reciperetur. *Chr. Slav.* A. e. Principes Saxoniæ inferioris cœperunt sibi suisque truncare capillos & sollemnes sibi invicem mittere litteras cum mandato tonsuræ inclusis forcipibus. *VVand. lib.* 13. *c.* 23. A. e. rex Christianus I. comitia indixit Segebergæ ad diem assumtionis Mariæ, ubi præsentibus Episcopo Lubecensi & senatu Lubecensi & Hamburgensi rationem posuit cum præfectis arcium suarum & fidejussoribus sæpius de regiis debitis conquerentibus, deque litteris consignatis sese jactantibus. Jussi itaque sunt quisque suas in conspectum regis & consiliariorum producere, cumque multi metu magis quam spe accipiendæ pecuniæ comparerent, rationem quæsiti reddere non potuerunt, quando æs concreditum sit regi, & quos in usus collatum, de quo litteræ loquerentur. Quidam nihil aliud quam simplicem litterarum tenorem

Henn. Pogwisch delatus cum filiis Holsatia pulsus indicta causa.

Joach. Ranzov. Plœna ejectus ob violentiam.

Principes Sax. infer. capillos sibi præcidere statuunt.

In Comitiis Segeb. Rex debitorum suorum rationes componit multorum summa cum indignatione.

rem attulerunt, regiam fidem pro sigillo habentes. Alii exactum calculum ponentes locum & tempus designabant, quando fidem pro rege interposuerant summamque postea exsolverant. Major autem illorum erat numerus, qui acceptis dono ab rege litteris nullaque exposita pecunia obligationem tamen ad solutionem habuere. Tanta fuit initio regis humanitas & in dandis litteris facilitas. Nonnulli usuras, quæ quotannis provenerant, priori summæ addiderunt, iisque sæpe iteratis immensam sibi a rege pecuniam deberi prætenderunt. Cum tandem diebus 14. rationem habuissent, multæ litteræ deprehensæ sunt incertæ, ideoque, quantumvis regio sigillo obsignatæ, cassatæ fuerunt. Summa sortis & usurarum fuit quater centena millia & sexaginta quinque millia marcarum. Justum vero regi debitum emersit 90000. marcarum, quæ summa conscriptis regio consensu novis litteris sigillo obfirmatis consignata est. Unus erat, qui obsecrabat, ut rex omni ejus substantia in prædiis & jumentis accepta, sola arma cum equis militaribus linqueret, fidemque, qua se pro rege obstrinxerat, impleret, ipse abiturus in alienas terras, quoquo modo posset, militans panem inveniret. Alius quidam cum promtam pecuniam multis vicibus expendisset, & eadem cum ceteris facilitate abigeretur, recusavit discedere, cumque difficulter ad regem admitteretur, ipse depulso junitore ingreditur, explicans, quibus locis & temporibus æs suum exposuisset pro rege; atque multoties insuper capitis discrimen subiens propter ipsum captus sua se pecunia redemisset, nunc vero ut ignotus immerito abigeretur: non abiturum se, quin aliud audiat, vitamque malle quam suos parvulos exhæredes relinquere. Huncergo rex verbis placatum jussit ad definitos terminos deputatis locis sua præstolari. Multi vero flentes abierunt, qui ut fidem datam implerent, omni se possessione sua exuerunt, ad inopiam prorsus redacti. *Sax. lib.* 12. *c.* 26.

Ao. 1481. *annonæ caritas per mercatores frumento in Flandriam devecto inducta.*

Anno 1481. magna caritas fuit annonæ, orta ex avaritia quorundam mercatorum, qui frumenta ubique coëmentes transmiserunt in Flandriam, continuata usque in triennium: qua una tritici lasta emta est pro centum marcis, mensura hordei (quæ Wispela dicitur) viginti marcis, unus modius siliginis pro septem solidis Hamburg. *Chr. MS.* A. e.

Christianus II. nascitur.

Christiernus II. rex Danorum filius Johannis regis nascitur Niburgi 2. Julii hora 8. antemeridiana.

Ao. 1482. *Christianus I. moritur; ejus laus & liberi.*

Anno 1482. Rex Christianus I. mortuus est Hafniæ 22. Maji, princeps natura mansuetus, liberalis & bonus, reliquit duos filios, Johannem & Fridericum filiamque unicam, quæ regi Scotorum in uxorem data est. Quia vero filius natu major Johannes patre adhuc superstite in regem Danorum electus & coronatus erat, rex moribundus testamento ordinavit, ut Friderico natu minori Ducatus Slesvici, Holsatiæ & Stormariæ soli in possessionem traderentur, Slesvicum beneficio feudi, Holsatia vero in compensationem regnorum, atque regina mater Fridericum cum aliquot episcopis & consiliariis solemniter ad homagium ab incolis accipiendum introduceret. Sed cum hoc tentaretur & Fridericus novem annorum puer juxta tenorem testamenti ducatibus commendaretur, rex Johannes sine mora magnifico comitatu accessit, & ea, quæ a matre pro Friderico in deliberationem proposita erant, impedivit. *Chr. Holst.* Johanni homagium præstiterunt Dani in festo Pentecostes. A. e. die lunæ post Martini nobilitas Holsatiæ convocata est Chilonii ad eligendum principem Slesvici & Holsatiæ, atque in primo actu a Danis in præsentia regis & Friderici fratris propositum fuit: quia Suecia jamdudum a parente defecerit & duo regna Daniæ & Sueciæ electiva sint, ut Fridericus aut Norwagium pro se desumat & fratri dimittat Ducatus ad æquationem ejus regni, aut, si nolit, patiatur ambos ducatus ex æquo dividi, ut ex utroque pars aliqua utrique in successionem proveniat. Cui sententiæ cum regina mater accederet, nobilitas & omnium ducatuum subditi ad promerendam confirmationem veterum privilegiorum præstiterunt juramento tam regi Danorum quam fratri Friderico homagium contra testamentum a patre relictum. Mox concisos minutiis principatus ambos partiti sunt, Danis in hoc maxime connitentibus, ut facilius esset nepotes post obitum fratrum forte dissidentes ad unitatem reducere, quando utrobique possideant utrique, unde se tueantur. Accepit vero uterque quatuor præfecturas in Ducatu Slesvicensi, quinque in Holsatia. Regis pars fuit Flensburgum, Sunderburgum, Norburgum, Apenrada, Segeberga, Rensburgum, Haseldorpium, Hanrovium, Femaria; Friderici vero hæreditas Gottorpium, Tundera, Haterslebium, Tyla, Steinburgum, Trittovium, Oldenburgum, Chilonium, & Plœna. Post hanc partitioem regina mater a filio Johanne precario impetravit filiolo Strandiam in possessionem adjici, atque hoc pacto omnes putarunt negotium hoc optime administratum fuisse, de quo tamen apud posteros magna contentio fuit. *Sax. lib.* 12. *c.* 32. A. e. Lubecenses & Bremenses ceperunt quadraginta sex de familia Comitis Gerhardi, eosque Bremæ decollarunt 24. Aprilis. *Chr. MS.* A. e. Henningi Pogwischen filii tres, Henningus, Wolfius & Johannes, permissi sunt intercessione amicorum redire in Holsatiam ad sua hæreditaria prædia; at pecunias expositas non receperunt. *Chr. MS.*

Holst. fratre Johanne R. refragante.

In conventu Chilon. ducatus inter fratres divisi contra testamentum patris.

Lubecenses & Brem. 46. ex familia Gerhardi Com. captos obtruncant.

Henn. Pogwischii filii in Holsatiam redeunt.

Anno 1483. Hamburgenses mercatores farra & fruges devehebant in Islandiam novam provinciam & Hollandiam coëmentes frumenta undique locorum; unde brevi tempore caritate rerum aucta, tonna cerevisiæ vendebatur duabus marcis & octo solidis, cantharus pro uno solido: quo moti cives, in seditione quadam vinctum effractis januis de carcere educentes, proconsulem Nicolaum de Schwaren insigni verbere in capite vulneraverunt, quod mercatoribus ad caritatem rerum connivendo ansam præberet.

Ao. 1483. *ob fruges devectas rerum caritas Hamburgi civiumque seditio.*

Comitia Flensb. confirmandorum privileg. eriique alieni a R. relicti exsolvendi causa, hincque tributum collectum.

VVand. lib. 13. *c.* 31. A. e. Johannes rex Danorum comitia ad S. Catharinæ Flensburgi indixit, ubi tractatum est de renovandis privilegiis collapsis prælatorum, nobilium & civitatum, quæ scripto quidem comprehensa, sed hactenus confirmata a rege non fuerunt. Præcipua vero conventus causa fuit precaria, quod multis, quæ a rege relicta essent, debitis exsolvendis magno ære opus esset. Annuerunt itaque militares cum prælatis, ut ex unoquoq; vomere bini solverentur aurei, quæ pecunia ex ducatibus collecta superans florenos 200000. in multos ita est distributa, ut modicum quid vix acciperet, qui ingentibus summis sua pridem impendisset. *Saxon. lib.* 12. *c.* 32.

Ao. 1484. Xander Hobede Luneb. diripit Anglos mercatores. hinc civitates metu fœdus pangunt ad sui defensionem. pestis, sed & fertilitas.

Anno 1484. Xander Hobbede civis & mercator Lunæburgensis mutuo dederat Christiano I. regi magnam pecuniarum summam, in cujus compensationem Anglis, (in quos Holsatiæ principes justam querimoniam habebant), plurima militari manu eripuit, quæ civitatibus VVandalicis imputata fuerunt: quam ob causam sex civitates fœdus contraxerunt ad mutuam sui defensionem contra quoscunque invasores. *Wand. lib.* 11. *c.* 4. A. e. pestis prævalde in Suecia sæviit, moderate vero in civitatibus Wandalicis, fuitque annus fertilis omnium frugum, ita ut lasta siliginis vendita fuerit novem marcis Lubecensibus. *Chr. MS.*

Ao 1485. Rostochienf. ob novum collegium seditic.

Anno 1485. Rostochiani occiderunt clava captum per seditionem pastorem Thomam Rhoden, electum præpositum novi collegii ad S. Jacobum, quod videbatur principibus auctor fuisse exstructi nuper istius collegii: unde quasi ex arce frenum sit istorum libertati injecturus. Consulibus præterea duobus ita sunt minati dicentes, novum collegium oportere novis martyribus decorari. *VVand. lib.* 11. *c.* 8. A. e. Johannes rex Danorum impetraverat fratri impuberi Canonicatum in Ecclesia Colonienſi, ubi tunc studiis incumbebat. Cum autem Fridericus intellectu proficiens deprehenderet propter hoc beneficium hæreditatem patriæ dimittendam esse, præbendæ & studio valedixit, atque principatum hæreditarium prætulit. *Chr. Holf.*

Johannes R. canonicatu fratri comparato eum regno eliminare studet; sed frustratur.

Ao. 1486. Rostochium a Ducibus Meckl. obsessum. Christianus II. R. Dan. electus.

Anno 1486. Principes Megalopolitani cum Duce Pomeraniæ obsederunt Rostochium aliquot mensibus & postea obsidionem sponte solverunt. *Chr. MS.* A. e. Christianus II. Johannes filius electus est in regem Daniæ, cum adhuc esset minorennis, & quinque annorum, idque factum Wiburgi.

Ao. 1487. castellum ad fl. Storam structum.

Anno 1487. fortalitium ædificatum est ad Storam fluvium Stormariæ sub Duce Friderico I.

Ao 1488. 74. pirate Hamburgi exiguo indicio casi, quamvis intercede-

Anno 1488. Hamburgenses ceperunt in mari occidentali piratas septuaginta quatuor vexantes mercatores suos, cum vero judicio sisterentur, nec erat, qui accusaret, cum præser im suos dominos, quorum jussu bella gesserant, præferrent, accessit tandem peregrinus quidam, qui parvum vas ferreis clavis refertum ab istis sibi ademtum conquerebatur, qua de causa capitis damnati, misero spectaculo omnes gladio sunt cæsi, quamvis Johannes Rex Danorum pro illis intercederet. *Sax. lib.* 12. *c.* 14. A. e. Henricus Dux Brunswicensis auxiliis vicinorum principum obsedit Brunswicum, præter expectationem civium in munita urbe secure confidentium. Causas belli adduxit has, quod recusaret subire onera civitatum reliquarum in tanta præsertim copia prædiorum; quod in usus principum admittere noluerint rerum impositiones quas Itali Gabellas vocant, prætendentes litteras antecessorum, & antiquam urbi concessam libertatem. Oppugnata est aliquot vicibus leviaque invicem commissa sunt prælia; sed major spes Duci fuit in expugnatione ejus per famem, qua cum laborare inciperent, Hildesheimenses magno commeatu comparato & Peynam usque adducto conjuncti sunt Brunswicensibus, congressique cum Ducalibus conjecerunt illos in fugam, atque hoc pacto per intercessionem principum hac conditione liberati sunt ab obsidione, ut ex quatuor arcibus civitati ereptis duæ remanerent Duci, utque subditos principum se agnoscerent. *Sax. lib.* 13.

ret Joh. R. Dan.

Brunsvicum ab Henr. D. obsessum per Hildes. liberatum.

Duci tamen subjectum.

Ao. 1489. prætorium Lubec. exustum. milites doryphori inclarescunt.

Anno 1489. prætorium Lubecense exustum est. *Chr. MS.* A. e. milites doryphori (*die Lantzenknechte* dicti) celebres fieri cœperunt in Germania. *Chr. MS.* (32)

Ao. 1491. Rensburgi opp. pars incendio absumta. Frumenti caritas ex inundatione Storæ.

Anno 1491. Rensburgum oppidum ad partem tertiam exustum est, ortumque incendium ex everso lebete ferventis sevi in dissensione mariti cujusdam cum sua uxore. *Chr. MS.* A. e. Storæ pernicios inundatio fuit die S. Crucis ante Michaelis, qua frumenta ubique abrepta fuerunt & inopia frugum tanta subsecuta, ut wispela siliginis emta sit octodecim marcis, tritici octodecim marcis, lasta avenæ quinquaginta marcis, wispela fabarum viginti quatuor marcis, hempre pro 12. solidis. *Chr. MS.* A. e. concursus idololatricus ad cruentam hostiam in Sternberg cœpit, & alter in Wilsnak abrogatus est. *Chr. MS.*

Sternbergæ hostia cruenta colitur.

Ao 1492. Gottorpium flammæ attenuatum; lues pecoris caritasque annonæ, biems sæva.

Anno 1492. Gottorpium arx magna sui parte flammis absumtum est, quo anno magna lues pecora absumsit, & caritas annonæ hemptonem pisorum tredecim solidis vendi fecit, vix tamen venalium. Hyems præterea sæva Storam glacie constrictam pedestrem fecit usque ad D. Gregorii. *Chr. MS.*

Ao. 1493. annonæ vilitas murinmque alborum copia.

Anno 1493. frumentorum tanta vilitas rediit, qua una wispela hordei vendebatur octo marcis, tritici octo marcis, hempto fabarum uno solido, pisorum tribus solidis. Quo anno tanta fuit alborum murium copia, ut rustici in horreis suis una nocte centum octoginta ceperint, & aratores in uno jugero invenerint quindecim hemtones fabarum sub terra a muribus congestarum. *Chr. MS.* A. e. Crempensis turris murus perfectus est, &

Turris Cremp. perfecta.

a. 96.

(32) Anno 1489. Detlbertus Krummendik eques auratus & Episcopus Lubecensis 23. postquam 25. annos muneri episcopali præfuisset Lubecæ obiit, cujus sepulcrum in cathedrali arce 6000. marcis Lubecensibus non paratum esse statuitur. *Elverfelt p.* 275.

Frider. D. feudum Holſ. accipit. Friderici poſtulata a Joh. R. inhumanius rejecta.

a. 96. tectum ejus conſummatum. *Chron. MS.* A. e. Fridericus Dux feudum Ducatus Holſatiæ publice accepit in foro Chilonienſi ab Epiſcopo Lubecenſi Theodorico Arendes Hamburgenſi. *Chr. MS.* A. e. Fridericus Dux cum jam ad pubertatis annos perveniſſet, & differentiam atque proventus uniuscujusque præfecturæ in Ducatibus cognoviſſet, inique ſecum in partitione actum animadvertens, regem fratrem & ſenatum regni ſæpius convenit, atque tantundem ſibi tradi poſtulavit in poſſeſſionem de Ducatibus Sleſwici & Holſatiæ, quantum rex poſſideret, tum quia regis Danorum & Norwagiæ naturalis eſſet filius, permitti ſibi juxta veterem regni morem Ducatum aliquem in regno Daniæ ad terminum vitæ. De regno quoq; Norwagiæ ut hæreditate filiorum regiorum ſuam partem hactenus deſideratam petiit. Voluit denique ſibi reddi 100000. florenorum ex tributo agrario an. 1483. totius Ducatus pro rege perſolutorum. Rex legatis fratris inhumaniter reſpondit, niſi contentus ſorte ſua eſſe poſſit, levi de cauſa illa ipſum parte privari poſſe. Cum tandem jure peteret ſibi regem reſpondere, reddidit, ſe unctum eſſe regem & ſuperiorem judicem non agnoſcere, quo inhumano & ſuperbo reſponſo ad æquam ſuam petitionem accepto Fridericus fratrem, dum vixit, numquam deinceps de hæreditate ampliori ſollicitavit, ſperans filium ejus Chriſtiernum, quando patri ſucceſſerit, æquiorem futurum ſibi & filiis ſuis, atque legitimam hæreditatem paternam conceſſurum.

Ao. 1495. Ditmarſi ſubjectionem Regi denegant.

Anno 1495. Johannes rex conventum habuit cum Dithmarſis Itzehoæ iisque Cæſaream donationem obſignatam litteris, (quod pater antea fecerat,) iterum prælegi fecit, poſtulans obedientiam, & homagium. Dithmarſorum nomine quidam ex nobilitate Capituli Bremenſis reſpondens allegavit jus Eccleſiæ Bremenſis in Dithmarſiam, ejusque confirmationem ab aliquot Cæſaribus regibus datam, quam Cæſarea Majeſtas controverſiæ hujus judex nullatenus ſit revocatura. Cum itaque pars utraque ad æquum jus appellaret, diſceſſum eſt utrinque. Rex vero cum ſenatu ſuo decrevit opportuno tempore Dithmarſis bellum inferre, quod tamen tamdiu dilatum fuit, donec Sueci a. 97. per guardiam militum ſubacti rurſus fuerunt. *Chr. Holſ.* 164. A. e. Dorothea regina Daniæ Chriſtiani I. vidua mortua eſt, cum ante octennium Romam viſitaſſet, corpus tumulatum eſt Roſchildii in Selandia. A. e. monaſterium nudipedum fratrum fundatum eſt Huſii & Rensburgi, ante portam erectæ ſunt cruces, calvariæ vocatæ. *Chr. MS.*

Sueci iterum ſubacti.

Dorothea Chriſt. I. vidua obit.

monaſterium diſcalceatorum Huſii & Rensb.

Anno 1497. Plœna incenſa quatuor ſui angulis, tota exuritur d. 23. Jun. *Chr. MS.*

Ao. 1497. Plœna tota exuſta.

Anno 1498. Dithmarſi ad depellendum Ducem Saxoniæ Magnum de Worſatia, militantes Epiſcopo Bremenſi, contumeliis exaſperarunt gregarios Hamburgenſium pedites, qui congreſſi cum illis occiderunt viros ſeptuaginta; de quorum nece Dithmarſi in Hamburgenſes actionem intentarunt. *Chron. MS.* A. e. rex Johannes Sueciam recuperavit & ſubegit, uxoremque & filium Chriſtianum II a ſubditis Suecis homagio ſuſcipi & coronari fecit. *Chr. MS.*

Ao. 1498. Dithmarſi auxiliantes epiſc. Brem. ab Hamburgenſ. cæduntur. Sueci homagium præſtant Johanni R.

Anno 1499. Magnus Saxoniæ Dux[1], ubi per milites guardiæ Hadeleriam ſuam ex manu Epiſcopi Bremenſis recuperaſſet, rex Johannes & frater ejus Fridericus guardiam 6000. viros continentem vocarunt in Holſatiam, dubitantibus multis, quo ducendi eſſent atque mox Dithmarſis hoſtilia nunciantes per miſſos ſimul oratores tentarunt, ſi ſine ſanguine dedere ſe velint. Cum vero quibusdam tranquillitati ſtudentibus communitas populi reluctaretur, conſcripſit rex & Fridericus frater ex regno & Ducatibus magnum exercitum, cui multi nobiles ex Marchia & Ducatibus Brunſwici & Lunæburgi acceſſerunt. Duo item Comites Aldenburgenſes Adolphus & Otto cum ſuis equitibus magno ſplendore armorum quaſi ad nuptias properabant tam certa victoriæ ſpe, ut pecunias comparandis ex præda rebus in zonis ſecum apportarent: & ſigilla ad litteras contractuum conficiendas. *Sax. lib.* 13 *c.* 24.

Ao. 1499. R. Joh. & D. Frider. expeditio adv. Ditmarſos.

SECULUM NONUM
ANNI MILLESIMI QUINGENTESIMI.

ANno 1500. ſabbatho ante Dominicam Lætare turris Segebergæ fulgure incenſa arſit. *Chr. MS.* A. e. Johannes rex & Fridericus frater cunctis jam ad bellum neceſſariis paratis, circa initium Februarii magnum agmen duxerunt in Dithmarſiam & dies aliquot ad terrendum hoſtem in conſpectu ipſius conſumſerunt, cumque ruſtici aridam terram incolentes cum rebus ſuis in paluſtrem conceſſerant: quidam tamen temerarii in villa Windbergen nuptias celebrant, cum jam primum agmen appropinquaret. Dithmarſi putantes Hammam primo loco oppugnatum iri frequentes ibi confluxerunt; ſed principes per Dithmarſos quosdam ſtipendiarios ex latere viæ publicæ per gramineum iter inter paludes abſconſum ducuntur ſine periculo ad oppidum Meldorpium, idque immunitum, & a paucis incolis defenſum capitur ſine labore d. 13. Februarii; fugiunt pauci, reliqui ſine diſcrimine ætatis, ordinis & ſexus crudeliter interficiuntur, ut reliqui terrore perculſi promtius ſeſe dederent. *Sax. lib.* 13. *c.* 24. A. e. Hamburgenſis ſenatus decreto facto prohibuit mulieribus argenteum ornamentum geſtare, d. 21. Aug. *Chr. MS.* (33) A. e. rex Johannes cum aliquantum in oppido Meldorpio moram cum exercitu feciſſet, deditionem terræ ſine ſanguine expectans, tandem die lunæ poſt Valentini quæ fuit 17. Febr. contra fidele

Ao. 1500.

Ditmarſi afflicti.

Danorum Holſatorumque funeſtiſſima in Ditmarſia cædes.

(33) Anno 1500. templum S. Margarethæ in Wilſtrenſi Marchia eo in loco, ubi hodie conſpicitur, eſt ædificatum, & antiqua S. domus apud portum Eccleſiæ ſublata, quippe cujus locum jam Albis perfluit.

fidele quorundam consilium capitaneo militum guardiæ obtemperans castra movit ex Meldorpio, & in sæva tempestate voce ac animo iracundo Satanam compellans ingressus est angustum tramitem ducentem versus Hemmingstede, lutosum pedestribus, grandibusque fossatis ex lateribus utrinque cinctum. Præcesserunt peditum ferme 3000. cum civibus & agricolis Holsatis majori numero, sequutum est agmen equitum in molesta viæ angustia cum certa victoriæ spe concepta, ut vehicula omnia pone sequi juberent putantes se mox in solidam terram perventuros. Dithmarsi autem excepto quodam Frisio speculatore de consilio regis edocti proxima nocte fodientes venturis hostibus per lutosissima itinera vallum oppossuerunt, in quo bombardis ordinatis aliquot millia excubias habuerunt, qui post aggeres absconditi primos hostium tormentis prostraverunt, reliqua exercitus pars, angustia loci compressa pugnare in hostem nequivit, quod terra latis & crebris fossis discissa non sinebat aciem extendere, aut excursiones facere. Regia tormenta erant quidem dispositа, sed dies nebulosa, pluvia & grandine mixta ventisque de cœlo sævientibus ac quasi pugnantibus saxa bombardis emitti prohibuit. Dithmarsi vero cum sese a peditibus circumdari cernerent, circiter quingentos castris egressi pugnam cum tot militibus conferere ausi fuere, sed qui angusto loco & lutosa via quasi constricti & ex pluvia & frigore debiles erant, bis Dithmarsos in fugam compulerunt, qui aucti interim numero, & fossata transilientes tertia jam vice se recolligunt & hostes tandem madidos atque congelatos partim cædunt partim in fossas detrudunt. Primi autem ex guardia, in quos rex tantopere confidebat, fugam capessentes maxima parte perierunt. Cataractis enim aquæductuum apertis, aquarum copia inundans discrimina itinerum & fossarum conturbabat, & fugientes implicabat, unde animosiores hostes effecti Holsatorum peditum manum superarunt, & majorem partem in fossis submergi compulerunt. Sævitum deinde est in turmam equestrium angustia locorum pressam, quæ ante se cæsis peditibus, retro vero curribus inversis tamquam castris constricta fuit, cui Dithmarsi circumfusi ex utroque latere viæ lanceis atque sagittis equos vulneraverunt, qui mox inde sævientes sessores suos dejiciunt & conculcant. Vapor ex sudore nebuloso aëri mixtus visum cunctis ademit, atque ita multi perierunt viri militares ne ferrum quidem stringentes. Principes ipsi cum aliquibus incertum quomodo elapsi sunt, forte per densa cæsorum & mersorum cadavera evaserunt, sicut illi qui in oppido ad custodiam habendam remanserunt. Incredibile est narratu; quanta trium horarum spatio peracta sit cædes, quod & ipsi Dithmarsi vehementer sunt admirati, sed major pars aquis dilapsis sine ullo vulnere reperta fuit. Accurrerunt quoq; alii confestim ab excubiis, qui spirantes adhuc penitus contrucidarunt, vestibusque & indusiis nudatos reliquerunt. Pauci reperti die lunæ sequenti, qui vita donati sunt. Peditum occisorum ad 4000. tumularunt, sed equitibus hoc negatum fuit, inter quos fuerunt duo Comites de Oldenborch Adolphus & Otto, militares plurimi & flos equitum Holsaticorum ultra 60. in luto sub sole computruit contraque jus gentium corvis, canibus & feris expositus jacuit. Spolia amplissima obvenerunt Dithmarsis in vestibus, auro, argento, margaritis, equis & armis cum vexillis & bombardis regis & fratris ejus. Tertia hæc est Holsatorum in Dithmarsia clades cæteris major. Rensburgum amisit in hoc bello 50. cives. *Saxon. Crantz. lib.* 13. *c.* 25.

Hamburgenses odium Frid. D. incurrunt.

A. 1e. Hamburgenses fuerunt extra gratiam sui Ducis Friderici, quod piscatores eorum in insula Hilgeland tumultum conciverant, in quo Ducis officiarius captus fuit. *Wand. Crantz*

Nuptiæ mutuæ Regis filiæ fratrisque cum familia Brandeb.

A. e. Johannes rex Danorum filiam suam Elisabetham tradidit Joachimo Electori & Marchioni Brandenburg. & Fridericus frater Dux Holsatiæ vicissim duxit Marchionis sororem Annam, filiam Johannis Electoris filii Alberti Achillis, quorum nuptiæ simul sunt Berlini in Marchia celebratæ. *Chr. Holst.*

Ao. 1501. Sueci deficiunt a R. Johanne.

Anno 1501. Sueci audita clade regis Danorum in Dithmarsia, ducti sunt pœnitentia, quod tam facile se illi subjecissent, cumque paulo post reverteretur in Sueciam, seditione populi mota coactus est clanculum discedere relicta gravida uxore in arce Stokholmia, sequente æstate, comparatis rebus ad bellum necessariis vi regnum recuperare volens. Lubecenses negotiationem suam & navigationem haud intermittentes in regno suspecti facti sunt regi, quasi Suecis faverent eosque in sua contumelia confirmarent. Missis itaque legatis periit, ut nullas in Sueciam merces adveherent; se enim necesitate bellum ipsis inferre. Lubecenses cum in postulata regis sine maxima rerum suarum in Suecis existentium jactura consentire non possent tam subito, legati infecta re redierunt. *Chr. MS.*

Lubecenses Suecorum partes deferere nolunt.

Ao. 1502. pestis in Germ. Johanni ad rebelles bello coercendos auxilia frater Frider. D. denegat.

Anno 1502. pestis ubique per Germaniam sæviit. *Chr. MS.* A. e. cum Johannes rex Norwagiam fere decennium tranquille gubernasset, Sueci aliquot ibi arces expugnarunt, rusticosque Norwagienses in oppugnatione reliquarum ad seditionem in regem inflammarunt. Properans ergo rex ad reprimendos seditiosos in Holsatiam Fridericum fratrem vocavit in Segeberg, eique promisit, si auxilium ad subjugandos rebelles conferre velit, dimidiam partem recuperati regni se traditurum ipsi. Cui Fridericus respondit, si rex ad dimidiam regni partem, quæ jam sua fuerit propria; dimidium redituum, quos hoc decennio ex regno levaverit, fideliter sibi reddere voluerit, operam se pro viribus collaturum. Cum vero æquum hoc & honestum fratris postulatum rex abnueret, copias ille suas ad debellandum contumaces recusavit.

Christianus II. Sueos regno depellit, Norwagos sibi concir-

A. e. rex Johannes filium suum Christiernum cum exercitu in Wagriam misit, qui Suecos feliciter ex regno depulit, & arces ab hoste occupatas in potestatem suam recepit rebellesque vi ad obedientiam compulit. Norwagii

Hans ab iis rex eligitur.

wagii paulo post Christiernum patris consensu in regem suum elegerunt, eique homagium sine Friderici voluntate præstiterunt. *Chron. Holsat.*

Ao. 1503. Regis cum Lubec. lites compositæ; horum opera ipsi præstita apud Suecos.

Anno 1503. Raymundus Cardinalis procurante rege Johanne venit Lubecam (cum per Germaniam ingentem pecuniarum vim ad bellum Papæ contra Turcam collegisset) compositurus controversiam, quæ fuit regi cum Lubecensibus, vocavitque in consilium Ducem Holsatorum Fridericum & Magnum Megalopolitanum, quibus accedentes regii legati diu tractarunt de pace, utque Lubecenses prorsus a regno Sueciæ abstinerent. Cum autem hoc impetrari non posset, in hanc sententiam convenerunt. Lubecenses missis ex senatu legatis reginam Danorum cœnobio Watstein inclusam liberent, Suecosque commonefaciant, ut ad proximam S. Laurentii diem Sundæ cum rege transigant, rex vero captas naves cum mercibus restituat Lubecensibus, deque aliis præterea illatis damnis certo tempore in Holsatia transigat. Lubecensibus vetera privilegia illæsa servet, pecuniaque residua urbi fideliter solvatur. Fidejussores facti sunt, Dux Fridericus, Episcopi Lubecensis & Sleswicensis, aliique præterea equites & nobiles. Arx quoque Trittow Lubecensibus pro his debitis in pignus concessa, quæ imposterum interpellatis sponsoribus fideliter soluta est. Lubecenses juxta quod convenerat, missis legatis reginam a Suecis sua intercessione liberatam Hafniam deduxerunt, quam rex, simulatque id comperit, misso Christierno filio excepit. Legatos vero Lubecensium, qui ex Suecia illam advexerant, in conspectum suum prodire vetuit, unde facile fuit conjicere, quam apud ipsum gratiam inierint, & quo animo erga ipsos affectus fuerit. *Chron. Holsat.* & *Lubecense.*

Christianus Frid. D. filius nascitur.

A. e. Friderico Duci natus est filius Christianus d. 12. Augusti, baptizatus est die solis ante Michaëlis d. 25. Septembr. *Ebertus.* (34)

Ao. 1504. Lubecensibus datur privilegium de non appellando infra 40. floren.

Anno 1504. Lubecensibus datum a Cæsare privilegium, ut nemo a jure urbis appellet, nisi causa 40. florenos excuperet. *Chron. MS.*

Neomonasterii incendium.

A. e. Novomonasterii tonsor quidam verberare volens uxorem, cum incensa candela in tabulatum illam quærens conscendit, & domum accendit, unde totum oppidum conflagravit d. 19. Julii. *Chr. MS.*

Comitia Calm.

A. e. gelu brumali durante ultra S. Gregorii diem, Stora fluvius tam equitibus quam peditibus ubique fuit pervius. *Chr. MS.* A. e. comitia celebrata sunt Calmariæ Suecorum, ubi Johannes rex & nobiles Daniæ, Sueciæ & Norwagiæ convenerunt.

Ao. 1506. Lubecenses exurunt pagos Meeklenb.

Anno 1506. Lubecenses in bello, quod ex incensa Parcentinorum nobilium villa causatum cum Duce Megalopolitano gesserunt, egressi in castris curulibus ducentes peditum 3000. & equitum 200. uno die triginta pagos & villas aliquot exusserunt d. Aug. 12. *Chr. MS.*

Mollnæ obsessio irrita.

A. e. Duces Megalopolitani & Brunswicensis cum Marchione Brandenburgensi obsederunt Mollinam diebus 24. & re infecta tandem discesserunt, cum Schlahop & Veslo antea exusserunt amissis 20. equis suorum.

Megapolitani a nautis Lubec. cæsi.

A. e. Lubecensium nautæ ceciderunt Megalopolitanos ad Cruzerode d. 28. Augusti auferentes magnam prædam.

Crempensis campanæ pondus.

A. e. campana maxima Crempensis reperta est habere in pondere octo millia sexcenta & octoginta pondo, 8680. *Chr. MS.*

Ao. 1507. Lubecenses pacantur cum R. Dan.

Anno 1507. Lubecenses cum rege Danorum pacem fecerunt Nicopii promittentes, se cum sociis urbibus nihil Suecis mercium advecturos, sed potius illorum naves in jurisdictione sua inventas detenturos, donec bellum Danicum durarit. In navigationibus quoque suis regiis excubitoribus sponte dimissis velis merces & litteras suas exhibituros visendas, ut hoc pacto sublato omni dissidio duæ naves Lubecenses Hafniæ detentæ cum mercibus residuis restituantur. *Chr. Lubec.*

Ao. 1508. iterata dissidia, sopita.

Anno 1508. regi Johanni iterum natum est dissidium cum Lubecensibus conquerentibus mercatores suos, contra pacta a Danis ubique spoliari, instructisque navibus vi per claustra Balthici maris Revaliam penetrarunt, & salvi reversi sunt Lubecam. *Chr. Lubec.* A. e. Lubecense bellum cum Ducibus Megalopolitanis compositum est circa Jacobi hac conditione, ut damna utrinque accepta utraque pars tolleraret, & Lubecenses veteribus utantur privilegiis. *Ibid.*

templum Lubec. igne correptum.

A. e. templum S. Mariæ Lubecæ conflagravit die Paschatis, eodemque anno rursus cupro contectum fuit.

Ao. 1509. Dani aucupantur Lubecens. naves mercat. a Lubecensibus profligantur.

Anno 1509. Lubecenses iterum Revaliam usque 8. navibus excurrerunt: rex 24. navibus redeuntes excepit prope Warnoviam & unam ex octo cepit: reliquæ fuga se liberarunt, & Travennam apprehenderunt. *Id.* A. e. rex Johannes autumno triginta naves cum militibus Travemundam misit, ut occuparet, sed res ex voto non successit, quod Danicæ naves in portum novæ civitatis circa Hafkrog appulerunt & peditus Travemundam errore transeuntes circa viginti pagos Lubecensium spoliatos incenderunt, atque deinde in tres hebdomadas in Oldeslo magno regiorum incommodo commorati sunt. Interim cives Travemundæ naves regias partim ceperunt partim exusserunt, & circa 100. boves & vaccas abegerunt. Rex vero pedestri itinere cum lecta peditum equitumque manu spe occupatæ jam Travemundæ insequens cum in oppido Hellinghaven se voto suo frustratum intelligeret, noctu transito Oldenburgo & Euthyno perrexit Segebergam, spoliatis pagis aliquot a militibus præter regis voluntatem, Lubecensium naves paulo post insulam Arrhe, & vicinas aliquot sub Ducatu Slesvicensi invadentes diripuerunt. *Chr. Holsat.*

Anno

(34) Anno 1503. Templum Wolffethlethanæ parochiæ e regione viæ viridis (*gegen den grünen Weg*) in loco, qui jam Albis aquis contegitur, situm destructum ac deinceps eo, ubi hodie cernitur, translatum ac ædificatum est. *de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ao. 1510. 4. civitt. Regi Dan. bellum indicunt.

Anno 1510. Wandaliæ urbes, Lubeca, Roſtochium, Wiſmaria, Sunda & Luneburgum regi Danorum bellum indixerunt: Hamburgum etſi in eodem fœdere fuerit, ab hoc tamen bello abſtinuit. Lubecanæ 6. naves ad Geſſoer congreſſæ Danis quadraginta viros tormentis perdiderunt, & reliquis Hafniam fugientibus in reditu Langelandiam maxima parte incendio vaſtaverunt. Deinde ſedecim navibus reverſi Lubecenſes, Mœnam inſulam in pentecoſte occupaverunt, & incenſis aliquot pagis, ruſticisque in oppidum Steyke fugatis ducem ſuum Stotterbole in valli oppugnatione cum aliquot audaculis amiſerunt. Conſcenſis iraque navibus prope Helſchenoram tredecim naves raptas Travemundam miſerunt, ibique contra ſenatus mandatum moram traxerunt: Poſtea collectis triginta tribus Sundenſium Bornholm inſulam incendio deformarunt, & occiſis circiter quinquaginta viris cum ingenti præda Klekingiam afflixerunt. Deinde Lalandiam direptam pene totam flammis abſumſerunt, denique circa Michaëlis Suecos deducentes cum 6. navibus ad Bornholmiam cum octo regiis navibus confligentes, victoria potiti Danos in fugam verterunt, cogentes apprehendere Gotlandiam, qui Oelandiam commeatu juvare volebant. *Chr. Lubec.*

Danos fugant inſulasque eorum populantur.

Ao. 1511. Dorothea Lauenb. naſcitur. Danorum 40. naviculæ capiæ.

Anno 1511. Dorothea filia Magni Ducis Lowenburgi Saxonum nata eſt 19. Februarii, nupta poſtea Chriſtiano III. regi Danorum. *Chr. MS.* A. e. Lubecenſes quidam cives inſtructis celocibus ceperunt in mari Balthico quadraginta naviculas Danorum tribus vicibus, quarum aliquot mercibus onuſtas domum reduxerunt. Poſtea circa adſcenſionis Domini viginti naves regiæ Travemundam occupare & ſpoliare cogitabant, ſed in propoſito retardatæ ſunt, mutatoque conſilio ex portu Wiſmarienſi quatuordecim naves abripuerunt, & ædificia quædam uſque ad portas urbis flammis dederunt, mox Rugiam invadentes Sundenſium pagos abſumſerunt, quibus ultra octingentos Sundenſes occurrentes in fugam a Danis verſi ſunt, amiſſis cum aliquot viris, omnibus tormentis & decem circiter captis. Oelandiam vero deinde oppugnantes a ruſticis repulſi fuerunt. Veſpere vero S. Laurentii ſeptendecim Danicæ cum ſedecim Lubecenſibus ſub inſula Bornholm conflixerunt, in multam uſque noctem, Danis vero fugientibus, una cum ſexaginta viris & nobilibus aliquot inſula capta eſt multis utrinque interfectis. Denique circa Aſſumtionis Mariæ Dani cum viginti duabus navibus Lubecanos aggreſſi acri pugna toto die præliantes tandem in fugam conjecti prædam Lubecenſibus de Hollandis victis relinquere ſunt coacti. *Chr. Lubec.*

impetus eorum in Travemund. irritus.

Wismarienſes & Sundenſes ab illis affliguntur.

Dani a Lubecenſibus ap. Bornholm vincuntur inſula occupata.

iterumque ſuperati.

Ao. 1512. Johannes R. belli pertæſus fratris interceſſione cum Lubec. paciſcitur.

Anno 1512. Johannes rex toto hujus difficilioris belli tempore ſubtriſtior, miſſo Fioniæ Epiſcopo cum mandatis ſedulo petiit a fratre Friderico, ut cauſam hanc ſuam cum Lubecenſibus componeret, ſe fideliter exſecuturum, quæcunque pacta fuerint, qui injuriæ fraternæ haud memor ſpontaneum ſe præbens Flensburgi grave hoc & acre bellum (quale inter Danos & Lubecenſes antehac geſtum non fuit,) ita compoſuit, ut cives vetera ſua privilegia inviolata retinerent. Filium vero ſuum rex Johannes regem deſignatum ſæpius fideliter commonefecit, ut pacem ſedulo cum vicinis principibus & civitatibus maritimis coleret, ſubjiciens utiliſſimum ſibi fuiſſe, ſi patris ſui conſilio paruiſſet. *Chron. Holſ.* & *Lubec.* A. e. Maximilianus Cæſar in comitiis Colonienſibus prohibuit edicto, ne quis alterum urgeret bibendo. *Chr. MS.* A. e. rex Johannes poſt obitum matris Dorotheæ convenit cum fratre Friderico, qui ſine fructu abiit. Poſtea alius eſt Flensburgi indictus, ubi rex ab Holſatis poſtulavit, ut ſuo ſecundo filio Franciſco homagium præſtarent, quod ubi Holſati recuſarent, irritus & hic factus eſt. *Chron. Holſ.*

bibendi veſania ab Imp. abrogata.

conventus Flensb. binus inceſſum.

Anno 1513. Johannes rex Danorum obiit Aelburgi in Jutia anno ætatis 58, cujus filius Chriſtiernus ſecundus electus eſt rex Danorum, atque ſimul accepit hæreditatem patris ſui, in Sleſwici & Holſatiæ Ducatibus, mox vero ubi gubernacula regnorum apprehendit, ſpreta patris ſui fideli admonitione non ſolum cum Wandalicis urbibus, verum etiam cum propriis ſubditis contentiones & diſſidia excitavit, incitatus conſilio Siburgæ Hollandicæ feminæ, cui in omnibus actionibus uſque ad ſubverſionem ſui obtemperavit. *Chron. Holſ.* & *Lubec.*

Ao. 1513. Johanne R. mortuo Chriſtianus fil. ſucceſſor bella ubique ſpargit a pellice inductus.

Anno 1514. Chriſtianus rex poſt obitum patris vocavit Flensburgum Fridericum patruum cum Holſatis, & ab iis juramentum obedientiæ poſtulavit, quod dum quidam, etſi non omnes, præſtarent, quidam utrique principi jam obligati in conſiliarios inſuper electi ſunt. Alii vero nobiles privilegia ſua a rege confirmari voluerunt. Cum autem rex omnem diſputationem ſimpliciter rejiceret, reſponderunt; Holſatiæ nobilitatem tantam ſpem de regia majeſtate concepiſſe, ut vetera privilegia non modo Holſatis ſit conceſſurus, ſed ſicubi opus fuerit, clementer quoque defenſurus; ſe enim ex Comitibus Duces, immo ex Ducibus reges creaſſe. His autem rex perterrefactus reſpondit, ſe nihil alienum a legibus cogitaſſe, atque procuraturum, ut ipſis privilegia ſint ſalva. Cum tandem Holſati viciſſim promitterent, ſe more majorum ſuorum fidelitatem principibus ſuis ſancte ſervaturos, privilegia confirmata ſunt. *Chron. Holſ.* A. e. Anna conjux Ducis Friderici ex Brandenburgenſi familia obiit ſepulta in Bordesholm. *Chr. MS.*

Ao. 1514. Chriſtianus II. poſt aliquam diſputationem privilegia Holſatis confirmat.

Anna Frid. D. conjux obit.

Anno 1515. Fridericus Dux debita ſua in regno Daniæ reſtantia modeſte & humaniter a rege patrueli poſtulavit. Hoc tempore Angelus Arcimboldus Leonis X. Papæ legatus cum indulgentiis Romanis Lubecam veniens ingentem argenti vim ex vicinis regionibus & regnis corraſit; unde luxurians more principum vaſa & ſartagines argenteas ſibi fabricari fecit. *Bonnus.*

Ao. 1515. Fridericus D. ſibi debita a R. petit. legati pontificii indulgentiarum venditorus luxus.

Anno 1516. Chriſtiernus II. rex in uxorem duxit Eliſabetam ex regia Hiſpanorum ſtirpe Ducif-

Ao. 1516. Chriſtiani II. R. nuptiæ cum

Elisabetha Hisp. Ducissam Austriæ, sororem Cæsaris Caroli V. & patruum Fridericum Ducem Holsatiæ ad nuptias vocavit, qui in honorem patruelis multa nobilitate stipatus e Chilonio in Daniam navigans nuptias sua præsentia decoravit. *Chron. Holf.*

Ao. 1517. ejus liberi. Anno 1517. Christiano II. regi nascitur filius Johannes 6. pomerid. qui postea Ratisbonæ obiit. Genuit postea ex Elisabetha duas filias, quarum alteram Duci Mantuano, & post ejus obitum Palatino Friderico nuptum dedit per Carolum amitinum, alteram Duci Mediolani, & hoc decedente Duci Lotharingiæ tradidit.

cum Suecis ob tributa negata bellum capess. sens superatur. *Chron. Holf.* A. e. natum est regi novum bellum cum Suecis ex denegato tributo annuo, de quo a. 1509. sub gubernatione Domini Stenonis inter ipsos convenerat. Causam Sueci hanc prætenderunt, quod navis oneraria 120. lastarum referta pannis, armaturis & sale noctu a Danis ex portu Travemundæ abducta fuerit, nec dum restituta. Misit ergo rex naves aliquot cum Jutis rusticis & militibus in Sueciam ad defendendam arcem Archiepiscopi Steyke, sed ipsis Holmiam appropinquantibus D. Steno gubernator instructo exercitu occurrens victoria potitus est. *Chr. Lubec.* A. e. Dithmarsi in armis fuerunt metuentes bellum a rege, dum ipsi ex votis in Suecia non successerat. *Chr. Lubec.*

Ao. 1518. bellum irritum. Anno 1518. Christiernus II. rex cum a civitatibus Wandalicis Lubecæ congregatis impetrasset, quod mercatores suos a tota Suecia usque ad Pentecosten inhibere vellent, ipso die S. Petri & Pauli valido exercitu Sueciam terrestri itinere ingressus est. Sed cum commeatus ipsi deficeret, inducias fecit cum Stenone Sturen, datis utrinque obsidibus. Danis vero moram trahentibus, Sueci interim obsides, & in his Gustavus Erichson ad regem venere. Revocatis itaque illico ex itinere Danicis, Sueci in Daniam abducti sunt rege Hafniam revertente. *Bonnus.*(35) A. e. Worstenses subverterunt novam Archiepiscopi arcem Morgenstern & eam exusserunt in diœcesi Bremensi cum 1216. domibus. *Chr. MS.*

Wurstenses insurgunt adv. Archiep. Brem.

Ao. 1519. bellum episcop. Hildesh. & Ducum Brunsv. pugnaque Soltov. Anno 1519. conjunctio fuit planetarum Saturni & Martis in vigesimo sexto gradu Capricorni, quam secutum est bellum Episcopi Hildesheimensis cum Ducibus Brunswicensibus, quo anno Dux Lunæburgensis Ernestus cruenta pugna vincit Henricum juniorem Brunswicensium patruelem suum ad Soltow Luneburgensis ditionis & pestis simul per Germaniam ubique sæviit. A. e. Christianus II. rex præfecit classi suæ in bello Suecico Severinum Norbuen virum nobilem & bellicosum, eique Gothlandiam gubernandam commisit, qui satis felix fuit & Suecos ac Lubecenses summopere adflixit. Hoc e. a. Travena circa Lætare exundans ligna artificum congesta ante portas Lubecæ abstulit, & cellaria pan-

Classis Dan. præfecti fortuna.

Inundatio aliqua Lubec.

nificum & institorum replens ingens mercatoribus damnum inflixit. *Bonnus.* A. e. Gustavus Eriksen affinis Domini Stenonis evadens ex custodia Erici Eriksen in Jutia venit habitu bubulci Lubecam, ibique aliquamdiu absconditus fuit, dum rex litteris illum a senatu postulavit. Cum vero Ericus Erichsen sponsor regi pro Gustavo factus ipsum personaliter revocaret, detentus est a senatu usque ad judicium publicum. *Idem.* A. e. Christiernus rex Wandalicarum civitatum mercatores in Scania detinuit, deque singulis halecum lastis duos florenos tributum atque de bonis institorum vigesimam partem postulavit ex instinctu Siburgæ feminæ Hollandicæ. Conventum igitur Urbici agentes Lubecæ decreverunt, se nihil commeatuum de sale, lupulo aut cerevisia in Daniam advecturos esse, quod novis a rege exactionibus contra privilegia vexarentur, de quibus postea rex in die omnium Sanctorum se ad senatum Lubecensem excusavit, melioraque in posterum mercatoribus promisit. *Chr. Bonn.*

Gustavus a Davis fuga se surripit.

civitt. Vandalicarum indignatio ob Regis exactiones novas.

Anno 1520. Christiernus rex circa 3. regum validum contraxit exercitum, impetrans a patruo Friderico in subsidium maximam aulicorum partem cum Holsatis nobilibus, eumque ducens in Sueciam conflixit cum Stenone gubernatore, qui in crure vulneratus sclopeto mortem obiit die S. Blasii. Dux Fridericus vero Reynefeldæ agens per legatos circa Reminiscere cum Lubecensibus egit de pace & firma subditorum suorum securitate, quod metueret regem Wandalicas urbes ad bellum provocasse. Christiernus interim rex Sueciæ regnum armis subegit, cumque Suecorum privilegia juramento confirmasset die festo omnium Sanctorum in Stockholmia coronatus est, Holsatos vero nobiles residuos (quorum major pars cæsa fuerat) postquam integro anno regi militassent, stipendio privatos, & equis insuper armis & ocreis spoliatos pedestres patruo suo remisit. *Chr. Holf.*

Ao. 1520. Christianus II. tandem cæso Stenone ejusque exercitu fit Rex Suecia.

indigne egit cum Holsatis, qui ipsi militarant.

Anno 1521. Christiernus Danorum rex Suecia jam occupata, invitavit Episcopos & nobiles regni ad convivium, atque tertio die duos Episcopos, Dominum Matthiam in Strengenisse, & D. Vincentium in Schare, septuaginta prærerea nobiles multosque consules, senatores, capitaneos & cives captivari fecit, sub hoc prætextu, quasi pulverem tormentarium ad tollendum regem clam in regiam travissent, posteroque die in publico judicio in foro decollari fecit d. Nov. 7. eorumque corpora triduum inhumata relicta cum effossio tandem Suenonis Sturen gubernatoris cadavere concremari jussit. Duos insuper pueros nobiles capillis suspendi & septem sacerdotes submergi mandavit, quod contra regem arma cum rusticis sumserant. Qua tyrannide in regia Stockholmia contra factum jusjurandum & omnem æquitatem commissa Sueci

Ao. 1521. Sueci a R. deficiunt ob immanem ejus crudelitatem.

(35) Anno 1518. prodiit in publicum Sereniſſimi Domini D. Friderici, Daniæ Norwegiæ regis, Sleſwici, Holſatiæ, Stormariæ Ducis, Comitis in Oldenburg & Delmenhorſt ad Chriſtiernum patruelem reſponſio 4to. vid. *von der Hardt Tom. 3. autograph. Luth. & coætan.* 8vo. *p.* 18. *de Weſtphalen Monum. ined. Rer. Germ.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Lubecenſes Guſtavum in Sueciam reducunt.

Sueci commoti mox a rege defecerunt. Lubecenſes quoque cum rex præter compromiſſum mercatores civitatum novo telonio aggravaret, Suecis auxilia decreverunt, & poſtridie aſcenſionis Domini ex Travena ſolventes Guſtavum Erici in Sueciam miſerunt, qui in gubernatorem regni electus eſt. *Bonni Chr.*

Chriſtianus III. frequentat aulam Brandeb. hinc comitia Wormat.

A. e. Fridericus I. filium ſuum Chriſtiernum III. una cum morum ejus inſpectore & actionum gubernatore Johanne Rantzovio equite aurato miſit in aulam Joachimi Electoris Brandenb. cum quo ad conventum Germanorum principum Wormatiam profectus eſt, ubi publicam & conſtantem repurgatæ doctrinæ confeſſionem audivit a D. Luthero Germanorum Apoſtolo factam 17. Aprilis coram Cæſare & Electoribus ac cunctis imperii ſtatibus. Cum vero Monachus in templo concionem haberet, atq; forte procumberet, animadvertit Chriſtianus princeps funem procumbentis per rimas ſuggeſti ex aſſeribus conſtructi pendentem, & exoſus inſuetas has ineptias funem nodo alligavit, ne monachus reſurgere poſſet, cumque monachus Cæſarem inclamaret, nodum continuo ſolvens concionem finire permiſit, & Marchioni ſuo mox factum aperuit, ut Cæſari indignabundo id patefaceret, ne alius forte facti inſons ejus inſimularetur atque ſibi ſimul venia impetraretur. *Manlius.*

monachum deludit.

Johannes ſen. natus.

A.e. Johannes Friderici I. Ducis Holſatiæ filius natus eſt Sleſwici Jun. 28. ex Sophia Bogislai Ducis Pomeraniæ filia. *Chr. MS.*

Ao. 1522. Rex bellum intentans Lubecenſibus Holſatos fruſtra ſollicitat; conventus hinc agitati.

Anno 1522. Chriſtiernus rex Lubecenſibus bellum inferre volens, armata militum manu in Holſatiam venit & Flensburgi caſtra fixit, ducemque Fridericum, atque totam Holſatiæ nobilitatem Stenderopoviam vocavit, quo cum rex appropinquaret, milites ſuos in ſtationem, quaſi cum hoſte confligendum ſit, ordinavit. Dux vero Fridericus conſueto more in quadriga advectus, aulicis aliquot in equis venaticis ſubſequentibus Stenderopoviam properans, regem armatum tranſito ponte quatuor aut quinque nobilibus comitatus in domo reſidentem convenit, qui proponens ſe habere, quod cum patruo & nobilitate ſerium agat, reſpondit Dux, non adeſſe nobilitatem integram, & locum eſſe provinciali conventui inſolitum: petere igitur, ne rex ægre ferat, ſe absque illorum conſenſu nihil certi agere poſſe. Cum autem de vocandis omnibus nobilibus in Levenſow inter ipſos conveniſſet, utrinque eſt diſceſſum. Dux autem Fridericus nobiles ſuos mox Gottorpii ad convivium invitavit, ubi decreverunt ſeſe eodem habitu armatos ſicut Dani fecerant Chilonium intraturos & Ducem ad Levenſow comitaturos. Cum vero Dux graviſſimis de cauſis, & quod rex cum ſuis aulicis non in habitu patrui & amici, ſed potius hoſtis acceſſerat, domi maneret, filium Chriſtianum Ducem cum nobilitate ad comitia ablegavit. Exeuntes autem Chilonio nobiles capiſtra equorum ſuorum de præſepiis non ſolverunt, hoc conſilio, quod ſi regii ſoluto conventu oppidum ſimul ingredi cuperent (ut timebatur) objicere illis poſſent, ſe capiſtra ſua nondum ſolviſſe, ideoque inconſultum & difficile fore hoſpitia ipſorum occupare. Accedentes vero ad regem Chriſtiano Duci rex manum porrexit ejusque pugionem extrahens dixit: Domine, an tu quoque armatus es? vocaverat etiam rex quosdam conſiliarios & Doctores Marchionis, ut forte per illos Holſatis difficiliora, quæ cuperet, perſuadere poſſet. Convocatis porro buccina militibus Friderici Ducis abſentiam primum Holſati excuſarunt. Unde rex conjecturam fecit, Holſatos hoc animo conveniſſe, ut ſi diſplicentia poſtulentur ſe recuſaturos conſtituerint. Mandavit itaque Johanni Rantzovio hanc ſuam voluntatem illis proponere. Notum eſſe omnibus, regiam majeſtatem cum Lubecenſibus graviter diſſidere: cupere ergo, ut tam conſilio quam fideli opera ſibi ſuccurratur. Deliberatione habita, Holſati per Henricum Rantzovium reſponderunt: Se non teneri regni Danici hoſtes in caput ſuum provocare, cum de his rebus nihil ſibi ſit communicatum. Difficillimum præterea fore, ſi cum vicinis Lubecenſibus aperto bello committantur ſummo cum ſuo periculo; atque hoc modo in perditione ſua regi nec opera nec conſilio prodeſſe poſſe: Petere igitur ſimpliciter, ut hæc æquo animo accipiantur & candide perpendantur. Diſſoluto conventu rex Gottorpii pernoctavit; Holſati Chilonium redeuntes, Duci ſuo regis poſtulata patefecerunt. Gottorpio rediit Rensburgum, ubi Marchio cum legatis Cæſarianis ad ipſum acceſſit. Litteris deinde miſſis rex a Friderico Duce petiit, ut ſuos conſiliarios Flemmehudam mittat, ubi mox cum regiis collocuti decreverant, Principes perſonaliter convenire debere Bordesholmii, ut de republica ipſi inter ſe conſulterent. A. e. Travemunda oppidum in profeſto S. Baptiſtæ usque ad prætorium conflagravit, cum quinque navibus bellicis optime inſtructis: unde Lubecenſes non exigum fecere detrimentum. Lubecenſes porro claſſem bellicam navium tredecim magnarum & quatuor celocium præter naviculas adjunctas contra Chriſtiernum regem expediverunt 3. Aug. quibus ſeptendecim Suecicæ & Sundenſes conjunctæ Bornholmiam inſulam Archiepiſcopi Lundenſis invaſerunt arcemque vi ceperunt. *Bonnus.* A. e. Chriſtiernus ſecundus rex & Fridericus patruus Dux Holſatiæ per mediatores principes Joachimum I. Electorem, Albertum Ducem Megalopolenſem & Henricum Epiſcopum Raceburgenſem in cœnobio Bordesholmii tranſactione de controverſiis ſuis in hæc capita fecerunt: 1) Chriſtiernus rex privilegium a Carolo V. Cæſare affine ſuo de coadunatione Ducatus Holſatiæ cum regno Daniæ impetratum antiquabit & caſſabit. 2) De quatuor articulis, in quibus Dux Fridericus ſibi regem ſatisfacere petit, nempe de ſua hæreditate in Norwagia, de debito redituum ſub tutoria poteſtate a rege Johanne, nomine fratris acceptorum, de debito centum millium florenorum pro fratre Johanne ſolutorum, deque bonis dotalibus ſibi ex regno Danorum ut filio regio nondum traditis finaliter ſine ulla

Travemunda incendio conſumta.

Claſſis Lubec. Sueecis conjuncta Bornholmium inf. occupat.

Rex atque Dux per arbitros tranſigunt.

Conditiones recenſentur.

ſup-

ſupplicatione vel partium appellatione judicabunt arbitri 23. in præſentia regis & Ducis. Debitum vero patris Johannis ſcilicet 1100. marcarum rex ad proximum Antonii Friderico patrueli ſuo ſolidis Lubecenſibus ſolvet bona fide. 3) Nullus Holſatorum præterea aut Ducatus Sleſwicenſis ſubditus in jus citabitur extra provinciam, in qua habitat, nec coram Danico ſenatu reſpondere tenebitur. 4) Rex Chriſtiernus privata jurisdictione ſuos cives, ruſticos & ſacerdotes, ſimiliter & Dux Fridericus ſuos, ſententiamque judicii alterius alter ex equi & confirmare debet. 5) Nobilitatem vero & prælatos ſimul in genere gubernabunt, & judicabunt, quia in partitionem non venerunt: in abſentia unius principis ratum erit, quicquid conſiliarii alterius adhibiti ſimul decernerent, excepta appellatione Holſatorum ad Cæſaream majeſtatem. 6) Judicia ubique in Holſatia juxta veterum ſtatuta & ſpeculum Saxonicum pronunciabuntur: in Ducatu vero Sleſwicenſi ex codice legum Jutico a Waldemaro rege promulgato, & juxta privilegiorum tenorem. 7) Appellatio fiet juxta morem conſuetum, ſervatis tamen illæſis utriusque Ducatus privilegiis. 8) Viæ publicæ mercatoribus & aurigis verſus Segebergam, Trittow & Oldeslo liberæ erunt. 9) Dux Fridericus remittit patrueli damnum in equis & armis in Suecia acceptum & per ſe ſolutum. Hæc ſancte ad poſteros ſervanda, tam a rege quam Duce patruo utriusque ſigillo confirmata ſunt cum ſigillis pacificatorum D. Marchionis Electoris & Principum Megalopolenſium, Bordesholmii die Mercurii poſt Laurentii. *Chr. Holſ.* A. e. Chriſtiernus rex poſthabitis actis Borsholmianis ſancte obſignatis abiit cum regina ex Hafnia in Belgium relicto Danorum regno. *Chr. Holſ.*

Chriſtianus II. R. Daniam relinquit.

Ao. 1523. Sueci cauſas defectionis a Chriſtiano II. bellique manifeſtant.

Anno 1523. Sueciæ proceres electo in gubernatorem regni Guſtavo Erici, cauſas defectionis ſuæ a Chriſtierno II. publicarunt ſcripto ad omnes Chriſtianos imperatores, reges & principes, atque regem multiplicis tyrannidis tam in occupando per vim regno, quam in gubernando, nefariæ perfidiæ, injuſtitiæ & crudelitatis accuſant, eique bellum palam indicunt. Danici regni ſenatores poſt diſceſſum regis Chriſtierni ex Jutia legatos miſerunt Huſum ad Ducem Fridericum, atque patefacta Danorum adflictione auxilium ejus implorarunt, imo ſi defendere regnum velit, promiſerunt, ſe viciſſim in honorem & promotionem ipſius vitam & fortunas ſuas impenſuros eſſe Paulo poſt omnes regni ſtatus defectionis ſuæ a Chriſtierno & electionis Friderici Ducis cauſas ſimul evulgato ſcripto patefecerunt, incuſantes illum de graviſſimis delictis, ſuperbia, avaritia, crudelitate, deque ſtupratione virginum & matronarum, atque in primis de adulterio cum Duveke filia Sibrechtæ Hollandicæ, cui præ regni conſiliariis honorem & gubernacula Daniæ contulerit. Deinde quod Annam Holgerſen gynæcei dominam adulterium ipſius reginæ indicantem dignitate & bonis privatam regno ejecerit. Quod Torbernum Oxium inſimulatum a Sibrechta, quaſi filiam ſuam veneno ſuſtulerit, atque a ſenatu regni innocentem inventum, & judicio juſtificatum decollari nihilo minus fecerit. Quod contra juramentum regium, & præter ſenatus regni conſenſum ſeptennale bellum cum Suecis ſuſcitaverit & ſopitum tandem immani in Suecos crudelitate & impietate ac perfidia renovaverit. Quod monetam cupream regno & ſubditis contra leges obtruſerit. Quod Epiſcopos Lundenſem & Fionenſem, & de Anslo in Dania & Drontheimenſem in Norwagia Epiſcopatu dejecerit ſibique Eccleſiæ bona rapuerit. Quod Magni Tomeſſen equitis honeſtiſſimi & pientiſſimi cadaver effoſſum Arhuſii in publico foro ad ignominiam Danicæ nobilitatis ſuſpenderit, bonaque cuncta viduæ rapuerit. Quod non ſolum eccleſiaſticas, ſed & nobiles virgines & matronas novo telonio onerarit, deque ſingulis inſuper incolis tam pauperibus quam divitibus duos florenos quotannis tributum exegerit. Quod nobiliſſimum equitem Canutum Cnutzen Norwagium ſuſpectum ſibi & Ducem Danicorum militum Stephanum de Weberſted ob vulneratum in quodam ganeo militem, Camerarium quoque reginæ ſuæ ad Cæſarem ablegatum deque via revocatum crudeliter decollarit. Quod militem extraneum ad oppreſſionem ſubditorum contra leges in regno diſpoſuerit. Quod denique nullum ex conſiliariis ad gubernationis conſilia admiſerit, ſed quaſi ignavos & inutiles repudiarit. Quod ſenatus item regni libertatem antiquare & filiis regnum hæreditarium relinquere conatus ſit, palam comminatus, ſe Danis privilegia ita ratificaturum, ut minus ſint gaviſuri. Unde prudentes conjecerunt, regem cum Danis Suecicum convivium celebraturum, quod ſimul judicii diem nobilitati in Arhuſia indixerit, & fama ferat duos carnifices ipſum ſub veſtitu ſatellitum ſuorum ad hunc diem deſtinaſſe, qui dicto repugnantes ferire debeant. Quas ob cauſas omnes juſtiſſimas ipſum regia dignitate privarint. Fridericum autem Ducem Holſatiæ idcirco ſeſe in locum Chriſtierni II. elegiſſe, quod in diuturna & Chriſtiana gubernatione virtutes principe dignas, modeſtiam & juſtitiam ſubditis ſuis ab initio principatus ſui demonſtraverit, & quod ex regia proſapia Danorum ortus ante omnes alios jus & dignitatem regiam ſibi vindicet, quod denique hæreditariam ex regno portionem nondum impetrarit. *Chr. Holſ.* A. e. Fridericus Dux Holſatiæ fidelium conſiliariorum & præſertim D. Johannis Rantzovii magiſtri palatii ſuaſu commonefactus, ut oblatam provinciam regiam ſuſciperet, ne alioqui tota ſua illuſtris familia a regno Danico deturbaretur, conſenſit in voluntatem & petitionem Danorum, litteriſque ad Duces Electores, principes & omnes Germaniæ ſtatus emiſſis graviſſimas ſuſcepti belli in patruelem ſuum Chriſtiernum rationes ſubſequentes palam fecit. Cum rex Chriſtianus I. morte decedens teſtamento ſuo Fridericum juniorem filium

Fridericus I. a Danis in auxilium vocatur, Rexque eligitur evulgatis cauſis defertionis Chriſtiani earumque ſumma.

Fridericus cauſas belli ſuſceptique regni publico exponit.

præcipua earum momenta.

filium hæredem Ducatuum Sleſwici & Holſatiæ fecerit, & rex Johannes contra teſtamentum patris meliorem in his ſibi partem cum tutela fratris & integro Norwagiæ regno atque ingenti ſumma pecuniarum rapuerit, nec unquam reſtitutionem facere aut cognitionem legitimam admittere voluerit; filius quoque ejus Chriſtiernus II. exemplum patris non ſolum in negata legitima hæreditatis portione & debitorum ſolutione ſecutus, ſed minis inſuper additis contra datam fidem apud Romanorum Cæſarem egerit de abalienatione feudi Holſatici a Romano imperio, utque Holſati ſervitute Danis ſubjecti a rege Danorum feudum ſemper accipere teneantur. Id Epiſcopis, Prælatis, Nobilibus & incolis Holſatiæ recuſantibus præter varios ſuper hoc negotio conventus Dux ipſe regem Coldingæ adiit experens amice & humaniter cum ipſo transigere, ſed rex infecta re tempore nocturno contra fidem publicam patruo ſuo patibulum ante hoſpitium erexit; unde non ſolum animus ejus crudelis patefactus, ſed controverſia in dies deterior reddita eſt. Intercedentibus vero principibus Marchione Joachimo, Duce Alberto & Epiſcopo Ratzeburgenſi, inque certas formulas Bordesholmii rem componentibus, rex his poſthabitis privilegia Holſatorum ex patefacta cærulea turre arcis Segebergenſis per commiſſarios abſtulit, & quæ ante 400. annos principibus omnibus Holſatorum donata fuere a Cæſaribus & regibus ibique bona fide adſervari debebant, in alienas regiones transtulit. Ad hæc certus rumor periculum Duci & conſiliariis ejus denuncians manifeſti belli cauſam dedit. *Chr. Holſ.* A. e. Lubecenſes cum conſortibus ſuis Ducem Fridericum Plœnam litteris vocantes fœdere icto promiſerunt, ſe bellum cum Duce communi ſorte adverſus Chriſtiernum geſturos, atque naves, milites & pulverem bombardicum adminiſtraturos eſſe. Ut vero omnibus conſtaret legitimum bellum eſſe, cauſas has edito die lunæ poſt Invoc. ſcripto evulgarunt. Quod Chriſtiernus rex pacem inter regnum Daniæ & Lubecam a patre ſuo ſancitam publicis rapinis, teloniorum translatione exactionumque varia innovatione per Sibrechtam multoties diſruperit, & urbem Cæſaream Romani imperii fulcrum ſub jugum regni Danici redigere conatus ſit. *Chron. Holſ.* A. e. Fridericus Dux Holſatiæ & electus rex Danorum firmum exercitum ex ſubditis colligens Jutiam aggreſſus eſt. Chriſtiernus vero rex etſi delectum exercitum in Fionia haberet, ſub Ducibus Erico Comite de Hoya, & Georgio de Horden, deinde Hafniæ in Selandia Danielem de Bothen & Georgium Hohmuth, atque in Gotlandia inſuper non contemnendam militum manum: audito tamen patrui ſui adventu hoſtili perterrefactus eſt atque mox navibus omnibus inſtructis & repletis theſauro & cimeliis, quæ in promtu erant, aſſumta regina & liberis matreque Sibrechta ob metum militum in ciſtam incluſa ex regno diſceſſit. Curaverat autem in ſingulis oppidis & pagis patibula erigi in foro publico, quæ Dux Fridericus rurſus tolli mandavit. Ordinatis porro Eyderſtadianis in mari Balthico prope Meldefordam ad prohibendum tranſitum regiis militibus ſingulas Jutiæ civitates occupavit, atque ab incolis libertatem a tyrannide deſiderantibus cum gaudio eſt ſuſceptus. Et cum Wiburgi ſub dio juramentum accepiſſet, Coldingam rediit; ubi Comes Ericus ac Georgius de Horden Capitanei ſalvum decedendi conductum a Duce petiverunt & impetrarunt. Transfretans poſt in Fioniam omnes innovatas leges abrogavit & vetera regni ſtatuta confirmavit, ideoque inſulani ſub aperto cœlo juramentum ipſi Othoniæ præſtiterunt. Acceſſerunt hic Duci Lubecenſium milites 2000. & equites 200. Duce Comite Joanne Hoyenſi, & quos præterea Dux ex aliis regionibus conſcripſerat. Cohors Geldrenſium militum, qui ſub Comite militarunt, ad Ducem conceſſit. Lubecenſium naves juxta quod convenerat, Nuburgum appulerunt, quibus aliis Danicis conjunctis, milites omnes altera poſt Trinitatis feſtum ſunt transportati in Selandiam. *Chron. Holſ.* A. e. Dux Fridericus cum exercitu in Selandia conſiſtens hoſtemque non deprehendens biduum quievit; deinde caſtra duxit Anderſchovium & Ringeſtadium atque tandem pervenit Roſchildium, ubi aliquot diebus moram trahens præfectos urbium & arcium ad ſe vocavit ſibique illos juramento adſtrinxit, exceptis Hafnia & Callingburga, in quæ præſidia hoſtes ſe recepe-rant. Præfectus arcis Callingburgi Claus Erickſen perſuaſus ab Holſatis arcem inſciis Germanis militibus præſidiariis Duci tradidit. Fune enim trochleæ adaptato quinquaginta Ducis milites in turrim Valen attraxerat, antequam ſuis innoteſceret; unde cognomen Slepslot acquiſivit. Trajiciens deinde in Scaniam & exercitum in obſidione Hafniæ relinquens, nobiles illius provinciæ, oppida, arces & pagos ſibi conciliavit, inque deditionem per juramentum perſonaliter accepit, excepta ſola Malmogia. Ne vero hoſtis inde eruptione facta damnum dare poſſit, præſidium ſuum cum Scaniæ incolis Londino intulit, inque caſtra Hafnienſia rediit. Dimiſerat rex Sueciæ circa id tempus aliquot milites, qui Duce Petro Paltino Scanienſibus conjuncti ſunt. Ruſtici vero Selandici ſeditionem moverunt, quæ non ſine ingenti damno tandem ſedata eſt.

Anno 1523. tempeſtas horrida imbribus & tonitru deſtruxit pagos & arbores in Octobri. *Chr. MS.* A. e. rex Chriſtiernus ſecundus, contracto ab Electoribus & aliis principibus tam copioſo exercitu, quantus in Germania hactenus inauditus fuerat, dicebatur appropinquare ut regnum amiſſum recuperaret; quapropter civitates utriuſque transalbini ducatus per legationem demiſſe Duci ſupplicabant, ut dignaretur perſonaliter accedere, & tantæ potentiæ ſeſe opponere. Fridericus vero, qui in caſtris Hafnienſibus militi promiſerat, ſe exercitum nequaquam dimiſſurum, ſed fortunam qualemcunque ſimul experturum, datam

Lubecenſium rationes belli adv. Chriſtianum ſuſcepti fœderisque cum Friderico.

Friderico cum copiis adventante Chriſtianus cum ſuis aufugit.

Frid. regnum occupat.

præfectos juramento obſtringit.

Callingburgam capit.

Hafniam obſidet. Scaniam occupat.

Ruſtici Selandici tumultuantur.

Ao. 1523.

Chriſtierni apparatus bellicus & copiæ adductæ.

dum Fridericus occurrere parat, dissipantur.

datam fidem implere volens trajicere in Holsatiam renuit. Tandem a militibus tamen persuasus, filium suum Christianum & Johannem Ranzovium equitem summos castrorum duces creavit & transfretavit. Pertingens vero in ducatus suos, vocavit ad arma omnes & singulos subditos suos, & cum exercitu circiter 8000. virorum Grandersheydam profectus est. Christianus II rex de hac Holsatorum expeditione certior factus, exercitum suum lectissimorum equitum dimisit, cum jam Perlebergam ad Albim usque accesserat: quod sine dubio singulari Dei dispositione factum est, quam Dux Fridericus in hac & aliis expeditionibus antecedentibus pie agnoscens dicere solitus est: Se Domino Deo, regi regum, defensionem sui & suorum permittere. Persuasum enim sibi esse, cum a Deo mirabiliter ad regnum Danorum vocatus sit, ipsius quoque dextra protegente se contra omnem vim hostium tutum futurum. Pacata itaque discessu regis Christierni Holsatia Dux in Daniam rediit, sed hiemis inclementia ante mare Balthicum retardatus Nuburgum usque processit, ibique hiberna egit. Classis vero Danica regem Christiernum cum suis reducere volens, Helschenœram appulit, proditaque per fugitivum Capitaneis Ducis, quod inermis esset & commeatu destituta, capi facillime poterat, nisi Lubecensium nauclerus abiisset.

Ao. 1524. Hafnia tandem tradita.

Anno 1524. Fridericus Dux Holsatiæ Nuburgi transitum maris exspectans, certior factus est per Johannem Rantzovium equitem & Jodocum Bock de pacificatione cum civitate Hafniensi in deliberationem proposita, quam cum Dux comprobaret, tradita est in potestatem ipsius cum omnibus in ea contentis d. 6. Jan. cum plus integro anno fame pressa ab esu felium & canum cives non abstinuerant. Milites mox egressi stipendia sua acceperunt: quæ autem de aliquot mensibus restabant Luneburgi per Johannem Rantzovium, Archium de Cramb & Melchiorem Rantzovium numerabantur, buccina per omnes plateas milites convocante. Ubi accessit quidam de unius mensis stipendio conquerens, id cum numeratum esset ipse a tribus his commissariis inebriatus domumque deportatus, salario pectori imposito hospitæ commendatus est. *Chr. Holf.* A. e. Stockholmiæ Sueciæ cum portarum clavibus tradita est legatis Lubecensibus Bernhardo Bœnhower, & Hermanno Plonnies, qui mox urbem reddiderunt Gustavo Ericksen gubernatori in regem Suecorum electo, die Joh. Baptistæ, atque illo tempore Sueciæ regnum ab unione cum Dano post 130. annos divulsum est. *Bonni Chron.* A. e. Severinus Norbue nobilis, præfectus Christierni regis in Gothlandia ablegato cum obsignatis litteris Dethlevo Seesteden ad Ducem Fridericum se cum toto suo exercitu in obsequium ipsius commendavit, sed nihilominus classe interim adornata Scaniam Severinus invasit: Quam perfidiam Dethlevus cum sociis detestatus litteras Ducis adjuncto cereo ardente imposuit altari, relictoque equo & armis transfretavit. Severinus vero cum Capitaneo suo Ottone Stigessen omnia nobilium prædia diripuit & incendit, rusticos quoque ad defectionem a Duce persuasos expugnato prius Landeskrone oppido, Helschenoram obsidere coëgit. Nobilitas autem Scanica cum duobus signis militum Malmogiam occupavit, Duce Reinholdo Heyderstorfio, implorans in his angustiis cum oppidanis vicinis auxilium Friderici Ducis, qui habito mox cum civitatibus Wandalicis conventu Segebergæ impetravit aliquot Lubecensium naves ad transvehendum militem in Daniam, commissoque hoc negotii Johanni Rantzovio cum duobus signis militum circiter trecentos viros complectentibus in Selandiam ipse pervenit, ibique cum nobilibus insulæ habito consilio decrevit Scanienſibus subvenire, transitaque difficulter Hafnia Malmogiam omnes appulerunt, ubi ab oppressis magno cum gaudio sunt accepti. Milites præsidiarii ad nongentos salarium postularunt, quo ex parte soluto, cum jam omnis commeatus deficeret, in campum prodierunt, atque periculum suum, quod aut vincendum aut moriendum esset considerantes, maluerunt cum hoste confligere, quam fugam capessendo provinciam & regnum ad defectionem a Duce prostituere. Instructa autem acie per Johannem Rantzovium & Tuckonem Krabben, exercitus Ducis continuit 1300. viros, inter quos 300. fuerunt equites Dani, qui Londinum ad hostem profecti dum rivum transirent tormenta bellica madefacta exonerare & de novo instruere coacti sunt. Londino vero appropinquantibus hostis ex oppido effusus aciem suam in campo distribuit (intra quandam munitionem ex quadrigis factam ex Suecia advectam) militum 8000. ex Germanis & Danis equitibus atque militibus, civibus, & rusticis, quorum dux fuit Mauritius illegitimus de Oldenborgo. Congressi primum tormentis ubi fuissent, circiter horæ dimidium, Severinianorum ictus incassum fuerunt. Ducis vero tormenta multum damni dederunt, directa in patentem munitionis locum; unde equites egredi solebant, sublatoque signifero hostium in munitionem insilientes tam equites quam pedites in fugam propulere: atque tandem potiti victoria, per divinam assistentiam 3000. perfidorum rusticorum, & militum 1500. occiderunt, atque captivos 500. Duci Friderico in Holsatiam miserunt. Duo centuriones Ducis Johann Kindelbrück & Sebastian Frölich cum non paucis militibus ceciderunt. *Chr. Holf.* A. e. Planetarum plurium conjunctiones fuerunt in Februario in piscibus, quas secuta est exitialis illa seditio in Germania, qua quatuor mensium spatio perierunt centies mille rustici a. 1525. circa Pascha. *Chr. MS.* A. e. Worsatia provincia Saxonica ad Albim ab 8000. militibus expugnata est, & exspoliata d. 10. Aug. *Chr. MS.* A. e. Severinus de Norbue cognoscens in obsidione Helschenoræ cladem suorum sociorum castra movit ad Landeskronam atque præter bis mille rusticos ad se deficientes recollegit quoque equites & milites fuga elapsos.

Holmia Gustavo tradita.

Severini Norbue perfidia & violentia,

quam Detlevus Seesteden ejus socius detestatur.

Frid. Rex Scanienſibus oppressis Lubecenſium ope usus succurrit.

cum hostibus & factiosis confligens victoria potitur.

Worsatia prov. directa.

Otto Stigessen cum rusticorum seditiosa manu oppressus. Landskrona obsessa.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

elapsos. Ducales insecuti obsederunt oppidum sperantes novam militum manum a Duce, quæ cum tandem post octiduum obsidionis elapsum adventaret, uno die quievit. Nocte autem intempesta nunciatum est, Ottonem Stigessen adventare cum 12000. rusticis ad ferendam opem obsessis, & castra hostium obruenda, quibus ante exortum auroræ Ducales occurrentes, invenerunt rusticos in merica ante silvam eosque animose aggredientes multos occiderunt. Dux illorum Otto fugam capessens hosti rusticos exposuit, reliqua pars in silvam regressa a militibus circumdata atque fervore victoriæ (sine certa tamen spe salarii) lacessita fuit: cum vero repugnando fortiter milites depellerent, nobiles Dani pro salute eorum interpellantes rusticos evocatos compulerunt ad renovanda Friderico Duci fidelitatis sacramenta, & ad jugulandos auctores seditionis & tradendum Ducem Ottonem Stiegessen, quem cum paulo post in castra adducerent exercitus mox ad obsidionem Landskronæ est reductus. *Chr. Holst.*

An. 1524. Henr. Zutphanensis martyrium.

An. 1524. Henricus Sutphanensis discipulus D. Lutheri ejectus Antwerpia a Papistis Bremæ biennium evangelium docuit rogatus. Inde vocatus a Meldorpiensi pastore ad jaciendum fundamentum evangelii in Dithmarsia hac conditione, ut post menses duos revertatur, paret: sed Prior cœnobiii Meldorpiensis Augustinus Torneborch & M. Johannes Schinke vicarius officialis, mox sequenti die, post quam advenerat, abs 48. gubernatoribus mandatum impetrant, quo Pastori imponebatur expellere Henricum. Ille vero edoctus a pastore vocationem & dimissionem ministrorum ex communi incolarum decreto non esse senatus, sed uniuscujusque parochiæ; respondit se mansurum, donec ecclesiæ placuerit: sin Deus velit se mori in Dithmarsia, cœlum hic æque propinquum sibi esse atque alibi, oportere enim semel suum sanguinem propter Dei verbum effundere. Habitis igitur duabus concionibus Dominica secunda adventus, populus decrevit Henricum pro suo doctore defendere, missisque nunciis gubernatoribus Heydæ suam voluntatem de Henrico & quod verbum Dei pure doceret sine ulla seditione significarunt, atque totius terræ senatum appellarunt. Cumque aliis tacentibus unus seniorum responderet, cum in omnibus fere regionibus de fide Christiana sit contentio, se rejicere hoc negotium ad proximum concilium: nec esse prohibituros, si quis verbum Dei hactenus obscure traditum docere clarius possit; seditionem vero omnem se prohibere. Legatis reversis & bonam de compositione spem facientibus, Henricus iterum binas conciones die S. Nicolai, & alias binas die conceptionis Mariæ de genealogia Christi & fide S. patrum habuit, in summa admiratione populi pro hoc eximio Doctore Deum celebrantis, & Henricum ut festum natalitium secum complere velit impense obsecrantis. Prior vero cœnobii cum Doctore Wilhelmo ordinis prædicatorum profectus Londinum, ibique cum fratribus minoribus consilia capiens persuasit primoribus Petro Schwin & Petro Nannen, consultissimum esse capere Henricum, antequam toti populo innotescat & ipse se defendere possit. Convocatis itaque aliquot audacioribus ex præcipuis pagis in Neoecclesiam, decreverunt in domo M. Guntheri secretarii, se 10. d. Decembr. Hemmingstadii conventuros, quando campana ad ave Maria convocaret. Horum ducum auctoritate convenerunt quingenti rustici, qui de negotio hoc tum primum instructi, cum homicidium tam dirum aversarentur & abire pararent, coacti sunt sub pœna capitis procedere, & tribus cervisiæ Hamburgensis tonnis mox evacuatis, facti animosiores Meldorpium hora noctis 12. venerunt. Monachis sanguinariis facibus mox viam monstrantibus, proditore dato Henningo Hans rustico in ædes pastoricias ducuntur, ubi confracta omni supellectile atque auro argentoque direpto, pastorem armis aggressi inque platearum cœnum detrusum ut conterraneum demittunt. Fratrem vero Henricum nudum ex lecto raptum & fustibus dedolatum manibus in tergum reflixis vinciunt, & hinc inde rotatum tradunt Balcke Johanni ducendum, qui eum per glaciem nudis pedibus magis traxit, quam duxit Hemmingstadium, ubi vulneratus pedibus & lassus, cum equum peteret, indignis cachinnis ut hæresiarcha exceptus fuit, crudeliter ulterius pertractus atque Heydæ in cellarium Pastoris Reymari Hozeck inclusus. Hora deinde octava frequentes in foro consuluerunt, quod facto opus esset. Ebriosi tum clamarunt, ad ignem, ad ignem; hoc opere Deum demerebimur: moriendum ipsi est, ne plures seducat. Voce igitur præconis omnes, qui Henricum ceperant, jussi sunt armati ad rogum exire, quos monachi accurrentes collaudarunt, quod negotium pium jam conficerent. Assumtum ergo Henricum & ligatum collo, manibus & pedibus ingenti cum clamore ad rogum deduxerunt, quem cum quædam matrona in foribus januæ astans amare defleret, consolatus est eam Henricus. Attingens porro locum supplicii desedit humi præ infirmitate, ad quem accedens Schosser Maes condemnavit Henricum ad ignem, ut doctorem contumelioſum in Mariam & fidem Christianam, idque ex potestate Domini sui Episcopi Bremensis. Henricus autem respondit: hoc ego non feci; sed fiat Domine voluntas tua; elevatisque in cœlum oculis dixit; Domine, remitte illis; nam nesciunt, quid faciant. Nomen tuum solum est sanctum, o cœlestis pater. Prodiit mox in cœtum populi pia Nicolai Jungen conjux Nanna Meldorpii habitans, quæ corpus suum ad flagellationem obtulit, ut furor populi deferbeat, atque daturam se insuper promisit mille florenos, ut Henricus tantum asservaretur in proximum Lunæ diem, quo totius populi judicio hoc supplicium subeat. Illi vero magis commoti feminam pedibus conculcarunt atque martyrem Christi verberibus exceperunt, alius pugione, alius malleo caput ejus petendo; alii vero toties tergum,

tergum, latera & brachia illius tundebant, quoties sermonem ordiebatur: quos M. Guntherus exhortans clamavit, huic operi propitium adesse Deum. Rogus interim sæpius incensus frustra fuit, & martyr Domini multis ictibus cuspidum & bipennium affectus inque hac mora circiter duas horas nudus in lineo indusio elevatis in cœlum oculis stare coram agrestibus coactus est. Tandem ingenti illum scalæ alligarunt in rogum projiciendum, & cum inciperet fidem suam confiteri dato quidam colapho dixit: Comburi ipsum prius oportere, & postea lectionem legere. Alius videns tot vulneribus mortem non accelerari in pectus ipsius prosiliens collum adeo fortiter scalæ alligavit, ut sanguis ex ore & naso erumperet, erectaque scala quidam bipennem militarem admovebat, quæ devoluta a tigillo medium martyrem transfixit, atque sic in rogum projectus, scala ad latus delapsa est. Accurrit denique Johann Holm atque malleo tamdiu pectus ipsius contudit, donec movere se desinens moreretur. Postea super prunas corpus assatum est, flammam rogo non concipiente, quo enormi latrocinio Dithmarsia sanctorum Christi sanguine se inquinavit.

Ao. 1525. Severini naves a Lubecensibus combustæ, Wisbue capta, obsessi in Landscrona gratiam impetrant.

Anno 1525. Lubecenses cum consortibus ab Otthundia aberrantes inque Bleckingiam appulsi Severini naves combusserunt: inde Gothlandiam oppugnantes urbem Wisbue ceperunt, arcem munitissimam frustra obsidentes. Obsessi in Landskrona commeatu interim absumto gratiam Ducis implorarunt, quæ equidem denegata ipsis esset, nisi Lubecenses in Gothlandiam discessissent. Permissum igitur ubi esset egredi oppido, virgines & matronæ præcesserunt Severinum & milites, procidentesque in genua ante pedes Capitaneorum supplices facti sunt Duci absenti, eique ut electo Danorum regi juramentum fidelitatis præstiterunt. Severinus porro Hafniam missus regi sacramentum personaliter præstitit, atque dimissis militibus, ipse tradito prius regi arce Wisbue in Gothlandia ex Dania sponte discedere elegit. Instructa itaque classe Danica, Otto Crumpius Dux Gothlandiam attingens non permisit Severinum arcem ascendere, nisi missis ex arce præcipuis obsidibus. Præsidiarii vero dedere arcem primo recusantes tandem Duci Friderico & regno permiserunt. Transactum deinde fuit inter Ducem & Lubecenses, ut ipsi quadriennio Gothlandiæ omnes reditus usurpent, sola arce & homagio Duci reservatis. Absoluto feliciter hoc bello, Fridericus Dux Holsatorum coronatus est Hafniæ rex Danorum & Normannorum semper pacificus. Cum autem pro more multos de nobilitate auratos crearet milites, de Nicolao Erickſen quæsivit, nonne huic vulnus in maxillam infligendum est, qui milites meos funiculo in arcem attraxit? A. e. Fridericus I. rex ordinavit prædicari evange-

Lubecenſibus opera compenſata. Fridericus I. Hafniæ coronatur.

Doctrina evangelica propogata primum Oldeslœ: hinc apud Lubecenſes Hamb. & Luneb.

lion de regno Christi in Oldeslo, quo multi cives Lubecenses concurrerunt, & audito verbo Dei sacramentum sub utraque specie contra senatus interdictum acceperunt; a quo deinceps tempore idololatria Papatus paulatim abrogari cœpit. In maritimis similiter urbibus & Ducatu Megalopolitano doctrina evangelii lucere & doceri permissa est, Hamburgenses namque vocarunt D. Johannem Bugenhagium Pomeranum Witeberga, qui ordinationem ecclesiasticarum cæremoniarum conscripsit, ne populus offenderetur, quorum exemplum & Lunæburgenses imitati sunt. Cum autem Lubecæ Doctores quidam Papisticos abusus taxare inciperent, capituli instinctu ab officio sunt remoti per quinquennium. *Bonn.* A. e. Nicolaus Kniphoff Danus, cum aliquot celocibus Norwagiam nomine regis Christierni invadere tentans multos mercatores in mari orientali spoliavit. Hamburgenses vero bene instructi & cum ipsi congressi victores facti Nicolaum cum sociis 60. ante portas decollari fecerunt. *Chr. Bonn.*

Kniphof piraticam exercens ab Hamburgenſibus captus cum ſociis 60. capite plectitur.

Anno 1526. Adolphus Dux Holsatiæ filius Friderici I. natus est 25. Jan. ex Sophia Bugislavi Pomeranorum Ducis filia, quem Deus in vindictam innocentis sanguinis mox excitavit. *Chr. Holf.* A. e. Cometa horribili cauda instar manus cum gladio apparuit, qualis in Germania non visus. Secuta est eodem anno expeditio Romana & biennio Turca expugnavit Budam, regalem Hungariæ, & obsedit Viennam Austriæ, Secutum quoque bellum de regno Neapolitano, magna fames & sudor Anglicus.

Ao. 1526. Adolphus D. Holſ. natus.

Cometa & ſubſecuta mala.

Anno 1528. Elizabetha uxor Marchionis Joachimi I. communicans sacramento sub utraque specie in summum periculum apud maritum venit; sed per fratrem Christiernum regem Danorum exulem educta ex Marchia in Saxonia vixit apud Johannem electorem usque in annum 1545. *Lutherus Tom. 3. Isleb.*

Ao. 1528. Eliſabetha Brandeb ob communionem ſub utraque uſurpatam periculum

A. e. Lubecensis senatus ad compensationem damni ex variis & difficilibus bellis contracti petivit a subditis contributionem, qui in hanc conditionem consenserunt, ut cives 36 ab ipsis electi in pecuniarum distributione senatui adjumento essent, & senatus vicissim civibus evangelicæ doctrinæ libertatem & piarum cæremoniarum in templis administrationem permitteret. *Bonni Chr.* (36)

Lubecenſium tributum & liberum evangelicæ doctrinæ exercitium.

An. 1529. cœpit Melchior quidam Hofmannus initio lucescentis Evangelii in Holsatia Chilonii Cinglianum dogma per integrum biennium spargere, & alios concionatores Chilonii impressis litteris criminari hæreticos, falsos prophetas & fures divini honoris, qui Christum quodam quasi fascino conentur in frustum panis includere &c. Mandato itaque regis Friderici vocatus est Flensburgum Dominica Quasimodogeniti cum collegis suis M. Jo-

Ao. 1529. Conventus Flensb. & cum Melch. Hofmanno dogmata Cingliana ſparg nte diſputatio fuſe narrata.

Doctrina evangelica

Superſtitio pontificia Hamburgi abrogata.

(36) A. 1528. senatus Hamburgensis & totius civitatis auctoritate auditis antea invicem Evangelicis atque Papicolis disputantibus, hisque semper ad ecclesiæ, illis ad S. litterarum præsidium & Christi Apostolorumque dictamen recurrentibus, superstitio papalis publice abrogata, & Evangelium pure prædicari cœpit. *Joh. Mulleri Luther. def. p. 5.* *de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

M. Johanne Campenſi, qui ſe apud Itzehoënſes intruſerat, & Jacobo Heggen Flensburgi docente ad colloquium habendum cum quibusdam Holſatiæ paſtoribus & duobus ex vicinia vocatis Dn. Nicolao Boien Dithmarſo, & Dn. Stephano Hamburgenſi, ut explicato fidei ſuæ fundamento, rationem de calumniis redderet & ab erroribus ſuis in viam revocaretur. Inſpector colloquii fuit Dux Chriſtianus III. regis filius. Aſſeſſores vero Dn. Præpoſitus in Reynebeke, D. Bugenhagius, Dn. Johannes Rantzovius & D. Reventlow cum aliis conſiliariis. Præmiſſa admonitione & oratione publica interrogatus eſt Melchior, quam ob cauſam concionatores criminatus ſit falſos propheras. Reſpondit, ideo factum eſſe quia Chriſtum ad certa loca alligent, quod equidem tunc faciant quando docent, panem cœnæ eſſe Chriſtum, ejusque tam impios ſpiritualiter etiam participes fieri. Hermannus Taſtius paſtor Huſenſis explicata differentia inter ſpiritualem & ſacramentalem eſum proteſtatus eſt, ſe juxta ſcripturam in hac doctrina loqui de corpore Chriſti, non de integro Chriſto, quia Chriſtus ſimiliter idem non fecit; & negavit ſe docuiſſe, impios participes fieri ſpiritualis eſus & potus: Melchiorem vero docere ſignum nihil aliud eſſe, quam nudum panem & vinum, contra clara verba Chriſti, quæ figuram non admittunt. Melchior reſpondit ſe credere verba non eſſe figurata, neque ab illis ſe recedere, ſed panem, qui ſumitur, eſſe figuraliter & ſacramentaliter corpus Chriſti, non verum ſubſtantiale corpus, ideoque nihilo precioſiorem alio communi pane, cum ſanctus Paulus illum vocet panem Domini. Taſtius reprehendit Melchiorem contradictoria affirmare, quod proteſtatus ſit, ſe a verbis Domini nolle recedere, & nihilominus dicat, verba eſſe figurata, nec eſſe intelligenda, ut ſonant. Reſp. Melchior, ſe non docere verba eſſe figurata, ſed panem ſignum eſſe, virtutem eſſe, non panem ipſum verbum. Dn. Stephanus paſtor Hamburgenſis ad S. Catharinæ reddidit: nos innitimur verbis, quæ Dominus diſerte loquitur, cum panem ſuum corpus vocat, idque firmiter credimus. Nam non loquitur, ut Melchior, quod ſit figuratum corpus. Melchior reſpondit: ſi ſcripturam volumus intelligere juxta litteram, hæreſin ſuſcitabimus. Non ergo verba ſunt accipienda, ut ſonant, litteraliter, ſed juxta ſcripturæ morem, ſicut Chriſtus vocavit Johannem Mariæ filium, & Maria Joſephum patrem Chriſti appellavit, cum neuter eſſet naturaliter. Sic Chriſtus non fuit ille panis, quem diſcipuli comederunt, ſed verbum, quod in cruce pependit: panis autem non fuit illud corpus, quod in cruce pependit & paſſum eſt. Dn Nicol. Boie interlocutus dixit, ſi panis eſt figuratus, neceſſe eſt & verba figurata eſſe, & contra. Melchior tandem conceſſit verba Chriſti eſſe clara & manere in ſua nativa ſententia; nihilominus tamen non reſpicere panem, nec de pane affirmare, quod ſit corpus Chriſti; quia panis ſit in cœna fractus in ſignum, quod corpus Chriſti poſtea eſſet frangendum; ideoque ſpiritualiter eſſe intelligenda: ſicut Chriſtus ante Pentecoſten diſcipulos adflavit! in ſignum, quod poſtea daturus eſſet illis Spiritum Sanctum. Interrogatus tandem a principe Chriſtiano: an credat panem in cœna corpus eſſe Chriſti, nec ne? reſpondit: non credo, ſed figuratum eſſe panem ſentio, non verbum. Si enim panis eſt corpus, ſequitur duas naturas unam eſſe ſubſtantiam. Deinde, ſi verba intelligenda ſunt, ut ſonant, dicendum eſſet Chriſtum in ſacramento ſenſibiliter cum carne, crinibus & oſſibus a diſcipulis eſſe abſumtum. Denique hoc eſſet contra fidem Chriſtianam; quæ docet Chriſtum aſcendiſſe in cælum, ideoque oportere ipſum duo habere corpora, ſi in cœna adeſſe debeat. Confitemur autem Chriſtum dediſſe diſcipulis corpus ſuum in verbo, idque ſigillo panis confirmavit. Reſpondit Taſtius, non ſequitur ex verbis Chriſti, unam naturam commutari in aliam, ſicut non ſequitur: Deus eſt homo, ergo divinitas in humanitatem eſt converſa. Neque juxta rationis judicium ſcrutamur, quomodo Chriſti corpus ſit in cœna. Melchior denique adduxit loca quædam ſcripturæ, quæ ſicut non juxta litteralem ſenſum, ſed ſpiritualem intelligantur, ut de ſerpente æneo deque propitiatorio, quibus Chriſtus figuratur. Eodem quoque modo voluit Chriſtum deſignare verbum, quando de pane loquitur. Cum autem intelligerent, Melchiorem de ſubſtantia cœnæ deque modo præſentiæ corporis Chriſti Capernaitica ſomnia mordicus retinere, Dominus Johannes Ranzovius finem colloquio imponendum dixit, atque Ducem Chriſtianum regi patri indicaturum, quæ acta fuerint. Dn. Pomeranus porro juſſu principis & vice concluſionis omnia fere argumenta Melchioris iterum repetivit eaque iterum breviſſimis ſolvit, & ſuam confeſſionem cum ſolutione argumentorum Melchioris conjunctam regiæ Majeſtati propria manu tradidit. Vocatum denique Melchiorem ſeorſim Dux Chriſtianus interrogavit: An docuerit homines ſine aqua baptizari poſſe? reſpondit ſe nihil ſpeciale de baptiſmo docuiſſe vel ſcripſiſſe, neque de hoc articulo accuſatum eſſe. Cum autem princeps ipſi domum & fide dignos teſtes qui audiviſſent, nominaret; reſpondit, ſine aqua baptizari non poſſe, ſeque illo tempore ab aliis non eſſe recte intellectum. Inde cum Dux conjiceret ampliorem ipſum diſputationem averſari, in ipſius negatione acquievit. Johannes Amandi autem de Campis dictus interrogatus reſpondit: ſe non defendere libros, quos Melchior absque ſuo conſilio & conſenſu ſcripſerat. Non autem ſe credere, quod Chriſtus corporaliter ſit in pane, & quod corporaliter ſine fide ſumtus proſit ad ſalutem. Jacobus Hegge tandem quoque confeſſus eſt, ſe de hoc articulo nihil publice docuiſſe, ſed privatim in conviviis inter fratres contuliſſe, atque ex contradictoriis ſcriptis dubiam habere conſcientiam. Credere ſe, quod impii non ſint promiſſionis Dei participes: ſed con-

contra ſibi hoc obſtare, quod Judas corpus Domini perceperit. Dn. Pomeranus reſpondit, hos qui dubia ſententia vacillant non eſſe rejiciendos ſicut illos, qui infirmos ſeducere conantur; debere itaque illum audire eos, qui verbo Dei corrigere ipſum poſſint. Exire vero parantibus Dominis occurrit quidam Johannes Barſe ſatis ridicule vociferans, ſe niti verbo Domini; hoc eſt corpus meum: Witebergenſes autem novos fidei articulos cudere, quando ſcribunt, in pane & ſub pane eſſe corpus Chriſti. Deinde S. Auguſtinum ſcribere, carnem Chriſti edere, eſſe credere; ſed a D. Stephano refutatus conticuit. Cum denique interrogarentur, an plures haberent articulos inter ſe controverſos, & omnes negarent, diſceſſum eſt. Poſtridie ubi rex Fridericus diſputationem hanc a ſex notariis exceptam perlegiſſet, mandavit Melchiorem cum conſortibus admoneri, ut deſiſtat ab errore, quo verba & inſtitutio Chriſti de ſacramento manifeſto negantur, populumque ſuum nihil aliud quam verbum Dei, & quicquid ex ſcripturis defendere poſſint doceant; quod ſi facere recuſent, ejiciendos eſſe ex Holſatia, ne populus per illos amplius de verbo Chriſti dubitet, & ad humana commenta abducatur. Melchior & Johannes de Campis emendationem & gratiam regis non expetiverunt. Jacobus Hegge autem, etſi heſterno die doceri ſe petiverat, nunc tamen a quoquam hominum ſe velle erudiri negavit, & a fratribus diſcedere recuſavit. Determinatus ergo his eſt dies, in quo ex Holſatia cum uxoribus, liberis & ſupellectile pacifice diſcedere juſſi ſunt. Voluerunt quidam Melchiorem gravius ſupplicium ſubire ob has cauſas, quod in ſcripto ſuo appellans ad judicium regium patibuli, ignis vel aquæ ſupplicium ſibi elegerit, ſi in doctrina deprehenſus fuerit errare. Deinde quod in diſputatione ex Muntzeri ſeditioſo ſpiritu palam dixerit, multi ſanguinis profuſionem inſtare, quod miniſtri verbi ſuam ſententiam de cœna Domini complecti recuſent. Sed hæc conſilia ab aliis impedita ſunt. Jacobus Hegge poſtea Hamburgi Melchioris opinionem propria manu revocatione ſcripta damnavit, & a D. Pomerano abſolutionem petiit & impetravit ad ſuos reverſus. Acta & ſcripta diſputatio per Franciſcum Strienium R. M. Sacellanum.

Ao. 1529. Peſtis. Anno 1529. æſtas valde fuit humida, quæ ex aëris putrefactione cauſata eſt peſtem æſtuantem per ſudorem venenatum, quem Anglicum vocarunt, graſſatusque eſt per Germaniam menſibus Auguſto & Septembri abſumens intra 24. horas aliquot hominum millia, quando ſomno præſertim opprimebantur. Unde Lubecæ magno in timore populus fuit, & magiſtratus flagello hoc commonefactus mitius novam doctrinam evangelicam perſecutus eſt. *Bonnus. Fincelius.* A. e. cives 64. Lubecenſes poſtularuut a ſenatu duos concionatores M. Andream Wilhelmi & M. Johannem Walhoff. 17. d. Nov.

Lubecenſes poſtulant a ſenatu concionatores.

Ao. 1530. Bredenberga arx ſtructa. Anno 1530. Bredenberga arx pulchra & munita fundata & ædificata eſt a Dn. Johanne Rantzovio equite in parochia Bredenbergæ, emta a monachis Bordesholmianis ſitaque in paludibus Storæ, quæ Holſatiam a Stormaria dividit, contingens ſilvulam Welnam ad auſtrum & agros oppidi Itzehoënſis ad occidentem, utque commodius exſtrui & ſuſtentari poſſet, conceſſa eſt a rege Friderico Welna cum quatuor pagis Johanni Ranzovio in præmium fidelitatis ad vitam ſuam & duorum filiorum Henrici & Pauli, quorum hic poſt mortem patris obiit anno 79. alter vero ſupervixit in annum 1599. A. e. Lubecæ communitas civium convenit in foro die S. Petri & Pauli, eique petenti conceſſa eſt doctrina evangelii & ſacramentorum verus uſus a ſenatu in omnibus eccleſiis, ſola cathedrali excepta, in qua tamen ad feſtum viſitationis omnes papiſticæ miſſæ deſierunt, decretumque eſt, ſe hac religionis forma tamdiu uſuros, donec Capitulum cum Canonicis ex verbo Dei illam refutare poſſit. Mox omnia argentea cimelia ex cœnobiis & templis collecta atque in eccleſia D. Virginis cuſtodita ſunt, quæ paulo poſt in bello Holſatico procurante Johanne Wullenweber abſumta ſunt. *Chr. Bonni.* A. e. die Simonis & Judæ D. Johannes Bugenhagius Pomeranus Lubecam venit, docens publice evangelium Chriſti, & cæremonias Eccleſiarum ordinatione ſcripta complexus eſt, cœnobium S. Catharinæ publicæ ſcholæ attributum eſt, ſtipendiaque Cantorum conſuera collaboratoribus Scholæ dicata: Burgum vero pauperibus attributum eſt. Mandatum autem Cæſareæ Majeſt. hoc tempore primum Lubecæ publicatum eſt, tam de abroganda doctrina Lutheri, quam civium delectorum gubernatione. *Lutherus.* A. e. mare procellis æſtuans, ruptis aggeribus in Flandria, Selandia & Phryſia atque Eyderſtadio magnam edidit ſtragem hominum & pecudum. Antwerpia damnum ex inundatione acceptum comparavit regni unius divitiis, quo tempore Venetias in ſicco fuiſſe deficiente mari ferebatur. In Eyderſtadio Ducatus Sleſwicenſis inſula octodecim parochias ſpatio quinque milliarum complectente ſubmerſi ſunt mille quadringenti homines & pecora plurima. *Fincelius* & *Eberus*, qui adſcribit diem 5. Novembr. Quæ inundatio ab incolis Holſatiæ vocatur *Allerheiligſten Fluth;* Brunsbutteli Mantreck.

Lubecenſes ſtabiliunt doctrinam evangelicam.

Bugenhagius D. apud eos docens ordinationem eccleſ. præſcribit &c.

mandatum ab Imp. miſſum contra doctrinam Luth.

Inundatio ſæva.

Ao. 1531. Proconſules duo Lubec. abeunt: miſſum decretum Imp. contra doctrinam Luther. Anno 1531. proconſules duo Lubecenſes in profeſto Paſchatis ſine conſenſu ſenatus ex urbe abierunt, atque poſtea alterum Cæſareum mandatum de ſervando decreto imperii Auguſtano & abroganda Lutheri hæretica & ſeditioſa doctrina miſſum eſt e Bruxellis, quo valde commotus fuit populus, & propria ſua auctoritate novos conſules & ſenatores veteribus abrogatis ac ſuſpectis creavit. *Bonnus.* A. e. Dantiſcum advectæ ſunt centum & ſeptuaginta campanæ ex Dania, quas rex ex templis ſumſerat. *Chr. MS.* A. e. ordinatio eccleſiaſtica D. Pomerani a ſenatu Lubecenſi approbata primo & propagata eſt. *Bonnus.* A. e. legatus Cæſaris Caroli Lubecam venit in profeſto Baptiſtæ petens audientiam nomine Cæſareæ Majeſt. in cauſa Chriſtierni regis exſulis, quæ illi idcirco denegata fuit, quod

legatio Cæſ. ad Lubecenſes Chriſtierni cauſa fruſtranea.

urbs regi Friderico fœdere obstricta esset Quam ob causam Christiernus II. conscripto in Belgio exercitu in Septembri classe 25. navium navigat in Norwagiam, ut amissa recuperet: desideratis vero aliquot navibus cum militibus nihilominus arcem Aggershusen, quam tenebat Marcus Guldenstern, aliquamdiu obsedit. Cum vero obsessi per Francum militem subsidium a rege suo impetrarent, usque in Aprilem duravit obsidio, Lubecensium quatuor sociis navibus in portu Hafnienſi hiemantibus. *Bonnus.*

Christiernus Norvegiam tentat.

Anno 1532. Fridericus rex firmum exercitum ex peditibus & equitibus una cum Lubecensium navibus misit Anslovium in Norwagiam, qui contra copias Christierni in terram se exonerans arcem commeatu & necessariis omnibus instruxit. Christiernus vero in montanis locum defensioni commodum occupans pugnamque declinans aliquamdiu ibi commoratus est, donec utrique commeatus deficeret. Cum autem Ansloviani commeatum & nova auxilia per Wilkesteden & Petrum Schrammen impetrassent, rex Fridericus mandavit Ducibus belli D. Canuto Guldenstern & Hegderstorfio, ut hostiliter & omnibus viribus Christiernum oppugnent nec ullam pacificam actionem cum illo instituant. Dum interea Canutus de pacis conditionibus cum hoste tractavit, legatosque redeuntes ad subscriptionem articulorum sollicitavit, qui regis sui interdictum explicantes obsignationem recusarunt. Unde facile æstimari potest, calumnioſe sparsum esse, huic transactioni sigillum regium & senatus regni appensum fuisse, quod non ad hanc actionem creditum ipsis fuerat, sed ut subditos in gratiam receptos eo confirmarent. Canutus transactione cum Christierno rege perfecta & occultata, navi impositum Hafniam abduxit, atque regi Friderico senatuique regni indicavit Christiernum in tribus articulis fidem publicam violasse, ideoque non teneri regem fidem ipsi servare. Consilio itaque & mandato regis Friderici & senatus missus est Sunderburgum in custodiam. Quæ admiranda potentissimi, regis humiliatio omni magistratui cunctisque principibus per Nordalbingiam quotidie est consideranda, ne in florentibus honoribus timoris divini oblii extollantur, sicut hic magnificus rex adeo excœcatus fuit, ut ab impudica fœmina in gravissimis reipublicæ negotiis gubernari se passus sit, neque quidem secuturum hinc honorum interitum & corporis animadvertere potuerit, dum nimium in Cæsaris adfinis & consanguineorum potentia confidit. *Chron. Bonni.* A. e. legati Holsatorum, numero sexaginta quatuor, Lubecæ protestati sunt, se defensuros diœcesin Euthynienſem cum Episcopo, quia Domini eorum feuda sua ibi accipiant, d. 25. Jun. *Idem.* A. e. Johannes filius Christierni II. adolescens, quem Cæsar avunculus educabat, moritur. *Sleid. lib.* 8. A. e. Fridericus regis Friderici I. filius nascitur d. 13. Aprilis. Postea 24. Julii Christiernus II. venit prope Hafniam, sed captus est Sunderburgumque missus. *Chron.*

Ao. 1532. Fridericus exercitu misso Christianum captivum deducit Sunderburgum.

Joh. fil. Christ. II. obit.

Fridericus Regis fil. nascitur.

Christianus captus.

MS. cum Bonno. A. e. Carolus V. Cæsar cum generale mandatum de communi pace, tam in ecclesiasticis quam politicis rebus servanda promulgasset, mandavit Lubecensibus 10. Aug. ut omnia in urbe ad antiquum statum reformarent, postulatis quoque auxiliis in expeditionem contra Turcam. *Bonnus.* A. e. noctu inter diem Lunæ & Martis omnium Sanctorum inundatio maris inaudita fuit, quam præcessit maxima Lunæ eclipsis quatuor horarum, quæ diruit aggeres Albim a Stormaria defendentes usque in Stormariam, submersis hominibus & pecudibus, quibusdam etiam vi abreptis, & avectis cum domunculis usque ad montana Oldentorf, aqua super aggeres ad mensuram tonnæ elevata. *Chr. MS.* A. e. Anna Christiani III. filia nascitur 22. Novembris. A. e. Lubecenses miserunt Cæsari sexcentos milites contra Turcam Duce Marco Meyer, qui fuerat Hamburgi faber ferrarius & proximis aliquot annis militiam exercuerat: dissoluta vero expeditione Lubecam ille rediens despondit sibi demortui consulis Lubecensis viduam, idque contra propinquorum ejus voluntatem. *Bonn.*

Caroli V. de restituenda pontificia religione mandatum.

Stormariæ dira inundatio.

Lubecensium auxilia Imp. contra Turcas destinata.

Anno 1533. Georgius Wullenweber cum aliquot aliis civibus in senatum allectus atque intra mensem deinde consul creatus est Lubecensis. Fuit hic homo natura satis industrius, sed hoc pernicioso vitio laborans, animi scilicet inconstantis inque deliberationibus contemnentis suos collegas, adulatoribusque temere credens cuncta ad placitum suum ordinavit, imprimis vero Marci Meyeri consilia, ut divina amplexus est eumque maxime veneratus in singularem honorem Capitaneum urbis cum omnibus equitibus ordinariis illi misit in occursum, cum post Pentecostes pompa celebri sponsus in urbem deduceretur. Cum autem eodem die in decollando homicida carnifex forte erraret, quinque lictores a furibundo populo sunt occisi, atque hoc seditioso facinore contra Deum & leges judicii admisso politiæ Lubecensis tranquillum statum turbandum fore procul dubio est significatum. *Bonn.* A. e. Crempis exædificatur interior porta, quæ spectat orientem & ab adjacente pago *Grevekope* nomen sortitur, cui mox in Lubecensi bello vallum & fossa adjuncta sunt a Christiano III. rege Daniæ per ædilem Johannem Rantzovium. A. e. Melchior Hofmannus divina providentia ante quadriennium ex Holsatia pulsus perque Livoniam errans & Anabaptistica dogmata spargens tandem venit Argentinam offerens in Martio doctoribus ecclesiarum colloquium de doctrina sua privatim sparsa. Cumque id contemneretur, litteris ad senatum datis petiit se publice audiri, & simul protestatus est se urbe non discessurum, antequam auditus sit. Cum autem D. Hedio licentiam disseminandi falsa dogmata pro concione taxaret, Melchior pellio in Majo incarceratus fuit, atque abjecto pileo, pallio, & calceis, abscissisque pedum caligis nihil in toto triduo comedit, rogatus vero a fratribus suis causam, respondit se exspectare Domini adventum ad redimendum populum suum, juxta pro-

Ao. 1533. G. Wullenweberi Conf. Lubec. facinora.

Crempe porta nova & vallo instructa.

Melchior. Hoffmanni Argentinæ dogmata & fata.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

prophetiam Leonhardi Soften & ſigna cœleſtia, quæ nunc frequentiora, quam ante ſeditionem ruſticorum conſpiciantur. Vocatus denique ad diſputationem publicam in Junio comparuit coram ſenatu, nudo capite & pedibus, atque de doctrina ſua interrogatus principale & conſolantiſſimum ſcripturæ teſtimonium de ſemine mulieris contrituro caput ſerpentis contra D. Bucerum antagoniſtam figuratum eſſe contendit, nec de ſubſtantia carnis Mariæ intelligendum, magnumque diſcrimen inter particulas DE & EX Maria eſſe voluit, ſubjungens Paulum Rom. 3. affirmare Chriſtum verum eſſe propitiatorium unius ſubſtantiæ & naturæ conceptum de Spiritu Sancto, non de carne Mariæ, ſed geſtatum a Maria. Deinde Pelagianas opiniones de libero arbitrio, & prædeſtinatione, atque Donatiſticas de peccato ad mortem vel contumaciæ contra conſcientiam (quam de peccato in Spiritum Sanctum accipi volebat) mordicus defendens, in carcerem reductus eſt, inque eo ob fanatica ſomnia integro decennio, cuſtoditus, ſæpiusque ſine fructu auditus; tandem ſine violentia mortuus eſt ſenatu ſingularem erga ipſum clementiam exercente. *Bollichius & Manlius loc. de Eccleſia.* A. e.

Johannis D. Holf. educatio.

Johannes Dux Holſatiæ educatus in pueritia ſub pædagogia M. Hermanni Bonni & deinde a M. Petro Suavenio viro doctiſſimo inſtitutus miſſus eſt in Aulam Alberti Ducis Pruſſiæ conſobrini ſui, ubi in novem annos hærens

Cometa.

benigne educatus eſt. *Chr. MS.* A. e. Cometa crinitus conſpectus eſt in Holſatia & Lubecæ d. 17. Jul. & aliquot diebus poſt, ſecutaque eſt die Jovis Palmarum mors Friderici I. Danorum regis anno 34. Chilonii, qui jam integrum decennium regnum ſuum tranquille

Friderici R. mortui corpus copioſum deſtillat ſanguinem prodigioſe.

gubernaverat. Cum vero corpus ejus aromatis unctum, & linteis ceratis involutum loculo pice artificioſe oblito aliquot diebus incluſum aſſervaretur, tam copioſum ſanguinem deſtillavit, ut aliquot ſuppoſitis vaſis neceſſe fuerit illum excipere, idque cum præter naturam refrigerati & mortui corporis factum ſit, Deus externo hoc ſigno ſignificare voluit, calamitates & cruenta bella mox ſecutura. Sepultus eſt honorifice in marmoreo monumento Sleſwici. *Bonnus & Fincelius.*

Ericus R. Suec. fil. naſcitur.

A. e. Ericus Guſtavi regis Sueciæ filius primogenitus natus eſt hora 9. pomerid. in regia Oplandiæ Stokholmia. *Eberus.* A. e.

Lubecenſes naves contra Hollandos excurrunt duce M. Meyer Angl. equite.

Lubecenſes naves aliquot bellicas contra Hollandos capitaneo Marco Meyer expediverunt, quarum quædam in Angliam devenerunt, ubi cum Marcus a rege eques auratus creatus eſſet in Albim reverſus hibernavit. *Bonnus.*

Ao. 1534. G. Wullenweberi machinationibus Lubecenſes bellum movent Danis.

Anno 1534. ad bellum Hollandicum compoſitione tranſigendum Georgius Wullenweber & Marcus Meyer cataphracti Hamburgum intrarunt præcinente buccina indignanteque toto ſenatu: ubi induciæ quadriennales inter illos pactæ & confirmatæ ſunt. Conſul Wullenweber domum reverſus indicavit populo, contineri in ſecretis ſenatus, ut tertia pars ſenatus quotannis ab officio publico ferietur. Approbato itaque hoc Henrici Leonis decreto, ſenatores aliquot ſeniores remoti ſunt: quo artificio janua patefacta eſt Georgio & Marco Meiero quælibet juxta votum in politicis adminiſtrandi; unde factum eſt, quod judicia forenſia raro (contra conſuetum morem) habita ſint. Atque Meiero conſulem ſeducente Lubeca manifeſtum cum Holſatis bellum gerere inceperit, ad cujus ſumtus tolerandos regnumque Norwagiæ & Daniæ ſimul occupandum & ſubjugandum rex Anglorum ingentem pecuniarum ſummam Lubecenſium legatis mutuatus eſt. *Bonnus.* Circa hunc annum Lubecenſium milites ex mandato Georgii Wullenwebers & Marci Meyers occuparunt & combuſſerunt Plœnam & aliquot nobilium villas atque Reinefeldam oppugnarunt. *Chr. MS.* A. e. Chriſtophorus Comes de Oldenburg Albim in Majo transiens pervenit in Holſatiam cum quadringentis militibus, cujus adventus conſcii fuerunt ſoli hi duo Georgius conſul & Marcus Meyerus Lubecam Venetiis æquiparare ſomniantes. Et quantumvis factioſi hi reipublicæ turbatores Comiti fœdere obſtricti eſſent, ipſe tamen auxilia per litteras a ſenatu poſtulavit ad redimendum captivum Chriſtiernum, quæ eo facilius impetravit, quod Danorum proceres non tantum ſubſidia in bellum Hollandicum promiſſa urbi negaſſent, ſed quod Epiſcopos & ſenatum regni ſummis viribus conari jactabantur Doctores Evangelicos a Friderico ordinatos vel occidere vel regno propellere. Unde hi ſigniferi perſuaſerunt populo, timendum eſſe, ſi communibus auxiliis non reſiſtatur, urbes maritimas doctrina evangelica ſimiliter privandas eſſe. Sed verbi divini defenſionem iſtos apud rude vulgus gerendi belli prætextum feciſſe, hinc eſt manifeſtum, quod in ſummo & quotidiano verbi divini contemtu, ſub concionibus ſacris conſilia ſua in prætorio agitantes increpati, ſuperbe concionatoribus Marcus Meier reſpondit: hanc maximarum rerum neceſſariarum tractationem præcedere convenit. *Chr. Bonn.* A. e. Sleſwici in Holſatiæ confinio clara luce 3. die Junii leones multi viſi ſunt certare invicem in aëre in figura & ornatu Cæſareo, atque paulo poſt Comes Chriſtophorus & Marcus Meier rapinis atque incendiis in Holſatia graſſantes pacemque publicam turbantes, arcem Trittow primo ceperunt, deinde Euthynum Epiſcopi Lubecenſis præſidium contra ſenatus Lubecenſis voluntatem occuparunt, atque tunc demum Duci Holſatiæ bellum denunciarunt. *idem.* A. e. Chriſtianus III. Dux Holſatiæ conventum agens Rensburgi deque violenta perfidia Lubecenſium gravi & lugubri oratione conqueſtus, quam celerrime exercitum ex ſubditis contraxit & Euthynum properavit, atque mox felici velitatione cum hoſte facta ex Comitis militibus aliquot occiſis arcem Euthyni d. 20. Jun recuperavit. Lubecenſes hac clade cognita Segebergenſem obſidionem cœptam reliquerunt, ac multis deſideratis direpto & incenſo prius oppido aufugientes de propria ſua civitate tuenda ſo-

Plœna exuſta.

Chriſtoph. Com illorum aſſecla Oldenb. Holſatiam invadit.

auxilia a Lubecenſibus conſequitur ob religionis prætextum.

Marci Meieri inſolentia. Iſti junctis copiis Holſatiam infeſtant.

Chriſtianus III. feliciter illic occurrens Eutinum recuperat, Segebergam liberat.

liciti fuerunt, ſingulari fortitudine arcem defendente Theodorico Bramſtedio, cum a nobili præfecto turpiter deſerta fuiſſet. Sequenti quoque die Chriſtophorus Comes exercitum ſuum Travemundam abducens, navibusque imponens in Selandiam appulit incolis nihil hoſtile metuentibus, ſubſtantiamque ſuam & domos tributo impoſito redimentibus. Hafniam regiam nomine captivi regis Chriſtierni deditione cepit. *Bonnus.* A. e. Dux Chriſtianus Travemundam 21. Junii occupavit, & caſtra ſua vallo firmans Muggenburgam ſimul munivit. A. e. Chriſtiano Duci natus eſt filius Fridericus nona antemeridiana in Hattersleben 1. Julii. *Eberus.* Franciſcus Sfortia II. Mediolani Princeps in matrimonium ducit Chriſtiani regis captivi Chriſtierni filiam Cæſaris Caroli ex ſorore neptem. A. e. 14. Sept. Lubecæ ante templum arcis deſtructum eſt fanum S. Gertrudis. *Bonnus.* A. e. Lubecenſibus cum exercitu forti urbe egreſſis ad recuperandam Travemundam Holſati 18. Auguſti caſtris motis ceſſerunt, oppidumque reliquerunt. Deinde 18. Aug. Mollinum oppidum obſederunt, ſed voto fruſtrati in monaſterio Marienwolde caſtra fixerunt, idque ultimo Auguſti incenſum relinquentes 3. Sept. Stoppelsdorfii ante Lubecam caſtra metati ſunt. Inde moventes d. 17. Sept. in Premesmœlen, pontemque per Travenam fabricantes, & via per prata ſubjectis arbuſtis & ſudibus ſtrata feliciter Travenam ſuperarunt, atque congreſſi cum hoſte victoria potiti centum & ſexaginta viros partim obſederunt partim ceperunt. Cujus cladis auctor in primis fuit iſte Marcus Meierus, qui cives ſuos dormitantes & ſecuros fecerat, dum vanæ jactantiæ & ruditati ſuæ nimium fidentes Holſatos nequaquam Travenam ſuperaturos putabant. Inſtruentes autem navem onerariam triremem cum tormentis, & ſexaginta viris Lubecenſes conabantur Octobris d. 12. Holſatorum pontem in Travena confringere, ſed hoſtis vi nave occupata ſexaginta illos viros internecioni dedit. Simili fortuna Holſati d. 16. Octobris Lubecenſibus 8. naves cum tormentis circa Slukop ademerunt, inde moti cives præſidiarii turrim Slukop deſerentes incendio dederunt. *Bonnus.* A. e. ſenatus Danici potior pars implorato auxilio Ducis Chriſtiani contra Comitem Chriſtophorum de Oldenborch & Lubecenſes, regni diadema ipſi promiſerunt in præmium. Quam vocationem Dux Chriſtianus divinam reputans ſine mora miſit duces ſuos Johannem Ranzovium atque Ericum Banner in Jutlandiam cum nonnullis equitum alis & militum conſortibus, ut agreſtium multitudinem maxima ex parte rebellantem, ducemque Danicorum equitum Oligerum Roſencrantzium occidentem, aut bona cum gratia ad priſtinum officium reducerent, aut armis opprimerent. Cum autem ruſtica plebs duce Clemente Nauclero (*Schipper* dicto) in oppidum Alborch confugeret, Rantzovius illud obſidione cinxit atque in oppugnando primus vallum conſcendens & a ſummo ad imum dejectus, exemplum multiplicis cædis faciens expugnavit, captumque vivum Clementem quaſi regem plumbea corona primum decoravit, deinde palo confixum meritas rebellionis & perfidiæ pœnas ab eodem exegit. Inde in Wenſuſſel diverſis itineribus contendens, vacillantes ibi in fide continuit, & factionis principibus ſublatis reliquos novo juramento Chriſtiano III. obſtrictos ad officium adduxit. A. e. Henricus Dux Megapolitanus cum duobus filiis, Magno & Philippo, & legati Wandalicarum civitatum Lubecam venientes de pace cum Holſatorum Duce egerunt d. 5. Nov. in Stockelstorpff, atque firmata tandem eſt pacificatio cum Holſatis hac conditione annexa, ut Daniæ occupandæ quisque pro viribus incumbat. Cum autem hæc pax 18. Nov. proclamaretur, cives illi 164, qui ſenatui adjuncti erant, mox officio ſeſe abdicarunt, ſenatoresque, qui remoti fuerant a gubernatione, reſtituti ſunt priſtinæ dignitati per ſenatum & legatos Wandalicos. Sed conſul Georgius Wullenweber & Marcus Meyer, cum ſenatum Roſtochianum & Sundenſem ſuis quoque civibus ſuſpectum & inviſum quodammodo feciſſent, navigarunt in Daniam atque cum Duce Alberto Megalopolenſi & Comite de Oldenborch, fœdus de occupando regno Daniæ fecerunt. Marcus Meyer per inſidias cepit arcem Wardeborch in Scania ad fines Sueciæ ſitam, eamque aliquandiu tenuit. *Bonnus.*

Anno 1535. obſeſſa urbe Monaſterienſi in Weſtphalia ab Epiſcopo & ſtatibus imperii & feliciter expugnata die S. Johannis Baptiſtæ, Anabaptiſtis digno ſupplicio affectis magiſtratus Wandalicarum civitatum metuens venenum furorum Anabaptiſticorum ſpargendum in Saxoniam maritimam, edictum contra ſectam hanc publicavit, ſæpiusque de ſuggeſtis iterari & populo per conciones inculcari diligenter fecit, qua pia ſolicitudine janua huic doctrinæ clauſa fuit. A. e. Chriſtiani III. militum dux Johannes Rantzovius exercitum ex Jutlandia in Fioniam transferens plebem majore numero congregatam ſuis copiis adortus in fugam conjecit atque paullo poſt non procul ab oppido Aſſens in aperto campo Oſſenberg dicto ſeorſim ante primos ordines cum equite uno duellum expetente concurrit, illumque mortifero vulnere affectum de equo feliciter dejecit ſignoque mox militibus dato exercitum Comitis de Oldenborch Lubecenſibus militantem juſta acie prælio ſuperavit, cæſis Comitibus Johanne de Hoya, & Comite de Teklenborch, Weſtphaliæ, caſtrisque hoſtium & oppido potitus eſt 11. Junii. Deinde Holſati ſuperarunt naves Lubecenſium ſub Fionia in mari Balthico fugatis civibus præſidiariis, qui poſtmodum a ſenatu Lubecenſi capti ſunt. Ex qua victoria patet, non ſapientia aut potentia humana, ſed divina magiſtratum conſtitui: quia pius Dux Chriſtianus inſperato a Comite obrutus & maxima parte Daniæ jam excluſus mirabili fortuna ut verus Danorum rex proſperatur. Ingratitudo autem nobilium quorundam & ſubditorum

Chriſtoph. Com. navibus in Selandiam appellens tributa exigit, Hafniam occupat.

Chriſtianus occupat Travemundam.

Fridericus D. Chriſt. fil. naſcitur.

Travemunda Lubecenſibus relicta; Mollinum fruſtra a Danis obſeſſum.

Lubecenſium multiplex clades.

Chriſtianus III. a Danis in auxilium vocatus feliciterque agens regno præficitur.

ruſticos rebelles Alburgi compeſcit.

pacifcitur Henr. Ducis Meckl. opera.

G. Wullenweber & M. Meier ad occupandam Daniam intenti abeunt.

Ao. 1535. Wandalicarum civit. contra Anabaptiſtas edictum.

Chriſtianus cædit rebelles in Fionia.

fundit Comitem Oldenb. & Lubecenſes.

torum in patrem Fridericum justo Dei judicio punita est. *Bonnus.* A. e. Anna filia Friderici I. regis virgo moritur Flensburgi, atque apud patrem Sleswici sepelitur. Dethlevus Reventlow Cancellarius regis Friderici electus est in Episcopum Lubecensem, qui excellens pietate mandavit doceri evangelion in sua diœcesi, sed Sleswigi eodem anno decedens Balthasarem Rantzovium successorem habuit. *Bonnus.* A. e. senatus Wandalicarum urbium conventum habuit Lubecæ in Julio, tractans inter alia negotia de instauratione politici regiminis Lubecensis; cum autem eodem fere tempore mandatum executoriale ex Camera imperii Lubecam mitteretur de antiquanda gubernationis mutatione, omnes novitii senatores senatu se abdicarunt, Georgius item Wullenweber consul sponte sua ex senatu abiit Aug. d. 26. ne vero quisquam offensionis animo resideret, sed omnia bene componerentur, senatus urbis illi arcem Bergerdorff cum omnibus reditibus in sexennium permisit, litterisque datis consignavit. Deinde communi omnium consensu revocatus est consul Nicolaus Bromse, in pristinam dignitatem restitutus Aug. 28. senatus denique doctrinam evangelii cum sacramentorum vero usu civibus suis liberam permisit pacisque perpetuæ formulam conscripsit. *Bonnus.* A. e. Christianus III. duce Joanne Rantzovio transfretans cum exercitu in Selandiam, atque plerisque ibi locis vi subactis Hafniam per menses 4. obsedit, defendentibus fortiter urbem Alberto Megalopol. & Christophoro Oldenburgico: cum vero obsessi a Cæsarianis auxilium ex Belgio expectarent & affines huic præclaræ occasioni haud defuturos sperarent, solerti prudentia usus Johannes Ranzovius fortem equitum peditumque manum misit in terram Groningensem Cæsari subjectam, quæ Duce Meinardo de Hamma vicum Dam occupatum vallo fossaque munivit atque tenuit; qua de causa effectum est, ut Cæsarianos magis de oppidulo Dam recipiendo quam de obsessis in Hafnia liberandis, & aliena terra infestanda cogitare oportuerit, Carolo Cæsare præsertim tunc temporis de regno Neapolitano ac Ducatu Mediolanensi defendendo solicito. *Vita Rantz.* A. e. Georgius Wullenweber cum consulatu se abdicasset, profectus est privatis de causis Hamburgum, & inde in diœcesin Bremensem, amicis profectionem dissuadentibus, ibique captus est ab Episcopo Rodenburgi, & torturæ severiori subjectus, cives quosdam Lubecenses reos fecit, quorum aliqui comprehensi, & innocentes inventi sunt. Ille vero a Duce Henrico Brunswicensi abductus in arcem Steinburgensem, a. tandem 37. decollatus est ante Wolfenbuttelium, & rotæ affixus circa Michaëlis. *Bonnus.*

Anna Frid. I. fil. decedit. *Detl. Reventlov Episc. Lubec. religionis promotor.* *Dissidia Lubec. cum senatu sopita.* *Wullenwebero cons. habitanda datur Bergerdorpia.* *evangelii libera ap. Lubec. incrementa.* *Christianus in Selandiam transvectus Hafniam diu obsidet.* *Obsessi auxilio Cæsareo frustrati.* *Wullenweber in itinere Bremensi captus & supplicio affectus a Duce Brunsv.*

Anno 1536. pacificatio perfecta est inter regem Daniæ Christianum tertium & Lubecenses de regno Danorum Hamburgi circa bacchanalia. Rostochiani vero & Wismarienses pacem idcirco repudiarunt, quod Dux Albertus princeps illorum Hafniæ obsessus erat. Lubecenses autem legatis missis nunciarunt obsessis principibus, se pacem cum Christiano rege pepigisse, simulque ad civitatem regi tradendam illos cohortati sunt. Cumque illis acquiescere nollent, militibus suis renunciarunt omnem militiam & stipendia, qua tamen re Hafnienses nihil moti in obstinacia perstiterunt. *idem.* A. e. Christianus III. durante obsidione Hafnienſi, ex singulis parochiis Holsatiæ in Junio quasdam campanas abstulit, quæ avectæ perierunt naufragio. *Chr. MS.* A. e. Hafnienses cives summa alimentorum caritate in Julio laborarunt, atque unam tonnam butyri emerunt 120. marcis Danicis, hoc est 72. Lubecensibus, unam tonnam Rostochianæ cerevisiæ 18. Danicis marcis, unam tonnam farris 20. floren. unum taurum 70. coronatis, ovem unam 8. marcis; anserem 3. marcis, ova septem uno floreno Rhen. gallinam 26. solidis; par calceorum tribus marcis, cyathum cerevisiæ 4. sol. Dan. Consumtis autem omnibus alimentis usitatis, extremaque fame laborantes coxerunt tandem canes & feles atque comederunt. Denique desperatis auxiliis, cum nihil quam ex fame lurida mors restaret, coacti sunt electo regi Christiano urbem tradere adque pedes regi tam principes, quam populus, se projicere & confessa sua culpa veniam petere Augusti d. 11. *Chr. Holst. Bonn.* A. e. Wardenburgum Scaniæ arx munita durante obsidione Hafnienſi a regiis militibus expugnata est. Marcus Meier captus & in castra Holsatorum ante urbem Hafniensem adductus, capitisque damnatus est, sectus in quatuor partes rotæ impositus, & corvis dilaniandus expositus. Simile supplicium subiit frater ejus Gerhardus, & quidam sacerdos Papisticus Danus. *Bonn.*

Hafniæ obsessi pertinaciter se defendunt. *tandem extrema ex fame passi urbem tradunt.* *Marcus Meier capite plexus aliique.*

Anno 1537. die S. Magdal. Marchio Albertus Dux Prussiæ venit Dantiscum cum uxore & fratre ejus Duce Johanne Holsatorum & profecti sunt in Daniam ad coronationem regis Christiani III. *Chr. MS.* A. e. Christianus III. solemnibus cæremoniis coronatus est rex Danorum, Dominica post Laurentii Hafniæ Danorum, præsentibus Duce Alberto Prussiæ, Johanne fratre regis, Francisco de Lunæburg & Francisco Louwenburgensi, legatis quoque regis Suecorum, Landgravii Hessorum, & consulibus Dantiſci & Hamburgi. Deduxit autem regem ingens & conferta Danicorum nobilium caterva in templum sequente regina Dorothea Ducissa Prussiæ cum pompa regali in deauratis curribus. Deinde impositis altari per consiliarios regni regalibus, gladio scilicet, sceptro, orbiculo, & corona unus consiliariorum reverenter petiit, ordinatorem Johannem Bugenhagium Pomeranum, ut ex mandato regni Danici hunc electum regem cum regina divinitus regno datum tamquam minister Christi in regem confirmare velit, traditis ipsi in nomine S. S. Trinitatis regalibus ad honorem Dei & reipubl. commodum. Qui mox cum rex juramentum præstitisset, ordine decente regalia regi atque reginæ tradidit iisque in nomine Dei benedixit, rex denique in dexteram accepto gladio evangelium legit, & sic in regiam sel-

Ao. 1536. Lubecenses cum Christiano transigunt.

Ao. 1537. R. Christianus coronatur in frequentia principum nobiliumque.

lam

lam ſeceſſit uſque ad conſummatum miſſæ officium; deductus poſtea ad aulam ſumma in lætitia cum principibus convivatus eſt. *Idem.* (37) A. e. Johannes rex Sueciæ natus eſt 10. Decembris. *Chr. MS.* A. e. Chriſtianus III. quiete regnum poſſidens ſtuduit in primis gubernationis politicæ decentem formam inſtituere atque ab honore Dei exorſus edicto publico abuſus papiſticos in omnibus diœceſibus abrogavit & per totum regnum verbum Dei pure annunciari fecit. Cumque intelligeret Epiſcopos Daniæ clancularia conſilia agere & fœdera jungere, omnes ſeptem ſimul cepit ac auctoritate ſua & potentia privavit, ne aliquis per illorum factiones novus in regno motus exoriretur. Deinde vocatis undiquaque doctoribus evangelicis academiam Hafnienſem renovavit atque proventibus annuis clementer amplificavit, quæ duo vere regia ejus, & æterna laude digna ſunt opera, ad gloriam Dei & regni benedictionem populique ſalutem ſumme neceſſaria. Idem tunc quoque per Johannem Bugenhagium ordinationem Eccleſiaſticam ſecundum articulos Auguſtanæ confeſſionis inſtaurari fecit. *Bonnus.*

Chriſtiani R. inſtituta circa religionem puriorem.

Ao. 1538. Crempa munita.

Anno 1538. Crempa Stormariæ oppidum munitur vallo firmiſſimo rege Chriſtiano propria manu latitudinem foſſæ, valli & propugnaculorum ambitum virgultis deſignante, cum timebatur Cæſar captivi regis affinis. A. e. piſcatores in Scania nullos haleces in Sept. ceperunt; unde mercatores ingenti damno affecti ſunt. *Chr. MS.*

Ao. 1539. Rensburgum vallo circumdatum & auctum.

Anno 1539. Rensburgum Holſatiæ rex Chriſtianus III. munire cœpit vallo, quando integra platea domorum ſuper pontem Eydoræ ad Hukesportam ex regio mandato deſtructa fuit; ſimiliter altera, quæ vocabatur balneatoria ante portam molendini. Civibus vero ultra Eydoram prope Campenſem parochiam conceſſus eſt ad ædificandum locus, cui nomen factum Vindeshier. Turris quoque templi S. Spiritus ante Hukesportam, pulcrum urbis ornamentum, a quibusdam civibus parum evangelicis dejecta & cum templo deſtructa eſt. *Chr. MS.* A. e. peſtis per Holſatiam graſſans quasdam integras familias abſumſit. *Chr. MS.* (38)

peſtis in Holſ.

Ao. 1540. Conventus Munſter. dorf. inſtitutus.

Anno 1540. Chriſtianus III. rex dedicavit ex conſilio Domini Johannis Ranzovii reditus annuos calendarum papiſticarum in Munſterdorff Stormariæ paſtoribus utriusque Marſchiæ ſub præfectura Steinburgenſi, ut quotannis habita publica ſynodo ibidem a præpoſito Izehoënſi cauſæ religionis & matrimonii legitime dijudicentur & in doctrina ſana veritas & unitas, inque doctorum vita puritas & integritas conſervetur. *Chr. MS.* A. e.

Magnus D. natus.

Magnus Dux natus eſt regi Chriſtiano d. 24. Aug. Hafniæ.

Ao. 1541. Hadelerii milites palantes cædunt.

Anno 1541. Hadeleria ultra Albim divexata eſt a militibus die paſchatos, ſed occiſi ſunt 700. milites a ruſticis. *Chr. MS.* A. e. Chriſtianus III. fœdus perpetuæ amicitiæ & pacis cum rege Guſtavo Suecorum affine ſuo pepigit eumque contra ſeditioſos ruſticos miſſo exercitu defendit. *Chr. MS.*

Chriſtianus Guſtavo R. Suec. fœdere jungitur & auxiliatur.

Ao. 1542. Frider. in ſucceſſorem regni electus.

Anno 1542. Fridericus filius Chriſtiani III. electus eſt in ſucceſſorem regni Daniæ a ſenatu regio. *Chr. MS.* A. e. Chriſtianus rex injunxit in comitiis Rensburgi in Martio habitis Dn. Johanni Bugenhagio conſcribere ordinationem Eccleſiaſticam de doctrina & ritibus religionis Lutheranæ repurgatæ ab idolomania pontificia. *Chr. MS.* A. e. rex Chriſtianus III. miſit Henrico Galliarum regi confœderato Duci Juliacenſi in auxilium contra Carolum Cæſarem legionem veteranorum militum & quingentos equites nigros ipſius ſumtibus in Brabantiam ad Martinum Roſſenium belli Ducem, quorum ope quantam vaſtitatem Brabantia acceperit ruinæ oppidorum & metropolis Antwerpia fere capta teſtantur. Claſſem quoque navium bellicarum expedivit ad depopulandam oram maritimam inferioris Germaniæ, quæ quamvis vento contrario orto per totam æſtatem optatum curſum tenere non potuerit, homines tamen maritimos, ne aliis opem ferrent, ſuſpenſos tenuerunt. *Vita Rantzovii.*

ordinatio eccleſiaſt. juſſu R. a Bugenh. compoſita.

Chriſtianus regi Gall. contra Carol. V. Imp. auxilia mittit.

Ao. 1543. cum Cæſ. pacem jungit.

Anno 1543. Johannes Rantzovius Chriſtiani III. legatus etſi aliquoties cum Cæſarianis variis in locis de pace pangenda egerit, tamdiu tamen hæ actiones irritæ fuerunt, donec Spiram verſus profectus cum legationis ſuæ ſociis effecit, ut Chriſtianus rex honeſtis amicitiæ legibus Cæſari Carolo V. junctus ſit, & catena aurea grandis valoris ſicut & collegæ a Cæſare donatus fuit. *Vita Ranz.* A. e. legiones aliquot militum, quæ devictis & ſpoliatis Hadeleriis ad Albim ruſticis a Chriſtiano rege in Holſatiam translatæ, & toto pene anno vicatim diſtributæ in dubiam belli cum Cæſare exſpectationem ſuſtentatæ erant, dimiſſæ ſunt, cum ſummo illorum fremitu & conviciis in regem pacificum, quem *Pfaffenkönig* iccirco appellarent, quod oblatam ad ſubjugandam Dithmarſiam militiam ſpontaneam & gratuitam ſine ſumtibus regiis pro ſola ancipiti præda ſuſcipiendam ex conſilio epiſcoporum & paſtorum abnuerat, apparatu vario in hanc expeditionem comparato cum magna victoriæ ſpe & factis ſumtibus irrito & fruſtraneo. *Chr. MS.*

legiones militum quas ex Hadeleria advocatas ſuſtentarat, dimittit ipſis indignantibus.

Ao. 1544. annona caritas.

Anno 1544. Lubecæ prima fœmina decollata eſt. *Chr. MS.* A. e. ingens fuit in Holſatia caritas annonæ, modius ſiliginis venditus eſt thalero, tina hordei 4. marcis Lubecenſibus, tina panici ſolidis 20. avenæ 24. ſolidis, fabarum 4. marcis, piſorum 4. marcis. Quo anno

---

Diſputatio Holſatorum cum Nic. Boyen paſt. Ditm. de magiſtratu 48. virorum in Ditmarſ.

(37) Ao. 1537. circa hoc tempus & annis ſequentibus inter præcipuos V. D miniſtros in Holſatia & Nicolaum Boye ſeniorem paſt. Weslingbur. in Dithmarſia contentio orta eſt; utrum magiſtratus Dithmarſicus ex 48. judicibus conſiſtens ſit legitimus? id quod negarunt Holſatici, docentes regem Daniæ Dithmarſos, utpote nulli magiſtratui ſubjectos legitime debellare & occupare poſſe de quo vid. litteræ Nicol. Boyen Paſt. Meldorp. ad magiſtratum a. 1542. conſcriptæ in *miſcellan. Dithmarſ. fol. 78. b.*

(38) Ao. 1539. Melchior Rantzovius Hanſii filius juvenis conceſſit in fata. Fuit vero Chriſt. III. reg. Dan. aulæ præfectus, qui hoc mortuo dixiſſe fertur gemmam ſe ex corona ſua amiſiſſe *Elverf. l. c. p.* 248.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

anno senatus Rensburgensis singulis civium domibus fertilem hortum in agro distribuit. *Chr. MS.* A. c. Christianus III. rex divisit cum fratribus Johanne & Adolpho principatus avitos & paternos Ducatus Slesvicensis, Holsatiæ & Stormariæ; dissuadente maxime Johanne Rantzovio, ne hac partitione potentia conjuncta diminui, & simultates inter fratres ortæ patriam affligere facile possent. Christiano regi sorte obvenerunt hæ sex præfecturæ: Sunderburg, Norburg in insula Alsatia, Flensburg, Steinburg, Segeberg, Plœne; cœnobia quoque monachorum Arnsbœke & Reinefeld in Wagria, Ruklœster in Angulia. Duci Johanni cesserunt hæ 6. præfecturæ, Hatersleben, Dorning, Tunderen & Stranth in Slesvicensi Ducatu, Rensburg & Femern in Holsatia, cœnobia duo Borsholm & Luenklosster. Ducis Adolphi pars fuit, Gottorp, Apenrad, Kiel, Trittow, Oldenburg, Hutten, Stapelholm, Eyderstede, cœnobia tria, Reynebeke, Cysmer, Morkerken in Anglia. Christianus vero rex toto hoc tempore, quo Rensburgi commoratus fuit, ostendit subditis & adolescentiæ exemplar veræ pietatis & reverentiæ erga Deum in colendo assidue verbi ministerio & frequentando singulas conciones in oppido, non solum evangelicas antemeridianas, sed & catecheticas antelucanas, quas inter omnium primos accessit, descendens ex arce & exemplo suo socordiam civium arguens. Communicavit etiam subinde cœnæ Dominicæ in tanta humilitate animi, ut pauperiores & male vestitos rusticos simul ad altare congregatos separari a se per pastorem vetuerit, inter illos assidens & sacramentum altaris percipiens.

Christianus terras Holf. partitur cum Johanne IV. D. atque Adolpho.

ejus pietas & modestia circa sacra.

Ao. 1544. Anno 1544. Wiben Peters Dithmarsus Meldorpiensis ejectus factione suorum patria exulat Rensburgi in tutela Christiani regis defendens causam viduæ ad se emptam. *Chr. MS.*

Ao. 1545. annonæ vilitas. Anno 1545. annonæ tanta vilitas beneficio divino facta est, ut modius siliginis emtus sit solidis duodecim. *Chr. MS.* A. e. Christiano regi natus est filius Johannes 25. Martii hora 7. vespertina. A. e. Balthasar Rantzovius Episcopus Lubecensis captus est in villa Koldenhaven d. 27. Aug. ab hæredibus Martini Walfisch, qui mille equites Brandeburgicos in Daniam vexerat, & in pugna cæsus salario caruerat debito: & mox in captivitatem Ranzovius abductus in ea mortuus est, dum redimi non potuit. *Chr. MS.* Accidit hoc anno sub Dominio nobilissimi viri Gotschalki Ranzovii in Nienhoff memorabile factum, ortum ex dissidio & morositate conjugiali. Rusticus quidam pauperculus a contentiosa uxore valde offensus relicta uxore cum liberis clam discessit Artelburgum ad Albim, & mensibus aliquot pro pacta mercede exercuit operas rusticas ad sustentationem suæ familiæ. Cum autem uxor & liberi de salute ejus soliciti ubique inquirerent, consanguinei mariti suspicionibus pravis indulgentes, & culpam in uxorem morosam rejicientes de parricidio illam insimularunt. Quod malum omen augur

Johannes R. fil. nascitur.

Balth. Ranzovius Episc. Lubec. captivus moritur.

Triste supplicium mulieris cujusdam, rusticæ in prædio Nienhoff quæ marito clam aufugiente cædis insimulata fuit.

quidam temulentus in caupona rusticis ebriosis satanæ instinctu confirmabat jactitans, si pretium numeretur, se locum monstraturum, ubi amicus ipsorum strangulatus demersusque sit. Quibus verbis rustici fidem habentes amici uxorem & liberos apud nobilem de latrocinio accusant & carceri tradi curant. Mulier tormentis exquisitis subjecta confitetur se maritum opera filii sui & filiæ noctu strangulasse & cadaver sacco lapidibus aliquot onerato intrusum demersisse in stagnum, quod est post hortum domus suæ. Quam confessi opem liberi similiter confirmarunt constanter, etsi nihil in designato loco reperiri potuerit. Etsi vero pastori suo in privata confessione innocentes se profiterentur, ille tamen hoc palam affirmare ausus non fuit. Lata igitur fuit capitalis parricidii sententia & mater cum filio rotæ fuit affixa: filia vero carnifici petenti in uxorem permissa est, rusticus vero maritus, cum pecuniolam aliquam sibi acquisivisset, reversus est conquerens uxorem & liberos injuste trucidatos suo nomine. Vicini omnes stupentes illius præsentiam & veris tamen notis eundem esse comperientes nobili suo reditum ipsius significarunt, qui justo zelo instigatus morosum desertorem ex præfectura sua discedere & exulare coëgit. Dolentes homines tam horrendum innocentium personarum casum impostori illi maledixerunt, qui paulo post venabulo transfossus dignas sui facti pœnas in caupona dedit. *Chr. MS.*

Anno 1546. Christiano regi nata est filia Dorothea 29. Jun. vesperi. *Idem.* A. e. Christianus rex Lundæ in Scania deplorata fuit valetudine, cumque medici physicis suis remediis parum efficere se profiterentur suis & ecclesiæ precibus servatus & restitutus est. A. e. Crempenses piratam quendam nomine Johannem Bunzuk naves Hollandicas prædantem abduxerunt Crempas. A. e. rex Christianus volens subditis singulare beneficium repurgatæ sanæ doctrinæ ab idololatriis papatus conservare & fundamenta ejus in scripturis ostendere, magnis sumtibus curavit biblia sacra juxta translationem D. Lutheri summa diligentia ac fide in Danicam linguam verti typisque elegantissimis excudi, ut ab omnibus legerentur & ad posteros propagarentur. Quia vero maximopere psalmis & cantionibus Germanicis D Lutheri delectabatur, in quibus catechismi doctrina succincte comprehensa est, eosque in ecclesiæ cœtu clara magnaque voce canere ante cæteros audiri solebat, voluit & hujus psalterii translati in Danicam linguam studium & exercitium suo exemplo Danis commendare & ad quotidiana pietatis & gratitudinis officia invitare. *Chr. MS.*

Ao. 1546. Dorothea R. fil. nascitur.

Christianus R. ex morbo graviter decumbens.

pirata a Crempensibus captus.

Biblia Luther. Danice evulgata, itemque cantiones.

Anno 1547. sol toto die 23. Aprilis tristis & quasi rubigine cinctus visus est in Holsatia & Germania ac Gallia a multis hominum millibus, quo die elector Saxoniæ Joh. Fridericus captus est ad Mulbergam. Hamburgenses item nautæ viderunt d. 15. Decemb. media nocte in mari septentrionali quasi solem oriri,

Ao. 1547. solis tristior facies, it. globus igneus.

globum igneum usque ad plagam glacialem, qui tandem longa tæda cecidit cum fragore versus ortum. *Chr. MS.* A. e. Carolus V. Cæsar imperavit civitatibus etiam Wandalicis recipere scriptum Interim edicto publico, sed concionatoribus fideliter reclamantibus nihil mutatum est. *Chr. MS.* A. e. M. Hermannus Bonnus Superintendens Lubecensis publicatis propositionibus theologicis disputationem instituit contra monachum quendam nomine Laurentium Moreck pastorem Burgensem commendatum senatui a D. Philippo & Pomerano, merita bonorum operum defendentem necessaria ad salutem, & sine vocatione domos civium circumeuntem conscientiasque turbantem, quem senatus convictum in exilium egit, cum ex consilio D. Æpini, Smedenstedii & Aurifabri opinionem suam publice ex scripto revocasset, d. Sept. 6. *Chron. Bonn.* A. e. pestis per Saxoniam grassans absumsit Lubecæ 3800. homines, Husii in Sleswicensi Ducatu fere totidem longe lateque serpens. *Chr. MS.*

Interim illud civitt. Vandalicis obtrusum.

Herm. Bonni disp. contra defendentem bonorum operum necessit. ad sal.

pestis.

Anno 1548. conjunctio fuit Saturni & Martis in Capric. quam secuta est obsessio Magdeburgica. *Dress.* A. e. D. Johannes Æpinus Superintendens Hamburgensis edidit solidum scriptum, nomine Saxonicarum ecclesiarum contra Interim, in quo errores papisticos erudite confutavit. A. e. Husii absumta est tota platea flammis ex stulta epistomii explosione, pulvere bombardico repleti. Eadem æstate pestis resuscitata per oras maritimas cum luctu multorum sæviit scholis studiosorum ubique clausis. A. e. Dux Saxoniæ a fratre coarctatus duxit in uxorem Annam filiam Christiani III. regis Danorum in Octobri Hafniæ nuptiis celebratis præsente Duce Holsatiæ.

Ao. 1548. Conj. Saturni & Martis.

Jo. Æpini scriptum contra Interim.

Incendium Husii.

pestis renata.

Anna Dan. nubit Duci Sax.

Anno 1549. Islandia insula a seditioso quodam episcopo papistico maxima ex parte ad rebellionem seducta contra regem, ad obsequium reducta est per Christophorum Druntheimium Norwagiæ vicarium regium, qui classe militari advectus turbatorem ex munitionibus montanis extractum decollavit, & motus sedavit. Ut autem populus in doctrina Christiana recte instructus propter Deum promtam præstare posset obedientiam, rex duos magistros creavit & in Islandiam misit, quorum vigilantia & studio terra illa hospitium evangelii Christi facta est. A. e. Travemundæ exusta fuit præfecturæ domus cum aliis septuaginta ædibus die 23. Apr. A. e. D. Johannes Æpinus Superintendens Hamburgensis ecclesiæ explicans Psalterium Davidis disputavit Ps. 16. prophetæ verba non derelinques animam meam in inferno affirmare in summam conscientiarum afflictarum consolationem Christum redemtorem humani generis corpore in sepulcro requiescente descendisse secundum animam in infernum atque ibi dolores inferni sustinuisse, quos animas oportuisset ferre corpore exutas: allegans hujus suæ sententiæ auctorem Davidem & D. Petrum Act. 2. affirmans paradisum seu sinum Abrahæ, de quo locutus est illo tempore Christus, fuisse tum apud inferos, nunc vero apud superos. Huic opinioni cum se quidam pastores & ministri ecclesiæ opponerent eamque publice ex dictis Christi refutarent, ubi inquit, consummatum est; item hodie mecum eris in paradiso; officio docendi privati sunt & dimissi, causa legitime non dijudicata. Inter eos autem fuerunt M. Johannes Garzæus, M. Franckius, Dn. Tilemannus Eping & Caspar Hackroth deinde sacellanus Crempensis, postea promotus ad pastoratum in Eyderstadio. *Chr. MS.*

Ao. 1549. Islandi rebelles ad religionem puriorem reducti.

Travemundæ exusta.

V. D. quorundam apud Hamburgenses ministrorum cum Jo. Æpino ob singularem ejus circa descensum Christi ad inf. sententiam controversia & exilium.

Anno 1550. die 23. Apr. fuerunt Reynefeldæ apud regem Christianum Marchio Johannes, Dux Megalopolitanus cum vidua Ducis Magni. *Chron. MS.* A. e. Magdeburgum ob recusatum Interim & ejectos Canonicos obsessum est d. 13. Aug. Duce Mauritio Electore & Georgio Megalopolitano, propter hanc quoque causam devastatum anteurbium Sudenburg cum cœnobio Bergen a civibus. Duravit obsidio annum & tres menses factaque compositione soluta est in Novembri. *Dresserus.* A. e. Christianus rex Witeberga evocavit M. Georgium Rorarium & per eum quædam opera D. Lutheri nondum edita describi curavit. A. e. navis Livonienſis repleta mercibus fulmine in Travena incensa periit. A. e. Volradus Comes Mansfeldus adflixit per suos milites Ratzeburgum atque circa Albim vagans Holsatis terrorem incussit Magdeburgicis opem ferre volens. *Sleid. lib. 22.*

Ao. 1550.

Magdeburgi diuturna obsessio ob ejectos canonicos atque Interim.

Lutheri quædam opera in Dania typis excusa.

Volradus Com. Mansf. Magdeburgensibus subventurus Ratzeburgum affligit, alibi prædas agit.

Anno 1551. legati Christiani regis Danorum Lubecam venerunt conspecturi privilegia maritimarum civitatum in regno Daniæ, quibus opinione plura coram sunt ostensa. Postulatum quoque per eosdem homagium a civitate Hamburgensi & receptio feudi a Ducibus Holsatiæ fratribus, sed Dux Adolphus eam recusans in militiam ad Cæsarem abiit. *Chron. MS.* A. e. Adolphus Dux in aula Caroli V. vixit, eique Augustæ in comitiis adfuit, postea in Belgio provocatus lusu equestri strenue se gessit & antagonistas vicit. *Chr. MS.*

Ao. 1551. Danorum legatorum negotia.

Adolphus D. Augustæ comitiis adest: in Belgio ejus ostensa virtus.

Anno 1552. Adolphus Dux militavit Cæsari Carolo V. in obsidione urbis Metensis Lotharingiæ a Gallo occupatæ, habens exercitum 1800. equitum; duravit obsessio a festo Johannis usque ad initium fere anni sequentis lue pestifera multis exstinctis.

Ao. 1552. Adolphus D. Carolo V. militat in obsid. Metensi.

Anno 1553. Fridericus Colonia rediit in Holsatiam Episcopus Slesvici factus. A. e. Christianus III. rex in Aprili visitat ultima vice suos hæreditarios ducatus injungens omnibus Canonicis Slesvicensibus officium docendi verbum, & administrandi sacramenta publice in Ecclesia Christi; Pastores quoque Stormariæ Crempas convocans apostolico zelo adhortatur ad constantiam sanæ & repurgatæ doctrinæ, donans iis per singulas parochias tomos operum D. Lutheri, ut illorum studiosa lectione in cognitione verbi divini ad erudiendam plebem ædificarentur. A. e. Johannes Lascus Polonus genere nobilis propter Cinglianissimum ex Anglia profligatus venit cum collega suo Mycronio in Daniam hospitium petens: examinatus vero mandato regio

Ao. 1553. Frider. Colonia redux fit Episc. Slesw. Christiani R. ultimum ducatus suos visentis circa religionem promovendam cura.

Jo. Lascus ob Cinglianismum Dania & Holsatia prohibitus.

regio a concionatoribus M. Paulo Noviomagenſi & M. Henrico Buſcoducenſi pertinaciter defendit ſacramentariorum ſententiam: ideoque regno Daniæ & Holſatia excedere juſſus per Saxoniam hoſpitium non invenit. *Sleid. lib.* 25. A. e. M Joachimus Weſtphalus paſtor Eccleſiæ Hamburgenſis ſuſcepit in ſe fere ſolus defenſionem ſententiæ orthodoxæ Lutheri de cœna Domini, cum Witebergenſes & alii profeſſores theologi ad metonymiam Calvini muſſitarent. *Chr. MS.*

Joach. Weſtphali Hamb. contra Cryptocalviniſtas zelus.

Ao. 1554. V. de Bulow Bergerdorpio capto ab Hamb. tributa extorquens Holſatia arcetur.

Anno 1554. Vicco de Bulow nobilis Saxo manu militum contracta cepit oppidulum Bergerdorf & Hamburgenſibus impoſuit mulctam 6000. thalerorum. Cum vero in Holſatia quoque molendinum incendiſſet, Holſatiæ ambo principes provocati proficiſcuntur cum exercitu ex ſubditis contracto ad ripam Albis die 16. Maji hoſtemque absque pecunia civibus imperata diſcedere cogunt. *Idem.*

Ao. 1555. Fertilitas agr. Sacra turbans quidam Rensb. infeſta morte perit.

Anno 1555. fertilis annus fuit, quo tina ſiliginis emta fuit ſolidis Lubecenſibus viginti quatuor. *Chr. MS.* A. e. civis quidam Rensburgenſis die feſto paſchatis choreas ducens in occurſum plebis ex concione ſacra ſummi feſti prodeuntis paucis poſt horis ab hoſpite ſuo nobili Dano per errorem transfoditur. *Chr. MS.* A. e. obiit produx Cimbriæ Johannes Rantzovius, poſtquam regi Daniæ in ſubjuganda Dithmarſia & aliis provinciis fida miniſteria præſtitiſſet ſago togaque clariſſimus.

Jo. Rantzovii obitus.

Eliſab. Dan. pr. moritur. Frider. D. Holſ. fit Epiſc. Hildes.

A. e. Eliſabetha regis Danorum filia obiit d. 11. Junii vidua Joachimi I. Electoris. A. e. Fridericus Dux Holſatiæ electus eſt in Epiſcopum Hildesheimenſem. *Chr. MS.* A. e. promulgatum eſt mandatum principum Holſatiæ de expellendis regione hominibus anabaptiſmo & ſacramentaria hæreſi infectis, præſertim vero artificibus impudenter ſacramenta eccleſiæ in officinis ſuis traducentibus & elevantibus.

Holſatia ejiciuntur anabaptiſtæ & ſacramentarii.

Ao. 1556. Fulmina circa initium anni diutina. Cometam ſequitur mors Friderici D. Holſ. itemque ficcitas.

Anno 1556. initium anni circa natalem Domini cœpit a fulgure & horribilibus tonitruis per geminatum octiduum continuis. *Chr. MS.* A. e. Cometa apparuit, quem ſecuta eſt magna ſiccitas aëris, & principum quorundam mors, inter quos Fridericus Dux Holſatiæ, & Epiſcopus Hildesheimenſis & Sleſwicenſis, obiit Chilonii d. 26. Octob. cum ad 14. menſes decubuiſſet, ſepultus Sleſwici ad latus patris regis Friderici d. 5. Nov. funus deducentibus fratribus Duce Johanne & Adolpho cum inſigni nobilium comitatu ætatis ſuæ anno 24.

Itzeboënſe cœnob. incendio tentatur. Holſati ab impoſtore quodam ſanitatis ſpe ſeducti.

A. e. cœnobium Itzehoënſe arſit flammis exortis in domo Abbatiſſæ ipſis nundinis Martii menſis, ſed incendium a civibus exſtinctum eſt. *Chr. MS.* A. e. cœcus quidam in balneis publicis Comitatus Spegelbergenſis Dæmoniacos liberans in admirationem venit omnium vicinarum nationum. Unde quocunque morbo affecti accurrentes, ſeque in fonte lavantes ſanitatem ſperabant: ſed Holſatorum plurimi ſpe ſua fruſtrati, præter morborum cumulatum dolorem jacturam rei familiaris non exiguam fecerunt. *Chron. MS.*

Peſtis Holſ.

A. e. peſtis graſſata eſt in civitatibus aliquot Saxonicis & Holſaticis, perveniens etiam Crempas, ut hoc verſu memoriali repræſentatum eſt.

QVo graſſata LVes anno Metron IſtVD habeto.

Ao. 1557. Alb. Hardenbergeri Brem. lites de cœna motæ.

Anno 1557. D. Albertus Hardenbergerus movit Bremæ certamen de cœna, cui D. Johannes Amſtelodamus oppoſuit confeſſionem miniſtrorum Saxonicorum & Dithmarſicorum ex teſtimoniis ſcripturæ, patrum & puriorum doctorum collectas. Dux Adolphus ſimiliter in Holſatia ſuæ eccleſiæ miniſtros per D. Paulum ab Eitzen Superintendentem Hamburgenſem examinari, confeſſionemque orthodoxam de cœna Domini ſubſcriptione approbari fecit. *Chr. MS.*

Holſati ſubſcribunt Pauli ab Eitzen de S. cœna confeſſioni.

Ao. 1558. Dithmarſi ad pœnitentiam ſcelerum pie devocati.

Anno 1558 concionatores Dithmarſici direxerunt ad XLVIII. ſeniores & ſenatores terræ mandatum Dei altiſſimi de effuſi innocentis ſanguinis pœna per prophetas Eſaiam & Hoſeam prædicta velociter exſequenda, ob has præcipue cauſas, quod in ſumma abundantia rerum, pace florentiſſima ultra annos 300. abuſi ſint ad ſecuritatem, quod judicia publica propter munera & perſonarum reſpectum perverterint, adulteria & inceſtus commiſerint, pauperes oppreſſerint, triginta denique homicidia intra ſpatium unius anni perpetrarint, quod inſuper nefanda ſcelerum indulgentia Holſatiam & vicinas maritimas urbes homicidis exulibus repleverint, &, quod vindictam Dei accelerat, audaciſſimum facinus nuper commiſſum, latrones miſerandæ cædis ad viam publicam in Braunsbuttel captivatos impune non tantum effugere permiſerint, ſed quidam ex judicibus latrocinium hoc excuſare & juſtificare voluerint. Niſi ergo ſeriam & dignam factis pœnitentiam quantocyus egerint, fore ut juxta comminationem Eſaiæ c. 59. omnis innocens ſanguis hactenus effuſus in terra ſuper capita ipſorum veniens vindictam ſeveram attracturus ſit.

Cometa.

Anno eod. Cometa viſus eſt ſub cynoſura Aug. d. 17. caudam in ſeptentrionem occidentem verſus extendens, quem ſecuta mox ſunt fulgura cum tempeſtate grandinis & pluviarum. Deceſſit poſtea Chriſtianus & Dithmarſia intra novem menſes occupata eſt. A. e.

Chriſtianus R. Livonos ipſius fidei ſe committentes pacē ſtudens renuit.

Livoniæ aliquot civitates legatione miſſa ad Chriſtianum regem ſe in regni Danici fidem & poteſtatem tradere volebant contra Moſchovitæ tyrannidem, ſed quia pacificus rex nihil novi tentare voluit, ne ſe bello aliquo non neceſſario implicaret, in hoc ultimo vitæ ſuæ actu humaniter oblata recuſavit.

Ao. 1559. Rex & principes Holſ. Ditmarſis indicunt bellum.

Anno 1559. litteris fecialibus rex Fridericus & Johannes Adolphusque fratres indixerunt Dithmarſis bellum d. 18. Maji ob has præcipue cauſas, quod ſibi ut veris principibus non tantum negent debitam obedientiam, ſed quod contumelioſe ſuam dignitatem traduxerint atque rapinis & latrociniis pacem publicam turbarint, & ne eccleſiis quidem pepercerint, in qua cædem ſui popularis Wiben Peters & fratris ejus commiſerant in Hilgeland inſula Ducis Adolphi & cadavera eorum vi abrepta Heydæ corvis expoſuerant juſtitiæque ſubjici recuſarant. A. e. paſtor eccleſiæ Dith-

Joh. Darnmann ſacr.

min. peccata Ditmarſorum deteſtans futuri providens ab iis diſcedit.

marſorum nomine Johannes Darnmannus alias *Grevenbrock* cum videret, terram Dithmarſicam ob cumulata populi peccata bello cruento involvi, nec admonitionibus concionatorum amplius locum dare, ille quietis amans & pacis ſuaſor lares ſuos inde tranſtulit in Holſatiam, ubi Crempis Stormarorum ad paſtorale officium mox vocatus illi eccleſiæ in 14. annum deinde præfuit. *Epitaph. Cremp.* A. e. Chriſtianus III. Danorum rex in ſeria & ardenti invocatione Dei alacriter deceſſit ex hac vita Calendis Januarii morbo ex dolore ſiniſtri pedis orto ex fluxu ſiniſtri lateris copioſo. Biduo autem ante feſtum natalis Dominici d. 23. Decemb. oraculum divinitus per quietem ipſi oblatum fuit, quo ſpem cepit, fore ut brevi cum inſequenti anno novo valetudini reſtitueretur novæ atque tunc ſecuturam vitam longiorem. Delectatus ergo maxime fuit in agone Cantico Simeonis per Lutherum rythmis donato, *Mit Fried und Freud ich fahr dahin*, & dictis ſalvatoris Matth. 11. venite ad me omnes, qui onerati eſtis, & Joh. 5. hæc eſt vita æterna. Joh. item 14. ego ſum via, veritas & vita: quæ ſæpius repetivit & pulchris explicationibus ad ſe applicavit. A. e. Chriſtiernus II. rex quondam Danorum accepto de morte Chriſtiani III. nuncio incidens in morbum lethalem eodem menſe poſt obiit, cum decennium exulaſſet & deinde 26. annos, primo Sunderburgæ Alſiæ, poſtea Callinburgæ Selandiæ cuſtodiæ regiæ traditus inque divini verbi doctrina liberaliter adſervatus eſſet. Deceſſit anno ætatis 77, cum regnaſſet annos decem. A. e. d. 12. Febr. Chriſtianus III. rex Danorum ſepultus eſt honorifice Otthoniæ in Fionia in ſacello, quod ſibi ipſe ad ſepulturam exſtruxerat. Fuerat in pietate & juſtitia alter Ezechias & omnium regum ſui ſeculi decus; cujus hoc ad compeſcendos privatos affectus celebratum regium dictum ad judices: Puni eos, qui officii ratione puniendi ſunt; ſi vero punias eos, qui tuam perſonam aliquo modo læſerunt, etiamſi ſis publica perſona, tamen exercere videris privatam vindictam, niſi remittas delictum. A. e. Adolphus Dux Holſatiæ cupiditate honeſtæ vindictæ de illata vi in inſula ſua Hilgeland ductus, clanculum contra Dithmarſos in vere exercitum conſcripſit, hoſtes privatis viribus aggredi feſtinans: ſed conſilio Epiſcopi Lubecenſis Andreæ de Barby & Johannis Ranzovii equitis ejusque filii Henrici vicarii regii perfectum eſt, ut ab omnibus tribus principibus publico decreto & ſumtu bellum ſuſceptum atque 18. Maji per fecialem indicatum ſit Dithmarſis. Electus ergo Dux belli Johannes Rantzovius fere ſeptuagenarius ſumma in feſtinatione Danos & Holſatos contrahens peregrinis cum legionibus quatuor equitum & peditum, quorum ſumma fuit 20000. hoſtilem terram ingreſſus, oppidumque Meldorff diviſo exercitu tribus locis uno tempore oppugnans d. 3. Junii illud cepit, amiſſo Duce unius legionis Wolfio Schoneweſio & centum fere militibus, cæſis hoſtibus quadringentis ac cæteris fugatis: captis vero ſignis decem & bombardis triginta. Comes vero Aldenburgenſis Antonius cum Mauritio Ranzovio occidit trecentos ad Ameswurt, ſcaptis viginti quinque bombardis, poſitaque ibi ſunt caſtra, tamquam in medio Dithmarſiæ ſecundum longitudinem inter Suderſtrandum & Nortſtrandum, atque ſic eorum copiæ ne conjungi poſſent, ſeparatæ ſunt. Sonitus bombardarum in expugnatione Meldorpii non ſolum clare auditus fuit Itzehoæ ultra milliaria quinque, ſed terra ſub pedibus tremorem reddidit ſenſibilem. Captivorum in Braunsbuttel quingenti viri catenis colligati deducti ſunt in arcem Gottorpium, trucidandi omnes, ſed interceſſione Ducis Johannis Rantzovii vita donati fuerunt: inter quos præcipuus fuit Anneken Jacobs Harder, reliqui viri trans Albim in exilium avecti ſunt. Heydam deinde nobile Dithmarſorum emporium per noctem & multas ambages caſtra moventes & munitionem Hemmæ circumeuntes rex & principes primi in ordinibus hoſtes aggreſſi ſunt, atque fortiter in locum paluſtrem de ſuis tormentis 4. ſigna fugarunt, 300. occiſis; quo in conflictu nobilis Danus Ericus Padebuſch ad latus regis Friderici globo eſt trajectus. In cunctatione quoque peditum ex itinere defatigatorum principes cum equitibus ſuis acre prælium ſuſtinuerunt. Adolphus etiam Dux, cum ab hoſtibus prælium tribus vicibus integraretur ex loco quodam prope Heydam munito ubi frater Henricus Zutphanienſis uſtulatus erat, fortiter pugnans in animando & reducendo milite graviter in dorſo vulneratus eſt. Sed victi tandem Dithmarſi & cæſi ſunt, hoc prælio ibidem ad trecentos; ad ſummam vero ante Heydam periere 3000, reliqui in Marſchiam Wiſſelburanam fugerunt, cum Heydæ incendium viderent d. 13. Junii, amiſſis Holſatorum 300. & aliis vulneratis. Sequenti 15. Junii per octo legatos ex gubernatoribus & eccleſiæ miniſtris ſuppliciter pacem a principibus flagitarunt & obedientiam perpetuam obtulerunt; quo die munitio firmiſſima Hammæ cum aliis propugnaculis in Tilenbrugge & Hemmingſtede diruta ſunt. Propoſita itaque Capitulatione articulorum obedientiæ & ſubjectionis a principibus & Dithmarſis deliberata d. 20. Junii pax firma ſancita atque a quater mille Dithmarſis adhuc e bello ſalvis jurejurando confirmata eſt in caſtris ad Ouwbrugge poſitis, adductis ſimul tormentis decem, quæ ſola ſecum retinuerant, ſubmiſſeque iisdem traditis. In iſta pacificatione remiſſa eſt gubernatoribus 48. contumacia rebellionis, & permiſſa velus poſſeſſio agrorum & ſilvarum ſingulis incolis, ſi quotannis die S. Nicolai de quolibet jugero agri Marſici pendant unum florenum viginti quatuor ſolidorum, & de campo editiori quilibet agricola dimidium ſati frumenti. Atque ſic tandem juxta concionatorum prophetiam recentem ſatis ſeveras pœnas idololatriæ dederunt, inprimis vero veneficiorum, iniquitatis & effuſi innocentis ſanguinis cum aliorum, tum imprimis doctorum verbi, quos hactenus impune oppreſſerant. Paſtor enim Heydanus

Chriſtiani III. R. pia mors.

Chriſtiernus II. obit.

Chriſtianus III. R. piet. ac juſtitiæ gloria inſignis ſepultus.

Bellum in Dithmarſos motum duce Jo. Ranzovio.

Meldorpium captum, Dithmarſi cæſi.

pugna circa Hemmæ.

Adolphus D vulneratur.

Heydæ incenſa.

munitiones deſtructæ.

Ditmarſi ſubjiciuntur & in fidem accipiuntur.

ſic flagitia Dithmarſorum punita.

danus M. Nicolaus Staphorſt in tentorio regio confeſſus eſt, omnes Dithmarſos initio belli congregatos & in tres turmas diviſos vetulæ cuidam interroganti, an ſervi eſſent Mariæ, annuiſſe & benedictionem Bileam ab illa accepiſſe, præterea ex conſilio ejus ſtomachum & linguam hoſtibus captis exemta haſtæ affixiſſe, contraque hoſtilia caſtra ſuſpendiſſe, ut terrorem iis incuterent ad fugam. A. e. d. 12. Aug. mortuus eſt Andreas Barby, electus nuper Epiſcopus Lubecenſis, & Cancellarius Chriſtiani III. Danorum regis, cui ſucceſſit Eberhardus ab Holle Abbas Lunæburgenſis. A. e. Fridericus II. poſt glorioſam & felicem victoriam ex Dithmarſis a ſubditis Danis ſummo cum tripudio exceptus fuit, coronatus Hafniæ, mox Aug. 20. d. in regali pompa ab Epiſcopo Lundenſi M. Nicolao Palladio præſentibus & deducentibus regem matre regina cum ſuis aulicis, D. Auguſto Electore Saxon. cum ſua conjuge Anna, regis ſorore, Ducibus Magno & Johanne fratribus regis, Ducibus item Johanne & Adolpho patruelibus: Comitibus præterea plurimis, Johanne & Chriſtiano de Oldenburg, item Johanne Guntherο de Schwartzburg, Wolfgango de Eiſenberg, Burchardo de Barby & Friderico de Donaw. Adfuerunt quoque legati civitatum Dantiſci, Lubecæ & Hamburgi. Rex in veſte candida attente audivit ordinatorem de cauſis coronationis deque officio regio divinitus præſcripto diſſerentem, deinde verba juramenti libro inſcripta protenſis duobus digitis legens cum reverentiali erga Deum trepidatione jurejurando confirmavit, atque mox unctionem regali balſamo accepit. Indutus poſtea eſt juſſu Epiſcopi regia & deaurata veſte traditis regni ornamentis, gladio, corona, ſceptro & orbiculorum cruce; addita deinde concinna ſingulorum explicatione Deo clementiſſimo gratias cecinerunt, peractisque cæremoniis diei dominicæ legente rege ipſo flexis genibus evangelium in lingua Danica & repetita admonitione ab Epiſcopo de vigilantia officii regii & obedientia ſubditorum, eorumque gratitudine equites aurati octo creati ſunt, plurimis hunc honorem renuentibus. Quibus omnibus abſolutis regia majeſtas cæſio generoſoq; equo aureis ornamentis ſcutellato & ſplendido ad prandium deducta eſt, geſtans capite aureum diadema, latere gladium & dextra ſceptrum, ſub cœlo arte facto & lapidibus precioſis atque auro ornatiſſimo, quod a quatuor præcipuis conſiliariis portabatur, comitantibus undique quadraginta ſatellitibus ſplendido panno undulao indutis. *Hier. Oſius.* A. e. Stora fluvius in tempeſtate tonitruorum maximorum circa ſeptimam veſpertinam diei 14. Nov. ad inſuetam altitudinem exundavit & Itzehoam in aliquot plateis adimplevit.

Eberh. ab Holle Epiſ. Lubec.

Fridericus II. ſolenniter coronatus.

Stora exundatio.

Anno 1560. Guſtavus rex Sueciæ obiit. A. e. Adolphus Dux Holſatiæ cum electa nobilium Holſaticorum caterva profectus eſt in Martio in Angliam, renovans cum regina Elizabetha fœdus illud vetus, quod olim cum Henrico ferreo Eduardus III. rex pepigerat, rediitque in Holſatiam d. 5. Julii deductus inde feliciter cum tribus navibus Anglicis. A. e. Chilonienſis civis H. Deters aurifaber evomuit lumbricum longitudine 9. pedum, qui poſt paucos annos propter verbi divini contemtum ab arbore ſua oppreſſus interiit. A. e. Dux Magnus, filius Chriſtiani III. electus eſt in Livonia in Epiſcopum Curlandiæ &c. & adminiſtratorem Revalienſem. A. e. chasma flammans viſum in ſeptentrione diſpergens ſe verſus ortum, & tandem ſeſe colligens evanuit.

Ao. 1560. Guſtavus R. Suec. obit. Adolphus D. in Angliam profectus Eliſab. reginam fœdere ſibi jungit.

lumbricus miræ longit.

Magnus D. fit Epiſc. Curland.

meteoron.

Anno 1561. D. Albertus Hardenberg Brunſwigæ a theologis de Calviniſmo convictus & ex tota Saxonia inferiori proſcriptus conceſſit Emdam in Februario, ubi tandem anno 77. periit apoplexia. A. e. Fridericus II. rex Daniæ cum fratre Johanne Ducatus hæreditarios partitur Ripis in Februario. Rex retinuit Flensburgum, Steinburgum, Segebergam & Reinefeldam: Johanni fratri ceſſit Sunderburgum, Norburgumque in inſula Alſia, quæ ad 8. milliaria extenditur in longitudinem & latitudinem in Ducatu Sleſwicenſi, præterea Plœna in Holſatia & Arensbokum cœnobium. A. e. duo horrenda parricidia in Broktorf patrata ſunt in Junio. Maritus quidam cum alio pugnans propriam ſuam uxorem interfecit. Privignus quoque vitricum ſuum jugulavit in lecto, inflictis ipſi quatuordecim vulneribus prope Itzehoam. A. e. d. 27. Julii Stora ex horrenda tempeſtate exundavit, unde multi homines & pecudes perierunt, fruges que corruptæ ſunt. A. e. Saxonicarum eccleſiarum doctores Lunæburgi congregati conſcripſerunt articulos concordiæ damnantes corruptelas Auguſtanæ confeſſionis. A. e. Sigismundus Polonus electus a Livonibus creavit Gothardum Ketler magiſtrum ordinis in Ducem Churlandiæ. A. e. Wilhelmus Dux Lunæburgenſis duxit in uxorem Dorotheam filiam Chriſtiani regis Danorum menſe Octobri in præſentia Auguſti Electoris.

Ao. 1561. Alb. Hardenbergi ob Calviniſmum fata.

Johannis jun. D. Sleſv. Sax. & Holſ. partes.

parricidia duo nefanda.

Stora exundatione nocet.

Lunæburgenſium doctorum articuli concordiæ.

Gotb. Ketler mag. ordinis enſif.

Dorothea Dan. nubit Wilhelmo D. Luneb.

Anno 1562. Bremæ mota eſt ſeditio civium duce Daniele de Buſen conſule contra ſenatum, quem coëgerunt abrogare decretum publicatum contra Calviniſtas. Diſceſſerunt concionatores fere omnes ex urbe, eosque tres conſules & maxima pars ſenatorum inſecuta eſt menſe Februario. A. e. Johannes Finlandiæ Dux ducit uxorem Sigismundi Poloni ſororem Catharinam. A. e. M. Johannes Frederus Superintendens Wiſmarienſis venenato potu hippocratico ſublatus eſt cum uxore & liberis. A. e. in vigilia S. Michaëlis viſæ ſunt faces ardentes ſub Boote hora 10. veſpertina. A. e. civis Itzehoënſis faber murarius amice extra oppidum eductam uxorem gravidam ſclopeto trajecit exoſus duos ejus privignos, ut interrogatus ſtulte reſpondebat. Captus itaque eſt d. 30. Octob. pedibus equo alligatus ad locum ſupplicii extractus eſt, ignitisque forcipibus diſtractus & rota contuſus. A. e. Dux Johannes ſenior ædificavit arcem Hansburgum veteri Haterslebia deſtructa. A. e. horribilis procella nocte S. Barbaræ cum tonitruis & fulgure auditæ ſunt, quibus turris Lunæburgenſium Springintguth exuſta eſt. A. e. fruges omnis generis propter continuas frigidas pluvias ad juſtam magnitudinem non per-

Ao. 1562. Bremenſium ſeditio Calviniſmi cauſa.

Jo. Frederus cum ſuis veneno peremtus.

meteoron.

Mariti in uxorem patrantis eadem ſupplicium.

Joh. ſen. ſtruit Hansburgam arcem.

tempeſtas.

frigus magnum.

venere; unde caritas annonæ orta est & tina siliginis quatuor marcis emta.

Ao. 1563. Rex 16am bonorum partem a Marsis postulat.

Anno 1563. Fridericus rex Danorum venit Itzehoam in Majo postulans a Marsis in foro congregatis tributum voce Henrici Rantzovii, sedecimam nempe bonorum partem in belli Suecici sumtus. A. e. Dux Adolphus misit D. Johannem Rantzovium in Hassiam, ad ducendam sibi filiam Landgravii Philippi Christiani. A. e. classis Suecica sedecim navium invasit d. 3. Junii naves Danicas præsidiarias sex, & tres ex iis vi cepit cum octoginta viris. A. e. Fridericus rex in Augusto profectus est in Sueciam, cum exercitu continente signa peditum 60. & duodecim equitum oppugnavit, & cepit arcem Elsburgum in Suecia 1. Sept. A. e. d. 9. Junii Lubecensis senatus in dixit Erico 14. Suecorum regi bellum exprobrans illi Gustavi parentis ingratitudinem, tyrannidem & contra datam & firmatam fidem extremam perfidiam in Lubecenses: deinde quod Ericus iisdem vestigiis insistens privilegia urbis infregerit & mercatores in Russiam navigantes contemtis Cæsareæ majestatis privilegiis & intercessionibus publice in mari Balthico spoliaverit atque dominium orientalis oceani sibi soli vendicare decreverit. A. e. Fridericus rex ultimo Julio publicatis litteris denunciavit patrueli Erico Suecorum bellum propter ingratitudinem ejus erga beneficia patris Christiani & perfidiam superbiamque in rumpendis fœderibus parentum sine omni honesta & probabili causa: quod præterea contumelia insigni se affecerit in expunctione insignium Danicorum & Norwagicorum in clypeis & sigillis regiis. Item quod fratrem Magnum promissione magnifica præmiorum ad defectionem a fratre rege non solum sollicitaverit, sed & quod nuper naves fiduciarias Danorum in freto Danico hostiliter invaserit, spoliaverit, tormentis infregerit & quasdam contra fœdus & jus gentium abduxerit. A. e. Ericus Dux Brunswicensis profectus est in Julio in Daniam ad regem Fridericum, & postea in Augusto exercitum ad oras Holsatiæ & Megapolensis ditionis adduxit, atque tandem coactus est cedere versus Prussiam, sed in Pomerania exercitus dissolutus est. A. e. Sueci victi & fugati sunt ab equitibus Josua a Qualen ad Helmsteden Halandiæ cæsis 4000. militum Suecorum 10. d. Sept.

Lubecenses Erico Suec. R. indicunt bellum.

itemque Fridericus R. additis causis.

Erici D. Brunsw. profectio in Daniam & bellici conatus.

Suecorum clades.

Ao. 1564. meteoron.

Anno 1564. chasmata conspecta in Holsatia, cum rex Fridericus d. 12. Jan. & iterum 25. Febr. Chilonii & Plœnæ commoraretur. A. e. civis quidam Rensburgensis M. H. Dominica Sexages. celebravit nuptias cum filia scribæ, ex cujus costa cum in ædibus sponsi deponeretur prosilierunt duæ feles, abscondentes se sub lecto sponsæ. Postero quoque die sub concione gallus in suggestu cantavit, & cum copularentur, in altari supra crucem ligneam sedens sponsam intuebatur vocem edens Vrogalli. Postea mortuus est subitanea plaga pater sponsæ d. 16. Maji. A. e. sæva pestis grassata est Dantisci, quotidie plures quam centum absumens. Quo eodem tempore D. Hieronymus Bremer consul Hamburgensis cum duobus civibus subitanea peste exstinctus fuit in Augusto. Postea in Decembri Pastor ad S. Jacobi M. Joh. Bodekerus cum collega obiit eadem lue. Lubecæ quoque per autumnum obierunt 17000. homines. A. e. Suecus in Blekingia cepit oppidum Rotteburg cæsis miserabiliter plus quam mille viris circa D. Michaëlis. A. e. Adolphus Dux Holsatiæ nuptias habuit Gottorpii cum Christina filia D. Philippi Landgravii Haffiæ. Aderant duo Landgravii Guilielmus & Philippus fratres, fratresque Ducis Adolphi, Johannes uterque Duces Holsatiæ d. 17. Decemb. Incensa fuit arx & aliqua ex parte exusta. A. e. Suecia tantam passa est annonæ caritatem, qua duodecim tinæ salis emtæ sunt ducentis quinquaginta marcis.

mirabilia circa quandam desponsationem.

pestis.

Rotteburg in Bleking. a Suecis capta.

Adolphi D. nuptiæ.

Anno 1565. Lubecenses cives naves bellicas 16. numero expediverunt in mare Balthicum contra Ericum regem Suecorum in Majo. A. e. Dux Johannes senior monachis in Bordesholmia numero paucissimis mutavit vestitum & rasuram concessa longa veste sacerdotali, atque instituto collegio pædagogico 18. stipendiariorum studiosorum, quorum curam monachis reformatis commisit. A. e. pestis grassata est Wilstoriæ & Itzehoæ, inque utraque Marschia usque in Decembrem. A. e. navale prælium commissum est inter Lubecenses, Suecos & Danos in profesto Baptistæ; Suecis ereptæ sunt quinque naves & tres submersæ. A. e. procella vehemens (Iapyx dicta) disjecit segetes atque contrivit quasi triturata in Marschia Crempensi, ipso die visitationis S. Mariæ: mixta fuit grandine instar anserinorum ovorum subvertitque domos & horrea in Marsia Crempensi. A. e. Duces Holsatiæ Johannes & Adolphus profecti sunt cum exercitu subditorum ad fines Holsatiæ, ubi Dux Brunswicensis errabat, reversi d. 20. Julii. A. e. M Michaël Consul Hafnienſis vir studiosus prodens Suecis consilia regis sui Friderici (quæ in aula, ubi notissimus erat & familiaris, audiverat) secatur in partes & quatuor rotis affigitur in Julio. A. e. Suecica classis deturbata est ex oceano tribus navibus prælio captis & aliquot in conflictu demersis, 2000. quoque cæsis virisin Augusto. A. e. Stormaria utraque expendit spatio quadriennii regi Friderico 70000. thaleros, quos pro salario accepit Georgius ab Holle dux militum. A. e. Fridericus II. commisit prælium d. 20. Octobr. cum Erico XIV. Suecorum in Astorfheyda prope Valkenburgum sub Duce Daniele Ranzovio filio Godeschalki habens 6. signa equitum & 10. signa peditum, quorum summa quinque millia virorum non excessit, cum quibus aggressus est exercitum Suecorum habentem 40. signa peditum & 17. signa equitum, quorum summa fuit 24000. factumque est prælium vehemens, in quo Dani prævalentes, intra duas horas fuderunt Suecos cæsis 5000., cum nox jam ingrueret & pugnam dirimeret, in loco, qui vocatus est Angstöhr. Humiliavit hac die Deus superbiam regis Erici, qui contemplans speciosum hunc exercitum jactabundus dixerat, equis suis Danos conculcaturum esse. Captus est Dux Suecorum cum Mareschallo aliisque multis Capitaneis & nobilibus. A. e. Holsati iterum

Ao. 1565. Lubecenſ. naves contra Ericum R. emittunt.

reformatio cœnobii Bordesholm.

pugna navali Suecis superantur.

tempestas dira.

Duces Holſ. copias educunt adv. Duc. Brunſw.

M. Michael proditor consiliorum punitus.

Suecorum classis fugata.

Stormariæ tributa gravia.

Sueci prælio victi in Angstöhr.

Holsati

arcent Ericum D. Brunſv. rum conveniunt armari in Bramſtede poſtridie omnium Sanctorum Ericum Brunſwicenſem arcentes & domum ſalvi redeunt d. 20.

Sueci ex Norvegia deturbati. Decemb. A. e. regis Suecorum exercitus invadit Norwegiam & fugatur cæſis quam plurimis & tormentis captis per ruſticos. A. e.

Crempenſium lites agrariæ. Crempenſis Marſchia legatos miſit ad regem pro confirmatione uſus paſcuorum prope Borsfletam in Wilteniſſe, rex vero miſſis literis elocat quodlibet jugerum quotannis pro

Joh. Ranzovii obitus & præclare facta. duobus thaleris jubens agrum metiri. A. e. Johannes Rantzovius, eques auratus, Dominus Bredenbergæ & Botcampi moritur d. 12. Decembr. ſummus Dux militiæ ſub regibus Friderico I., Chriſtiano III. & Friderico II., cum vixiſſet annos ſeptuaginta tres parochiamque ſuam Bredenbergenſem pulcro pinnaculo ornaſſet. (39)

Ao. 1566. imbres & portentum. Anno 1566. aquæ pluvialis maxima fuit abundantia in Marſchia Crempenſi in Februario.

tædes. Sleſwici plenus furnus panis ſiliginei in ſanguineam materiam mutatus eſt. A. e. Junge Bloth capitaneus Herdanus in propriis ædibus confoſſus eſt in Dithmarſia menſe Martio.

Ducis Curland. nuptiæ. A. e. Gothardus Dux Churlandiæ nuptias celebravit cum Anna Megalopolitana. A. e. Sueci obſederunt in Norwagia Steinwickholm, atque poſtea ad Bahuſen proſtrati ſunt

Belgarum ob fruſtra quæſitam abrogationem inquiſitionis motus. circiter 3600. ab incolis. A. e. Belgæ flagitarunt a rege Hiſpaniarum Hiſpanicæ inquiſitionis abrogationem in Aprili, quæ cum denegaretur, ſpoliarunt deinde in Aug. templa in quibusdam civitatibus & cœnobiis. A. e.

peſtis. lues peſtifera rurſus graſſata eſt in Aprili per Marſchiam uſque in Novembrem plurimos undique ſuffocans intra tridui ſpatium, ut in hoc monoſticho adſignatum eſt:

LIVIDa GerManiæ graſſatVr peſtIs In orIs.

Præpoſitus Bordesh. denegans Johanni rationem redituum aufugit. A. e. præpoſitus Bordesholmianus Marquardus Stamer, perſuaſus a monachis papiſticis quibusdam recuſavit Duci Johanni rationem redituum quotannis reddere: aufugit itaque Hamburgum cum litteris & privilegiis cœnobii jure repetens reſtitutionem prælaturæ

claſſium Dan. & Lubec. acer conflictus. ſuæ in Majo. A. e. claſſis Danicarum & Lubecenſium navium, quarum ſumma cum celocibus fuit 36. pelago Suecico ſe commiſerunt in feſto Trinitatis, quibus mox 30. Maji obviam fit claſſis Suecica 46. navium bellicarum, quæ felici vento uſa Danicam tormentis adflixit, & Lubecenſium veterem Berkam confregit, ſalvatis viris præter ſex ægrotos, qui ſimul ſubmerſi ſunt. Sueci valde ſuperbiverunt in navi ſua militari Makeloſa 700. laſtas ſuſtinente, cujus tabulæ craſſitiem ſesquiulnæ habuerunt, & denſiſſimis funibus nauticis circumdatæ erant; gubernata fuit a 600. militibus & continuit circa 500. tormenta parva & magna. Hanc 31. Maji prætoriæ duæ naves Danica & Lubecenſis per confertam hoſtilem claſſem perrumpentes, tormentis etiam maximis fruſtra oppugnarunt: globis itaque ignitis immiſſis incenderunt; unde tandem pulvis tormentarius accenſus omnes homines combuſſit, & reliqua ſubmerſa ſunt; ſolus Capitaneus Jacob Bagge cum duobus nobilibus & conſule Stokholmio atque uno captivorum ſcapham nacti aufugere conabantur, ſed ab uno celocium ad Capitaneum Lubecenſem reducti ſunt. Reliqui in portus Suecicos fuga ſe receperunt, & poſt dies quatuordecim alium congreſſum promiſerunt. Duravit hic conflictus integrum biduum & noctem unam. Periiſſe dicuntur mille viri, & centum capti. Lubecenſes circiter centum viros amiſerunt navibus laceratis. A. e. Daniel Ranzovius du-

Danorum in Smalandia expeditio. xit 9. ſigna militum in Smalandiam & ruſticos ubique in fidem regis ſui juramento compulit, cum autem ad quatuor milliaria arci Calmeræ appropinquaret, ruſtici ſeſe conglobantes proſtrarunt Danorum mille quingentos, quos cum declinando Daniel relinqueret, & illi ſignis ſublatis inſequerentur, congreſſus cum illis 4000. fudiſſe perhibetur. Dux Georgius ab Holle recta verſus Calmariam profectus eſt Maji d. 30. quem rex Fridericus ſecutus eſt, verſus anguſtas vias ſe convertens. A. e. in Majo frumentum tanta copia ex

frumenti vilitas. Polonia advectum eſt, ut ſeponi nequiverit; laſta una fuerat emta 500. florenis, & vendebatur iterum viginti quinque florenis. Unde Poloni mercatores ingens damnum acceperunt. A. e. claſſis Suecica 48. navium excur-

Infelix Danor. & Lubec. cum Suecis pugna navalis. rens ad regiam uſque Hafniam provocavit Lubecenſem & Danicam ad conflictum, quæ inſecutæ ſub Oelandia Suecos aggreſſæ & proſpero vento fruentes, prætoria Danica & Lubecenſis tribus vicibus Suecicam penetravit, trajecto tandem Capitaneo Lubecenſi & malo navis amiſſo, donec nocte ingruente Sueci in ſuos portus, Dani cum ſociis in Wisbue ſe contulerunt, ubi fixis ſub Gothlandia omnibus navibus Capitaneum ſuum in Wisbue ſepeliverunt, atque ſub multam noctem naves rurſum conſcenderunt. Orta vero ſæviſſima tempeſtate, qua cœlum & terram perire putaſſes, ſolutis anchoris & rudentibus, tres primariæ Lubecenſium naves ad littus conquaſſatæ & ſubmerſæ ſunt, cum præſidio 1045. virorum, inter quos fuit conſul Bartholomæus Tinappell cum ſacellano Strocranzio, ſalvatis tamen duobus Lubecenſium ſenatoribus cum 30. viris. Danicarum perierunt undecim naves cum ſuis nautis. Duæ Lubecenſes domum venerunt; octo Dantiſcum uſque jactatæ & conquaſſatæ ſunt circa Jacobi. A. e. Ham-

Hamburgis cum D. Harburg. burgenſes contenderunt cum Duce Harburgenſi de navigatione Albis, ſed per vicinos principes conciliati ſunt. A. e. autumnus ju-

autumnus jucundus, ſed peſtiferus. cundus & ſereno æſtivoque aëre pulcherrimus fuit, ſed valde peſtiferus.

Ao. 1567. Adolphus D. evocatus ad obſidionem Gothæ. Anno 1567. Adolphus Dux Holſatiæ evocatus fuit a Cæſare Maximiliano II. ad obſidionem urbis Gothæ in Thuringia, quæ 18. Aprilis cum arce munitiſſima Grimmenſtein aperta

(39) A. 1565. In laudibus Joannis Rantzovii multus eſt idque merito *Elverfeldius p. 249. ſeqq.* Hoc anno Hamburgum peſte graviſſime affligitur. *D. Beckelius in Tract. de ea conſcripto.*

aperta & tradita fuit Duci Auguſto Electori Saxoniæ & Johanni Wilhelmo, & Dux Johannes Fridericus captus, ſuppliciumque ſumtum de Grumbachio Franco, Doct. Pontano aliisque a Cæſare proſcriptis & captis.

Incendium Itzehoënſe.

A. e. platea, quæ a Papa nomen habet, tota eſt incendio abſumta Itzehoæ d. 14. Maji.

Erici R. crudeliter facta.

A. e. cum exercitus Suecicus ab obſidione arcis Ankershuſen in Norwagia 24. Maji depulſus eſſet, rex Ericus manu ſua confodit Dn. Nicolaum Swanſen in Upſalia, Dn. Dionyſium Burgium pædagogum & Georgium Jurgenſen. Poſtridie per ſatellites ſuos occidi mandavit Comitem Swant Sturen cum filio ejus Erico atque miniſtris utriuſque, Dn. Abrahamium Guſtafſſen ſenioris reginæ fratrem cum multis aulicis & germanis militibus ejus.

D. Juſt. Jonas Hafniæ gladii ſupplicio perit.

A. e. Doctor Juſtus Jonas in mari Gothico captus & decollatus poſtea eſt Hafniæ, anno ætatis ſuæ 42. climacterico ſexto Junii d. 28. cum quæſtioni prius ſubjectus & convictus eſſet de litteris quibusdam ad Suecum ſcriptis & apud ſe in mari deprehenſis.

Sueci a Danis prælio ſuperantur duce Dan. Ranzovio.

A. e. Daniel Rantzovius exercitum regis ſui Friderici duxit Helmſtadio in Sueciam d. 20. Octobris, & cum hoſtis duo præſidia firma reliquiſſet, amiſſis ſuorum ſeptuaginta Jenicopingam perrexit, quam urbem & arcem Sueci incenderunt. Similiter aliud quoque præſidium ſub anguſtiis montium Dalenſium patefactum & vacuum habuit, ubi invenit Ducem Saxoniæ Magnum gubernatorem orientalis Jutiæ cum tribus equitum turmis & duobus ſignis militum, qui alios fuga perſecutus eſt. Amiſit tamen multos milites & 150. equos, relictis poſt ſe tribus captivis cum Capitaneo quodam equitum 6. Nov. Mox 9. Nov. montem Dalenſem occupavit, & cum Domino de Dona caſtra in medio anguſtiarum poſuit, quæ cum Suecus diviſo & tripartito exercitu circumdaret atque priores concinnum Danorum agmen conſpicerent, metu aufugerunt. Agmen vero poſterius ex Smalandis invaſit poſtremos Danorum, ſed repulſum & in fugam conjectum eſt cæſis ducentis octoque captis cum uno Capitaneo. Atque hac victoria anguſtias has viarum cum toto exercitu ſuperavit Ranzovius.

Danicorum armorum ſucceſſus.

A. e. Daniel Ranzovius pervenit ad monaſterium Owaſſer duobus milliaribus ſitum ab oppido Watſtein d. 15. Nov. quod oppidum a præſidiariis deſertum fuit, ideoque bona omnia militibus diripienda dedit. Cum autem ex arce tormentis aliquot læſi nec tamen a direptione milites revocari poſſent, incenſum eſt oppidum, & cœnobium S. Brigittæ ſpecioſum ædificium abſumtum eſt. Poſtridie cum ſignificaretur hoſtem exercitum velle congregare in pago Mullebuy, ipſe dux noctu ad impediendam collectionem clam profectus eſt cum tribus ſignis equitum & 400. ſclopetariis per aggerem in paludibus anguſtum, & præter opinionem invenit quinque turmas equitum & decem ſigna militum, quæ conſpectis Danis loco opportuno aciem inſtruxerunt, ſed mox, ubi confligendum eſſet, obliti omnis fortitudinis & honeſtatis in turpem ſeſe fugam dederunt, cæſis tamen circiter quadringentis, Mareſchallo exercitus Erico *Henrichſen* ſine vulnere a famulo capto cum duobus primariis ſignis & viris primoribus. Movente porro Daniele caſtra verſus Lincopiam epiſcopale & ornatum oppidum Suecus illud d. 20. Novembris flammis dedit atque ultra flumen ante Lincopiam præſidium firmavit. Quod cum a Ducibus ſuperari non poſſet & hoſtis oblatum apertumque prælium declinaret, ultra flumen tormentis uſque in profundam noctem velitatum eſt, donec Sueci clam noctu ſeſe ſubduxerunt, cum tamen haberent decem ſigna equitum, Dani vero ſeptem, peditibusque Danos quater ſuperarent.

Ao. 1568. Gottorpium auctum ornatum, munitum.

Anno 1568. Adolphus Dux Holſatiæ primariam ſuam arcem Gottorpium dilatavit & ſplendidis ædificiis ornavit, & munitiorem fecit.

Adolphi fil. Fridericus naſcitur.

Natus quoque fuit Adolpho hoc anno primogenitus filius Fridericus.

Sophia Dan. reg. vid. obit.

A. e. Sophia regina Danorum & regis Friderici I. relicta vidua obiit Chilonii.

Albanus D. capitis ſupplicio affi. cit Comites nobilesque.

A. e. Dux Albanus Hiſpanus Bruxellis in Brabantia publico judicio capitis damnavit & decollari fecit Comitem de Egmund & de Horne, atque duos ſimul Batenbergenſes cum aliis viris nobilibus in Majo, ut ſeditioſos.

Job. Saliger Lubec. concion. motus circa euchariſt. ciet.

A. e. Johannes Saliger concionator Lubecenſis movit certamen de mixtura calicis denuo non conſecrati & populo diſtributi in cœna Domini, atque collegas ſuos publice de ſacrilegio accuſavit: quapropter a ſenatu in exilium relegatus eſt, cum collegæ conſtanter mixturam negarent.

In Tunderenſi præfectura vada maris expleto Harde commituntur.

A. e. Tunderenſis magnæ præfecturæ tres minores, quas Harde vocant, ut Wydinckharde, Mœrharde & Carharde complerunt vadum maris inter Widinckharde & Riſingmoram, atque ſic munitum agrum continentem acceperunt, quem vocarunt Gœtskœg complectentem 1800. demetas agri fertilis.

Ao. 1568. Frider. R. cum patruis ducibus Ditmarſiam dividit.

Anno 1568. rex Fridericus & patrui Duces Johannes ſenior & Adolphus curaverunt dimenſurari terram Dithmarſorum, ut in tres æquales partes & præfecturas exacte divideretur, quas deinde inter ſeſe diviſerunt in poſſeſſionem. Regi Friderico obvenit auſtralis pars in qua eſt metropolis Meldorpium cum ſemiquatuor parochiis continentibus 47. pagos, quorum jugera 9253. in Marſchia intra aggeres, extra vero 3055. jugera: agri vero campeſtris ſemitres parochiæ, quæ continent 18. pagos, 260. jugera magna ſingularum villarum. Subditorum numerus fuit 1995. Duci Johanni ſeniori ceſſit media pars, cui oppidum eſt Heyda cum 4. parochiis in Marſchia, quæ habent 44. pagos, jugera intra aggeres ſunt 7597., extra vero 2828. Agri campeſtres ſemiquinque parochiæ, in quibus 77. pagi, quorum jugera magna 3878. villarum, ſubditorum numerus 1963. Adolpho Duci ceſſit pars ſeptentrionalis, cujus oppidum eſt Lundinum cum quinque parochiis, ſub quibus 48. pagi, habentes in Marſchia 6835. jugera munita, extra aggeres 219. Ager campeſtris habet 4. parochias, ſub quibus pagi 36. habentes 1524. jugera magna, ſubditi 1735. Supereſt in hac diſtributione ager eccleſiaſticus & aggerum

atque

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

atque viarum publicarum tam in Marſchia, quam in campis editioribus. Alii hanc partitionem referunt ad annum 71. A. e. Ericus XIV. rex Suecorum Holmii celebravit nuptias cum concubina ſua Catharina hominis plebeii filia, & eodem die tradidit ſororem Duci Saxoniæ Magno absque conſenſu & præſentia fratrum ſuorum Ducis Johannis & Caroli. Paucis enim diebus ante nuptias Carolus regem humiliter admonuerat, ne talem defamatam ſeque indignam perſonam uxorem duceret in contumeliam gentis ſuæ, atque a fratre iracundo binas alapas acceperat. Quapropter ex aula diſcedens multos ex regiis aulicis ſecum abducens ad fratrem Johannem ſe contulit, qui majorem exercitus partem ad ſuam voluntatem perduxerunt. Hunc reipublicæ Suecorum miſerabilem ſtatum conſiderantes proceres & ſenatus regni, quodque a tyrannide & perditione bonorum averti rex noller, legatos miſerunt ad Ducem Finnlandiæ Johannem rogantes, ut ſceptrum imperii ſuſciperet: promittentesque ei defenſionem & regis Erici ab imperio depoſitionem, ſi pacem cum rege Danorum & Lubecenſibus pangeret. Quæ promiſſa mox publicum homagium inſecutum eſt, quod ei præſtiterunt. Cum ergo præter tria regni præcipua præſidia ſcilicet Stokholmium, Calmeram & Wartpurgum nihil in poteſtate regi eſſet, Johannes frater obſidionem regiæ ſedis ſuſcipiens Carolum miſit ad occupanda duo civitatis ſuburbia: quod cum rex ex arce decurrens impedire cum ſuis militibus conaretur, a Carolo fratre retrocedere eſt coactus paucis interfectis & Cancellario Georgio Peerſen capto: Occupata poſtea urbe legatos Moſcowiticos in ſuam poteſtatem accepit & regem in arce obſedit. Præſidiarii milites in Calmera & Wartburgo promiſerunt Duci Johanni deditionem, ſi modo regem in ſuam poteſtatem accipiat. Cum ergo obſeſſis ſpes omnis auxilii ademta eſſet, clam rege tradiderunt arcem Stokholmiam fratribus ejus, qui armati ac rege adhuc cubante conſpecti lacrymas ipſi excuſſerunt. Sed cum triſtitia paululum remitteret, more ſolito choream Gaillard coram fratribus ſaltavit & multa ſtolide egit. Traditus autem eſt in cuſtodiam & arx mox fuit occupata. Cancellarius poſtea Georgius Peerſen corpore ſuſpenſus quatriduum in patibulo pependit vivus deinde abſciſſa lingua & naſo rotæ alligatus eſt, in qua vivus alterum quatriduum jacuit. Tandem vero die nono in quatuor diſſectus partes rotis affixus eſt. Hæc fuit pœna divina impietatis & ſuperbiæ contra Deum & tyrannidis ac crudelitatis in ſubditos confœderatosque, de qua nulla ſeria pœnitentia ductus eſt, ſed in ſexum fœmineum & captivos quoque ſævire voluit, niſi providentia id Dei avertiſſet. Cum enim in obſidione arcis & defenſione fratrum ac ſubditorum fugam meditaretur, (tribus navibus primariis cum omnibus neceſſariis ad eam præparatis,) ſed a præfectis inſulæ prohiberetur, vindicta ardens ex toto regno virgines pulcherrimas & nobiliſſimas 24, quas cum noverca regina & duabus ſororibus ſuis transmitteret juniori Moſchobitæ, jamdiu per legatos reginam Poloniæ & fratris Johannis uxorem fruſtra expetenti. Sed ubi ſorores & noverca mater hoc reſcirent, clam miſſis litteris genero Duci Magno abſenti regis perfidiam patefecerunt, eumque definito loco & die cum præſidio exſpectantem quaſi animi gratia navigantes acceſſerunt, qui cum aulicis ſuis eas in equos ſublatas abduxit in caſtra ad defenſionem Ducis Johannis electi regis. Deinde virulentum hoc & impium fuit conſilium, quod ad inflammandum regem Danorum, ad ſimilem in ſuos crudelitatem, omnes captivos Danos & Germanos, nobiles quam ignobiles in unum locum congregari & Stockholmiam abduci jugularique ad unum decreverat: Captivi vero admoniti ſupplicibus litteris liberationem a Duce Johanne flagitarunt, qui miſſa turma Germanicorum equitum opportune deprehenſos Scotos in abductione occupatos occidit & ereptos captivos omnes in caſtra ſua reduxit humaniterque tractavit, atque brevi poſt trecentos ex iis libere & cum viatico abire permiſit. A. e. Johannes electus rex Sueciæ legatos miſit pro pace, Dn. Thuronem Bolke & Dn. Georgium Erichſen vel Guldenſtern cum triginta equis ducentes ſecum octo generoſos equos regi Friderico Danorum donandos & omnes præterea captivos reliquos ex Suecia. Poſtea 6. Auguſti amicis litteris ad Dn. Danielem Rantzovium belli ducem directis conqueritur de miſerabili ſtatu regni Suecici, in quem ſtultitia & tyrannide fratris conjectum ſit; cum vero ſibi & fratri Carolo Duci Smalandiæ gubernatio commiſſa, & commiſſarii pro pace ad regem Danorum jam ablegati ſint, petit inducias belli, donec certum a rege reſponſum accipiat. A. e. Ericus XIV. captivus rex humillime per litteras exponit fratri regi 6. Octobris ſuas miſerias, quod captivatis coquo & famulo ſuo inedia fere cum liberis ſuis pereat atque liberari iterum ſibique inſervire eosdem ſupplicando petit. A. e. Johannes junior Dux Holſatiæ nuptias fecit Coldingæ in Septembri cum filia Ducis Brunſwicenſis Philippi in Grubenhagen.

Anno 1569. Johannes gubernator Sueciæ coronatus eſt in regem in feſto Epiphanias. A. e. Dux de Alba Anglis interdicit negotiationem in oris Belgicis. Unde iidem moti Antwerpia eam traduxerunt Hamburgum, vulgo vocant *den Stapel*. A. e. chaſmata flammantia conſpecta ſunt in quatuor cœli partibus ſuper Holſatiam initio Februarii. A. e. famulus ruſticus in Dœgelingk pago Welnæ 2. Aprilis ante ædes heri ſui matutino tempore bis ſublatus & viſibiliter abductus eſt, poſt biduum redditus, eo quod ſe in contentione cum ſervo devoverat Satanæ, ad factum certo tempore explendum, quod propter abſentiam perſonæ impeditum fuerat. A. e. Euthyni in Wagria exuſtæ ſunt domus quadraginta in Aprili. A. e. Anglici mercatores pannos ſuos multis navibus advectos Hamburgi depoſuerunt, & permiſſione ſenatus diſtraxerunt in Majo. A. e. Duci Adolpho nata eſt filia in Majo Sophia. A. e. comitia Holſatorum habita

Erici Suec. R. cum concubina nuptiæ: ſororem inſciis fratribus deſponſat Duci Sax.

ejus regno abdicati loco ſubrogatur frat. Johannes D. Finland.

qui regnum occupat.

Ericus captus.

G. Peerſen ejus Cancell. diro ſupplicio affectus.

nefaria E. rici R. conſilia.

Johannes R. Suec. inducias a R. Dan. petit.

Ericus XIV. per litteras tolerabilio. rem vitæ rationem petit.

Joh. jun. D. Holſ. nuptiæ.

Ao. 1569. Joh. R. Suec. coronatus.

Angli commercia Antwerpia tranſferunt Hamburgum.

Meteoron.

ruſticus Satanæ ſe devovens biduum ſublatus narratur.

Eutinum incendio afflictum.

Sophia Adolphi D. fil. naſcitur.

Comitia

Holsat. de feudo Slesvic. bita in Levensow de petenda dilatione accipiendi feudi Sleswicensis a rege Danorum 5. Julii, quo toto tempore pluviarum fuit abundantia, donec sol in leonis signo commorabatur, subsequente sub signo virginis auctumno pulcherrimo. A. e. Johannes Saliger propter pertinacem contentionem de tribus substantialibus cœnæ partibus remotus est a pastoratu suo per principem Huldarichum ex sententia synodi doctorum Rostochiensium. A. e. commissarii regum Daniæ & Sueciæ aliquot septimanis tractarunt de pacificatione, sed re infecta discesserunt in Julio. A. e. classis Danica superavit in mari Gothico 17. naves prædatorias & 24. mercatorum onustas variis mercibus: in quibus fuit navis ex Suecia habens in præsentia 50000. thaleros & magnam vim cupri aliarumque mercium. Deinde multas naves in portu Revalienſi incenderunt mense Augusto. A. e. Wilstria 14. Octobris tribus vicibus incensa est a quodam operario & uxore ejus, qui propterea ad palos ligati & suffocati sunt, sed incendium vigilantia populi exstinctum. A. e. Johannes rex Suecorum sub induciis instructo exercitu & magis armato irruit in Octobri in Scaniam, & incendit aliquot oppida & duodecim circiter villas nobilium. A. e. Fridericus rex ad conservandam puritatem doctrinæ in Holsatia Superintendentibus & præpositis suis mandavit juxta articulos nuper impressos examinare suos subditos & fanatica dogmata Anabaptistarum ac Cinglianorum purgari. A. e. rex Fridericus confessus est se hoc Suecico bello magis exercitatum esse, ac si a parente in scholam Parisiensem aut Witebergicam missus esset, suumque voluit esse symbolum: *Zu GOtt mein Trost alleine, Treue ist Wildpret.* A. e. rex Danorum reduxit exercitum suum in Octobri ad fines Sueciæ & obsidione cinxit arcem Hallandiæ Wartpurgum a Sueco occupatam, in cujus vehementi oppugnatione, dum Dux belli Daniel Rantzovius in dirigendis machinis æneis esset occupatus, caput ejus alba pluma super pileum ornatum globo ex hostili tormento trajectum siniſtraque parte avulsum est. Quem ictum confestim mors ipsa secuta est non sine gemitu, lacrymis & luctu totius exercitus ipsiusque regis, qui mortuum coram reliquis copiis egregio encomio extulit 4. Nov. d. S. Martini 11. hora antemeridiana; exuviæ demortui duabus equitum turmis usque ad mare Balthicum deductæ, juxta tenorem testamenti ab ipso præsagiente paulo ante conditi in avitum majorum sepulcrum in æde parochiali Westensee illatæ, aque Duce Adolpho, Legatis Lubecensium & totius Holsatiæ nobilitate mandatæ sunt sepulturæ honorificæ die 18. mensis Decembris. Obiit anno ætatis 40. cum septennio generalis Dux contra Suecos fuisset & virginem de stirpe Dammiorum sibi desponderi fecisset. Rex Fridericus vero expugnationem arcis continuans & pulvere eam bombardico ex consilio Josiæ a Qualen subvertere volens, præsidiarios hos periculum metuentes coëgit deditionem facere, & regi Danorum arcem in suam potestatem tradere cæsis 600. Suecis. A. e. Johannes Holsatiæ Dux junior natalitia filii sui primogeniti celebravit Coldingæ in Jutia mense Nov.

Joh. Saliger propter errores sacram. eliminatus.

Tractatio de pace inter Danos & Suecos irrita.

Danica classis superat prædonis capit. onerarias incensis aliis.

Wilstria nefarie incensa.

Joh. R. Suec. in Scaniam impetus.

Fridericus R. D. circa religionem cura.

ejusdem dictum & symbolum.

eodem obsidente Wartburgum Dan. Ranzovius occidit.

arx ipsi tradita.

Anno 1570. Ernestus a Mandelslo Dux militum regis Danorum in fugam vertit regem Sueciæ cæsis aliquot signis equitum & aliquot militum in Januario. A. e. Moschobita incendit in suburbio Narvæ omnes mercatorum merces exceptis Lubecensium bonis. A. e. Magnus Dux Holsatiæ & Episcopus Oesaliæ profectus est in Moscoviam honorificeque a Russo exceptus cumque ministris donatus rex Livoniæ est salutatus dimissis in gratiam ipsius omnibus captivis Germanis. Fecit hoc autem suasu concionatoris sui aulici Christiani Schrœpfers in Martio. A. e. Crempenses in æstate ædificarunt novam curiam judicialem in foro. A. e. Magnus Dux Holsatiæ cinxit obsidione Revaliam urbem Livoniæ cum 25000. Russis & quatuor equitum signis in Augusto; sed nihil effecit. A. e. sartor quidam Crempensis inter lusus chartarum imprecatus est sibi phrenesin, si falleret, & ipso vespere correptus est morbo. Mox in nundinis Itzehoënsibus rusticus quidam *Hans Walder* ad fallendum emtorem devovit se Satanæ, & postridie in Stora se submersit prope Bredenbergam. A. e. Stora ex maris summa inundatione 1. Novembr. rupit aggerem Neocclesianorum, & aqua totam parochiam complens adflixit aggerem internum Neopaludanum, qui dicitur via alta; sine ingenti tamen damno. In Groningia vero submersi sunt 1700. homines cum pecudibus. Circa Antwerpiam oppida & pagi 18. submersi cum 5000. hominibus. In Hadelia Albis inundans Belim castrum fere subvertit subversis fere hominibus 220. In Boriagria vix decimus homo & vacca mansit salva aggeribus cum quinque aquæductibus sublatis. In præfectura Eckwerden 38. domos avexit. In Hollandia Harlemium oppidum diruptum interemptis plusquam 200. hominibus. In Brabantia Antwerpiæ muri pars subversa est & mare summum templum complevit. Inundatio hæc ob crebram circa hoc tempus irruptionem vocatur *Allerheiligen Fluth.* A. e. legati regum Daniæ & Sueciæ, cum convenissent Stetini in Pomerania cum Lubecensibus circa D. Margarethæ de pace tractaturi tandem mense Decembri in hæc capita consenserunt. Rex Danorum discedit ab omni jure, quod in regnum Sueciæ habere se putabat & restituit Sueco arcem Elseburgum anno 65. vi ereptum. Suecus contra discedit a jure dominationis, & ab usu insigniorum Danicorum & Norwegianorum, & renunciat in perpetuum provinciis Gothlandiæ, Scaniæ, Blekingiæ & Hallandiæ. Deinde a jure in Jemtiam & Hardalen discedit in Norwegia: restituit quoque ereptas omnes naves Dano. Resignat quoque regno Romano, quicquid in Livonia hactenus possederat & regi Danorum a Cæsare in tutelam commissum erat. Captivi omnes utrinque sine lytro gratis dimissi &, qui expulsi erant, in possessionem bonorum suorum restituti sunt. Suecus insuper numerat

Ao. 1570. Sueci fugati.

Narvæ merces exustæ.

Magnus Holst. D. in Russiam profectus; rex Livoniæ appellatus Germanos captivos liberat.

Cremp. curia ædificatur.

Magnus Revaliam obsidet frustra.

Duorum irreligiosorum tristia fata.

ex inundatione maris circa Storam alibique damna.

Pacis inter Danos & Suecos conditiones.

merat Dano thaleros centies quinquagies mille, in tribus annorum terminis ſolvendos. Narvia quoque navigatio utrinque libere conceſſa eſt. Pacificatio vero regis cum Lubecenſibus hæc fuit. Sumtus bellici remiſſi ſunt utrinque; ſed Suecus in compenſationem damni ex naufragium paſſis & ereptis olim navibus accepti numerat Lubecenſibus in triennio 15000. thaleros, & permittit libere repetere civibus, ſi quid bonorum ex naufragis ruſtici Sueci apud ſe retinuerint hactenus. Præterea, ut debita quæcunque per Sueciam jure poſtulent & Sueci viciſſim ſua a Lubecenſibus. Reſtituit quoque civibus duas naves ſequeſtratas. Confirmata quoque & obſignata ſunt a Johanne rege privilegia Lubecenſium a rege Guſtavo ipſis data cum permiſſione navigationis liberæ in Narviam. Si porro diſſenſio poſthæc orta fuerit inter Suecos & Lubecenſes, arbitri conſtituerentur utrinque, ad compoſitionem litium.

victoria de Turcis reportata.

meteora.

Ao. 1571. Pax publicata.

Anno 571. proclamata eſt hæc transactio belli ſeptennalis publice & gratiarum actio ſolemnis inſtituta 1. Januarii per totam Holſatiam. Compoſitioni huic interfuerunt legati ſacræ Cæſareæ Majeſtatis, Ducis Auguſti Electoris & Elector ipſe Brandenburgenſis cum aliis regni proceribus, utpote Petro Bilden, Georgio Roſenkrantzio, Henrico Rantzovio, Nicolao Caas, D. Joachimo Hinckio, præterea regis Poloniæ legati Martinus Grommerus, Georgius Gera cum legatis Lubecenſibus. A. e. ingens copia nivium fuit circa D. Antonii quæ Febr. d. 11. in magnam aquarum abundantiam reſoluta in Welna omnia complevit. A. e. paſtori cuidam Crempenſis Marſchiæ propinatum fuit vitrum cereviſiæ a fœmina quadam vicina ſua, quod ubi bibiturus acciperet, & ori admoveret, fragore intenſo ex pedis infima ſuperficie fruſtum reſolutum & abruptum inſtar duplicis ſolidi evanuit cum ſumma omnium conſternatione. Ipſe vero conſecrata & epota cereviſia ſalvus divina protectione manſit d. 17. Maji. Poſtea vero mulier hæc d. 29. Junii cum marito ſuo mente mota per ſilvam Welnam diſcurrit. A. e. puella quædam Itzehoënſis ob delictum in hoſpitam virgis cædenda metu profugit & in Storæ flumen proſiliens ſe ſubmerſit; quo menſe plurima homicidia in Marſchia ſunt commiſſa, & Wilſtriæ adoleſcens ruſticus publice accuſatus eſt, quod puerum ſex annorum exſectis teſtibus joco caſtraverit. Duo præterea in eadem Marſchia decollati ſunt, quorum alter ſocerum ſuum, alter novercam interfecerat. A. e. Fridericus rex Danorum petit ab utraque Marſchia redemtionem arcis Steinburgenſis oppignoratæ Nicolao Ranzovio præfecto pro 20000. thaleris, quos omnes Marſi quadriennio ſolverunt libertate ipſis ad 20. annos promiſſa. A. e. Dorothea regina Daniæ regis Chriſtiani vidua d. 7. Octobris obiit Sunderburgi, ſapiens femina; quæ cum ab ea peteretur, ut intercederet pro quodam, qui famoſo libello perſonam ſui principis traduxerat, reſpondit; libenter pro eo intercedam, quia tantum perſonam, & non officium perſonæ traduxit; nam quæ ad perſonas noſtras pertinent, facile remittere debemus, quæ vero ad officium pertinent, ſtrenue exſequi debemus. Deinde interrogavit, qualis ille eſſet, pro quo intercedendum erat, addens hæc verba: pro blaſphemis, adulteris & homicidis non facile patior mihi perſuaderi, ut intercedam, niſi manifeſta indicia pœnitentiæ videam, pro aliis facilius intercedo. Facta eſt hæc dies celeberrima victoria illa Chriſtianorum inſigni, qua navali prælio ſuperarunt claſſem Turcicam e Cypro properantem Conſtantinopolin verſus, in poteſtatem redacto Haly Baſſa cum navi prætoria & 200000. Ducatis & captis 130. triremibus Ochialoque Algairæ regulo in fugam conjecto, trucidatis 15000. Turcarum, quinque captis & 13000. Chriſtianorum liberatis, Duce Johanne de Auſtria Caroli V. filio. *Paul Eberus.* A. e. chaſmata horrenda verſus occidentem conſpecta ſunt 19. Decembr.

Ao. 1572. Friderici R. contra homicidas edictum.

Anno 1572. Fridericus rex ad inhibendam in Stormaria effrenem audaciam homicidarum decretum publicavit de comprehendendis mox homicidis, certa pœna conſtituta iis, qui aufugere permiſerint, aut cum iis colluſerint præſentes. A. e. Crempenſes novum horologium exſtruxerunt, inque medietate turris poſuerunt campana extrinſecus appenſa & indice bino, verſus ſeptentrionem altero, altero verſus occidentem turri affixo. Uterque continet in altitudine & latitudine duodecim pedes. *Chr. MS.* A. e. Rensburgi natus eſt in Februario puer monſtroſus duplicem habens gulam, duplicem linguam, duplices quoque dentes inferiores. A. e. Dux Adolphus redemit a Chilonienſibus 15. pagos cum ſilvis, quos hactens poſſederant dans ſenatui quotannis 800. marcas. A. e. monſtrum hominis natum eſt Suderovii prope Crempas monoculum, ſine ore, & dextra aquilina d. 20. Maji: quod mox excepit magna rapacitas & injuſtitia mercatorum, inauditis practicis & exactionibus ſimplices opprimentium. A. e. vehemens aëris ſiccitas per integrum Majum ſata recentia exurere videbatur: ſed cum Deus publicis precibus die 8. Julii pro pluvia invocaretur, eodem die ſuavem largitus eſt refectionem circa veſperam. A. e. Fridericus rex Danorum nuptias fecit cum Sophia filia Hulderici Ducis Megalopolitani ex Elizabetha uxore nata die 13. Julii. A. e. Dux Holſatiæ Adolphus profectus eſt cum exercitu ad fines Belgii a Philippo Hiſpanorum rege vocatus circa Jacobi; ſed nulla re memorabili effecta rediit. A. e. miſeranda illa cædes Ammiralii Galliarum Caſparis Caſtilionei facta eſt in nocte S. Bartholomæi Pariſiis in nuptiis regiis Navarræ cum ſorore regis Galliæ, circa quod tempus & hæres Scotiæ per Cardinalitios cæſus dicebatur. Unde hic factus verſus.

Cremp. horologium.

puer monſtroſus Rensburg.

15. pagi a Chilonienſ. per Adolphum D. redemti.

partus monſtroſus.

eſtus.

Friderici R. nuptiæ.

Adolphus in Belgium Regi Hiſp. militaturus abit, mox reverſus.

Caſp. Caſtilioneus Amir. Gall. trucidatus, it. hæres Scotiæ.

BarthoLoMæVs fLet, qVIa GaLLICVs
oCCVbat atLas.

Welna aquarum ex nive copia repletur.

Portentoſum factum circa potum propinatum.

autochiria, homicidia, ſupplicia.

Steinburgum oppignoratum a Marſis redemtum.

Dorothea Dan. obit.

ejus ſapienter dictu.

A. e. cometa orbicularis, qui vocatus eſt roſa, prodigioſa ſtella, conſpectus eſt d. 8. Nov. ſub urſa majore & collo Caſſiopææ, cujus curſus duravit per totum ſequentem 73. annum judi-

Cometa.

de Weſtphalen Monum. ined. Rer. Germ.

insecuta mala.

catus est esse de natura Jovis. Secutæ fuerunt proximo quadriennio magnæ mutationes. Poloni elegerunt regem Henricum Galliarum regis fratrem, mox autem anno 74. profugum. Wallachi deficiunt a Turca sub Ivone gubernatore suo & crudeliter subjugantur. Selymus Turca moritur & Amurathes filius successor occidit 5. fratres. Russus vastat Livoniam anno 76. Poloni per schisma eligunt regem Stephanum Bathorum principem Transylvaniæ, qui anno 77. Dantiscum obsidione adflixit.

Ao. 1573. annona.

Anno 1573. avenæ lasta una emta est in Junio centum marcis Lubecensibus, tina siliginis emta est tum temporis duabus marcis, sed non multo post tribus marcis & 4. solidis. A. e. Adolpho Duci Holsatiæ filia nata est Chilonii.

aquarum irruptio in Eiderstad. & Carhard. meteoron.

A. e. tempestas venti austro africi per inundationem disrupit aggeres Eyderostadianos ad quatuor fere milliaria atque in Stedesant Carhardiæ circiter 700. homines una cum frugibus avexit. d. 19. Aug. A. e. chasma lucidum conspectum est 24. Aug. versus occidentem in septentrione continens flammas instar stuparum colligatarum, super zenith autem arcus albicans ab oriente in occidentem.

Joh. sen. D. Holst. iter valetudinis causa.

A. e. Dux Johannes Holsatiæ senior hac æstate cum paucis aulicis Germaniam superiorem confirmandæ valetudinis gratia lustrans & ultra Venetias profectus feliciter in fine Aug. reversus est in Holsatiam.

Magni D. nuptiæ.

A. e. Magnus Dux Holsatiæ & Episcopus Livoniæ nuptias celebrat Naugardiæ cum cognata Russi, in quibus præsentes fuerunt Russus ipse cum duobus filiis suis.

Elizabetha D. R. filia nascitur. Henricus Valesi. R. Polon. frustra petit transitum cum classe. Dorothea Dan. nubit Christoph. Duci Meckl.

A. e. Friderico II. Danorum nascitur filia Elizabetha ex Sophia Megalopolitana 25. Aug. A. e. Henricus Gallus electus rex Poloniæ petit a rege Danorum & principibus Holsatiæ transitum cum classe navium in Poloniam, sed cum comitatus mille hominum ipsi tantum definiretur, pedestri per Hungariam itinere ingressus est in Septembri. A. e. Dux Christophorus Megalopolitanus duxit in uxorem Dorotheam Friderici I. regis filiam Adolphi sororem Coldingæ nuptiis celebratis, quando filia Friderici regis simul baptizata fuit d. 12. Octobr. (40)

Ao. 1574. Husem. arx nova struitur. Joh. sen. viam publicam in Ditmarsiam constrnit.

Anno 1574. Dux Adolphus ædificavit Husemi novam & pulchram arcem ante oppidum. A. e. Johannes Dux Holsatiæ senior mandavit per invias paludes Dithmarsiæ fieri aggere effosso publicam viam ex pago *Hogenhörne* usque ad Schapstede, ne amplius manuarii artifices, qui singulis septimanis Heydam visitabant, telonio iniquiori a Domino in Hanrow propter mercatum gravarentur.

rusticus ob sacramenti profanationem in supplicium tractus.

A. e. rusticus Lubecensis, cum aliquot in parochiis communicasset, clam panem consecratum acceptum & ore retentum extraxit, & ruri eundem arbori affigens globo transfixit sæpius, quapropter deprehensus & ignitis forcipibus distractus fuit.

Eiderstad. concionatorum juramentum de Sacram. cœnæ & pædobaptismo.

A. e. Eyderstadiani concionatores ab episcopo suo D. Paulo ab Eitzen juramento sunt adstricti ad orthodoxam sententiam de cœna Domini & pædobaptismo pure propagandam.

venefica 35. exusta.

A. e. Dux Johannes junior exuri jussit veneficas 35, quæ vitæ ipsius insidias struxisse dicebantur.

Lubecense schisma circa rem sacram. composita.

A. e. Doctores Martinus Chemnitius & Lucas Bacmeisterus vocati Lubecam composuerunt controversiam, quæ fuit inter D. Lambertum Medicum aliosque cives, Saligeri amicos, contra concionatores de mixtura calicis longo tempore usitata, & nihilo minus negata constanter.

Chirurgi cujusdam Hamburg. flagitium.

A. e. Renatus Hamburgensis chirurgus compressit viduam juvenculam, consanguineam & pupillam suam, cumque eam gravidam comperisset, noctu domum deducens in lecto suffocavit & postero die aufugit.

Augusti D. Sax. in doctores evgl. violentia.

A. e. Dux Augustus elector Saxoniæ conjecit in carcerem Witebergenses Theologiæ Doctores Crucigerum, Widebramum, Pezelium, Stosselium & Mollerum, repudiantes dogma D. Lutheri de cœna Domini d. 24. Jun.

abortus mirus.

A. e. fœmina quædam in Neopalude Stormariæ prope Crempas ex marito uterum gerens in contentione ejus cum alio accurrens & a pugno ebrii violenter repulsa fœtuque exinde exstincto magnos dolores diu passa est. Computrescens vero materia in utero per ulcus sinistri lateris tandem erupit, atque in præsentia pastoris & aliquot honestorum testium ossa cranii confracti, & costæ quædam a chirurgo sunt exemtæ, salva tamen matre, & sanitati tandem quodammodo restituta in Julio. Sed postea tamen semper sterilis permansit de doloribus ex relictorum ossium collisione conquerens subinde.

Friderici R. vigilantia contra Dav. Georgii in Wilstrienſi Marschia assecias.

A. e. rex Fridericus jussit visitatione publica per M. Johannem Vorstium præpositum Itzehoënsem examinari in Wilstrensi Marschia omnes incolas ex Belgio & Hollandia oriundos, qui de blasphemo errore Davidis Georgii suspecti erant; inter quos aliqui deprehensi sunt ejus discipuli, quorum magister erat quidam Andreas, vir litteratus, sed libros tradens & emendationem promittens in possessione bonorum & agrorum remansit.

varioli pueris exitiales.

A. e. Hamburgi spatio quatuor mensium æstivorum obierunt ex variolis aliquot mille pueri.

aurifaber Meldorpii ob crimina præfecto regio falso objecta enſe percussus.

A. e. aurifaber Meldorpiensis diffamaverat Licentiatum Michaëlem Bogen præfectum regium de injustitia in judicio & occupatis alienis bonis. Captivus idcirco per D. vicarium regium ad regiam Majest. adductus, & causam suam perorans restitutus est pristinæ dignitati, & aurifaber Meldorpii ut diffamator publico in foro decollatus est.

Magnus D. Sax. a fratre expulsus, hinc Ratzeburgum diripiens ab Adolpho D. repellitur.

A. e. Magnus Dux Saxoniæ expulsus a fratre Francisco reversus est in Septembri cum manipulo militum, & diripuit ex improviso oppidum Ratzeburgum, occisis 28. civibus Vocatus itaque Dux Adolphus Holsatiæ, profectus est cum subditis nobilibus & armatis civibus in Bergerdorf, cujus adventum cum Magnus fugeret & suos clam derelinqueret, pacifice Holsati redierunt in Octobri.

Anabaptistæ Eckerford.

A. e. Ana-

(40) Anno 1573. Cronenburgum arx a Friderico II. exstructa.

abacti. Anabaptiſtæ aliquot in oppidum Ekerenfœrdam ſe intruſerunt, & paſtoris doctrinam arguere & ſacramenta contemnere non erubuerunt: male iccirco a viro nobili Rumor de Nohra accepti in via publica diſceſſerunt in Pruſſiam. A. e. Dantiſci circa D. Luciæ bos pinguis mactatus eſt, habens 2272. pondo diviſusque in quatuor partes, unaquæque earum vendita eſt 50. marcis, cutis vendita 30. marcis. A. e. chaſma copioſum & fulgurans viſum in Novembri ſupra zenith ex Septentrione in Orientem ſurgens. A. e. Carolus Gallus ſummus Dux militum ſub Erico rege propter inſidias regi ſuo Johanni Suecorum ſtructas ſecatur in 4. partes cum conjuratis.

bos eximii ponderis.

meteoron.

Dux mil. in Suecia ſupplicio addictus.

Ao. 1575. duæ Slesvic. aquis pereunt.

Adolpho D. gemelli naſcuntur.

Jo. Pogwiſch inſidiatores confodit.

ſalis diverſa pretia.

grando nocens.

3. ſe ſuſpendentes.

morbilli peſtiferi.

2. ſacrorum in Dania miniſtri parum religioſi circa S. cœnæ diſtributionem.

pileoli Holſat. virginibus nobil. uſitati.

peſtis Dan.

Anno 1575. M. Cæſonis Canonici & Lectoris Sleſwicenſis binæ filiæ menſe Januario in Slya ſuper glaciem deambulantes lapſæ per occultum foramen ſubmerſæ ſunt cum famula. A. e. Duci Adolpho nati ſunt gemelli ex Chriſtiana Haſſiæ, Johannes Adolphus & Anna, ſimulque baptizati d. 17. April. Gottorpii. A. e. nobilis Johann Pogwiſch in Marsleue impetitus exploſis per duos famulos tormentis cuſpide ambos transfixit in via publica. A. e. Dantiſci vendita eſt tonna ſalis groſſi marcis viginti quatuor, deinde eodem anno una tonna quatuor marcis. A. e. procella horrida mixta grandine inſtar magnitudinis nucum disjecit in Marſchia Crempenſi ſegetes, domos & horrea 2. Julii. A. e fœmina conjugata in Rethwiſch parochiæ neopaludanæ ex cingulo ſuo ſe ſuſpendit, cum biduo ante pia confeſſione in morbo facta ſacram ſynaxin percepiſſet. Piſtor quoque Rigenſis triticum Lubecæ carius coëmens triſtitia victus in rubeto ſe prope Lubecam ſuſpendit in Julio. Reſtiarius præterea Groningenſis Lubecæ in concionibus ſacris inſtructus cœnam Domini ſub utraque ſpecie percepit, quod ubi mater ejus relatu conterraneorum reſciſceret comminata eſt ipſi per litteras exhæredationem: melancholia itaque aliquot diebus vexatus noctu ex induſio ſuo ad trabem ſe ſuſpendit. A. e. obierunt æſtate puerorum aliquot millia ex morbillis per Holſatiam Crempis ſublatæ 120. fere perſonæ. A. e. duo Danici paſtores accuſati ſunt apud regiam Majeſt. de abuſu cœnæ Dominicæ, prior quod ſacratum calicem priori loco, panem vero poſteriori diſtribuiſſet populo, qui cum teſtimonium haberet pietatis & ſobrietatis per regem ab incogitantia abſolutus & in officium reſtitutus eſt; alter autem dixerat ad virum communicantem calici & arreptum penitus exhaurientem: *da druckeſt du ein Friedes Druck*, qui remotus eſt. A e. conſpectæ ſunt Holſatorum nobiles virgines contra conſuetum morem geſtare pileolos in capite. A. e. peſtis graſſari cœpit in Dania, quam fugiens rex Fridericus hibernavit Coldingæ in Jutia. A. e. Fridericus II. rex voluit agrum regium in Wilteniſſe ultra Borsfletam dimenſum in Julio & mille continentem jugera vallo & aggere cingi. Legati igitur quatuor ex ruſticis Marſchiæ Crempenſis miſſi ſunt deprecatum propoſitum & rogatum, ut pro pecunia annua potius elocetur, qui redeuntes in Decembri attulerunt regias litteras, quibus moleſtia de aggeribus convehendis remiſſa & quodlibet jugerum quotannis pro duobus thaleris expoſitum eſt ruſticis. Summa annua excurrit ad 1500. marcas. (41)

ager Wilteniſſe vallo cingendus ab ruſticis redimitur.

Anno 1576. conventus conſiliariorum regis & trium Holſatiæ principum habitus eſt Coldingæ de homagio & finibus Ducatus Sleſwicenſis. A. e. arx regia Steinburgum nova ædificatur opera Dn. præfecti Joſiæ a Qualen. A. e. Doctor Albertus Cnopperus Jctus & conſiliarius regis Friderici ablegatus eſt in Friſiam prope Groningam a latrone globo trajicitur & aurea ſua catena ſpoliatur. A. e. ruſticus Oldelandiæ conduxit famulum pro 25. marcis, qui avunculum ſuum decrepitum & longævio-rem in menſa ſclopeto trajecit. Comprehenſus & rotatus eſt Steinburgi die S. Laurentii. A. e. Fridericus rex Danorum regaliter exceptus eſt a ſocero ſuo Huldaricho cum 300. eſſedis in Guſtrow, ubi in convivio duo nobiles epotando vino certantes mox ſuffocati ſunt & a concionatore Ducis ebrietatis temerariæ condemnati. Rensburgenſes 40. cives dederunt ſuo Duci Johanni ſeniori mulctam marcarum 4500., quod per ſtultam & civilem ſeditionem cum pulſu tympani arcem principis tranſeuntes diruerant novum quoddam ædificium extra oppidum in Vindeshyr, contra ſenatus interdictum. Johanni juniori Duci Holſatiæ naſcitur filius Johannes Adolphus, qui ſuſceptore Wolfgango Comite Palatino Bipontino baptizatus eſt Sunderburgi d. 13. Nov. Apenradæ incendio abſumtæ ſunt domus ſexaginta 15. Nov. A. e. Otto Comes Schowenburgi & Holſatiæ obiit Stathagæ in Decembri, cui ſucceſſit filius Otto.

Ao. 1576. Conventus Colding. de homagio & fin. Ducatus Sleſv. Steinburgum arx reſtauratur.

D. Alb. Cnopperus a latrone interficitur.

Cædes punitur.

Fridericus R. ſocerum viſens Guſtrovii laute excipitur.

Duo pecunis certantes exſpirant.

Rensburgenſium quorundem tumult. mulcta.

Jo. Adolphus Joh. jun. fil. naſcitur.

An. 1577. dies judicialis cauſarum triplicis Marſchiæ habitus eſt Itzehoæ in Martio a conſiliariis regiis per plures dies, in quo nepotes ex uno tantum patre vel matre, quod hactenus a fratribus excluſi erant ab hæreditate, qui ab utroque parente prognati erant, publico decreto ad capiendam ſimul hæreditatem admittuntur. Lex illa eſt: *Daß halb Brüder, oder halb Schweſter Kinder in der Eldern Stete mit erben ſollen.* A. e. Friderico regi Danorum naſcitur Chriſtianus filius ex Sophia Megalopol. menſe Aprili. A. e. electores politici Germaniæ tres Palatinus Ludovicus, Saxo Auguſtus & Brandenburgicus Johannes Georgius conſiderantes miſerabilem eccleſiæ ſtatum, quod ab obitu D. Lutheri multæ & variæ corruptelæ Auguſtanæ confeſſionis ab ambitioſis & inquietis ingeniis

Otto Com. Schowenb. & Holſ. obit.

Ao. 1577. dies judicialis Marſorum Itzehoæ, novumque in eo ſtatutum.

Chriſtianus Regis fil. naſcitur

Formulæ concordiæ confectæ aſſenſu ab Holſatis ſuaſu Pauli ab Eitzen denegatur.

piratæ Hamburgi plectuntur.

(41) Anno 1575. emiſſo ab Hamburgenſibus aurifabro ſeu *Goldſchmidt* nauclero exploratum Henſelinum Northuſanum piratam, eundem cepit ſub Helgelandia, qui in urbem advectus cum 35. ſociis decollatus eſt, capitibus poſtmodo palo ſuffixis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

in publicis ſcriptis obtruſæ fuiſſent, demandarunt ſex præcipuis & doctiſſimis theologis, ſcilicet D. Martino Chemnitio, Davidi Chytræo, Jacobo Andreæ, Andreæ Muſculo, Nicolao Selneccero, & Chriſtophoro Cornero conſcribere ex fundamentis S. Scripturæ & ſcriptis D. Lutheri formulam concordiæ omnium illorum dogmatum, quæ ab Auguſtana confeſſione hactenus aliquatenus diſceſſerunt, quam perfectam & diligenter lectam ſubſcriptione ſua approbarunt, quorum fidem & concordiam multi alii principes, epiſcopi, & comites civitatesque cum ſuis doctoribus quorum ſumma fuit 9000. commendarunt, & calculo ſuo comprobarunt, ut præſertim teſtarentur ſe D. Lutheri ſanam doctrinam toto pectore etiamnum probare & ab omnibus fanaticis erroribus ſerio abhorrere. Cum vero ab Holſatis ſubſcriptio poſtularetur, D. Paulus ab Eitzen Epiſcopus Sleſwicenſis principibus hanc concordiæ formulam ſuſpectam fecit, quaſi in aliquot articulis ab Auguſtana confeſſione diſſentiret, & talis eſſet, quam homo vere pius ſubſcriptione ſua comprobare nequiret: cum tamen nullus articulus ab ipſo ut contradictorius, & falſus demonſtraretur. Qua recuſatione eccleſiæ Holſaticæ & Danicæ in haud exiguam ſuſpicionem mutatæ doctrinæ venerunt apud exteros doctores cum dolore & gemitu multorum piorum concordiæ cupidorum.

4. juvenes nobiles Holſ. miſera morte exſtincti.

A. e. nobiles quidam Holſati juvenes, diſciplinæ impietatis ſtudio impatientes menſe Junio infortunati fuerunt; duo enim de Seſtediis tormentis invicem ſe conſumſerunt; alii duo præterea de Dammiis & Buchwoldiis vino aduſto intemperantius hauſto inflammati vita ſua ſeſe privarunt.

Senatus & civium Itzeh. iis ſopita.

A. e. ſenatus Itzehoënſis accuſatus fuit apud Reg. maj. a civibus de reditibus oppidi & paſcuis Marſicis ſine moleſtia aggerum uſurpatis. Quam cauſam commiſſarii & præfecti regii Petrus Rantzovius, Joſias a Qualen, & Richius Doctor juris compoſuerunt civibus ab onere emendandorum aggerum non liberatis nec in poſſeſſionem agrorum ſenatus admiſſis.

peſtis Lubec.

A. e. peſtifera lues Lubecæ graſſans, quotidie circa 40. homines abſumſit, ſumma fuit 7000.

Livonia a Ruſſ. Ivan vaſtata.

A. e. Moſcovita Ivan menſe Julio & Auguſto Livoniam vaſtavit, arces, oppida & præſidia diruit, &

Magnus D. male habitus.

incendit, cumque oppidum Wenden in fidem ſe committeret Ducis Magni Epiſcopi Oeſaliæ, & Dux Magnus eo nomine bona ſpe fretus ad Ruſſum in caſtra ſua cum equitibus 30. exiret, captus mox eſt, veſtibus ſuis ſpoliatus nudatusque eſt, equitibus crudeliter occiſis & in fruſta diſſectis. Dux multas in horas nudato capite ſub cœlo ſtans mœſtus, tandem ruſtica & attrita veſte donatus & in caſulam ductus ignominioſe habitus eſt & cibatus tandem dimiſſus fuit oppidanis occiſis.

Frider. R. Dantiſcanis ſuccurrit contra R. Polon.

A. e Fridericus rex Danorum invocatus a Dantiſcanis contra vim Stephani I. Polonorum regis adductis 25. celocibus adflixit oppida ejus maritima & ea mulctavit: Urbem quoque Elbingam defenſionem ſui molientem incendit & 70. naves Hollandicas cepit.

canalis ex Ditmarſia in Albim ducendus.

A. e. præfectus aggerum & paſcuorum in Marſchia, quem vocant Diekgravium, cum ſeptendecim juratis vocatus a diſſidentibus Dithmarſis judicavit neceſſarium eſſe aquæductum fieri ex ſtagno Cujeno Dithmarſiæ in Albim.

fœneratoribus iniquis modus ſtatuitur.

A. e. Fridericus rex publicavit in Marſchia Crempenſi decretum contra fœneratores, qui inaudita hactenus fraude oberatos miſere arrodebant, & in paucis annis devorabant paciſcentes pro mutuata pecunia non argentum aut aurum aut uſuram, ſed certas tinas frumenti vili pretio ſub ſpecie honeſtæ mercaturæ proxima meſſe exſolvendas; quando plerumque duplo carius quælibet tina vendebatur & debitores ſolvendo non eſſent: qua ratione proter dilationem uſura magna ſuperveniebat. Conſtituit itaque rex huic avaritiæ modum, ut creditores frumentum promiſſum ad terminum præfixum accipiant juxta pretium fori publici & pro officio mutuationis de ſingulis tinis duos ſolidos Lubecenſes lucrum habeant.

Pet. Pomereningk proconſ. Flensb. munere privatus.

A. e. Petrus Pomereningk proconſul Flensburgenſis judicio ſenatus Danici privatus eſt dignitate conſulatus propter calumnias in præfectum quendam ruralem dictas.

Lubecenſis quidam in matrem & uxorem impius capite luit.

A. e. Lubecenſis incola de violentia & contumacia in matrem & uxorem aliquoties accuſatus decollatur.

Cometa.

A. e. Cometa horribilis conſpectus eſt non procul a nova luna in Capricorno ſideri Saturni propinquus candido liquidoque lumine, ſed caudam fumido ardore denſam verſus auſtrum longiſſimo dimidii fere ſigni ſpatio poſt ſe trahens, ab 11. Nov. in 20. Dec. ardens.

Luſitanorum ſtrages.

Secuta eſt mox in Auguſto expeditio iſta infauſta Sebaſtiani regis Portugalliæ in Mauritaniam, in qua tres potentiſſimi reges in conflictu abſumti ſunt & omnis fere flos Portugallicæ nobilitatis.

Rex Poloniæ quoque recuperavit Polotzko ante annos quindecim a Moſchobita Lithuanis ereptam.

In Holſatia aër per totum hiemem nebuloſus & fœtidus fuit.

Ao. 1578. Crempenſi ſenatui 8. cives adjuncti. de homagio Sleſw. tractatur.

Anno 1578. Crempenſes cives per contentionem adjunxerunt ſenatui 8. cives, cenſores publicorum redituum & ædificii publici coadjutores.

Storæ exundatio.

A. e. legati Electoris Saxoniæ & Marchionis tractant Coldingæ cauſam homagii Sleſwicenſis a Principibus ſuſcipiendi.

A. e. tempeſtas magna, quæ violentus Iapyx dicitur, inundationem Storæ fecit die annunciationis.

domus conſulis Hamb. flammis abſumta vindictæ loco.

Evert Jacob Zinglianus accuſatus eſt a puella de ſtupro, multatus eſt a rege centum thaleris, præterea puellæ 30. & parochiæ Wefetsflet 30. pendens.

A. e. domus Matthiæ Reders conſulis Hamburgenſis ſplendida exuſta eſt, in que cineres redacta, quæ divina fuiſſe dicebatur vindicta propter ingens ſcandalum, quod contra concionatorum decretum Anglorum ſecretarium blasphemum Cinglianum in choro D. Nicolai honeſtiſſima pompa ſepeliri fecerat.

Georg. Lafferdes ſibi mortem conſciſcens.

A. e. Georgius Lafferdes patricius Lunæburgenſis & civis Lubecenſis apud Travenam pugione ſua ſe peremit 16. Martii ob dolorem ingentis damni ex coëmti ſalis vilitate contracti & terrorem ſpectrorum, a quibus per integrum fere annum vexatus erat.

Herm. Thomer. concion. Dithmarſ. remotus.

A. e. Hermannus Thomerus Paſtor ad D. Annæ Dithmarſi dimiſſus conſenſu Epiſcopi Sleſwicenſis D. Pauli ab Eitzen a ſynodo, quod ſacramenta negaſſet uſurario, qui

qui voluit uſuram 6. marcarum a magiſtratu permiſſam ut opus juſtum defendere nec pœnitentiam ullam promittere. A. e. legati Hamburgenſium intercedunt apud regem pro reconciliatione civium, quibus naves quædam ademtæ erant. A. e. Dux Holſatiæ Johannes ſenior arcem ſuam Rensburgum reſtaurari & ornari fecit, ſacellumque ultra Eidoram ſuper oſſa defunctorum Danorum in bello olim exſtructum diruit atque hortum ibi plantavit, oſſibus in proximam parochiam Crempenſem translatis. A. e. parochiani in Neopalude Stormariæ templum ſuum renovarunt, & integro tecto novoque murato frontiſpicio ſplendide ædificarunt rege decem quercinas trabes ſponte conferente. A. e. grando quantitate ovorum contrivit in Eyderſtadio ſegetes die S. Johannis. A. e. Fridericus rex edixit publice ſub grandi bonorum & corporis pœna, ne quis contra voluntatem parentum extra patriam vel parochiam ſuam cum alia perſona copulari ſe præſumat. A. e. peſtis ſæviit Wilſtriæ aliquot in ædibus & paſtorem Franciſcum Alardi Bruxellanum per tyrannidem Ducis Albani Antwerpia ejectum ſimul ſuſtulit. A. e. contentio inter regem Fridericum & Comitem de Schowenborch de finibus inter parochiam Horſtenſem compoſita eſt per conſiliarios. A. e. Antwerpienſes & Bredani vocarunt iterum ex Holſatia concionatores Auguſtanæ confeſſioni addictos. A. e. Henricus Ranzovius de Bredenberga præſes regius erexit pyramidem marmoream in monticulo Welnæ prope Itzehoam in perpetuum familiæ ſuæ monumentum: ab altera vero parte viæ publicæ molendinum primus ædificavit, unde faber lignarius de ala decidens exſtinctus eſt. A. e. Friderico Danorum regi natus eſt filius Huldericus baptizatus 11. Jan.

Hamburgenſes naves ſibi ereptas a R. D. reſtitui petunt.

Arx Rensb. reſtaurata.

templum Neopaludanum ornatum.

grando nocens.

Friderie. R. interdictum de non copulandis alibi.

peſtis Wilſtr.

Lis de finibus parochiæ Horſtenſ. diremta.

Antwerpienſes & Bredani vocant ex Holſ. concionatores evgl.

Henr. Ranzovii pyramis Weln. & molendinum.

Huldericus R. fil. naſcitur. Ao. 1579.

A. 1579. rex Fridericus 21. Jan. venit Segebergam Bredebergam, & inde Steinburgum contemplaturus novum ædificium arcis, deinde venit Crempas, ibique quatriduum commoratus, audivit cauſas ruſticorum, agrumque ſuum in Wilteniſſe luſtrans copiam piſcandi in Albi conceſſit piſcatoribus: quo tempore natus eſt tam Itzehoæ infans ſine viſceribus & pudendis. A. e. ruſticus in Neopalude devovit male moratam uxorem Satanæ, quam ille mox proxima nocte ſolam cubantem abducere conatus manibus absque ſcala attraxit in tabulatum domus. Quo ſtrepitu maritus in alio lecto dormiens evigilavit, vocemque conjugis in ſuperiori domus parte audiens, nomine proprio vocavit, invocato ſimul nomine Salvatoris noſtri; demiſſa ergo eſt & læſa a diabolo in ſpina dorſi, unde diu graviter decubuit. A. e. Crempis porta, quæ ab adjacente pago Borsfleth nomen obtinuit, renovata & fundamentum lapideum, quod fluvium Crempam a foſſa munitoria dividit, cum ipſa foſſa ampliatum eſt per ædilem Joſiam a Qualen. A. e. monſtrum hominis natum eſt in Elmeshorne ſine ſine naſo, auribus, oculis & ore, foramen ſolummodo habens in capite in Febr. A. e. Beienfletæ vidua quædam jugulata eſt noctu cum famula in propriis

Fridericus R. Holſatiam luſtrans.

infans Itzeh. mancus.

uxor a Satana in altum ſublata per maritum liberata.

Cremp. porta Borsfleth. ſtructa.

monſtrum humanum Elmsborn.

cædes punita.

ædibus. Latro brevi poſt in ganeo Lubecenſi comprehenſus rotatus & ſuſpenſus eſt. Eodem tempore Weidemann homicida incarceratus cingulo ſuo ſe ſtrangulavit Itzehoæ. A. e. conventus alius conſiliariorum 25. Maji regis Friderici, Electoris Saxoniæ Auguſti, Holſatorum & Heſſorum Ducum, Ducis Lunæburg. & Mechelburgi in Odenſee oppido Fioniæ de feudo Ducatus Sleſwicenſis accipiendo conſcriptus, & in concordia fratrum finitus eſt. A. e. lapicidæ Chilonienſis uxor per ſpectrum aliquoties fuit admonita de colenda concordia cum marito, ne gravius forte puniatur; ſed in moroſitate ſua perſeverans ab ebrio viro vulnerata eſt: unde in deſperatione obiiſſe fertur in Junio. Peſtis quoque Chiloni graſſata eſt. A. e. monſtrum caninum natum eſt ex femina Altenæ prope Hamburgum. A. e. Hamburgenſes ſupra turrim templi ſui pinnaculum ædificarunt. A. e. Hamburgenſes conſules ſecunda vice regem Fridericum interpellantes impetrarunt rurſus libertatem navigandi & mercandi in Islandia, Dania & Norwagia, datis in mulctam centies mille thaleris ad aliquot terminos annorum numerandis. A. e. Doctor Nicolaus Hemmingius Danus Profeſſor Theologiæ Hafnienſis privatus eſt a rege Friderico lectura, ſua propter Calvinismum in lectionibus & publicis ſcriptis ſparſum, bibliotheca inſuper ſpoliatus & cum uxore & liberis Hafnia proſcriptus in Julio: vixit privatus inter Canonicos Roſchildenſes. A. e. Prutenus occidit famulum ſuum mechanicum & publice propterea in foro decollatus fuit. A. e. Fridericus rex tranſivit Bredenberga per Neopaludem Crempas, ubi triduum commoratus & collocutus eſt cum Archiepiſcopo Bremenſi Henrico & fratre ejus Mauritio Duce Saxoniæ inferioris. Adfuit quoque Comes Johannes Oldenburg. & de Lippia. Donavit paſtorem quinquaginta thaleris. Pergens deinde Wilſtriam feriatus eſt ibi paſtoremque totidem thaleris donavit, abiens porro in Dithmarſiam. A. e. Jacobus Chriſtophorus dives & honeſtus ruſticus in Nyenfelde proditorie trajectus eſt bombarda in propriis ædibus ad menſam a fabro ferrario, quem hoſpitio acceperat, & jejuno jentaculum appoſuerat, conducto pro 700. thaleris a decoctore affine ſuo Nicolao Everdes juniore, qui hæredem ſe fore bonorum ejus putabat, quia ille ſine liberis eſſet: ſed latro mox patrato ſcelere captus, & re tota per privignam ruſtici & vicinos patefacta, ille qui hæres eſſe volebat exul factus, & uterque digno ſupplicio affectus eſt. A. e. adoleſcens ruſticus Bilenberg dictus ſororem propriam vitiavit. Wolfii Pogwiſch famulæ incenderunt in abſentia domini prædium & igne punitæ ſunt. A. e. tempeſtas horrida disjecit naves hibernantes in Albi, & de 37. tantum 5. in Storam pervenerunt ſalvæ.

conventus Odenſ. de homagio Sleſw.

uxoris rixoſæ fata.

Chilon. peſtis.

monſtrum caninum ex femina Altenæ.

Hamburgenſium naves redemtæ.

Nic. Hemming. ob Calvinismum pœnas dant.

Prutenus ob famulum necatum ſupplicio affectus.

Frider. R. Crempenſes, Wilſtr. & Ditmarſos viſens.

Ruſticus dives ab affine ipſius bonis inhiante trucidatus.

inceſtus.

prædium Pogwiſch. incenſum.

tempeſtas in Albi navibus pernicioſa.

Anno 1580. Marſchia Crempenſis adjunxit ſuis præfectis ruſticis unum Capitaneum in ſingulis pagis, qui de republica & pecuniis a Marſchia collatis rationes accipere & diſtribuere deberent. A. e. Mauritii Ranzovii vidua

Ao. 1580. Capitanei in Marſchia Cremp. conſtituti.

arbores ſuccisæ.

vidua in Hanrow abſciderat ruſticis Schonefeldenſibus in Witſteden ſexaginta alnos, cui Dux Johannes ſenior viciſſim juſſit detruncare centum quercus & fagos, easque auferre.

ſilva hoſpitalis Itzeb. H. Rantzovio vendita. nobilis ſcelus excuſans perit.

A. e. ſilva hoſpitalis S. Georgii ante Itzehoam vendita eſt permiſſione regis Friderici D. Vicario Henrico Ranzovio, ex quibus reditibus auctum eſt ſacellanis ſtipendium annuum per conſules. Summa eſt 700. thalerorum. A. e. Nicolai Culen nobilis Hadelerii uxor gravida elevans & excuſans latrocinium Nicolai Everdes ſubmerſa eſt in aquæductu, cum ad templum curru veheretur isque ab equis ſubverſus eſſet. A. e. Friderico regi nata eſt filia Auguſta. A. e. Duces Holſatiæ Johannes ſenior, Adolphus & Johannes junior, juxta pactum Othonianum (*Schleßwichs Lehn*) ſuperioris anni (accepturi ſimul feudum Ducatus Sleſwicenſis a rege, quod jam annis 140. ſuſpenſum & neglectum fuerat) ornatiſſimo Holſatorum nobilium comitatu unanimiter transfretarunt in Aſſens oppidum Fioniæ die Cantate. Ubi a 50. conſiliariis & aulicis regiis honorifice excepti fuerunt. Dux Johannes ſenior adduxit 292. generoſos equos, Dux Adolphus 496., Johannes vero junior 132., quibus acceſſerunt vocati a rege præſides & præfecti regii ex Holſatia cum centum equis. Hi conjuncti aulicis Danicis una cum rege Friderico principibus obviam proceſſerunt pulcherrima pompa 1500. equitum eosque humaniter & fraterne exceptos rex Fridericus centum ſatellitibus ſtipatus deduxit in Othoniam Dominica Cantate. Comitatus generalis fuit 3000. equorum. Die Lunæ ſequenti quieverunt & collocuti ſunt amice tam principes quam conſiliarii in cœnobio S. Canuti, die Martis hora 8., ad ſignum buccinæ principes tres cum regiis ex Holſatia conſiliariis in campum extra oppidum conceſſerunt ſeque ſub tria vexilla diviſerunt: capitale vexillum, ſub quo principes fuerunt, rubrum colorem habuit; Sleſwicenſe vero luteum cum duobus cœruleis leonibus; Femarienſe cœruleum cum deaurata corona fuit. Cum autem vexillum Sleſwicenſe produceretur, deprehenſum eſt inverſis leonibus affixum fuiſſe imprudenter, quod in funeribus fieri conſuevit. Revertentibus proinde principibus & nobilibus legitimo ordine in urbem, & conſtitutis ante tabulatum fori, in quo rex ſub cœlo arte facto ſedebat, vehemens ventus vexillum Sleſwicenſe in globum quaſi manibus convolvit reliquis expanſis & volantibus, quod a conſiliariis infauſti ominis ſignum habitum eſt, ſicut eventus in ſubita Ducis Johannis morte mox comprobavit. Principes ſeorſim coëuntes miſerunt quisque ſuum nobilem commiſſarium regi & ſenatui ejus in ſella feudi conſidentibus. Dux Johannes ſenior miſit Johannem de Wiſche præfectum Tunderenſem; Dux Adolphus Benedictum ab Alefeld de Haſeldorp; Rex Fridericus vicarium Holſatiæ Henricum Ranzovium; Dux Johannes junior Johannem Blomen. Hi ordine decenti a regia majeſtate & ſenatu regni poſtularunt homagium feudi Sleſwicenſis & Femarienſis, offerentes juramentum & ſtipulationem fidelitatis. Rex cum per ſecretarium ſuum reſpondiſſet ſe omnes partes pacti Othoniani ſancte confirmaturum: principes cum præcipua nobilitate ſub vexillo ſanguineo quaſi in acie congregati triginta in ordinibus, (quorum quisque ordo perſonas novem habuit) circum feudalem ſellam ter equitarunt. Poſtea de equis deſcendentes ſub tribus vexillis ordine præcedentibus aſcenderunt ad ſellam regiam. Ubi quatuor illi principum commiſſarii feudales genibus ante ſellam regiam flexis juramentum fidelitatis nomine principum ſuorum adſtantium præſtiterunt, manibus in evangelii librum protenſis & verbis a Cancellario Nicolao Kaas formaliter recitatis. Mox rex de ſella aſſurgens & ad patruos ſuos accedens ſtipulationem manus ab unoquoque accepit, deinde cum principibus vexillum ſimul apprehendens tam ſe quam illos in nomine S. S. Trinitatis feudo ducatus Sleſwicenſis & Femariæ publice inveſtivit. Abjectis deinde vexillis pro more in cœtum populi & dilaceratis, quatuor his commiſſariis litteræ quatuor feudales traditæ ſunt ſigillis aureis obſignatæ. Gratiarum tandem actione peracta principes ordine cum ſuis præceſſerunt rege in cæſio equo Turcico rubro & undulato panno ex aureis fibulis contexto, & undique conſtrato cum ſenatu regni ſubſequente in convivium regale & opiparum. Quo pacifice & hilariter finito principes 6. Maji valedixerunt & abierunt. *Jo. Crugerus.*

Augusta R. fil. naſcitur. feudi Sleſwicenſis a Ducibus ſuſcepti ſolennia.

omen.

A. e. captus eſt in portu Ekerenfordiano piſcis niger cute oculos habens taurinos, longitudine 26. pedum, corporis latitudo in circumferentia fuit 6. ulnarum circumquaque, ſed ab imo ventre ad dorſi altitudinem ulnarum duarum prope; cauda lata fuit octo pedes piſcis habuit pondo 22. *Lisk.* cor & jecur habuit 80. pondo communia eratque fœmina. A. e. Georgius Fridericus de Anſpach Marchio cum Duce Wurtenbergico tranſiit per Segebergam in Daniam, quo tempore Junius ut plurimum humidus & frigidus fuit. Inſecuti eos Comes Johannes de Oldenborch & Epiſcopus Bremenſis cum fratre Mauritio & Comite de Lippa perrexerunt ad baptiſmum filiæ regis Auguſtæ. Cum autem Marchio per vicarium Henricum Ranzovium rurſus deduceretur per Holſatiam Hamburgum, commiſſarii ſenatus non permiſerunt Dn. vicarium per urbem deducere Marchionem, ſed violenter ſibi illam auctoritatem arripuerunt non ſine offenſione principis. A. e. Adolphus Dux fundavit & exſtruxit Tonningæ in Eyderſtadio novam arcem in littore Eydoræ fluvii. A. e. flammæ coruſcantes per totam ſeptemtrionis plagam viſæ ſunt in aëre: ſed optima temperies ſecuta eſt 18. Julii. A. e. Ripis in Jutia flammis abſumtæ ſunt plusquam centum domus. A. e. Henricus Ranzovius mandato Friderici Regis, inquirit Gottorpii, & Segebergæ documenta vetera de jure principum Holſatiæ, in Hamburgo & flumine Albis quoad piſcationem & navigationem, deinde cum aliis principum conſiliariis Chilonii tractat cum Hamburgenſibus, ſed nihil perficitur. A. e. cœlum d. 10. Sept.

piſcis mirus prope Eckerf. captus.

Marchio Anſpach. & D Wurteb. aliique in Dan. tendunt.

Hamburgenſium auſus.

arx Tonning. ſtructa. meteora.

Ripenſe incendium.

jus principiam de Hamburgo inquiſitum.

metora.

Sept. veſperi undique flammis ad zenit aſcendentibus ardere viſum per totum horizontem, quo aër infectus & fœtens maximam partem hominum in oppidis & pagis pectorali morbo decumbere fecit paucis tamen abſumtis. Crempis hoc chaſma media nocte tam lucidum fuit, unde in turri & appenſo horologio ipſæ horæ numeratæ ſunt. A. e. Dux Johannes ſenior, cum paucis diebus ægritudinem quandam ſenſiſſet & confeſſione facta poſtridie communicare cœnæ Domini decreviſſet, epiſtolæ & evangelii Dominicæ 18. Trin. explicationem ſibi prælegi feciſſet atque a cœna ſymbolum fidei noſtræ rythmicum ipſe pro more ſuo canere incepiſſet, oratione ſeria Deo ſe ſubditosque commendavit & ad quietem compoſuit ſomno ſuavi usque ad ſummam noctem quieſcens. Quando autem unus puerorum altius principem ſpiritum ducere animadverteret, accurreretque, ipſe elevatis ſemel atque iterum oculis & rurſus clauſis quiete & placide obdormivit catharro, ut putatur, ſuffocativo exſtinctus in arce a ſe fundata Hansborch die 1. Octob. ætatis ſuæ anno 59., gubernationis vero 38. Fuit hic princeps pius, humanus & pacificus, pauperum & adflictorum pater, hoſtis avaritiæ & ſuperbiæ, qui ſubditis nullam exactionem onerum, aut tributorum novam impoſuit & eccleſias ſchola ſque fideliter inſtituit. A. e. mortui ſunt menſe Octobri plures conſules variis in locis Hamburgi, Roſtochii, Stadæ, Chilonii & in Oldeslo, Lubecæ, atque Itzeho ex morbo pectorali. A. e. cometa obſcurior de natura Saturni viſus medio cœlo d. 9. Octobris in piſcibus gr. 21. non longe a puncto æquinoctiali, ſed retrogradus. Iterum mane viſus in oriente, non procul a lucifero 12. Decembr. caudam perpendiculariter in altum extendit, in 3. gr. ſagittarii, latitud. 25. gr. verſus ſeptentrionem. Secuta eſt expeditio illa felix Regis Stephani Polonorum in Moſchoviam, qua Polotzko, Schmolensko, & aliæ provinciæ amiſſæ iterum ſunt recuperatæ, & Livonia Ruſſo erepta eſt: Victoria item glorioſa Perſarum & Armeniorum contra Turcam.

Johannes ſen. D. obit.

ejus laus.

annus conſulibus e-mortualis.

cometa.

Anno 1581. rector ſcholæ Rensburgenſis Hieronymus vocatus a paſtore & ſenatu ad officium docendi publice Catechiſmum, vexatus noctu tentationibus Sathanæ, gladio proprio in lecto ſuo in pectus adacto ex tibiarum periſcelide ad trabem ſe ſuſpendit extractus a lictore, & in cœmeterii ingreſſu veſperi ſepultus 3. Jan. A. e. natum fuit in Bramſtede ſine ore, naſo, & pudendis monſtrum hominis, habens maſſam carneam in dorſo pendentem, quo eodem menſe d. 22. chaſma lucidum viſum in ſeptentrione verſus orientem. A. e. venefica decrepita capta Steinburgi poſt torturam, & confeſſionem gratiam Dei implorans communicavit cœnæ Dominicæ, ſed carceri iterum intruſa ſequenti nocte vexata eſt minis Sathanæ, iterumque ad ignominiam ſalvatoris ſui in fœdum coitum conſenſit, ter ſe compreſſam conqueſta. Poſtea nuda, fœdaraque a cuſtode carceris inventa extracta & exuſta eſt. A. e. morbus novus ſævire cœpit in

Ao. 1581. Hieronymus Rect. Rensburg. ſe ſuſpendit.

monſtrum bum.

meteoron.

de veneficæ impietate & ſupplicio narratio.

morbus novus in Holſ.

parochiis Bramſteden, Kellinghuſen & Schœnfelde, quo homines miſere manibus pedibusque contracti ex ſpaſmo ſubito corruerunt, jacentes ut mortui circa horam: partim vero ſanitate reſtituti, partim vero exſtincti ſunt. Quales frigidos fluxus cum tempeſtatibus humidis cometam proxime viſum operaturum eſſe præſertim inter plebeios aſtrologi prædixerant. A. e. Strandenſes Marſi donarunt Duci Adolpho mille tinas avenæ in ſumtus ſepulturæ Ducis Johannis. A. e. Joſias a Qualen per regem Daniæ præfectura privatus ipſique per eundem nobilis Benedictus Alefeld hæreditarius in Lehmkulen ſuffectus eſt. A. e. funus D. Johannis ſenioris deductum eſt d. 13. Febr. ex Haterslebio Sleſwicum a Ducibus Adolpho fratre & Johanne patrueli atque Mareſchallo regio Petro Guldenſterne cum ſeptingentis equitibus, poſteroque die in ſepulcrum patris Friderici honorifice illatum pompa ſpecioſa puerorum, Canonicorum, concionatorum plurimorum, ſenatoriorum, ſecretariorum & matronarum nobilium atque virginum ex 4. cœnobiis mortem optimi principis lugentium. A. e. D. Hieronymus Olgard Cancellarius defuncti Ducis Johannis, captus a Mareſchallo regio ex itinere verſus Haterslebiam prope Flensburgum juſſu regis in Drakholm Selandiæ conjectus eſt in carcerem; ſed interceſſione amicorum in paſchate dimiſſus & ex Dania atque Holſatia relegatus eſt. A. e. conſiliarii regis Friderici & Ducis Adolphi conventum habuerunt Haterslebii, & actionem de diviſione hæreditatis relictæ a Duce cælibe Johanne. Quo nomine per regnum Daniæ & Holſatiam litaniæ publice ſolemniter poſt concionis decantatæ ſunt pro pace, & amica transactione diviſionis inter defuncti fratrem & fratris conſanguinei filium. A. e. Dux Franciſcus de Lowenburg obiit circa Palmarum, cujus filius Henricus epiſcopus Bremenſis occupavit velociter Hadeliam præveniens Franciſcum fratrem ſucceſſorem in Lowenburg. A. e. Hamburgenſium naves ex Islandia revertentes deprehenderunt Dominica vocem jucunditatis in littore Friburgenſi piratam, qui navem ceperat frumento & panno onuſtam, cum quo congreſſi nautæ ceperunt 29. piratas eosque captivos abduxerunt Hamburgum octo reliquis fugientibus in ditionem Epiſcopi Bremenſis. Cum vero Hamburgenſes in vigilia pentecoſtes ſuos captivos, inter quos fuit filius conſulis de Amſterdam, educerent decollandos, pons paluſtris concurſu populi confractus eſt, & decem homines ſpectatores ſubmerſi. Paſtor quoque in Eppendorp vulneratus eſt. A. e. Jacob Wiſtermann ruſticus Wilſtrenſis parochiæ ex comitatu prodeuntium ad ſacram concionem dominica rogationum, a latere uxoris ſuæ ſe ſubducens & molam ſuam aquaticam paluſtrem ſpirante tunc vento dirigere volens ſub rotam veſtibus attractus conteritur fracto collo & pectore contuſo. A. e. nobilis Holſatus P. de A. ira commotus puerum ſuum inverſo tormento manuario percutere voluit, ſed ictu laxatum tormentum crus Domini trajecit, ex quo vulnere

Strandenſium liberalitas.

Joſ. a Qualen præfectura ornatus.

Johannis ſen. D. exequiæ.

D. Hier. Olgard ipſius Cancell. captus & regno proſcriptus.

conventus Haderſleb. de hæredit. divid.

de Franciſc. Lowenb. D. hæreditate adeunda lites.

pirate ab Hamburg. capti.

quidam mola correptus perit.

nobilis qu. Holſ. ſclopeto temere habito occidit.

Liber Concordiæ in Holſ. per Com. Schaumb. introductus.

paulo poſt obiit in Majo. A.e. Comes Schowenburgi mandavit præfectis ſuis in Holſatia comparare parochiis ſuis librum concordiæ, ut paſtores inde inſtruantur ad recte docendam plebem de cavendis falſis dogmatibus.

Halæ villæ Holſ. incendium.

A. e. domus quinque in Hala villa Ducis Johannis ſub Rensburgo exuſtæ & novæ poſtea ex lapidibus ædificatæ ſunt.

Chriſtina Holſ. principes de hæredit. diſſidentes ad concordiam revocare ſtudet.

A. e. Chriſtina Duciſſa Holſatiæ, & conjux Ducis Adolphi profecta eſt ad reginam Danorum & matrem ejus Elizabetham in Seelandiam pro concordia principum in ſucceſſione ſtabilienda, quia rex cum Adolpho diſſidebat æqua portione volens patruo ſuo conſanguineo ſuccedere, quamvis Adolphus frater eſſet germanus & ille fratris filius.

meteoron.

A. e. haſtæ lucidæ & ardentes conſpectæ ſunt ſub Cynoſura verſus zephyrum die Magd.

caſus funeſtus.

A. e. ruſticus Suderovianus die Dominica cum uxore ad convivium vectus lancea ſua negligenter poſita & ſervata, deque curru bis lapſa ſecunda vice ſeipſum transfodit & vita in momento ſpoliavit.

lites inter F. & D. Adolph. de hæredit. compoſitæ.

A. e. tractatus conſiliariorum deputatorum tandem in Septembri feliciter abſolutus eſt, Deo clementiſſimo corda conſanguineorum principum ad ſalutem ſubditorum flectente in concordiam ſucceſſionis.

utriusque partes.

Adolphus germanus Ducis defuncti frater in prærogativa retinuit theſaurum & ſupellectilem omnem: præfecturis vero ſorte æquabiliter diſtributis obvenit regi Friderico Dorningk, Hatersleben, & Rensburgum: Duci Adolpho altera pars Tunderen, Stranth, Femeren, Bordesholm & Luenkloſter.

Tunderenſium homagium Adolpho præſtitum.

A. e. Tunderienſes cives homagium præſtiterunt Duci Adolpho novo Domino, ſed magno infortunio contriſtati ſunt. Vix enim diſceſſerat ex oppido princeps, cum

incendium.

incendio exorto ducentæ & viginti domus magnæ & parvæ flammis conſumtæ ſunt, multis ad paupertatem redactis. d. 25. Sept.

Johanni jun. ceditur Reinefeld & Rubeclocloſter.

A. e. Fridericus rex conceſſit de hæreditate a patruo accepta fratri ſuo Johanni Duci Holſatiæ in poſſeſſionem cœnobia duo Reinefelde & *Rubekloſter*, antea a ſe poſſeſſa, ut tres illæ præfecturæ integræ permaneant, quas a patruo ſorte acquiſiverat.

Ao. 1572. Segeb. tractus & Marſchia recenſentur.

Anno 1572. rex Fridericus juſſit præfectos ſuos Holſatiæ conſcribere numerum domorum & caſularum ruſticarum omnium in Segeberg & utraque Marſchia una cum ſumma illius tributi aut reditus, qui quotannis penditur.

homicidia per mandatum regium vix cohibita.

A. e. rex Fridericus animadvertens contumaciam homicidarum nullo freno cohiberi poſſe, dum paucis in facinore comprehenſis & punitis maxima pars trans Albim aut in jurisdictionem nobilium fugit de bonis ſuis impune convivantes & quaſi triumphantes; decretum publicavit in Stormaria, homicidarum ſubſtantias & pecunias dimidia ſui parte confiſcari debere, donec iſti de patrato ſcelere jure reſpondentes cum R. Majeſt. reconciliati fuerint. Quo mandato etſi major pars ruſticorum valde commota ſit; parum tamen ad cohibitionem petulantiæ & malitiæ perfecit, quia intra octiduum poſt publicationem tria homicidia violenter commiſſa ſunt, & frater

Adolph. D.

quidem a fratre non abſtinuit. A. e. Dux Adolphus profectus cum uxore in Haſſiam filium ſuum Fridericum cum Johanne Ranzovio & duobus Qualiis miſit in academiam Heidelbergenſem, & inde Argentinam.

in Haſſiam profectus filium mittit in Acad. Heidelb.

A. e. nobilis Balthaſar ab Alefeld ædificavit funditus novam arcem, quadratis domibus in Drage prope parochiam Aſpen altero lapide diſtantem ab Itzehoa.

Drage arx ædificata.

A. e. cives Rensburgenſes per tumultum accuſarunt paſtorem ſuum Volquardum Jenſen ad ſenatum in Junio, & poſtea per duos legatos petiverunt a rege dimiſſionem ejus, quod in quosdam cives Johannis Leidenſis ſocios acrius debacchatus publice eos vocarit *Ehren-Diebe und Judas-Brüder*.

Rensburgenſium cum concionatore indignatio.

A. e. peſtis graſſata eſt Huſii, Sleſwigæ & in Dithmarſia circa oram maritimam, qua multi mente capti ſunt, & paſtores circiter 20. in Eyderſtadio & Strandio abrepti.

peſtis.

A. e. nobilis Danus F. B. paſtori ſuo poculum communicanti calicem conſecratum ex manibus eripuit, & in pavimentum projecit, deinde ex adulterio puerum ſuſceptum diſcerpſit atque in matrem ſuam & uxorem ſævitiam exercuit. Accuſatus igitur ad regem & minacia verba contra ejus majeſtatem locutus fugiens in Holſatiam prope Apenrade captus & cuſtodiæ traditus eſt.

Nobilis Danus ob impietatem & ſævitiam in cuſtodiam miſſus.

A. e. Papa Gregorius XIII. apoſtolica auctoritate præcepit principibus Chriſtianis omnibus demere de calendario decem dies, qui a tempore concilii Niceni abundabant.

calendarii emendatio.

A. e. tempeſtas octiduana poſt omnium Sanctorum ſuſtulit aquæductum parochiæ ad D. Margarathæ & Wilſtrenſem Marſchiam undis adimplevit.

tempeſtas & inundatio Wilſtrenſis.

A. e. Dux Franciſcus de Lowenburg duxit in uxorem filiam Julii Ducis Brunſwicenſis nuptiis celebratis in Wolfenbuttel die S. Martini.

Franciſci D. Lauenb. nuptiæ.

Anno 1583. Dux Magnus Epiſcopus Oſalienſis & frater Friderici regis Danorum obiit in Livonia.

Ao. 1583. Magnus D. Epiſc. Livon. obit.

A. e. famula quædam conceptum infantem pharmaco a vetula accepto mortuum peperit & ſepelivit clam; decollata vero eſt Crempis, & vetula virgis cæſa.

infanticidium punitum.

A. e. homicida quidam textor Crempis incarceratus, cum poſtridie decollandus cœnam Domini accepiſſet: viſitatus eſt ab uxore mortem mariti tantopere dolente, ut una cum ipſo mori expeteret: incuria igitur cuſtodis carceris, ille arrepto cultro ſeipſum in pectore vulneravit, & uxori cultellum in ventrem adegit; ſed quia vulnera lethalia non erant, ille decollatus, uxor vero ſanitati reſtituta eſt.

homicidæ incarcerati malitia.

A. e. Apenrade oppidum dimidia ſui parte flammis eſt abſumtum in Majo.

Apenrada flammis imminuta.

A. e. peſtifera lues in Caddenberge Hadeliæ exſtinxit fere omnes homines in 30. domibus, ſex tantum perſonis ſervatis. In Dania Selandiæ obierunt æſtate 18000. homines eadem peſte. Perierunt quoque 22. eccleſiæ miniſtri in Worſatia Hadel.

peſtis in primis ap. Hadelenſes.

A. e. chaſma horribile in profeſto S. Laurentii flagravit per totum horizontem ſeptentrionalem usque in medium ſummi aëris aſſurgens.

meteoron.

A. e. Steinburgenſis arcis duæ foſſæ per foſſores purgatæ ſunt pretio 1100. marcarum.

Steinburg. fumtus.

A. e. Fridericus rex in Auguſto venit cum ſocero Uldarico contemplari Rensburgum eumque ſecum deduxit Segebergam.

Frid. R. cum ſocero viſit Rensburg. & Segeb.

A. e.

inundatio Wilstr.

A. e. d. 20. Augusti mortuus est Crempis Lampertus ab Aken senator Crempensis. A. e. aquæductus in Casenord Wilstriæ excussus est vehementi tempestate, quam ventus die S. Bartholomæi commorat; unde tota illa Marschia repleta & multis molestiis per totam hiemem afflicta fuit, dum vis aquarum operas sæpius in congerendo vallo conturbavit.

Gebhardi El. Colon. affinis honorifice Bredenbergæ exceptus.

A. e. Gebhardi Episcopi & Electoris Coloniensis (qui a Duce Bavariæ & Leodiensi episcopo ob ductam uxorem bello petebatur) affinis a rege Friderico reversus per Holsatiam honorifice exceptus est Bredenbergæ.

anguilla eximiæ magnit.

A. e. anguilla marina capta est in Albi ad S. Margarethæ longitudine 6. pedum, latitudine in circumferentia unius ulnæ, pretio 18. solidorum

veneficus reus in S. cœnæ sumtione perit.

Lubecensium 17. Sept. A. e. vir quidam in Pretzensi parochia suspectus de veneficio petiit ad purgationem sui communionem S. cœnæ: cum igitur supplex a pastore peteret absolutionem & gravi commonefactione de pœnitentia criminis, quo defamatus erat, admoneretur, caput in genua pastoris reclinavit, sed cum de somno excitaretur, mortuus & collo confracto repertus est.

Joh. D. prædia in Alsen insl. emit.

A. e. Johannes Dux Holsatiæ emit a nobili Johanne Blomen prædia & villas, quas ex hæreditate Sturiorum possederat in Alsen insula, pro 170000.

Satanæ devotus miserè vexatur.

thaleris. A. e. Gerhardus unus ex fossoribus Steinburgensibus invitatus a sodali ad prandium in caupona, ab exclusa uxore gravida & commota maledictus est, ut tot diabolos in assatura comederet, quot capillos in capite gestaret. Mox finito prandio mœstus ille incedens, super aliquot fossas pascuorum paulo post quasi volare visus est; deinde in aquas conjectus, & rursus extractus cœno totus commaculatus atque integra nocte a Sathana instar superbissimi aulici equo advecto misere vexatus fuit, pejoraque ipsi, cum discederet, minatus est: sed quia in doctrina pietatis optime institutus erat & post ardentes ad Deum preces colloquia piorum & pastoris expetebat, multum est recreatus certam a Christo Salvatore liberationem expectans in Octobri.

meteoron.

A. e. semicirculus septentrionalis plagæ in cœlo flammis ardere visus ipso vespere diei natalis Christi, qui fuit 25. Dec. deinde dies 29. fuit valde nebulosus, sicut & dies circumcisionis vel 1. Januar. sequentis anni.

An. 1584. Inundatio circa Billwarder.

Anno 1584. aqua nivalis copiosa disrupit aggeres in Byllwarder prope Hamburgum, & 18. rusticorum agros densa arena complevit. A. e.

mariti in uxore patrata cædes.

Ties Kreie rusticus parochiæ Wilstrensis de adulterio cum alterius uxore suspectus propinavit suæ uxori bina vice venenum: quod dum semel in stramen lecti effusum, altera vice evomeretur, manu jugulum ipsius arripuit &

vestes conclusæ mire lacerantur.

strangulavit. A. e. Johanni Francken civi Wilstrensi & famulæ ipsius intra proprios parietes in Januario vestes in minutissimas particulas invisibiliter & insensibiliter conscinduntur in cistis & scamnis, ubicunque repositæ fuerant; nec malo huic remedium ullum inveniri potuit aliquot mensibus. A. e. chasmata

meteoron.

in cœlo 4. Martii conspecta antelucano tempore in septentrione.

Frid. R.

A. e. Fridericus rex emit a Schakio de Alefeld Wulfesbostel prope Westede dato illi in possessionem prædio Fridrichshoff in Dithmarsia ad tempus vitæ suæ.

emit prædium Wulfesbostel.

A. e. conjunctio fuit maxima Saturni & Martis, item Jovis & Martis in Aprili in signo igneo arietis, quibus novum trigonum igneum astrologi incipere & mutationem omnium rerum & novam aliquam monarchiam futuram somniabant.

planetarum conjunctio.

Astrologorum ominationes.

Cumprimis vero mortem & interitum multorum principum & morbos pestilentiales ominabantur. Cum vero eodem tempore cum hac conjunctione chasmata & trajectiones igneæ in cœlo conspicerentur, secuta est aëris magna siccitas, & herbarum atque sati frumenti in editioribus locis ariditas usque in Augustum, quo subita mutatio æstus facta est per frigidas tempestates & pluvias.

Tempestatis ratio.

Mors quoque regum, ut reginæ Sueciæ, Moschobitæ & Galliæ fratris, Papæ & Ducis Erici Brunswicensis; principum vero, ut Auraniæ, Mediolani & episcoporum quorundam insecuta est.

mors principum.

A. e. rex Navarræ sollicitavit missa legatione Fridericum Danorum ad confessionem & defensionem Calviniſmi, sed voto suo frustratus est rege mutationem religionis suæ recusante.

Frid. R. a. R. Navarræ ad Calviniſmum sollicitatus.

A. e. duo infanticidia patrata sunt in Januar. & Aprili a puellis, altera infantem suffocavit in fluvio Crempa, altera jugulum cultello abscidit in Itzehoënsi urbe.

infanticidia duo.

A. e. Fridericus rex exegit ab Haterslebianis & Flensburgensibus tributum 8000. thalerorum, & a Rensburgensibus & Itzehoënsibus 5000. thalerorum, de quibus tamen mille remisit, cum per legatos suppliciter inviseretur.

tributum a Rege impositum.

A. e. Matthæus Schnell in parochia Neoccleſiana noctu in lecto suo fraude privigni accepit 8. Junii a latrone 14. vulnera, ex quibus die 15. post mortem oppetiit; latro vero Lembke dictus rotatus est in Octobri.

Matthæus Schnell past. occisus a latrone.

A. e. Henricus Bremensis Episcopus ustulari fecit nebulonem, qui matrem & sororem compressérat, matre simul ustulata ad palum, sorore vero in terra suffocata.

incestuosus punitus cum sceleris sociabus.

A. e. Dani juramento confirmant homagium principi Christiano IV. filio regis Friderici II. in Jutia, Selandia & Scania.

Dani homagium præstant Christiano IV. R. fil.

A. e. fulmina fuerunt & tonitrua in Julio frequentia, quibus plures domus rusticorum incensæ & absumtæ sunt.

damna a fulminibus orta.

A. e. pestifera contagio sævire rursus in Julio cœpit circa oram Albis, & pervenit in oppidum Boxtehude, & paucis mensibus cives quasi flammis absumsit. Chilonii similiter peste obierunt plusquam ducenti cives.

pestis Boxteh. & Chilon.

A. e. Fridericus Danorum rex misit legatos suos Dn. vicarium & alios præfectos Holsatiæ in Pomeraniam ad componendam veterem litem Ducum Megalopolitanorum & Pomeraniæ de terminis & præfectura arcis Staferhagen prope oppidum Malchin, qui tandem re infecta reversi sunt salvi.

legati Danici frustra tentant compositionem litis inter Duces Megap. & Pomer.

A. e. D. David Chytræus ex Worsatia reversus, ubi ostia Visurgis & Albis contemplatus est, transiit domum per Itzehoam & Holsatiam in Augusto.

Dav. Chytræus Holsatiam peragrans.

A. e. turris in Kellinghausen fulmine tacta est & paulo post trabs candida divisit antelucano tempore horizontem orientalem.

tempestatis sævitia & fulmine.

Pestis quoque grassans in parochia Niendorff pastorem cum ædituo simul abripuit.

pestis.

A. e.

Joh. D. nuptia. tempestas & pestis. Dux Johannes Megalopolitanus habuit sponsalia cum filia Ducis Adolphi in Reinebeke mense Septembri, quo tempore cœlum in septentrione & oriente flammis luxit, & pestis Rensburgi grassari cœpit, sicut & paulo post in Crempensi Marschia. A. e. Dn. Adam Tratziger cancellarius Ducis Adolphi prope prædium repudiatæ uxoris vesperi bene potus excussus est curru suo & sequenti die mortuus valdeque deformatus inventus & sepultus est Hamburgi perquam honorifice. A. e. avicularum ignotarum agmina formam & quantitatem fringillarum habentium sat densa visa sunt in Holsatia, quæ demiserunt se inter Chilonium & Rensburgum vastantia late fructus quercinos & quotidie revertentia. A. e. Hervordiæ in Westphalia obierunt peste 1500 homines, Rensburgi in 4. mensibus ducenti consumti sunt; & in novo anno desiit virus una sublato D. Simone Crusio Eccles. ministro. A. e. Dux Ericus Brunsw. obiit, cujus provincias hæreditarunt Dux Julius Brunswicensis & Wilhelmus Lunæburgensis. A. e. in festo natalitio Christi per seditionem civium in Livonia ejectus est urbe D. Johannes Tastius filius D. Hermanni pastoris Husensis consul & Syndicus Rigensis, omnibus ejus bonis publicatis, quod pastorem urbis capere mandaverat, ob celebratum festum contra Gregorianum novum calendarium.

Adam Tratziger miserè occumbit.

avium incognitarum copia nocens.

pestis in Westphal. it. Rensburgi.

Ericus D. Brunsw. moritur.

Jo. Tastius consul Rig. expulsus.

Ao. 1585. Hamburgenses mulctæ residuum pendunt. Frid. R. prædium Nubel emit. Stora inundat Itzeboam. Job. R. Suec. nuptiæ. animi ægritudine vexati.

Anno 1585. Hamburgenses penderunt Itzehoæ ultimum terminum de mulcta tonnæ auri mense Januario. A. e. Fridericus rex emit a nobilibus de Alefeld pagum Nubel cum attinentibus pro 20000. thaleris situm ad Eydoram in silva Hamme. Stora fluvius inundavit per oppidum Itzeho die purificationis Mariæ ad semiulnæ altitudinem, quando in Kedingia aggeres disrupti sunt. A. e. Johannes rex Suecorum duxit uxorem Gundelam virginem ex nobilitate Suecica 14. Febr. A. e. Eva de Pentzen monialis Itzehoënsis melancholia graviter vexata deque gratia Dei & remissione peccatorum dubitans conata est in absentia custodum hausto ferventis aquæ vitam finire, sed liberata est. Eodem tempore famulus pistorius ludibrio affectus a compotatoribus præ mœstitia in aquas insiliens se suffocavit, multique alii mente moti fuere. A. e. cives quidam Husensis fratrem suum accusatum publice de furto equi suspendio affecit, sed paulo post in furorem actus & in Martio catenis constrictus carnem brachiorum & humerorum suorum devorans tertio post mense obiit. A. e. Cajus Rantzovius Henrici filius cum litteris transactionem de pace inter regem Hispaniarum & reginam Angliæ, statusque Belgicos ad illustrissimum Ducem Parmensem ablegatus, ab equitibus quibusdam Bergensibus, tribus a Bruxella milliaribus, captus bonisque spoliatus est: Cujus gratia postea rex Daniæ Fridericus II. Hollandicorum negotiatorum 600. naves injuriæ vindicandæ ergo detinuit; quas ut recuperarent 30000. thalerorum honoris gratia regi obtulerunt. Ex qua summa Cajo Rantzovio 10000. pro perpessa injuria ac captivitate ex speciali gratia donavit. A. e. Henricus Dux Saxoniæ Episcopus Bremensis equo vectus a concione die parasceves & exinde læsus aliis veneficio, aliis phreneſi laborare visus moritur, pridie S. Georgii, qui fuit 22. April. Frater Mauritius mox occupavit arcem Atrendorff in Hadelia, sed per fratrem Franciscum depellitur. A. e. rusticus in Brugga Holsatus convivium daturus vicinis suis feria 2. Paschatos abiit piscatum, atque ex lintre, quo domum vehebatur, lapsus submersus est in Bistensehe. A. e. Paderbornense capitulum elegit in successorem Henrici defuncti nobilem canonicum Furstenbergium pertæsum dominii Saxonici. A. e. Otto Ranzovius, Hansii filius, D. Schackonis equitis aurati pronepos, hæres quondam in Rantzow & Schoneweida, d. 24. Dec. e vita decessit. A. e. Johannes Adolphus Dux Holsatiæ constitutus est episcopus Bremensis, Osnabruggæ & Paderbornæ post mortem Henrici Archiepiscopi. A. e. sæviit pestis vehemens in Holsatia, multos ubique homines repentina morte exstinguens, simulque Crempensium pastorem Nicolaum Toden cum aliquot civibus præstantibus & Marschiæ Capitaneo. Summa omnium, qui Crempis obierunt a festo Michaëlis anni 84. ad festum iterum hujus divi, fuit circiter 1100. Versus memoriæ gratia in hanc rem valvis templi adscriptus sic habet:

Atrendorf occupatur. rusticus Brugg. convivaturus aquis perit. Furstenberg. episc. Paderborn. Otto Ranzov. e vita excedit. Job. Adolphus D. Episc. Brem. Osnabr. ces. pestis Holsat. Crempensium ea peregrinantium numerus.

RVrsVs DIra LVes pro praVIs MItIgVr aVsIs.

A. e. Dux Bavariæ, qui fuit Episcopus Fresingensis, Leodiensis & Hildesheimensis, atque Episcopatum Colonienſem per vim invaserat, electus est Episcopus Monasterienſis. Gerhardus Truksessius Episcopus Colonienſis pulsus, mox fraude occupavit per Comitem de Mœrs Nussiam urbem thesauro duarum auri tonnarum direpto. A. e. Crempis usurarius quidam repertus est, qui a Deo peste tum grassante adflictus & in præsentissimum vitæ periculum conjectus est. Cum ergo mala conscientia vexatus inter cruciatus & dolores animi exquisitos jaceret nec ullam consolationem sentiret, palam professus est iniquitatem, Deo ore & corde stipulans & sponte pacisceńs, si hac vice e morbo iterum eluctari sibi daretur, fore ut bona omnia dominis suis restitueret seque ad piam & verbo Dei conformem vitam componeret. Quid fit? Deus misertus hominis exaudit vota & preces restituens illum post paucos dies sanitati, qua integros tres menses fruitur. Sed ille oblitus voti sui juxta tenorem prioris vitæ incedit, nilque minus agit, quam ut bona sua dominis restituat aut ab usura desistat. Sed Deus hominum scrutans corda & renes lecto iterum affixum graviori morbo affligit, ingenti nempe cordis tristitia & pedum intolerabilibus cruciatibus, qui tamen externum morbi signum non dabant. Voce quoque querula sine fine ingeminabat ad tam clarum sonum, qui vel sextam & septimam in vicinia personabat domum. Cum vero vicini & amici accederent consolaturi, illos manibus & pedibus, quantum poterat, arcebat vocem illorum non admittens & semper de mirabilibus

Dux Bavariæ Episc. Colon. & Monaster. Gerhardus Truckſeſſ. episc. Colon. pulsus Nussiam occupat & diripit. usurarius morbo tentatus voto facto convalescit; quod frustrans iterum decumbit atque perit.

bus loquens visionibus animo obviis: donec tandem in summa desperatione auxiliorum & consolationum divinarum animam efflaret. Quod vero attinet bona ejus per fas & nefas corrasa quæque ad aliquot millia excurrebant, illa post mortem ita insensibiliter parvo temporis spatio differebantur, ut uxor ejus ad pauperiem redigeretur summam. A. e. Fridericus Ranzovius, Henrici proregis filius, Archidiaconus & Canonicus Slesvicensis cum Ernesto de Mandelslo in Gallicam expeditionem abiit: anno vero sequenti a statibus inferioris Germaniæ conductus fuit, ut turmam illis equitum in Belgium adduceret: quam ubi collegisset, nec ordines Belgici stipendium promissum solverent, tam pedites quam equites conscripti rursus dilapsi sunt. Id ægre adeo Fridericus Ranzovius tulit, ut in phrenesin incideret, qua tamen admissa venæ sectione liberatus est. Anno denique Christi 87. iterum in Galliam se contulit, regiasque secutus est partes, ubi tunc 29. Nov. die globulis per sicarios ex insidiis trajectus occubuit, sepultus apud Bituriges in oppido Coulevere. A. e. Antwerpia, cum se fortissime defendisset, tandem se Duci Parmensi dedidit fama coacta die 7. Aug. tolerabilibus tamen conditionibus. Omnes excessus condonantur, & diversæ religionis cives intra quadriennium suis rebus prospicere jubentur.

Frid. Ranzov. militans Belgis, hinc Gallis, per insidias peremtus.

Antwerpia post diuturnam obsessionem expugnata.

Anno 1586. Adolphus Dux Slesvici & Elizabetha ejus soror, Ulrici Ducis Megalopolitani uxor, placide obdormiverunt. Fridericus autem Adolphi filius renunciatur Dux Slesvici. Post ejus autem mortem anno 1587. d. 15. Junii incidentem Philippus in Ducatu Slesvicensi succedit. A. e. Johannes Adolphus Dux Holsatiæ postulatus Episcopus Lubecensis possessionem Episcopatus adiit. A. e. rex Daniæ Fridericus II. scholam trivialem fundat Soræ in Zeelandia, cujus primus præfectus fuit Christianus Maccabæus. A. e. bello in Gallia ob reformationis negotium ardente, conventus principum Lunæburgi habetur, ubi inter alios Fridericus II. Dux Holsatiæ & rex Daniæ, & Dux Saxoniæ Christianus comparuerunt deliberantes, an suppetiæ in Galliam mittendæ nec ne? donec tandem Pardislano in mandatis datum militem conscribere, qui actutum collegit exercitum 5000. equitum & 20000. peditum, eundemque mox duxit in Alsatiam ferro & igne omnia vastans.

Ao. 1586. Adolphus D. & soror ejus exspirant. Ipsi succedit Fridericus fil. Jo. Adolphus Episc. Lubec. Sorensis schola instituta. Conventus principum Luneb.

suppetiæ in Galliam missæ.

Anno 1587. Maria Scotiæ regina, quod aliquoties reginæ Angliæ insidias struxisset, volentibus proceribus regni, regina tamen fere invita, securi percutitur 8. Febr. A. e. Elisabetha Adolphi Ducis Holsatiæ filia Gottorpii moritur d. 2. Jan ætat. 14. A. e. halec novum captum est insignitum litteris, a quo tempore captura ejus piscis cessavit, postquam a nato Christo anno 1070. frequentissima huc usque fuerat. A. e. Fridericus Dux Holsatiæ d. 15. Jun. moritur æt. 20, postquam Ducatum uno saltim post patris obitum anno administrasset. A. e. Fridericus Henrici Ranzovii producis filius, Archidiaconus Slesvicensis bellum sequens occisus est. In Polonia disceptatur inter proceres de rege eligendo: quidam Sigismundum Sueciæ regis filium unicum die 9. Aug. renunciant: quidam eligunt Maximilianum die 12. Aug. Maximilianus jurat Polonis die 17. Sept. Sigismundus vero die 19. Sept. ad Vistulæ ostium in Borussiam venit. Maximilianus ad fines Poloniæ accesserat circa initium Octobris, petieratque se a statibus recipi, sed frustra. Ideo Cracoviam obsidet, & Sigismundum impedit: sed a Zamoscio victus amissis impedimentis in fines Silesiæ recedit, atque ita Sigismundus recipitur die 29. Nov. & coronatur die 17. Dec. A. e. Daniel Ranzovius Pauli filius, Johannis equitis aurati nepos, secutus partes regni Navarræi occubuit sub Fabiano de Donaw cum multis aliis nobilibus 24. Nov.

Ao. 1587. Maria Scotiæ regina ferro percussa. Elisabetha Holsf. moritur. halec literis insigne captum ejus captura finis. Fridericus D. exstinguitur. Frid. Ranzov. bello perit. Polonorum

dissidium de rege eligendo; tandem Sigism. Suec. obtinet.

Dan. Ranzov. regi Navarr. militans occumbit.

Anno 1588. Fridericus II. Danorum rex laudatissimus vitam claudit in arce Anderschoviana Zelandiæ 4. die Aprilis, cum annos 19 regnasset. Succedit filius undecennis Christianus IV. cui moderatores additi quatuor, donec adolesceret, nempe Georgius Rosencranzius, Nicolaus Caas, Christophrus Walrendorfius, & Petrus Munkius regni clavum prudentissime tenentes ad annum 96. Interea a prima adolescentia electus regni princeps, studiis doctrinaque eruditur & documenta magna dat, quantæ fruges virtutis & industriæ sint futuræ. A. e Laurentius Nibur I.V.D. & consiliarius Ducis Megalopolitani ad oram maris Balthici cæditur d. 13. Aprilis. A. e. Itzehoæ inter regem Daniæ & Hamburgenses actum est de homagio. A. e. Johannes Dux Holsatiæ patruus Christiani IV. nuptias celebrat cum Agneta Hedwige Electoris Augusti vidua d. 14. Febr.

Ao. 1588. Frider. II. R. animam reddit; succedit fil. impubis Christianus IV.

Laur. Nibur Megapolitanus, homagium Regi ab Hamb. præstandum.

Johannis D. nuptiæ.

Anno 1589. 4. Jun. Hafniæ Comitia infeudationis habita fuerunt, quibus D. Henricus Ranzovius produx Cimbricus, nec non Petrus Ranzovius Dominus in Trojeburg nomine Christiani IV. regis Daniæ interfuerunt: Ducis vero Holsatiæ nomine Dethlevus Ranzovius Dominus in Cledkamp inter ceteros feuda a Christiano IV. accepit. A e. Christophorus Meistorfius Christinæ Holsatiæ principis præpositus fuit Chilonii. A. e. Dux Johannes Meklenburgensis nuptias facit cum Sophia filia Adolphi Ducis Holsatiæ d. 17. Febr A. e. Adolphus Fridericus Dux Megalopolitanus nascitur. A. e. Henricus Julius Dux Brunswigi nuptias celebrat cum Elisabetha Christiani IV. sorore, Anna item Christiani IV. soror cum Jacobo VI. rege Angliæ.

Ao. 1589. Comitia infeudationis Hafniæ habita.

præpositus Chilon.

Johanni D. Mecklenb. nubit Sophia Holsf. Adolph. Frid. nascitur. Henr. Jul. D. Br. & Jacobi R. Angl. nuptiæ cum sororibus Christ. IV.

Anno 1590. d. 17. Octobr. mortuus est Philippus Dux Slesvici & Holsatiæ, sed Archiepiscopus Bremensis post mortem Ducis Philippi adit administrationem Slesvici, & frater ejus Johannes Fridericus eligitur iterum Archiepiscopus Bremensis. A. e. cum Sigismundus Poloniæ rex coronatus esset, statim Moschus curas regni oneravit. Is enim sedulo hactenus egerat cum Sueco, ut sibi regiones in bello Polonico ereptæ restituerentur, idque ut impetraret, ingentem pecuniæ vim Sueciæ regi offerebat. Sed cum nihil impetraret magnum collegit exercitum, cui præmisit lega-

Ao. 1590. Philippo D. mortuus succedit Archiep. Brem. hujusque loco Jo. Frider. eligitur. Sigism. Pol. R. cum Moscov. bellam.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

legatos, qui iterum, ut pacifice hæc componerentur, agerent. Cum vero res produceretur, ſtatim aggreditur bellum, & pleraque recuperat cum Narva Ruſſica & aliis menſe Januario, ubi induciæ fiunt in ſequentem annum a ducibus Sueciæ. Sed rex indignatus ruptis induciis Narvam iterum obſidet, ſed nihil efficit, imo Moſchi magnam partem Livoniæ vaſtant. A. e. turris Hamburgenſis ad D. Nicolai incenſa periit usque ad murale lapideum. A. e. Cajus Ranzovius Dethlevi filius Domini in Cledkamp, natus anno 1570. mortuus eſt Argentorati ætatis 21. Funus voluntate parentum inde in patriam transferendum ad portam magna frequentia ſenatorum, profeſſorum, ſtudioſorumque deducitur, poſteaque Oldenburgi d. 12. Febr. a parentibus ſepulturæ traditur. Pater anno ſequenti eccleſiæ Oldenburgenſi & pauperibus contulit 1500. marcas Lubecenſes, ut inde perpetuos reditus ſibi compararent in memoriam filii ſempiternam. A. e. Henningus ab Hagen Nobilis Holſatus, Dominus in Nubell, Philippi Ducis Holſatiæ conſiliarius, conſtitutus eſt præfectus in Luencloſter. A e. Johannes Penzius, Balthaſaris filius, liberalium artium ſtudioſus, turbis quibusdam in urbe Chilonienſi excitatis vulneribus aliquot a civibus acceptis paulo poſt aliquot dies interiit. A. e. Sixtus V. pontifex Romanus moritur d. 17. Auguſti cui ſuccedit Urbanus VII. qui item viam mortalitatis ingreſſus d. 17. Sept. ſucceſſorem habuit Gregorium XIV. A. e. Ulricus Dux Sleſwigi & Holſatiæ, Friderici II. regis Danorum filius, Epiſcopus Suerinenſis eligitur. A. e. Rigæ Livoniæ Jeſuitæ cum non exiguo Lutheranorum dolore iterum introducti ſunt, rege Poloniæ eam nunc ſub poteſtate ſua habente. A. e. Philippus Dux Holſatiæ moritur d. 18. Octob. ætatis 21.

turris Hamburg. incenſa.
Cajus Rantzov. Argentorati literas colens obit in patriam inde deductus.
Henn. ab Hagen præfectus in Luencloſter.
Jo. Penzius literis deditus Chilonii peremtus.
Sixtus V. & Urbanus VII. Pont. R. decedunt.
Ulricus D. Sleſv. fit. epiſc. Suerin.
Rigæ Jeſuitæ introducti a Sigum. R.
Philipp. D vita defunctus. Ao. 1591.

Anno 1591. Sigismundus Poloniæ rex nuptias celebrat cum Anna Archiducis Caroli filia; unde diſſidium ſublatum eſt, quod inter Polonum & Maximilianum fuit. A. e. Paulus Wittorpius cum Johanne Friderico Duce Holſatiæ ad Landgravium Guilielmum præfectus aulæ magiſter conſtitutus eſt. A. e. rex Poloniæ pacem iniit cum Turcis. In Livonia autem in finibus Revaliæ & Narvæ inter Moſchum & Sueciæ regem bellum ingens motum eſt, peſte ibidem aliquot hominum millia vorante. A. e. Gregorius XIV. moritur d. 15. Octob. cui ſuccedit Innocentius IX. ſequens d. 27. Dec. Roſtochii quoque D. Simon Pauli ætatis anno 57. & M. Joannes Poſſelius obierunt. A. e. Lubecæ conventus civitatum Anſeaticarum in Junio, Julio & Auguſto conſcriptus eſt, ubi de privilegiorum adſertione in emporiis deliberatum eſt. Inſtituræ ſunt quoque publicæ litaniæ per Daniam & Holſatiam. A. e. alchymiſtæ aliquot & auri coctores principum impoſtores paſſim capite vana ſua promiſſa luerunt. A. e. Calviniani

Sigismundi R. Pol. nuptiæ cum Anna Auſtr.
Pax Polon. cum Turcis. Suecorum cum Muſcov. bellum peſte in Livonia ſæviente.
Gregorius XIV. P. obit. it. D. Simon. Pauli & Jo. Poſſelius Roſt. conventus Anſeat. Lubecæ. publicæ litaniæ in Dan. & Holſ.
Alchymiſtæ

novas turbas dederunt in Electoratu Saxonico, ſed Theologi Lipſienſes, Witebergenſes γνησίως Lutherani dolum animadvertentes, mox eas conſopiverunt.

puniti. Calviniarum turbis in Saxonia occurritur.

Anno 1592. Otto de Qualen ſenior præfectus fuit Tunderæ. A. e. Emeking Dominus in Seheſted cœnobii Pretzenſis præfectus fuit. A. e. Johannes III. Sueciæ rex, cum annis 24. regnaſſet poſt fratrem Ericum moritur d. 17. Nov. ante obitum regni ſenatores priſtinis ſuis dignitatibus reſtituere jubens ætatis 55. Succedit ei filius unicus Sigismundus, qui erat Poloniæ rex, cui poſt annos ſeptem regnum abrogatur. A. e. Waldemarus e familia nobili Holſatorum Wonſefletica ultima maſculæ ſtirpis proles in hac familia deſiit. A. e. Eliſabetha Johannis Adolphi Ducis Sleſwicenſis ſoror in Sueciam Carolo Duci Sundermanniæ & Wermelandiæ ceſſit, nuptiis peractis 27. Aug. Niecopingæ. A. e. bellum iterum cœpit inter imperatorem Turciæ & imperatorem Romanorum Rudolphum II. A. e. Romæ poſt mortem Innocentii IX, qui tantum binos menſes Pontificatum geſſerat electus eſt Florentinus quidam Hieronymus Cardinalis Aldrobantius, qui Clementis VIII nomen adſumſit. A. e. d. 15. Maji Sletini Pomeranorum ſulphure & ſanguine pluit.

Ao. 1592. Otto de Qualen. præf. Tunder. Emeking præf. Prez. Johanni Suec. R. mortuo ſuccedit fil. Sigism. R. Pol. Wonsfleth. familia in Holſ. exſtincta. Eliſabetha Holſ. nubit Carolo Suec. D. Imp. R. cum Turcis bellum Innoc. IX. Papa R. moritur. pluvia ſulphurea & ſanguinea Stetini.

Anno 1593. Sigismundus Poloniæ rex, cum juramento promiſiſſet, ſe conſtitutis rebus in Suecia in Poloniam reverſurum, vix dimittitur, & cum aliquot diebus Dantiſci commoratus eſſet, mare ſe committit d. 13. Sept. ſed variis tempeſtatibus mati jactatus tandem tamen in Sueciam pervenit. A. e. Paul. Luthetus, Med. Doctor, Rev. Dn. M. Lutheri filius d. 18. Mart. Lipſiæ obiit. A. e. tempeſtas ingens orta eſt, quæ fluctibus aquarum aggeres Albi objectos valde afflixit, nec non eos, qui oceano occidentali oppoſiti erant. In Zelandia 40. naves onerariæ frumento plenæ in Hiſpaniam & Italiam tendentes conquaſſatæ perierunt; erant autem Hollandorum & civitatum Anſeaticarum. A. e. paſtor quidam in pago Aggerskow Ducatus Sleſwicenſis ſenio confectus obiit, poſtquam eccleſiæ Chriſti ſedulam navaſſet operam per annos 71., ætatem agens centum & quinque annorum; in morte rationis adhuc bene compos fuit: ante biennium obitus functionem ſacram alii cedens, qui ſe jactare ſolitus eſt de viſione regis Johannis, Chriſtiani II, Friderici I, Chriſtiani III, Friderici II, & Chriſtiani IV. (42)

Ao. 1593. Sigism. R. difficilis in Sueciam tranſitus. Paulus Martini Lutheri fil. obit. tempeſtate aggeres rupti, naves complures perditæ. ſacrorum quidam miniſter annorum 105. obit.

Anno 1594. natus eſt Henricus Fridericus Jacobi VI. Scotorum regis filius, ex Anna Chriſtiani IV. Danorum ſorore. A e. Sigismundus Poloniæ & Sueciæ rex cum per omnia ſacra juraſſet ſe privilegia regni conſervaturum & ſolam Auguſtanæ confeſſionis religionem in regnum admiſſurum coronatur rex Sueciæ d. 29. Febr. quod regnum per quinquennium obtinuit. A. e. Georgius Roſæ-

Ao. 1594. Henr. Frid. Jacobi VI. fil. naſc. Sigism. R. Suec. coronatus.
G. Roſecrantz obit.

(42) Anno 1593. novum ædificium ſacrum veteri deſtructo Wœfflethenſes erexerunt. E. a. & tempore 6 patres familias cum ſuis prædiis in Uhrendorff perſolutis 30 marcis a communione eccleſiæ Neokirchenſis dimiſſi ac apud Wœffletenſes rurſus recepti ſunt.

Ad comitia Ratisb. ablegatus Ben. ab Alefeld. Ao. 1595.

Roſæcrantzius, regni Danici ſenator, Chriſtiani IV. olim tutor obiit d. 9. Aprilis. A. e. Benedictus ab Alefeld a Chriſtiano IV. rege Daniæ Ratisbonam ad comitia ablegatus eſt.

Sueci poſt infauſtum bellum paciſcuntur cum Ruſſis.

Anno 1595 Sueci tandem cum infeliciter bellum geſſiſſent, pacem cum Moſchis faciunt poſtquam per 17. annos diſſediſſent. A. e. natus eſt Uladislaus Sigismundi III. Suecorum & Polonorum regis filius.

Uladislaus fil. Sigism. R. naſcitur. Ao. 1596.

Anno 1596. Chriſtianus IV. Danorum ingreſſus annum ætatis viceſimum ingenti pompa Hafniæ regno inauguratur, præſentibus Brandenburgicis, Holſatis, Lunæburgicis, Pomeranis, Palatinis principibus ſecum ducentibus ſupra bis mille hominum, ſacra coronationis peragente Petro Vinſtrupio Selandiæ Epiſcopo. A. e. poſt inaugurationem regis Hafniæ peractam Joannes Adolphus Dux Sleſwici nuptias facit cum Auguſta Chriſtiani IV. ſorore. A. e. Chriſtianus IV. Daniæ rex miſſa legatione ſuadet Batavis per Arnoldum Hundfeldium & Chriſtophorum Barnecovium, ut ſalva majorum libertate præſertim religionis pacem amplectantur. Idem faciunt Cæſar & Polonus, ſed parum efficientes, Batavis fidem Hiſpanorum in ſuſpicionem adducentibus. A. e. Dux Erneſtus & Auguſtus Sonderburgenſes a Turcis cæduntur menſe Octobri.

Chriſt. IV. R. inauguratur.

Jo. Adolphi D. nuptiæ.

Chriſt. IV. per legatos Batavis fruſtra ſuadet pacem cum Hiſpanis.

Erneſtus & Aug. DD. Sanderb. a Turcis cæſi.

Anno 1597. Carolus, patruus Sigismundi Poloniæ & Sueciæ regis d. 18. Febr. comitia regni in Suecia edicit, & titulum gubernatoris regni aſſumſit. Sigismundus vero rex Poloniæ & Sueciæ comitia prohibet ſe abſente fieri: ſed Carolus urget inſtitutum & munitiones regni præcipuas occupat, legeque ſe id facere ait. A. e. rex Daniæ Chriſtianus IV. nuptias celebrat cum Anna Catharina Electoris Brandenb. Joachimi Friderici filia d. 27. Nov. A. e. Joannes Adolphus, Archiepiſcopus Bremenſis & Lubecenſis poſtquam conjugium iniiſſet, cedit conſenſu Capituli Epiſcopatum fratri Friderico, ipſe contentus Ducatu ſuo Sleſw. & Holſatiæ.

Ao. 1597. Caroli Suec. gubernatoris auſus.

Chriſt. IV. R. nuptiæ.

Jo. Adolphus epiſcopatus cedit fratri Johanni.

A. 1598. Carolus Dux Sudermanniæ in Suecia omnia in regno diſponendo ex ſententia agit. Ideo Sigismundus in Sueciam tranſit menſe Jul. & velitatione quadam cum Carolo facta per interceſſores concordiæ rationes ineuntur Lyncopiæ. Sed cum Sigismundus ab iis diſcederet, & peregrinos milites ex regno non dimitteret, ſed Calmariæ in præſidio relinqueret, pax diuturna non fuit. A. e. rex Daniæ Chriſtianus IV. prima vice Crempas venit, ſtipatus Joanne Duce Holſatiæ, Magno Duce Lunæburgenſi & Auguſto Marchione Brandenburgenſi. Quo tempore Crempis habitabat Bartholomæus Schrœderus ſutor, qui conſtruxerat globum terreſtrem cum adjunctis quatuor globulis, regiæ illum majeſtati offerens, & ab eadem redonatus. Cum igitur rex conſtituiſſet munimentum urbis ampliare, binasque ille delineationes ſecum adferret, quarum altera ſitum urbis veterem, altera novum repræſentabat, Schrœdero eas tradi fecit, ut duplaret & prioribus conformaret: quo peracto rex in Daniam rediit 22. Martii. Paulo poſt e Dania miſſus eſt artifex novus Hinricus Rump, qui ſecunda vice ſitum urbis contemplatus delineatum regi miſit addito ſuo conſilio de commoda operis ſtructura. Poſt paſcha novus ædilis Dresda evocatus eſt cum aliis operariis ſeptem, qui tertia vice ſitum adumbrans poſt ſe reliquit binos operarios, qui opus perficerent. Juſſu ergo regis operæ ſunt cœptæ circa Pentecoſten, & pars valli, quæ intra orientem & occidentem eſt, renovata primum, perque ducentos ad eam deputatos viros abſoluta eſt, addito propugnaculo quadrato, quod antea erat circulare.

Crempa munitur.

Ao. 1598. Carolo D. Suderm. cum Sigism. R. contentio.

Anno 1599. Elizabetha Sophia naſcitur Gottorpii 12. Octobr. A. e. Fridericus Chriſtiani IV. Danorum filius primogenitus naſcitur 15. Aug. paulo poſt denatus. A. e. vitam cum morte commutavit vir incomparabilis Dn. Henricus Ranzovius Johannis filius, regis Danorum in Ducatibus Sleſwici, Holſatiæ ac Dithmarſiæ vicarius, præfectus Segebergenſis, Dominus in Bredenberg, Ranzovisholm, Wandesburgi, Tuſculabecani, Nuſcow & Melbeck, heros litteris & armis præclarus, æternum pietatis, virturis & doctrinæ nobilitati Holſaticæ relinquens exemplum. Cujus obitu literati & illiterati vere amiſerunt patrem patriæ. (43) A. e. Sigismundus Poloniæ & Sueciæ rex reliquerat peregrinos præſidiarios milites Polonos, Ungaros, & Germanos Calmariæ, quibus mandarat, ne arcem Carolo patruo ſuo dederent. Carolus contra aſſerit hoc fieri contra privilegia regni & Calmariam obſidet fameque

Ao. 1599. Eliſ. Sophia nata. Fridericus R. fil. naſcitur.

Henr. Ranzovius fato cedit.

ejus laus.

Sigism. R. regno abdicatus: Carolus totam Sueciam ſibi ſubjicit.

Peſt lites ortæ inter Marcum & Bened. de Ahlefeld ille hunc trucidat.

(43) Anno 1599. Dethlevus de Ahlefeld hæreditarius in Haſeldorp inviſit patruelem ſuum Marcum de Ahlefeld, hæreditarium in Haſelow, quos inter bene potos diſſidium ejuscemodi ſuboritur, ut alter alteri internecionem denunciaret; uterque undiquaque idcirco ſatellitio vel decem equitum in itineribus cinctus. Ubi vero aliquando Dethlevum in Brake, qui eſt pagus Bramſtedium inter & Bornhovedam ſitus, commorari reſciſceret, Marcus Bramſtedii eodem tempore divertens pro pretio thaleri ductorem viæ conducit, cujus ope lucerna accenſa eo devenit, & diverſorium patruelis apud Joachimum Brakemann hoſtiliter cingit. Hic vero maximis in anguſtiis conſtitutus, & viribus adverſarii reſiſtere non valens, timiditate nimia exagitatus ab hoſpita petit ciſtæ alicujus reſerationem, in quam cum nobili quodam Pomerano conſcendit. Mulier vero primum in ædes irruente hoſtium caterva ciſtis inſidendo, eidem de Dethlevi in ea facta occluſione ſuſpicandi anſam præbuit, unde eadem arcæ denegante recluſionem pluribus in eam bombardis explosis uterque internecioni datus eſt. Nec vel eo contenta fuit ferocientium rabies ita deleviſſe viribus impares, ſed inſuper eos exinde protraxerunt & iteratis vicibus globulis trajecerunt. Hinc animus proximorum Dethlevi conſanguineorum ita exacerbatus fuit inflammatusque in Marcum parricidam, ut diris ſe devoverint, tamdiu a ſepulturæ ſacris arcendi donec de Marco propriam vindictam manu ſumſerint, interfectum ideo cameræ certæ in Haſeldorp mancipantes: ſed vero adverſarius integros annos quatuordecim poſtea ſuperſtes fuit, iisque exactis vitam cum morte commutavit. Ubi ambo uno eodemque die ſepulti ſunt. Petrus Hobbe ipſemet hoc factum ſibi cum aliis ita relatum dicit a Dethlevi hoſpite ejusque uxore in Bracke.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

meque tandem ad deditionem cogit. Inde conventum ordinum agit, ubi Sigismundo regnum abrogatur. Filius tamen ejus Uladislaus eligitur, qui infans erat, si intra 6. menses in Sueciam mittatur, ut in Christiana religione instituatur. Inde Carolus Finnonios, qui Sigismundo adhuc adhærebant, vincit & subigit. *Paul. ab Eizen obit.* A. e. D. Paulus ab Eitzen Superintendens Ducatus Slesvicensis moritur Slesvici in templo cathedrali sepultus. *Jo. Blom præf. Hatersl. moritur.* A. e. Johannes Blom nobilis Holsatus præfectus Hatersleb ii, hæreditarius in Seedorf ætat. 61. moritur. *Rex Crempam visens ejus munitionem urget.* A. e. rex Daniæ iterum Crempas venit d. 15. Febr. contemplaturus munimentum urbis nuper cœptum, rediens in Daniam d. 17. Febr.; sequenti autem quadragesima opus procedit per ducentos viros continuantes aggerem inter australe & occidentale propugnaculum. Cœperant itidem ædificare propugnaculum, quod nunc est ad Aquilonem versus occidentem, ubi antea locus erat munimine vacuus. Qui labor ob copiam pluviarum circa D. Johannis continuarum tum cessavit, ut novum propugnaculum ultra dimidietatem sui perfectionem non sortiretur. Ejusdem quoque anni tempore quadragesimali diruta est vetus porta Borsfletana cum lapideo fundamento. Quia vero opus tarde per exteros artifices procederet & Bartholomæus Schrœderus Geometra Crempis viveret, ille a Benedicto ab Alefeld in consilium adhibitus, & ædilis in autumno constitutus est hac lege, ut opus per centum quinquaginta operarios (tot enim sibi adsciverat) ante ingruentem hiemem, quantum ejus fieri posset, perficeret. Ubi tum d. 15. Nov. cœno e fossa exhausto solidior terra fundamenti loco jacta ad tantam altitudinem pervenit, ut aqua stagnans ea hieme ab urbe quasi aggere facto sequestraretur. Quo autumni tempore in Novembri Christianus IV. rex Daniæ iterum Crempas visitavit.

SECULUM DECIMUM.

Ao. 1600. Crempanum munitio continuata. ANno 1600. Christianus IV. rex Danorum, & Dux Holsatiæ, Stormariæ, Slesvici &c. quarta vice Holsatiam, inque ea Crempas visitat urgens cœptum exstruendi aggeris & valli opus. Præcedente enim vere quadringentos operarios adjunxerat ædili Schrœdero, quorum dimidia pars perficiendo propugnaculo, quod est inter austrum & orientem, data est, altera illi, quod est inter orientem & septentrionem. Adjunxit quoque idem artifici Dresdensi Schulteto totidem viros, qui propugnaculum absolverent, quod est inter septentrionem & occidentem: sed hic irriti consilii & laboris fuit, quia die 5. Julii vespera illa, qua encænia urbis celebrantur, propugnaculum cœptum ad sedecim pedes dejectum in cœno late subsedit. Ea de causa sexaginta viri Schrœdero ademti ad restaurandum aggerem dicti propugnaculi reliquis ducentis juncti sunt. Sed quicquid hi interdiu operi addebant noctu diffluebat, ita ut propediem ad quadraginta quatuor pedes propugnaculum in cœno subsideret. Ingruente igitur Augusto & tempore messis, operarii dilapsi opus imperfectum reliquerunt. (44) A. e. Breido Ranzovius Henrici producis Holsatiæ filius eligitur regni Danici vicarius in emporio Hafniæ. *Breido Ranzov. vicarius regius.* A. e. Adolphus hæres Norwagiæ, Slesvici & Holsatiæ, Johannis Adolphi filius d. 9. Sept. Gottorpii nascitur. *Adolphus Holst. nascitur.* A. e. David Chytræus theologus ac historicus Rostochii moritur anno ætatis 70, cujus vita hæreses in Megalopolitanis Ecclesiis nescivit. *Dav. Chytræus moritur.* A. e. ancilla quædam in Schwabsted Ducatus Slesvicensis imprægnata peperit tres canes statim post partum mortuos, insimulata est concubitus canini. *ancilla tres canes pariens.* A. e. magna annonæ caritas Daniam, Norwegiam & Holsatiam adflixit; unde multi fame perierunt, & perire coacti essent plures, nisi ex aliis regionibus frumentum allatum fuisset. *annonæ caritas.* A. e. porta Borsfletana Cremparum e fundamento nova exædificari cœpta in æstate perfecta est. Sed non multo post totus agger, qui est inter dictam portam, & propugnaculum septentrionale usque ad propugnaculum orientale diffluens solo æquatus est. Schrœderus vero ope 150. virorum eundem decendio restauravit. *porta & agger Cremp. restituuntur.* A. e. ventus ex occidente versus septentrionem vehementer spirans passim objectos Storæ aggeres fluctibus aquarum disrupit, cui muri ad portam Borsfletanam, quamvis absoluti, materia tamen adhuc recenti, resistere nequiverunt: unde fossa munitoria cum campis adjacentibus aquis penitus repleta est. Sed aggere inter octodecim horarum spatium abjecto, aqua stagnans vallo & civitati intercluſa est mire ex oriente favente vento. Interea cives Crempenses aqua Crempæ fluviali toto quadriennio per civitatem caruerunt, non exiguo fœtore interim gravati, & aquam non sine magno sumtu quotidie e vicinis locis palustribus advehere sunt coacti. Ædilis vero operi murorum exstruendo datus, (cum inde damnum oriretur) partibus suis diffidens fuga consilium *inundatio circa Crempas.*

Otto de Blome & Schackius chiliarcha Lubec. duello inter se decertantes ambo pereunt. (44) Ao. 1600. Lubecam negotiorum causa proficiscitur Otto de Blome, nobilis Holsatus, qui cum casu quodam in diversorio dicto *der Kalstab* convivatorem nanciscereturchiliarchum Schackium Lubecensium phrurarchum, isque ob dignatem officii honoratiorem ad mensam sibi vindicaret locum, Otto nobilitatem stemmatis sui perantiqui exaggerans invidia inde & ira in Schackium invehitur; unde Schackius eundem ad duellum provocat, qui infelicissimus infelici gerens morem eum eodem scloppetis congreditur, globulis utrinque emissis uterque adhuc fuit salvus, sed relictis equis, gladio se invicem petentes, ambo misere ceciderunt. Longe, aliter memini me legisse hanc historiam *in der historischen Blumenlese*, quæ relatio mihi magis arridet. *præfecti Steinburgenses.* Præfecti Steinburgenses hi fuerunt: Benedictus ab Alefeld, post quem Balthasar ab Alefeld; hunc sequitur Dethlevus Ranzovius eques auratus; hunc vero Christianus Penz, eques auratus & Comes imperii, qui etiam fuit phrurarcha Tychopolitanus atque Chiliarcha, ultimusque præfectorum Steinburgensium succedentibus ipsi in præfectura administratoribus. Jacobus Tilingius fuit scriba regius in præfectura Steinburgensi, vir indolis mansuetæ & perhumanæ: cuilibet templo utriusque Marschiæ, Crempensi scilicet & Wilstrensi legavit 200. marcas; postmodum vero in immensum miseriarum pelagus prolabens tandem concessit in fata. Gerhardus Ranzovius eques auratus vicarius fuit regis Daniæ per ducatum Slesvici & Holsatiæ; itemque Christianus Ranzovius eques auratus atque Comes imperii Germanici.

machinæ aquis exhauriendis aptæ.

lium quæſivit. A. e. quia magni ſumtus exhauriendis foſſæ aquis impendebantur, rex Daniæ duo inſtrumenta evehentia affabre facta eam in rem Crempas Hafnia miſit, quibus per canalem quaſi aqua educeretur.

Ao. 1601. Tycho Brahe obit.

Anno 1601. obiit Pragæ Bohemorum d. 14. Octobr. Tycho Brahe, nobilis Danus & aſtronomus nulli ſecundus, relicta ob Danorum ſimultates patria & cæſaream ſequens aulam.(45)

Carolus Suec. Rex bellum movet Polonis.

A. e. Carolus Dux Sudermanniæ a ſtatibus regni Suecici rex declaratus, quod Sigismundus contra fidem datam Jeſuitas in regnum deducere conatus eſſet, in Livoniam movet ſtatim initio anni & quasdam urbes occupat, nihil tamen præclari præterea agit. Imo in velitationibus ſæpe vincitur & tandem advenientibus Polonis in hyberna diſcedit. Sed Poloni Wolmarum urbem obſident & expugnant,

Chriſt. El. Sax. nuptiæ.

Carolique filium nothum capiunt. A. e. Chriſtianus elector Saxoniæ gubernationem Ducatus adiit, & ſequente anno nuptias facit cum Hedwige Chriſtiani IV. Danorum ſorore.

mola aquatica Cremp.

A. e. artifex novus a Chriſtiano IV. Lubeca Crempas mittitur dictus Henrich Rump. Ille molam aquaticam ad aquas foſſæ Crempenſis ædificabat, ut commodius exhaurirentur. Quæ a ſex equis tracta intra decendium omnes aquas eduxit, ſingulis horis centum aquarum laſtas exhauriens.

collegium S. Cathar. Hamburg. ædificatur; item peſtis.

A. e. collegium novum Hafniæ ad D. Mariæ ædificatum eſt peſte per civitatem vehementer graſſante.

Crempenſes fulmine territi.

A. e. tam vehemens tonitru in Crempenſem Marſchiam ingruit, ut ter quoque turris Crempenſis percelleretur. Magno enim fragore eam invadens organum templi infra poſitum læſit, ita ut igne penitus repletum videretur; turri autem ſuccurrentes tres cives internecioni fere dedit. Sed Deus mox incendium exſtinxit &

Cremp. ulterior munitio & operarii adhibiti.

læſos ſanitati non multo poſt reſtituit. A. e. d. 10. Maji inter Paſcha & Penteçoſten Bartholomæus Schrœderus iterum occœpit propugnaculum Crempenſe inter occidentem & ſeptentrionem, abſolvens illud usque ad fundamentum ſolidum. Inde operarii propugnaculo adhibiti, quod inter ſeptentrionem & orientem eſt, idem eo usque produxerunt. A. e. artifex murarius nuper portæ exſtruendæ datus occœpit portam pagum Grevenkœp ſpectantem, ſed lædens objectos palos aquæ, inſtitutum urgere nequiit, inde a rege carceri traditus eſt. Poſt hunc alius faber Hamburgo excitus, qui curiam Hamburgenſem renovarat, operi perficiendo datur, qui idem ſuorum ope æſtate ad finem perduxit.

Ao. 1602. Chriſt. R. Norwag. viſitans & rectius in relig. inſtituens. Ulricus D. Holſ. epiſc. Suerin. & Raceb.

Anno 1602. Chriſtianus IV. rex Danorum extremos Norwagiæ fines inviſit & ibidem ſincerioris doctrinæ depoſitum ſancte cuſtodiri juſſit. A. e. Ulricus Dux Holſatiæ & hæres Norwagiæ Chriſtiani IV. frater Suerinenſem epiſcopatum cum Razeburgenſi capeſſit, quem frater rex Daniæ liberaliter abs ſe donatum dimiſit. A. e. Erneſtus Comes Holſatiæ & Schawenburgi accretum prope Hertzhorn in ditionis ſuæ finibus agrum paſcuum aggere cingere inſtituit, trahens ſecum in auxilium Chriſtianum regem Daniæ, cui item ager in Wilteniſſe accreverat. Sed cum jugera imparia eſſent & ſumtus aggerum plus quarta parte inæquales, rex conſilium oblatum detrectavit.

Erneſti Com. & Chriſt. R. de agro accreto aggere cingendo conſilia.

Crempenſes ſtructiones.

A. e. in reparando vallo Crempenſi, quod ad ſeptentrionem eſt, ſtrenue operæ urgebantur. Sed nihil ulterius perfectum, quam quod vivo ceſpite utrinque muniretur. Præterea eadem æſtate muri portæ Borsfletanæ & Grevenkopianæ, qui infra aquam ſunt, ad perfectionem pervenerunt. A. e. legati Moſchi navi Anglica inſtructi Storam ingreſſi ſunt, qui poſtquam per tres ſeptimanas apud paſtorem Borsfletanum divertiſſent, adjunctis comitibus in Daniam progeſſi ſunt expetentes per litteras adjunctas Ulricum fratrem Chriſtiani IV. in Ducem Moſchorum. Sed illo ad epiſcopatum Suerinenſem poſtulato, Johannes Dux Holſatiæ alter Chriſtiani frater oblatam conditionem acceptans, largiter prius a rege muneratus in Moſchoviam diſcedit. Ubi ſplendidiſſime exceptus Borriſii Gadenavii filiam matrimonio ſibi deſtinavit: ſed ante nuptiarum diem febri abſumtus prævenit morte ſua calamitates. Litterarum copia germanice ſcriptarum penes nos eſt.

Job. D. Holſ. Ruſſis potentibus ipſorum Dux fit.

Marſchia inundata.

A. e. Dominica eſto mihi d. 14. Febr. acceſſus maris tanta copia aquam adduxit, ut ad ulnæ altitudinem objectos oceano aggeres ſuperaret & paſſim totos tolleret. Unde Marſis ingens ortum eſt damnum. A. e. novum horologium turri Crempenſi ad plagam occiduam appenſum eſt habens in latitudine & profunditate duodecim pedes.

Ao. 1603. Hamburgensis fidelitatis juramentum.

Anno 1603. Hamburgum regi Daniæ & Johanni Adolpho Duci Holſatiæ fidelitatis juramentum ſolemnitate maxima præſtat die ſolis poſt 21. Octobr. homagio præſtito, rex cum regina iterum Crempas venit.

Silva ducis obſeſſa.

A. e. Silva ducis a Mauritio obſidetur 19. Aug. ſed 5. Octob. Archiduce Alberto adveniente & in urbem recepto d. 8. Nov. obſidio ſolvitur.

nive quidam perent.

A. e. die 21. Januar. tam profunda nix cecidit, ut paſſim ea homines exſtinguerentur, cumprimis binæ fœminæ Hamburgenſes prope Itzehoam, vir quidam in Uterſen, fœmina in Rahe prope Calmariam & ſervus in pago Horſtenſi, omnes nive conſopiti ſunt.

vallum Cremp. altius elatum.

A. e. valli pars magna cum propugnaculo, quæ eſt Crempenſibus ad ortum verſus communem civium agrum (*der Neß genandt*) Bartholomæo Schrœdero per Benedictum ab Alefeld certo pretio condicta eſt, ut ampliaretur in latitudine ad 24. pedes, agger valli eminentior ad 18. pedes, cum antea vallum totum cum dicta eminentia tantum in craſſitie 18. obtineret pedes. Propugnaculum quoque auſtrale, quod erat juxta

ædes

Jactura ex navi conflagrante.

(45) Ao. 1601. d. 1 Octob. navis inſignis magnitudinis proprio igne, prope Ivenflethum in Stœra incenſa ac pulvere bombardico, quo æque ac pretioſiſſimis aliis mercibus erat onuſta, in aërem ſublata ac in truſta comminuta eſt multis aliis circumjacentibus navibus ex ferro ac chalybe, quibus pariter onerata erat, miſere dilaceratis, mercibus, quas vehebat, ab utroque latere diſperſis, multique multa inde collegerunt ac ſpolia ſatis ampla abſtulerunt.

de Weſtphalen Monum. ined. Rer. Germ.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ædes paſtoritias, loco motum & occidenti propius fundatum eſt. (46) A. e. regi Daniæ Chriſtiano IV. ex Anna Catharina Joachimi Friderici Electoris Brandenburgici filia naſcitur Chriſtianus V. menſe Aprili. A. e. trabs transverſa in ſummitate turris Crempenſis vi tempeſtatis anno præcedenti fracta loco mota & renovata eſt. Globus tunc pinnæ turris ſuppoſitus e ſummitate in terram devolutus cum reliquis quatuor globulis ejusdem turris, qui ſunt in medietate, deauratus eſt. Globus major deprehenſus eſt craſſitie adæquare tinam Hamburgenſem; gallus æneus in longitudine habere tres cum dimidio pedes. A. e. Jacobus VI. Scotiæ rex & ipſius uxor Anna, Chriſtiani IV. regis Danorum ſoror, poſt habitam electionem die S. Jacobi publice rex & regina Angliæ proclamantur non procul Londino in Weſtmunſter.

Chriſtianus V. naſcitur.

Jacobus VI. R. Angl. ſalutatur.

Anno 1604. Chriſtianus IV. regnum alta in pace poſſidens paſſim ædificiis, arcibus, navibus, templis ſcholisque exornari fecit; in quibus Fridericiburgi magnificentia vere regalis eminet in Zelandia. Crempæ in Stormaria magnis ſumtibus foſſa valloque præter multorum ſpem feliciter communitæ ſunt. Chriſtianopolis ad fines Sueciæ in Blekingia e fundamentis excitata eſt, ut a meridie ſimul boreaque ampliſſimarum ditionum terminos ab hoſtili invaſione tueretur. Utrisque, nempe regni & ducatus, finibus annis aliquot poſt duo firmiora adhuc addita ſunt. (47) A. e. Gerhardus Ranzovius, Henrici (magni illius Holſatiæ Senioris) filius Antwerpiam profectus, inde in caſtra Hiſpanica ad Oſtendam, mox etiam in caſtra Mauritii ad Sluſam conceſſit, quæ tum forte deditione occupabatur; rediit vero d. 2. Sept. A. e. in vere Crempenſes & Wilſtrienſes Marſchi relictas valli ſeptentrionalis operas diviſerunt. Crempenſes ſuas per ſervos & adjunctos viginti operarios perficiebant; Wilſtrienſes ſuas certo pretio nempe 1257. thaleris Bartholomæo Schrœdero addicebant, quæ ſumma in aratra Wilſtrienſis Marſchiæ diviſa ſingulis decem cum dimidio thaleris conſtitit. Ita opus tandem abſolutum eſt. Quod item ea æſtate contigit portæ neopaludanæ cum adjuncto ponte, cui faber murarius datus erat excitus Apenrada. A. e. Hamburgum & reliquas urbes pervagari dictus eſt Judæus quidam immortalis, qui ob injuriam Chriſto olim crucifigendo factam perpetuæ usque ad extremum diem oberrationis ſit damnatus. Matthæus Pariſius idem narrat p. 339. de janitore Pilati Cartophilo dicto, qui poſtea ab Anania baptizatus Joſephi nomen aſſumſerit. Hunc, cum Jeſu prætorio exeunti colaphum infringens dixerit: vade citius Jeſu, vade citius; hoc reſponſi a Chriſto tuliſſe refert: Ego vado, & tu exſpectabis, donec veniam. Fides ſit penes auctores. A. e. Haterslebii turris templi renovata eſt ſuperiori parte, aucta lignea, quam nunc habet, ſtructura, quæ cupreo tecto ornata fuit, opera Georgii Schrœderi præpoſiti & Balthaſaris Braunii conſulis ibidem. A. e. Chriſtianus IV. rex Daniæ mandatum in regnis ſuis publicat, quo parentes liberos ſuos Jeſuitarum ſcholis committere prohibentur. A. e. M. Thomas Schattenberg præpoſitus Flensburgenſis pie obiit.

agger Cremp. & Wilſtr. abſolutus.

de Judæo immortali fabula.

turris Haterſleb. ornata.

Chriſt. R. interdictum circa ſcholas Jeſuit.

Anno 1605. eclipſis ſolis magna fuit, quam ſtatim inſecuta hiemis inclementia vehemens. A. e. Brunſwicum tumultu civili arſit: Henninggus Brabantus juris conſultus proditione urbem volebat evertere. Mox Henricus Julius Dux Brunſwicenſis more majorum jura prætexens militemque curribus abſcondens in portam eum vallumque intruſit. Cives vero fortiter pugnando mille ducentis hoſtium occiſis patriam liberarunt. Ab inſidiis Dux ad apertum bellum proſilit, obſidione Brunſwigam claudit, Onacrum fluvium aggere obſtruit, unda ædes, fora, templa complente. Obſeſſis in ſummo periculo conſtitutis divina virtus opem accelerat, vento aggerem disjiciente & undas revocante: unde bellum ad inducias pervenit. A. e. Sophia Chriſtiani IV. filia Croneburgi naſcitur d. 4. Jan. mortua 7. Sept. anni ejusdem. A. e. Sigismundus rex Poloniæ ſecundas facit nuptias cum defunctæ conjugis ſorore Conſtantia, Caroli Archiducis Auſtriæ filia Cracoviæ d. 11. Dec. A. e. Marpurgo Lutherani doctores cum auditorum plurimis ejecti ſunt, quorum loco Calviniani introducti, zelusque primus in iconoclaſia eluxit. A. e. redierunt Chriſtiano IV. e Grœnlandia naves ablegatæ & ducentes ſecum quinque Grœnlandos barbaros cum aliquot eorum navigiis piſcatoriis, quorum primum Hafniam appulit d. 28. Julii. A. e. Carolus Sueciæ Rigam

Ao. 1604. Friderici-burgum it. Chriſtianopolis ſtruitur, Crempe ornatæ.

alia caſtella.

Gerb. Ranzov. peregre agens.

Ao. 1605. Eclipſis & hiems ſæva. Brunſvicenſ. tumultus & obſidio.

Sophia' Dan. octo menſes nat. obit.

Sigism. R. Pol. nuptiæ ſecundæ.

Lutherani Marpurgo pulſi.

naves Grœnlandia reducæs.

Carolus

---

turris Wefelsfleth. Gerh. Ranzau vicarius reg. Wefelsfleth. quidam colonus ad iram concitus innocentem perimit.

(46) Ao. 1603. turris Wæfflethana nova exſtructa ad 100. cubitorum ſeu ulnarum altitudinem. Gerd Ranzau tunc temporis vicarius regius ad annum 1627., quo mortuus eſt, & vicariatus per tempus vacavit. Henricus Hudeman paſtor Wefelsflethanus 1603., Michael Chriſtian hoc tempore Diaconus ibidem. Nicolaus Mullerus, (*Claus Möller*) colonus Wefelsflethanus veteris ibi tunc temporis deſtructæ turris ligna pretio circiter 200. marcarum emens, ob nimis charum ejusdem pretium a multis exagitatur, ira inde commotus ſeſe deſpondet interfecturum ſe, qui poſthac ejus rei mentionem eſſet injecturus. Karſten Cröger vero mali propoſiti haud conſcius atque juſta emtione quædam de ſuperſtitibus Mœllero ex hoc ligno ruderibus ſui juris facturus cum ipſo contrahere die S. Michaëlis inſtituit; atque cum is altius pretium urgeret, hic vero caritatem emptionis prioris nimiam negaret poſſe eſſe præſentis venditionis regulam, cultro pectus ipſius perfodit, quo ipſo ſtatim mortuus eſt: homicida vero Friburgi in ducatu Bremenſi, ac deinceps Gobenhofii 25. annos habitavit atque durante bello Danico Cæſariano anno 28. domum rediens mortuus eſt. E. a. cum Batavi quidam naviculatores Wevelsflethæ ante diverſorium conſediſſent, Petrus Reiver Wevelsflethanus homo temerarius arrepta bombarda ex atrio alterius cauponæ experimentum in eis quaſi facturus, e medio eorum epibatam quendam globulis trajicit profugus ne quidem ob homicidium factus.

dem homicida.

alius ibi-

Wilſtrenſium tributa aucta.

(47) Ao. 1604. vel 5. de quolibet jugerum in Wilſtrienſi Marſchia regiæ majeſtati quotannis ſolvebantur tres vulgares thaleri, hoc eſt, unoquovis thalerorum ad duas marcas & unum ſolidum pro more recepto computato, ſex marcæ & tres ſolidi, atque cum antea non fuiſſet eo tempore conſignatio fundi per effluvia maris pedetentim accreſcentis (*de thoſchlag* ſeu alluvies paludoſa) in indicem regiorum proventuum translata eſt; per præfecturæ ſcribam Chriſtophorum Vortmeyer, qui ad mandatum regium ipſe oculis ſuis eundem eo tempore per rotum tractum Uhrendorfii alibique uſurpabat, tumque eadem auctoritate conſtitutum eſt, de tali fundo pro jugerum numero, ut ſolverent coloni 2. Thal. 1. ſl. hoc eſt unum thalerum pro præſenti ejus valore.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Rigam obsidens fugatur.

Rigam obsedit, sed a Duce Churlandiæ repulsus est cæsis 9000. Suecis, quos inter fuit Dux Lunæburgensis & Vicarius Revaliensis Carolo vix cum aliquot equitibus salvato.

pestis Nordalb.

A. e. pestis vehementissima sæviit per Crempensium Marschiam & reliquas Nordalbingiæ oras prout hoc symbolo præsentatum:

HoDIe MIhI Cras tIbI.

Ao. 1606. Elisabetha Dan. nascitur. cædes.

Anno 1606. Elizabetha Christiani IV. filia nascitur Hafniæ 16. Martii mortua anno sequente octavo. A. e. D. Laurentius Finkelthusius Prosyndicus Lubecensis a Secretario suo, quia duriter ab hero habebatur d. 11. Martii interficitur.

Hansius D. nascitur. Carolus R. classe Dantisco appropinquat.

A. e. Dux Hansius, Johannis Adolphi Ducis Slesvicensis filius Gottorpii nascitur. A. e. Carolus Sueciæ cum aliquot navibus armatis in mare orientale excurrit, adpropinquans ad 4. millaria Dantisco. Unde Dantiscani moti per ablegatos suos ipsum interrogari fecerunt, quo animo in urbem esset. Cui hoc responsum datum: Quæri regis Poloniæ classem, qui nuper feciali misso bellum Sueco indixerit, se amice in urbem Gedanensem affectum esse. A. e. Cracovii Poloniæ d. 20. Aprilis studiosi hostiliter templum evangelicum aggressi, muros diruerunt, mortuos terra effoderunt eosque canibus & suibus objecerunt. (48)

Studiosorum Pontif. Cracovii in Lutheranos violentia.

Ao. 1607. Poloni rebellantes. Carolus R. Suec. coronatus Poloniam invadit.

Anno 1607. nobiles Poloni contra regem rebellionem movent & gravamina illi sua tradunt Cracovii, civitates quoque aliquot fœdera invicem ineunt. A. e. Carolus Dux Sundermanniæ electus rex Sueciæ tandem coronatur die 15. Martii, & cum videret regnum Poloniæ intestinis discordiis conflictari, in Livoniam cum exercitu movet, & Weisensteinium fortissimum propugnaculum aggreditur & deditione capit. A. e. Christianus IV. rex Daniæ profectus Hafnia d. 10. Junii cum quinque navibus armatis & aliquot celocibus invisit regem magnæ Britanniæ Jacobum VI. affinem suum stipatus sex regni Danici senatoribus & plus quam octo præcipuis equitibus præter aulæ ministros complures. Appulit autem d. 3. Julii maximisque ab Anglis affectus honoribus sex hebdomadum spatio apud affinem suum commoratus in Daniam reversus est. A. e. Cometa apparuit circa diem 16. Decembr. qui velocissimo cursu libram, scorpium & sagittarium perambulabat. A. e. in præsidio Gabrielis Bathorii non procul a civitate Edscha fœmina quædam gravida infantem peperit, ante partum clare clamantem vernacula lingua væ, væ, væ! post partum eandem vocem ter repetens tandem clamavit latinis verbis væ & mihi, & exspiravit. A. e. Philippus II. Dux Sretinensis nuptias celebrat, cum Sophia Holsatiæ Ducis Hanfii Sunderburgensis filia.

Christianus R. Jacobum Angl. R. sibi affinem visit.

Cometa.

infans ante & paulo post partum ve clamans.

Sophia Holsat. nubit Philipp. D. Ste-

Anno 1608. Dux Joachimus Fridericus Elector Brandenburgicus reginæ Daniæ Annæ Catharinæ pater apoplexia vitam finivit d. 18. Julii, ætatis suæ 63. (49). A. e. Philippus Nicolai pastor Hamburgensis ad D. Catharinæ incomparabilis moritur 26. Octob. in vera cognitione Christi, qui suo tempore Calvinanorum strigil fuit. M. Michaël Stenhusius Witzburgensis, canonicus & senior capituli Slesvicensis moritur Slesvigi d. 17. Martii. A. e. Haraldus Huitfeldius regni Danici Cancellarius moritur 16. Dec. & Herlofsholmii in cœnobio sepelitur, vir historiarum apprime peritus. Cui hoc epitaphium positum: Memoriæ nobilissimi viri Arnoldi Huitfeldii de Odisberga, quondam supremi regii Secretarii, postea regni Cancellarii & senatoris, nunc pulvis & umbræ. obiit anno 1508. d. 16. Dec. A. e. Philippo II. Duci Pomeraniæ publico juramento fidelitatis homagium præstitum est.

tin. Ao. 1668. Joach. Frid. Elector Brand. obit. Phil. Nicolai Hamb. exstinctus. it. Mich. Stenhnf. Slesv. it. Har. Huitfeld, ejusque epitaphium.

Phil. II. Pomer. D.

Anno 1609. Carolus rex Sueciæ iterum obsidet Rigam in Livonia, sed infelici eventu obsidionem solvere coactus est, ut Narvam tueretur. Inde iterum ad Rigam redit, sed rursus clade afficitur, & quasdam arces amittit. A. e. d. 20. Jan. Josephus Justus Scaliger Julii filius anno ætatis 68. moritur Lugd. Batav. A. e. Christianus Johannis Adolphi Ducis Slesvigæ, Holsatiæ &c. filius nascitur Gottorpii inter 12. & 1 pomeridianam d. 1. Decemb. A. e. induciæ in Belgio pactæ inter Albertum Austriacum & Hispanum ex una parte, & inter ordines Hollandiæ ex altera parte in annos duodecim die 9. Aprilis. A. e. Christiano IV. regi Danorum natus est ex Anna Catharina Fridericus filius, postea postulatus episcopus Verdensis.

Ao. 1609. Carolus Riga bis depulsus. Joss. J. Scaliger obit. Christianus D. nascitur. inducia Belg. Fridericus D. nascitur.

Anno 1610. Jacobus Ulefeldius eques Danus constituitur regni Danici Cancellarius, cujus doctrina & virtus studiis & peregrinationibus multis acquisita in legationibus maximis a rege adhibita, exteris quamplurimis innotescere cœpit. A. e. Jacobus VI. Angliæ proscripsit e regno omnes pontificios & Jesuitarum nomine suspectos. A. e. Christianus V. eligitur princeps Daniæ, cui publicum homagium Hafniæ præstiterunt subditi, quos d. 15. Aprilis secuti illi in Scania fidelitatis juramentum præstantes Londini. Hos secuti illi in Fionia d. 29. Aprilis homagium præstantes Otthoniæ. Quibus denique adstipulantes Jutlandi idem fecerunt Wiburgi d. 11. Maji. A. e. Apenradæ consul urbis a venatore quodam pecunia per propriæ uxoris parentes conducto sclopeto trajicitur. Deinde Martii d. 11. incendium tantum exoritur, unde tota fere civitas exceptis paucis domunculis periit; quod idem ab homicida ejusdemque complicibus suscitatum putant: ille fuga sibi consuluit, reliqui ad supplicium tracti dignas facinore pœnas tulerunt.

Ao. 1610. Jac. Ulefeld. Cancell. Dan. clarus. Pontificii Anglia proscripti. Christiano V. homagium præstatur. cædes & incendium Apenradæ.

Anno

Brunsviga ope Christ. R. obsessa.

(48) Ao. 1606. Dux Brunswicensis ope Christiani IV. regis Daniæ & Norwegiæ Brunswigam obsedit, sed re infecta obsidionem solvit, vicarius per Ducatum Slesvicensem & Holsat. regius, Dn. Gerhardus Ranzovius 17. in hac expeditione satellites, (*Leib-Diener*) ex Wilstrensi Marschia egregie ornatos sibi adjungi curavit.

(49) Ao. 1608. gelu intensissimum per sedecim hebdomades continuo duravit summa vehementia.

de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.

Ao. 1611. Bellum Christ. cum Carolo Suec. ejusque causa & eventus.

Anno 1611. Christianus IV. rex Daniæ indicit Carolo IX. regi Suecorum bellum d. 4. April. eo quod cum Polono bellans naves per Hellespontum Danicum & ex ipsâ Dania Rigam ad Borussica oppida euntes passim detinebat, Lappones maritimos ad regnum Norwegiæ pertinentes tributis vexabat, castella in finibus ejus regni ædificabat, nova privilegia subditis & civitatibus dabat & exinde titulum Norwegiæ sibi penitus arrogabat. Rex ergo Danorum regalia sibi minui cernens, sæpius illum per litteras de abrogando titulo & regni jurisdictione compellavit: sed nihil responsi accipiens tandem feciali misso bellum nunciavit. Quo a Sueco contra militarem morem detento, ipse Hafnia cum instructo exercitu profectus Calmariam obsidione petiit munitissimum Sueciæ oppidum repulsisque erumpentibus vi expugnavit exeunte Majo. Et quamquam prohibuerat, ne in impuberes sexumque muliebrem sæviretur, cum tamen mulieres lapidibus incesserent irrumpentes, promiscua insecuta est cædes exacerbatis & ex eo Danis, quod frumentatores suos nuper a nobili quodam fraudulenter evocatos contra datam fidem trucidatos meminissent. Capto Calmariæ oppido arx adjuncta freta Caroli subsidio, diutius victorem detinuit, sed expugnata tandem Christiano cessit d. 24. Aug. Interea autem dum Dani inter Majum & Augustum occupata urbe obsidioni arcis invigilant, exercitus Caroli Sueciæ regis quam proxime se illis opponit, & stratagemate quodam militari Christianopolin nuper ædificatam regis urbem (postquam interceptis præfecti litteris cognovisset eum subsidium petere) eo missis, qui se Danicum fingerent præsidium, prælatis (quæ forte eripuerant) vexillis invadit oppidanos, trucidat & direptis omnibus incendio fere delet. Vicissim Sueci classe a Danis spoliantur & denuo expelluntur, quod receperant, Calmariensi oppido. Qui cum justi prælii copiam non facerent obsidionique solvendæ impares viderentur, Christianus Sommius, qui arcem tenebat, regi Danorum eam reddidit. Ubi centum octoque tormenta ænea & sex armatæ naves cum omni instrumento bellico in regis potestatem venerunt. Secutæ fortunam regis non multo post Bornholmia, Oelandia, Goldburgum.

Carolus R. obit.

Carolus rex Sueciæ ob acceptas clades dolori succumbens iterum se ad bellum accinxit. Sed cum spe frustraretur, ad monomachiam Christianum provocavit, quasi duorum periculo totum certamen niteretur. Sed cum impar ætas, conditio, & causa esset regis utriusque, indignabundam provocationem falsè rex Daniæ elusit. Carolus vero accedente ad senium ex accepta clade mœrore, sequenti d. 30. Octob. e vita cessit. Gustavus autem filius ejus natu major in successorem quidem electus & rex proclamatus est: sed opponentibus se quamplurimis, utpote defuncti regis ex fratre nepote, item Poloniæ rege, interregnum per aliquot menses in Suecia secutum est. A. e. Franciscus Ranzovius nobilis Holsatiæ in bello Suecico regi Danorum generosè militans occubuit. Carolus Dux Megalopolitanus obiit. Natus est Christiano IV. regi Danorum & Duci Holsatiæ filius Uldaricus, postea electus Episcopus Sueriensis.

Franc. Rantzov. occumbit. Carolus D. Meckl. obit. Uldarius Dan. natus.

Ao. 1612. Rudolphus Imp. obit.

Anno 1612. Rudolphus Imperator Romanus Pragæ Bohemorum d. 10. Jan. obit, anno ætatis 59, cui succedit Imperator Matthias.

Sueci Scaniam infestantes a Danis cæsi.

A. e. Sueci per mare glacie concretum in Scaniam tendunt, hostiliter multa occupant, binas urbes pagosque plurimos cum nobilium prædiis innumeris incendio vastant. Incolæ quantocyus collecta supellectile Hafniam confugiunt. Unde etiam Hafniæ metus hostis ingens cives invasit. Sed miles regis Germanus Landeskronæ, Londini, Elbogæ in hybernis constitutus manum sexcentorum equitum subito colligens exercitum Sueci cum 3000. armatorum, nocte dieque persecutus tandem in pago quodam insperato invasit & plerosque vita exuit. Quo in conflictu inter alios princeps regni Gustavus deprehensus est, quem tamen inopina fortuna periculo exemit. In Martio rex Daniæ deditione accipit Elsburgum & Goldbergum fortissima propugnacula. Inde cum ulterius progrederetur, ejus exercitus & fame & peste adeo afflictatur, ut Elsburgum d. 4. Maji a Suecis recuperatum fuerit. Ferunt hac civitate & arce Suecis erepta regnum destitui sale, cum propugnaculum illis ad orientem nullum sit, quod sal & alias merces accipiat.(50) A. e. Anna Catharina Christiani IV. Daniæ regis uxor d. 29. Martii pie & placide in arce Hafnienſi regia obiit, postquam liberorum regirum sex mater facta fuerat, utpote ducis Friderici anno 1599. nati, qui non multo post obiit, Ducis Christiani ejus nominis V. anno 1603. nati, Duciſſæ Sophiæ anno 1605. natæ, quæ eodem d. 7. Sept. iterum denata est, Elisabethæ anno 1606. natæ, quæ anno 1608. d. 24. Octob. iterum vita excessit, Ducis Friderici nati 1609. d. 18. Martii & Ducis Uldarici nati anno 1611. d. 2. Febr.

Anna Catharina regina Dan. obit. ejus liberi.

Matthias Imp. Rom.

A. e. Matthias Archidux Austriæ rex Ungariæ & Bohemiæ, Rudolphi II. frater electus Romanorum imperator d. 14. Junii Francofurti inauguratur.

Danica classis Lubecenses invadens ejecta iterum infestans Lubecenses.

A. e. rex Daniæ Lubecensium naves onerarias in Sueciam abituras d. 6. Octob. invadit, sed repellitur magno cum detrimento & Lubecenses feliciter tendunt in Sueciam. Rex pacifice a Lubecensibus per Admiralium classis initio postulavit, ut ad certum

---

navis eversæ circa Heiligen-

(50) Anno 1612. navis ingens supra mille centum capiens lastas, dicta caritas, e regione arcis Hagiopolitanæ (seu Heiligenstettensis) in Stora pessumdata ac eversa est cum multorum vitæ discrimine ac perditione, cujus recuperationi biennium consumtum incolis Marsicis in eo laborantibus, & adhuc insuper impensis regiis bis centena millia thalerorum ferme excurrentibus. *stett. jahrb.*

certum tempus Suecia abſtinerent, quod cum non factum, Lubecenſesque nihilominus perrumperent, rex ſua claſſe mare occupavit navigationem inhibiturus; unde Lubecenſes moti Cæſareæ Maj. per litteras de Danorum vi multa conqueſti ſunt, ſed re infecta legati urbis redierunt Cæſare interim ad regem Daniæ ſcribente. A. e. confœderatio facta eſt in octennium inter Hollandos & civitates Anſeaticas, ita ut Hollandi quotannis exercitum 4000. peditum & 200. equitum in armis habere promitterent, quoties illo contra Hiſpanum, Papam & regem Daniæ opus foret; civitates Anſeaticæ idem promiſerunt. Pepigerunt iidem Hollandi pacem cum Turca Conſtantinopoli d. 6. Julii. A. e. Hollandi legatis miſſis apud regem Danorum quærunt depoſitionem aucti in majus tributi & dimiſſionem navium arreſti vinculo detentarum. Cui rex reſpondit, quia Hollandi tempore belli Suecici tale quid ſuis ſubditis irrogaſſent, ſalvo utriusque jure idem licere & ſibi.

Belgarum & civitt. Hanſeat. fœdus.

Hollandorum a R. Dan. quæſita & relata reſponſio.

Anno 1613. pax tandem inter Danos & Suecos reſtituitur, cum rex Danorum propter cladem ſuperioris anni a peſte in ſuis acceptam imparatior, Suecus vero paratior eſſet. Ejus articuli hi fuerunt: 1. Rex Daniæ ſponte ſua regi Suecorum occupata propugnacula & inter illa arcem Calmariam, inſulam item Oelandiam reſtituit, ita tamen, ut belli apparatum, item cuprum & plumbum in iis repertum ſibi reſervet. Elsburgum vero etſi conceſſerit, quia tamen Suecus Dano 6. auri tinas ob factos belli ſumtus promiſerat, ſibi in majorem debiti fidem reſervat. 2. Sueci regi Danorum ſubmittunt omnes terras in Laplandia a ſe occuparas & Ruſſo ademtas cum omnibus immunitatibus ad eas pertinentibus. 3. Concedit quoque Suecus regi Danorum arcem Sonneborgenſem in Oeſalia cum adjuncta inſula novem parœciarum conjuncta modo arci Arensburgenſi Danorum. 4. Jempterlandia regno Norwegiæ impoſterum coadunita erit cum omni belli apparatu, qui fuit centum tormentorum æneorum. 5. Novi tituli de Lappis, quos Suecus ſibi arrogaverat, impoſterum abrogantur. 6. Tres coronæ ad inſignia regia Daniæ præcipue pertinentes a Sueco uſurpatæ hactenus de cæteris inſignibus Sueciæ expunguntur. 7. Subditi regni Danici & Norwagici, ut & aliarum ditionum Danicarum, tributis & vectigalibus in regno Sueciæ eximuntur. 8. Nullus Suecorum impoſterum in Norwagia mercaturam exerceat absque regis Daniæ conſenſu, ne ulterius ullam jurisdictionem in illo regno aucupari poſſint. 9. Sueci omni imperio ſe abdicant, quod contra Daniæ regem habere præſumſerunt in Oceano orientali.

Ao. 1613. Pacis inter Danos & Suecos ſtabilitæ momenta.

A. e. Antonius Guntherus Comes de Oldenburg & Delmenhorſt Crempas veniens Chriſtianum IV. Danorum viſitavit novumque urbis munimen contemplatus eſt d. 29. Dec. A. e. Johannes Georgius hæres Norwagiæ & Dux Holſatiæ obiit d. 25. Jan. ætatis 19. Tubingæ. A. e. Fridericus V. Palatinus & Elector nuptias facit cum Elizabetha Jacobi VI. regis Britanniæ filia unica d. 24. Febr. A. e. Henricus Julius Dux Brunſwicenſis & Lunæburgenſis Pragæ Bohemorum d. 30. Julii ætatis 48. denatus eſt. A. e. Chriſtianus IV. Danorum Tychopolin altero a Crempis lapide ſitam ad Rhenum ſ. Rynam amnem ibi in Albim ſe exonerantem, & Chriſtianiam in Scania paludibus & amne circumfluam fundare cœpit.

Ant. Guntherus Com. Oldenb. Chriſtianum R. & Crempas viſit.

Jo. Georgius D. Holſ. obit.

Frider. V. El. Pal. nuptiæ cum filia Jacobi R. Angl.

Tychopolis & Chriſtiania fundata.

Anno 1614. in principio anni a reliquiis papalibus expurgatum eſt in Marchia Brandenburgenſi templum cathedrale Colonienſe, ſedi electorali maxime vicinum, aſſumto Serveſta Math. Fuſſelio, & vocato poſtmodum ad reformationem ulterius inſtituendam Abrahamo Sculteto concionatore Heidelbergenſi; ſed in reliquis locis, dum omnia in priſtino ſtatu manſerunt, nihil effectum eſt. A. e. Chriſtianus IV. rex Daniæ ſecunda vice navem conſcendit in Angliam navigaturus d. 3. Julii. A. e. Soltquellæ inauditum facinus perpetratum eſt a mercatoris famulo, qui crudeli animo in parentes affectus cultro eos confodit & ſuſtulit: homicida primo manu privatus, mox tribus ignitis forcipibus diſtractus, tandemque rota contuſus dio expoſitus eſt. A. e. Sueci Moſchis Pleskovium eripuere. (51) A. e. Brunſwicum in diſſidium venit cum Duce Friderico Ulrico quod a parte urbis Dux Wurtenbergicus componere ſategit, promiſſo conciliatoribus ſalvo conducto. Sed definito tempore nemine comparente cives tumultuantes ſenatum veterem depoſuerunt, novumque (conſule primario prius torturæ ſubjecto,) crearunt. Non multo poſt Dux Fridericus Ulricus d. 5. Octob. diploma emittit, quo omnibus Ducatus ſubditis nobilibus & ignobilibus oppidanorum commercio penitus interdicit. A. e. chaſmata multa in cœlo viſa ſunt per Ungariam, Moraviam & Sileſiam.

Ao. 1614. Marchia Brandeb. reformata.

Chriſt. R. in Angliam denuo navigans.

parricidium deteſtandum & punitum.

Brunſvicenſe ſeditio.

meteora.

Anno 1615. Chriſtianus IV. rex Danorum Roſchildii in Zelandia egregium monumentum in templo cathedrali ſibi ædificari fecit in ſui reginæq; demortuæ ſepulturam. Turris quoque inſignis altitudinis Helſingoræ in templo conſtructa & erecta eſt. (52) A. e. Brunſwicum per Ducis & Anſeaticarum civitatum delegatos

Ao. 1615. Chriſtianus R. monumentum ſibi ſtruit Roſchild. turris Helſingor. Brunſvi-

(51) Anno 1614. novus S. Margarethæ agger contra Albis undas, moderatore Eggerto Sperforkio, evectus eſt.

(52) Anno 1615. Eggertus Sperforkius, architectus regius aggerem in paludibus Wieteniſſæ poſuit, ſolutis ipſi a regia majeſtate pro ſpatio virgæ meſſoriæ longitudinem referente 40. marcis. 1615, 19, 20. & 21. apud Bretſtadium Ducatus Sleſwicenſis oppidum rex Chriſtianus IV. terræ paludoſæ tractum inſignem aquæ fluctibus aggere obverſo eripere & vallem ad conſitionem frugum ad paſcua commoda adaptare niſus eſt ſuper 9000. hominum in id laborantibus: attamen quamvis auri tonnas aliquot in id conſumſerit, irrito omnia conatu fuere. 1615. in æſtate, (forſitan 1626) ex utraque Marſchia Wilſtrienſi pariter & Crempenſi per vicarium regium Ranzovium atque Capitaneum Marſchiarum Henricum Dregenbergium junctim ſelecti ſunt 200. viri juvenes, qui veſtibus ac armis bellicis inſtructi Marti ut copiæ ſequeſtratæ (*alis Auſcbuſi*) conſecrati ſunt.

Bredſtadienſium conatus.

delectus copiarum factus.

censium cum Duce diſſidium.

legatos, qui pacem ex utraque parte concluderent, Duci quotannis aliquot millium imperialium ſummam pendere, arcem in urbem exſtruere eique advenienti die nocteque portas aperire promiſerat. Cum vero claves ad unam portam, qua pro lubitu ingrederetur & egrederetur, tradere recuſaret, Dux Fridericus Ulricus d. 22. Jun. urbem graviſſima obſidione premit, quæ cadentibus ab utraque parte multis in 30. usque Octob. continuata tandem ſolvitur, & pax in cœnobio Steterbergenſi per tres ſeculares Electores, Chriſtianum IV. Daniæ regem Mauritiumque Haſſiæ Landgravium aliosque imperii principes & ſtatus d. 21. Dec. concluſa & publicata eſt. Durante obſidione implorata Batavorum auxilia Hervordiam & Ravensburgicum Comitatum pro Brandenburgico invaſere prætendentia pactionem, quam Principum Juliacenſium legati de partienda terrarum adminiſtratione & uſufructu iniviſſent Spinolæ aut Hiſpanorum artibus eluſam. Receptis vero in urbem Brunſwigum ſubſidiis Kalendis Septemb. felici eruptione eſt pugnatum, qua Michaël Victor Ruſtrovius, qui Ducem ad belli incendia maxime concitaverat, dum Ultzenſi munitioni feſtinat ſubvenire, cecidit. E veſtigio Danus adeſt interponens ſuam operam, ut res ad dierum aliquot inducias & ex induciis ad pacem devoluta fuerit, civitate Duci ſuo more majorum homagium præſtante & proſcriptione nuper per Ducem promulgata abolita. A. e. Chriſtianus IV. rex Daniæ cum videret Berlinum novo civium tumultu infeſtari ob reformatorum & proteſtantium diſſidium & introductum Calviniſmum; ipſe pio zelo viginti quinque fidei articulos a parente ſuo p. m. publicatos anno 1569. de novo prelo ſubjecit, ſuosque ſubditos ad eorum ſanctam obſervantiam obligavit memor illius Horatiani: tunc tua res agitur, paries cum proximus ardet. A. e. die Veneris ante 1. adventus Dominicam quæ erat 1. Decemb. tanta exundatio oceani inſurrexit in Ducatu Sleſwicenſi, unde innumeri homines cum pecudibus interierunt: Fluctus enim aggeres mari objectos nocte intempeſta diruperunt, unde inopinato multi in lecto exſtincti ſunt. In pago Widingsharde templum cum cœmeterio & mortuorum loculis aqua everſum & cum 168. hominibus & quinque molendinis abſorptum eſt. In Gotskoh 32. perſonæ interierunt. Tunderæ pons arci contiguus fluctibus abreptus eſt, aqua in porta arcis usque ad feneſtras ſtagnante, nonnullaque valli parte ſubruta. In oppido navigiis plateæ permeari cœperunt. Præceſſit hanc inundationem circa Martini in pago Langenhorn prope Bredſtadium portentum. Naves nempe in domo quadam viſæ quaſi novem a remigibus gubernatæ, quarum binæ interierunt. Viſus etiam ad oram maris ſus, qui ſclopeto lædi non potuit, ſubinde formam equi repræſentans, cum exſertis quatuor dentibus ulnæ quadrantem adæquantibus. A. e. Johannes Caſimirus Comes Palatinus Rheni Bipontinus conjugium init cum Catharina Caroli IX. Suecorum regis filia in Suecia.

tandem urbs occupata Duci fidem obſtringit.

Chriſtianus R. 25. artic. fidei iterum impreſſos promulgat.

Inundatio ſeva circa Tunderam cet.

portentum naves & ſua viſa.

Jo. Caſimiri Com. Bipont. ſibi matrimonio jungit Catharin. Suec.

Anno 1616. menſe Januario Dux Brunſwicenſis pacem, quam cum civitate poſt bellum iniit, publicat, poteſtatemque civibus per univerſam regionem ſuam commeandi & commercia exercendi tribuit. Hinc 5. Febr. ſub horam 3. pomeridianam ad accipiendum fidelitatis juramentum urbem ingreditur, quod & 6. Febr. tranquille præſtitum eſt. (53) A. e. menſe Martio obiit Johannes Adolphus Dux Sleſwici & Holſatiæ d. 31. Martii hora 4. matutina ætatis 41. Gottorpii in Ducatu Sleſwicenſi degens. Qui idem 14. Maji Sleſwigi more majorum ſolemniter tumulatus eſt. Vivo hoc fuit ſymbolum: Vivit poſt funera virtus. A. e. d. 5. Jan. ingens tempeſtas orta eſt, unde in Ducatibus Sleſw. & Holſ. non exiguum damnum exſtitit, Gottorpii aqua ſtagnans editiorem ibi pontem texit. A. e. exſtincto Johanne Adolpho Duce Holſatiæ, feudum Sleſwicenſe collatum eſt ejus filio Friderico Coldingæ coram rege comparentibus & Ducis nomine illud accipientibus legatis Friderici eminentiſſimis: utpote Gotſchalco Wenſin præfecto arcis Gottorpienſis, Hanſio von Wiſche præfecto Tunderenſi &c. A. e. Nicolaus ab Alefeld, Dominus in Gelting Angliæ filius Benedicti, olim Chriſtiani IV. conſiliarius Holſatiæ & præfectus Flensburgenſis, obiit in Gelting relinquens ex Magdalena Henrici Ranzovii producis regii in

Inundatio.

Frider. feudum Sleſw. per legatos ſuſcipit.

Nic. ab Alefeld e vita excedit.

Ao. 1616. D. Brunſv. promulgat pacem cum civitate ſancitam eamque in fidem ſuſcipit.

Joh. Adolph. D. obit.

Tychopoleos incrementa & fata.

(53) Anno 1616. Prima Tychopoleos fundamenta ſunt jacta perpaucis iisque tenuioris ſortis hominibus caſas quasdam inibi erigentibus. Rege vero Daniæ Hamburgi non ſolum, ſed & in Friſia, Batavia, Gallia, Hiſpania & Portugallia liberum religionis exercitium & 20. annorum immunitatem cuivis eandem inhabitaturo publice ſignificante undiquaque confluunt evangelici, Romano-catholici, Calviniani, Mennoniſtæ, Judæi aliique. Res monetaria primum fuit penes Albertum Annis ex Portugallia Judæum. Calvinianus quidam Johannes Albermannus ſalinariam ibi exercere inſtituit, ſal Hiſpanicum ad formam ac ſubtilitatem Lunæburgenſis aqua ex oceano hanc in rem advecta redacturus. Vidua quippe ejus fatis conceſſura mille marcis templum dotavit Tychopolitanum. Sachari quoque confectionem quidam Judæus ex Portugallia, cui nomen Gonſalve Lopez inibi molitus eſt, nec adverſa primum fortuna, ſed aqua an. 1625. inopinato citius per tempeſtatem accreſcente permagna ſachari quantitas peſſum ivit, cui damno biennio poſt manubrias junxit bellum illud ſatis funeſtum, quo Tychopolis a Cæſarianis premebatur, ubi penitus ad incitas redactus eſt, & mola ejus olivaria quoque confracta, ut hic neque ſaponarium neque conditorem amplius agere potuerit. Quin immo & alii Judæi maxima tulerunt damna, primi facile cæteroquin, quibus Tychopolis incrementa ſua in flore mercaturæ & artium mechanicarum adſcribere poſſet. Memorabile etiam eſt nec ſilentio prætereundum ſtrumentum cujusdam textoris mirificum, quo ipſe viginti diverſæ formæ ac diſtinctionis ligacula ex ſerico, lana & linteo conficere potuit. Rex Chriſtianus IV. tanti fecit, ut ipſe formam & artificium eodem texendi oculis ſui contemplari haud ſit dedignatus. A. 1616. vel 1617. pretium thalerorum evectum eſt ad numerum trium marcarum; unde de fundo jugerum quolibet etiam tres marcæ in cenſum datæ quotannis, & pro antiquo fundo regio non ut antea (anno 1604) 6. marcæ & 3. ſolidi, ſed 9. marcæ vel 3. thaleri Jacobo Velſteinmanno præfecturæ ſcriba exiſtente regius fundus adhuc duobus thaleris & ſuccreſcens ager duabus marcis in tributo anniverſario adauctus eſt.

pretium thalerorum auctum ſubditis moleſtum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

in Holſatia, filia Carolum Dietericum, Nicolaum, Johannem, Margaretham, & Chriſtinam. A. e. Stetini Pomeranorum tumultus civilis ortus eſt inter ſenatum & cives propter civilis lucelli intertrimentum. A. e. Chriſtianus IV. rex Daniæ auratæ militiæ inauguravit præcipuos e nobilitate Holſatiæ, Breidonem nempe Ranzovium, Vicarium regium regni Danici, & ſenatorem, præfectum inſulæ Mœnæ, hæreditarium in Rantzowsholm: Gerhardum item Rantzovium vicarium regium in Ducatibus Sleſw. & Holſ. præfectum Haterslebienſem, hæreditarium Bredenbergæ &c. nec non Dethlevum Ranzovium, regium in Ducatu Holſatiæ conſiliarium, præfectum Steinburgenſem, hæreditarium in Pancker, quibus additi in Dania, quorum fidelem operam rex in nupero bello Suecico expertus erat.

Stetinenſ. tumultus.

aurati equites a Chriſt. R. creati.

Anno 1617. rex Daniæ & Sueciæ in regnorum limitibus conveniunt fœdusque, ſi Polonus Sueciam turbare cupiat, ineunt. Inter Suecum & Moſchum Duces pax quoque compoſita eſt, Sueco quinque munitiones retinente & aliquot tonnas auri a Moſcho obtinente. (54) A. e. Chriſtianus IV. Daniæ ſevere in fures adfectus novum illis tormenturæ genus invenit. Nam cum Cæſar Fridericus anno 1440. ſuſpendii illis legem fixiſſet, rex Daniæ perpetuam illis & acerbam ſervitutem injunxit Hafniæ in noviter invento ergaſterio, quod Holm incolæ vocant, ut ibi parco victu & largo labore vitam, quantum ejus reliquum eſt, tolerent. A. e. diſſidia religionis in Belgio quoad articulum de prædeſtinatione, quæ multo ante ex doctrina Arminii & Vorſtii producta fuerunt, ſubinde augentur inter Remonſtrantes & Contraremonſtrantes. Rex ergo Angliæ & alii vicini ordinibus faventes ſuadent nationalem Synodum inſtituendam eſſe, in qua res ex ſacra ſcriptura componatur. A. e. reperta eſt fœmina in vicino Amſterodami pago Sloterdica, quæ ſucceſſive viginti quatuor maritis nupſit, viceſimoque quinto, viro Dithmarſo nupta ſuperſtes eſſe deſiit. A. e. ſeculum primum repurgatæ per Lutherum doctrinæ evangelicæ elapſum eſt. Johannes igitur Georgius Elector Saxoniæ Jubilæum indicit, quo Deo per triduum nempe 31 Octob. & 1, 2. Nov. ſolemnes gratiæ ſunt actæ. Quod inſtitutum & nonnullæ in Holſatia eccleſiæ ſequentes, Jubilæas itidem habuere conciones in Dei pro defenſione hujus doctrinæ laudes, quamvis annus populorum ſeptentrionalium Jubilæus a primo repurgationis tempore ſerius cœperit. Sequens annus mox Lutheranorum Ejulæum adhuc durantem e Bohemia emiſit. Nam & pontifex Romanus eodem tempore ſuis populis jubilæum in Lutheranorum contemtum promulgavit. Adeo non in jubilo, ſed potius in ejulatu verum Chriſtianorum conſiſtit augmentum.

Ao. 1617. pax inter R. Dan. & Suec. it. inter hunc & D. Moſc.

novum pœnæ genus furibus conditum in Holm.

religionis in Belgio diſſidia.

femina 25. virîs ſucceſſive nupta.

Jubilæum reformatæ relig. celebratum.

A. e. Otto a Qualen conſilarius Holſatiæ regius & præfectus Flensburgenſis cum D. Leonhardo Metznero cancellario regiæ majeſtatis Germanico Pragam ad Cæſaream majeſtatem regiorum negotiorum ergo mittitur. A. e. Saxonicæ urbes Lubeca, Brema, Hamburgum, Roſtochium, Straleſunda, Viſmaria, Magdeburgum, Brunſwiga, Lunæburga, Gryphswaldia fœdus duodecennis communionis pangunt ad commerciorum libertatem communibus in mari Balthico & ſeptentrionali oceano defendendam ſumtibus.

legati regii ad Imp.

Saxon. urbium fœdus commerciorum cauſa.

Anno 1618 cometa horribilis viſus eſt mane ante ſolis ortum menſe Novemb. prolixa admodum cauda formidabilis in ſigno ſcorpii prope lancem, qui inde progreſſus verſus polum Arcticum Booten fere totum pelluſtravit. A. e. Breido Ranzovius hæreditarius in Ranzovisholm, eques auratus & regius Hafniæ vicarius, præfectus Mœnæ d. 10. Jan. pie & placide Hafniæ obiit. Parens ejus Henricus Ranzovius produx Cimbriæ fuit vir litteris & virtute toti orbi notiſſimus. A. e. legati regis Hiſpaniarum menſe Januario in Daniam appulerunt, a rege Daniæ mox ad proponendam miſſionis cauſam admiſſi. A. e. Indorum inſulam Ceilanen quinque regis Chriſtiani IV. naves luſtrarunt, prima e Hafnienſi portu ſolvit 18. Aug. reliquæ ſecutæ d. 29. Nov. Philippus Sigismundus præſul Osnabrugenſis & Verdenſis Hafniæ liberaliter exceptus Friderico regis filio ſucceſſionem obtulit diæceſeos Verdanæ · A. e. conſiliarii Cæſarei Pragæ de feneſtris præcipitantur: quod poſtea anſam dedit funeſtiſſimo in Germania bello: ordines vero Bohemiæ præcipitationis facinus excuſant. A. e. Chriſtianus IV. novam civitatem e fundamentis excitavit prope Hafniam in inſula Ammagger, ponte per mare interluens ab arce usque in dictam civitatem ſtrato. A. e. Ferdinandus electus rex Bohemiæ & Ungariæ coronatur d. 21. Junii. Caſpar Penſe præfectus regius in Trittow & Reinebeke paulo poſt paſcha moritur Hamburgi.

Breido Ranzov. obit.

legati Hiſp. ad R. Dan. veniunt.

Dan. naves in inſ. Ceylon miſſæ. Phil. Sigism. epiſc. ſucceſſionem diæc. Verd. offert Friderico R. fil. Bohemorum in legatos Cæſ. violentia belli anſa.

nova civitas ad Hafniam ſtructa.

Ferdin. R. Boh. & Hung. coronatur.

Anno 1619. inſtituta eſt Dordraci ſynodus, ad quam multi theologi reformati, nonnulli etiam

Ao. 1618. Cometa.

Ao. 1619. ſynodus

Ex lite inter Nic. de Wiors & V. B. Ranzov. oritur cædes.

(54) Anno 1617. vel 1618 coram judicio contendebant Nicolaus de Wiors, hæreditarius in Aſchebey & V. B. Ranzovius aliquis de ſepulcro quodam in templo Plœnenſi, cumque hic poſterior cauſa caderet, juramento facto de necando adverſario eſt ſolicitus, cum in finem, ne detineri poſtmodum poſſet, poſſeſſiones ſuas in Femariam detulit, ibi patrato facinore habitaturus, indeque excubans in pago quodam Chilonium inter & Aſchbergam, cum in equo forte Dn. Wiorſe quinque ſtipatus ſervis præteriveheretur ſclopeta exploſa minutis globulis maxillam ejus replet. Hic vero cum 2. miniſtris, Marcus Paar & Jurgen Krabbenhövet dictis, bombardas in Ranzovium torquet atque, cum eodem ipſo momento mulier domus iſtius prægravida ante fores occluſas cum Ranzovio ſeſe ſtatuerat, morti quoque cum ipſo data eſt. Nicolaus vero de Wiors poſtero die maritum uxoris interfectæ centum donavit thaleris atque deinceps in Megalopolenſem conceſſit ditionem, a Duce Megalopolitano villam conducens per ſeptennium ibi commoratur ac poſtea in Holſatiam redit. Subitanea denique morte extinctus eſt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Dordracena.

etiam ex Arminianis seu remonstrantibus vocati accesserunt. Conquesti vero sunt hi de partis adversæ iniquitate, quod quinque a se propositorum capitum defensionem non admittere, sed ad suam omnium sententiam conformare velint, & protestati simul, quod reformatorum absoluto prædestinationis decreto assentiri non possint. Erant autem Remonstrantium hi articuli: Electionem ad viram æternam a Deo adspectu fidei in JEsum Christum & perseverantiæ fieri: reprobationem secundum præscientiam infidelitatis obstinatæ. Christum ex decreto & voluntate patris pro omnibus & singulis mortalibus redemtionem sanguine suo præstitisse. Non esse in Deo voluntatem arcanam revelatæ illi, qua omnino salutem se velle & procurare testatur, contrariam. Gratiæ efficaci resisti posse. Hominem vere credentem excidere sæpe fide, & suapte culpa æternum perire. Hos suæ fidei articulos remonstrantes exhibuerunt jam ante secum concludentes non parere eorum sententiæ, quos hostes suos ducebant, ideoque interposita protestatione in sententia perstitere. Damnati ergo erroris partim in carcerem missi, partim patria pulsi sunt, quorum aliqui in Holsatia & alibi pedes fixerunt. A. e. expeditionibus bellicis passim gliscentibus Daniæ & Sueciæ reges fœdus renovant & legatis missis in finibus regni confirmant. Tychopolis Stormariæ vallo & fossis muniri cœpit. (55) A. e. inundatio aquarum vehemens orta est, qua agger prope Bretstadium Cimbriæ ingenti sumtu regis oceano objectus vi marinorum fluctuum disrumpitur. A. e. d. 26. Aprilis synodus nationalis Dordraci habita finita & conclusionibus certis contra Arminianam doctrinam latino sermone comprehensa publicataque est præsentibus plus quam tribus auditorum millibus. Et lata sententia in Joannem Oldenbarnefeldium Hollandiæ & occidentalis Frisiæ advocatum, quæ eum capitis supplicio destinavit, quod Remonstrantium molitionibus se antesignanum præbuisset eosque tuendi causa leges fœderis Belgici multifariam violasset. Reliqui, ut Grotius & Hogerbetus perpetui carceris damnati. Ledenbergius manus ipsi sibi diras intulit, urnaque, qua conditum erat, ejus cadaver vinculis ferreis ad crucem appensa est. A. e. defuncto Marthia Romanorum imperatore Ferdinandus II. regnorum administrationem per vim invadit repugnantibus maxime Bohemis, qui iccirco Palatinum in regem suum adsciscunt. Cæsar vero Ferdinandus nihili esse Palatini coronationem diplomatibus evulgatis protestatur. Id ipsum jussu Cæsaris Henricus Dux Lauenburgicus & Hieronymus Elverus apud regem Daniæ & Saxones contestati, hæreditarium insuper jus Austriacis in Bohemiam esse docuerunt, quod Bohemi editis libris prolixe pernegarunt. A. e. Bethlehem Gabor bellum pro Bohemis movet. A. e. Christianus IV. Danorum novum cœpit aggerem a trajectu usque ad Morsum ad Uphusum Bretstadii. A. e. pestis vehemens in Dania sæviit, quæ Hafniæ ultra quatuordecim hominum millia sustulit, regia majestate interim in Ducatu Slesvicensi prope Bretstadium commorante. A. e. ingens a maris æstu post Martini damnum ortum est, ita ut naves quamplurimæ disjectæ & aggeres in Frislandia adflicti fuerint ad summam accolarum perniciem. A. e. Anna oriunda e regia Daniæ stirpe regina Angliæ pie denata & 13. Martii solemniter tumulata est. A. e. rex Daniæ Stadam noctu deditione accepit præmonstrante civium quodam regiis laterna accensa viam, quam rex mox milite replevit suæque deinde potestatis fecit.

Ferdin. II. Imp. R. Bohemos sibi refragantes habet.

dissentientium quidam pulsi in Holsatiam concedunt.

Dan. & Suec. fœdus.

inundatio circa Bretstad.

synodi Dordrac. sententia in Arminianos publicata.

binc bellum.

agger Bretstad.

pestis in Dania.

factura ex maris inundatione.

Anna Angl. regina obit.

Stada a Danis occupata.

Anno 1620. Hamburgensibus cum Duce Lunæburgensi dissidium fuit, Duce aggerem prope Tollenspiker perfodiente; unde Hamburgenses in civitate ad arma venerunt: sed interveniente mox rege Daniæ tumultus sopitus. A. e. Gustavus Adolphus rex Suecorum duxit uxorem Mariam Eleonoram Brandenburgicam, cujus frater Georgius Guilielmus nuper septemviratum Marchiacum extincto patre susceperat. A. e. Augustus Dux Lawenburgicus nuptias fecit cum Elizabetha Sophia Johannis Adolphi, Ducis Slesw. & Holst. filia Husii Dominica Invocavit. A. e. Academia nova Schauenburgica Rintelienſis, anno præcedenti auspicia sumens privilegiis a Ferdinando II. ornatur, anno sequenti sollemniter introducta. A. e. Tychopoli Stormariæ templum cum cœmeterio exstrui cœptum, in quo primum mortuum sepeliendum nos comitati sumus cantu & cærimoniis usitatis anno 15. ætat. A. e. Augustus Palatinus nuptias fecit cum Hedwige Johannis Adolphi Ducis Slesw. & Holst. filia, Elizabetha dicta, sorore Husii d. visitationis Mariæ. (56)

Ao. 1620. Hamburgenſium cum D. Luneb. diſſidium per Dan. R. ſopitum.

Guſtavi Adolphi matrimonium.

Eliſab. Sophia Holſ. nubit Auguſto D. Lauenb.

templum Tychopolit.

Hedwiga Holſ. nubit Auguſto Palat.

Anno 1621. Cæsar Ferdinandus proscripsit Palatinum, ob arreptum Bohemiæ diadema, qui profugus Segebergæ Danorum regem Christianum IV. adiit, auxilium imploraturus: sed cum evulgatis Cæsar diplomatibus libertati pacique fraudem se facturum negaret, rex Daniæ pie rem deliberans facem noluit subdere incendio, quo in Saxonia novi tumultus excitarentur. Adfuerunt eodem tempore regi alii Romani imperii principes, nempe Dux Lunæburgensis Christianus & Dux Brunswicensis Fridericus, item Augustus Dux Lauenburgi-

Ao. 1621. Frider. Palat. Segebergæ regis Dan. auxilia frustra efflagitat.

aliorum principum ibidem concilium.

Tychopolis munita & ornata.

(55) Ao. 1619. Tychopolis ab aggere versus occidentem vallo munita ac porta dicta Crempensis eodem tempore fundata ac erecta est: opera per 10. cohortes militis Danici selectos, (*Ausschuß*) perfecta; hinc templum ibidem est exstructum. Sacra vero antea in ædibus primi proconsulis Wichboldi *von Ancken* sunt celebrata, signo eum in finem per sonum instrumenti musici canticum sacrum detonantis publice exhibito. A. e. portus & statio navium apud Tychopolenses cum munimento ex utraque parte ac aggere, eo, qui jam domibus consitus, sunt adornata, per Eggertum Sperforkium architectum regium pro summa centum & decem millium marcarum de qua regem inter & ipsum ante pactum erat atque conventum. Schola Itzehoënsis renovatur & viris doctis instruitur. *Vid. Joh. Hudemann. vitæ curvic.*

Itzeh. ſchola reſtauratur.

(56) Ao. 1620. terræ motus vehementissimus fuit in ducatibus Slesw. Holst. Megalopolensi alibique. *M. L. Fischer in Dioptr. p. 5. sq.*

enburgicus; die 3. & 4. Martii regia instructa est mensa. Sexto Martii rex Bohemiæ abitum paravit, 7. reliqui secuti sunt principes

R. Dan. cum Batavis fœdus.

causa concilii incognita. A. e. rex Daniæ novum fœdus pepigit cum Hollandis. A. e. d. 17. Jan. Pontifex Romanus Paulus V. Romæ apoplexia mortuus est. (57) A. e. rex Daniæ Christianus IV. mandatum per totum regnum publicat, jubens ut studiosus Theologiæ ad officium publicum non admittatur infra vigesimum quintum ætatis annum. A. e. evidentibus de causis cœnobium Mariæboënse in Lalandia abrogatum & moniales ordinis S. Brigittæ ejectæ sunt, quod a. 1417. tempore Erici Danorum regis & Archiepiscopi Lundensis Dn. Petri Crusii fundatum est. Reditus autem ejusdem ad academiam Soræ equestrem deputati sunt. A. e. rex Daniæ Christianus IV. Fridericiburgi novum horologium ex campanis exstrui fecit, quæ nocte dieque singulis horis psalmos apte modulantur tam larga artis inventione, ut una hora plus quam quinquaginta melodiæ ordine & pure chorali voce audiantur. A. e. duodecennes Belgarum cum Hispanis induciæ mense Aprili finem sortitæ sunt. Albertus Archidux frustra per legatum obedientiam Hollandis suadet. Igitur Spinola ad obsidendum Juliacum mense Sept. se accingit, idque in Febr. deditione capit. A. e. rex Daniæ Wolfgangum a Buchwold nobilem Holsatum constituit aulæ Marescallum. Cum etiam Otto a Qualen regiæ Maj. præfectus in Flensburg mense Decembri præcedentis anni obiisset, ipsius loco Bernhardus ab Hagen (alias Geest) Canonicus Slesvicensis pronunciatus est, postquam in regiæ Maj. aula diu Archipincernæ & Marescalli munus cum laude obiisset. A. e. Turca cum ingenti exercitu Poloniam invadit: interea se rex Sueciæ Gustavus ad bellum quoque accingit & Rigam Livoniæ obsidione petit regi Poloniæ subjectam d. 11. Aug. Ita Polonus a duobus potentissimis principibus affligitur. Riga vero postquam quinque septimanarum obsidionem terra marique sustinuisset, tandem 16. Sept. regi Sueciæ cessit. A. e. Bohemia in obedientiam imperatoris Ferdinandi redigitur, multis procerum misere supplicio affectis, de quo pleni sunt historiarum libri. A. e. Comiti Schawenburgico Ernesto titulum Holsatiæ judicio Cæsareo usurpanti contradicit Dux Holsatiæ & Slesvici Christianus IV. Danorum. Missis itaque rex legatis, utpote Alberto Schelio, & Jacobo Ulefeldio regni senatoribus, primo pacifice apud dictum Comitem tituli de Ducatu Holsatiæ arrogati abrogationem quæsivit, ut qui regi Danorum Duci Holsatiæ in præjudicium cederet. Sed Comite nihilominus Ducis nomen usurpante, & amicam dehortationem regis aspernante, ipse rex Dux Holsatiæ mense Majo sufficientibus motus causis exercitum conscribere, inque Comitatum Schawenburgicum eum ducere instituit. Ernestus autem regis videns animum etiam in Comitatu suo militem regium alens ad saniora humilitatis consilia redit. Intercessione Elizabethæ Ducissæ Brunswicensis & Augustæ Ducissæ Slesvicensis regiarum sororum & depositione arrogati tituli regiam quærens gratiam. Quam etiam refusis prius belli sumtibus nempe 50000. thaleris impetravit rege militem exauctorante & in regnum redeunte. A. e. fœmina e nobilitate Holsatica præcipua, Heidwigis Ranzovia Christophori Ranzovii hæreditarii in Seedorff p. m. vidua, pio mota zelo ad provehendum verbi divini cultum mille imperialium stipendium ordinavit, de quorum reditibus annuis tres theologiæ studiosi æquali sorte per quadriennium participarent. Quorum nobis primitus copia facta est in promotionem & auxilium studiorum nostrorum dicti quadriennii spatio, ope admodum reverendi & præstantissimi viri Dn. Matthiæ Clodii præpositi Itzehoënsis. A. e. incendium ingens in civitate Golnaw Pomeraniæ excitatum est, quod ex vehementi tonitru ortum totam fere civitatem quindecim horarum spacio in cineres redegit.

25. annus ministerii sacri candidatis constituitur.

Mariboënse cœnob. Lalandiæ abrogatum.

horologium artificiosissimum Fridericiburg.

induciarum Belgicarum exitus.

stipendium liter. Ranzovianum.

Golnaw Pom. urbs fulmine fere absumta.

Anno 1622. rex Daniæ misso Sigwarto Pogwischio sollicitavit Cæsarem, ut acceptas a Palatino injurias publicæ saluti ac quieti donaret eumque abjurata Bohemia deprecantem septemviratui suo restitueret: sed Cæsar continuari prætexens contumaciam, ad Bruxellanam omnia rejecit compositionem, quæ tam lente egit hoc negotium, ut Palatinus interim omni ditione privaretur. Hinc Manheimum Horatius Verus subsidiis desperans æquis conditionibus Tillio concessit. A. e. astutia & nequitia æruscatorum in superiori Saxonia tantum augmenti sumsit, ut eorum vi imperialis nummus ad sedecim florenorum æstimationem insurgeret, minutis pecuniis extreme adulterinis. A qua panurgia civitates & regiones plerasque superiores inundante nostra tamen Holsatia beneficio Dei & vigilantia Christiani IV. regis Danorum libera permansit. A. e. præcones renati evangelii omnes e Bohemia Moraviaque proscripti & in exilium missi sunt confugientes plerique in Electoratum Saxonicum. A. e. Papa in ditiones regis Danorum mittit institores novos personatos, reapse Jesuitas, superstitiones Papales scholis & rebus-publicis inseminaturos, quorum vero conatus irritus fuit ejectis patribus frustra frementibus & Daniæ justo tempore sua fata minitantibus. Quæ tamen hactenus in potentis Dei manibus fuerunt. A. e. rex Daniæ ex Ceilone Indorum insula binas naves hebeno & aromatibus onustas recepit. Oddo Giddæus præ-

Ao. 1622. Rex Dan. frustra pro Frider. Palat. ap. Cæs. intercedit.

Manheimum captum.

moneta adulterina & pretio aucta.

evangelici Bohemia & Morav. pulsi.

Pontificiorum in Daniam emissarii.

naves ex inf. Ceylon reduces.

Wolfg. a Buchwold aulæ Dan. marescb.

Otto a Qualen præf. Flensburg. constituti.

Turcæ & Sueci utrinque Poloniam tentant.

Riga occupata.

Bohemi Ferdinando Imp. subjiciuntur.

Ernesto Com. Schaumb. a R. Dan. bellum infertur ob usurpatum Holsatiæ titulum.

---

eclipsis. (57) Ao. 1621. circa horam X. ante meridiem eclipsis solis in Nord Albingicis hisce regionibus observata, qua durante etiam stellæ in cœlis scintillare visæ sunt. *Fischer Dioptr. p. 5.* A. e. Fridericopolis ad Travam in Eyderstadio fluvium ab Arminianis & Remonstrantibus ex Hollandia pulsis fundata primum ac ædificari cœpta est Friderico III. Ducæ Slesvici & Holsatiæ, a quo nomen traxit, liberum exercitium iisdem aliisve concedente. A. e. Gluckstadii vetus armamentarium seu turris, *(das alte Blockhauß)* per Eggertum Speerfork propriis sumtibus jussu regio est exstructum.

Fridericopolis structa.

de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.

præfectus classis castrum in Tranguebare structum Dansburgum appellavit. A. e. Ernestus Comes Schauwenburgo Holsatus post acceptas arrogati tituli & pecuniæ clades de Ducatu Holsatiæ dolori succumbens mortuus est d. 7. Jan. A. e. mercatores quidam Hamburgenses navi sua mercibus instructa urbe exierunt nautam suum Petrum Jansen extremum visuri & more nautarum ventum secundum adprecaturi. Ille ergo instructo convivio valedictorio advenientes excepturus prius ad visendam navim eos invitavit deinde cœnam cum ipsis sumturus. Sed navis hospites cum jubilo excipiens mox cum ejulatu reddidit. Considentes enim in conclavi nautæ, largiter se vino & cerevisia invitarunt, præfecto tormentorum ad singula pocula votivas machinas majores exonerante. Tormentis vero tertium ictum torquentibus, vi pulveris bombardici disrupta sunt, unde frusta in reliquum inferioris tabulati pulverem disjecta illum ardere fecerunt. Cujus cum maxima copia clam in navi absconsa esset (contra magistratus Hamburgensis interdictum publicum, quo pulvis bombardicus Hispano advehi vetabatur,) totam navim vi maxima sublatam disjecit, & in frusta comminuit, pereuntibus simul omnibus, qui in ea reperiebantur, ita ut ne unus quidem salvatus sit, qui causam vel modum cladis exponere posset. Qui vero ad oram Albis littus parvis navigiis legebant, e propinquo viderunt navim paulisper ex aqua sublatam in aërem tandem in frusta conquassatam fuisse. Personæ pereuntes fuerunt numero triginta septem, quas inter quinque sequioris sexus, etiam gravidæ, binæ autem virgines cum puella & una pedissequa fuerunt. Quorum corpora minutatim & in frusta disjecta postero die ex aqua, qua manus, qua pedes, qua digitos iterum collecta, quantum ejus haberi potuit, tumulata sunt. Accidit hoc insigne & lamentabile fatum 2. Julii ipso die visitationis Mariæ. A. e. Andreas Erbo Superintendens Truntheimiensis in Norwagia in comitiis Bergensibus, quibus ipse rex Daniæ interfuit mense Augusto, de gravibus contra Dei verbum & suum officium admissis delictis coram judicio accusatus honore Episcopes & officii sacerdoralis privatus est. A. e. Dux Johannes in Sonderburg, hæres Norwagiæ, Dux Slesvicensis Holsatiæque, Christiani III. regis Danorum filius, d. 8. Octob. in arce sua Luksburg pie & placide obiit anno ætatis suæ 77. Bis vero matrimonium contraxit & viginti tres hæredes genuit. Ex priori Conjuge Elizabetha, filia Ernesti Ducis Lunæburgensis & Grubenhagensis, ducta a. 1567. suscepit hos quatuordecim, Dorotheam, Christianum, Ernestum, Alexandrum, Augustum, Mariam, Johannem Adolphum, Annam, Sophiam, Elizabetham, Fridericum, Margaretham, Philippum & Albertum. Ex posteriore Agneta Hedwige, filia Ernesti Joachimi ab Anhalt suscepit hos novem; Eleonoram, Annam Sabinam, Johannem Georgium, Joachimum Ernestum, Dorotheam Sybillam, Dorotheam Mariam, Bernhardum, Eleonoram Sophiam, Agnetam Magdalenam. Erat autem posterior uxor Augusti septemviri Saxoniæ vidua. Corpus defuncti tumulatum est Sunderburgi d. 27. Nov. in insula Alsen præsentibus & concomitantibus Christiano IV. rege Daniæ, & Christiano V. regni electi principe; quos secuti sunt relicti filii & filiæ, qui tunc aderant, cum pluribus ex ordine nobilium, sacerdotum, civium & rusticorum. A. e. cum Spinola Hispanus Cæsareæ Maj. belli Dux & Comes Mansfeldius passim in Germania, nemine fere obstante pro lubitu grassarentur, etiam magis magisque septentrioni nostro appropinquarent, rex Daniæ inde monitus cum Duce Holsatiæ consilium iniit de arcendo finibus hoste; ambo igitur turmam equitum & peditum colligentes in defensionem Holsatiæ ad Albis limites constituerunt, qui inopinam hostis irruptionem arcerent.

Ern. Com. Schaumb. dolore extinctus.

funestus ex incensa navi casus.

Andr. Erbo Episc. Dronth. munere privatus.

Joh. D. obit.

ejus uxores & liberi.

exsequiæ.

Holsatia defensa contra Spinolæ & Com. Mansf. grassationes.

Anno 1623. in Norwagia d. 24. Martii ingens terræ motus ortus est in pago Obsloënsi & aliquibus inter Druntheimensem & Obsloënsem parœciam locis, cujus exemplum sub radicibus petrarum firmissimarum antea non fuit auditum. (58) A. e. Cajus Rantzovius Breidonis vicarii & senatoris regni Danici filius, hæreditarius in Ranzovisholm, vir peregrinationibus in Italia, Gallia, Hispania, Anglia, Germania & Belgio clarissimus, primum a rege arci Hafnienſi, deinde Calundburgo in Zeelandia præfectus, inque legationes ad exteros sæpissime cum fructu adhibitus moritur Calunburgi d. 5. Apr. ætat. 32. A. e. Dominica Palmarum d. 6. Apr. nobilissimum Norwagiæ emporium, quod fuit Bergæ, sub concione per incuriam cauponis cujusdam vinum adustum præparantis conflagravit & penitus parvo temporis spatio in cineres redactum est. A. e. novum gymnasium equestre pro nobilitate cumprimis Danica in Zelandia erectum est, cui præter Monasterii Sorani & Mariæboani (de quo supra) reditus etiam Burglamenses in Jutia proventus adsignati sunt, dato ephebis manuductore Justino Hoëgio, aulæ magistro, viro ad eruditionem & humanitatem facto, & e nobilitate Danica præcipuo, jam quoque regni senatore conspicuo, quem virum verum nobilitatis exemplar recte vocaveris. A. e. Frisia ab exercitu Mansfeldiano tantum non exhausta per Anthonium Guntherum Comitem Oldenburgicum liberatur. Tillius enim sumto per Oldenburgiam itine-

Ao. 1623. terræ motus in Norwegia.

Caj. Ranzov. moritur.

Berga Norv. conflagrat.

Frisia ab hostibus vindicata.

Conjunctio planet. Tychopolis aucta.

(58) Ao. 1623. conjunctio magna fuit Saturni & Jovis, malorum imminentium Cimbris atque Danis fatidica. *Fisch. in Dioptr. p. 6.* A. e. Tychopoleos illa pars, quæ est a meridie ab aggere Albiaco citra domum regiam ad portam protensa sub ductu Eggert Speerforkii vallo communitur. A. e. turris S. ædis Tychopolitanæ per artificem Johann Rungen exstructa est. Huic pro labore a consule Wichbold von Ancken & secretario Wulber Gobel die 13. Jun. solutæ sunt 600. marc. turris vero integra constitit pretio 2230. marcarum Lubec. 8. ass. 6. num. *Miss. Tychop.* A. e. regis Christiani IV. jussu per Marschiam rivuli ampliores facti sunt, ut per illos commode naviculis iter institui posset.

itinere vi militari nihil adverſus callidum ductorem effecerat. Ne vero viciniam omnem prædones pro more vaſtarent minis Danorum regis effectum eſt. A. e. Ferdinandus II. Cæſar jus & axioma Electorale Friderico Palatino ademtum in Maximilianum Bavarum transfert. A. e. die Lunæ poſt Trinitatis Hafniæ comitia celebrata ſunt publica, in quibus filii Ducis Johannis Sunderburgenſis, nempe Chriſtianus, Alexander, Johannes Adolphus, Philippus, Fridericus & Joachimus Erneſtus legatis miſſis feudum Sleſwicenſe, quatenus ad ſe hæreditate pertinebat, a regia Maj. quæſiverunt, & ſolemni ritu, præeunte juramento in arce Hafnienſi, præſentibus regni ſenatoribus obtinuerunt. Legati autem fuerunt nobiliſſimus Joachimus Witzloff & Chriſtianus Petersdorff. A. e. poſt obitum Philippi Sigismundi, Epiſcopi Osnabruggenſis & Verdenſis, Ducis Brunſwicenſis & Lunæburgi, celſiſſimus & illuſtriſſimus princeps Dn. Fridericus Dux Sleſwigi & Holſatiæ, hæres Norwagiæ &c. coadjutor archiepiſcopatus Bremenſis, præpoſitus Halberſtadienſis &c. unanimiter per ſcrutinium electus & cum applauſu omnium ſtatuum introductus eſt. Quem in finem rex Daniæ filio adjunxit hos legatos, Gerhardum Ranzovium Dominum in Bredenberg, Henricum Ranzovium Dominum in Schmol, Chriſtianum Thomæum, Chriſtiani V. aulæ magiſtrum, & Martinum a Meden conſiliarium regium. Quæ introductio reverendiſſimi principis feliciter peracta eſt die 5. & 9. Junii. A. e. in Norwagia prope præfecturam Sandvertam Chriſtiano IV. regi Danorum repertæ ſunt argenti venæ puriſſimi. A. e. in æſtate & autumno annonæ caritas magis ingraveſcere cœpit ad oram Nordalbingiæ & mare Balthicum, quæ inde orta putatur, quod Hollandi ſtudioſe omne frumentum coëmerint, & Turcis ſibi confœderatis advexerint. A. e. peſtis vehementiſſime ſæviit in Suecia. A. e. cum jam longo temporis ſpatio bellum inter Cæſar. Maj. & Fridericum Palatinum continuatum eſſet, tandem Bruxellis compoſitio facta eſt inter ſerenisſimam Infantem nomine Cæſaris & regem magnæ Britanniæ nomine Palatini, quæ 1. Maji Bruxellis vulgata eſt.

Palatini jus & tit. in Bav. transferuntur.
feudum Sleſvic. ſuſceptum.
D. Frider. Holſ. epiſc. Osnabr. & Verd. fit.
argenti venæ in Norweg.
annonæ caritas.
peſtis in Suec.
Pax Cæſ. cum Frid. Palat.

Anno 1624. in Saxonia inferiori paſſim viſæ ſunt aquæ cruore congelatæ in ſtagnis. A. e. Comes Johannes Tillius validis Haſſiam copiis inſedit invito Mauritio, at ordinibus, quia obniti minus tutum videbatur, hiberna indulgentibus. Ex ejus exercitu Ritbergicus cumque eo Anhaldinus Baro Schawenburgicam infeſtabant ditionem Huxarienſem cis Viſurgim arcem plane diripientes. Ita Viſurgis fluvii ripa annonæ & pecuniarum exactione fatigabatur. An. eod. in parœcia Dithmarſorum Marnenſi trabes in ædibus paſtoris ſanguinis guttas deſtillarunt. In aliis parœciis panes in ſanguinem congelatum converſi ſunt. (58*) Maximilianus Bavariæ Dux pulſo Friderico Palatino in collegium electorum receptus de more juramentum præſtat. A. e. conventus ordinum Anglicorum ſolemnis in Anglia celebratur. Rex item Angliæ ſuam de religione ſententiam cordate explicat. A. e. Chriſtianus Dux Brunſwicenſis exercitus ſui reliquias exauctorans Mansfeldiumque deſerens migravit in Daniam. Quo etiam tempore Cæſar Ferdinandus miſſo Antonio Gunthero Oldenburgico fidam Daniæ regi pacem, & ſincerationes multas pollicebatur. In Dania viſæ ſunt in arboribus naſci terræ fruges magna copia. In parœca Marnenſi ancilla quædam imprægnata appropinquante partu infantem occidit, ſed capta & judicio condemnata, capitis ſupplicio factum luit. A. e. cum querimonia e Saxonia de exercitu Cæſariano increbeſcerunt, proximi incendium parietis ad regem quoque Daniæ pervenit. Præfecturam enim Sicanam rex oppigneratam ſibi tenebat, quam Erwittus Bavarici exercitus tribunus præſidio impoſito exhauriebat. Unde rex legatis miſſis Cæſarem ſollicitat, ut importunis præſidiis fines Saxonicos levet. Cui reſpondetur Bavari eſſe electoris copias, qui ob metuendam e Saxonia vim exauctorare milites nequeat; verumtamen locis regi ſubjectis eſſe demigraturos. Mittuntur proinde, qui id Comiti Tillio regis nomine denuncient; ſed inſolentius excepti reſponſum a centurionibus ferunt, haud volare in aëre milites poſſe, locum iis interea eſſe dandum. Quod teli inſtar regium perculit pectus, qui eodem tempore invitatus a regibus agnatis, Britanno, Gallo, Sueco, Belgis, de communi regnorum aſſerenda ſalute haud ſibi inſuper habendum vicinæ periculum duxit, cumprimis de ferendo auxilio obnixe & ſæpe rogatus. A. e. comitia Polonica ſcribuntur propter negotium Suecicum, Suecus autem cum Polono inducias facit. A. e. Johannes Georgius Marchio Brandenburgenſis in Ungaria obiit menſe Majo. A. e. D. Henricus Eckhardus Superintendens Altenburgicus obit d. 24. Febr.

portenta.
Maximil. D. Bav. electior coopratus.
Parlam. Angl.
Chriſt. D. Brunſw. in Daniam abit.
Cæſar Regi Dan. pacem & alia pollicetur.
infanticidium in Dithmarſ.
Bavar. copiæ Regis Dan. terris moleſtæ.
Ao. 1624.
Haſſia & Schaumburgia a copiis Cæſ. infeſtatæ.
inducie Suec. cum Polonis.
Jo. Georg. marchio obit.
it. Henr. Eckhardi Sup. Altenb.

Anno 1625. nauta quidam Crempenſis noctu in navi ſe concludens ſomno opprimitur, ignemque accenſum non caute ſatis aſſervans una cum navi incendio exſtinguitur. A. e. rex Sueciæ Livoniæ reſidua occupans novum in Pruſſia bellum movet. A. e. Nortberti Archiepiſcopi oſſa Magdeburgo Pragam cum ſummo Pontificiorum tripudio devehuntur. A. e. d. 5. Jan. Lipſiæ obiit juvenis gene-

Ao. 1625 navis Cremp. incenſa.
Suecorum in Pruſſia bellum.
Nortberti Archiep. oſſa Pragam tranſlata.

(58*) Ao. 1624. rex Chriſtianus IV. turrim templi Tychopolitani duabus campanis ex munificentia regia ornavit atque inſtruxit. A. e. Huſumi planta quædam terræ reperta manus referens figuram, cujus 3. in medietate digiti ſciſſura ſua Latinorum W quaſi ob oculos ſiterunt. *Fiſch. in Diopt. p. 6.*

de Weſtphalen Monum. ined. Rer. Germ.

Henr. Ranzovius juv. Lipsiæ obit.

generosæ indolis Henricus Ranzovius Marquardi p. m. hæreditarii in Sachstorf & Hasselburg filius. Funus solemni pompa patrum academicorum inde ad portam deductum & ab adjunctis exequiarum curatoribus in Holsatiam translatum, deinde in Latkenburg sepositum est. (59)

tempestas & inundatio.

A. e. mensis Februarius circa Bacchanalia diversis & quidem ingentibus in mari subortis tempestatibus admodum funestus fuit Holsatiæ oris. Inundationes enim factæ non tantum aggeres pluribus in locis supergressæ sunt, sed & prope Gluckstadium, item in parœcia Brunsbuttelensi eosdem diruperunt & accolis inæstimabile damnum dederunt. Idem accidit in Pomerania & Dania, multis quoque in portu Stralesundensi ut & Lubecensi & Hamburgensi navibus partim conquassatis, partim ventorum vi disjectis ac penitus submersis, Hamburgi etiam in templo D. Catharinæ aqua stagnante. Eadem tempestate horrendis & inauditis excitatis ventis in Dania & Holsatia non arbores modo innumeræ, sed & turres ædificiaque sacra & profana, item molæ frumentariæ fœde prosternebantur.

fœdus principum Sax. inf. adversus vim hostis vicini.

A. e. desinente Martio Lawenburgi conveniunt Saxoniæ inferioris principes, rex Daniæ, ut Dux Holsatiæ, Administrator Magdeburgensis, præsul Bremensis, Dux Brunswicensis, Megalopolitani, Dux Holsatiæ decernentes augere copias ad circuli Saxonici defensionem, ne quid Saxonia detrimenti ab insidente fines hoste capiat. Imperator ejus militiæ rex Daniæ Lunæburgi ac deinde Brunopoli constituitur unanimi reliquorum consensu.

Breda urbs dedita. academica. Evangelici ministri Austria sup. pulsi. Abr. Scultetus obit.

A. e. obiit vir reverendus & clarissimus Samuel Rosæbomius pastor Elmshornensis poeta melisseus elegantissimus & tersissimus. A. e. Breda urbs diuturna fatigata obsidione deditionem facit. A. e. academia Gissena suspenditur, Marpurgensis restauratur. A. e. ministri Augustanæ confessionis e superiori Austria ejiciuntur mense Sept. A. e. Abrahamus Scultetus Calvinianus, Friderici Palatini concionator castrensis Heidelberga a Pontificiis pulsus obiit Emdæ, Johannes item Piscator Herbornæ.

In Mauritium princ. mortuum anagramma.

A. e. Mauritius Arausian. Princeps moritur d. 23. Apr. cui per me hoc anagramma positum:

MAVRICIVS — MVRIS CAVI
Dum vixi, cavi usque tuis Batavia muris;
Queis nunc qui recte caverit, alter erit.

Christ. IV. R. Dan. dux gen. Sax. inf. securitati suorum prospiciens bellum

A. e. 14. Maji Christianus IV. rex Daniæ, postquam paulo ante inferioris Saxoniæ circuli generalis Dux electus fuerat, causas præparationis bellicæ Cæsari per literas indicavit, tametsi sine cujusquam læsione exercitum conscripserat, nihilque se adversus Cæsarem moliri, sed Saxonicam tantum libertatem defendere ostenderet.

parat.

A. e. Ferdinandus Cæsar pactus cum Turca inducias duodecennales Johannem Tillium, & Albertum Fridlandum duces exercitibus instructissimos Saxoniam jussit inferiorem invadere.

Cæs. copiæ in Saxon. inf. missæ, quibus occurrit R. Dan.

Rex Daniæ eis obvians exercitum instructissimum ad 24. armatorum millia prope Visurgim produxit. Usque ad mensem Julium nihil utrinque tentatum est hostile.

Jubilæum Pontif. & violentia in Lutheranos.

A. e. Papa Urbanus Jubilæum Romæ publicat confirmans militiam novam, quam anno XIX. hujus seculi Viennæ inchoaverat, imponensque ei CONCEPTIONIS MARIAE titulum.

Impii Hugonottis in Gallia subornati libri.

Interea in Austria, Bohemia, Moravia aliisque locis nihil non operæ cremandis libris, disturbandis sacris, exagitandis & pellendis renati Evangelii confessoribus impensum fuit. A. e. subornati sunt in Gallia scriptores, qui sub nomine Hugonottorum libros de occidendo rege recuperandaque libertate extruderent in publicum. Sed deprehensa fraude justas innocentibus pœnas dederunt.

Hoexteram a Tillio occupata. Regis Dan. vita periculum ex lapsu equi præcipiti.

A. e. d. 18. Julii Tillius Hoexteram propugnaculum ad Holtsmundam ad Visurgim intercepit. Daniæ autem rex vallum urbis Hamelæ & stationes ibidem dispositas perlustrans equo fragore bombardæ perterrito deque vallo inimum usque præcipitato & cervices confringente vehementer læsus in gravissimum vitæ periculum incidit, Dei tamen auxilio & diligenti medicorum ope pristinæ valetudini restitutus est.

Hamelam & Mindam Tillius occupat. Cæsareanorum violentia.

Hic cum inde discederet, exercitumque suum in episcopatum Verdensem abduceret, Tillius Hamelam & Mindam occupavit, Cæsareumque iis præsidium imposuit. Cæsarianis interea aliis, direptionibus crebris agrum Brunswicensem infestantibus, verbi ministros quibusdam in locis manibus pedibusque, nonnullos etiam naribus, auribusque mutilantibus & feminarum mammillas resecantibus.

Stolzenavia capta. Clades Cæsarean.

A. e. mense Augusto Tillius Stolzenaviam intercepit, qui cum Nienburgum peteret 24. Aug. fortiter repressus est, triduoque post habito cum Danicis conflictu circiter duo millia suorum in eo amisit, idem quoque illi obtigit XI. Septembris, ubi Nienburgenses facta eruptione centum ex Cæsarianis in fossis oppressérunt ac trucidarunt. Ubi tum rex Daniæ ditionem Lunæburgensem per aliquot dies militi suo diripiendam dedit. Tillius autem in obsidione Nienburgensi pergens arcem Wolpensem vi occupavit castris suis Petershagen & Mindam usque transfusis, ut eo melius annonæ in castra Danica vehendæ commoditatem præriperet, obsessis interim strenue se defendentibus & multos etiam ipsis in fossis necantibus.

Mansfeldius in Sax. pene-

A. e. enata inter Anglum

---

ostentum.

(59) Anno 1625. mense Jul. Buseni Dithmarsorum naves quædam bellicæ in acre conspectæ sunt, tormentis suis quasi quoddam fortalitium petentes. *Fisch. in Diopt. p. 6.* A. e. mense Febr. & Mart. inundatione aquarum Tychopolis & universa paludosa ista regio, quæ dicitur Wilteniise cum aliis locis graviter afflicta est. A. e. Cremensis Marschiæ noviter in illa Tychopoleos parte, quæ est ad Albis aquas evectam vallem mandato regio, aggere munitorio & protectorio, quem *Kaidieck* vocitant, cinxerunt. Sed violentiæ aquarum impar mox disruptus est, & damnum 20000. fere thalerorum eo impensorum Marsicis istis incolis inde conciliatum fuit.

trat. Regi Dan. Dux Brunſv. ſubvenit.

Anglum & Hiſpanum diſcordia ob negatam Palatini reſtitutionem, Mansfeldius iterum firmas conglobavit copias, cum inter Anglum, Gallum, & Batavos hactenus Mercurii inſtar commeaſſet, quas tandem, etſi maxima ſui parte diminutas, in Saxoniam penetravit & Lawenburgi ad Albim ſtativa fixit, cum paulo ante Chriſtianus quoque, Dux Brunſwicenſis, caſtra regia inſigni ſtipatus equitatu intraſſet.

Ao. 1626. Sueci feliciter in Pruſſia bellantur.

Ao. 1626. Suecus feliciter belligerat in Pruſſia potitus oppidis & victoriis plurimis. (60)

Ludov. Landgr. obit.

A. e. Ludovicus Landgravius obiit Darmſtadii 28. Jul. ſuccedit filius natu major Georgius.

Jeſuitarum novus ordo Vienn.

A. e. novus ordo ſororum e ſocietate Jeſu Viennæ inſtitutus eſt.

ruſtici in Auſtr. ſup. rebellantes.

A. e. ruſtici ſuperioris Auſtriæ propter militum petulantiam ad arma provolant menſe Junio; ſedantur autem menſe Septembri.

Tillius Magdeb. terras obruit. Hinc de pace agitur, ſed fruſtra.

A. e. Dux Fridlandus in Magdeburgicam irruens diœceſin, mox quoque Halam Saxonum occupans, militem in Halberſtadienſes infudit terras nemine fere obluctante. Iccirco, ne tanti belli incendium latius vagaretur, interventu Saxonis & Brandenburgici Electoris cœptum eſt Brunſwigæ menſe Octobri de pace agi. Poſt quadrimeſtres diſceptationes, etſi utrinque certis legibus dimitti placeret copias, tamen cum Minda & Huxaria cedere nollet Tillius, Saxonicique ordines acquiſiti juris ſui in eccleſiaſticis præſertim ditionibus confirmationem urgerent, eamque Fridlandius & Tillius præſtare ſe haud poſſe dicerent, infecta pace diſceſſum bellumque majori exinde & conatu & clade geſtum eſt.

Chriſt. D. Brunſv. Cæſarianos, Lubecenſes Mansfeldium reprimunt.

A. e. Chriſtianus Dux Brunſwicenſis, fortem ſe hoſtium patriæ vindicem præbuit, obruta eorum in pago Saldeno legione, itemque Oterslebiæ octingentis Fridlandicis. Mansfeldius quoq; Lubecenſium incumbens pagis rapinis & pecuniarum exactionibus eos preſſit, ſed eruptione civium mulctatus eſt cæſis aliquot ejus equitibus, reliquis exutis præda.

Jacobus VI. R. Angl. e vita diſcedit.

A. e. Jacobus VI. rex Anglorum tertiana febri exhauſtus vitam clauſit, auctor fœderis inter ſe Gallumque & Danum reges: princeps eruditiſſimus & litterarum monumentis præclarus: Cui ſucceſſit Carolus filius.

Suecorum in Livonia progreſſus.

A. e. Suecus in Livonia Coppenhuſam, Ronneburgum, Birſam, Derbatum & alia Polonicæ fidei oppida occupat.

Mansfeldius a Cæſar. in Sax. ſup. cæditur.

A. e. Mansfeldius, cum paulo ante exercitum in ſuperiorem Saxoniam duxiſſet & Serveſtam Saxonici partibus adjunxiſſet, 15. Apr. impetum fecit in munitionem Fridlandicam prope pontem Deſſavienſem. Sed cum impar Cæſariano exercitui eſſet milite, cæſis ſuorum plurimis in fugam conjectus eſt, deſideratis militum ultra mille quingentis vexillisque triginta captis: Ipſe Ductor Brandeburgum ſe recepit. Chriſtianus quoque Brunſwicenſis in Grubenhagienſem irrupit principatum abſente jam Georgio Lunæburgico ejus poſſeſſore provinciæ impoſitoque locis præſidio, legiones in Haſſia Georgianas disjecit.

Ferdin. Imp. & Chriſt. R. Dan. mutuæ ſubditorum adverſariis militantium proſcriptiones.

A. e. Ferdinandus imperator miſſo feciali diplomata profert Magdeburgi, quibus omnes Romani imperii ſubditos annunciata proſcriptionis pœna caſtris Danicis jubet excedere. Similiter rex Daniæ agit cum illis, qui e ſuis ſubditis caſtra ſequebantur Cæſariana.

Chriſtiani D. Br. mors veneno ſuſpecta.

Chriſtianus Brunſwicenſis 6. Junii Wolferbyti mortem oppetit non ſine veneni ſuſpicione, quem mox in Julio ſecuta eſt mater Elizabetha.

Vordam Dani occupant.

A. e. Fridericus Bremenſium Archiepiſcopus deprehenſus hoſtibus regis Danorum cupientior, Vorda arce per Johannem Henricum Drengenbergium regium Capitaneum ſolertiſſime privatur, rege mox arci imponente præſidium.

R. Dan. cum Tillio congreſſus.

A. e. rex Daniæ contrahens in unum copias, Gottingam obſidione preſſit, cui Tillius adunatis itidem viribus obviam proceſſit, qui dedita ſibi Gottinga Northeimi vim regiam ſuſtinere impar fuit, relictaque ingenti cum jactura urbe inſtauravit copias.

pugna Lotterenſis & quæ eam ſecuta.

A. e. rex Daniæ cum Tillio d. 27. Aug. congreſſus initio prælii faventem habuit fortunam, Tillio plus ſexcentis cæſis & vexillis aliquot ademtis. Inſiſtens autem cedentibus, & apud Lotteram opportunum defenſioni locum capiens ſtativa figere, quamvis a ſuis rogatus, renuit. Iccirco impreſſione in Tillianos facta, quamvis ad tormenta penetratum jam fuerat Tilliana, attamen equitibus regiis pugnam detrectantibus, (61) Tillioque pedites inedia laſſos invadente & Lunæburgicis copiis ſublevato, exercitus regis Daniæ magna clade affectus eſt, turmis pedeſtribus internecione fere deletis, equitatu autem fere diſſipato. Reperti, qui occubuerant, ut ferunt, mille ducenti; inter quos fuerunt Philippus Haſſiæ Landgravius, Mauritii filius, & Johannes Philippus Fuchſius, militum regiorum dux celeberrimus, multi inſuper præfecti cum Sigwardo Pogwiſchio nobili Holſato; vexilla capta viginti octo, inter quæ ſex equeſtria & viginti duo tormenta bellica numerantur. Frencus aliique ductores ordinum Lotteræ ad deditionem compulſi ſunt, caprique milites ad mille octingentos. Par fere numerus cæſorum e Tillianis fuit, ſolo Pin-

(60) Anno 1626. Hinc inde in Ducatibus Sleſwicenſi & Holſatico exercitus bellici obſervati ſunt in aere & tanto conjuncti ſuſurro, quaſi tormenta exploderentur. *Fiſch. in Diopt. p. 6.*

(61) Duce Georgio Lunæburgenſi principe, qui poſtquam hujus rei cauſa Hamelii cum rege Chriſtiano IV. in magna contentione fuerat, mox ad Cæſarem defecit de quo vide Hoyers *Dännem. Geſchichte* p. 318. ubi & monetæ hac occaſione cuſæ mentio fit, quam vid. in Jacobæi Muſeo reg. Dan. P. I. in Tab. XXIII. No. 25. addita explicatione hujus monetæ p. 83. Ubi & hoc notatu dignum, poſuiſſe tum regem Chriſtianum IV. hujus rei monumentum etiam Glukſtadii in medio areæ arcis, nempe ſtatuam æream, in qua leo equum ad ſanguinem usque mordens videtur eodem plane conſpectu, quo in moneta apparet. Petitis vero Sophiæ Amaliæ conjugis annuens rex Fridericus III. ſtatuam hanc Glukſtadio Hafniam tranſportari curavit, ubi adhuc in horto regio (*Roſen-Garten* dicto) conſpicitur.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

thorio ſuæ legionis quindecim centuriones deſiderante. Rex magnanimus ad extremum ſua manu pugnans vix exorari ſe paſſus eſt, ut periculo ſe ſubduceret, qui præſenti Dei numine defenſus Wolferbytum ſeſe eadem veſpera recepit ibique in tuto conſtitit. Biduo poſt Dux Brunſwicenſis Saxonicæ renunciat ſocietati, totamque Brunſwicenſem ditionem Cæſaris ſubmittit obſequio. Tillius regium exercitum perſequens Wolferbytum adoriri non eſt auſus, expiſcatus regem inſtaurare vires, itaque Rotenburgum Friderici Ducis regii filii, ut Verdani præſulis, ſedem aliaque ejus loci oppida deditione occupat. Rex Wolferbyto impoſito præſidio (ſub directione Marquardi de Pentz, equitis aurati, cujus fidelitati, experientiæ & ſtrenuitati rex multum tribuebat, qui ibidem anno ſubſequenti 18. Januarii eodem die, quo Gerardus Ranzovius Kiloniæ obiit, Wolferbyti exſtinctus, cui ſucceſſit Philippus Reinhardus Comes Solmenſis) prope Lauenburgum & Blekedam exercitus recolligit reliquias, ſtrato pontibus Albi utriusque ripæ potens & mox a copiis aliquanto firmior Tillianos ad Verdam perſequens. Cui Chriſtianus V. regni Danici princeps armata manu ſuccurrens feliciter cum patre belligeravit, arce Hoienſi iterum expugnata & deditione capta, niſi quod rex Daniæ in altero brachio bombardæ ictu parum læſus fuerit, a quo mox ſanitati reſtitutus eſt. A. e. ſub initium Septembris Erneſtus Mansfeldius cum manu ſua a clade Desſavienſi recollecta, cui Johannes Erneſtius Dux Saxoniæ Vinarienſis a Daniæ rege cum copiis adjunctus Sileſiam ingreſſus, Carnoviam ſive Jegerndorfium, Ratiboriam, Oppaviam, Teſchinium & plurima alia Moraviam verſus ſita oppida intercepit præſidiisque firmavit.

Ern. Mansfeldius adjuncto Duce Vinar. Sileſiam tuetur.

Ao. 1627. Danicæ copiæ Coſelli larga præda potiuntur.

Anno 1627. menſe Martio Danicæ copiæ oportunos Ungariam & Poloniam verſus in Sileſia tranſitus occupantes Coſellum ad Oderam ſitum ductu Joachimi Carpizovii in ſuam poteſtatem redegerunt, lautiſſima ibi præda potiti, ſupellectile nimirum argentea, quæ plus quam 70000. æſtimata fuit imperialibus. (62) A. e. Mansfeldio Moraviæ incumbente Dux Fridlandus a Cæſare retrahitur, qui eo miſſus apud Neutram a Turcis repellitur, ambiguisque ſæpiſſime cum Mansfeldianis decertat præliis. Non multo poſt Mansfeldius traditis Vinarienſi copiis Venetias procurrere inſtituit aſſumens ſuorum expeditiſſimos, ſed in itinere venenum propinatum hauriens in Bosnia corripitur dyſenteriæ malo & vitam exinde finit. Vinarienſis quoque Hohenwaldæ potitus & Gabeluncæ, dum per Ungariam multa molitur, Bethlemi Gaboris ingemiſcens vanis promisſis, ſubito abſumitur vitam claudens anno ætatis 32. A. e. Auſtria ſuperior novis agreſtium turbis mota arſit, qui ob tyrannidem Bavarici præſidis aut Jeſuitam aut carnificem eligere jubentis conglobati totam fere illam ſupra Oenum in ſuam redegere poteſtatem, deinde Linzium. Quam tamen etiam urbem obſederunt frenato catenis Danubio, ne quid annonæ obſeſſis importaretur. Sed Dux Bavarus nihilomnius perrumpens commeatu ſuos & milite ſupplevit multosque ruſticorum in fugam conjecit, unde reliqui permoti ad obſequium Cæſaris rediere. Mox vero iterum ſuorum ſuppliciis atrocibus exacerbati domumque incendiis, quæ Ducis Holſati legio excitaverat, ſummo mane congregati eam invadunt, & ad caſtra ſua pertractam diſſipant, cæſis ultra quatuor millibus. Lindlous & Hubnerus Duces Bavarici interierunt; Lobelius & Breunerus ferratis clavis ad pugnam affabre factis dedolati manu dictorum agreſtium plus duo millia ſuorum deſiderarunt. Mox autem Pappenheimio ſuperveniente & octo armatorum millia in eos ductante pœnas exſolverunt motæ ſeditionis. A. e. Guelforum arx Wolferbytum rege ad Nordalbingiam occupato Cæſarianis deditur. A. e. Ferdinandus III. Cæſaris filius coronatur in regem Bohemiæ Pragæ. A. e. nuptiæ Georgii Landgravii cum Sophia Eleonora Johannis Georgii Electoris Saxoniæ filia Torgæ 1. Apr. celebrantur. A. e. obiit Balthaſar Menzerus theol. D. Marpurg. item Fridericus Balduinus Profeſſ. & Superint. Witenb. quos mox ſequenti anno ſecuti Vincentius Schmuccius Superint. Lipſ. & Wolfgangus Franzius Profeſſor Witebergenſis, Jacobus item Reihing profeſſor Tubingenſis, qui anno præcedente 21. Pontificiam idolomaniam relinquens, orthodoxam Evangelicam amplexus erat. Præceſſerunt hos ſuperiori anno Balthaſar Meiſnerus Profeſſor Witebergenſis & Johannes Winckelmannus Gieſſenſis. A. e. bellum inter Galliæ & Angliæ regem ortum eſt, deprædantibus Anglis Gallorum naves Hiſpano advehentes commeatum, Gallis iterum Anglorum merces detinentibus. Hæc diſcordia maximo impedimento fuit, quo minus regi Daniæ ex fœdere aurum proveniret, debente jam Anglia anno 28. tres milliones, Gallia duas. A. e. rex Daniæ animi invictus collectis iterum ſex peditum & quatuor equitum millibus ſuccincto pluribus legionibus hoſti de novo obnititur, ſtru-

Fridlandus a Turcis itemque Mansfeldio cæſus.

Mansfeldius Venetias tendens occumbit.

mox & Vi-

nar. D.

ruſtici Auſtr. ſuſp. iterum tumultuantes Bavaros & Holſaticam legionem premunt.

tandem repreſſi duce Pappenbemio. Wolferbytum Cæſarianis cedit.

Viri docti vita functi.

Ex bello inter Gallos & Anglos aurum ſubſidiarium Danis intercidit.

R. Dan. cum Tillianis certamen.

(62) Anno 1627. præſidium numeroſiſſimum a rege Daniæ ex Anglis, Scotis ac Hybernis conſtans, cum Duce eorum Morgaſtadæ relictum eſt, quod oppidum paulo poſt Dux Tilli cum milite Cæſareo obſidione premens, anno ſequente, poſtquam variis violentis incurſionibus afflixerat d. 27. Aprilis intercedente invicem certa conventione occupavit. A. e. d. 16. Febr. Newenfeldæ in Dithmarſia tres ſoles a quibusdam conſpecti ſunt in cœlis cum iride præternaturali requiſitis ordinariis deſtituta. *Fiſch. Diopt. p.* 7. A. e. die Laurentii prælio cum Cæſarianis commiſſo, regis Daniæ exercitus prope Lutteram fugatus, & perdite afflictus eſt, diſperſis ad 3000. millia prope Tychopolin rurſus deinceps collectis. Irruptio militis Cæſarei hoc anno in Holſatiam facta, in cauſa fuit, quod plurimi incolarum fugam capeſſerent, & dum domus eorum Vulcano traderentur, Hamburgi usque ad annum 1630. latuerint.

Cæſ. militum in Holſatiam irruptio.

ſtructisque ad Viſurgim & Albim munitionibus commeatu Tillianos intercludit, nitentesque vallum expugnare, crebris repellit cladibus. Mox quoque conventum ſubditorum Rendesburgi agit, qui proxeneta cum primis Gerhardo Ranzovio continuando bello omnes vires offerunt, Dania ſe interea de ferendis ſumtibus excuſante. Mittitur tamen Chriſtianus Thomæus in Belgium & Galliam vir inſignis & Daniæ ſenator præcipuus a fœderatis regi ſuo quærens ſubſidium. A. e. Georgio Lunæburgio copias ſuas in Marchiam ductante & vi Brandenburgum capiente Slammerſtorfius regi Danorum militans ei adverſaturus templum Dominicum Havelbergæ occupat & pro caſtris munit; unde ad quatuor millia Cæſarianorum internecioni data ferebantur. Marchiæ Durlacenſis, qui hactenus Sabaudum ſecutus fuerat, regia quoque intrat caſtra, item Turrenſis ſenior a Veneris honorifice dimiſſus. Quos, licet Cæſari inviſos, rex ſibi adſciſcit magni æſtimatos. Mox Lunæburgica ditio rapinis & incendiis militum a rege data exhauſtaque eſt. Gerhardus Ranzovius produx Cimbriæ Henrici p. m. filius Dominus in Bredenberg & præfectus Haterslebienſis, vir ſtrenuæ & invictæ pro patria induſtriæ dum regi Danorum in acquirendis ſubditorum ſuppetiis fidam navat operam, moritur Chilonii d. 18. Jan. tumulatus d. 13. Martii, cui rex ipſe meritorum adſpectu exequias ivit, poſtquam ætatis annum 69. attigiſſet. Reliquit poſt ſe filium unicum Chriſtianum juvenem generoſæ indolis & præclaræ ſpei. A. e ingens annonæ caritas fuit in caſtris Tillianis exercitu Danico Albim, Viſurgim & Havelam flumina occupante. Unde Comes Tillius aperiendum quovis modo iter ratus verſus Albim movet, Stolzenavia & Wolpa, quamvis ſtrenue & diu reſtiterant, ad deditionem redactis. Explorata etiam regis abſentia, qui Rendesburgi comitia habebat, cum videret regios commiſſa loca aut timide aut facile deſerere, transmittendi Albim conſilia capeſſit. Cognita igitur excubitorum ad fluvium dictum paucitate antelucanis horis manipulum militum rate quam occultiſſime transportat, dumque nemo ſe moveret, addit & alterum manipulum. Eo excitati vigiles auxilium Axelii Ahrenfeldii implorantes & nihil ejus impetrantes conſpectaque hoſtis multitudine perterrefacti arripiunt fugam, terroreque complent Beuzenburgum, cujus in vicinia prætorianæ cohortes erant. Extemplo regii in prædas vertuntur, relicto abunde ſpatio Tillianis univerſas traducendi legiones. Caſtrum Beuzenburgo adverſum, cum nihil adverſus tantam vim poſſet, Tillianis cum oppido ceſſit, miſere ſpoliatum & direptum a militibus. Ita in univerſam cis Albim Germaniam irrupit duorum exercituum multitudo, Tilliani nempe & Fridlandici. Mox in Holſatia & Dithmarſia ſubditi collecti irrumpenti hoſti obviam mittuntur prope Hamburgum in Comitatu Schwarzenburgico caſtra pro tempore metantes & hoſtem expectantes; quo interea

conventus Rensb. de ſubſidiis.

Cæſar. ductura.

Luneb. ditio ſpoliata.

Gerh. Ranzov. obit.

Dani a Tillio inopinato obruti rege abſente fugiunt.

temporis vires inedia exhauſtas ex commeatu Hamburgo affatim advecto recolligente. In Holſatia ſententiarum divortium ortum eſt inter regem ejusque ſororis filium Fridericum Ducem Holſatiæ. Dux enim copias Tillianas transportatas cognoſcens pacemque cum hoſte paciſcens a rege ſeceſſum fecit. Quem inſecutus mox eſt nobilitatis & aliorum ordinum tepor cum bonis ſuis quantocyus tuta quærentium aſyla. Deficiente itaque Ducum copia, qui confertim conglobatos incolas in hoſtem ducerent appropinquante hoſte dilapſi ſunt ſinguli, ad ſua redeuntes. Itaque tota Holſatia cum Jutia & adjacentibus Ducatibus prædonum multitudini ceſſit, id unice dolentibus incolis, quod præda Harpyis Cæſarianis fierent, antequam arma capeſſerent. Facta eſt hæc irruptio & transportatio exercitus Cæſariani d. 30. Julii, qui erat dies Lunæ poſt evangelium Dominicale, ubi de excidio Hieroſolymitano agitur, populo ad eum usque diem ſecuritati dedito, & luxu diffluente. A. e. Dux Fridlandus Saganum principatum a Cæſare pactus copias ſuas auxit & regiis in Sileſia belligerantibus obviam proceſſit. Qui a Bethlemo Gabore nihil accipientes ſubſidii ſuſtentationis nihil habuerunt, præterquam quod ferro pararetur, negante Gallia & Anglia promiſſam Bethlemo pecuniam. Itaque Mitzlavio ſuum militem ab officio avertente Marquardus Ranzovius ſuppetiis deſperans, cum Cæſarianos diu attriviſſet, Troppaviam honeſtis conditionibus, Joachimus autem Carpezanus Coſelum tradidit. A. e. Ranzovius Baudiſio & Holkio junctus in Marchiam abit Durlaceno ſe aggregaturus: ſed eos Comes Merodius & Bechmannus Bernſteini aſſequuntur inſtructi 7000. militibus. Prælio igitur inito ad regios inclinat victoria. Sed cum Poloni pedites & Croatæ in auxilium Cæſarianis properarent verſus eſt in fugam Baudiſius, Bechmannus libertatem aliis ſua morte comparavit. Audiens ergo Tillianos Albim ſuperaſſe ſeptemvirumque Brandeburgenſem imperare abitum regiis in ditionem Megalopolitanam movit Durlacenus. A. e. præfecti exercitus Cæſariani Tillius & Fridlandus, poſtquam ab Hamburgenſibus liberaliter habitis famelicum militem ſaturaſſent maximo cum Hamburgenſium lucro, ad Pinnebergam proceſſerunt præcipuum Comitatus Schawenburgici in Holſatia munimentum. Quod cum aliquot diebus vim utriusque exercitus ſuſtinuiſſet, tandem re tormentaria deficiente hoſti ceſſit. Tillius autem arci acrius imminens a Johanne Henrico Drengenburgio in crure lethaliter tormento ictus eſt. Quo audito Hamburgenſes quantocyus inſtructa eſſeda in urbem ipſum advehere ſtuduerunt Doctorum ſuorum curæ ſubmiſſuri. Sed Tillio honorem detrectante Doctores ſuos ipſi e civitate obviam miſerunt: ipſum quoque belli Ducem enſe pretioſis lapidibus affabre præparato donarunt, qui tamen contemtim ab eodem dicitur habitus. A. e. Bredenberga Chriſtiani Ranzovii Gerhardi filii arx nuper a defuncto patre

Cæſaris copiæ Holſatiam invadunt diſſidentibus rege & duce cum nobilitate.

Ducis Fridl. in Sileſia progreſſus.

Concertationes in Brandenb.

Schaumburgia exhauſta Pinneberga occupata a Cæſarianis.

Bredenberga poſt obſidionem 14. dier.

capta præsidiaria miſere trucidatis duce Fridlandio.

patre hoſtis adventum timente munitior facta, a prætereunte Cæſaris exercitu obſidione cincta eſt. Qua quatuordecim diebus durante, miles Cæſarius valde attritus eſt, obſeſſis ſe ad extremum defendentibus, obſidentium autem circiter quatuor millibus pereuntibus. Tandem, ultima impreſſione a Fridlando facta vi occupata eſt. Præfectus autem arcis Schuyt ad extremum tormenta ad ingreſſum hoſtis dirigens, plurimos eorum per pontem incedentes ictu glandium ſuſtulit, ipſe vero tinæ pulvere tormentario refertæ inſidens accenſa ea in aërem elevatus periit tyrannidem hoſtis præmetuens. Unde Fridlandi animus tantopere eſt exacerbatus, ut obſeſſos omnes, quos inter Stormarorum colonorum plurimi & præcipui fuerunt, militi ſuo mactandos daret excepto ſexu fœminino. Ipſe vero in atrio ſedens & ruſticos in unum conclave conſtipatos mactari cernens, elevato cachinno tyrannidem excuſaſſe fertur. Bibliotheca tunc Ranzoviana militibus prædæ fuit, civibus aliquot Itzehoënſibus libros emtione diſtrahentibus Hamburgumque mittentibus. Fœminæ vero maritis ſuis orbæ cadaveribus & ſanguine ſuorum atrium & domicilia purgare juſſæ, atrox & naturæ inimicum factum recuſarunt, jugulum potius tyranno ſubmittere paratæ. Fridlandus autem cum Duce Tillio binas jam Stormariæ arces tanto ſuorum diſpendio redimentes Crempas & Tychopolin munitiſima oppida hac vice adoriri metuerunt occupantes alia Holſatiæ & Jutiæ loca minus difficilia. A. e. in Wilſtrorum Marſiam & adjacentem Dithmarſiam Turrenſis ſenior militem ſuum duxit, ſed cum ſubditi rapinis & exactionibus eorum expoſiti eſſent, ſatius duxere plerique ab hoſte id pati, quam a ſociis in defenſores datis. Ideoque terram Cæſarianis ultro aperuerunt. A. e. Rensburgum hoſtis tranſitum ad fines Jutiæ & Holſatiæ pauliſper retardans ſtrenue pugnavit rem moderante Chriſtiano V. principe Daniæ: nec leve hoſti ibi damnum datum eſt. Sed cum rex a plerisque deſereretur & ſe in Fioniam reciperet, deditionem honeſtam oppidanis permiſit. Unde & hoc oppidum Cæſarianis ceſſit, qui mox totam Jutiam nemine fere reſiſtente, nobilitate etiam fugam capeſſente, occuparunt. A. e. Crempa munitiſimum oppidum, etſi regias adhuc ſequeretur partes & hoſtium vim non ſentiret, iraſcente tamen terris Deo altiſſimo, omnem effugere cladem non potuit. Ingruente enim Tillii exercitu & transalbinas oras occupante, in præſidium urbi dati ſunt bini phrurarchæ, alter Holſatus Georgius Alefeldius, alter Gallus Franciſcus Terrantius. Quorum milites promiſcue graſſantes nec accolis nec incolis pepercerunt. Juſſu quidem regis ruſtici vicini ſua bona intra oppidi munimentum advexerant, ut ab extraneo milite tutiora eſſent, ſed præſidiarii omnia, priusquam ad tutas manſiones pervenirent diripientes ſuæ poteſtatis fecerunt. Inde factum eſt, ut nec vacca neque vitulus nec gallus neque pullus intra vel extra urbem populo permanſerit, quin cultro & gulæ militis exponeretur. Videres in tota civitate nihil præter laniones, qui rapta ſubditorum pecora trucidabant, cremabant, coquebant, aſſabant, tam ſub dio quam in ædibus, ubi interdum ob confertam pecorum multitudinem ſpatii reliquum nihil erat. Vacca una vendebatur quatuor marcis, tina butyri duabus. Carnes pecorum tantum ingluviei prædonum ceſſerunt, reliqua omnia per plateas fluviumque abjecta, computreſcente materia, fœtorem maximum excitarunt. Carnes quoque, quantum earum abſumi non poterat, etſi ſalirentur, ut in futuram hiemem durarent, partim tamen calore æſtivo adhuc durante, partim ſale deficiente putrefactæ ſunt. Unde ſequente autumno per totam civitatem morbus vehementiſſimus ſæviit, cumprimis inter Gallos lardum cum butyro aſſantes & vorantes, nihilque ad ſummam levitatem, & libidinem intermittentes: qui tandem Germanum etiam militem invadens, paulatim in peſtem degeneravit cadentibus ea plus quam mille quingentis. Quod memoriæ ergo verſui huic mandatum.

Bibliotb. Ranzov. diſtracta.

Crempæ & Gluckſtadium intactæ.

Dithmarſi Cæſarianos admittunt.

Rensburgum & Jutia occupata.

Crempa afflicta, accolarum poſſeſſiones direptæ a præſidiariis Gallis.

dein peſtis Cremp.

oCCVbat & beLLo LVIs &
VICe MVLta CaterVa,
Et rVIt In nIhILVM, qVoD
fVIt ante nIhIL.

Morbus fuit apud plerosque cephalicus, qui a ſui origine Ungaricus dictus eſt, cum pediſſequo ſcorbuto aliisque peſtilitatibus. Cœmiteria bina antea Crempenſibus erant, unum intra, alterum extra urbem. Hoc a præfecto Alefeldio dirutum & ſolo æquatum eſt aſſumta terra in ſuburbanum propugnaculum, quod ante portam Grevenkopianam ad ſemilunæ faciem congeſtum, pacem, quam vivis ſpondebat, mortuis adſerere non potuit, cadaveribus cum loculis effoſſis, confractis & diu expoſitis non ſine ſpectantium horrore. Unde aër magis infectus eſt & peſtis vehementius ſæviit. Habebant Galli ſacerdotem Pontificium, qui aram Suderovianam e templo diripiens, & in urbem accerſens quotidie cum ſuis miſſas celebrabat, defunctosque fœde in veſtitu mortuos & ſepeliendos comitabatur, quem regius aliquis miles vino aduſto vigens una veſpera ſuſtulit; inque fimeto ædibus ſuis ſacrisque vicino tumulari fecit cruce pro more Papali fimo impoſita. Cæterum Galli multitudine Germanos prævalentes, cum pleraque eduliorum abliguriſſent, jam quoque aliis ſubditorum bonis inhiabant. Proditionem itaque circa D. Martini anni 27. moventes incolas omnes cum milite Germano trucidare & porro ciſtas ruſticorum involare decreverant. Conſpirantes itaque omnes, cum unam civitatis partem totam occupaſſent, nocte definita armis ſe induerunt, non ſuſpicante Alefeldio, quid rei ſubeſſet. Proditione patrata & bonorum ſupellectile, in quibus æris argentique plurimum eſſe ominabantur, direpta inque naves conjecta ipſi urbem incendere, fugam capeſſere & cum navibus in Galliam redire decreverant. Sed detecta per Majorem fraude irriti

Gallorum atrocia in Germanos ſocios conſilia irrita fiunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

irriti consilii fuere vigilante mox cum suis Alefeldio, & singulari stratagemate Gallos civitate exuente. Itaque post natalem Christi, quasi cum Tychopolitis præsidium mutare vellet, Gallos emisit Limbachianis, qui nuper Ducem suum Nienburgi mortuum reliquerant, eorum loco intro receptis. Tanta enim Gallorum, & præfecti Tetrantii sævitia in miseros incolas eorumque corpora & bona fuit, ut immanissimarum gentium tyrannidi nihil reliquerint. Unde pro tempore hi versus in eum cudebantur.

In miseras hospes noli sævire vel hostis,
Eventus tetros sæva tyrannis habet.

Galli æstu Crempis ejecti & dilapsi.

Id quod facto ipso mox comprobatum est, ubi regiis litteris evocatus turpi fuga consilium quæsivit nec ad regem bellive commissarios deflexit accusationis rationes redditurus. Ejectis Gallis cum sibi Alefeldius tum magis de Cæsarianis metueret, mense Februario templum Suderovianum cum turri succendit, quod facile advenienti hosti propugnaculo esse posset, urbi maxime vicinum. Pagus quoque Crenpis propinquus *Elskoep* tunc incensus cum omni rusticorum frumento, quod maximam partem trituratum facili negotio oppidanis advehi potuisset. Scilicet ut juxta exemplum excidii Hierosolymitani, ubi ædes frumentarias incensas narrat Josephus, nihil ad famis & aliarum calamitatum extremum reliquum foret. Mox circa bacchanalia primam præsidiarii eruptionem fecerunt in Stormariam Wefelsfletanam, ubi excitatis rusticis in Cæsarianos moverunt alios necantes, alios captivos ducentes; rustici spe suppetiarum Dithmarsicarum noti bellissime se in exactores suos vindicarunt, sed mox deficientibus illis & his Crempa redeuntibus pœnas temeritatis dederunt. Quia etiam Steinburgensem arcem dimidiomiliari urbe distantem Cæsariano præsidio impositio occuparent, visum est nonnullis dedecori fore præfecto Crempensi, si eos non depelleret. Ideoque d. 29. Martii signis alquot eo ductis utrinque pugnatum est strenue; donec supremus copiarum Alefeldianarum legatus Johannes Christophorus a Calitz clopeti ictu trajectus occumberet, cujus inopina mors prælio finem fecit, reliquis lares Crempenses repetentibus. Sequente Aprili Cæsariani Storam trajicientes templum Borsfleanum ad occidentem, item templum Suderovianum ad ortum urbis pro præsidio occuparunt & mox terra superaggesta pro castello locum munierunt, ex quo oppidanis omne commercium extra urbem intercluſum est. Quibus licet ab Alefeldio obviam mitterentur præsidiarii cum tormentis aliquot majoribus & minoribus, vim tamen præsentem arcere non potuerunt, licet utrinque caderent plurimi. Mense Julio Cæsariani ad septentrionem quoque urbi commeatum intercludere laborarunt, qui etsi tormentis e præsidio arcerentur, & aqua ibi stagnante commodum mansionis locum statuere prohiberentur, castellis tamen in aggere, qui dicitur via alta, munitis præsidiarium Alefeldii militem e pago Nienbroek fugarunt, qui incensis prius & spoliatis ecclesiæ rusticorumque ædibus navi viam ad oppidanos reciprocarunt. Mense Augusti iterum proditio procudi cœpit a Capitaneo quodam partibus Cæsarianis faventiore, qui per Corporalem suum tumultu portam Elskopianam hosti aperiré promiserat, quando excubias ageret ante dictam portam, sed res mire detecta est. Rusticus enim e pago Nienbroek in aqua pridem suffocatus ad urbem accessu maris appulit, quo extracto, & a militibus spoliato in collari deprehensæ sunt litteræ per præfectum Glukstadianum scriptæ, quibus proditio hæc Alefeldio significata est. Corporalis torturæ subjectus factique reus inquisitione deprehensus extra portam Grevenkopianam versus castra Cæsariana palo affixus est. Capitaneus in prælio nuper vulneratus sceleſtissimam animam mature efflavit. Mense Septembri rustici præsidio civitatis gaudentes tristi ministerio subjecti omnes pro milite operas, præterquam excubiarum, explere cogebantur. Unde factum, ut ad aquæductum Neopaludanum missi & aggerem ad introducendum commeatum effodientes accessu maris absorpti in aquis misere perierint, cum pestis sævitiem & tyrannidem Gallorum maxime effugissent. Plurimi in diripiendis fugitivorum domibus seduli & easdem militum focis præparantes casu trabium & tignorum perierunt bini una vice d. 6. Decembris. Non minor clades contigit illis, qui Hamburgi asylum quæsierant & proprios lares destituerant, ubi pestis confertam eorum edidit stragem paucis in patriam remeantibus. Oblidebatur interea quoque Tychopolis milite eadem opera, quia Crempis vicina esset, commeatum terra intercludente, nam ab altera parte Albim fluvium habebat. Quæ, pestilentia late incolas absorbente, strenue tamen a Marquardo Ranzovio defendebatur. Rex enim animadversa Durandi Galli vecordia, indigenæ potius fideli, cujus operam antea perspexerat, præfecturam urbis commiserat, qui oppugnatores fremebundos non una vice bellissime repressit sublato primo ictu Cæsarianorum magistro, qui se pridem Satanæ devoverat, si non intra triduum oppidum solo æquaret. Ita porro factum, ut paucillo tempore plus tria millia oppugnantium caderent, accedente cumprimis auxilio navali, cui Johannes Mœrius nauclerus indigena præses datus, manum oppugnatorum per solum aggeris tractum urbi imminentium, e navi aggeri oppositta, felicissime disjecit. Obsessi quoque castra Cæsariana ad Colmarium vicum adorti Annibalem Schawenburgicum cum aliquot tribunis ceperunt cæsisque Cæsarianorum quamplurimis ultra mille vulneratos pepulerunt in fugam. Nec quicquam ab iis tuti Fridlandico aut Tilliano exercitui in Stormaria, Dithmarsia vel adversa Albis ripa fuit, cum continuis eruptionibus etiam longius posita ferro aut flammis devastarent. Tychopolitis ita feliciter pugnantibus, nec quicquam damni præter pestis sævitiem sentientibus Crempenses annonæ defectus adfligere cœpit. Nihil enim vel commeatus vel auxilii obsessis

Steinburgum recuperare frustra nituntur Dani.

Crempis obsessis proditio detecta.

Cæsariani Tychopolin obsidentes strenue repressi.

immissum, quamvis a Commissariis regiis & Glukstadiano Gubernatore per litteras tota æstate sponderetur. Ne autem obsessi plane auxilio divino tam arctis in rebus destituerentur, Dei benedictione tantum piscium tempore obsidionis captum est, tam parvo campi districtu, quem hostium obsidio oppidanis integrum relinquebat, ut uno die sæpissime aliquot tinæ eorum in urbem portarentur & venderentur. Quæ sola fere causa fuit, quod obsessi tamdiu obsidionem tolerarint. Deficiente autem frumento cumprimis apud vulgum annonæ flagellum nihilominus crevit, utut a præfecto mature satis Hamburgum ad commissarios perscribebatur. Unde factum ut ad extremum mense Octobri Carpezanus instructis aliquot navigiis ex Albi Storam petens, inde per aquæductum Neopaludanum victum adducere conaretur: sed angustiis dicti loci vicinus, hostisque præsentia perterrefactus Storam & Albim relegit, paulo post, cum ad Tychopolitas rediisset, peste sublatus. Propugnaculis igitur ad Storam potiti Cæsariani, vel mortis vel deditionis periculum obsessis induxerunt. Unde factum, ut Alefeldius salutem prius sibi præsidioque, obsessis autem incolumitatem & liberum religionis exercitium pactus, litterisque obsignatis a Fridlando ejus rei confirmatus, urbem Cæsarianis tradiderit: præsidiariis inde cum omni supellectile, armis, expansis vexillis & ardentibus funiculis discedentibus. Capitanei autem plurimi discedentes, cum frumenta & alia edulia, quibus clam abundabant, secum portare nequirent, idque a Fridlando non permitteretur, oppidanis illud, quibus antea vi eripuerant, magno pretio vendiderunt. Qui quam regiæ majestati & subditis ejus fidem præstiterint, inde cognoscere est. Ad extremam enim horam convivia agitabant omni victu abundantes luxuque diffluentes frustra egentioribus, quibus demensa quotidie præcidebantur, clamantibus & conquerentibus. Ita factum est, ut incolarum, cum milite gregario plurimi fame perierint, illis maxima præda onustis tuta capessentibus. Egressis autem regiis, Deus incolarum precibus placatus auxilii præsentissimi exemplum urbi ostendit. Tempestas enim 7. Nov. excitata cum tonitru maris inundationem (quæ Stormaris dicitur *Allerheiligen Fluth*) aqua non solum aggeres superante, sed & castra hostium interluente & dissipante. Unde crematis castris obsidionem Tychopolitanam Cæsariani solverunt & agminatim hiberna quæsiverunt; idem præstituri Crempis, si tantisper præsidiarii exspectassent. Facta est autem deditio hæc urbis d. 4. Nov. a. 1628. cum jam annum integrum cum mensibus aliquot a viribus hostium maximis illæsa permansisset, hoste ad bombardæ jactum urbem adire numquam ausо. A. e. Marquardus Pentz nobilis Holsatus, eques auratus & præfectus arcis Segebergensis, regi Daniæ pro patriæ salute fideliſſime militans placida morte vitam finiit in arce Wolferbuttelensi.

annonæ defectum supplet piscium copia.

Crempenses commeatu privati sese dedunt.

incolæ egent fameque pereunt militis iniquitate.

inundatione facta hostes solvunt obsidionem Tychopol.

Marqu. Pentz obit.

Anno 1628. Stada Bremensis diœcesis oppidum hactenus a regiis defensa & a Carolo Morgano, Anglo firmo munita præsidio post edita magnæ virtutis specimina & varias Cæsarianorum strages tandem 27. Aprilis fame evicta Comiti Tillio se dedidit inque Cæsaris potestatem venit. Fridericus Dux Holsatiæ regis filius coadjutor Bremensis ex urbe simul demigrans per Belgium in Daniam rediit. (62*) A. e. Wolferbytum hactenus quoque regi per Philippum Reinhardum Solmensem strenue asserrum exeunte Octobri Duci Brunswicensi redditur, Solmense Lubecam, inde Hafniam ad regem proficiscente. A. e. sub finem Julii & initium Augusti rex Daniæ classe sua insulam Usedohmiam, ut & ditionem Peinemundanam ac Wolgastum urbem Dutalem invadens occupavit, quam quarto dict. mensis die cum duobus filiis & aliquot equitum peditumque turmis ingressus; verum milite Cæsareo e vicinioribus locis advenimte cruento ante urbem prælio a Duce Fridlandiæ pulsus navem conscendit, & loca illa 11 Augusti reliquit, Stralesunda interim occupata & contra Fridlandicas minas strenue defensa. Wolgastensis autem civitas, quam Daniæ rex in discessu ex una parte incendi jussrat, militum libidini & direptioni exposita fuit. A. e. balæna ingens ad Albis ingressum in arenam Marnensem conjecta est per maris tempestatem; cui alius ejus generis piscis succurrere laborans, aquam magna copia & vi oræ adsperſit, unde se iterum e terra levaret, & in mare conjiceret, sed ambo irriti fuere conatus. Hæc tandem morti vicina horribilem clamorem edidit, & fœtorem maximum reliquit: unde sequente anno pestis per Dithmarsiam sæviit, & pastorem Marnensem simul cum aliis abripuit. A. e. in hieme horrendus admodum casus Itzehoæ sese exhibuit, ubi 20. tauri Cæsariani subditis erepti capitibus illorum conversis carnibusque in teram fixis a diabolo necati & porta cœnobii loco mota, aliaque inaudita portenta in aëre visa, maximum Cæsarianis terrorem incusserc. A. e. mense Martio Dithmarsi Cæsarianos jugo eximere, & patrio Marte se in libertatem vindicare studuerunt. Cum omnia sua militibus tradidissent, neque modum aut finem viderent exactionum, arma induentes hospitia invadunt præsidiariorum, eorumque uno impetu supra centum jugulant. Alios placidiores cogunt secum Marnam proficisci, quo adhuc alia confluxit manus agrestium, qui Cæsarianos ad villam Fridericianam obruto occiderant & villam incenderant, arreptoque confestim versus Brunopolin itinere castrum prope Albim munitissimum & ingenti incolarum sumtu per Cæsarianos constructum aggredi statuunt. Sed multi hæc ausa plena periculi non vane suspicantes mature domum rediere, alii cæsi, alii fugati duriorem suam suorumque fecere condi-

Ao. 1628. Stada a Cæsarianis occupatur.

Wolferbytum Duci Br. redditur.

Rex D. inf. Usedom, Peinemundan. ditionem & Wolgastum occupata relinquere a Duce Fridl. coactus.

Stralesundam sibi vindicat & tuetur.

Wolgastum direptum.

balena in arenam projecta ad ostium Albis.

portenta Itzeh.

Ditmarsi Cæsarianos abigere tentantes pœnas luunt.

pestis Cimbr.

bos eximius.

(62*) Ao. 1628. Groningæ bos per septennium saginatus (Petroque Hobben visus) Amstelodamum abductus, divenditus est pro 840. florenis, qui ad nostram monetam faciunt 1500. marcas Lubecenses. A. e. pestis Husemi, Sleswici, Chilonii, Rendesburgi, Flensburgi alibique multa millia hominum absumsit. *Fisch. Diopt. p.* 7.

conditionem, plurimi comprehenſi, qui conſilia hæc cudere cœperant, ad oram Albis prope Brunopolin ſuſpenſi pœnas infelicis motus Cæſareanis dederunt. A. e. Straleſunda, cum præſidium Cæſarianum intromittere recuſaſſet, obſidione adfligitur. Arnheimius mox Denholmum occupat, quod tamen oppidani exploratis inſidiis irritati ſtatim recipiunt compoſitionis vias quærentes. Verum edocti Cæſaris ſincerationem nihil aliud quam necis rationem ſub vulpina pelle tegere, regis Daniæ auxiliares intra oppidum admittunt copias, quibus freti oppugnationes cæſis hoſtium multis millibus ſtrenue propulſant. Porro cum Henricus Holkius copiarum Danicarum rector nuptiarum cauſa abeſſet, aſſenſerat fere deditioni urbis ſenatus: at illo maturante reditum menſe Julio viſa claſſis Danica animos obſeſſis reddidit. Idcirco Holkius acceptas tractationes diſſipavit, Cæſarianosque urbe depulit. Non multo poſt advolat rex ipſe Daniæ Chriſtianus IV. comitatus Chriſtiano V. principe Daniæ & Friderico Duce regiis filiis, quorum recentibus ſubſidiis Holkius auctus urbem ſtrenue defendit. Compertumque eſt durante obſidione nocte una quinquies Fridlandicos in valla totis legionibus impetum feciſſe toties rejectos. Accedente demum Suecici regis præſidio, prout Axelus Oxenſtirnia ob id in Daniam miſſus impetraverat, oppidani Fridlandicarum minarum immunes ad extremum perſtiterunt libertate ſoli præ aliis gaudentes & exemplum virtutis relinquentes aliis civitatibus. A. e. fœdus inter Daniæ & Sueciæ reges renovatur. A. e. naves Hiſpanorum maximis onuſtæ divitiis ab Hollandis capiuntur, non minore cum tripudio Belgarum, quam cordolio Hiſpanorum.

Straleſunda a Cæſar. obſeſſa.

Denholmum iisdem ereptum & ſtrenue resentum.

fœdus Dan. c. Suec. renovatum.

naves Hiſp. a Belgis intercepta.

Anno 1629. rex Daniæ, Hafniæ convocatis ſenatoribus & theologis de emendanda eccleſiæ diſciplina aſſerendaque miniſterio auctoritate utriusque clavis ſalutare conſilium agitat. A. e. Sigfridus Ranzovius nobilis Holſatus, hæreditarius in Loerſtorff regis Daniæ Capitaneus in Glukſtadt, ictu bombardæ in crure lethaliter vulneratus in oppugnatione arcis Nienhaus obiit Glukſtadii, funus defuncti poſtmodo Crempis depoſitum eſt honorificentiſſime, rege ipſo exequias ſua præſentia cohoneſtante. A. e. Friderici Palatini filius cum patre occupatas per Belgas Hiſpanorum naves luſtraturus in aquis cum aliis nobilibus periit in Hollandia. A. e. naves aliquot regis Poloniæ, quæ in portu Dantiſcano hactenus ſubſtiterant, inde ſolventes in ſubſidium Alberto Fridlandiæ Duci ad continuandum in mari Balthico cum Daniæ rege bellum miſſæ ſunt, pauloque poſt Wiſmariam appulerunt præſidio, quod in illis erat, poſtmodum per Pomeraniam Gedanum redeunte; unde Dantiſcani tam Daniæquam Sueciæ regibus magis exoſi redditi eorumque naves in Cimbrica Cherſoneſo arreſto detentæ ſunt. Sueciæ etiam milites longe infenſiores direptione & incendiis, quæcunque aſſequi potuerunt, devaſtarunt. A. e. conventus agitur Lubecæ de pacificatione inter Cæſarem & Daniæ regem. A

Ao. 1629. R. Dan. emendandæ diſciplinæ ſacræ conſilia.

Sigfr. Ranzov. militans occumbit.

Frid. Palat. fil. cum aliis unda perit.

naves Polon. Duci Fridl. ſubſidio miſſæ Danos & Sueces irritant.

poſt difficiles moras tandem exercitu regio appropinquante & metu Cimbrorum Cæſariani pacem cum R. Dan. faciunt Lubecæ.

parte regis fuerunt legati Daniæ eminentiſſimi Chriſtianus Friſius Dominus in Kragerup, Jacobus Ulefeldius in Urop, Albertus Schelius in Fuſin, Levinus Mareſchallus in Huetlo, Dethlevus Ranzovius in Panker, Henricus Ranzovius in Schmole. A parte Cæſaris: Alberti Ducis Fridlandi & Joannis Tzerclas Comitis Tillii delegati. Hi initio Danis quaſi jam victis leges proponebant & jam quintum menſem ancipiti ſucceſſu de pace tractabant. Sed cum ductores regii, inter quos Dux Ulricus regis filius, Carolus Morganus, Dethlevus & Daniel Buchwoldii validiſſimo inſtructi exercitu Strandiam inſulam, & confinem Eidoræ ripam occuparent, Tonderam ſubigerent, rexque ipſe cum apparatiſſimis copiis in Anguliam Sleſwici Ducatus peninſulam appelleret, jam jamque Gottorpium locatis verberaturus tormentis, Cimbricosque exercitus Cæſaris ab Holſaticis diſſoluturus. Extemplo Panicus invaſit metus turmas Fridlandicas, urpote gnaras jamdudum Cimbros ad ſui perniciem occaſionem præſtolari. Igitur derepente Lubecæ pax conficitur interveniente haud modica Annibalis Schawenburgici, & Joannis Altringii (quorum ille libertate a rege donatus, hic præſenti ſuorum & aliorum Cæſarianorum periculo commotus erat) opera & ſtudio. Redduntur ergo regi Cimbria, Sleſwigia, Holſatia, & quicquid regium Cæſariani occuparant: rex ſuperioribus Saxonum provinciis renunciat ſuis ſibi reſtitutis diſſidiumque æterna oblivione deletur. A. e. pridie antequam pax conficeretur, Tychopolitanus regis miles Wilſtriam oppugnavit, ubi Frencus Cæſarianorum tribunus captus, lethaliter vulneratus & Glukſtadiano gubernatori adductus ibidem vulnerum magnitudine periit. Similiter Crempas tentavit idem pecora oppidanorum abigendo & obſidionem Cæſarianis minitando: ſed pace promulgata Cæſariani menſe Julio Crempis & tota Holſatia demigrarunt, populi ſolemni eucharistiarum feſto ſupremo Numini publicas exſolverunt grates. A. e. rex Sueciæ confertis victoriis honorabiles & utiles cum rege Polono patruo inducias pepigit in ſexennium, poſtquam ſuperiori tempore Livoniam & alia loca, inventis nuper a quodam Elia Tripo machinis coriaceis (quæ perinde atque æneæ ignitos jaculantur globos) adjutus ſubjugaſſet. Quo tempore etiam Ulricus Dux regis Daniæ filius magna & principe digna documenta in caſtris Suecicis dedit. Pax confecta eſt exeunte anno. A. e. Belgæ claſſem Hiſpanorum argentiferam opera Admiralii ſui Petri Heinii nacti bellum cum Hiſpano acrius gerere cœperunt. Exploratis enim Hiſpani militis ob ſtipendii diſpendium querelis fiducia principi Auriaco nata eſt, toties fruſtra deſideratam Silvam Ducis obſidione cingendi. Cujus is exitus fuit, ut conatibus Henrici de Monteforis diſcuſſis & intus attrita obſeſſorum fortitudine munitiſſima & hactenus invicta urbs in poteſtatem Ordinum non ſine admiratione artis oppugnatricis migraverit. Idem accidit Grollæ, Veſaliæque potentiſſimis urbibus, illa anno præ-

Cæſariani in Wilſtria a mil. Gluckſtad. clade affecti pace facta demigrant Holſatia.

Pax R. Suec. cum Pol. facta.

claſſe Hiſp. argentifera Belgæ potiuntur, Silvam Ducis expugnant aliasque urbes.

cedente vigesimo septimo, hac secundo post a Batavis non tam oppugnata quam occupata. *Magdeburgenses rapinis Cæsarianorum repugnantes obsidentur.* A. e. Magdeburgenses, etsi omnibus officiis Cæsarianos in bello Saxonico sibi demereri studuissent, effugere tamen præfectorum offensam non potuerunt. Prædiis enim & pagis suburbanis privati, tandem etiam commeatu Albisque fluminis usu spoliati sunt. Iccirco exacerbati navigia aliquot annonaria in urbem abripiunt, Croatas prædones abigere pecora ante urbem molitos abigunt. Hinc bellum Cæsare licet ignaro natum prostratisque eruptionibus non paucis Cæsarianorum *Rex Crempis visis Comitia Itzeh. instituit.* Magdeburgum obsidione clauditur. A. e. mense Augusto rex Daniæ redonata cœlitus pace, Crempas iterum venit, comitia provincialia Itzehoæ celebravit, præsentibus commissariis Levino Mareschallo, Theodoro Bussio, Joachimo Transæo, Joanne Schulteto & Dethlevo a Buchwald, rege interim Crempis commorante. Quibus finitis accepto per commissarios fidelitatis juramento regi Daniæ per *homagium a subditis denuo sumit.* Holsatiam & Dithmarsiam aliaque hæreditaria domus Holsatiæ loca, publicum de novo homagium præstitum est. Commissariorum aliqui ut Mareschallus, Buchwaldius, Schultetus paulo post obierunt non sine ingente dolore plurimorum patriam salutem amantium. *profugi revocantur.* Profugorum autem numerus, qui ob sævitiem Bellonæ patrios lares destituerant alibique vitam toleraverant patriis focis læti redonantur: quos inter multi ecclesiæ ministri fuerunt, partim vi Cæsarianorum, partim suo ipsorum metu ad exteros ejecti; quos rex Daniæ mira clementia officiis restituit. Multi etiam tam e politicorum quam ecclesiastarum ordine tempore belli paullo confidentius cum Cæsarianis colludentes & in regis perniciem non verbis tantum, sed & factis conspirantes inopina regis restitutione attoniti mature obierunt, reliqui inaudita regis clementia gaudentes huc usque tolerati sunt inter alios Ducatus subditos. *ecclesiis vacantibus ministros præficit; cui in Dithmarsia se opponit D. Christ. Matthiæ rege indignante ab officio remotus & custodiæ traditus, tandem regis gratiam rursus impetrans.* A. e. post redonatam pacem rex Daniæ ecclesiarum suarum curam gerens, & inprimis de salute subditorum suorum in Holsatia & Dithmarsia solicitus, parochias pastoribus suis & ministris privatas novis personis supplevit. Quod institutum cum D. Christiano Matthiæ præposito Dithmarsiæ australis minus arrideret, ut qui sibi jus eligendi & vocandi ministros, quoad districtum Dithmarsiæ, soli datum putabat, eam ob causam supplicem libellum ad regiam majestatem direxit, in quo hoc regis ausum extreme scandalosum extremeque periculosum interpretatus est. Rex autem scriptum hoc, ut seditionis novæ in Dithmarsia flabellum accipiens commoto animo custodiæ ipsum tradi fecit, qua ne despectiori uteretur, hospitio pastoris Crempensis Wilhelmi Alardi parentis nostri mandatus est. Mox scriptum jubente regia majestate per cancellarium Theodorum Bussium quatuor theologorum censuræ traditum est, utpote binorum Crempensium, qui tunc in vivis erant, & binorum castrensium. Quibus censuram certis de causis honeste declinantibus, idem paullo post theologorum Hafniensium & aliorum subjectum est. Accedebant tunc delatores quamplurimi fugillationibus causam D. Matthiæ apud regem infensiorem reddentes: unde factum est ut integrum annum ab officio suspensus arresti vinculo Crempis detineretur. Tandem intercedentibus aliis theologis quamplurimis regiæ clementiæ signa haud obscura sensit, Soræ Danorum professioni S. S. litterarum præfectus. A. e. præses australis Dithmarsiæ provincialis Nicolaus Brun exhaustus aliquot mensium adversa valetudine obiit Meldorpii. *Nic. Brun præses Dithmars. austr. obit.* A. e. ager ecclesiasticus Crempensis jure veteri ad officium sacellanorum pertinens cognita legitime causa ex sacellanorum supplicationibus & veteribus documentis a rege Daniæ adjudicatus fuit in plenariam usurpationem diaconis ecclesiæ Crempensis. *ager ecclesiæ Cremp. restitutus.* A. e. in autumno milites & incolæ Crempenses in Marschia sua iterum tot pisces una nocte ceperunt, ut aliquot tinis eos in urbem portatos vendiderint mira Dei benedictione. *piscium captura Crempis larga.*

Anno 1630. rex Sueciæ Gustavus Adolphus cum Ducum Megapolitanorum sanguine sibi junctorum & nulla evidenti de causa Ducatu per Fridlandum exutorum sortem videret, nec præcedente anno Lubecæ pacificam enatarum simultatum compositionem per delegatos suos nancisceretur, præterea quoque Fridlandicos portu Stralesundensi frustratos Wismarienssem in regni Suecici perniciem occupasse videret, & denique in Prussia belligerans ab exercitu Cæsariano bello nondum denunciato sub ipso Cæsaris campi Maresschallo Arnheimio hostiliter impeteretur; justam præ se tulit causam cum exercitu irrumpendi in Germaniam. Dictus erat mense Aprili dies conventui Dantisci in Prussia, ubi de pace inter Cæsarianos & Suecum tractaretur usque in sequentem Junium. Sed ne ulla quidem a parte lædente erga læsæ partis præsentem Commissarium (suam ad tractandum promtitudinem & potestatem a Sueco per litteras referentem) tractatus facta fuit significatio. Res quoque devoluta est ad collegium Electorale interventu & suasu potissimum regis Daniæ: sed ab eo laudatæ quidem regis Sueciæ pacificæ intentiones, illatarum autem injuriarum remedia, (quæ litteræ regiæ potissimum requirebant) nulla fiebat mentio. Iccirco rex Sueciæ mari Balthico, regnoque Sueciæ securitatem adserturus vulgatis diplomatis commeatus advectione interdixit littoralibus Pomeraniæ & Megapolis oppidis, quæ ab exercitu Cæsariano insidebantur. Hinc Rugiam & Pomeraniam mox dira infestavit fames, quæ plurimos mortalium exstinxit, ut nec humana carne abstinerent. *fames in Pomeran.* Qua rerum facie Suecus profligato feliciter præsidio Cæsariano Rugiam torpentem occupavit. *Rugia a Suecis occupata, it. Penemunda & Divenov. Stetinumque.* Mox portubus Pœnemundano & Divenoviano potitus, Stetinum alteram Pomeraniæ metropolin classe advehitur. Dux Bogislaus tradit ei oppidum jam expertus exitio esse Pomeranis exercitum Cæsa-

Ao. 1630. Gust. Adolphus R. Suec. bello aggreditur Cæsarianos ejusque causa.

Rex Dan. Hamburgenſibus novum imponit vectigal; bi claſſe armata Regem oppugnaturi repelluntur.

Cæſarianum. (63) A. e. rex Daniæ ab Hamburgenſibus compenſationem damni repeturus, quod ſuæ Holſaticæque rei contra jus priſcum intulerant, curti tempore belli merces & alimenta venalia novos eis imponendo cenſus inique flagellaſſent, menſe Aprili novum illis vectigal impoſuit, jubens ſingulas eorum naves ad egreſſum & ingreſſum oceani Albis uſu fruentes Tychopoli ancoram mittere & tributum pendere. Quam in rem rex ſereniſſimus tres naves prægrandes e Dania miſit in Albi prope Tychopolin excubantes. Sed Hamburgenſes Albis fluvium uſumque ſibi ſoli imputantes temeritateque nautarum quorundam excitati regias naves invaſerunt, carbaſisque earum partim contractis partim in aquam merſis Hamburgum traduxerunt, mox quoque pontonem per Albim incedentem in portu regis Brunopolitano obruerunt, præſidio impoſito exuerunt, accolasque portus per militem ſuum ſpoliarunt, Hamburgumque eundem deduxerunt; Tychopolin quoque adorti oppugnatrice manu vincere & tridui ſpatio ſolo æquare contenderunt. Quæ tamen maſcule pauco milite defenſa hactenus ſalva permanſit rege interim in Daniæ finibus commorante. Mox iidem claſſem viginti ſeptem navium exarmantes Albim occuparunt, inque mari tota æſtate excubantes regiarum navium adventum præſtolati ſunt, aperto prælio rem decreturi ſub præfecto claſſis Alberto ab Eizen conſule. Sed d. 16. Septembris rex Daniæ reditum cum inſtructis quibusdam navibus admaturans prælioque excubitores ad ingreſſum Albis adortus Hamburgum eos rejecit, Hamburgenſesque porro flumine, cujus uſu regios ſubditos hactenus per æſtatem prohibuerant, expulit extraque ſui territorii partes manere juſſit. Ita Hamburgenſium naves fugam capeſſentes plenis velis portum quantocyus quæſiverunt, relictaque præ feſtinatione præcipua ſuorum ancora, eadem in perpetuam rei memoriam templum Tychopolitanum condecorarunt, edocti flumine Albis ſe non ut ſuo uti, ſed regem Daniæ, ut Ducem Holſatiæ & principem imperii ipſorumque dominum eundem, qua Nordalbingiam alluit, uſurpare. A. e. Fridericus III. Dux Sleſwici & Holſatiæ nuptias facit cum Maria Eliſabetha, Johannis Georgii Saxonis ſeptemviri filia, menſe Febr. A. e. miniſtri Auguſta-

miniſtri ſacrorum evangelici Stada pulſi.

næ confeſſionis per Pontificios Stada ejiciuntur menſe Aprili, unico tantum relicto, qui adultioribus, de quorum defectione ſpes decollabat, officia ſacra adminiſtraret. A. e. Henricus Waſmar a rege Daniæ conſtitutus eſt præſes auſtralis Dithmarſiæ. A. e. tanta fuit per Holſatiam & Dithmarſiam annonæ caritas, quanta numquam audita antea, tina ſiliginis conſtitit Brunopoli viginti marcis Lubecenſibus, tina fabarum ibidem vendita eſt quatuordecim marcis. Reperti tunc fœneratores, qui pro tina tritici viginti plures accipere potuerunt marcas, ſed majus annonæ flagellum ſperantes, illud ipſum ſervarunt in tertium ulterius annum, juſtasque providentiæ divinæ (annonam mox viliorem largienti) pœnas dederunt. A. e. Pontificii duodecennali bello hactenus profano, propriam induentes formam, occipiunt per Ferdinandum Cæſarem victoriis ebrium Evangelicis imperitare, ut abjecta iſta, quam ſacris litteris conſonam putant, religione Romanæ eccleſiæ ſequantur autoritatem. Repetunt iidem diplomatis evulgatis jura epiſcopalia, quæ principes aliquot Auguſtanæ confeſſionis integro fere ſeculo uſurparant. Diverſum putantes toto exercitu Cæſar perſequi decernit: unde principibus multis hactenus Cæſaris partibus faventioribus animus alienatur adque ſcribendum militem inſtigatur ejiciente cumprimis Cæſare e ſubjugatis ſibi ditionibus doctores Auguſtanæ confeſſionis. A. e. Chriſtianus Guilielmus Adminiſtrator Hallenſis præſulatu pulſus Magdeburgico, ſucceſſoremque natus Cæſaris filium Leopoldum Erneſtum, nuper ab exilio Hollandico redux improviſo intra Magdeburgum recipitur totamque diœceſin brevi temporis articulo recuperat.

annonæ ingens caritas.

Cæſar inîquior in evangelicos principum quorundam animos a ſe alienat.

Chriſt. Guilielmus Admin. Hal. Magdeburgum recuperat.

Anno 1631. Johannes Georgius Dux Saxoniæ & Elector, poſtquam ſuperioribus annis Sileſiam, Luſatiam Egramque Cæſari ſubegiſſet, ægre ferens operam ab ſe imperatori præſtitam verti in perniciem eccleſiæ Lutheranæ ſeque edicto Cæſaris ad reſtitutionem bonorum eccleſiaſticorum cum aliis cogi, primo vere conventum principum evangelicorum Lipſiæ conſcripſit, deliberans de motibus Germaniæ & preſſura evangelii. Ubi tum unanimi conſenſu concluſum Cæſariano militi conſcripto exercitu procedere obviam. Id quod principes Confeſſioni Auguſtanæ addicti ſinguli

Ao. 1631. Jo. Georg. D. Sax. adjunctis ſibi ſociis obpreſſos evangelicos Cæſarianis obviam ire ſtatuit.

parhelia. (63) Ao. 1630. Tunderæ V. ſoles in cœlo cum iride circa 9. antemeridianam conſpecti ſunt. *Fiſch. Diopt. p.* 10. A. e. procella & tempeſtas in Ducatu Sleſwicenſi & Holſatia ingens fuit. *ibid.* A. e. Jacobus Boje in præfectura Steinburgenſi ſcribæ officio laudabiliter, ſed triennii curriculo functus eſt, morte quippe abreptus deſiderium ſui reliquit. A. e. rex Chriſtianus IV. conſtituerat curatorem *Haußvogt*, diſtrictus Wilteniſſe, nomine Henricum Rutenſteinium Crempis habitantem, qui gratiam meriturus apud regem colonos Wilteniſſe referebat, ac ſi longe plures poſſiderent agros, ac de quibus tributum ſolverent regi, qui periculum ejus rei facturus catenam ex orichalco 5. perticarum longitudini reſpondentem ita confici curabat, ut uterque ejusdem terminus palo terræ infigi poſſet, qua metiendi ratione peracta numerisque computatis quidem primum exæquabat; at quantum ex nequiſſimo hoc conſilio delator profecerit mox audiemus. Accedebat enim interea huic facinori in multis adhuc illud inſigne, ubi regiæ majeſtati auctor & ſuaſor erat, ut in animum induxerit, villam illam regiam prope Tychopolin erigendi, quippe quæ centum bobus commoda præprimis dare poſſet paſcua. Rex hoc conſilium ſibi Glukſtadii cum comitatu aulico commoranti valde proficuum fore ratus conſilio annuit atque ex Dania ingentes boum copias illuc deduci curat. Sed permultis eorum querimonia abſumtis temerarii iſtius præcipitis curatoris conſilia quam fatalia ſint & ancipitia perſpectum eſt, dum a regia majeſtate ab officio removeretur. A. e. chiliarcha Harzfeldius Straſſundam cum copiis ſuis tenens, hoſpitis ſui filium ſtudioſum ſubinde exagitare & fatui inſtar divexare conſuevit, hic vero aſſidente forte aliquando ad menſam Duce ſecuri a tergo admota caput ipſi miſere amputavit ſacco illud ingerens; deinde vero capeſſens fugam ſeſe oculis ſubduxit inquirentium, at mox exploratus diriſſimo iterum ſupplicio affectus eſt. A. e. & ſequente, arx Tychopolitana ſeu Glukſburgum Tychopoleos procurante Chriſtiano IV. eſt exſtructum, cujus & ſæpius ſedes fuit.

delator Wilteniſſenſium pœnas dat.

cædes.

arx Glucktadii ſtructa.

Magdeburgum tandem occupatum & dirutum.

guli pro se comprobarunt. A. e. d. 10. Maji Magdeburgum post diuturnam eamque validissimam obsidionem tandem a Tillianis captum, direptum, concrematum & penitus solo æquatum est excepto solo templo cathedrali.

Christiani V. nuptiæ.

A. e. Christianus V. princeps Daniæ & Norwegiæ, Dux Slesvigiæ & Holsatiæ filiam Saxonis septemviri Johannis Georgii Magdalenam Sybillam in matrimonium ambivit & exambivit. Quorum nuptiæ annnis aliquot post celebratæ sunt.

Landgravius Hassiæ copias contra Cæs. educit in Paderb. ditionem.

A. e. Landgravius Hassiæ decretum exsequens Lipsiense contra Cæsarem exercitum conscribit, ducens eum d. 12. Septemb. in præsulatum Paderbornensem.

Franc. Ranzovius Christ. Ratlovium in duello cædit.

A. e. nobiles bini Holsati alter Franciscus Ranzovius in Salzaw Hansii filius, alter Christianus Ratlow funesto se duello in nuptiis primariis Nortorpii aliud quasi agentes provocarunt, Ranzovius autem Ratlovium unicum matris viduæ filium nunc summum desiderium, interfecit. Res devoluta ad judices nondum composita est.

Sophia Christiana reg. obit.

A. e. mense Octobri Sophia Christiana, vidua regis defuncti, mater Christiani IV. regis Danorum & Ducis Holsatiæ, placide vitam cum morte commutavit.

dissidia Calvinianorum cum Lutheranis in German. sopita.

A. e. Lipsiæ in conventu principum collegiali theologi principum Calvinianorum cum Lutheranis componentes se ad conciliationem doctrinæ hactenus inter se controversæ, plerasque conciliarunt criproq; comprehenderunt, sed publicationem scripti certis de causis prohibentes. Descripta autem transactio in multorum statim manus pervenit.

Sax. El. prælio cum Tillio inferior discedit; aft Sueci socii vincunt.

A. e. Michael Clenovius Pastor Schœnefeldensis poëta Holsatiæ eximius scriptisque poëmatis clarus mortem oppetiit. A. e. Jo. Georgius Saxonum Septemvir conscribens militem ad defensionem suarum ditionum Cæsaris offensam incurrit, cujus tamen partes strenue hactenus secutus erat. Tillius autem Mersburgensem episcopatum & vicina loca exercitu Cæsariano complet & more solito vastat, idem reliquis Saxonis provinciis minitans & jam Lipsiæ insidens. Sed Saxo suorum consilio regi Sueciæ prope Witebergam castra metanti obviam it, fœdus cum eo pangit & conjunctis viribus exercitum Tillianum invadit, eundemque adortus cum suis vincitur, Suecus autem pedem figens animosius hostem insequitur, & non sine præsentissimo Numinis divini auxilio totum agmen Cæsarianorum cædit, fugatque. Pugna commissa est 7. Sept. prope Lipsiam.

Christianprys castellum struitur.

A. e. Christianus IV. rex Daniæ novum præsidium e fundamento excitavit in confinio Holsatiæ & Jutiæ Chilonium inter & Rensburgum, ut irruentem in Jutiam & Daniam imposterum arceret hostem, coëmtis ad hanc rem tribus nobilium prædiis Bulke, Knape & Sehecamp: nomen præsidio impositum est Christianprys.

Ulricus D. Holf. Saxonum Electori copiis succurrit.

A. e. Ulricus Dux Holsatiæ & hæres Norwagiæ Christiani IV. filius natu minimus paternæ alacritatis æmulus princeps exercitum conscribens, contraque Cæsarem Duci Saxoniæ operam militarem jungens in superiorem Saxoniam militem duxit.

Adolphus D. Slesw. Cæsaris arma secutus a Suecis cæditur.

Adolphus Dux Slesvigiæ & Holsatiæ frater Friderici III. Ducis regentis, Cæsarianas partes jam per decennium fere in bello secutus, in pugna prope Lipsiam 7. Sept. a Suecis cæsus, mortem oppetiit. Funus postea in Holsatiam deductum Gottorpii depositum est.

tempestas Holf. & Ditmarf. noxia.

A. e. tempestas vehemens cum tonitru excitata in æstate multum dedit damni enatis terræ frugibus per Holsatiam & Dithmarsiam. In parœcia quoque Brunopolitana vento violentissimo concitato eadem plus quam duodecim ædes colonorum majores confregit & evertit.

Ao. 1632. Sigism. R. Pol. obit. R. Dan. cum classe naufragium passus.

Anno 1632. Sigismundus III. rex Poloniæ obit, cui post multas disceptationes tandem sufficitur Uladislaus IV. A. e. rex Daniæ mare orientale trajiciens in Holsatiam tempestate vehemente suborta naufragium passus est, nave una a latere sibi avulsa & submersa, in qua multi aulici cum supellectile aliquali regia fuerunt, simulque perierunt, rege cum reliquis navibus salvato & Tychopoli redonato feliciter. (64)

quidam aquis suffocatus in Dithmarsia.

A. e. vir quidam dominica Palmarum potu nimio se obruens in Brunsbuttel circa vesperam domum petiit & prope aquæductum Edelacenum in aquam vacillantibus pedibus præcipitatus periit.

navis Hamburgensium naufraga regi vindicatur.

A. e. in vere navis quædam Hamburgensium oneraria iter Hispanicum ingressa, & jam in oceanum vento vecta secundo tempestate subito coorta ad oram Albis rejecta & conquassata prope Brunopolin Dithmarsorum naufragium fecit subsidens in arena Northusana, merces navis cum fragmentis arbitrio regis jam cum Hamburgensibus dissidentis reservatæ & varie a maris accolis distractæ sunt.

Pappenheimius Stadam occupat a Worsatis repressus.

A. e. Pappenheimius in diœcesin Bremensem irruens Stadam denuo occupavit & subditos late per totam oram transalbinam depopulatus est: unde illi in angustias conjecti in Holsatiam & Dithmarsiam trajecerunt. Worsati autem conferta multitudine conglobati advenienti hosti feliciter se opposuerunt: Unde factum est, ut ille ripas Ostenses ulteriores numquam transgrederetur, accedente cumprimis episcopi auxiliari manu.

Transalbini fugitivi naufragio pereunt.

A. e. d. 15. Maji fugitivi transalbini prope Brunopolin Albim trajicientes pontone vehente perierunt una cum octodecim equis viri quasi quindecim, pontone simul submerso: dies erat serenus, sed cum altum petiissent, turbo inopinus navim in alteram inclinans partem vortice absorpsit.

Brodesh. cœnobium usui profano addicitur.

A. e cœnobium Bordesholmianum a Friderico III. Duce Holsatiæ in usus profanos commutatum est.

Dani Friburgum Brem. occupantes rursus ejiciuntur.

A. e. capitaneus regiæ majestatis Henricus Drengenbergius autoritate phrurarchæ Tychopolitani Friburgum diœceseos Bremensis oppidum præsidio occupans & episcopi præfectis militaribus consentientibus contra hostiles Cæsaris & Sueci non procul excubantium incursus defendens; nocte sequente, qua se liberius poculo humanitatis cum præsulanis Bremensibus invitarat, obruitur, cæditur & pro-

Stada Sueeis cedit.

(64) Anno 1632. Cæsarianis Stadam evacuantibus Suecicus miles eam occupat, sed aliquo tempore post Friderico III. Archiepiscopo Bremensi, dein Daniæ regi iterum in possessionem traditur. A. e. circiter curator districtus Wilteniſſe constitutus est Harmen von Haltern vir integerrimus.

profligatur, ita tamen, ut ipſe acceptis aliquot vulneribus ſanitati reſtitutus, milites ejus partim cæſi partim dilapſi ſint. A. e. Dethlevus Meierus præpoſitus Itzehoënſis turbas in eccleſia novas dedit, affirmando Chriſtum ad inferos deſcendiſſe, cum in olivarum horto angorem & conſternationem ſummam paſſus ſudorem ſanguineum emitteret, de alio deſcenſu ſcripturam nihil ſcire, ſtatuendo itidem paradoxon illud abſurdiſſimum; nullum omnino eſſe infernum. Accuſatus ergo & a rege coram judicio eccleſiaſtico accerſitus Tychopoli erroremque mordicus & ore & ſcripta manu defendens condemnatus & ab officio remotus eſt d. 13. Aug. Paulo poſt ſcriptum & doctrinam revocavit publice, ſcripto in hanc rem edito. Sequente anno ab Epiſcopo Bremenſi vocatus eccleſiæ cuidam in Vorde præfectus eſt. A. e. æſtas valde fuit humida & frigida; unde fruges terræ ad juſtam maturitatem pervenire non potuerunt. Triticum præſertim, valde exile permanſit, & cum reliquis frugibus in humiditate collectum ſitum contraxit in horreis, trituratum etiam in æſtatem durare nequivit. Unde annonæ ſumma fuit vilitas, tina tritici emta ſex marcis, ſiliginis quinque, hordei quatuor. A. e. Comes Anglicanus de Leceſtria Robertus Sidnejus navi Anglicana magnifice inſtructa Albim ingreſſus regemque Daniæ Tychopoli adortus de erciſcunda hæreditate reginæ Sophiæ nuper defunctæ pro Carolo rege Angliæ & Palatini Friderici uxore Rendesburgi ad audientiam miſſus eſt. Sed re infecta iter in Angliam reciprocavit. Is cum ob adverſam tempeſtatem in Albi moraretur, Robertus Anſtruder, Comes Angliæ & legatus Britanniæ ad imperatorem Romanum legatione peracta ipſi comitem ſe junxit Qui Brunopoli convenientes, & ventum ſecundum præſtolantes, me loci paſtorem viſitarunt liberaliterque habuerunt d. 20. Nov. A. e. d. 15. Nov. veſpera D. Martino ſacra Franciſcus Ranzovius nobilis Holſatus & aulæ regiæ mareſchallus Hafniæ in aqua periit. A. e. Cæſarianus exercitus ſub præfecto militiæ Wallenſteinio ingenti ſe iterum numero colligens prope Lipſiam iterum per Suecum in pago Lutzen cæditur & profligatur. Ipſe vero Guſtavus rex Sueciæ pro Germanorum libertate & Auguſtanæ confeſſionis immunitate pugnans obit relinquens poſt ſe glorioſum virtutis & pietatis exemplum. A. e. menſe Nov. in Dithmarſiæ parœcia Edelacena monſtrum hominis naſcitur habens bina capita, quatuor pedes quatuorque manus paulo poſt nativitatem mortuum. A. e. Fridericus Palatinus Dux & Elector jure Electoratus & omnibus ditionibus a Cæſare privatus & proſcriptus morte calamitates acceptas finit, cum paulo ante per Suecum Palatinatui reſtitutus eſſet.

Dethlev. Meierus præpoſ. Itzeh. ob paradoxa placita munere privatus, hinc retractione facta Vordæ locatur.

annonæ vilitas.

Legatus Angliæ hæreditatem Sophiæ in Holſ. fruſtra repetit.

Franc. Ranzovius unda abreptus perit.

Sueci victores Cæſarianorum Rege Guſt. Adolpho occumbente.

monſtrum tum. in Ditm.

Frid. Palat. obit.

Anno 1633. Johannes Joachimus Bartesleben conſiliarius regius in Glukſtad mittitur ad cæſaream majeſtatem nomine regis Daniæ pro pacificatione inter Cæſarem & Suecos; qui in itinere mortuus ab Ulrico Duce Holſatiæ Saxoni ſeptemviro pro tempore militante honeſtæ ſepulturæ traditur Dresdæ. A. e. nobilis Holſatus Chriſtianus Pentz nomine regis mittitur ad reginam Sueciæ ob conteſtandam regis Daniæ condolentiam de obitu præmaturo Sueciæ regis mariti defuncti. A. e. mandatum regium in Holſatia publicatur de contributione ſingulorum vomerum, cui ſubjiciuntur omnes univerſim ſubditi tam nobiles quam ignobiles, eccleſiaſtici & politici, exceptis tamen prædicatoribus verbi divini. A. e. paſtor Tellingſtedanus in Dithmarſia ſeptentrionali ſola ruſticorum inſolentia ab officio removetur: ſed brevi poſt a Duce Friderico reſtituitur. A. e. d. 25. Martii dies generalis judicialis litium Holſaticarum & Dithmarſicarum habitus eſt Rendesburgi, in quo ipſe princeps regni Chriſtianus V. præſes fuit. Lutkenburgum dimidia ſui parte conflagravit igni cœlitus immiſſo; ſitum eſt in Wagria diſtatque Chilonio quatuor milliaribus. In parœcia Dithmarſiæ Bareltana ſpectrum viſum eſt media luce, hoſpitis veſtes, alimenta e domo, in qua verſabatur, & ipſis e conclavibus abripiens, quod ſe nulli hominum videndum dedit præterquam hoſpitæ. Tandem precibus fidelium fugatum eſt. A. e. vir quidam Meldorpii veneno ſe ſuſtulit. A. e. tempus vernum ad usque pentecoſten valde frigidum humidumque fuit, ita ut pecora agro paſcuo calendis Majis more ſolito adhiberi non potuerint, ſed longo poſt demum tempore. A. e. Chriſtophorus Vordmeierus regius per Crempenſem & Wilſtrienſem Marſchiam in arce Steinburgo ſcriba Dethlevum Ranzovium præfectum arcis calumniis inceſſens cuſtodiæ condemnatur in regis Daniæ adventum. Sed ille ſententiam latam accipiens fugam arripuit Holſatiæque valedixit, Tonningæ menſe Majo mortuus & 3. d. Junii ſepultus.(65) A. e. menſe Majo rex Daniæ feliciter Tychopolin venit vectigal in portu Tychopolitano Hamburgenſibus ad

Ao. 1633. J. J. Bartesleben a R. Dan. pac. inter Cæſ. & Suec. concilianda cauſa ablegatus in itinere obit.

tributum ab Holſatis exactum.

dies judicialis Holſ. & Ditmarſ.

Lutkenburgi conflagratio.

ſpectrum.

veneno ſe perimens.

tempeſtas frigidior.

regius Cremp. ſcriba calumnians Detl. Ranzovium pœnas luit.

Rex Dan. Hamburgenſibus vectigal auget.

---

inundationes.

Jac. Steinmann præf. Steinb.

Uldaricus D. Sleſw. Cæſari mi-

(65) Anno 1633. variæ oceani fluviorumque contigere inundationes. A. e. Jacobus Steinmannus, primus adminiſtratoris titulo præfecturæ præfuit Steinburgenſi, vir ingenii verſatilis ac ſapiens, qui ſubditis mandatorum male atque id generis novitiis rebus oneri eſſe viſus fuit; is ipſe poſtquam diuturno tempore cum adverſa conflixerat valetudine, peculiari quodam morbi genere abreptus fuit, & oſſa ejus in templo Neoecclesianorum, ubi cellam ſepulcralem lapide coctili undiquaque munitam adhuc ſuperſtes ſibi comparaverat, ſunt recondita. A. e. Uldaricus Dux Sleſwici, Holſatiæ & Stormariæ, hæres Norwagiæ, Chriſtiani IV. filius Cæſari contra Ligiſtas militans a Piccolomineo Cæſaris generaliſſimo ad convivium invitatus comparuit, atque in amicitia ac hilaritate ſympoſio peracto cum ſatellitibus equo inſidens diſcedit. Interim vero morologus Ducis viam præoccupans, in dumeto ſeſe occultans principem ſecure præterequitantem globo trajicit. A. e. Chriſtophorus Vordmeierus regius ſcriba in præfectura Steinburgenſi homo fuit immiſericors, & rigoroſus atque injuſtitiæ labe notiſſimus; in odium vero incidens regis fuga ſalutem quæſivit, Tonningæque demortuus eſt, corpus vero ejus exanime Itzehoam deportatum inibique nocturno tempore clanculum humo conditum eſt.

litans inſidioſe interfectus.

Chr. Vordmeieri reg. ſcribæ Steinburgi iniquioris fata.

ad quinquennium augens: abiit iterum circa pentecosten. templum Suderov. restauratum. A. e. templum Suderovianum antea in bello destructum & ab Alefeldianæ copiæ militibus concrematum de novo exædificari cœptum est. Burch. Ranzov. Suec. militiam sequens obit. A. e. Burchardus Ranzovius juvenis generosissimus, Marquardi p. m. filius, hæreditarius in Sachsdorf & Hasselburg militiam sequens & sub regimine Sueciæ stipendia merens in oppugnatione Hamelæ lethaliter vulneratus obiit d. 2. Julii. Corpus defuncti Hannoveræ depositum, deinde in patriam translatum tumulatumque in Lurkenburg. Agger S. Margar. restitutus. A. e. agger in parœcia Margarethana Albi objectus exterius, & per inundationes crebras antehac ruptus de novo reparari cœpit. nuptiæ nob. A. e. Wolfgangus Henricus a Baudis nuper exercitus Suecici in bello contra Ligistas generalis nuptias fecit cum nobilissima virgine Sophia Gerhardi Ranzovii p. m Domini in Bredenberg &c. relicta filia. Solemnitas ipsa peracta est Itzehoæ d. 5. Aug. rege Daniæ Christiano IV. & electo regni principe Christiano V. suam eam præsentia cohonestantibus. aquæductus Cremp. A. e. Crempis quatuor aquæductus fluvio urbem interluenti prope portam Borsfletanam impositi sunt, qui aquam in adjacentes fossas dividerent. Reg. beneficium Dithmarsis austr. collatum. A. e. præfecti parochiarum in australi Dithmarsia a serenissimo rege Daniæ impetrarunt liberum usum viginti quatuor jugerum pro officiis suis absque contributione usurpandorum, quibus se opponentes ejusdem terræ dicti benepotentes (*Wolmächtige*), utpote quibus onus contributionis annuæ ea ratione duplicaretur, regem de abrogando privilegio supplices adierunt, qui priori decreto abrogato præfectis aliunde stipendium auxisse perhibebatur. Uldar. D. cædes. A. e. Uldaricus Dux Holsatiæ, Christiani IV. filius jam in triennium feliciter belligerans contra Ligistas die undecimo Augusti prope urbem Schweinitz a plebejo milite globulo trajectus obiit inter secundam & tertiam matutinam sequentis diei, juvenis generosissimæ indolis & præclaræ spei relinquens patri & patriæ triste sui desiderium. Funus ejusdem sequenti anno in vere e Silesia transportatum est Hamburgum, Holsatiæ metropolin, indeque navi impositum in Daniam deductum sepolitumque est. Bernhardi D. Sax. Suecicis copiis præfecti fortitudo. A. e. d. 4. Nov. Bernhardus Dux Saxoniæ suffectus in locum Suecici regis Gustavi pie demortui & generalis exercitus Suecici Dux constitutus feliciter belligeravit in Palatinatu superiori & adjacentibus oris, Ratisbonamque præcipuam urbem & imperii clavem deditione cepit non sine insigni thesauro clenodiorum pontificiorum: urbem autem sequentis anni æstate Cæsari pontificiisque reddidit e compacto.

Ao. 1634. Henr. Holkius a Cæs. stipendium merens in Silesia obit frustra desiderans sacra. Anno 1634. Henricus Holkius nobilis Danus post pacem in Dania & Holsatia promulgatam Cæsarianis partibus se addixit & imperatori per Lusatiam & Silesiam militavit per aliquot annos. Sed circa Januarium peste obiit in Silesia, qui circumcirca ministris Christi ferro & flamma fugatis vel necatis, in ultimo agone ministerio verbi & Sacramenti potiri nequiit, licet ingenti pecuniæ vi servum Christi quæreret & desideraret. Cesariani occupata Marchia ejecti Pomerania vicinusque terris. A. e. in hieme Cæsariani iterum Marchiam invaserunt, Francofurtumque cis Viadrum præsidio occuparunt; inde in Pomeraniam & fines Megalopolitanos moventes: sed per exercitum inferioris Saxoniæ, cui Georgius Lunæburgicus præfectus erat, iterum ejecti sunt. suggestus D. Cathar. Hamburg. e marmore. A. e. Hamburgi in æde Divæ Catharinæ suggestus novus ex marmore Luculleo puro post obitum senioris & pastoris ibidem exædificatus est sumtu liberali per mercatorem ab Ufflen in eum erogato Qui tamen pro se suisque hæredibus in eodem templo amplissimum sepulturæ locum pactus est. Pastori Suavestedt. munus abrogatur. A. e. pastor in Suavestede citra Fridericopolin Eyderostadii, eo quod in nobilem Calvinismo deditum locique præfectum acerbius invectus erat, officio motus est. irreligiose diris se devoveus & Satana correptus. A. e. circa bacchanalia piscator quidam Hamburgensis in portu Brunopolitano vento adverso detentus in vicino ibidem diversorio ob suffuratos alicui nummos diris se devovit, si socius suus eos compilasset: quem subito Dæmon arreptum ex hypocausto medioque sociorum egit & ad ripam Albis exposuit, ibidemque corporaliter obsedit longo tempore. Wallensteinius cum sociis trucidatus. A. e. d. 15. Februarii Wallensteinius supremus Cæsariani exercitus Dux Egeræ in finibus Bohemiæ inter epulas nocturnas a quodam Cæsaris deputato cum aliis sui ordinis officialibus præcipuis novem & uno equitum magistro interfectus est, justamque talionis pœnam Deo crudelitatis vindici pro jugulatis tot innocentium millibus, præsertim proditoria illa Ducis Uldarici filii regii interfectione dedit, veroque sui exemplo illud Virgilii comprobavit:

Ad generum Cereris sine cæde & sanguine pauci.
Descendunt reges & sicca morte tyranni.

infanticidia duo Crempis. A. e. in hieme Crempis in aquæductibus novis inventus est infans statim a nativitate neci datus. Autor homicidii inquisitus inveniri non potuit, licet puella aliqua suspecta haberetur. Paulo post etiam ancilla quædam ob infanticidium decollata est. Jo. Cluverius D. Th. obit. A. e. circa natalem Domini exeunte a. 33. diem suum obiit Johannes Cluverus Crempensis S. S. Theologiæ Doctor & ejusdem olim in academia Sorana professor, cum per paucos annos consistorio Meldorpiensi præpositus inspectionem reliquarum ibidem ecclesiarum gessisset. cædes Ditmarsorum inter se. A. e. in australi Dithmarsia cædes quamplurimæ perpetratæ sunt a juvenibus aliquot in conviviis publicis ira & cultro invicem exarmatis. Brunopoli hoc anno tres interfecti obierunt, reliquis parœciis numero Brunopolitanæ nil cedentibus. Una nocte in parvo terræ districtu intra undecimum & duodecimum Julii tres sublati sunt. Ita post promulgatam pacem incolæ in propria viscera sævire cœperunt sola Brunopoli intra quinquennii spatium ultra decem numeratæ parœcianorum homicidia, quorum nullum debita magistratus severitate hactenus vindicatum est. Frid. Ulswi-

daric. D. Br. obit. Ratisbona Cæsari reddita.

swicensis Fridericus Uldaricus. A. e. in æstate Ratisbona d. 4. Nov. præcedentis anni per Bernhardum Vinariensem occupata per legitimam compositionis viam Cæsarianis iterum tradita est. A. e. Hamburgi ultra 6000. infantes pueri & puellæ obierunt morbillis & variolis. A. e. certamen ecclesiasticum Stadæ exortum est inter urbis concionatores. Qui enim tempore belli oppidanis relictus erat a Jesuitis Lutheranus pastor Adolphus Hest, post ejectum præsidium Cæsarianum & Jesuitarum quisquilias publicavit in bonum juventutis erotemata aliquot catechetica vocata *die Kinderlehre*, quibus & Johannes Rislerus pastor ad D. Pancratii suas operas contulit. Illis ut mutilis & passim Calvinismum redolentibus opposuerunt se reliqui urbis pastores, utpote ministerii senior & collegæ ad D. Cosmæ, ad D. Wilhadi & D. Johannis publicantes consilium super dictum libellum cum adjuncta censura & adprobatione D. Nicolai Hunnii Superintendentis Lubecensis.

varioli Hamburgi infantes tollunt

Disceptatio inter sacrorum ministros Stad. ob vulgatum quendam Catechismum.

Jo. Frid. Archiep. Brem. obit.

A. e. obiit Archiepiscopus Bremensis Johannes Fridericus in cœnobio prope Boxtehudam, quod a vetustate nomen sortitur. Corpus sequentis anni d. 5. Maji honorifice Gottorpii sepositum est. A. e. filia Saxonis Septemviri Magdalena Sibylla principissa & sponsa Christiani V. electi principis Daniæ die quinto Septembris principi suo adducenda fines Holsatiæ ingressa est, & prope Steinburgum per Itzehoam succedentesque oras transiit in Daniam nuptias cum Sereniſſimo principe consummatura: sed ob adversam sponsi valetudinem dysenteria laborantis in finibus regni, usque dum revalesceret, commorari coacta est. Sponsam comitati sunt mater Ducissa Saxoniæ & frater natu major Johannes Georgius, item alter frater Augustus cum amplissimo nobilium & plebejorum comitatu. Inter quos fuit D. Paulus Röberus S. S. Theologiæ Professor & Superintendens Wittebergens. A. e. administrator Hallensis Christianus Wilhelmus librum vulgat. in quo causas defectionis suæ ad Pontificiam idolomaniam percenset, qui postero anno jussu regis Daniæ opera Caspari Brochmanni Theologi Hafnienſis refutatus est. A. e. jurenis in Marschia Wilstrienſi matrimonio se obstrinxit puellæ cuidam; sed ante nuptias pudicitiam ejus sollicitans refragante illa jusjurandum dedit se numquam illam ducturum. Unde post in rabiem conjectus mox in arboribus, mox alibi conspectus est. Postea rectæ rationi redditus, cum sponsam ducturus esset, sperata recessit: Qui porro coram consistorio Munsterdorfienſi accersiti matrimonium pactum dissolvere coacti sunt. (65) A. e. d. 5. Octobris solemnia nuptiarum instituit pater Christianus IV. rex Daniæ filio principi Christiano V. cum celsissimi Saxonis Septemviri filia Magdalena Sibylla. Nuptias dictas præsentia sua ornarunt legatus Cæsareus, qui erat Dux Holsatiæ & Slesvigi Fridericus, legatus Hispanicus, legatus Galliæ regis, legatus item Suecicus & legatus Polonicus. Ante dictam solemnitatem rex Daniæ cum legatis de ordine sessionis deliberationem instituit. Legatus Sueciæ primum poposcit locum, eo quod affinitate junctus reliquos præcederet. Quod cum dissentaneum visum esset, ipsi permissum est seorsim in conclavi deputato usque ad finem nuptiarum commorari, in quo regie habitus est. Huic se opposuit legatus Hispaniarum, qui locum Cæsari debitum itaque primorem occupare contendebat. Qui ubi de peculiari legato Cæsaris Duce nempe Holsatiæ, Slesvigi & hærede Norwegiæ Friderico nuncium accepit, prætensis absentiæ causis antea se mature alio recepit. Legatus Poloniæ de sessione non contendit, sed rem totam arbitratui regis Daniæ resignavit. Legatus Angliæ nullus comparuit. Appropinquante ergo & feliciter illucescente die prima Octobris, quæ deductioni domum destinata erat, ipse princeps regni sponsusque Christianus V. jam revalescens sponsæ advenienti obviam processit regio cum comitatu, quem inter præcesserunt præter equites, Mareschallos nobilesque ipsius legati Cæsarei Ducis Friderici adjuncti officiarii, Comes item Waldemarus, bini principes Sunderburgiæ, tres duces Holsatiæ, Fridericus nempe sponsi frater, Philippus & Johannes Episcopus Lubecensis. Hos secutus est ipse sponsus, cujus latera defenderunt ministri

refutatur curante Rege Dan. sponsi cognatam sua.

Magdal. Sybilla Sax. Christiani V. sponsa adveniens honorifice excepta.

Christi. Wilh. Admin. Hal. libro defendit defectionem suam ad Pontificios

Christiani V. nuptiæ celebrantur; ejus comitatus.

Rixa inter legatos comparitu. de prærogativa sessionis.

---

frigus eximium.

(65) Anno 1634. post inundationem famosam, quæ 2. Octobr. accidit, hiemis tanta subsecuta est inclementia ut omnia flumina congelarint, atque a pago Bilenberg per Albim in Kintheandiam & terram Keding vehiculis transire potuerint tempore quadragesimali sequenti circa Domin. Lætare. A. e. cornu ex auro venaticum haud procul ab urbe Ripensi ab ancilla quadam repertum est: cum enim inopino pede id offenderet atque peracto fodiendi labore, cui exantlando ab hero suo eo missa ac demandata erat, desiderio intimiori tangeretur perscrutandi, quid rei esset, unde sibi hæc permolesta pedum allisio excitata, effodit illum e terra proëminentem stipitem atque primum inter frusta ferri rubigine consiti abjecit, dein Ripam abiens fabro stannario ibidem venale obtulit, eodem vero ex ignorantia emtionem recusante, ad aurifabrum progressa, cui sex solidis licitatum & 5. solidis hac cum clausula venditum est, si in posterum majoris esse pretii reperiretur, sese quoque grandiorem pecuniæ summam præstolaturam. Unde artifex perterrefactus, præfecto ejus loci cornu hoc mirificum ex purissimo auro & obryzo confectum detulit, qui id ipsum sui juris conticendo esse jussit. Sed anno 1636. mense Augusto, cum princeps Christianus V. per pilicrepum Tychopoli ea de re certior factus esset, ad celsissimum parentem relata detulit, qui litteris ad præfectum Ripensem datis per prætorem cornu accepit, ubi cura aurifabri cujusdam repurgatum totamque venationem figuris cervarum, leporum aliarumque ferarum ac animalium exhibuit, nullo omnino nomine insignitum; unde rex hariolans a rege illo, qui Ripis sedem aliquamdiu fixerat, dimanasse statuit, & certissimam auctoris indicationem 100. Joachimicis majorem se æstimare dixit: interim sibi longe aliam aurum argentumve consumendi constare rationem; quamvis pro 10000 thaleris sibi præsens non sit venale. Pilicrepo ad promissum principis 100. thaleri sunt persoluti. Atque rex eo die cum principe & magnatibus foramine angustiore, quod ad contractiorem ejus finem est, cera alba per pharmacopolam præcluso, vinum Rhenanum exinde ad hilaritatem usque hausit.

Cornu venaticum aurum circa Ripam repertum, postea ad Regem relatum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nistri ordinarii satellitum, quem secuti sunt regni senatores, & aurati equites præcipui; agmen clauserunt quatuor turmæ equitum. Hoc cum comitatu sponsus extra urbem usque ad primum ejus lapidem sponsæ obviam procedens eandem solemniter excepit & per Hafniam usque ad regiam in ea arcem deduxit. Sponsæ comitatus fuit hic. Præcesserunt equites, Mareschalli, nobiles & officiarii plurimi; quos secuti sunt Cæsarei legati Ducis Friderici nobiles juxta priorem ordinem. Hos secuti sunt Dux Sunderburgiæ unus, Comes Mansfeldiæ unus, bini deinde Duces Saxoniæ, sponsæ nempe fratres cum adjunctis satellitibus. Eos secuta est principissa Magdalena Sibylla sponsa sedens in curru exornatissimo, cujus latera cinxerunt mater Duciissa Saxoniæ & soror Duciissa Sleswigi Holsatiæ. Illam secuti sunt unus principis & septem alii currus, officiales item plurimi & ordines equitum distincti. Agmen clauserunt quinque equitum turmæ. Hoc ordine cuncti procedentes adque portam urbis venientes clangore tormentorum tam oppidanorum quam navalium excepti sunt. Die quinta Octobris illucescente post meridiem ipsa copulatio sponsi & sponsæ instituta est sponsum ad locum destinatum amplissimi cœnaculi deducente ipso patre Christiano IV. & fratre Friderico. Princeps gestabat nudato capite coronam unionibus insignem a sponsa donatam & lapide adamantino exornatam, quos delegati Cæsaris, regis Galliæ & Poloniæ secuti sunt. Principissa vero ad locum sacris destinatum a fratribus binis deducta est, quos deinceps mater Duciissa & soror Duciissa secutæ sunt. Post hos feminæ & virgines e Saxonia & Holsatia nobiles præcipuæ successerunt. Post auditam musicam D. Christianus Matthiæ e Psalmo CXXVIII. copulationis habuit sermonem, quo finito princeps & principissa ad cubiculum præparatum deducti sunt, ubi sponsa sponso solemni oratione nomine Ducis Saxoniæ tradita est. Interea confectura aromatica & vino multifario mensæ gravatæ sunt Musicis invicem harmoniæ dulcedine certantibus. Peractis sacris princeps ad suum & principissa ad suum conclave deducti sunt. Postero die, qui erat 6. Octobris sponsus & sponsa iterum in dictum cœnaculum magno cum comitatu præsentium hospitum deducti sunt. Ubi D. Christianus Matthiæ sermonem habuit brevem ex Oseæ c. II. v. 20, quo finito sponsus cum genu flexo benedictionem accepit divinam. Postea mensa sepositа est, in quam conjecta sunt dona nuptialia. Primo principis nomine dos oblata est sponsæ, deinde rex Daniæ catenam adamantinam 700000. imperialibus æstimatam, legatus cæsareus catenam ex unionibus 10000. imperialibus æstimatam, legatus Polonicus suum porro donum ordine obtulerunt. Legatus Galliæ huic actui non interfuit, nec quicquam donarii obtulit. Post hæc tradita sunt dona Ducis Saxoniæ, Duciissæ item & Friderici filii regii fratrumque sponsæ reliquorum. Tertio die, qui erat VII. Octobris Principissa sponsa regi & præsentibus legatis principibusque reliquis, ut & regni senatoribus aliisque officialibus præcipuis donavit corollas unionibus insignes, & præclaro clinodio ornatas. Postea mensa nuptialis iterum instructa est, qua remota comœdiis & ejus generis inventionibus oblectari cœperunt hospites usque ad profundam noctem. Atque ita solemnitas nuptialis in pace finita est. A. e. die 9. Octobris rex Daniæ Christianus IV. auratæ militiæ inauguravit equites e præcipuis regni & Ducatus nobilibus. E Danis fuit primus Christianus Thomæus, Otto Schiel, Hans Lindenaw, Justinus Hœg academiæ Soranæ præses, Christophorus Uhren vicarius Norwegiæ, Olaus Pasberg, Axel Arenfeld, Corvicius Ulefeld. Ex Holsatis fuerunt Cajus ab Alefeld præfectus Flensburgensis, Casparus a Buchwald præfectus Segebergensis, Christianus Penzius præfectus Rendesburgensis, Dietericus ab Alefeld præfectus Swavenstedensis. Cærimoniæ præcipuæ hæ fuerunt: Inaugurandus in genua procubuit, cui rex ter scapulam sinistram verberavit gladio deaurato, quem ipsi regni Mareschallus prætulit; ternæ pulsationi rex addidit hæc verba: ego te creo equitem in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti; Surge eques N. N. Post hæc caduceator e fenestra publice proclamavit & promulgavit, sereniissimum regem Daniæ N. N. creasse equitem auratum virum nobilem &c. Ita duodecim hi ordine in numerum equitum auratorum adlecti sunt. A.e. d. 8. Oct. Philippo Sleswigæ Holsatiæque principi in Gluksburg &c. nata est Hafniæ filiola, cum in nuptiis regiis cum conjuge comparuisset, quæ cum minus firmæ valerudinis esset, statim ibidem sanctissimo baptismi lavacro tincta est. Nomen ipsi a rege sereniissimo inditum est Christianæ. A. e. die 10. Octobr. nuptiæ Christiani Pentzii equitis Holsati & præfecti Rendesburgici peractæ sunt Haffniæ in arce regia cum Sophia Elisabetha filia regia. Sponsus ad locum sacris destinatum deductus est a Cæsareo & Gallico legato; sponsa autem a rege Daniæ & legato Polonico. Copulatio peracta est a concionatore Germanicæ ecclesiæ Hafnienſis. Sequente nocte hora tertia incendium in urbe ortum fuit, quod tamen regis præsentia & aquæ copia mox restinctum est, licet domus quædam amplissima civitatis dimidia sui parte conflagrasset. Postero die dona nuptialia sponsis oblata sunt a rege & reliquis hospitibus nobilibus totius Ducatus & regni; quæ tanto ibi numero conspecta sunt, quanto nemo se unquam uno tempore vidisse fateri ausus fuit. A.e. die 11. Octobr. nocte intempesta ingens maris inundatio orta est in oceano occidentali, quæ per totam Nordalbingiam non tantum aggeres objectos superavit & evertit, sed & accolis insigne damnum dedit, quod tinas aliquot auri exæquavit. In Dithmarsia sola aquæductus plerique funditus eruti sublatique sunt. Meldorpii in Elbersbuttel unus, in Tellingburen item alter, Barleti duo, in Trengenwort unus,

sponsæ comitatus.

copulationis solemnia.

dona data.

equites aurati a R. Dan. creati.

Philippo D. Glucksb. filia nascitur.

Sophia Elisab. R. filia nubit Christiano Penzio ab Holst.

incendium Hafn. mature extinctum.

Inundatio perniciosissima Ditmarsis, Strandis aliisque.

unus, Wordæ tres, Hemmingſteti unus; Brunopoli etſi nullus aquæductuum ſublatus ſit, damnum tamen ex hoc diluvio ſenſit ejusmodi, quod plus quam 8000. marcas exæquavit. Tinæ triturati ibidem frumenti quaſi 3000. perierunt, jugera vero tritico & ſiligine ſubacta 2000., Nordſtrandia hac vice majorem cladem ſenſit. Eſt terra oceano & flumine Hevera undique circumfuſa continens in longitudine tria, in latitudine unum milliare; cujus quæque fere diœceſis tantum non funditus exhauſta exſtinctaque eſt, prout ex hac deſignatione patet.

Parœciarum nomina	homines ſubmerſi	domus vaſtatæ
Lyth	171	41
Herſebyll	30	11
Emsbyll	232	37
Trindemarch	100	33
Odenbyll	142	38
Gaickenbyll	232	73
Stintebyll, Brunock } junctim	366	75
Illgrufft	283	75
Buqhever	340	90
Pittworm majus, Pittworm minus } junctim	1012	191
Weſterwold, Balum } junctim	164	56
Oſterwold	394	43
Buptehe, Bupſehe, Bupſchlutt } junctim	750	147
Konigsbyll	212	62
Volligsbyll	340	75
Rhorbeck	380	94
Evesbyll	170	39
Morſum	350	84
Hamm	365	72

Inter hos ſubmerſos novem fuere verbi divini miniſtri & duodecim præceptores ædituique: turres periere ſex, molarum frumentariarum viginti octo everſæ; clades accepta in jumentis & aliis pecoribus numerum fere exceſſit; quantum tamen reſciſci potuit, plusquam 50000. capita eorum perierunt. Fracturæ aggerum præcipuæ quadraginta quatuor inventæ ſunt, quæ aquam quotidie emiſerunt & intromiſerunt. Numerus hominum ſalvatorum etſi exacte reſciri non potuit, quadringentos tamen eorum non exceſſit. Tantum iraſcente terris Deo ſola Nordſtrandia ſenſit cladis. Quid referam reliquas Marſchias & civitates, quæ hactenus raro vel numquam ſalſi Neptuni æſtuantem rabiem ſenſerunt, Huſemum, Londinum, Fridericopolim, Tonningam, Hemmam, Heidam, Weſſeliborium, Wordam, Meldorpium, Barletum, Marnam, Brunopolin, Margretam, Brokdorpium, Wefelsfletum, Tychopolin, Crempas, & ipſam denique Hamburgum. Nullus eorum locus ab effuſa Dei ira immunis perſtitit, cum & loca aliqua transalbina eandem ſenſerunt, aqua aggeres ſupergreſſa & agros incolasque in Kedingia præcipue ſubmergens. A. e. d. 25. Octobris crepera veſpera luce quinque mercatores Hamburgenſes prope portum Brunopolitanum cymbula Albim petentes navimque onerariam proxime adjacentem ingreſſuri, everſa cymba in aquis miſere perierunt. *5. mercatores Hamburg. in Albi pereunt.*

A. e. menſe Octobri ſartor quidam Crempenſis famulum ſuum pugnis interfecit. A. e. obiit calendariographus Danicus Nicolaus Hedwaderus. *homicidium.*

Anno 1635. Fridericus hæres Norwegiæ, Dux Holſatiæ, Chriſtiani IV. filius, poſtulatus Archiepiſcopus Bremenſis, defuncto Joanne Friderico in præſulatum ſucceſſit, avideque nec minus honorifice a ſtatibus exceptus eſt. (66) *Ao. 1635. Frider. D. Regis fil. Archiepiſc. Brem. deſignatur.*

A. e. ruſticus quidam prædives in Dithmarſia nomine Hans Rode calumniis D. Chriſtianum Matthiæ olim præpoſitum Meldorpienſem proſcindens & per polypragmones miniſterio infenſos apud regem deferens, quaſi ſibi in agone mortis conſtituto ac fornicatione polluto ſacroſanctam cœnam porrigere recuſaſſet, niſi numerata prius mille imperialium ſumma, mendacii convictus & in pœnam 2000. imperialium regi ſolvendorum & 1500. marcarum falſe delato ſolvendarum condemnatus eſt. Cumque bonis temporalibus abundaret, ad pias cauſas mille marcas Lubecenſes ſuperaddere coactus eſt; qui paullo poſt dolore victus interiit. A. e. menſe Martio obiit D. Johannes Schœnbach, Gerhardi Ranzovii p. m. quondam conſiliarius aulicus. *dives quidam ruſticus Ditmarſ. calumnians D. Matthiæ mulctatus.*

A. e. d. 17. Martii Petrus Syncnecius paſtor Haterslebienſis a loci præpoſito apud regem delatus, quaſi contra analogiam fidei cumprimis 24. FRIDERICI II. articulum docuiſſet, publice coram judicio præpoſitorum accerſitus non comparuit; ſed pridie inſtituti conventus ipſe officio renunciavit honorifice, cui porro rex cathedra per totum regnum interdixit præpoſitumque accuſatorem ſimul officio removit: Syncnecius vero ſequente anno mortuus eſt. A. e. circa Paſcha, Suecici exercitus turmæ aliquot prope Lubecam viſæ vim ſubditis regiis inferre: ſed rex Daniæ con- *paſtor Haterſleb. heterodoxiæ inſimulatus munere ſe abdicit, itemque præpoſitus delator abrogatus.*

meteoron.

tres chiliarchæ Hamburgi convivantes miſere pereunt.

(66) Ao. 1635. d. 17. Nov. chaſma in oriente circa 6. veſpertinam obſervatum Holſatis formam gerens cometæ caudati dein ſeſe dividens figuram quaſi gladii aſſumſit. *Fiſch. Diopt. p.* 10. *ſeqq.* A. e. chiliarcha Hamburgenſium Kniphuſio opiparum parante convivium tragicus Hamburgi caſus accidit. Invitat enim tres Hamburgi peregre degentes chiliarchas ad convivandum, cum vero hos inter unus nomine Hochgrevius patre ſutoriam exercente artem prognatus eſſet, ab altero ſcommatibus inde ac ſarcaſmis laceſſitur, hic injuriarum impatiens, vindictæ cupidus atque mero non minus ac cæteri æſtuans, hoſtem ſtricto confeſtim petit gladio, unde hi duo in hypocauſto nefario auſu congreſſi ceciderunt, tertius horrendum iſtud ſacinus extimeſcens caballo conſcenſo domum ſuam petit, ſed cum equus inopinato ſeſe præcipitem daret, collo confracto ſpiritum in platea pariter miſerrime efflavit. Signa vero triados hujus infeliciſſimæ in ædibus Petro Paulinis Hamburgi hodienum conſpiciuntur. Convivator vero Kniphuſius connivendo quaſi, diuturno tamen temporis ſpatio, Hamburgi deinceps in obſcuro & clanculum delituit. A. e. d. 8. Octob. aquæductus Campenſis (dictus *Rheder-Schlüſſe*) tempeſtate fimditus erutus eſt ſublatusque; unde novi alterius adornatio & confracti aggeris redintegratio vel ad ſummam 30000. marcarum excurrit. *aquæductus Camp. reſtituti ſumtus.*

de Weſtphalen Monum. ined. Rer. Germ.

conſcribens ſubditorum aliquot manipulos, graſſantibusque obviam procedens mox abitus nuncium de iisdem accepit. Lubecenſes quoque valla tormentis animarunt, eque ditionibus ſuis novos hoſpites exturbarunt.

navis frumentaria in Albi peſſumdata.

A. e. navis quædam frumentaria prope Brunopolin in Albi tempeſtate nimia conquaſſata periit cum quatuordecim hominibus.

Chriſt. R. Norwagiam Holſatiamque viſens.

A.e. rex Daniæ Chriſtianus IV. alta in pace Daniam & Holſatiam poſſidens Norwagiæ regnum viſitavit prima cum hirundine & in Julio reſtitutus eſt feliciter Tychopoli.

Duces Sunderburg. viſitato Comite Oldenb. redeuntes.

A.e. menſe Aprili Hanſo Chriſtianus & Erneſtus Guntherus Duces Holſatiæ & Sunderburgiæ fratres, poſtquam Comitem Oldenburgenſem viſitaſſent, Brunopolin navi appulerunt, & inde per Dithmarſiam in patriam feliciter redierunt.

Frider. III. D. ad Moſcorum Ducem legatio commercio-rum cauſa.

A. e. Fridericus III. Dux Sleſwigi & Holſatiæ legatione miſſa adiit Moſchorum Ducem magnum, eumque ſollicitavit de libera in Perſiam navigatione merciumque Perſicarum commutatione & negotiatione traducenda in Holſatiam & præcipue Fridericopolin Eiderſtadii. Cujus petitioni Moſchorum Dux adſtipulatus eſt legatosque Ducis Holſatiæ liberaliter & honorificentiſſime habuit.

paſtor Oldenswort. inter ſacra exſtinctus.

A. e. paſtor quidam in Oldenswort Eideroſtadii, cum ſanus domo egreſſus eſſet ad habendam concionem in templo, usque ad ſtatutum ejus inchoandæ tempus in ſecretiore parte, (vulgus vocat *die Gerkammer*) tantiſper meditabundus ſubſtitit, & ſub decantatione confeſſionis ſymbolicæ mortuus inventus eſt. Fuit ipſi nomen Joanni Schnellio.

Joannes D. Sl. epiſcopus Lubec. deligitur.

A. e. Joannes Dux Sleſwigi & Holſatiæ Friderici III. frater poſtulatus epiſcopus Lubecenſis, poſt mortem Joannis Friderici archipræſulis Bremenſis poſſeſſionem Epiſcopatus ſui adiit Lubecæ.

Jo. Georgii El. Sax pax cum Cæſare ejusque conditiones.

A. e. d. 29. Maji Saxo ſeptemvir Joannes Georgius poſt diuturnam belligerationem & reciprocantes ſui Cæſarianique exercitus clades, pacis fœdus cum Cæſare pepigit, ita ut cœnobia aliaque bona eccleſiaſtica ſtatibus Romani imperii Auguſtanæ confeſſioni addictis mediate ſubjecta & ante transactionem Paſſavienſem occupata juxta tenorem ejus transactionis intemerata ſtatibus permaneant. Bona autem eccleſiaſtica immediate arrepta & ante Paſſavienſem compoſitionem item poſt eam occupata ſtatibus Auguſtanæ fidei addictis per XL. annos a tempore pacificationis usque plenarie concedantur, prout anno cIↃ IↃc XXVII. ea unicuique in uſu fuerunt. Ne autem poſteri poſt annorum dictorum decurſum novis bellicorum motuum incendiis involverentur, decretum eſt interea temporis media pacificatione per ordinarios interpoſitores quærere, quibus gliſcentes utrinque diſſeſſiones a bonis eccleſiaſticis ortæ tollantur. Quibus nihilominus deficientibus jus ſuum unicuique parti integrum relinqui debeat, quod anno cIↃ IↃc XXVII. habuit, nemine interea arma defendendæ ſuæ parti capeſſente. Archiepiſcopatum Magdeburgenſem Cæſarea Majeſtas ob mutuam pacem Saxonis ſeptemviri filio Auguſto ſponte relinquit, usque ad vitæ periodum. Ita tamen ut Chriſtiano Wilhelmo olim Epiſcopo & adminiſtratori Hallenſi in vitæ ſuſtentationem ad annos vitæ ab Auguſto filio quotannis ſuppeditari debeant 12000. imperiales. Epiſcopatus autem Halberſtadienſis filio Cæſariano Leopoldo Wilhelmo relictus eſt. In Archipræſulatu quoque Bremenſi exercitium utriusque religionis ſartum tectumque relinquitur, prout anno cIↃ IↃ XXVII. in uſu fuit. Equeſtri ordini imperii liberum Auguſtanæ confeſſionis exercitium relinquitur. In cauſa Palatini proſcripti etiam defuncti ſententia Cæſari immutata ſedit, qua antea diadema Palatinatus Bavaro adjudicarat, promiſſa tamen ſingulari gratia proſcripti hæredibus alimentatione principe digna. Megapolitanos autem quod concernit Duces, eos Cæſarea majeſtas, ſi pacificationis media acceptent, in gratiam receptura eſt. Idem Brandenburgico promittitur & aliis Auguſtanæ confeſſioni addictis Lipſienſisque unionis conſortibus, quos Cæſar interveniente hac pacis acceptatione ſub generalis amneſtiæ gratiam recipere velit, ſi delicta agnoſcant & arma deponant.

confœderatio contra Gallos & Suecos pacem renuentes.

De cetero transactione hac concluſum eſt, ut externi hoſpites, utpote Gallus & Suecus, conjunctis viribus e Romano imperio totaque Germania ejiciantur, inque eam rem Saxo generalis Dux militiæ Cæſarianæ datus eſt. Pacis hiſce legibus & contractui Pragenſi ſe, ne hoſtes imperii audirent porro, ſubmiſerunt Elector Marchio Brandenburgicus, Vinarienſis, Lauenburgici & Lunæburgenſes Duces. Principes hos ſecutæ civitates imperiales Norimberga, Ulma, Francofurtum. Patebat etiam Bernhardo Vinarienſi ad reconciliationem aditus, ſed ille Gallica promiſſa amplexus Suecico ſe ſubduxit bello. Megalopolitanis Ducibus pacificationi accedentibus Cæſar ignovit & Ducatum Wallenſteinii perfidia ad ſe revolutum reſtituit. Suecis autem mox ſub Joanne Banerio, ut imperio decederent, imperatum eſt a Saxone. Quod ut facilius & felicius obtineretur concordiæ gratia Suecis duodecies centena millia imperialium oblata ſunt per eundem. Sueci plura poſtulantes, cum vota his explere nequirent, poſt menſium aliquot tergiverſationes hoſtilia iterum arma expediverunt, quibus Elector tota Saxoniæ ſuæ mole iterum incumbentibus obviam proceſſit.

Hiſpanorum in Brabantiam & Galliam Germano-Belgicam impetus repreſſus.

A. e. d. 14. Maji Hiſpani prope Namuram & Luicam per Rhenum in Brabantiam & Galliam Germano-Belgicam venerunt: ſed Gallus fines Germaniæ ante ſemeſtre ingreſſus felici Marte illos exturbavit, 5000. eorum internecioni dans, 800. captivos ducens & duas auri argentique tinas cum vexillis & curribus onuſtis quamplurimis occupans.

lex veſtiaria & de celebr. litaniæ Ditmarſis a Rege data.

A. e. in Julio rex Daniæ novam rerum veſtiariarum ſumtuariarumque legem per Dithmarſiam publicari ordinarique fecit, adjuncto de quot menſibus celebranda publice litania mandato, quam ante annum quot ſeptimanis celebrari ordinaverat.

prodigia Holſ.

A. e. multa prodigia ſanguinis viſa ſunt in Holſatia & Dithmarſia. In Septembri Marnæ panis ſiligineus multa ſanguinea grana oſtentavit oculis noſtris expoſita. Itzehoæ etiam guttæ ſanguinis in lapidibus platearum

tearum conſpectæ ſunt. Et ejusmodi generis alia alibi; de quibus vide concionem noſtram prodigialem. A. e. circa autumnum Comes Schawenburgicus Juſtus Erneſtus obiit.

Juſt. Ern. Com. Schaumb. obit.

Anno 1636. mercatores Hamburgenſes ſpe lucri evocati circa nundinas Lipſienſes brumales, in reditu inſigne rei ſuæ damnum a milite Suecico circa Erfordiam accepere. Aurigis enim diſperſis & curribus effractis mercimonia diſtracta æsque præſens direptum rapinæ militis ceſſit. Quod damnum 6. tinis argenti æquiparatum fuit, nec ſimile umquam diſpendium una vice, prioribus temporibus incluta urbs Hamburgum ſe ſenſiſſe faſſa eſt. (67) A. e. in Januario Chriſtianus Pentz regis Daniæ conſiliarius provincialis orator mittitur ad Cæſarem ob diſſidium regis cum Hamburgenſibus & archiepiſcopatum Bremenſem, qui re bene geſta & compoſita in Julio Holſatiæ Tychopoli reſtitutus eſt, inſignibus Comitis a Cæſare condecoratus. A. e. in vere per Holſatiam & Dithmarſiam oberravit agyrta quidam natione Gallus, cui ex uno latere infans creſcens promicuit, alterum pedem lateri immiſſum habens, qui omnia vegetantis naturæ munia obivit, alimenta vitæ e corpore agyrtæ attrahens. A. e. in Majo mandatum regium per utrumque Ducatum & Dithmarſiam publicatum eſt, quo cenſus novus imponebatur mercibus omnibus internis & externis, ita ut de importandis novis mercibus, quibus ſubditi absque damno carere poſſe præſumebantur, venditor, de exportandis autem, quibus non æque ſubditi carere poſſunt, emtor tributum pendere jubeatur. A. e. in æstate caſtellum Belgarum in medio Rheno exſtructum (cui nomen Schenckenſchantz) in poteſtatem Hollandorum non ſine magna impenſarum & roboris militaris attritione rediit, cum ea ante annum improviſo excidiſſet ab Hiſpanis occupatum. A. e. rex Daniæ viam illam, quæ eſt inter Tychopolin & Crempas Stormarorum lapide perpetuo ſterni fecit non ſine inſigni viatorum commoditate. A. e. d. 31. Maji Friderico Archiepiſcopo Bremenſi, Epiſcopo Verdenſi, coadjutori Halberſtadienſi, hæredi Norwegiæ, Duci Holſatiæ, Stormariæ, Dithmarſiæ, Comiti in Oldenburg & Delmenhorſt homagium præſtitum eſt Stadæ, cui non multo poſt Brema idem humiliter præſtitit. A. e. in Junio ancilla quædam Meldorpii Dithmarſorum extra urbem heri ſui mandata exſecutura loco mota eſt & in exſtaſin rapta, primum ad orci fauces devenit, in quarum veſtibulo multos adhuc vivos ſellis inſidentes & materiam ſulphuream ignis infernalis ſibi invicem propinantes, demortuos autem plures ſibi olim notos atque in tortura gehennali miſere æſtuantes vidit; ſed porro inde manibus binorum puerorum deducta ad cœlum beatorum prothyron, ubi ſe multos pie demortuos vidiſſe affirmavit. Reddita deinde terræ loco, unde mota erat, a juvenibus iſtis albicantibus, juſſa eſt viſa nunciare Meldorpienſibus, ita tamen, ut non uni eorum ſingulatim, ſed omnibus junctim diceret & in nomine Dei præciperet pœnitentiam intimare terræ, & præſertim illis, quorum imago ante fauces orci viſa erat, utpote notoriis vitiis injuſtitiæ, avaritiæ & ſuperbiæ ſupra modum deditis. Atque ut de viſione nec ipſa nec alii dubitarent, privata eſt in triduum a Deo (ſic ſignificantibus juvenibus) linguæ uſu, usque dum terni ſimul & ſemel collegæ loci convenerunt, & mutam ſalutarunt, quibus acta omnia & ſingula arbitris remotis ſunt aperta & concredita. A. e. a paſchate usque ad diem S. Viti cœlum æneum fuit, nec ullam pluviam ſementi faciendæ demiſit, unde fruges æſtivæ partim enatæ partim relictæ ſunt poſt S. Viti demum arvo ſurgentes. A. e. in vere rex Daniæ ſubditorum ſuorum copias ſequeſtraras (*den Ausſchuß*) convocavit in Glukſtad e Dania, Holſatia & Dithmarſia, earumque aliquot finibus Ducatus ſui impoſuit ad arcendum terrendumque hoſtem, aliquot recuperandis vallis civitatis phrurarchæ dedit. A. e. d. 31. Julii Chriſtianus Ranzovius Dominus in Breitenberg & Ranzow &c. Gerhardi producis regii filius, nuptias fecit cum Dorothea Ranzovia Dethlevi præfecti Steinburgenſis filia. Quibus interfuit rex Daniæ Chriſtianus IV. & regni princeps Chriſtianus V., Dux item Sunderburgiæ Philippus & Comes Oldenburgenſis aliique hoſpites primarii multi. Rex Daniæ inde Tychopoli redonatus, ibi judicium provinciale habuit. A. e. Sueci poſtquam a Saxone ſeptemviro pacificatione Cæſariana non comprehenſi, ſed excluſi eſſent, indignatione rei & ſuorum officiorum Saxoni & reliquis ſtatibus unitis præſtitorum æſtimatione moti bellum adverſus Saxonem jam ante annum ſuſceptum continuarunt, & ab adverſa parte jam Saxonia, Pomerania & Megalopolitana regione excluſi, a Germanis autem deſerti Ducatum Lunæburgenſem invaſere Lunæburgumque civitatem non tam deditione ceperunt, quam improviſo occuparunt, cum antehac in nullius extranei hoſtis poteſtate ea fuiſſet. Exinde Bannerius Suecorum Dux feliciter belligerans Dœmitzio Saxones ejecit, ad Kiritzium quinque legiones delevit, & in Miſniam iterum irrupit civitates late occupans. A. e. in Auguſto inter copias regias Tychopoli excubantes bini Dani invidiæ œſtro perciti extra urbem ſe provocarunt. Quia enim e parentibus vicinis diſpare ſorte oriundi erant, alter pauperior alterum ditiorem, qui a patre argentum acceperat, trucidavit; at mox facinore peracto multis lacrymis demortuo aſſidens parentavit, donec rumore in civitate accepto per carnificem apprehenſus juſſu regio decollatus eſt. A. e. cum exercitus Suecicus ſub Bannerio Miſniam invadens Mersburgum, Weiſenfelſam, Jenam, Naumburgum, & pagos circumcirca depopularetur,

Christian. Pentz legatus Dan. Cæſarem Hamburgenſibus & Brem. reconciliat comesque ſalutatur.

agyrta monſtroſus.

tributum mercibus in Holſ. impoſitum.

Schenckenſchanz Belgæ ab Hiſpanis recuperant.

via ſtrata inter Tychop. & Cremp.

Friderico D. Stadenſes & Brem. ceterique homagium præſtant.

viſio mira ancillæ cuidam Meldorp. enata.

pluviæ defectus.

milites in Holſ. e provincialibus delecti convocantur.

Chriſt. Ranzovii c. Dorothea Ranz. nuptiæ a Rege frequentatæ.

judicio provinciali Tychopol. Rex intereſt.

Sueci a fœdere excluſi Lunebur. genſem tractum occupant, Saxonibus fuſis Miſniam invadunt.

ſingulari certamine alterum perimens punitus.

Jenenſis Bibliotheca

(67) Ao. 1636. fortalitium ad Albim Tychopoli Stormarorum juſſu Chriſtiani IV. eſt erectum per Titken & Henricum Clunder.

& Jo. Gerhardus duriora a Suecis patiuntur.

cladis hæc militaris inter alios etiam preſſit familiam & bibliothecam, ipſam denique vitam theologi excellentiſſimi D. Johannis Gerhardi, qui non multo poſt vita hac exceſſit, cum Suecos nonnihil infenſiores haberet ob panegyricum, nuper pro redonata Saxoniæ pace promulgatum. A. e. Rex Daniæ & Dux Holſatiæ Chriſtianus IV. Itzehoæ judicium provinciale inſtituit, cui ipſe præfuit, in quo cum procuratores promiſcuo numero comparerent, & ad dicendum ſurgerent, quos inter indocti & inexperti tyrones plurimi erant; rex eorum animadvertens audaciam & impudentiam, inque dicendis calumniis libertatem (cui in inferiori foro aſſuefacti erant,) plures carceribus condemnavit, omnes officio abdicavit, aliosque juratos ordinariosque advocatos ipſorum loco ordinavit in auſtrina Dithmarſia quinque. A. e. Hamburgi proditio cudi cœpit per judicii advocatum nomine Schenkium, partibus Cæſarianorum faventiorem, quæ mox detecta autorem debitis periculis involvit & a ſenatu capitis damnatum ſupplicium dignum luere fecit anno ſequente. Res memoriæ ergo huic verſui tradita eſt, tempore, SChenkIVs HaMbVrgI qVo proDItor eXtItIt VrbIs. A. e. in Pruſſia ortus eſt novus quidam Deus, qui ſe Syrdos appellavit filiumque Dei profeſſus eſt, homo ſceleſtiſſimus, hebrææ autem & græcæ linguæ ſcripturarumque gnariſſimus, qui non ſolum ob blasphemiam, ſed & nigromantiam, ſtupra & adulteria plus quam quinquaginta a ſe commiſſa juſtas Deo & magiſtratui pœnas dedit igne crematus. Idem in impœnitentia pertinax triduo poſt ſe reſurrecturum prophetavit, quod hucusque factum non eſt. A. e. Sueci per Hatzfeldium Cæſariani & Saxonici exercitus generalem nupere Magdeburgo & circumjacentibus oris expulſi ducatuique Megalopolitano intruſi ad Witſtochium ſtativa fixerunt, ubi mox commiſſa pugna ſuperiores evaſere, Cæſariani vero & Saxonici ſub Duce Hatzfeldio, ante quam debellarentur, fugere & Halberſtadium ſe recepere. Interim Bannerius Suecorum Dux Werbenum fortalitium d. 25. Octob. expugnat, unde mox ſuas iterum copias in Miſniam infundit & totam ſubjugat, Torgam expugnat & Lipſiam toto bello invadit, quæ tertium jam Cæſarianis ſub jugum miſſa Suecis ſub Transdorfio gubernatore fortiter reſtitit. Huic Bannerius extremam civium præſidiariorumque ruinam minitans deditionem ſuaſit, qua decollante militem ſelectiorem in adſultum diſpoſuit, ſpeque opulentiſſimæ prædæ & annuis nundinis famigeratæ ad fortitudinem animavit: Et omnia jam ad aſſultum parata erant, cum Bannerius per litteras Hatzfeldii adventum recognoſcit, militem mox ab aſſultu revocat & Torgam ſe convertit, ubi Cæſarianis multum negotii faceſſit. A. e. cum Ferdinandus II. imperator, ſenio variaque belli fortuna debilitatus finem vitæ reſpiceret, de ſucceſſione imperii conſilia agitavit, in quem graviſſimum regnandi onus derivaret. Ideoque comitia Ratisbonæ indixit, ubi præſentibus imperii electoribus, excepto Trevirenſi, quem licet ingenti ſumtu Cæſaris e Belgio evocatum illuſtre collegium admittere noluit, electione unanimi Ferdinandus III. Hungariæ Bohemiæque rex, Ferdinandi II. primogenitus Cæſar deſignatus eſt. Electionem mox ſecuta coronatio in metropolitana eccleſia d. 30. Decemb. ſtilo novo. Nec multis diebus poſt Hungariæ Bohemiæque regina novi imperatoris conjux æquali magnificentia in imperatricem coronata fuit d. 11. Jan.

Rex judicio provinc. præſens in advocatorum temeritatem animadvertit.

proditio Hamburg. patefacta.

exſecrande impietatis in Pruſſia impoſtor punitus.

Sueci prælio Witſtoch. ſuperiores.

Miſniam obruunt, Lipſiam fruſtra oppugnant.

Ferdin. III. in imperio ſucceſſor conſtitutus.

Anno 1637. Ferdinandus II. imperator tot annorum bellicis motibus & reciprocante fortunæ mutatione debilitatus, & jam biennio valetudinarius tandem ſpiritum Viennæ exhalavit d. 25. Febr. ſtilo novo, ætatis ſuæ anno 59. imperii 18. A. e. in hieme maxima copia murum horrea & agros per Holſatiam & Dithmarſiam occupavit, quæ terræ fruges aliaque eſculenta & domeſtica bona attrivit & late depopulata eſt; nata ex reliquiis ſalſi maris biennio ante agros inundantis. A. e. Sueci poſt menſium aliquot moras Torgæ tractas imminentibus non ſolum Hatzfeldii, ſed & novis Maraſinii copiis fugere maluerunt, quam cum exercitu ſuo in anguſtias redigi & milite cingi. Itaque alia minati (vigilante ſemper Hatzfeldio) alia eruperunt & Erfordiam ſimulantes in Pomeraniam ſe receperunt d. 18. Junii, nec diu ibi tuti in inſulam Uſedomam fugerunt. A. e. Guilielmus Haſſiæ Landgravius Pragenſis pacificationis leges primum accipiens, at mox per Hanoviæ obſidionis levationem rumpens & hinc in publicis Ratisbonæ comitiis hoſtis imperii declaratus hactenus circa Paderbornam contra Cæſarem ipſiusque campi mareſchallum Gotzium militavit; audiens autem Suecorum fugam, ſuæ ſe Haſſiæ non credens cum uxore & liberis in orientalem Friſiam, ut Hollandiæ vicinior eſſet, movit, ubi variis locis præſidia imponens totam provinciam cum comite Oldenburgico exhauſit, non multo poſt vita defunctus, & ut perpetuus Cæſaris hoſtis teſtamento Franciæ regem & Belgii ordines filiorum ſuorum tutores ſcribens. A. e. Bogislaus XIV. Dux Pomeraniæ mortuus eſt, cujus obitu antiqua Ducum Pomeraniæ ſtirps una exſtincta fuit funditus. A. e. ruſticus quidam parœciæ Margarethanæ ad Albim ex fervore iracundiæ duos liberos ex ſe ortos internecioni dedit, qui mox iterum capite truncatus eſt per magiſtratum. In eadem alius uxorem & liberos Sathanæ devovens miſerabile ſpectaculum juſto Dei zelo vidit aliisque cholericis videndum accerſivit. A. e. ignis cœlitus delapſus in pagum Blixbyll Eideroſtadiæ totum conſumit. Oppidum etiam Niemunſter prope Chilonium Holſatiæ, igni improviſo orto totum conflagravit, excepto templo & ædibus parochialibus. A. e. homicida quidam in Barlet auſtralis Dithmarſiæ decollatus eſt, qui primus fuit a tot annorum decurſu, qui in hac regione horrendum facinus digna pœna luit. A. e. peſtis per Daniam, cumprimis Hafniæ ſæviit, quæ etiam Itzehoæ aliquot domos exhauſit, ſed mox Dei gratia ibidem exſtincta eſt. A. e. Hamburgi & per adjacentes proxime oras lues vehementiſſima inter quadrupedes orta eſt, quæ maximam ſtra-

Ao. 1637. Ferdin. II. Imp. moritur.

murium copia noxia in Holſ. enaſcitur.

Sueci Miſnia relicta Uſedomiam usque ſe recipiunt.

Guillielmus Haſſ. Landgrav. fœdus violans bellum infeliciter movet.

Bogislaus XIV. D. Pomer. obit.

infantes duo in Ditmarſ. a patre peremti & alia horrenda.

pagus Blixbyll Eideroſt. & Neomonaſterium Holſ. opp. flammis conſumuntur.

prima capitis pœnæ apud Ditmarſos in homicidam collata.

peſtis Hafn. & Itzeh.

Hamburgi & in vicinia pecorum lues.

ſtragem boum edidit & ingens lanionibus damnum accerſivit. A. e. Sueci ſub Bannerio ſuo e Balthico rurſus ſinu in continentem prorumpentes ac Cæſarianos ab Anclamii obſidione excutientes, in Megalopolitanum Ducatum progreſſi ſunt. Sed per Hatzfeldium ad Demminum repreſſi inſigne equitatus damnum acceperunt, mox vero ob adverſam Hatzfeldii valetudinem & abſentiam animoſius ſe recolligentes Marchiam & Sileſiam verſus moverunt, & jam Marchiam Wrangelius, Lansbergam Bannerius prenſabat, cum Gallaſius Bredaviam generalem vigiliarum magiſtrum progredientibus obviam mitteret, qui ad Tribſecium quinque eorum legiones diſſipavit & octingentos internecioni dedit: quæ clades Banerium in Pomeraniam & ad Balthicum littus repulit. Miles autem Cæſarianus per Megalopolitaniam graſſans tam immani & barbara tyrannide in miſeros homines ſæviit, ut nulli feminæ cujuscunque ætatis nullique virgini vel decenni parceret, viros autem & inter illos eccleſiaſtas naribus, auribus, manibus pedibusque truncaret, Suecicis potionibus (*Schwediſchen Trüncken*) infarciret, eliſis paſſim infantibus matres ſuffocaret, binas ſorores unius parentis filias in conſpectu patris ſtupraret, patre deinde occiſo & corde ipſius e corpore eruto, inque prunis toſto in prandium ſtupratis filiabus præberet, adeoque effreni licentia ea perpetraret, qualia ſubveritus fuiſſet vel Attila vel Alaricus vel Thamerlanes quispiam in media barbaria.

Sueci iterum prorumpentes Anclamum expugnant & Mecklenb. ducatum occupant. progreſſi ad Tribſecium funduntur; hinc eos recedentes proſecuti Cæſariani diram in Meck'enb. exercent ſævitiam.

Anno 1638. rex Daniæ Chriſtianus IV. Spiringios Dantiſco olim expulſos obque id civitati infenſos & regis Poloniæ ſuffragio ad portum Dantiſcanum navali manu excubantes novumq; vectigal civibus regis ſui nomine imperantes, navibus inſtructis e mari Balthico exturbat; Polono autem illegitimo maris Balthici Domino jurisdictionem omnem adimit ſibique ſoli arrogat. A. e. Matthias Gallasſius Cæſariani exercitus tribunus per Megalopolitanum Ducatum iterum rerum potitus, urgente fame militem confini Holſatiæ inſtructus Cæſariano diplomate intrudere præſumſit: ſed rex Daniæ Chriſtianus IV. & Dux Schleſwigiæ Holſatiæq; Fridericus III. quantocyus ſubditos ſuos viritim excitantes venienti obviam proceſſere. Quo animadverſo Gallaſſius transactionis pacificæ media ancipiti belli aleæ præpoſuit, ideoq; pro expeditione Romana tot præterlapſorum annorum (*Sommerzug*) addictos & numeratos accepit 160000 imperiales. Unde ſingulis vomeribus utriusq; Ducatus hoc anno impoſitus fuit cenſus viginti imperialium. A. e. elephas miræ magnitudinis Tychopolin nave ex Hollandia advectus regiæ Majeſt. oculis expoſitus eſt. A. e. in autumno morbus quidam epidemius per Holſatiam & Dithmarſiam graſſatus eſt, qui tamen paucos ſuſtulit. A. e. puella jam viro deſtinata aquam hauſtura fracta putei ciconia miſere interiit. Alibi paſtoris cujusdam filius fornaci deſtillatoriæ aſſidens exſtinctus eſt cum alio ſynchrono idem fatum experto. Pharmacopola, cui inſervierunt, mortuos juxta fornacem invenit ambos. A. e. in Eideroſtadia morbus petigialis (*die Sprenckel*) vehementer ſævit. Dux

Ao. 1638. R. Dan. Spiringios Regis Polon. emiſſarios mari propulſat.

Cæſariani fame coacti Holſatiam invadunt, quibus obnititur R. Dan. & ſubditis imponens tributum Cæſarique debitum ſolvens eos avertit.

elephas eximius regi exhibetur.

lues Holſ. & Ditm.

puella aquis ſuffocata; alii duo deſtillantes exſtincti.

petigialis morbus

Vinarienſis Bernardus montem Briſiacum obſidione diuturna viribus exhauſtum attritumque deditione cepit d. 4. Nov. eumque incredibili theſauro potitus in poteſtatem regis Galliarum & Germaniæ libertatis vindicum redegit. *in Eiderſt. Briſacum a D. Vinar. expugnatum.*

Anno 1639. in Februario, illuſtriſſima & celſiſſima domina Auguſta, regia ſtirpe Daniæ oriunda, Duciſſa Sleſwigiæ, Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ, Comitiſſa in Oldenburg & Delmenhorſt, vidua Adolphi Ducis Sleſwigiæ Holſatiæ mortua eſt Huſemi; corpus ſolemni pompa funebri deductum & repoſitum eſt Sleſwigi d. 6. Martii. A. e. die 19. Martii hora 12. mortuus eſt Dethlevus Ranzovius præfectus Steinburgenſis, poſtquam annos vitæ 62, præfecturæ 25. expleviſſet. Corpus die 16. Maji Itzehoæ ſolemnibus funebribus deductum & tumulatum eſt. Ipſi ſucceſſit Chriſtianus Comes a Pentz dominus in Nendorff. A. e. Olyra in campis prope Huſemum & Tunderam ardere viſa eſt, cujus tamen flamma ab oculis propius accedentium evanuit. A. e. in Julio Tychopoli principes regni quamplurimi congregati fuerunt: rex Daniæ & Dux Holſatiæ Chriſtianus IV, regni princeps Chriſtianus V, Fridericus III. Dux Sleſwigiæ Holſatiæ, Fridericus item filius regius archiepiſcopus Bremenſis, Dux Lunæburgenſis Georgius, Dux Saxo Lawenburgicus, Comes Oldenburgicus & alii. A. e. in Julio Rendesburgi juvenis generoſus Otto Roſæcranzius Danus, magni Oligeri filius, ſub Marquardo Rantzovio generali exercitus Danici Capitaneo legatus miſero duello provocatus a nobili Holſato Rantzovio transfoſſus eſt. A. e. Brunopoli ad Albim circa ædes templo contiguas propugnaculum ex aſſeribus & transverſis columellis exſtructum Albique adverſus aquæ irruptiones objectum eſt. A. e. Dux Vinarienſis Bernhardus hactenus Gallo & Succicæ coronæ devotiſſimus, poſtquam triduana febri vehementiſſime conflictatus eſſet, vitam cum morte commutavit Neuburgi prope Baſileam d. 18. Julii, cum in ipſa expeditione verſaretur relinquens non ſolum militibus, ſed & omnibus Germanicæ libertatis amantibus triſte ſui deſiderium. Sueci interea pauliſper reſpirantes novisque e Suecia viribus aucti in Saxoniam & mox in Bohemiam invadunt, ubi ſecure delituerunt, donec ab Hiſpanis accerſitus Piccolomineus exercitui Cæſariano præficeretur. A. e. circa Bartholomæi ante Dominicam, qua evangelium de adulteris &c. prædicandum, turbo vehemens in Holſatia & Dithmarſia ſegetes in agris excuſſit, disjecit & maximam partem attrivit, ita ut ruſticis ſolæ paleæ cum ſtramine remanſerint.

Ao. 1639. Auguſta Adolphi D. vidua obit.

Detl. Ranzov. obit.

conventus principum Tychopol.

Otto Roſæcranz. duello perit.

Brunopolit. agger ſtructus.

Bernhardus D. Vinar. obit.

Sueci invadunt Saxoniam Bohemiamque.

turbo ſegeti exitialis.

Anno 1640. Sueciis ſub Banerio ſuo egregie ſe in hoſtem vindicantibus inque Bohemia impune graſſantibus, Cæſar Ferdinandus III. Romanorum poſt mortem patris imperator Ratisbonæ comitia indixit, ubi de pacificationis univerſalis mediis tractare cœpit d. 10. Septembris: quæ omnium principum & populorum votivo applauſu feliciter cœpta in ſequentem annum irrito interea litigantium ſucceſſu duravere.

Ao. 1640. Comitia Ratisbonæ pacis cauſa inſtituuntur.

XXIV.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XXII

Septem Fragmenta Veteris Juris Zvverinenſis
de a. 1222. 1224. 1235. 1263. & 1593.

I. Jura Suerinenſia quibus Burewinus II. Civitatem Guſtrovienſem donavit
a 1222. (*a*) d. 25. Octobr. e Membranis Archivi Guſtrovienſis; Collata cum vetuſtis Legibus Anglionum & Werinorum, Cimbrorum, veterumque Saxonum pluriumque Germanorum Gentiumque vicinarum.

1. Pro capite (*b*) caput.

2. Pro manu (*c*) manus.

3. Si vulneratur aliquis (*d*) ad profunditatem unguis vel longitudinem (*e*) articuli, damnificatur reus in ſexaginta (*f*) ſolidos, qui cedent in partem REGIÆ POTESTATIS (*g*) & ſatisfaciet PATIENTI (*h*) in 24. ſolidis.

4. De plaga nigra (*i*) *Poteſtas* habebit 24. ſolidos & *patiens* 12. ſolidos.

5. Pro alapa *patiens* habebit 4. ſolidos, *Poteſtas* totidem. (*k*)

6. Qui *domus pacem* (*l*) violaverit, capitali ſententiæ ſubjacebit.

7. Si fœmina IMPUDICA viro *probo* fuerit convitiata, *in præſentia duorum Virorum proborum* poteſt ei licite (*m*) dare bonam alapam.

8. Si quis duplicem habuerit menſuram, (*n*) magnam videlicet & parvam, magna percipiat, & parva eroget; damnabitur ſententia capitali.

9. Molendinarus recipiet menſuram de ſingulis modiis inſtitutam, quæ *Matta* (*o*) vulgariter vocatur.

10. Qui Civitatis Statuta infregerit, (*p*) dabit tres marcas civitati.

11. Omnis *ſolidus pacis* (*q*) Conſulibus deputatur.

12. Si DECREVERINT Conſules ſuper officia Civitatis, Magiſtrum Civium ordinare, & excedant ſubditi; duæ partes ſatisfactionis *Conſulibus*, tertia *poteſtati*, (*r*) *nil Magiſtro Civium deputetur.*

13. Civium eſt ELIGERE Magiſtrum (*s*) talem.

14. Magiſter (*t*) ille Conſules (*u*) conveniet.

15. Præda campeſtris (*u*) pertinet Poteſtati, non Magiſtro.

16. Nullus dabit hæreditatem ſuam ſine conſenſu (*w*) ſuorum hæredum.

17. Si moritur quis, hæredum præſentia carens, aſſument illam Conſules, cauſa rei ſervandæ, usque ad *anni terminum*, (*x*) quo revoluto, ſi nullus hæres venerit, ad manum tranſeat poteſtatis, debet autem hæreditas ſeptima manu reddi.

18. Si moritur quis & hæredes duos (*y*) reliquerit, mater *volens nubere alteri*, (*z*) prius *dividet hæreditatem.*

19. Si moritur quis hæredum; illius transibit hæreditas ad fratrem. Omnibus defunctis, transibit ad matrem. (*aa*)

19. Si mater ſecuritatem præſtare poterit, manebit *tutrix* (*bb*) *ſimiliter & Pater.*

20. Si moritur aliqua, relinquens hæredem, & Pater ſeparans ipſum a ſe, ducat uxorem, & generet ex ea parvulos, mortuo Patre ſeparatus Hæres redibit *ad hæreditatem Patris.* (*cc*)

22. Si quis extra civitatem manens, querimoniam de cive fecerit, poteſt ſe civis cum quolibet defendere; alienus vero (*dd*) cum cive aliquo ſe defendet.

23. Quicunque autem homo *propriæ* (*ee*) *fuerit conditionis*, ſi intra civitatem *venerit*, (*ff*) *ab impetitione cujuslibet ſervitutis liber erit.*

24. Præterea, quicquid Conſules Civitatis ad communem uſum ordinaverint, ratum civitas obſervabit.

25. Si quis vero debitor coram judicio *monitus* (*gg*) ſolvere nequeat, domum ſuam debitori deponet; ſed creditor illam tribus civibus *intra ſex ſeptimanas* coram judicio præſentabit, quam ſi debitor tum non redemerit, in ſuos uſus convertet creditor ipſam domum.

(*a*) Putat FRIDERICUS THOMAS in analect. Guſtrovienſ. p. 50. & qui eum ſequitur PETRUS TORNOVIUS *tr. de feudis Mecklenb. in præf.* quod hæc donatio facta ſit a 1220. ſed minus recte, uti docet charta authentica ipſius donationis de a. 1222. quam ſequimur & ſecuti ſunt LATOMUS *in Chron. Meckl. MSC. P. 2. a.* 1222. 1235. *&* CHEMNITIUS *in Epit. Hiſt Meckl. MSC. in vita Burewini.* Ipſa hæc juris Suerinenſis donatio confirmata eſt Guſtrovienſibus a Pribislao III. & fratre anno 1228. *De anno hujus fragmenti.*

(*b*) De *homicidio* etiam incipiunt *leges Anglionum & Werinorum*, quæ ipſæ vetuſtiſſimæ ſunt leges *Megapolenſium* Seculi V. Uti vero pleræque veterum Germanorum leges paganismis ſunt refertæ; ita etiam *leges Anglionum & Werinorum* homicidia non vindicant pœna capitali, ſed emenda ſaltim ſeu Werigeldo & privata compoſitione. Addunt præterea diſtinctionem inter *Adelingum* ſeu nobilem & *liberum* ſeu plebejum. Ita enim *tit.* I. *l.* 1. 2. *Si quis adalingum occiderit, DC ſolid. componat: qui liberum occiderit, CC. ſolidos componat.* Quæ compoſitio *tit.* X. *l.* VIII. dicitur legalis ſeu *legit ma.* Conveniunt in hoc argumento LEGES SAXONUM cum placitis Werinorum & Anglionum ſæpius conſonæ *tit.* 2 *l.* 1. *Qui nobilem occiderit* M. CCCCXL. *ſolid componat. Ruoda qui dicitur apud Saxones*, CXX. *ſolid. & in præmium* CXX. *ſolidos componat.* Per *Ruoda* vero intelligitur homo ingenuus plebejus, *Rotarius ſeu Rutarius* i. e. agricola, colonus, a Saxonico *Roten* ſulcare, terram ſcindere nominatus; unde ſunt voces *Roturier, Roturage, Ruagium, Roden in Speculo Sax. l.* 1. *art.* 54. utut diſſentiant LINDENBROGIUS, SPELMANNUS *in gloſſariis:* LEIBNITIUS *ad LL. Werin T.* I *ſcript R B. p.* 78. Eandem fere in æſtimando homicidio diſtinctionem tuentur *leges Longobard. l.* 1. *tit.* 9. *l.* 15. 17. *Lex* SALICA *tit.* 43. 44. *l.* 1. *Lex Alemanorum tit.* 68. *Lex Ripuariorum tit.* 36. *Lex Burgundionum tit.* 2. *l.* 1. 6. 7. *Friſionum tot. tit.* 1. *Bajuariorum tit* 4 § 1. Nec dubium eſt, hanc diſtinctionem & pœnam homicidii non capitalem olim *in Cimbria & Megalopoli* Anglionum & Werinorum antiqua ſede diutius obtinuiſſe, certe nequidem introducto Chriſtianismo prorſus abrogatam fuiſſe. Docent *Homicidia olim non capitalia apud Werinos,* *Saxones Longobardos, Allemannos & plures germanos.* *Speciatim apud Cimbros & Jutos.*

cent id annales, chartæ plures, ipsum fragmentum *juris* SUERINENSIS *IV. in fine & V.* §. 4 *ut & jus* JUTICUM *Sec.* XIII. *a Woldemaro* II. *Rege Daniæ* publicatum, quod *l.* 2. *c.* 12. 22. 27. *l.* 3. *c.* 22. *pr. &* §. 1. in homicidas dolosos statuit pœnam ordinariam proscriptionis & solutionem tam WERIGELDI LIV. *marcarum* quam MULCTÆ *trium marcarum*. Conveniunt vetera jura a Rege *Suenone seu Svanso* III. *Grateheide* vulgo dicto, in ipsa *Anglo Saxonum* regione & sede *circa a.* 1150. promulgata, utpote STATUTA *civitatis Sleswigæ cap.* 3. *Welcker Börger in de Stad enen Menschen sünder schuld tödet, de verbrickt sin hövet, und verläst sin gut, edder he verdrege sick mit dem Hertogben und dem Rade na eren gnaden. Et c.* 4. *Von den Wunden mit Schwerd, pæke, Spere, Wapen* (armis) *darman mede Wunden mag, dem schalman de Hand auf howen edder seyden, ifte he mag et beteren na gnadengield.* Quibus rationibus olim etiam usi sunt Cimbrorum & Anglo Saxonum vicini Ditmarsi, quorum mores & placita a. 1447 in vigilia Valentini communi regentium virorum & populi consensu relata sunt in codicillum juris provincialis, cujus articulus *de homicidio* §. 1. 2. hic est: *Wære effi jemend dot geschlaghen, dat God verbede, den Man schall man betalen un brüken vor CC. Marck und sin Huss schal man bernen und schall ghan alle sine Dage vor einen erlosen Manesse schalck: Effte dar jemand bey nachtyden breke in eines Huss und schlöge enen Man dable* (tod), *den Man schal man betalen vär CC. Marck, und schal den Werde betalen LX. Marck L. un dem Richter LX. M. L. und sin Huss schal me bernen und schal ghan sin dage vär enen erlosen schalk.* Plura in sequentibus *art.* 3 — 8., quorum tamen argumenta correcta sunt *Jure Dithmarsico novo* post devictos Dithmarsos & recuperatam provinciam a Rege Dan. FRIDERICO II. & Ducibus Holsatiæ JOHANNE & ADOLPHO promulgata a 1567. *titulo* CXVIII. ubi homicidii dolosi pœna capitalis statuta est.

Quotsion vetusto jure obtinet mulcta & Gnaden Geld,

Ditmarsico veteri Bräke.

(*c*) Convenit *Lex Anglionum & Werinorum tit.* 2. *de ictu læsis*, addita tamen pœna pecuniaria & distinctione inter adalingum & liberum. Et *tit. V. de transpunctione & membris læsis l.* 5. *Manus vel pes abscissus, similiter ut nasus, auris, lingua, oculus; aut si manca pependerint medietas componatur, i. e. pro adalingo CL. sol. pro libero L. solid.*

(*d*) Vide LL. Angl. & Werin. *tit.* III. *de Vulneribus.*

(*e*) Omissa est hæc vox in *exemplo juris Suerinensis* apud THOMAS *c l.* ubi legitur: *Si vulneratur aliquis ad profunditatem unguis vel articuli.*

(*f*) In Legibus *Anglionum & Werinorum* saltim XXX. *Solidi* pro adalingo & X. pro libero homine statuuntur.

Pœna propter homicidium magistratui competens. Jure Saxonico Wette. Cimbrico Jutico BLOTVIDE. Danico Tegengield.

(*g*) Quæ pœna magistratui debita venit sub nomine *multæ*, jure Saxonico *Wette, gewette*, item *Brüche*. SPEC. SAX. *l.* 1. 2. *art* 32. 53. *l.* 2. *art* 16. *l.* 3. *art.* 64. Jure *Cimbrico Jutico* dicitur in casibus homicidii & læsionis corporalis BLODVIDE a vulneribus, dem Blute & Wunden, ita nuncupata, cujus summa Regi exsolvenda determinatur III. *Marc.* LOWBUCH *l.* 1. *c.* 32. *l.* 2. *c.* 13. *l.* 6. *c.* 7. Jure *Danico* vocari solet *Tegengield* h. e. multa pro *homicidio*, cujus summa Lege Christiani III. seu Recessu Coldingensi de a. 1558. statuitur XX. *siclorum puri argenti. v.* KRABBIUS *in versione juris Jut. MSCta l.* 2. *c.* 13.

Pœna, qua propinquis debetur, dicitur emenda Busie. apud Saxones Wergeldum. Consensus Legum veterum Germanorum.

(*b*) Quæ satisfactio dicitur emenda, *Bute* seu *Buße*, veteri vocabulo *Widrigeldum* h. e. retributio, repensatio mali dati, die Wiedererstattung, quæ in casibus homicidii propter illatum damnum solvebatur hæredibus occisi, veniens sub nomine *VVerigildum* a veteri Saxonico *VVer*, i. e. Vir, & *gild seu gult*, *geld*, h. e. præstatio, compensatio. Quod plenius docent *Lex* RIPUARIORUM *tit.* 63. 64. *Lex* ALEMANN. *tit.* 4. 29. FRISIONUM *tit.* 17. §. 2. BOJOARIORUM *tit.* 2. *c.* 4. §. 2. LONGOBARDOR. *l.* 1. *t.* 9. *l.* 8. WISIGOTHOR. *l.* 6. *tit.* 3. *l.* 1. CAPITULARE III. a. 813. *c.* 6. SPECULUM SAX. *l.* 3. *art.* 45. & SCHILTERUS *exerc. ad ff.* 19. §. 14. TITIUS *Jure priv. l.* 3. *c.* 1. §. 9. ECCARDUS *ad L. Salicam tit.* II. *l.* 1. *tit* LV. *p* 97. BIGNONIUS *ad Form. Marculphi ed. Baluz p.* 900. Sed in *Lege* SALICA *tit.* XIX. *l.* 9. *tit.* XXII. *l.* 1. XXXVII. *l.* 8. *tit.* XLIV. *l.* 1. 16. *VVerigeldum* vocatur LEUDIS, LEODUM, LEUDUS, cujus significatus coincidit cum primo, & idem est ac *compositio hominis* seu *leudi, populi;* Anglosaxonice *Leoth*, unde *Leute*, homines. Utitur etiam hoc vocabulo *Lex Anglionum & Werin. tit.* 6. *l.* 5. *Ad quemcunque hereditas terræ pervenerit, ad illum vestis bellica, id est lorica & ultio*

Lege Salica dicitur Leudum.

Item lege Anglionum & Werinorum.

de Westphalen Monum. ined. Rer. Germ.

proximi & solutio LEUDIS *debet pertinere*. Eadem formula loco Werigildi occurrit in *legibus* FRISIONUM *tit.* 2. *l.* 3. *sq.* SAXONUM *tit.* 14. §. 3. 4. LONGOBARD. *l.* 1. *tit.* 9. §. 28. *in Capitulari triplici a.* 803. *c.* 2. *Formulis apud Marculphum form.* 123. aliisque locis a DUFRESNIO citatis *Glossar. Tom.* IV. *ed. Paris. a.* 1733. *p.* 138. Apud ANGLO-SAXONES, veteres Holsatos & Cimbros ipsa hæc hominis retributio, olim venit sæpius sub voce WERA, WERABOT item WERAPAA i. e. *Mannsbusse. Were* enim ipsis & *Wair* Gothis Virum hominem denotavit. Inde est quod hoc vocabulum Seculo XIII. transierit in ipsas *Leges* JUTICAS *l.* 2. *c.* 9. *l.* 3. *c.* 21. 22. 23. *sq.* ut & in *Recessum R. Christiani* III. *art.* 21. ubi *Werigildum* exprimitur voce *Mannsbusse* & *Ettebote*. Quæ utraque emenda una est, & ratione partis solventis saltim differt. Tota enim homicidii compensatio summam habet LIV. marcarum, quæ dividendæ sunt in ter octodecim marcas seu tres partes, *drey Sale* vulgo vocatas. Unam earum criminis reus ex propriis bonis solvit, quæ dicitur *Manbusse*; reliquas ejus consanguinei, sive is supplicium patiatur sive libertatem amittat sive retineat, conferre tenentur, quæ veniunt sub nomine *Ettebote*, h. e. *Zubusse* vel ut aliis videtur *Etlicher Busse*, rectius *familiæ seu consanguineorum præstatio*: ÆTTE enim. CIMBRIS & GOTHIS hodieque ISLANDIS & SUECIS idem est ac *slinps, prosapia; ættland* seu attland patria, *atta, attin* pater, *ættei* mater, *ættafader* atavus, *Etteborin* illustri gente natus, *Ettequistar* progenies, *Ettbalkar* genealogicus ramus, *ettemänn*, propinqui, *ætting* generatio, *ætten* generare, ut pluribus docent & illustrant VERELIUS *in indice Scand.* MARESCHALCUS *in observ. c l. p.* 421. RUDBECK *Atlant. P.* 2. *c.* 7. *p.* 211. *sqq.* ubi etiam ex hac ratione & in rem citatis legibus Ostro- & Westrogothicis, cippis runicis & testimoniis. ULFILÆ VILKINÆ & OLAI docte explicuit voces *Atlas* i. e. primogenitus, *attalåge* heredum linea, *Ethling* seu *adaling*, adalingus, nobili prosapia natus, *Atbogi linea* cognationis, & ipsum vocabulum ATTABOTER, quod interpretatur *mulctam occisi cognatis solvendam*. Eundem fere vocis significatum indigitat BLASIUS ECKENBERGER *in repertorio ad codicem LL. Jut.*: *Ette*, inquiens, ist ein alt Denisch Wort und heist ein Geschlecht, daher das Wort Ettebod, und ist die contributio zu einer Mannbuse, so die Freunde zuschiessen ihrem Freunde, der ein Todschlag begangen: ETTESAL sind die zwey Theile der Mannbusse und legen diese Buse zu die angebohrne Freunde in dem Blute, als nemlich den einen Sal oder portion des Vaters Freunde, den andern Sal der Mutter Freunde. Plane cum hac explicatione conveniunt aliæ hujus rei denominationes, quas in Legibus Saxonicis & vetustis documentis, præcipue *in tabulis transactionis super homicidio Sec.* XII. XIII. haud raro observaveris. Occurrit enim non solum vox FRIEDGELD, CYNEBOT, CENEGILD h. e. Versünungs geld; sed & vocabulum MÆGBOT, quod indubie est ab Anglo Saxonico *Mæg*, cognatus, *Mægas* parentes, *Mægd* affinitas, *Mægscipe* cognatio, docentibus GIBSONIO & SOMNERO *in Anglo Saxonicis*. Inde apud OTFRIDUM *l.* 1. *Ev. c.* X. 21. progenitores & majores dicuntur *Altmagon*; SUECIS *mæg* denotat generum; & GERMANIS *Magschap* est propinquitas, *Schwerdmagen* & *Spilmagen* sunt cognati paterni & materni a *maggen* seu machen h. e. *gignere*, nominati. Quod GUNDLINGIUS *in observationibus*, SCHILTERUS & WACHTERUS *inglossariis* explanatius observarunt. Et recte ex Legibus *Wisigothorum* & *Frisionum* colligit D. GÆRTNERUS *in notis ad Leges Saxonum p.* 26. *quod antiquitus non semper VVerigeldum agnatis præstitum, sed regulariter inter eos & dominum occisi distributum fuerit, ita quidem ut ea pars compositionis, quæ interfecti agnatis persolvebatur, Mægbot vel Cynebot; ea autem portio, quæ domino occisi præstabatur, Manbot apud veteres Saxones dicta fuerit.* Dissentit SCHOTTELIUS *in Comment. de Lingua Germ. confutatus a* GEORGIO BAYERO *de violat. securitatis domest.* §. 13. & HERTIO *T.* 3. *opusc. disp. de hærede occisi vindice.*

Ettebote.

Germanis alias Cynegeld. Mægbot.

(*i*) In latino alio hujus juris exemplo legitur: *Plaga nigra in corpore, pede vel brachio componatur* XXX. *solid. transpunctio LX.* Cum quo fere convenit LEX *Anglivorum & VVerinorum tit.* V. *art.* 1. 2. 5. 15. 20. ubi ita: *Corpus transpunctum componatur, ut fractura ossium,*

De lasione membrorum.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

In cujus pœnæ determinanda conveniunt Leges Angl. & Werinorum.

pro adalingo XC. *sol. pro libero* XXX. *sol. coxa vel brachium transpunctum, ut sanguinis effusio, pro adalingo* XXX. *pro libero* X. *sol. Manus vel pes abscissus adalingo* CCC. *sol. libero* C. *solid. componantur; si manca pependerint, medietas componatur. Si utraque coxa ferro vel telo trajecta fuerint* VI. *sol. componat. Qui* HARPATOREM, *qui cum circulo harpare potest, in* MANUM *percusserit, componat illum quarta parte majori compositione, quam alteri ejusdem conditionis homini Anrifices similiter. Fœminas* FRESUM *facientes similiter.* De etymo *harpatoris* & *Fresi*, quod utrumque *Cimbris & Anglionibus* originem debet, in præfatione & recensione horum fragmentorum dicendi locus fuit. Accedit consensus *veterum statutorum Cimbrorum Sleswicensium. Seculi* XII. *Cap.* VI. *VVer den andern tügt by den haaren edder schleit by de VVangen un doch nicht bloet, de betert dem Klâger* III *Marck und de Stad ock so vel, dar schall de Vaget nicht af hebben*

Pœna injuriarum varia.

(*k*) Respondet hic articulus *citato placito vetustissimo* CIMBRORUM seu *Stat. Slesvic. c. l. c.* 6. & convenit plane cum moribus & rationibus veterum Germanorum, qui existimationis suæ omni ævo studiosissimi omnes injurias reales & verbales itemque scriptas & pictas severe vindicarunt omnino ad genera læsionum famæ & contumeliarum. Inde est quod vel sub *pœna talionis* vel *pecuniaria* vel *corporis afflictiva* injurias prohibuerint iisque pœnis alapas & convitia *cinnitum, falsatorem, vulpeculam, leporem* ceteraque vindicarint. ECCARDUS *ad L. Salicam tit.* 33. *p.* 65. LEX ALLEMANICA *tit.* 95. §. 1. *Qui feminam ingenuam colpo (seu colapho) percusserit, sic ut sanguis non exeat, solvat solidos duos; si lita fuerit, solvat solidum unum & tremissem: si barus (seu vir), similiter solidos duos, si ancilla, solidum unum: si servus, medium solidum.* LEX *Bajuariorum tit.* III *c.* 1. §. 1. 8. LEX *VVisigoth. l.* 6. *tit.* 4. §. 3. & plures aliæ, exceptis legibus *Ripuariorum*, WERINORUM ANGLIORUM *earumque gentium, quarum mos fuit injurias allatas manu & armis ulcisci sibique jus dicere in certaminibus & duellis quorum adeo Originem* CIMBRIS *seu Anglionibus tribuit Gerbardus diss. de judicio duellico.* Appositе vero in rem sancivit Legislator apud GELLIUM *Noct Attic. l.* 20. *c.* 1 *Pro alapa, pugno vel calce aut percussione in capite prohibemus reddere talionem, ne aut læsio major aut periculum ingeratur, Sed si quis hæc sine periculo membrorum aut aliqua læsione præsumtuosus intulerit, pro* ALAPA X. *flagella, pro pugno vel calce* XX. *suscipiat, pro percussione in capite sine sanguine* XXX. *flagella.* Confer elegantem diss. *D.* BRUNQUELLII *de pictura famosa* ejusque pœna apud veteres Germanos: *Dn.* HEINECCIUM *Elementorum Juris Germ ipso hoc anno in insigne jurisprudentiæ Germanicæ elogium, decus, adjumentum & usum editorum T.* 1. *p.* 324.

De pace domestica Leges Germanorum. Wisigothorum.

(*l*) Faciunt huc veterum *Germanorum Leges* de pace domus servanda; speciatim *Leges VVisigothorum l.* 8. *tit.* 1. *lege* IV *de pœna criminis si quis violenter aliquem domo suo excludit vel includit:* LEGE VII. *Ne cujusquam domus ullo tempore inquietetur sub pœna dupli & tripli:*

Bojorum.

LEGES *Bajuariorum tit.* IX. *cap.* 3. 4. 5. *de ejectionibus & damnis in domo datis. tit.* X. *de violentia, statuente Rege Theodorico, cap.* 1. *&* 2. *Ne quis in curtem (domum) alterius per vim intret sub pœna* 6. *solid & vadii seu cautionis.*

Saliorum.

LEX SALICA *tit* 27. §. 31. *Si quis casam alienam sine permissu domini traxerit (vastaverit) vel salam seu (domum) chescidit, h e disruperit solid.*

Francorum.

30. *culpabilis indicitur.* CAPITULARIA *Caroli M. & Ludovici lib.* 3. *c.* 65. *de eo, qui domum alienam infringit vel in domo damnum fecit ejusque pœna tripli, banni dominici & damni compositionis. libro* VI. *c.* 382. *Quod si aliquis domum infregerit, sexaginta solidis, si liber est, sit culpabilis & omnia similia restituat; si servus hoc fecerit,* CAPITALI SENTENTIÆ SUBJACEAT (perinde ac in jure Suerin. statuitur:) *& dominus omnia similia restituat.* LIBR. 7. *Cap.* CLXIX. *quod agit de his, qui domorum nocturni spoliatores fuerint, quorum mors a nemine vindicanda: Libro eod. c.* 343. ibiq; *Qui ædes aliquas exspoliaverit vel effregerit, si quidem id turba cum telis coacta fecerint,*

Cimbrorum.

CAPITE *puniantur.* Nec dissonant ab hac & Suerinensium veterum Werinorum constitutione, Leges concivium Angliorum Cimbricorum, quas *vetera Statua Sleswicensia cap.* LXV. *&c. Codex juris Cimbrici* vulgo *das Jütische Lowbueh l.* 2. *c.* 29. 30. *repetunt: VVoll dar vientliken angeit enes andern buss, de betere dem VVerte* XL. *Marck und betre den schaden nach gröte der dath, werth he im huse geschlagen edder gewundet, be entfange ene betringe blifs he ok doet, de darup saket de gelde dem Könninge* XL. *Marck.* Et in *Codice Jutico: VVer um herwerck klagen will, de schall sin recht verfolgen und dingesteven als van* DOTSCHLAG *gesegt is. geit en Man mit radem rade in enes andern Mans huss und brickt dat buss un nimt drut Veh, Kleder, VVapen edder ander gudt, dat is Herwerck. Schleit he ock edder handelt övel edder verwundet jemand in des VVerdes huss, dat is herwerck h e. Gewalt,* quæ criminali pœna vindicatur. Idem statuit & plenius explicuit codex legum Danicarum Regis Christiani V. vulgo *Neu Seland. Lowbuch libro* VI. *cap.* 9. *Vom hausfrieden art.* 1. 2. *usque ad* 10. Et plane concinunt Germanorum Leges provinciales & statutariæ seculi XIII. & sequentis ævi plures, præcipue SPECULUM SAXONICUM *l.* 3. *art.* 78. §. 9. Hausfriede soll jeder in seinen vier Pfælen, und hausse haben, damit er vor mænniglichen darin unvergewaltiget bleibet; wer sich in seinem hause gewalt wehret, thut solches zu seiner Nothwehr. GLOSSA *ad h. art. n.* 9. *& ad textum l.* 2. *art.* 66. *n.* 4. 5. *jus* ALLEMANNICUM *seu Suevicum cap.* 115. *n.* 10. JUS WEICHBILDICUM *art.* 37. 38. 88. ubi pacis domesticæ violatio vindicatur judicio publico criminali: *That ein Man den andern Hausfuchung binnen VVeichbild mit unrechter gewalt, es gehet ihm an den Leib* Idem supplicium statuitur jure veteri Electorali SAXONICO *ap.* MOLLER *ad Constit* 46 *p.* 4. COLERUM *Decis.* 155 *n.* 24 *Jure* LUBECENSI *L.* IV. *tit.* 8. *art.* 5. MAGDEBURGENSI *P.* 4. *art.* 21. COLOMENSI *juxta statuta & concordata sub tit. Reformationis der alten Rechte und Morgensprache de a.* 1437. *art.* 84. HAMBURGENSI *Stat. Hamb. P.* IV. *art.* 51. ULTRAJECTINO *tit* XLII. *citato & expositо a* MATTHEO *ad l.* 48. *ff tit.* 4. *&* Voëtio *in Comment. ad l. tit. de publ judiciis n.* 4. MECHLINENSI *Statut. T.* III. *art.* 7. SCANICO *l. V. Legum cap.* 17. ut *plures leges* taceamus, quæ ad declarandum & illustrandum hoc argumentum faciunt. Vide OLAIUM RUDBECKIUM *in jure veteri* UPLANDICO *tit.* 4. *de pace & securitate publ. p.* 42. CAROLUM LUNDIUM *in notis ad LL. VVestrogothicas in Sueonia tit. de furto cap.* XIX. *Si quis infringat domum alicujus p.* 58. JO. LOCCENIUM *in LL provincialibus Regni Sueciæ titulo* 8. *de turbatione aut violatione pacis a Rege juratæ, cap* 1. *de violatione pacis domesticæ p.* 134. *cap.* 2. *de invasione dolosa in alterius domum p.* 155. *cap* 6. *Si ille, qui nocendi animo invadit alicujus domum, vulneretur vel occidatur in invasionis actu, omne illud impune est, quod accipit. Et* EUNDEM *in Legibus civitatum Sueciæ tit.* IX. *de violatione pacis cap.* 1. 2. 4. 5. 6. *p.* 103. *sqq.* LEHMANNUM *Chron. Spir. l.* 4 *c.* 16. ibiq. *de statuto* SPIRENSI: GRYPHIANDRUM *de VVeichbild. Sax. c.* 76. *n.* 10 *ubi de lege Frisiorum* RUSTRINGICA: ESBACH *ad Carpzovium P.* 4. *Const.* 13. *def.* 4. ibiq; de statuto SUSATENSI: BEJERUM *in Notis ad Schultzii synopsin tit. de injur.* ibique de mulcta, quam subit violator pacis in FRISIA *orientali.* Iis enim in locis, ubi homicidia pœna saltim pecuniaria expiata olim sunt, regulariter etiam statuta in definienda pœna violationis pacis domesticæ multam non egrediuntur. Quod & factum est *jure veteri* DITMARSICO *de a.* 1447. *art. von hussvrede*, ubi pro ratione circumstantiarum, temporis & modi dictatur pœna nunc XX *sol. d. nunc* XXX. *&* LX. *marcarum.* Quæ dispositio parum saltim correctior repetita est JURE *Ditmarf novo tit.* CVII Frustra proinde agunt, qui cum interpretibus juris citatis a GERDESIO *diss. de pace domestica* in explicando hoc juris argumento leges Germanorum prætereunt & ad incongruam in hac causa legem Corneliam de injuriis & ad placita Romanorum alia digrediuntur, quorum quidem rationes de sanctimonia domuum & quod per turbatas ædium possessiones sacra larium seu Dii ædium tutelares violentur, ad instituta & rationes Germanorum haud magis pertinent, quam plures hujus generis leges paganizantes. Vide CICERONEM *in oratione pro domo sua sect.* 41. MATTHÆI *de Crimin. ad l.* 48. *ff. tit.* 4. *c.* 4. *n.* 3. KESTNERUM *tr. de jurisprud. paganizante.* Leges vero Germanorum earumque origines, consultas rationes & fines, qui in hoc argumento scrutari

Danorum.

Saxonum.

Suevorum.

Consensus plurium Statutorum.

tari constituit; ipsi amplissimum exspatiandi disserendique campum simulque Ariadnes filum suppeditabunt antiquitates & historica argumenta de duellorum apud Germanos licentia, de multiplicis generis bellis privatis & diffidationibus harumque extirpandarum tentatis variis variisque ævi temperamentis & medelis, præcipue per *VVerigeldum, guarandam, treugam Domini, pœnam banni & excommunicationis, pacem perpetuam inermibus concessam, per Ganerbinatum & pacem Burgensem, municipalem, ecclesiasticam, juratam, regiam, judicialem, statutariam conventionalem*, tum & DOMESTICAM & demum a. 1490. & 1500. *per* PUBLICAM PACEM *& constitutionem Maximiliani* feliciter adhibitis. Legi merentur GAILIUS & DATTIUS *de pace publica*: SCHILTERUS *exerc. ad ff.* 49. & qui huic argumento curatius satisfecit B. BEYERUS *in diatriba juris gentium & Germanici de violatione securitatis domesticæ*, quam *D.* FRID. GOTL. STRUVIS *tractatui de pace domestica adjecit p.* 101. *sq.*

Pœna convitiorum jure Wisigoth.

(m) Jure quodam talionis de quo *LL. Wisigothicæ Libr. VI. titulo* 4. *qui agit de contumelia, ibique lex III. de reddenda talione, ut dum metuit, quisque pati quod fecerit, saltem ab illicitis invitus abstineat.* In aliis legibus convitia coërcentur pœna pecuniaria. *Lege Salica.* Ita LEX SALICA apud BIGNONIUM & LINDEBROGIUM *tit. XXXIII. de convitiis L.* 1. 2. 3. 4. *&* 5. ubi ita: *si quæ* MULIER *ingenua vel vir mulierem meretricem clamaverit & non poterit probare sol. XLV. culpabilis indicitur.* Item: *si quis, mulier vel vir, alterum cinitum seu Quintvo* (h. e. Cinædum a veteri *Quene*, muliere, & a cunno dictum *Quinsvot*, unde sunt invectivæ de Cane, connagio & cunophoria) *clamaverit DC. den. qui faciant sol. XV. culpabilis esto: si quis alterum concacatum clamarit* (apud PITHOEUM sordidatum, apud ECCARDUM luto & stercore maculatum, rectius communi prostibulo natum) *culpabilis indicitur sol. III.*; item *si quis alterum vulpiculam clamaverit.*

Leges Germanorum de æquali mensura.

(n) Concordant iterum leges veterum Germanorum, mensuras æquales, rectas, justas, legitimas ubique in civitatibus & monasteriis tam ad dandum quam ad accipiendum præcipientes. CAPITULARIA *Regum Francorum c.* 3. *a.* 803. *c.* 8. *a.* 813. *c.* 13. CAPITULA *Pipini cap. VI.* LEGES *Caroli M. L. CXI.* CAPITULARIA *Caroli M. & Ludovici Libr. I. c.* 126. *L. III. c. XC. Ut æquales mensuras & rectas & pondera justa omnes habeant sive ad dandum invicem sive ad accipiendum ut in Lege Domini præceptum habemus.* Idem repetitur *L. VI. cap. XXXV. &* in ADDITIONE I. *Capitularium Capitulari Aquisgranensi a.* 789. *c. LXXII.* ADDITIONE II. *cap. XX. Hoc modis omnibus admonemus, ut saltem nullus* DUPLICES MENSURAS *in sua dominatione aut habeat aut haberi permittat, quoniam hac occasione multos pauperes affligi cognovimus.* Item *in additione IV. Capitularium ex sanctorum patrum decretis & imperatorum edictis collectorum cap. XLVI.* Et in EDICTO *Theodorici Regis art.* 149. *Si quis exactorum vel susceptorum majorem mensuram vel magus pondus adhibuerit, dum fiscales traduntur species, quam publicæ ordinationis moderatio antiquitus provisa constituit, ad judicem continuo cum ipsis mensuris deducatur, ut si fuerit de eorum iniquitate convictus*, inde quadruplum pro utilitate ejus, quem gravavit, *male susceptarum specierum damna sustineat.* Plane cum *Suerinensi* seu WERINORUM Lege convenit *statutum* ANGLIONUM h. e. *Slesvicensium* antiquum, eodem fere ævo, quo Suerinense, natum & publicatum *cap. LI. Wer da wart begrepen mit unrechter Mate, Schip, Schepel, Wachten, de entbehre DES HÖVEDES und sines Gudes.*

Matta.

(o) Quæ dicitur a *mensurando*, messen. *Suecis* mæta & *Cimbris Anglo Saxonibus* metan. Convenit præcipue hebraicum *Mad, Madad* metiri, Gothium *Mota* telonium, *Anglicum Meat* cibus & *Islandicum* Maat exitium seu exitus, docente *collectore glossarii Islandici* apud HICKESIUM *T. I. Thesauri Langu. Septentr. P.* 3. *p.* 84. Mattæ certe, si fari liceat, modios exeunt plerumque, modum excedunt, & ut ut fiant juxta præscriptam mensuram, ipsius tamen frumenti sunt recessiones, deductiones & exitia. Pertinent huc nonnulla Capitula Regum Francorum & CAROLI M. *Capitulare*, quod inscribitur *de villis & curtis Imperatoris, cap. IX. Volumus, ut unusquisque judex in suo ministerio mensuram modiorum sextariorum & ficulas per sextaria octo & corborum eo tenore habeat, sicut & in palatio habemus.* Explicatius rem definivit antiquus codex juris Lubecensis membranaceus, cujus rubrum est: *Universitatis Lubecensis ex consulum & communi consensu constitutum & factum arbitrium A. D.* 1337. *in crastino Beate Gertrudis*, ubi *f.* 9. *art. von der Molner Matten un valscher Waghe* ita: *der Molen schal wesen ein matte also grot, dat der Beholden achtehalv enen Schepel, unde van* 4. *Schepeln men geve ene matten; So wer valsche mate hevt to wine oder to mede; he schal it betern mit söstig Schillingen.*

Statutorum observantia.

(p) Consonant CAPITULARIA *Caroli M. Libro VI. c.* 303. *Si quis statuta canonica supergressus corruperit vel pro nihilo habenda putaverit, si laicus est, communione, si Clericus, honore privetur.* Idem statuitur *Libro VII. cap.* 149. & *additione III. Capitular. cap.* 47. *Si quis Clericorum contra hæc statuta fecerit pœna pecuniarum, quam Episcopus existimaverit exigere, Ecclesiæ vindicanda.*

Solidus pacis seu Fredum.

(q) Quod vocabulum cum significatu suo desumtum iterum est ex Legibus veterum Germanorum, *Ripuariorum, Allemannicorum* ipsorumque *Werinorum & Angliorum Tit. VII.* §. 2. 3. *seq.* ubi dicitur FREDUM h. e. pœna, quam pro compositione delicti seu *restituta pace* sibi vindicavit fiscus, potestas, magistratus. Germanice *Friedeschilling, Geleitgulden.* Vide *Fragmentum h. l. n.* 3. *art.* 11. *& num.* 5. *art.* 25.

(r) Ex adverso in *fragmento III. Malchoviensi art.* 12. tertia pars satisfactionis *magistro civium vindicatur*, potestati nihil.

(s) Copia fragmenti apud LATOMUM *P.* 2. *Chron. Mecklenb. ad. a.* 1235. *erronee habet: Magistratum.*

Magister civium.

(t) Autor versionis germanicæ *Magistrum civium* recte dixit Burgermeister. *Fragmenti III.* latini versio vernacula *art.* 12. 13. nihil definit. *Fragmenti IV. & VI.* magistrum venditat pro *œconomo ecclesiæ.* Quintum vero, quod aliis videtur antiquius & curatius, coincidit *art.* 26. 27. 28. cum explicatione *fragmenti I. h. l.* Et recte quidem. Consules enim sunt senatores, quibus competiit *jus decernendi* super officia civitatis seu jus nominandi & præsentandi Proconsules, h. e. magistros civitatum, Burgermeistere: sed *jus eligendi* relictum fuit civibus, uti satis patet ex *articulo* 12. & 13.

(u) In copiis latinis apud LATOMUM & HEDERICUM *c. l.* legitur *Pastores.* Idem error subest in *fragmento III. art.* 14. & reliquis IV. VI. excepto *quinto*, quod hunc articulum recte explicuit de magistri civium cum senatoribus colendo pacis & officii studio. Causa erroris petenda forte erit ab inconsiderantia interpretis textus Germanici, quo ipsas Suerinenses Leges principio scriptas & promulgatas fuisse opinabile est. Occurrit vero ibi vox *Herden*, quam interpres explicuit *Hirten, Pastores*; quorum tamen loco rectius intelliguntur senatores, Domini, die Herren, vel si mavis, ipsi cives, civium *cœtus.* In nonnullis aliis hujus fragmenti exemplis, etiam iis, quæ exhibita sunt a *Friderico Thomas & Petro Torquovio c. l. articulus hic XIV.* plane est omissus.

Feldroff seu præda campi.

(v) Juxta interpretem hujus & III. fragmenti: *Feldroff, raub auf dem Lande.* In nonnullis versionibus theotiscis legitur: *Feldfröchte.* Quo vocabulo respexisse videntur interpretes ad fructus seu decimas rerum campestrium, quas Duces Megapolenses olim sibi diutius vindicarunt; & magistratus civicus Suerinensis demum a. 1590. privilegio Ducis Johannis in usum civitatis obtinuit. Utrumque constat ex ducalibus literis & documentis. Cum enim a. 1558. d. 21. Aug. ignis furor magnam civitatis partem absumeret, horreum quoque *ducalium decimarum, die Zehend-Scheune*, exustum est, quod ipse Dux JOANNES ALBERTUS in litteris ad Consiliarium Andream Mylium (*autorem Chronici Mecklenburgici sub* CALOVII *nomine editi*) eodem anno & tempore d. 4. Sept. deproperatis doluit his verbis, quæ ex avtographo Ducis descripsimus: *De incendio, quod scribis, ante ab aliis audivi & non sine dolore. Dubium certe non est, quin pœna sit Dei, qui talia vitia (carnalia) inprimis odio persequitur & punire solet. Ergo magistratus officium est, non delectum habere earum personarum, quæcunque se talibus vitiis contaminant, neque favore amicorum supermoveri licet; & quando magistratus suum non vult facere officium*, FACIT DEUS SUUM: *ideo tuæ erunt in posterum partes, me monere, indicare etium atque adhortari & meæ erunt castigare, ut ira Dei a nobis amoveatur. Ipse etiam pœnas delli meæ negligentiæ & horrea mea* DECIMARUM *cum* FRUCTIBUS *sunt combusta; reliquum est, ut Deum altissimum oremus, ut oculis misericordiæ suæ propter Christum nos aspiciat & omne malum, quod astra & prodigia nobis minantur, paterne avertere & in bonum commutare velit &c.* Idem testatus est *Bernardus* HEDERICUS *Chron. Suer. ad a.* 1558. Zu Abend ist der eine Ort am Marckt aufwarts nach der Schelve samt dem Rathhause und wieder hinunter nach der Neustad, in allen 44. Häuser *samt der Fürsten Zehend Scheune* abgebrand. Qui ipse de usu decimarum civitati demum indulto *c. l. ad a.* 1590. hoc testimonium tulit: Anno 1590. hat Hertzog Johannes auf Suppliciren des Raths wegen ihrer Schulden Lasten, der Thor und Mauren Untergang, die Privilegia renovirt und über das *den Zehend auf dem Schwerinischen Felde* dem Rathause zur Ablegung der Schulden und Bau-Kosten geschencket. Plenius hoc constat ex tenore ipsius diplomatis ducalis de a. 1590. d. 27. Febr. Und haben wir dennoch uns bewegen lassen und obgedachten Rathe zu Suerin den Korn-Zehnten übergeben und eingeräumet, also dass sie nunmehro, gleichwie unsere Beamten zuvor gethan, denselben Zehnten einnehmen und zu Erhaltung der Stadt-Thor, Mauren, Brücken &c. anwenden sollen; Wir wollen uns auch an den-

An decima?

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

selben Zehnten keine Gerechtigkeit vorbehalten. Weil wir aber hiebevor unſern Rath Andreas Hohn den Zehnten von 20. Morgen Ackers auf ſein, ſeiner Frauen und ſeines Sohns und deſſen Erben abſteigender Linie wegen ſeiner treu geleiſteten Dienſten nachgegeben haben, ſo ſoll derſelbe hierunter nicht begriffen ſeyn, noch durch gemeldeten Rath ſolange von obgenanten Perſonen, welche in Leben ſeyn, die Zehnten davon gefordert werden; wann ſie aber mit Tode abgangen, ſoll der Beſitzer des Ackers dieſe Freyheit nicht mehr genieſſen, ſondern neben andern ſeinen Nachbarn den Zehnten dem Rath zu geben ſchuldig ſeyn; dagegen auch der Rath alle ihre Gerechtigkeit und Zuſprache, die ſie wegen der Dörffer Mütze, und Oſtorff neben dem Sehr ſowohl an dem Haſelholtz und Buchholtze, Vogelheerd, Wein- und Heidberge, Jägerhauſe, Probſtkruge, Windmühle, Gieſshauſs &c. zu haben vermeinet, ſich verziehen, cetera. Quæ privilegia confirmata ſunt a Ducibus Adolpho Friderico & Jo. Alberto a. 1609. Sed, utut hæc ſpeciem habeant, rectior tamen videbitur explicatio, quam ſuppeditat *Fragmentum V. art.* 29. ubi præda campeſtris generatim dicitur *Venatio*; cujus rationes alibi expoſuimus, opinantes, quod, cum in aliis documentis hujus & veteris ævi non quidem Conſulibus, ſed communi tamen civitati Zwerinenſi jura venationis vindicentur, hoc loco forte ſub vocabulo prædæ campeſtris ſeu Venationis denotetur *Venatio prima & convenatio die Vor- und Koppeljagt*; cujus tamen arva ſeu jura & rationes, conceſſiones, exercitia & explicationes ex fontibus Romanis male irrigantur; ut vulgo quidem undelibet in doctrina de Regali venationis ſieri ſolet a Jctis, factumque eſt a plerisque ſcriptoribus, quorum conſilia inſerta ſunt ab *Abasvero* FRITSCHIO *P. III. corporis Juris Venat.* Legi merentur, qui aberrantes in viam reduxerunt, JO. PETRUS *de* LUDEWIG *diſſ. de Venatu ejusque regali &* CONSIL. HALENS. *T. 2. L. 2. Conſ.* 115. HOMBORG *de jure Convenandi c.* 1. §. 10. *ſq.* KESTNERUS *de ſingular. German. juribus circa perſonas & res* §. 12. KRESSIUS *de privileg. agricult. ap. Germanos*: *de* GOEBEL *diſſ. de origine juris venandi:* NOODT *de orig. nobilitatis Germ. ejusque juribus Sect. 2. c.* 3. JARGOW *in doctrina de Regalibus L. 2. c. 5. p.* 498. Speciatim vero de juribus venationis & convenationis veteribus & novis in *Saxonia* commendata ſunt ſtudia *Dn.* BERGERI *Oecon. jur. L. 2. T. 2.* AUGUST. LEYSERI *de juribus prædiorum nobilium inprimis Saxonicorum:* LUNIGII *P. II. codicis juris Auguſtei p.* 161. 2077. & in Ducatu *Luneburgico* & *Brunſvicenſi Dn.* DAVIDIS GEORGII STRUBII *Comment. de jure villicorum c.* 3. §. 3. BILDERBECKII *deduct. contra doctrinam de Regali venationis*: De *Holſatiæ* vero moribus vide HERTIUM *opuſcul. Vol.* 1. *T. 2. p.* 374. ibique ELVERVELD *de Holſat. claſſ.* 2. De *Friſiæ* inſtitutis antiquis UB. EMMIUM *L.* 2. *Rer. Friſ. p.* 74. De *Suevia* STEPH. CHRIST. HARPRECHT *Sciagraphia liberæ venat. Germ. inprimis Suevia* §. 4. Quibus omnibus ex legibus & ordinationibus præcipue *Saxonicis, Brandenburgicis, Brunſvicenſibus, Auſtriacis, Sileſiacis, Wurtenbergenſibus & Mecklenburgicis* lumina & ſupplementa laudabili ſtudio adjecit CHRIST. GOTTL. RICCIUS *in ſcripto* noviſſime edito: *Zuverläſſ. Entwurf von der Jagdgerechtigkeit in Teutſchland c.* 1. §. 22. *ſq.* §. 35. ibique *de jure venationum civitatibus competente.* Sed ut dicam quod res eſt, ipſa vocis *Feldrof* a venatu deſumta explicatio ad rem parum facit. Rectius omnino accipitur vocabulum *pro exuviis, manipulis ſeu prædis, quæ in campis, agris, ſilvis, foreſtis rapiuntur*, quorum acquiſitiones prohibitæ plerumque ſunt hodie ſub pœna pecuniaria & corporali. Inſtar interpretis iterum eſt *vetus ſtatutum Anglionum Sleſvicenſium cap. CII. Huſtrof*, WALDROF, *und ander ſülfweldige Dadt, dat men klaget up dem Dinge* (in judicio) *ſchölen ſcheden de Stockneffen*, h. e. judices XIII. a bacillis judicialibus nominati. Idem explicatius ſancitur in *codice juris Jutici L.* 2. *c.* 46. ERD *effte* FELDROFF (Danice *Hiortran*) *is, wen ein Man geit in enes andern Volt, tho Felde und nimmt drut en Perd, Horß oder Beſt edder jennich ander Veh, item Hoy, Korn efte Timmer, edder ſonſt was anders, dat ene halve Marck pennig gelden mag.* Eodem JURE *L.* 2. *c.* 44. & *jure* DANICO *vel Selandico L. 6. c.* 15. *art.* 2. HANDRAUB *Danice Handran* dicitur *præda rerum earum, quæ in manibus portari ſolent, ut pileus, chirotheca, muccinum.* Et *Libro II. c.* 39. 45. HAUSRAUB, Danice *Boran*, committi dicitur, ſi quis rapuerit veſtimenta arma, ſupellectilem. Eodem ſenſu *Lib.* 3. *c.* 34. deſcribitur *Valroff*: *Wat ener rovet von enen doden Man, jt ſy Kleder, Wapen, Sülver, Gold, eſte he dat by ſik hedde, dat is* VALROF *unde de Bröcke is* 40. *Marck, edder moth ſick frien mit Kions Neffen*; qui a Cimbrico *Kion* h. e. proſapia dicuntur & *c. l. L.* 1. *c.* 1. §. 5. deſcribuntur: *Kions Neffen ſyn* 12. *Manne in der drüdden Linie der negſten Fründe unde in dem ſülven Syßele geſeten.* Occurrit eodem jure *Lib.* 2. *c.* 72 *ſq.* ACKERROFF, ſi quis frumenta aliena perdiderit vel demeſſuerit: *Lib.* 2. *c.* 74. HOLTROF *ſeu præda lignorum e ſilvis & foreſtis acquiſita*; *Lib.* 3. *c.* 67. STYGRAUB, *der ſchiffbrüchige Leute beraubet.* Quod vocabulum & ſtatutum repetitur JURE SELAND. *L. 6. c.* 16. *art.* 2. & conſtitutione CHRISTOPHORI *Regis de a.* 1320. §. 30. ac CHRISTIANI III. *de a.* 1558. *art.* 57.

An venatio?

An rapina & quales?

Explicatio ex jure Cimbrico. Waldrof. Feldrof.

Handrof.

Huſtrof.

Valrof.

Holtrof.

Stygrof.

(w) Quæ diſpoſitio notorie eſt ex rationibus veteris juris Germanorum, intelligenda præcipue de bonis *hæreditariis*. Concinunt jura vetera CIMBRICA, quæ Principis aliquando conſenſum requiſiverunt: *Saxonica & Batavica* ap. FRID. *a* SANDE *de feud. gelr. Tr.* 2. *c.* 2. SUECICA *ap.* LOCCENIUM *in L L. civil. Sueciæ Tit.* 3. *c.* 19. OSTFRISICA *in jure prov. L.* 2. *Tit.* 138. 154. DITHMARSICA *Jur. Prov. art.* 27. *Lubecenſia, Bremenſia, Hamburgenſia* & alia citata a meritiſſimo Jcto HEINECCIO *diſſ. de teſtamentifactione jure Germanico arctiſſimis limitibus circumſcripta.*

De hæreditate hæredibus relinquenda.

(x) Quam frequens apud Germanos præſidium præſcriptionis annalis fuerit, id quidem eſt documentis & Legibus præcipue medii ævi longe teſtatiſſimum. Ex *Legibus* FRANCORUM exemplum dabitur infra notula (ff). Ex *Formilus Bignonianis* exempla præſcriptionis usque ad annum & diem in caſu præſtandæ evictionis occurrunt apud BALUZIUM *Capitular. T. II. p.* 497. 501. De Legibus NORMANNORUM loquitur codex juris apud LUDEWIGIUM *T. 7. Reliqu. MSC. cap. XVII.* §. 3. 4. *p.* 186. ubi *bona viriſca* ſeu *wreca* h. e. amiſſa, caſu vel naufragio ejecta, præſcribi dicuntur cuſtodia per anni & diei ſpatium. Idem obtinet jure SUECORUM teſte LOCCENIO *L.* 1. *de jure Marit. c. 7. & Tit. XIV. Legum provincial. Regni Suec. cap.* 36. *Si non adveniat inrta annum & noctem verus dominus rerum in littus ejectarum, rex duas partes & inventor tertiam partem capiat.* Plura hujus, qua tranquillitati publicæ rerumque dominiis veteres conſuluerunt, præſcriptionis exempla occurrunt *jure veteri* CIMBRORUM *Jutico L.* 1. *c.* 50. *L.* 2. *c.* 80. *L.* 3. *c.* 27. *jure* SAXONUM *provinciali L.* 2. *art.* 31. 44. *& feudali c.* 13. 22. 25. jure ALLEMANNICO *feudali cap. XV. XIX.* Jure LUBECENSI *L.* 1. *Tit.* 3. *art.* 3. *L.* 2. *Tit.* 1. *art.* 9. HAMBURGENSI *P.* 3. *Tit.* 3. *art.* 18. *P.* 2. *Tit.* 8. *art.* 7. & *Tit.* 19. *art.* 2. 3. cujus interpres eſt JO. SAM. STRYKIUS *diſſ. de præſcriptione rerum per mare adlatarum* §. 8. *ſqq. Jure* BAVARICO, quod explicuit SCHMIDIUS *Comment. ad L L. Bav. Tit.* 12. *art.* 5. Jure AUSTRIACO, teſtante charta RUDOLPHI I. *Imperatoris apud* JO. JACOB. MOSERUM, *Jctum meritiſſimum, in Bibliotheca Manuſcriptorum maxime anecdotorum p.* 116. Et WRATISLAVIENSI, apud *Dn. de* WEINGARTEN *in Codice Ferdinand. Leopold. p.* 102. Jure NORIBERGENSI, quod ſtatutum eſt *Reformatione Norica Tit.* 16. *Lege* 5. BRUNSVICENSI, quod Ducis Henrici diplomate de a. 1400. declaravit JO. FRID. PFEFFINGER *Hiſt. Brunſv. Luneb. P.* 1. *L.* 3. *c.* 5. *p.* 448. RIGENSI *L.* 4. *Statut. c.* 7. citato a JO. ALB. STEPHANI *in jure Pand. cum variis ſtat. collato p.* 753. Quibus addi merentur ſtatuta HOLLANDICA cumulate citata a SIMON *von* LÖWEN *in cenſura For. L.* 4. *T.* 21. & LEX FAMILIÆ S. PETRI *ab Epiſcopo Wormatienſi Burchardo circa annum MXXIV. promulgata* & a JO. FRIDERICO SCHANNAT *in Hiſtor. Epiſcop. Wormat. T.* 2. *p.* 44. ex avtographo edita, quæ uti argumentis jurium veterum Germanorum abundat; ita & *præſcriptioni annali* in cauſa dotis ejusque poſſeſſione, in alienationibus, evictionibus aliisque momentis, locum conceſſit. Plura de hoc præſcriptionis argumento, ſpeciatim quoad bona hærede deſtituta, diximus in introductione ſeu præfamine *ad hæc fragmenta jurium Suerinenſium.*

Præſcriptio annalis a Germanis frequentiſſime uſitata. a Francis. Normannis.

Wratislaviensibus. Norimbergenſibus. Brunſvicenſibus. Batavis. Wormatienſibus.

(y) Apud FRID. THOMAS *in annal. Guſtrov.* c. 1. legitur: *Si quis moritur & hæredes* SUOS *reliquerit.* Qui error irrepſit manu deſcribentis, juris *Romani* argutiis ac principiis imbuti. Vide *Fragmenta alia h. l.*

(z) Quod legibus veterum Germanorum manifeſtum & fatis expoſitum eſt ab iis, qui de *tutela juris Germanici materna*, de *matris in liberos poteſtate*, de *portione ejus ſtatutaria*, *ſecunda vota* de *renuntiatione Sti Vellejani*, *paternæ hæreditatis bonorumque communium & hæreditariorum diviſione*, & de *elocatione & abdicatione liberorum ſunt commentati*, præcipue THOMASIUS, LUDEWIGIUS, KRESSIUS, LEYSERUS, KNORRIUS & interpretes juris *Saxonici, Lubecenſis, Hamburgenſis* ad hoc argumentum. Adde Leges WISIGOTHORUM *L.* 4. *Tit.* 3. 14. *ſqq.* BURGUNDIONUM *Tit. LIX.* BOJORUM *Tit.* 7. §. 1. 2. 3. *Tit.* 14. & apud BALTHASAR *Tit.* 5. *Pract. reſolut. III.* BELGARUM apud LÖWEN *c. l. L.* 1. *Tit.* 16. Illuſtria exempla maternæ & femininæ tutelæ cum quoad bona allodialia tum feudalia & Principatus Imperii, ex hiſtoria & documentis congeſſerunt WILDVOGELIUS *de Uſu juris naturalis in actionibus principum c.* 3. §. 16. 17. 18. *ſqq.* STRYCKIUS *diſſ. de tutela materna principum imperii c.* 2. §. 7. *de* LUDEWIG *in differentiis juris R. & G. de tutela materna differ.* 16. *Tom. II. opuſc. p.* 1158. *ſq.* LEYSERUS *Medit. ad Pand. P.* 5. *Spec.* 331. *p.* 479. Quibus ex HELMOLDO *Chron. Slav. L.* 1 *c.* 7. accedit exemplum Viduæ Adolphi II. Comitis Holſatiæ, quæ interemto illo a Slavis *a.* 1164. *comitatum Holſatiæ, Stormariæ & Wagriæ tutorio nomine adminiſtravit cum filio adhuc tenello.*

De matre tutrice & ad na, de matris in liberos poteſtate, de portione ejus ſtatutaria, ſecunda vota de renuntiatione Sti Vellejani, paternæ hæreditatis bonorumque communium & hæreditariorum diviſione, & de elocatione & abdicatione liberorum ſunt commentati, præcipue transunte.

(aa) Quæ

(*aa*) Quæ de hæreditate hoc loco & in sequentibus statuuntur, harmonica sunt cum vetustis *legibus Werinorum & Angliorum Tit. VI. n. 3. & statutis Slesvicensibus medii ævi c. X. XI. XIII. XIV.* Ut plura taceamus.

Tutela matris non repetenda ex jure Romano.

(*bb*) Exemplar fragmenti apud *Latomum* & *Hedericum* habet: *Sicut & pater.* Concinunt pleraque alia statuta item *Slesvicensia c. 21. Wat gesecht is von de Moder* (quod liberorum tutrix sit maneaque, si *utiliter* bona administraverit) *dat schall men ock verstan van dem Vader.* Quæ quidem tutelares dispositiones non explicandæ sunt ex regulis & principiis juris Romani; sed ex rationibus juris patrii, quod communionem bonorum inter conjuges consulto introduxit matrique ac patri parem potestatem in liberos ejusque naturales & civiles effectus tribuit. De quo argumento vide LEGEM *Wisigothorum L. 4. Tit. 2. §. 12. 13.* & LEGEM *Burgund.* supra citatam, quæ *filios patre mortuo, cum omni facultate in mundio & potestate matris consistere jubent*; SCHILTERUM *exerc. ad ff. XXXVII. Th. 57.* HEINECCIUM *diss. de usufructu materno juris Germ. inprimis Hamburgensis §. 15. sq. & in element. juris Germ. L. 1. §. 138. in not. p. 106.* CASP. *de* LENGERKE *diss. de fœmina tutrice secundum jura Rom. & Hamburg. hab Groningæ a. 1706.*

Convenientia Legum Slesvicensium.

(*cc*) Consona sunt pleraque supra laudata *vetera Germanorum statuta*, sigillatim Anglorum Saxonum civitatis *Slesvicensis cap. X.* & passim.

(*dd*) Eundem sensum habent statuta citata *Slesvicensia c. I.* De Börger schölen nemand antworten buten de Stad.

(*ee*) In exemplari apud *Latomum* legitur: *Quicunque autem homo* LIBERÆ *seu propriæ fuit conditionis.* Et porro: *Si intra civitatem* MANSERIT, *ab* EMTIONE *servitutis liber erit.*

Præscriptio hominum propriorum momentanea.

(*ff*) Secundum alia fragmenta: *manserit.* Tempus vero mansionis seu commorationis non adjicitur, ut igitur, hoc jure homines proprii, conditionis suæ vel nescii vel prætensæ libertatis tenaces vel domini truculentia in desperationem acti, vel denique in mala fide constituti, in urbes asylo fugientes, a revocatione dominorum tuti censeantur *præscriptione momentanea vel unius diei.* Occurrunt hujus generis præscriptiones in documento *Villæ Hochheimensis de a. 1322.* in casu pignorationis & repetitione rei, auctoritate propria ob dolum defraudantis in pignus captæ apud JOANNIS *Spicil. tabularum veter. I. p. 364.* & in *Legibus Normannicis c. I. cap. LXV. Quædam præscriptio fit de* HORA *ut in revocatione Burgagii in burgis, oppidis & civitatibus; si quis autem vendiderit terram vel feodum de burgagio & venditio fuerit publice denuntiata, consanguineus venditoris illud potest revocare, si revocationem suam fecerit, antequam venditor recepit perfecte pretium rei venditæ & gratanter; post eam receptionem factam habendæ responsionis super hoc clauditur via revocandi; & hæc præscriptio est quasi de spatio unius diei.* Accedit *jus* NORICUM *Tit. 16. L. 9.* quo res mobiles bona fide comparatæ trimestri spatio inter præsentes præscribuntur. & LUBECENSE, quod præscriptionem *trium dierum* statuit in actione injuriarum *L. 6. Tit. 4. art. 2.* & in aliis jurium argumentis spatium *quatuordecim dierum L. 3. Tit. 4. art. 1. L. 5. T. 12. art. 2. triginta* vero *dierum L. 2. Tit. 2. §. 2.* & *trimestre spatium* contra eos, qui foro & lare Lubecæ utuntur & obligati sunt ad recipiendum nexum & jus civitatis. Quod speciatim præscriptionem hominum propriorum fugitivorum spectat, *annali* plerumque *spatio* illa, utut bona fide omni destituta, definita legitur veterum Germanorum placitis & constitutionibus, præcipue *Lege* BURGUNDIONUM *Tit. VI. §. 2. Debet dominus servum statim prosequi & infra* ANNUM *clameum suum* (reclamationem, actionem vindicatoriam) *apponere, quo facto non currit tempus contra dominum:* Et *Lege* SALICA *Tit. XLVIII. §. 2.* apud ECCARDUM *p. 90. Si quis vero admigravit in villam & ei aliquis intra XII. menses nullus testatus fuerit, securus ibi, sicut alii vicini, consistat:* Nec non *Capitularibus* R. FRANCORUM *C. 2. Ludovici II. ad a. 867. Si ignorante domino, servi consecratio in ordine ecclesiastico facta fuerit, liceat tantum domino intra* ANNUM *conditionem probare.* Item jure WEICHBILDICO *art. 4. Welcher Mann binnen Weichbild gesessen hat Jahr und Tag ohne jedermans Anspruch, der mag seine Freyheit behalten selb sieben seiner nächsten Magen, der sollen drey seyn vom Vater, drey von der Mutter, denn daß ihn jemand zu eigen behalten möge.* Concinunt Leges *Cimbrico*-SLESVICENSES *Sec. XII. cap. 88. En Man van verne gekamen und ist Börger worden und vanet so* JAR *und* DACH, *und wart darna beschuldiget, da he egen sy, und se desliken wechgetagen, de venige sick mit XII. Börger-Eden.* Quibus, ut solent, suffragantur leges Anglorum seu *Anglo Saxonicæ civiles* apud DAVID WILKINS *inter statuta Regis Wilhelmi Conquisitoris n. 66. p. 229. Si servi permanserint sine calumnia* per annum & diem *in civitatibus nostris vel in burgis in muro vallatis vel in castris nostris*, a die illa *liberi efficiuntur & liberi a jugo servitutis suæ sint in perpetuum.* Accedunt statuta & privilegia pro libertate hominum propriorum in portum civitatum confugientium scripta, quibus & Imperatores, & Principes

Exempla alia præscriptionis brevissimi temporis.

De præscriptione hominum fugitivorum annali.

Ex legibus Burgundionum, Saliorum,

Regum Francorum.

Jure Weichbildico seu Magdeburgico.

Cimbrico.

Anglo Saxonicæ,

Germaniæ civitates præcipuas, ut civium numero incrementa caperent, cumulate donarunt, quorum fere prima & præcipua dixerim Susatense & Lubecense. De illo *Codex MSC. art. 149. Hedde ock en egen Mensch de Bürschop hie gewonnen, würde em de van de Herschap binnen Jar und Tag bespraken, als dat recht is, de schall sick mit der Herschap versühnen, dat se em de Wanunge albie vergünne.* *Susatensi.*

De hoc manifestum est, quod eodem juris articulo instructum fuerit a prima origine sub auspiciis *Henrici Leonis, primi loci fundatoris & legislatoris*, cujus *omnia jura Lubecensibus concessa, libertatem omnem & justitias, quas in privilegiis* SCRIPTAS *habuerunt*, ab imperatore Friderico I. a. 1188. confirmata esse, & ARNOLDUS *Lubecensis L. 2. Chron. Slav. c. 35.* & ipsum Cæsareum privilegium testatur. Differte vero in hoc privilegio statuitur, *quod, si quisquam extraneorum civem de sua libertate pulsare voluerit, civis tum vicinior esse debeat ad obtinendam suam libertatem sola manu, quam extraneus dominus ad ipsum convincendum. Si vero quispiam de terra ipsorum aliquem de libertate pulsaverit & pulsatus probare poterit, quod* ANNUM & DIEM *in civitate sine pulsatione substiterit, ille liber evadat.* Clarius hoc docent *codices juris Lubecensis Seculi XIII. XIV. supra laudati*, ex quibus in novissima statuta *civitatis* LUBECÆ *L. 1. Tit. 3. art. 3.* hæc constitutio manavit: *Wann ein Bürger in einer Stad, da Lüb. Recht gebraucht wird, Jahr und Tag gesessen, und alsdann von einen andern als sein eigen Mann angesprochen, und daß er eigen wäre mit Zeugen beweisen würde, kan dagegen der Bürger durch Rahtmanne oder besessene Bürger wahr machen, daß er über Jahr und Tag Bürger gewesen und unbesprochen geblieben, so bleibt er des Anspruchs ledig.* Mirifice nec sine ratione conveniunt cum his & Suerinensium juribus *jura* LUNEBURGENSIA *ab Ottone Puero a. 1247. firmata & concessa* apud RETHMEYER *in Chron. Brunsv. Luneb. T. II. p. 1832. Si quis in ipsa civitate* annum & diem *transegerit non requisitus a domino suo, pro libero homine teneatur & a nemine imposterum impetatur:* Et BRUNSVICENSIA a Ducibus *Magno & Ernesto concessa a.* 1345. *Wäre he Börger worden un oppenbar dar one Anspraeh* JAR *un* TAG, *de schall dessülven Recht bruken un fry Börger wesen.* Item jura HAMELENSIA *ab Alberto Duce Brunsvicensi* concessa a. 1277. apud *de* LUDEWIG *Reliqu. MSC. T. X. p. 24. Item jus civitatis est, quicunque* INTRAT *vel intrabit civitatem* & MANSIT *& manebit in ea anno & sex septimanis absque querimoniis, ulterius a nullo potest* IMPETI *de aliquo jure vel servitio, sed pro libero habebitur.* Confonantiam in hoc præscriptionis argumento jurium & statutorum *Bremensium, Argentoratensium, Goslariensium, Viennensium, Lindaviensium, Nordhusanorum, Tremoniensium & Spirensium* ex documentis & legibus docuerunt HERTIUS *de homin. propr. Sect. 3. §. 10.* HEINECCIUS *diss. de præscriptione annali juris Lub. a jure communi diversa §. 13. p. 20.* Quibus adde statutum a Sigismundo Imperatore *Ordini Teutonico* indultum a. 1415. apud SCHANNAT *in collect. veterum document. p. 127.* Abusus vero, qui ex hoc jure modoque acquirendi libertatem multiplex resultavit, indubie in causa est, quod tempus præscriptionis servitutis hominum propriorum servorumque, nonnullis provinciarum civitatumque constitutionibus ad plures annos protractum fuerit, nunc ad *decennium*, ut jure HAMBURGENSI, *statutorum P. I. T. 2. art 2.* jure RATISBONENSI testante HUNDIO *in Metrop. Salisb. T. 1. p. 160.* HOLSATICO, *si fugitivus dum talis est, matrimonium iniit & per decennium conjugatus extra prædium vixit*, præcipiente *Ord. Provinc. Slesv. Holsat. P. IV. Tit. 5.* nunc vero ad spatium *viginti annorum*, ut *jure Sclandico seu Danico a Christiano V. promulgato L. 3. art. 14.* cum quo congruit vetus *edictum Theodorici* apud LINDENBROGIUM *in Cod. LL. Germ. cap. 68.* iterumque nunc ultra, & usque *ad triginta annos & diem*, ut jure LONGOBARDORUM *L. 2. Tit. 35. §. 13.* apud LINDENBROGIUM *p. 632.* BAVARICO *provinciali Tit. 4. art. 10.* itemque HOLSATICO *c. l. in cas., si fugitivi cœlibes vixerint vel conjugii*, quod olim in jure maximum favorem cultumque sacramenti sibi vindicarat *expertes.* Quid? quod ad cavendas ruinas prædiorum & ob violentas vindicationes hominum propriorum glisccntes turbas & multiplices excitatas diffidationes, e re imperii visum fuerit, in comitiis Francofurtensibus a. MCCXX. a *Friderico* II. & in Wormatiensibus a. MCCXXXII. a filio *Henrico* VI. institutis, publica lege prohibere, *ne ex ulla causa amplius recipiantur in civitatibus homines proprii Principum, nobilium, ministerialium, ecclesiarum, quacunque etiam causa ab eorum obsequiis se alienaverint*, probante LEHMANNO *Chron. Spir. l. 7. c. 71.* GOLDASTO *in Stat. & Rescript. imperial. p. 79.* SCHILTERO *inst. jur. publ. T. 2. tit. 15. 16.* Ex quo tempore opinabile est in valuisse vel cum effectu legis civitatibus oppositam fuisse regulam juris Germanici: *Die Henne fliget nicht über die Mauer* h. e. *Homo proprius*, quem in Symbolum servitutis gallinam infumatam domino quot.

Lubecensi veteri & hodierno.

Bremensi plurimaque Germaniæ civitatum.

De præscriptione ad plures annos extensa jure Hamburgensi. Ratisbonensi. Holsatico. Danico.

Bavarico.

Comitiali Francofurtensi & Wormatiensi.

Observatio de Salimagio & diplomate ingenuitatis.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quotannis præstare oportuit, *non est recipiendus in civitatibus*, interprete DEINLINO *de præstationibus gallinariis J. S &* HERTIO *in Parœmiis juris G. l. 2. par.* XI. cujus etiam est observatio *diss. de hom. propr. Sect. 3. §. 10* quod inde inoleverit consuetudo exigendi a *novis civibus* testimonium ingenuitatis seu literas natalium non servilium sed ingenuorum, vulgo *Mannrecht* item *Geburtsbrief* vocatas & requisitas ideo, ut constaret, cives in numerum subditorum civilium recipiendos non esse homines proprios vel aliis servili conditione adscriptitios. Mirum igitur haud est, quod jus vetustum *Suerinense* in hoc argumento præscriptionis, post multiplicia mala & prædiis & civitatibus vi, clam & studio illata, demum in desvetudinem abierit servisque latitantibus & receptacula in civitate quærentibus obex positus fuerit recentioribus legibus & constitutionibus, præcipue legibus agrariis seu *ordinatione rustica ducatus Mecklenb. tit. 2. §. 1. daß die Bauersleute ohne ihrer Herrn Bewilligung sich ihnen zu entziehen nicht befugt seyn; & §. 10: weil aber das mutwillige und heimliche Entlaufen der Unterthanen mehr und mehr zunehmen wolle, und wir solchen gottlosen boßhaften Wesen länger nicht zusehen, sondern mit andern benachbarten Potentaten uns verglichen und auf Mittel bedacht seyn wollen, wie solche meineidige böse Buben wieder herbey gebracht werden; so wollen wir jedem hiemit ernstlich anbefohlen haben sich solches entlaufens gäntzlich zu enthalten und da sie ertappet werden solten, gewärtig zu seyn, daß sie mit Staubstblägen, ja nach Befinden, Leib und Lebens Strafen belegt werden sollen:* Et tit. 2. §. 7: *die Abfolgung der zustehenden Unterthanen sollen einem jeden, wan der Unterthan des Fürgebens geständig oder dessen sobald überführt werden kan, unweigerlich sowohl in den Städten als auf dem Lande wiederfahren.* Plura de extraditione hominum propriorum sancita leguntur in *ordinat. Meckl. politica & provinciali de a.* 1572. *Assecuratione & Reversal. de a.* 1572. *&* 1611. §. 44. & *Conventione perpetua Ducali & Rostochiensi vulgo Erbvertrag de a.* 1584. §. 110. aliisque locis, quos citavimus *in Specimine juris Rom. dissonantis a jure Germ & Mecklenb. sigillatim in conjugiis hominum prop. & Jctione nobilium Pos. 4. p. 24.* Nec desunt vicinarum aliarumque regionum, præcipue ubi rustici etiam nunc sequuntur hominum propriorum seu glebæ adscriptorum indolem & conditionem, Leges ac sanctiones, quibus omnis præscriptio contra servos fugitivos est sublata, ut igitur quovis tempore a Dominis possint revocari. Statuta hæc sunt *Ordinationibus Westphalicis, speciatim Osnabrugensi c. 13. §. 13. ordinatione* LUSATICA *superiori de subditis art. 2. & ord. rustica* POMERANICA *tit. 4. aliisque citatis a Mevio Tr. vom Zustande Abforderung und Abfolge der Bauersleute c. 4.* ubi tamen in rationibus & conclusionibus sæpius mirifice romanizat. Quam enim hæc omnia in argumento præscriptionis servitutis personarum placita Germanorum aliena sint a principiis *jurium Romanorum*, quæ servum fugitivum *l. 2. C. de serv. fugit. & lege Flavia & D. Marci* retulerunt ad RES *non præscriptibiles, nullo non tempore investigandas*, addita ratione, *quia servus fugitivus sui furtum facit*; id quidem facile unusquisque palpabit, qui sciverit cognoveritque rationes *jurisdictionis patrimonialis Germanorum* & singularem indolem *servitutis Germanicæ* cum Romana nil quicquam habentis amicum & commune; id quod docuerunt solide & ex instituto HEINECCIUS *de origine & indole Jctionis patrimonialis:* BOEHMERUS *diss. de jure & statu hom. propr. a servis Germ. non a Romanis derivando & diss. de imperfecta libertate rusticorum Germ.* JO. GEORGIUS ESTOR *in select. Opusc. Germ. P. 5. doctissimo specimine juris Germanici de Hom. propriis Germaniæ præsertim Westphalicæ c. 4. p.* 145. 154. POTGIESERUS *in Commentariis juris Germ. de statu servorum l. 1. c. 2. 3. l 2. c. 1. sq.* Dandum vero est his recentioribus, quas laudavimus, cum Imperii tum Principatuum sanctionibus & legibus contra præscriptionem hominum propriorum promulgatis, promeritum prærogativæ elogium vel ideo, quod iis paci publicæ & saluti rerum juriumque privatorum consultum veterumque Germanorum justitia in viam postliminio reducta fuerit. Constat enim, quod legibus *Gothorum* fugitivis servis nequidem *præscriptio* XL. *annorum* profuerit, quin statuentibus *Regibus Francorum* & *Carolo M.* ALLEMANORUM, FRANCORUM, *aliorumque Germanorum* potestati & arbitrio relictum fuerit, servos fugitivos *sine ulla annorum præscriptione* vindicare. *LL. VVisigoth. l. 10. tit. 2. c. 2. 3. sq.* CAPITULARIA *Caroli M. Legi Long. addita c. 8. Regum Francorum l. 3. c. 83. ubi diserte: Si servi ecclesiastici vel quorumlibet liberorum hominum in fiscum nostrum confugerint & a dominis repetiti fuerint, si actor fisci nostri intellexerit, quod eos juste non possit tenere ad nostrum dominium, ejiciat illos de fisco & recipiant illos domini eorum.* Conjecturæ igitur locus est, quod verum harum conversio sub *Ludovico pio* demum originem ceperit, & principio in gratiam & utilitatem *ordinis ecclesiastici & monasteriorum* introducta fuerit. Quod ex Capitularibus ipsius facile est intellectu. Vide POTGIESERUM *c. l.* L. II. C. IIX. & IX. JO. ERNEST. *v. der* LINDE *diss. de vindicatione hom. propr.* JO. WILH. WALDSCHMID *disp. de homin. propriis Hassiacis.*

De sublata hominum propriorum præscriptione, jure Mecklenburgico.

Dissonantia juris R. & Germ. in hoc argumento.

Elogium legum contra hominum fugitivos statuarum.

Westphalico. Lusatico. Pomeranico.

(*gg*) In recentioribus fragmentis & *Malchovienſi b. l.* legitur *convictus.*

2. Fragmentum Germanico idiomate exaratum de a. 1224. ex Archivo Gustrovienſi. Quod ex præcedenti latino translatum videtur.

1. Vor Hovet dat Hovet.

2. Vor Hand dei Hand.

3. Is et Sacke dat einer ward gewundet so deep als ein Nagel und so lang als een Lidt, de Schuldige schall verdammet werden in 60. Schill. de schalen bekamen der Herschop und schall betalen den geledenen Parte 24. Schill.

4. Von brunen und blagen Schlægen schall de Herschop hebben 24. Schill. und dat geledene Part 12. Schill.

5. Vær eine Ohrfiege edder Backenschlag mit flacker Hand, schal dat geleden Part hebben 4. Schill. und de Herschop eben so veel.

6. Wer Huesfrede breckt gewaltlich, de schall den Halss verbracken hebben.

7. Wehr et Sacke dat eine unehrlicke Fru einen framen Mann hœnende in Gegenwordigkeit twe framer Mænner, de mag ehr billig und frie geven einen guden Backen-Schlag mit flacker Hand.

8. Wehr et Sacke dat wol hebbende wurde dubbelde Mahten, als grote und klene; de grohte intomehten, und mit der klenen uttomehten, de schall verdamet werden an den Halss.

9. De Mœller schall nehmen van islicken Schepel dei gesettete Mahte, de jetzo genœmet ward de Matte.

10. Welker entbrekende ward de Gesette der Stadt, de schall dre Marck Penning geven; 2. Marck der Stadt, und 1. Marck der Herschop.

11. Alle *Frede-Schillinge* schœlen angehœren den *Rahtsherren.* (*a*)

12. Weh-

(*a*) Fragmentum III. germanicæ versionis num. 11. ponit: den *Burgermeistern*, addita explicatione das ist schoss dem rahthause. Conveniunt *Fragm. 4. n. 11. Fragm. 5. n. 25. & 7. n. 25.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

12. Wehre et Sacke dat de *Rahtsherren* (*b*) gedachten einen *Bærgermeiſter* aver de Stadt-Ambacht tho ſettende, un de Underſatten æver ſtraden, ſchall 2. Part dem Rahde und de düddre Part den Bœrgermeiſter thgekehret werden.

13. Den Bœrgern komt tho, ſodanen *Borgermeiſter* (*c*) tho keſende.

14. So dane Borgermeiſter ſchall ſick *annehmen de Heerden.*

15. De *Feld-Roſ* hœret der Herſchop und nicht den Bœrgermeiſtern.

16. Niemand mag vergeven ſiene ervligke Gœder *ſunder Willen ſiener Erfnahmen.*

17. Wehr et Sack dat wol verſtœrve *in Afweſens ſiner Erfnehmen*, ſo ſchœlen de *Rahtsheren* by ſick nehmen dat Erve *to truwer Hand* tho bewahrende beth *to Jahres Ende*, wenn *dat Jahr* verlopen iſt; is idt, dat neen Erfnehmer kümt, ſo ſchall dat *an der Herſchop Hand verreckent werden*; æverſt ſodans Erfgod ſoll mit ſœvener Hand wedderum werden verreckent.

18. Wehre idt Sake, dat wol verſtœrve, und 2. Erfnehme nahlete, und de Moder woll einen *andern Mann nehmen*, ſo ſchall ſe erſten *dat Erve deilen.*

19. Wehre idt Sake, dat wol von den Erfnehmen verſtœrve, de Erflicke Anfall ſchall gahn tho den *Brodern*; wenn alle Brœder dod ſyn, ſchall dat gahn to *der Moder.*

20. Dar de Moder mag doen Verſeckeringe mag ſe bliven *Vormunder*, desglicken ock de Mann.

21. Wehre idt Sake dat eine Fru verſtœrve und nahlethe einen Erfnehmen, und ſinn Vater em von ſick ſchedede und nehme eine andere Frue, und van derſülvigen thehlde Kinder, wenn de Vader verſtervet, dei afgeſchedede Erfnahm ſchall wedder kamen tho dem Erve *ſiener Moder.*

22. Wehre idt Sake, dat eine uthheimiſche Perſohn einen Bœrger verklagede, ſo mag de Bœrger mit einem jedern ſick verdagedingen lathen, averſt de utheimiſche ſchall ſick mit einen Bœrger *verdagedingen.* (*d*)

23. Watterley Minſche, de *ſiene egenen Standes iſt*, (*e*) were et Sacke, he keme *binnen de Stadt*, ſchall frie weſen eines *islicken Anſpracke ſeines Dehnſtes.*

24. Vortmehr alle darjenige, dat die Rahtsherren ſetten, tho der Stadt gemeinen Beſten, ſchal de Stadt by Macht holden.

25. Wehre idt Sacke dat ein Schuldener wœrde vor dem Gericht gemahnet, und nicht betalden kœnde, und dem he ſchuldig is, ſien Hus verſettende, dem ſchall deſülvige, dem den Hus verſettet werd, dremahl binnen 6. Wecken im Gericht vorbringen, und da dei Schuldener ſo dane Hus nicht entfreiende, ſo mag dei dem he ſchuldig iſt, datſülvige Hus kehren in ſinen Genütte.

3. Jura Sverinenſia à Domino Nicolao Civitati Malchaw data a. 1235. cum Verſione Germanica. Utrumque deſumtum ex Codice vetuſto Civitatis.

In Nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis.

NOs Nicolaus Dominus de Roſtock, omnibus in perpetuum notum facimus, tam præſentibus quam futuris, quod dilecti Cives noſtri de Malchow, nobis humiliter & devote ſupplicarunt, ut ipſis jura Suerinenſis civitatis per omnia conferremus. Nos igitur eorum poſtulationi grato occurrentes aſſenſu, ac eorundem deſiderio ſatisfacere cupientes, ſicut petiverunt, ipſis jura civitatis Sverinenſis conferimus & donamus.

Sunt autem hæc jura civitatis de Suerin.

1. Pro capite caput.
2. Pro manu manus.

In den Nahmen der Heiligen und untheilbahren Dreyfaltigkeit.

WIr Nicolaus *Herr von Roſtock; Fügen allen ſo jetzo und künfftig ſeyn werden jeglichen zu wiſſen, daß unſere getreue liebe Bürger von Malchow demüthiglich und begehrlich erſuchet und gebeten haben, daß wir ihnen in allen das Schweriniſche Recht mittheilen möchten, dieweil wir denn ihr* Poſtulation *und Begehr gerne angehöret, bewilliget und ihren Verlangen zu folgen oder genug zu thun begehren, ſo verlehnen und ſchencken wir ihnen wie ſie gebeten haben, das Schweriniſche Recht.*

Die Rechte aber der Stadt Schwerin ſeyn dieſe:

1. *Haupt um Haupt.*
2. *Hand um Hand.*

3. Quod

(*b*) Fragm. *germanicum* III. *n.* 12. loco Rahtsherrn habet *Burgermeiſter* & Conſulis vocis loco *Stadvogt*. Rectius hæc germanice reddita ſunt *Fragm.* 4. *n.* 12 *& Fragm.* 5. *n.* 26.

(*c*) Convenit Fragmentum 5. n. 27. 28. Reliqua germanica III. IV. & VII. hoc loco in omnia alia eunt, & binos hos articulos 13 *&* 14. de *Oeconomo Eccleſiæ* ejusque officio ſuſtentandi *Miniſtros Eccleſiarum* interpretantur. Quod, ſi recte factum fuerit, argumento eſſe poterit, ſcriptas fuiſſe has Leges eo tempore quo *Templum Cathedrale*, der Thum, nondum exſtitit, cujus quidem fundatio ab HENRICO LEONE *a.* 1170. *die Viti* facta, ſed conſtructio abſoluta demum eſt a. 1195. De cujus Templi aliarumque ædium ſacrarum, quibus Suerinenſes antea uſi ſunt, *S. Georgii, Franciſcanorum & veteris civitatis* hiſtoria & memorandis, plenius dicetur *in antiquitatibus Mecklenburgicis.*

(*d*) Hoc eſt, ſortiri forum ſeu de jure contendere definito die in judicio. Unde *Ding und Recht* apud *Holſatos.*

(*e*) Eſt hæc verſio imperiti interpretis, qui verba latina: *homo propriæ conditionis* vel non intellexit vel ſignificatum eorum ex jure romano eruit. Quod ex reliquis fragmentis germanicis facile apparet, præcipue ex *fragm.* 3. *n.* 23. ubi hæc verba ita redduntur: der vor ſich einen ſtand hat.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

3. Quod si vulneratur quis ad profunditatem unguis, & longitudinem articuli, reus damnabitur in sexaginta solidos, qui cedent in partem regiæ potestatis, & satisfaciet patienti in 24. solidis.

4. De plaga nigra potestas habebit 24. solidos, & *patiens* 12. solidos.

5. Pro alapa patiens habebit 4. solidos, & totidem potestas.

6. Qui pacem domus fregerit, capitali sententiæ subjacebit.

7. Si fœmina impudica viro probo fuerit convitiata, in præsentia duorum virorum bonorum, potest ei licite bonam alapam dare.

8. Si quis duplicem habuerit mensuram, magnam videlicet & parvam: magna percipiat, & parva eroget: damnabitur sententia capitali.

9. Molendinarus recipiet mensuram de singulis modiis institutam, quæ Matta vulgariter nuncupatur

10. Qui civitatis statuta infregerit, tres marcas denariorum dabit, duas civitati, tertiam potestati.

11. Omnis solidus pacis Consulibus deputatur.

12. Si decreverint Consules, super Civitatis officia, magistrum civium ordinare, & excedant subditi; duæ partes satisfactionis consulibus, tertia vero magistro civium debetur.

13. Civium est eligere talem magistrum.

14. Magister ille *pastores* conveniet.

15. Præda campestris potestati pertinet, non magistro.

16. Nullus dabit hæreditatem suam sine consensu suorum hæredum.

17. Si moritur quis, hæredum præsentia carens, assument illam Consules, causa rei servandæ, usque ad anni terminum, quo revoluto, si nullus hæres venerit, ad manum transeat potestatis, debet autem hæreditas septima manu reddi.

18. Si moritur quis, & duos hæredes reliquerit, mater volens nubere alii, patris dividet hæreditatem.

19. Si moritur quis hæredum illorum, hæreditas transibit ad fratrem: omnibus defunctis redibit ad matrem.

20. Si mater securitatem præstare poterit, manebit tutrix, similiter & Pater.

3. *So einer verwundet wird eines Nagels tief, und eines Fingers lang, wird der Thater gestraffet um* 60. *Schill. welche unter die Macht des Gerichts fallen, und soll dem Patienten geben* 24. *Schill.*

4. *Von einer braun oder blau geschlagenen Beule, davon hat die Obrigkeit* 24. *Schill. und der* Patient 12. *Schill.*

5. *Vor einem Mundschlag bekömpt der Patient oder kriegt* 4. *Schill. und die Obrigkeit auch* 4. *Schill.*

6. *Der den Haußfrieden bricht, das ist, der einem andern Gewalt in seinem Hause thut, soll den Halß lösen.*

7. *So ein unzüchtig Weib würde einen öffentlich hönen und schmähen in Gegenwart zweyer frommen Manner, der mag man ungestrafft freywillig eine Maulschelle geben.*

8. *So einer zur Maaße wird haben eine grosse und eine kleine, und mit grossen zu sich nimmt und mit der kleinen abnagt, soll mit einem Halßbruch gestrafft werden,* darunter (*) auch die Elle, Gewichte und andere Betrügerey verstanden werden.

9. *Ein Müller soll die geordnete Matte nehmen von jeden Scheffel, welches eine Matte gebrauchlich genennet wird.*

10. *Welcher die* Statuta *der Stadt brechen wird, soll drey Marck Groschen geben, zwey der Stadt und einen der Obrigkeit.*

11. *Der Schilling des Friedes oder Geleits-Gulden gebühret dem Bürgermeister, das ist Schoß* dem Rathhause.

12. *Wann die Bürgermeister einen* Magistrum Civium *oder Stadtvogt und Aufseher geschlossen haben anzuordnen über die Dienste der Stadt, und die Unterthanen übertretens, und verhalten sich nicht darnach, so gehören zwo Theil der Busse dem Bürgermeister, das dritte Theil aber dem* Magistro Civium.

13. *Der Gemeine gehöret die Erwehlung eines Stadtvogts.*

14. *Dieser Aufseher soll die* Pastores *besuchen oder mit ihnen uvereinkommen.*

15. *Der Raub auf dem Lande gehöret der Obrigkeit und nicht dem Stadtvogt.*

16. *Niemand soll sein Erbe vergeben ohne Bewilligung seiner Erben.*

17. *So jemand stirbet in Abwesen der Erben, sollen die Bürgermeister* das Erbe zu sich nehmen, *dasselbe aufheben* ein Jahr lang, *und wann das verflossen, soll es an die* hohe Obrigkeit *verfallen seyn, die Erbschafft aber soll in die siebende Hand zurück gegeben werden.*

18. *So jemand stirbet und lasset zwey Erben nach und die Mutter wolte wiederum einen andern freyen, so soll sie das väterliche Erbe theilen.*

19. *Und so von den Erben einer stirbt, so fallt das Erbe auf seinem Bruder. Wenn sie alle todt seyn, so fallt es wieder auf die Mutter.*

20. *So die Mutter sicher kan die Erbschafft vorstehen, so bleibet sie der Güter Verwalterin, desgleichen auch der Vater.*

21.

(*) Quæ verba desunt in reliquis & adjecta sunt ab interprete vel ævo recentiori.

21. Si moritur aliqua, relinquens hæredem, & Pater ſeparans ipſum a ſe, ducat uxorem, & generet ex ea parvulos: mortuo patre ſeparatus hæres redibit ad hæreditatem (*) *matris.*

22. Si quis extra civitatem manens, querimoniam de cive fecerit, poteſt ſe civis cum quolibet defendere. Alienus vero cum cive aliquo ſe defendet.

23. Quicunque autem *homo propriæ fuerit conditionis*, ſi *intra civitatem* manſerit, ab impetitione *ſervitutis cujuslibet* liber erit.

24. Præterea quicquid Conſules Civitatis ad communem uſum ordinaverint, civitas ratum habebit.

25. Si quis debitor coram judicio convictus, & debitum ſuum ſolvere nequiens, domum ſuam creditori deponet; & creditor illam tribus vicibus intra ſex ſeptimanas coram judicio præſentabit. Quam ſi debitor tum non redemerit, in ſuos uſus convertet creditor domum ipſam.

Acta ſunt hæc Guſtrow, 1235. 2 Martii, regnante glorioſo Romanorum Imperatore Friderico.

21. *So eine Frau ſtirbet und läſſet einen Erben nach, und der Vater ſondert ihn von ſich ab, und nimt eine Frau und zeuget Kinder mit ihr, nach des Vaters Tode aber tritt der abgeſonderte Erbe wieder zum mütterlichen Erbe.*

22. *Wenn jemand auſſer der Stadt bleibet und thut eine Klage wider einen Bürger, kan ein Bürger mit einen, er ſey wer er wolle ſich vorgedingen, das iſt, ſoll Bürge ſtellen wo er kein Bürger iſt.*

23. *Ein jeglieher* Menſch, der vor ſich einen Stand hat, *ſo er in der Stadt bleibet, ſoll er von jeglicher ungebetenen Dienſtbarkeit frey ſeyn.*

24. *Ferner was die Bürgermeiſter der Stadt zum gemeinen Nutzen ordnen werden, ſoll die Stadt feſte halten.*

25. *Wenn ein beſchuldigter Mann vorm Gericht vermahnet worden, und kan die Schuld nicht bezahlen, ſoll er ſein Hauß dem* Creditori *verunterpfanden. Wann der Gläubiger der* Creditor *das Hauß vorm Gericht ausbeut zu dreyen mahlen von 6. Wochen zu 6. Wochen, und der beſchuldigte nicht wieder löſet, ſo wendet der* Creditor *das Hauß zu ſeinem Nutzen.*

Geſchehen zu Guſtrow anno 1235. *d.* 2. *Martz bey Regierung des Römiſchen Kayſers* Friderichs.

4. Statuta Sverinenſium Civitati Röbel conceſſa. E Codice Civitatis ſub rubro:

Es ſeynd der Stadt von Schwerin Rechte dieſe, wie ſie aus dem Lateiniſchen verdeutſchet und dieſer Stadt Röbel gegeben worden an. 1236.

1. Kopff um Kopff.
2. Hand um Hand.
3. So jemand verwundet wird, eines Nagels am Finger tief, und eines Gliedes lang, ſoll der Thäter auf 60 Schill. verdammet werden, welche er der Obrigkeit ſoll verfallen ſeyn, und dem verwundeten mit 24. Schill. zu frieden ſtellen.
4. Von braun und blau, hat die Obrigkeit 24. Schill. und der Beſchädigte 12. Schill.
5. Vor einen Backenſtreich ſoll der Beleidigte 4. Schill. und ſo viel auch die Obrigkeit haben.
6. Wer Gewalt thut in eines andern Hauſs, ſoll am Leben geſtrafft werden.
7. So ein unverſchämt Weib, einen Mann mit Worten ſchmähet, in Gegenwärtigkeit zweyer glaubwürdiger Männer, mag er ihr mit gutem Fug, eine gute Maulſchelle geben.
8. So jemand zween Scheffel hat, einen groſſen und einen kleinen, daſs er mit dem groſſen ein, und mit dem kleinen ausmiſſet, ſoll am Leben geſtrafet werden.
9. Der Müller ſoll die verordnete Maaſſe, von jedem Scheffel nehmen, welche man gewöhnlich die Matte nennet.
10. Wer der Stadt Ordnung und Statuta übergehen wird, ſoll drey Marck Pfenning geben, zwo der Stadt und ein der Obrigkeit.
11. Alle Geleidtgülden gehören dem Rathe.
12. Wenn ein Rath geſinnet, über der Stadt Aemter, einen Bürger-Meiſter zu erwehlen, und dann die Unterthanen übertreten, gehören alsdenn zwey Theil der Brüch dem Rathe, der dritte aber den Bürgermeiſtern.
13. Die Bürger haben Macht, *einen Vorſteher der Kirchen* oder einen Oeconomum zu erwehlen.
14. Der Vorſteher oder Oeconomus *ſoll die Prediger underhalten.*
15. *Die Jagt* (**) gehöret der Obrigkeit, und nicht dem Rathe, oder Bürgermeiſtern.
16. Niemand ſoll ſein Erbſchafft vergeben ohne Bewilligung ſeiner Erben, *ſo er in ſeiner* (***) *Gevvalt hat.*
17. So jemand ſtirbet, und findet keine Erben, ſoll ein Rath die Erbſchafft an ſich nehmen, die zu bewahren, *bis ein Jahr um iſt*, und wenns verfloſſen und kein Erbe ſich angiebt, ſoll es uns überantwortet und zugeſtellet werden; Es ſoll aber die Erbſchafft vom

(*) Exemplar apud THOMAS *in annal. Guſtroviens. p.* 53. habet: *Patris.*
(**) Ita & in *Fragmento* 5. *n.* 29. Reliqua habent *Raub, Feldraub.*
(***) Convenit *Fragm.* 7. *n.* 30. In reliquis hæc verba deficiunt.

vom ſiebenden Grad wieder überantwortet werden.

18. So jemand ſtirbet und läſt zwey Erben nach, und die Mutter will wiederum einen andern freyen, ſoll ſie ihnen des Vaters Erbe theilen.

19. So einer von denſelbigen Erben verſtirbet, ſoll die Erbſchafft dem Bruder folgen.

20. Wenn ſie alle todt ſeyn, ſoll ſie wieder zu der Mutter kommen.

21. So die Vorſtandt thun, oder die Kinder ſchadloſs halten kan, ſoll ſie Vormündinne bleiben, alſo auch der Vater.

22. So eine verſtirbt und läſt einen Erben nach, und der Vater ſcheidet denſelben von ihm ab, und nimpt wiederum eine Frau und zeuget mit derſelben Kinder, wann dann der Vater todt iſt, kombt der abgeſchiedene Erbe wiederum zu der Mutter Erbſchafft.

23. So jemand der auſſerhalb der Stadt ſeſshafftig, einen Bürger zu beklagen hat, kan ſich der Bürger mit einem Eid ſchützen, ein Fremder aber ſoll ſich mit einem Bürger ſchützen.

24. Ein jeder Menſch *der ſein eigen Herr iſt*, ſo er in der Stadt bleibet, ſoll von eines Anfechtung wegen Dienſtbahrkeit, frey ſeyn.

25. Ueber das alles was ein Rath der Stadt zu gemeinen Nutz und Gebrauch ordnet, ſoll die Stadt annehmen und befullworten.

26. So ein Schuldiger im Gericht eingemahnet wird, und nicht bezahlen kan, ſoll er den Gläubiger ſein Hauſs einſetzen.

27. Aber der Creditor ſoll es dreymahl innerhalb Sechs Wochen für Gericht aufbieten, ſo es denn der Schuldiger nicht löſet, ſoll der Gläubiger das Hauſs ſeines Gefallens gebrauchen.

Acta ſunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis 1263. datum in Robel ſecundo Calendas Martii.

5. Fragmentum juris (*a*) Suerinenſis manu JOACHIMI WEDEMANNI (*b*) ſcriptum ſine anno, deſumtum ex Codice antiquo.

1. Vor Hövet dat Hovet.

2. Hand um Hand.

3. Ward einer gewundet ſo deep als een Nagel am Finger deep und ſo lang als ein Lidt, ſcal de ſchuldige verdammet werden tho 60. Schill. an de Herſchop und 24. Schill. bethalen dem geledenen Parte.

4. En *Todtſchlack* 60. *Marck Lübſch*, dem *Herrn* 30. Marck un *den Todſchlagnen* ock ſo vel.

5. Wann enen de Than ut dem Muhl geworpen, un dat Angeſicht geſchimfert iſs 15. Marck.

6. En Lämung 15. Marck, dem Herrn 10. un dem Lamen 5. Marck.

7. En Wunde darut Knacken genamen 15. Marck.

8. Wart en gluplings gehauet oder ſtecken is en hemlig Mord 30. Marck.

9. En Blotlat ſo et mit ener Were geſchicht 3. Marck, ſo averſt mit de Fuſs 24. Schill.

10. En Erdefall tho 3. Marck.

11. Wer enen andern brun und blag ſchleit, ſcal an de Herſchop 24. Schill. geven und dem geledenen Part 12. Schill. *ſo en Erd-Fall daby*, 3. *Marck.* (*)

12. En Haar Tog is 12. Schill.

13. Wann jemand ehrenrörig utgeſchollen wird 20. Marck.

14. Wann en nig to fröer Tid vor dat Gericht ſick gefunnen 3. Marck.

15. Vor ene Ohrfiege edder Backenſchlag mit flacker Hand ſcal dat geledene Part hebben 4. Schil. un die Herſchop even ſo vel.

16. Ene Klete iſs de Obrigkeit 15. Marck.

17. En Benbräck iſs den beſchedigten 5. Marck.

18. Vorachter Arreſt 30. Marck.

19. Wer Huſsfrede breckt gewaltlichen, de ſchall den Hals verbracken hebben.

20. Wenn en unverſchämt Wief enen framen Mann mit Worden ſchmähede, in Gegenwart 2. ehrlicken Männer, de mag ehr mit gutem Fuge ene brafe Muhlſchelle oder Ohrfiege geven mit flacker Hand.

21. Wer dubbelte Maten als grot und kleene hatte, un mit den groten in un mit den klenen ut mitt, ſchall den Hals verwircket hebben.

22. Wen ener enen den Acker avplägt, mennige Fahr 3. Marck.

23. De Möler ſchall nehmen van itlichen Schepel de geſettete Mathe', de jtzund genomet ward de Matte.

24. Welcker de Stadt Otdnung un Rechte ävertrett ſchall 3. Marck Panning geven, 2. Marck der Stadt und 1. Marck der Herſchop.

25. Alle *Fredſchillinge* edder *Geleid Geld* (*c*) gehören den Rademannen.

26. Wäre idt Sacke dat de Rahtsherren gedachten enen Burgermeiſter aver de Stadt ambachten to ſetten, un de Unterſatten ſick dagegen ſträvenden, ſchall 2. Part des Bräcks den Rathsherren fallen un de drüdde den Burgermeiſter.

27. Den Borgern geböret ſülcken geleſeten Borgermeiſter uterkoren tho holden.

28. Der Borgermeiſter ſchall ſick mit den Heerden fredſahm upführen.

29. De *Jagd* gehöret der Herſchop un nicht den Borgermeiſter.

30. Nemand mag ſine ervlicke Göder vergeven ſünder willen ſiner Ervnehmer.

31. Wen jemant ſterbt in Afweſenheit ſiner Aervnehmer, ſchälen de Rathsherrn dat Arfgodt an ſick nehmen, to verwahrende bet *to Jahres Ende:* Wenn *dat Jahr verlopen is*, un ken Arve ſick angibt, ſcall de Erfſchafft der Herſchop gelefert werden. Et ſchall

ſchall äverſt ſodann de Ervſchafft *übern ſavenden Grad* averantwortet werden.

32. Wäre idt Sacke dat wol verſtürve und 2. Ervnehmen nahlete, un de Moder wolle wedder enen andern Mann nehmen, ſo ſchall ſe *erſten* dat Erve des Vaders delen.

33. Stürve ein Ervnehme, ſo ſchall de erſtlicke Anfall gahn tho den Broder.

34. Wen de nu deſſen Erven todt ſyn, falt ed an de Moder wedder.

35. Wo de Moder *Verſäckerung* dohn mag, mag ſe *Vormunderſche bliven*, desglicken ock de Mann.

36. Wo ene Frowe verſtürve, un enen Ervnehmen nahlete, un ſin Vader denſülven van ſick ſcheidete, un ene andere Frow nehme, un van derſelven Kinder tohede, un de Vader hernach ſtürve, ſo ſchal de afgeſchedete Ervnehmer wedder kamen to den Erve *ſiner Moder*.

37. Wenn jemant de unterhalf Stadt wahnet un utheimiſch is, enen Börger tho verklagen het, ſo mag de Borger ſick mit enem jeden verdingen; de utheimſche äverſt ſchall ſick mit enen Börger ſchützen und verdingen.

38. Watterley Minſck *de ſin egen Herr is*, ſo hie in der Stadt ſeſshafftig blifft, ſchal frie weſen in der Anſpracke wegen Denſtbarkeit.

